

Patr.
36
IO.
GERSONII
OPERA
TOM. I.











von Herrn J. G. Dietrichs
gew. Stadt Consulenten
zur Rathsbibliothek ver-
ehrt.
d. 20 Oct. 1783



JOANNIS GERSONII OPERA OMNIA.



JOANNES GERSONIUS
DOCTOR ET CANCELLARIUS
PARISIENSIS

JOANNIS GERSONII

Doctoris Theologi & Cancellarii Parisiensis

OPERA OMNIA,

Novo ordine digesta, & in V. Tomos distributa;

Ad Manuscriptos Codices quamplurimos collata, & innumeris in locis emendata; quædam etiam nunc primùm edita:

Quibus accessêre

HENRICI DE HASSIA, PETRI DE ALLIACO, JOANNIS BREVICOXÆ, JOANNIS DE VARENIS Scriptorum coætaneorum, ac insuper JACOBI ALMAÏNI & JOANNIS MAJORIS Tractatus, partim editi partim inediti;

Necnon Monumenta omnia ad Causam JOANNIS PARVI *pertinentia.*

Operâ & studio M. LUD. ELLIES DU PIN, S. Facultatis Parisiensis Doctoris Theologi, & Philosophiæ Professoris Regii,

Qui huic Novæ Editioni præfixit

GERSONIANA,

In quibus Historia Ecclesiastica temporis illius quo GERSONIUS vixit texitur, hujus & coævorum Vita narratur, Scripta recensentur, Doctrina exponitur.

TOMUS PRIMUS,

Continens

OPERA DOGMATICA de RELIGIONE & FIDE.

EDITIO SECUNDA.



HAGÆ COMITUM,

Apud PETRUM DE HONDT.

MDCCXXVIII.

PRÆFATIO.



TAM celebre est inter totius Orbis Theologos Gersonii nomen, ejusque Opera apud omnes in tanto sunt pretio, ut ea commendatione nostrâ non egeant: sed quæ fuerit novæ hujus illorum Editionis necessitas, & quid in eâ præstiterimus, breviter aperiendum.

Pauci sunt Scriptores, quorum Opera aut priùs Typis mandata fuerint, aut pluries collecta & recusa. Extat antiquissima nonnullorum Gersonii Operum Editio, statim post Artem Typographicam inventam facta, ut ex caracteribus conjicere est; Annus enim & locus Editionis nullibi ascriptus legitur: in eâ habentur *Tractatus De Potestate Ecclesiastica*, *De Auferibilitate Papæ*, *De Contractibus*, *De Pollutione nocturna*; iidem & alii subinde ejusdem Tractatus seorsum editi sunt, ut *Trilogium Astrologiæ Theologizatæ*, *Opus tripartitum*; *Liber De Probatione spirituum*, & alii plurimi.

Prima verò Operum Gersonii collectio, prodiit Basileæ, Anno MCCCCLXXXIII; altera Argentorati, Anno MCCCCLXXXIX: utraque in tres Partes distributa; quarum prima continere dicitur *Tractatus Potestatem Ecclesiasticam & Fidem potissimùm concernentes*; secunda, *Opuscula ad mores accommodata*; tertia, *Tractatus Contemplativæ vitæ præcepta tradentes*; quarta insuper adjecta est in Editione Parisiensi Anni MCCCCXCI, in quam Partem Sermones conjecerunt, cum aliis Tractatibus omissis.

Prima & secunda Pars à Petro * Gommorso; tertia & quarta, à Joanne Petit Typis mandatæ sunt. Hanc Editionem subsecutæ sunt Basileensis, Anni MDXVIII; & Parisiensis, Anni MDXXI omnino similes; harum omnium Editionum forma haud multùm laudabilis.

Sæculi decimi septimi initio, novam Gersonii Editionem in se suscepit celebris & nunquam non sine laude commemorandus, Edmundus Richerius Doctor Sorbonicus. Hæc Editio cœteras quidem & formâ & caracterum elegantiâ vincit, haud multò tamen accuratior; non quòd Richerius huic labori par non fuerit, sed quia currentibus Typis, Bibliopolarumque, quorum impensis hæc Editio fiebat impatientiâ, aliis ipse curis districtus, non potuit huic spartæ adornandæ, quod necessarium fuit temporis impendere, ut & ipse fatetur in Præfatione. Nam cùm animadvertisset divisionem Operum Gersonii, ut compacta erant, instar foliorum Sibyllæ confusa

* *Forsan legendum* Goramorso.

 &

& dissipata esse, & Tractatus plerosque, ei cui ascribuntur generi nullo modo respondere, sibique proposuisset ea in sex Partes distribuere, *Miscellanea*, *Hierarchica*, *Moralia*, *Mystica*, *Dogmatica in sacram Scripturam*, *& Concionalia ad populum*; vix quidquam tamen in vetusto ordine immutavit: nec ipsi per otium licuit, ut ibidem fatetur, Manuscriptos codices accuratè legere, conferre, & exscribere: unde non mirum, si hæc Editio præcedentibus nec multò castigatior, nec multò auctior sit. Adjecit nihilominus, Petri de Alliaco, Jacobi Almaïni, & Joannis Majoris, Doctorum Parisiensium, de Ecclesia & Concilii autoritate, Tractatus jam editos.

Cùm autem, Anno MDCVI ineunte, Opus integrum penè absolutum esset, contigit ut occasione controversiæ, Papam Paulum V inter, & Rempublicam Venetam, Paulus Sarpius, Ordinis Servitarum, Tractatus Gersonii ad Excommunicationem spectantes, Latinè & Italicè edendos curaret, ut firmissimum adversùs Pauli V censuras aggerem. Cùm igitur eodem ferè tempore Cardinalis Barberinus, qui postea ad Pontificatum evectus, Urbanus VIII dictus est, tùm verò in Gallia Papæ Nuntius, inaudiisset confectam fermè esse Parisiis, Operum Gersonii Editionem, & mox in publicum exponendam, quam quidem accurasset Richerius, Scholæ Parisiensis doctrinæ non minùs addictus, quàm Curiæ Romanæ placitis adversus; instigante potissimùm Andrea du Vallio Doctore quidem Gallo, & Sorbonico, sed Transalpinorum opinionibus imbuto; apud Illustrissimum Galliæ Cancellarium Nicolaum Brulartum egit, ne Gersonii Operum Editio in publicum prodiret. At hoc unum impetrare potuit, ne toto Anno MDCVI venùm à Bibliopolis exponeretur. Hoc elapso, venalis fuit, ejusque Exemplaria citò distracta sunt.

Cùm ergò jampridem rara sint admodùm, ac multi veneant, doctis ac cordatis viris è re publica futurum visum est, si nova Operum Gersonii fieret Editio, cœteris cultior, auctior & castigatior. Huic adornandæ à pluribus Annis incumbebat Vir doctissimus, quem honoris causâ appellarem, nisi nomen suum reticeri voluisset, & paratus erat eam Prælo tradere; cùm nescio quo fato, consilium illud interruptum est, ac deinde ab Autore penitus abjectum. Verùm flagitantibus undique Gersonii Opera bonis & eruditis, tandem satis fieri necesse fuit, & mihi hæc provincia demandata est.

Itaque, cùm in manus meas venissent quæ jam annotata aut emendata erant ab eo qui priùs istud Opus meditabatur, hujus hac

hac in parte labore, sine meo, fateor, fruitus sum. Sed cùm nondum res affecta foret, multùm adhuc mihi sudoris & operæ impendendum fuit.

Primùm, Tractatus multos ad MSS. codd. Victorinos, Navarricos, Colbertinos, aliosque nondum collatos, recensui. Horum ope innumera loca sunt restituta, nonnulla adjecta, alia additamentis repurgata. Scripta quæ in unum compacta fuerant, aut in duo divisa, nativæ formæ reddita; uno verbo, omni curâ, quantum in me fuit, effectum, ut quàm emendatissima Gersonii Opera prodirent.

Deinde, quinquaginta fermè Gersonii lucubrationes, è MSS. codd. erutæ, nunc primùm lucem vident, non tantùm Sermones & Orationes, aliaque hujusmodi Scripta; sed & gravioris momenti Tractatus, ad Doctrinam & Disciplinam Ecclesiasticam pertinentes.

Tertiò, Scriptorum coævorum, Henrici de Hassia, Joannis de Varenis, Joannis Brevicoxæ, ac præsertim Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis Tractatus insignes, plerique hactenus inediti, Gersonii Operibus adjuncti sunt.

Quartò, Monumenta & Acta omnia ad Causam Jo. Parvi, cujus actor fuit Gersonius, pertinentia, quæ nondum prodierant, undique conquisita digessi, & in unum Tomum congessi.

Quintò, admonitus à Richerio confusionis illius, quæ in distributione Operum Gersonii facta fuerat, novam eorum divisionem, novum ordinem institui. Sed nec eam quam Richerius delinearat distributionem sequi mihi religio fuit; non enim satis apta visa est, & partium ordo præposterus. Ea igitur ad quinque Capita revocavi, *Dogmatica* scilicet, *ad Disciplinam Ecclesiasticam spectantia*; *Moralia*, *Exegetica*, & *Miscellanea*, ac in quatuor Tomos distribui.

Primus Tomus, qui Dogmatica continet, in tres dividitur Partes.

Prima, complectitur Scripta, quæ ad Theologiæ tractandæ methodum, regulas & fundamenta pertinent:

Secunda, Tractatus adversùm prophanas superstitiones compositos:

Tertia, Libros ad Fidei Dogmata pertinentes.

Sequitur Appendix, continens varios Tractatus Dogmaticos, Petri de Alliaco, Joannis Brevicoxæ prolixum Opus de Ecclesia & Concilio, & ea quæ spectant ad negotium Joannis de Varenis.

Tomus secundus, ea complectens, quæ ad Ecclesiasticam πολιτείαν & Disciplinam pertinent, in quinque Partes distribuitur.

Prima,

Prima, continet Tractatus ad Schisma spectantes, usque ad Concilium Constantiense.

Secunda, eos qui ad Concilium Constantiense pertinent.

Tertia, eos qui Forum Pœnitentiæ respiciunt.

Quarta, illos in quibus de muniis & officiis Prælatorum, Clericorum, aliorumque Fidelium agitur.

Quinta, eos qui ad Disciplinam Monasticam conducunt. Hæc claudet Appendix, continens Henrici de Hassia, Joannis de Varenis, Petri de Alliaco, aliorumque Tractatus, de Schismate, de Ecclesiæ reformatione, & Concilii Generalis autoritate.

Tomus tertius Moralibus deputatus, tres habet Partes.

Prima, Opera Doctrinalia circa mores.

Altera, Mystica & Pia.

Tertia, Sermones continet.

Tomus quartus complectitur Exegetica in Scripturam Sacram, & Miscellanea, quæ duas Partes constituunt. Inter Miscellanea, Orationes aliquot solemnes & Carmina nonnulla deputantur.

His additur Tomus quintus, Monumenta omnia & Acta ad Causam Joannis Parvi pertinentia, complectens, in tres Partes distributa.

Demum ad illustrandam hanc Operum Gersonii Editionem, Quadripartitum Opus præfigere visum, cui, ad clarorum Virorum imitationem, GERSONIANORUM nomen dedimus.

In hujus Libro primo, Historia temporis illius, quo Gersonius vixit enarratur. Cùm enim eorum quæ tùm in Ecclesia gesta sunt, non solùm particeps, sed & præcipuus autor fuerit; ad Vitæ ejus narrationem, Operumque intelligentiam multùm conducit Historiam temporis probè nosse.

In secundo, Joannis Gersonii, Petri de Alliaco, Clamengii, aliorumque coætaneorum Scriptorum, quorum lucubrationes aliquas damus, aut qui cum Gersonio familiaritate, eorumdemque studiorum ac negotiorum commercio juncti fuerunt, Vitæ habentur.

In tertio, omnia Gersonii Opera recensentur, & de singulis judicium fertur.

In quarto, qui majoris est utilitatis & operæ, universa Gersonii Doctrina panditur, atque uberrimi eruditionis ejus fontes aperiuntur, eorumque undæ purissimæ, velut alveo conclusæ, ingens flumen efficiunt.

SERIES

SERIES

Eorum quæ in hac nova GERSONII Operum Editione continentur.

Quæ Asterisco notantur, nunc primùm in lucem prodeunt.

TOMUS PRIMUS,

Continens Opera Dogmatica, De Religione & Fide.

PARS PRIMA,

Complectens Scripta quæ ad Theologiæ tractandæ methodum, regulas & fundamenta pertinent.

PARS SECUNDA,

Continens Tractatus adversus prophanas superstitiones.

PARS TERTIA;

Continens Tractatus ad Fidei Dogmata pertinentes.

APPENDIX

Ad Tomum Primum Operum JOANNIS GERSONII;

Continens

Varios Tractatus Dogmaticos PETRI DE ALLIACO *Cardinalis Cameracensis*; nec non JOANNIS BREVISCOXÆ *Doctoris Theologi Parisiensis* Tractatum *De Ecclesia & Concilio Generali:* Et quæ spectant ad negotium JOANNIS DE VARENIS.

TOMUS SECUNDUS

Ea complectens,

Quæ ad Ecclesiasticam πολιτείαν, & Disciplinam pertinent.

PARS PRIMA,

Continens Tractatus ad Schisma pertinentes, usque ad Concilium Constantiense.

PARS SECUNDA.

Continens Tractatus ad Concilium Constantiense pertinentes.

Arti-

PARS TERTIA.

Continens Tractatus qui spectant ad Forum Pœnitentiæ.

Tom. I.

PARS QUARTA.

Continens Tractatus qui spectant ad Munia & Officia Prælatorum, Clericorum, aliorumque Fidelium.

* *

PARS QUINTA.

Continens ea, quæ ad Disciplinam Monasticam pertinent.

APPENDIX

Ad Tomum II. Operum JOANNIS GERSONII,

Continens

HENRICI DE HASSIA, JOANNIS DE VARENIS, PETRI DE ALLIACO *Cardinalis Cameracensis*, aliorumque Tractatus De Schismate, De Ecclesiæ reformatione & Concilii generalis Auctoritate.

TOMUS TERTIUS,

Continens Opera Moralia.

PARS PRIMA,

Ea complectens, quæ ad Morum Doctrinam pertinent.

PARS SECUNDA,

Continens Opera Mystica & Pia.

APPENDIX

Ad Secundam Partem Operum MORALIUM,

Continens

Quosdam Tractatus Spirituales Gallicè scriptos, nunc primùm editos.

PARS TERTIA,

Continens Sermones de Tempore & Sanctis.

TOMUS QUARTUS

Continens,

Opera Exegetica & Miscellanea.

PARS PRIMA,

Complectens Exegetica.

PARS SECUNDA.

Continens Orationes solemnes; Epistolas aliquot; Carmina, & alia Miscellanea.

EPISTOLÆ MISCELLANEÆ.

Series eorum, quæ Tomo Quinto continentur, initio ejus Voluminis invenietur.



INDEX

INDEX OPERUM GERSONII

Juxta Editionem Parisiensem anni 1606, ad hanc novam ejusdem Operum Editionem exactus.

Editio anni 1606. — *Editio nova.*

PARS PRIMA.

PARS QUARTA.



Editio anni 1606.	pag.	*Editio nova.* Tom.	pag.
Tractatus De signis bonis & malis.	244.	III.	157
Sermo incompletus De Nativitate B. Mariæ.	248.	III.	1360
Responsio ad quæsita Petri De Chalançon.	253.	II.	653
Incluso in Monte Valeriani.	267.	II.	773
Protestatio super statu Ecclesiæ.	269.	II.	2
Epistolæ duæ De reformatione Theologiæ.	271.	I.	120
Centilogium, De causa finali.	277.	IV.	807
De modis significandi.	287.	IV.	816
De concordia Metaphysicæ cum Theologia.	293.	IV.	821
Sermo in Dominica prima Adventus.	303.	III.	899
In Dominica secunda Adventus.	316.	III.	910
In Dominica tertia.	327.	III.	918
In Dominica quarta.	335.	III.	926
Sermones duo Dominicæ post Natalem Domini.	343.	III.	960
Sermo in Dominica infra Octavam Epiphaniæ.	353.	III.	980
Sermo in Dominica Septuagesimæ.	375.	III.	1031
Sermo in Dominica Sexagesimæ.	387.	III.	1041
Sermo in Dominica Quinquagesimæ.	394.	III.	1048
Sermo in Dominica prima Quadragesimæ.	402.	III.	1055
Sermo in Dominica secunda Quadragesimæ.	410.	III.	1070
De quærendo Domino.	418.	III.	1076
Sermo De Tentatione.	424.	III.	1062
Sermo ad populum Parisiensem, de Bulla Mendicantium.	432.	II.	431
Dominica tertia Quadragesimæ.	444.	III.	1082
Dominica quarta Quadragesimæ.	452.	III.	1089
De cæco nato.	456.	III.	1093
In Dominica Passionis.	466.	III.	1102
In Ramis Palmarum.	476.	III.	1111
Alius Sermo in eodem die.	484.	III.	1117
Sermo in Festo Paschæ.	490.	III.	1204
Sermo Dominicæ *Misericordia Domini.*	503.	III.	1214
Sermo alius in Festo Paschæ.	513.	III.	1255
Sermo de Spiritu Sancto.	522.	III.	1247
Sermo alius de Spiritu Sancto.	538.	III.	1261
Sermones duo de Trinitate.	546.	III.	1268
Sermo de Eucharistia.	563.	III.	1283
Sermo de Conceptione B. Mariæ.	574.	III.	1317
Alius Sermo de eadem.	592.	III.	1333
Sermo coram Rege, pro pace Ecclesiæ & unione Græcorum.	594.	II.	141
Instructio ad senem, de morte.	607.	III.	275
Sermo de Christi Nativitate.	619.	III.	938
Sermo alius de Nativitate.	624.	III.	951
Sermo in die Epiphaniæ.	634.	III.	979
Sermones De S. Antonio.	651.	III.	1372
Sermo in die Purificationis Mariæ.	687.	III.	1014
Sermo de Annuntiatione.	694.	III.	1365
Sermo de S. S. Petro & Paulo.	703.	III.	1404
Sermo de S. Michaële & Angelis.	719.	III.	1492
Sermo in Festo Omnium Sanctorum.	733.	III.	1541
Sermones tres de defunctis.	744.	III.	1551
Sermo de consolatione mortis.	774.	III.	345
Solemnis Oratio ex parte Universitatis, habita anno 1405, in præsentia Caroli VI, quæ incipit *Vivat Rex.*	783.	IV.	583
Considerationes contra adulatores Principum.	816.	IV.	622
Oratio de pace ad Regem, in illud *Veniat pax.*	829.	IV.	625
Sermo pro Justitia.	849.	IV.	642
Expositio in Passionem Domini.	864.	III.	1153
Tractatus contra Romantium de Rosa.	922.	III.	297
Conclusiones contra Ludum stultorum.	936.	III.	309
Exhortatio ad Ducem Biturigum, ut celebretur Festum S. Joseph.	937.	III.	309
Modus quo certis ex causis Romam in Jubilæo ire non valentes, spiritualiter eamdem peregrinationem perficere possint.	942.	II.	523
Quædam Moralia, de refrænatione linguæ.	944.	III.	161
Quomodo puer Jesus in mente devota concipitur, nascitur, balneatur.	947.	III.	685
Speculum bonæ vitæ.	950.	III.	688
Oratio in Commendationem Hospitalis Parisiensis.	953.	IV.	681
Querela defunctorum in Purgatorio.	959.	III.	703
Moralis admonitio pro Sanctimonialibus.	962.	III.	237
Quindecim perfectiones necessariæ volenti Deo servire.	965.	III.	240
Sex Magistri, de Tribulatione loquentes.	966.	III.	740
Doctrina contra nimis scrupulosam conscientiam.	968.	III.	241
Duodecim Considerationes quas habere potest homo erga Deum.	970.	III.	691
Tractatus contra fœdam tentationem blasphemiæ.	972.	III.	243
Dialogus Cordis, Conscientiæ & Sensuum.	976.	IV.	830

SYNOPSIS CHRONOLOGICA,

Pontificum Romanorum, Imperatorum & Regum Occidentis, qui vivente GERSONIO extiterunt.

UT faciliùs GERSONII Gesta & Scripta, necnon Ecclesiasticarum rerum eventus, quos narraturi sumus, suis temporibus ascribantur; utque uno intuitu perspici possit quis fuerit ille Pontifex aut Rex, cujus fit mentio; quique simul Pontifices Avenioni sederint, & Reges in diversis Regnis imperitarint: visum est brevem eorum Synopsim Chronologicam præmittere.

Anno 1363 quo natus est GERSONIUS,

Romanus erat Pontifex unus & solus Avenioni sedens	URBANUS V.	2 Pontificatûs annum ingressus.
Imperator Occidentis,	CAROLUS IV. Luxemburgensis,	Imperii 18 annum incipiens.
Rex Galliæ,	JOANNES,	qui sequenti anno obiit.
Regnabant		
In Regno Castellæ,	PETRUS I,	annum 14 Regni agens.
In Aragonia,	PETRUS IV,	ab annis 27.
In Lusitania,	PETRUS CRUDELIS,	ab annis 6.
In Anglia,	EDUARDUS III,	ab annis 38.
In Scotia,	DAVID,	ab annis 33.
In Boemia,	WENCESLAUS,	hoc anno Rex declaratus bimulus.
In Ungaria,	LUDOVICUS,	ab annis 21.
In Polonia,	CASIMIRUS III,	ab annis 31.
In Dania,	VALDEMARUS,	annum Regni agens 30.
In Suecia,	ALBERTUS,	Rex hoc anno declaratus.
In Regno Neapolitano,	JOANNA, Roberti Neptis,	Regno restituta.

His successerunt

ROMANI PONTIFICES.

Urbano die 19 Decemb. anni 1370 mortuo,	GREGORIUS XI electus,	anno 1370, die 28 Dec. Coronatus 4 Jan. anni 1371.
	Is Sedem Romam transfert,	anno 1377.
	Moritur Romæ,	anno 1378. 27 Martii.

Post hujus mortem, eligitur per vim Romanorum, Bartolomæus Butillus Prægnanus Neapolitanus, Barrensis Archiepiscopus, dictus Urbanus VI. At Cardinales Urbe digressi rejecto Urbano, Fundis eligunt Robertum Gebennensem, qui dictus est Clemens VII. Hinc deinceps duo fuêre Summi Pontifices; unus Romæ, alter Avenioni sedens.

Romani.		Avenionenses.	
URBANUS VI	9 Aprilis anni 1378 electus, coronatus die 17 ejusdem mensis.	CLEMENS VII	19 Sept. anni 1378 electus, & ultima die ejusdem mensis coronatus.
Moritur Romæ; & in ejus locum eligitur Petrus de Thomacellis Neapolitanus, qui			

Boni-

Romani.		Avenionenses.	
Bonifacius IX.	2 Nov. anni 1389.		
		Moritur Clemens VII,	die 16 Sept. 1394.
		Eligitur in ejus locum Petrus de Luna Hispanus, dictus BENEDICTUS XIII,	die 28 Septemb. anni 1394.
		Substrahitur huic obedientia in Gallia, & alibi,	ann. 1394.
Moritur Bonifacius,	die 1 Octobris anni 1404.	Restituitur,	ann. 1403.
Eligitur in ejus locum Cosmas Melioratus Sulmonensis, dictus INNOCENTIUS VII.	die 16 Oct. 1404.		
Moritur Innocentius,	die 6 Novemb. anni 1406.		
Eligitur in ejus locum Angelus de Corario Venetus, dictus GREGORIUS XII.	eodem mense.	Iterum subtrahitur obedientia Benedicto in Gallia,	anno 1406.
		Ut neutri Pontifici obediretur statutum in Gallia,	anno 1407.

Gregorius XII & Benedictus XIII deponuntur in Concilio Pisano, anno 1409. die 5 Junii.

Eligitur in Pontificem Petrus Philaretus de Candia, dictus ALEXANDER V, die 19 Junii ejusdem anni.

Moritur is - - - - - - - ann. 1410. die 5 Maii.

Huic succedit Balthasar de Cossa, dictus JOANNES XXIII. 17 ejusdem mensis electus.

Hinc tres fuerunt Pontifices ab anno 1410.

GREGORIUS XII in Regno Neapolitano.	BENEDICTUS XIII in Aragonia.	JOANNES XXIII Romæ.

Omnes abdicati in Concilio Constantiensi.

Gregorius quidem voluntaria renuntiatione, facta in XIV Sess. 4 die Julii anni 1415.	Benedictus per Sententiam latam, ex consensu Regis Aragoniæ, die 26 Julii anni 1417.	Joannes per Sententiam depositionis latam in XII Sess. die 29 Maji anni 1415.
Moritur ante finem Concilii, nullo Successore relicto.		

In eorum locum eligitur Odo de Columna Cardinalis, dictus MARTINUS V, die 8 Novemb. 1417, & pro legitimo Pontifice ab omnibus agnoscitur, exceptis quibusdam Arragonensibus.

	Nihilominus Benedictus XIII superstes in Castello Panischolæ conclusus, pro Pontifice se gerit.	Joannes custodiâ elapsus, benignè à Martino V excipitur, & Decani Cardinalium loco decoratur.
	Moritur anno 1424.	Moritur anno 1418, nullo relicto Successore.

In

In ejus locum eligitur ab hujus Cardinalibus Ægidius Munio Barcinonensis, qui CLEMENS VIII est dictus.

Is abdicare se Pontificatu coactus est die 26 Julii anni 1429, cùm GERSONIUS ejusdem mensis die 12 è vivis abiisset.

IMPERATORES OCCIDENTIS.

Carolo IV die 29 Nov. anni 1378 mortuo, successit

WENCESLAUS, Rex Boëmiæ,	anno 1378. mense Nov.
Deponitur ab Electoribus Imperii,	anno 1400.
In ejus locum eligitur FREDERICUS Brunsvicensis, occisus antequam coronaretur,	anno 1400.
Statim igitur promovetur ad Imperium ROBERTUS, seu RUPERTUS,	anno 1400.
Moritur, & in ejus locum ab Electorum parte substituitur JODOÇUS Marchio Moraviæ: ab aliis SIGISMUNDUS,	anno 1410.
Caroli IV filius, Rex Ungariæ, qui JODOCO intra sex menses mortuo, Imperium solus obtinuit,	anno 1411.
Coronatur Imperator à Pontifice,	anno 1432.

REGES GALLIÆ.

Joanni die 8 Aprilis mortuo, succedit CAROLUS V, SAPIENS dictus,	anno 1364.
Moritur, - - - - - - - - -	anno 1380. die 16 Sept.
Successorem habet Carolum VI, cujus longum Regnum & infaustum, primùm ob infantiam, & deinde ob dementiam; necnon ob dissidia inter factionem Burgundicam & Aurelianensem.	
Moritur - - - - - - - - -	anno 1422. die 21 Oct.
Henricus VI Rex Angliæ Regnum occupare conatur: sed legitimus Regni hæres CAROLUS VII, Caroli VI filius, Patri succedit, & Regnum 38 & ampliùs annis obtinet.	

REGES CASTELLÆ.

HENRICUS XI, occiso Petro, Regnum obtinet,	anno 1369.
JOANNES I Henrici filius, regnare cœpit,	anno 1379.
HENRICUS III, Joannis filius, valetudinarius,	anno 1390.
JOANNES II succedit, & diutissimè regnat,	anno 1406.

REGES ARRAGONIÆ.

Petro succedit filius JOANNES,	anno 1387.
Huic sine liberis mortuo, succedit MARTINUS,	anno 1395.
Moritur, & Rex proclamatur Sororis ejus filius FERDINANDUS IV,	anno 1410.
Ferdinando IV mortuo, succedit ALPHONSUS filius,	anno 1416.

REGES LUSITANIÆ.

Petro Crudeli succedit FERDINANDUS filius,	anno 1368.
Huic JOANNES frater, qui regnat usque ad annum 1433.	anno 1383.

REGES ANGLIÆ.

Eduardo III. defuncto, succedit RICHARDUS II.	anno 1377.
Hic Regno spoliatur, & HENRICUS IV Lancastriæ Dux, Rex constituitur,	anno 1399.
Huic succedit HENRICUS V filius,	anno 1413.
HENRICUS VI bimulus, Patri succedit,	anno 1422.

REGES SCOTIÆ.

ROBERTUS II, Stuartus,	anno 1369.
ROBERTUS III, hujus filius,	anno 1390.
ROBERTUS IV Gubernator Regni, Roberti frater,	anno 1406.
JACOBUS I, Roberti III filius, hactenùs captivus apud Anglos,	anno 1424.

***** RE-

REGES BOEMIÆ.

WENCESLAUS bimulus, annum agens Imperii 1, - anno 1363.
Moritur, - - - anno 1418.
Huic succedit SIGISMUNDUS Imperator.

REGES UNGARIÆ.

Ludovico mortuo, regnum obtinet MARIA, - anno 1383.
Eâ pulsâ à CAROLO II post biennium: SIGISMUNDUS, Caroli IV Imperatoris filius, Mariæ sponsus, Regnum Boëmiæ recuperat. - - - anno 1387.

REGES POLONIÆ.

LUDOVICUS Rex Ungariæ Casimiro succedit, anno 1371.
Guilielmus, Sigismundus & Simon de Regno certant, annis 1383. & 1384.
HEDWIGIS, Ludovici filia, Jagelloni nupta: is diutissimè Regnum tenet sub nomine ULADISLAI IV. ab anno 1386.

DANIÆ REGES.

MARGARETA, Valdemari filia, cum filio OLAVO, Regina Daciæ & Sueciæ, - - ab anno 1376.
OLAVUS moritur, MARGARETA sola regnat, ab anno 1387.
Ericus adoptatus à Margareta, - - anno 1411.

SUECIÆ REGES.

ALBERTUS, à Margareta Sueciæ Regina captus, anno 1387.
Interregnum annis septem.
MARGARETA, Daniæ Regina, Regnum occupat, anno 1395.
ERICUS ei succedit in utroque Regno, - anno 1411.

IN REGNO NEAPOLITANO.

Urbanus VI Joannam Regno Neapolitano dejectam pronuntiat, & Regnum CAROLO DYRRACHINO adjudicat. anno 1380.
Hæc LUDOVICO Duci Andegavensi Regnum dono dat: sed à Carolo, qui Regnum occupat, captiva ducitur.
Ludovicus Dux Andegavensis in Italiam proficiscitur, & Neapolitanum Regnum invadit: Carolus Joannam laqueo occidit. anno 1383.
Ludovicus moritur. - - anno 1384, 20 Sept.
Carolus Dyrrachinus in Ungaria occiditur, - anno 1386, mens. Jan.
MARGARETA hujus vidua cum Liberis regnat.
OTHO Dux Brusvicensis postremus Joannæ maritus Neapolim occupat, & Margaretam ac Liberos Caroli ejicit, anno 1386.
LADISLAUS Dyrrachinus, Caroli filius, Rex Neapolitanus coronatur à Bonifacio IX, - - anno 1389.
LUDOVICUS Andegavensis, Ludovici filius, à Clemente VII, anno 1390.
Hic Neapolitani Regni multas urbes occupat, quæ post ejus discessum à Ladislao recipiuntur.
Is Romam occupat, & Innocentium VII expellit, anno 1404.
Ejicitur ex urbe, - - - - anno 1405.
Iterum eam occupat, - - - anno 1408.
Ejicitur, - - - - anno 1409.
A JOANNE XXIII vincitur; ac deinde collectis copiis Romam usque tendit, & cum Pontifice pactum init, anno 1411.
Joannem Roma expellit, anno 1413.
Moritur, - - - anno 1414.
Succedit ei JOANNA soror.
Hæc Alphonsum Arragoniæ & Siciliæ Regem in auxilium vocat, & hæredem Regni constituit, - - anno 1421.
Post hæc, anno 1431, Ludovicum Andegavensem adoptat, eoque mortuo, Regnum tradit Renato ejus fratri, anno 1434, à quo victus Alphonsus; tandem tamen Regno potitur, Neapoli capta. anno 1442.

GER-



B. Picart Inv. G. v. Gouwen sculp.

GERSONIANA.

LIBER PRIMUS,

IN QUO

HISTORIA ECCLESIASTICA

Temporis illius quo Gersonius vixit enarratur.



LARORUM Virorum gesta & Scripta, ita sunt plerumque cum Historia temporis quo vixerunt connexa, ut fieri non possit quin illi à quibus eorum Vitæ conscribuntur, universalem etiam Historiam non attingant. Sic Magni quondam Athanasii Vitam quisquis scribendam sibi proponit, simul Arianæ hæreseos Historiam conficiat necesse est; & nemo de S. Augustini factis aut Scriptis disserere potest, quin integram eorum quæ tum temporis in Ecclesiâ non solùm Africanâ, sed Occidentali gesta sunt, narrationem non instituat.

Ita se res habet & de aliis bene multis excellentibus Viris, qui primas suis temporibus in Ecclesia tenuerunt, multúmque Catholicos, sive consilio, sive opera, sive calamo adjuverunt.

Sed inter hos nullus est de quo id veriùs dici possit, quàm de nostro Gersonio, qui negotiorum omnium Ecclesiasticorum, & quidem gravissimorum, atque ad Universalem Ecclesiam pertinentium, dum vixit, non solùm particeps, sed & præcipuus autor fuit.

Vix ad annos pubertatis ille pervenerat, cùm Ecclesia gravi ac luctuoso schismate divelli cœpit, anno Æræ vulgaris 1378. Ex eo varii motus in Universitate Parisiensi excitati, qui Gersonii, Parisiis tum studentis animum acriùs accenderunt. Ubi verò schisma post mortem Clementis VII per electionem Petri de Luna recruduit, difficile istud atque intricatissimum negotium unius ferè Gersonii humeris incubuit; eorumque omnium, quæ sive in Academia Parisiensi, sive in Regis Curia, sive Romæ, sive in Conciliis, sive alibi gesta sunt, nihil sine ejus consilio & autoritate gestum; donec tandem in Concilio Generali Constantiensi, hujus potissimùm operâ, studio & molimine, schisma penitus extinctum est. Mitto alia tum Universitatis, tum Ecclesiæ negotia, quorum omnium, dum vixit, particeps fuit.

Scripturi itaque Vitam Gersonii, & Operum ejus novâ editione adornatâ, operæ pretium nobis visum est, schismatis illius, aliorumque quæ in Ecclesia tum gesta sunt, Historiam præmittere; ut Vitam hujus Scriptoris faciliùs ac sine ambagibus texere possimus, utque major ejus Operibus aliisque monumentis simul editis lux affulgeat.

§. I.

Historia Schismatis, à morte Gregorii XI, ad Pisanum Concilium.

Cùm præteritis retrò sæculis, Roma Summi Pontificis stabilis ac perpetua Sedes fuisset, ad hanc dignitatem evectus anno 1305 Bertrandus de Gotto, Archipræsul Burdegalensis, qui Clemens V est cognominatus, Sedem Avenionem transtulit. Hunc imitati successores, in ea- dem *Sedes Pontificum Avenioni. 1305.*

1305. dem Urbe permansêre; ita ut post septuaginta & ampliùs annos, Romanus Episcopus non Romæ, sed Avenioni cum suo Senatu sedens, inde suam in Ecclesia Universa potestatem spiritalem exerceret, Romamque & alias urbes, nec non Regiones Italiæ, quæ suæ ditionis erant, per Legatos regeret. Hinc sive Legatorum impotentiâ, sive populorum absentis Domini jugum excutere volentium audaciâ, sive vicinorum Principum fines suos protrahere cupientium artibus, seditiones, rebelliones, bella Italiam, ipsamque Urbem Romam agitavere.

Gregorii XI in Urbem profectio, & mors.

Ut huic malo remedium afferret Urbanus V, in Italiam iter fecit, Romæque aliquot mensibus commoratus, cùm omnia ex animo composita sibi viderentur, in Galliam remeavit; ubi paulò post mortem obiit. Huic suffectus est anno 1371 Gregorius XI. Sub hoc seditiones & bella in Italia recruduere, quæ cùm per Legatos sedare non posset Gregorius, suasu Baldi Juris-
1371. consulti, hortatu cujusdam Episcopi admonentis jamdudum Ecclesiam Romanam desertam, nec debere Episcopum ab Ecclesia sua abesse; ac præsertim monitis Catharinæ Senensis, & Brigittæ Virginum, quæ visionibus ac revelationibus à Deo donari ferebantur impulsus, Romam proficisci, ibique Sedem figere statuit, dissuadentibus licèt Cardinalibus, cognatis & amicis, quibus Avenionensis habitatio cordi erat, ac Romana multùm displicebat.

Avenione profectus est cum universo Cardinalium Collegio, sex tantùm exceptis, qui Ave-
1376. nioni remanserunt, die 13 Septembris anni 1376, & Romam prevenit mense Januario anni se-
1377. quentis. Miseranda erat tùm Romæ facies; ruebant ædificia, corrupti erant ac barbari civium mores, magna pars bonorum Ecclesiæ occupata. His in meliorem statum restituendis inten-
1378. tus Gregorius, Romæ obijt, 27 Martii anni 1378.

Gregorii de futuro schismate vaticinatio.

IS in extremis positus, ut testis est Autor noster, in Libro, *De Examinatione Doctrinarum* Part. 2. Conf. 3. pag. 16., *habens in manibus Sacrum Christi Corpus, protestatus est coram omnibus, ut caverent ab hominibus, sive viris, sive mulieribus, sub specie Religionis loquentibus visiones sui capitis, quia per tales ipse seductus, dimisso suorum rationabili consilio, se traxerat, & Ecclesiam ad discrimen schismatis imminentis.*

Varii motus Romæ, de futuri Pontificis electione.

Nec vanum fuit hujus vaticinium. Inde enim ortum habuit fœdum ac diuturnum schisma, quod per quadraginta annos Ecclesiam turbavit. Nam Gregorio in extremis posito, Præfecti Regionarii, quos Banderosos seu Banderonses appellabant, de retinenda quovis pacto Romæ Sede Pontificia deliberare cœperunt. Ad hoc Papam Romanum, aut Italum eligi necesse erat; nec dubium enim quin, si Transmontanus eligeretur, is, Româ relictâ, rursùm Avenionem remearet.

Erat autem tum temporis Collegium Cardinalium trium & viginti, quorum sexdecim tantùm Romæ aderant; nam sex Avenione non dicesserant, Albanensis scilicet, Tusculanensis, Sabinensis, S. Anastasiæ, S. Vitalis, & S. Mariæ in Porticu. Joannes tituli S. Marcelli Presbyter Cardinalis, vulgò dictus Ambianensis, à Gregorio missus erat in partes Thusciæ Legatus, ad pacem inter Ecclesiam & Florentinos componendam. Sexdecim autem qui Romæ aderant, hi erant, Petrus de Urbinis Portuensis & S. Ruffinæ, Joannes de Croso Prænestinus Episcopus, Guilielmus de Agrifolio tituli S. Stephani in Cœlio-monte, Franciscus de Thebaldechis tituli S. Sabinæ, Bertrandus Agerii tit. S. Cæciliæ, Robertus de Gebennis tit. Basil. XII Apostolorum, Simon de Brossane tit. SS. Joannis & Pauli, Hugo de Montelegum tit. SS. IV Coronatorum, Guido de Malassinio tit. S. Crucis in Jerusalem, Petrus de Forcenaso tit. S. Laurentii in Lucina, Geraldus de Podio tit. S. Clementis, Presbyteri; Jacobus de Ursinis tit. S. Georgii ad Velum-aureum, Petrus Flandini S. Eustachii, Gulielmus Noleti Sancti Angeli, Petrus de Vervehio Sanctæ Mariæ in Via-lata, Petrus de Luna S. Mariæ in Cosmedin, Diaconi Cardinales: inter quos duodecim erant Galli, quatuor tantùm Itali, Florentinus scilicet, Mediolanensis, Cardinalis de Ursinis & Cardinalis S. Petri. Itaque haud dubium erat quin si libera ipsis permitteretur futuri Pontificis electio, cùm Gallorum factio prævaleret, non alium nisi Gallum renuntiatum iri. At cùm Romæ essent, vis timenda erat ex parte Magistratuum & plebis, à quibus Romanus, aut saltem Italus efflictim desiderabatur Pontifex, ut Sedes Romæ maneret. Hinc igitur & inde varia consilia haberi cœpta, Cardinales simul coëuntes de futuro Pontifice non semel inter se collocuti sunt: sed ob diversa, ut fit, studia, convenire minimè potuerunt. Ex alia parte, Officiales Urbis & Cives Romani instare apud Cardinales, ut Romanus, aut saltem Italus eligeretur Pontifex. Interim hinc Cardinales sibi metuentes, pretiosa quæque sua in Castrum S. Angeli comportare; inde Præfecti Urbis custodiam ejus sibi vindicare, ac suis committere, ne Cardinales aut fugere, aut Populi Romani votis adversari possent. Inter hos motus contigit mors Gregorii XI die 27 Martii. Post alicujus Pontificis obitum, decem dies Exequiis celebrandis impendi solemnis mos est. Per id temporis acriùs instant Romani, ut sibi Romanus aut Italus detur Pontifex. Exponunt, ex Pontificum absentiâ innumera mala Urbi & Italiæ accidisse; divina pariter & humana pessumdata; Ecclesiarum tum in spiritualibus tum in temporalibus administrationem omnino neglectam; Disciplinam Ecclesiasticam penitus collapsam; corruptos Christianorum ac præsertim Clericorum mores; Ædes sacras, Monasteria, Claustra, Palatia, aliaque Ædificia publica, tum sacra tum prophana, aut diruta aut ruinæ proxima; reditus & bona Ecclesiarum ac Fisci occupata; Romanæ Ditionis civitates vel captas à Tyrannis, vel dissensionibus & bellis vexatas & oppressas. Horum omnium malorum originem ac fontem esse, quòd exteri ad Romanam Sedem evecti, res Italas nihil aut parum curarint, Avenioni tempus in delitiis terentes. Præterea honestum non esse ut Ecclesia Romana tamdiu Pastore ac Sponso suo careat, omnibus Episcopis in Ecclesiis suis residendi legem esse impositam; quantò magis primæ Sedis Episcopo, quem maximè decet Canonum esse observatorem sicut & vindicem, nec decere ipsum Romanæ Civitatis Principem alibi quàm Romæ Sedem habere; per Legatos res minus bene geri, eorumque incuriâ, aut imperitiâ, aut etiam avaritiâ pleraque Italiæ mala contigisse. Ad Ecclesiæ quoque Universæ totiusque Orbis bonum pertinere, ut Romæ habitet Summus Pontifex, in loco libero nulli Principi obnoxio, in quo non magis huic quàm illi favere teneatur, & omnibus æqualiter justitiam reddere, ac beneficia largiri vel denegare possit. Sensisse hæc Urbanum V & Gregorium XI, qui sanctorum & prudentum virorum monitis obsequentes, Avenione Romam transmigrarint, ad id se ex officio teneri existimantes, & ni fecissent, sese reos apud Deum & ho-

mines

mines, futuros. Ad hæc cùm Cardinales respondissent, electuros sese eum, quem digniorem esse judicarent, nulla ratione habita cujus Nationis esset, & seposito omni affectu, incenditur adhuc acriùs Romanorum animus, ad postulandum & quovis tandem modo obtinendum Romanum, aut Italum Pontificem. Accendebant eos maximè Prælati Itali, qui Romam venerant, quorum unum fuisse Archiepiscopum Barrensem postea constitit. Nec verò inter Cardinales ipsos conveniebat. Quatuor Itali Italum Pontificem elegi cupiebant, sed è Collegio, haud dissimulantes se potiùs Cardinalem exterum electuros, quàm Italum purpurâ Cardinalitiâ non insignitum. Hi Cardinali de Ursinis favebant. Quinque è Gallis, Lemovicensis scilicet, de Agrifolio, Pictaviensis, Majoris Monasterii & de Vernio, Lemovicensem volebant habere Papam concivem suum aut vicinum. Inclinabant hi in Vivariensem. Resistebant alii, palam negantes se toleraturos Lemovicensem Papam fieri, cùm totum jam fermè Orbem tæderet, Lemovicenses per tam longum tempus Pontificatum tenuisse. 1378.

Post humatum die sexta Aprilis in Diaconia Sanctæ Mariæ Gregorii XI corpus, his agitati studiis Cardinales, locum ubi perficienda erat electio, Conclave vulgò appellant, ingrediuntur die septima ejusdem mensis. Conclavis sicut & Urbis custodia erat penes Urbis Magistratus & Cives Romanos, qui noluerant Comiti Nolano & aliis Nobilibus à Cardinalibus requisitis curam hujus custodiæ demandari. Circa Conclave erat armata multitudo populi frementis & minantis, ni Romanus aut Italus fieret Summus Pontifex. Non obducta fuit muro, ut solet, porta Conclavis, sed clausa tantùm intùs; nihilominus serotinis horis à plebe in Palatium impetu facto, Præfecti Regionarii cum aliquibus civibus Conclave ipsum ingressi sunt, ac Cardinales iterum requisierunt, ut Romanum aut saltem Italum dicerent Pontificem; subjungentes & sæpiùs repetentes ita animatum esse populum, ut nisi id facerent, in periculum vitæ inciderent. His egressis, tota multitudo conclamare cœpit, *Romanum volumus aut Italum*. Hæc vox per totam noctem sine intermissione audita; ac celebratis die sequenti solemnibus Sacris electioni prævis, clamor auctus, pulsisque campanis tantus excitatus est tumultus, ut custodes à Cardinalibus extra Conclave positi, quorum aliqui erant Ultramontani, æstum ac furorem populi cernentes, monuerint Cardinales, Romanum vel Italicum sine morâ in Pontificem eligendum, alioquin periculum esse, ne à multitudine in frusta discerperentur. Auctus etiam inde timor, quòd cùm vacuus esset infra atrium Conclavis locus, huc ferebant ligna, quasi ignem injecturi, nisi postulatis satisfieret. Tum propositus est eligendus in Pontificem Bartholomæus Butillus, Archiepiscopus Barrensis, de genere Prignano Neapoli ortus, qui in rebus Curialibus peritissimus, ac Juris Pontificii Doctor egregius habebatur. Non placebat multis electio, ad quam vis & metus impellebant. Suggessit Cardinalis de Ursinis, differendam esse electionem, & ad placandum populum Fratrem quemdam Minorem advocandum, eique imponendam Cappam & Mitram Papalem, quasi Pontifex electus esset, & ita, deluso populo, abire possent & in loco tuto legitimum Papam eligere. Consilium tam vafre rejecere cæteri. Cardinalis Florentinus Cardinalem Sancti Petri in Papam eligendum proposuit: sed obstitit Cardinalis Lemovicensis, tum ne populo plus æquo blandirentur, Romanum concedendo, tum quia tanto oneri sustinendo, ob ætatem & infirmitatem, par non erat. Variis etiam de causis tres alios Italos rejecit, Florentinum & Mediolanensem, quòd eorum patria Ecclesiæ inimica foret; Cardinalem verò de Ursinis, quia Romanus erat factiosus & nimium juvenis. Ita Cardinalibus Italis de potiundo Episcopatu Romani spe dejectis, cùm Gallum eligere non auderent, in Archiepiscopum Barrensem pleraque vota inclinarunt. Electus itaque est, nonnullis haud obscurè reluctantibus, aliis irritam esse electionem opinantibus, cunctis sanè gementibus quòd eò res rediissent. At electionem non statim promulgandam esse statuerunt, sive ut pœnitentiæ locus esset, seu quia Barrensis non aderat, seu potiùs metu populi, quia non Romanum ut illi cupiebant maximè, sed Neapolitanum elegerant, vel ut quidam prodiderunt, ut spatium quoddam temporis daretur ad colligenda vasa argentea aliaque quæ in Conclavi habebant. Interim Barrensem cum aliis quibusdam in Palatium accersiri placuit. Tum rumor percrebuit electum esse Pontificem, & tamen quinam electus esset tacebatur. Tunc plebs fremere, & electi nomen repetitis clamoribus postulare. Tunc Massiliensis Episcopus custodiæ Conclavis præfixus, ut tumultuantes sedaret, consuluit ut irent ad S. Petrum, atque ibi denuntiandum eis electum Pontificem. Quod dictum nonnulli perperam accipientes, existimantesque Cardinalem S. Petri electum, ad domum hujusce Cardinalis pergunt, omnemque ejus supellectilem, ut fieri solebat, rapiunt. Alii cùm per posticum auferrentur ea quæ in Conclavi erant, arbitrati fraudem sibi fieri, in Conclave irruperunt, ut scirent num & quis Papa esset electus, haud passuri Cardinales discedere, nisi prius electionem perfecissent & promulgassent. Ab his porta Capellæ quò confugerant Cardinales confracta est. Cùm hi de se actum esse censerent, unus ex iis Cardinalem S. Petri electum esse dixit, Romanum & Romanis acceptum, sed qui electioni suæ consentire nollet. Haud mora, ad eum statim concurritur, & à multitudine comprehensus ac Pontificalibus insignis indutus, in Cathedra, licet invitus ac reluctans collocatur. Interim hac arte ludificatâ plebe, Cardinales è Conclavi diffugiunt in ædes quisque suas; nec ibi se satis tutos arbitrati, advesperascente die plerique in Castrum S. Angeli & in Castella proxima confugerunt; aut qui domi remanserunt, ibi mutato habitu latuere. Cardinalis de Luna recedens, globo quorumdam stipatus, à quibus veluti captivus ducebatur, ab iis qui in Castro S. Angeli erant ereptus est. Inde inter hos & Romanos rixa.

Ubi paululum turba consedit in Conclavi Cardinalis S. Petri palam declaravit, se non esse electum in Pontificem, sed Archiepiscopum Barrensem qui tum in Palatio erat, verùm qui sibi timens, prodire in publicum minimè audebat. Tunc missæ sunt ad eum Cardinalium literæ, admonentium ut de Palatio recederet & ad aliquem locum tutum sese reciperet; at ille, Cardinalis S. Petri consilium secutus, à Palatio non recessit, ac sequenti die 9 mensis Aprilis, ejus electio Officialibus & Rectoribus Populi Romani nota facta est: quam cùm gratam habuissent, ad Palatium accesserunt, ut ei debitam Pontifici reverentiam exhiberent. Ad eum statim etiam venêre quinque Cardinales, qui in ædibus suis remanserant, videlicet Florentinus, Majoris Monasterii, Mediolanensis, Glandacensis & de Luna. Eos verò qui in Castrum S. Angeli confugerant ad se vocavit, ut ab universo cœtu in Throno Apostolico locaretur. Hi sex numero, non audentes accedere,

Archiepiscopi Barrensis electio per vim ac factiones procurata.

De eligendo alio Pontifice consilium.

Tumultus electionem consecuti.

Barrensis ex consensu Cardinalium omnium inthronizatio, qui Urbanus VI est cognominatus.

1378. cedere, per litteras eodem die datas, facultatem dederunt Cardinalibus in Urbe positis, ut Barrensem Archiepiscopum electum in Pontificem inthronizarent. At cùm Magistratus Urbis ad Castrum S. Angeli accessissent, certiorésque fecissent Cardinales, posse eos securè ad electum accedere, è Castro egressi, ac simul cum quinque aliis congregati, Archiepiscopum Barrensem pro Pontifice agnoverunt, & Pontificalibus infulis indutum, consuetis solemnitatibus observatis, in Throno Apostolico collocaverunt. Is statim pro more, Urbani VI nomen assumpsit, ac deinceps pro Romano Pontifice se gessit & munera Episcopalia præsentibus & consentientibus omnibus Cardinalibus, qui jam Romam redierant, obiit, ac die demum 18 mensis Aprilis ab iis coronatus est. Tum ad alios Cardinales qui Avenioni remanserant, tum ad Reges & Principes Christianos ab iis missæ litteræ, quibus scribebant Urbanum VI à se concordibus votis electum esse Pontificem, rogantes ut suum quoque ejus electioni assensum prebeant. Fuere tamen ex iis nonnulli, qui secretò Regi Francorum significarunt, ne ullis Cardinalium litteris fidem adhiberet, quamdiu Romæ essent; quia metu populi tenebantur. Cardinalis Ambianensis è Legatione reversus, Urbanum VI pariter cum aliis pro Summo Pontifice agnovit. Quid plura, Urbanus VI non solùm in Urbe, sed & in toto Orbe pro legitimo Pontifice habebatur, & Sedem Romanam pacificè retinuisset, nisi Cardinalium animos à se abalienasset.

Causæ offensionis Cardinalium & Principum Italiæ adversùs Urbanum.

Hujus offensionis hæ feruntur causæ. Cardinalium potentiam & opes imminuere conatus est. Castrum S. Angeli à Petro seu Peyronio Castellano, cui commissum erat à Cardinali Majoris Monasterii, sibi reddi postulavit: renuentem rebellionis reum judicavit, & Cardinalem Majoris Monasterii ei faventem comminatus est, se in illum pariter acturum. Franciscum de Vico Urbis Præfectum, qui Viterbiensem civitatem, fautore Cardinali Ambianensi tenebat, eâ spoliare voluit. Cardinalem S. Eustachii fraudis incusavit, quòd acceptâ pecuniâ ut Pentones de Castro S. Angeli discederent, promissis minimè stetisset. Palam quoque conquestus est, Cardinales qui Legatione apud Principes functi erant, pecuniâ corruptos, paci & Ecclesiæ commodis parùm consuluisse; quod dictum graviter tulit Cardinalis Ambianensis, qui ad Reges Galliæ & Angliæ fuerat missus. Nec verò Cardinalibus quidquid petebant indulsit, ut prædecessores ejus facere consueverant. Mores insuper eorum se reformaturum esse non obscurè significavit. Hinc ipsis arrogans ac superbus visus est, ejusque jugum se minimè passuros esse dictitarunt. Nec minùs Italiæ Principum, quàm Cardinalium animos offendit Urbanus. Joannæ Siciliæ Reginæ prorogationem ad solvendum tributum petenti concedere noluit, & non solùm ei excommunicationem intentavit, sed & minatus est, se eam Regno privaturum, daturumque illud filio Regis Franciæ, cui sponsa futura esset filia Regis Hungariæ. Othonem Brunsvicensem Joannæ virum contemptui habuit. Honoratum Caietanum Fundorum Principem Præfectura spoliavit. Multos alios Comites ac Primores Italiæ vexavit, pacta cum Florentinis inita rata habere noluit, multa denique in Italiæ rebus innovavit.

De eligendo alio Pontifice consilium.

Ita tùm Cardinalium tùm Principum animis ab Urbano VI abalienatis, Cardinales inter se consilia ineunt, de alio in Pontificem eligendo; & quia Romæ id tentari non poterat, Româ discedere statuunt. Et quidem primi Galli, Lemovicensis, de Agrifolio, Glandacensis, Gebennensis, de Britannia, Pictaviensis, Vivariensis, Majoris Monasterii, S. Angeli, S. Eustachii, de Vervehio, & de Luna, circa finem Junii licentiam petierunt eundi Anagniam, sub obtentu vitandi nimios æstus Urbis, cùm temperatior esset & salubrior Anagniæ aër, atque ut collectis ibi commeatibus suis fruerentur. Annuit Pontifex, nihil suspicans doli: nec multò post illi ex Urbe recesserunt Anagniamque petiêre. Post illorum discessum, cùm Urbanus aliquot diebus Romæ remansisset, paulò ante Festum B. B. Petri & Pauli Apostolorum, in civitatem Tiburtinam secessit, comitibus quatuor Cardinalibus Italis. Cœteri antequam Româ discederent, jam scripserant ad Cardinales Avenioni demorantes, de Urbano VI de Sede deturbando. Ad Regem Galliæ quoque bis litteras miserant, quibus vim sibi factam esse querebantur, & ideo electionem Urbani irritam esse aiebant. Alias quoque litteras mense Julio iterum ad Regem dedere ejusdem fere tenoris: ac demum ad eum duos misêre Legatos, Famagustanum Episcopum, & Nicolaum de Saturnino Magistrum Palatii, qui nomine Cardinalium tum cis, tum trans Alpes degentium peterent, ne Urbanum pro Pontifice agnosceret, & Cardinalibus patrocinaretur. Alteri etiam Legato (Saturnino) in mandatis dederant, ut Universitatem Parisiensem ea de re certiorem faceret, & speciatim ad eam litteras dederant.

Cardinales Urbanum pro Pontifice agnosci vetant.

Cardinales qui Avenione erant, primi edixerunt, ne quis Barrensem Papam teneret, simulque Tabellionibus interdixerunt, ne in Actis suis illius Pontificatum annotarent; & ejus insignia quæ Avenioni fuerant cum clavibus depicta, abradi jusserunt. At cunctatiores primùm fuêre qui Anagniæ demorabantur, & non semel ad Urbanum velut ad Pontificem scripsere. Verùm tandem omni amota simulatione, circa finem Julii ad ipsum Urbanum scribunt in hæc verba.

Cùm nuper Apostolica Sede vacante per obitum piæ ac sanctæ memoriæ D. Gregorii Papæ XI, qui mense Martis ultimo præterito diem clausit extremum, nos pro electione Summi Pontificis, ut Juris & moris est, celebranda, in Conclavi, ad hoc in Palatio Apostolico in quo idem S. memoriæ Gregorius obierat deputati, convenissemus; Populus Romanus etiam ad sonitum campanarum congregatus, hostili more totum circumdans ab extra, & ab intus ferè implens Palatium, & terrori tam vehementi minas etiam superaddens, quòd nisi eligeremus & sine morâ Romanum vel Italicum, statim incideremur per frusta, etiam congruo spatio temporis, in quo saltem de persona deliberare possemus, penitus nobis subtracto, contra voluntatem & propositum nostrum ad eligendum Italicum subitò & ex abrupto per violentiam & metum mortis coëgerunt invitos. Propter quod, ad evitandum mortis duntaxat periculum, aliàs non facturi, ut etiam inter nos, sive palam diximus, te in Papam duximus eligendum, existimantes te, cui nefanda impressio, sicut & toti Clero & Populo nota erat, tali esse conscientia, quòd nullatenus eam acceptares. At tu propria salutis immemor, omni purâ conscientia procul pulsâ, ambitionis aliàs inaudita ardore quammaximè inflammatus, presentatione electionis hujusmodi ab illis ex nobis qui in Urbe remanserant, etiam per metum extorta, contra canonicas Sanctiones, in scandalum maximum Cleri & Populi Christiani, ac exempli perniciem, electioni hujusmodi licèt nullæ ac invalidæ ipso Jure consensisti, necnon metu & ipsius metus causâ adhuc procul dubio perdurantibus, in Urbe ipsa inthronizatus

nizatus

nizatus & coronatus, de facto te in Papam & in Apostolicum nominasti, qui à SS. Patribus & Jure communi Apostaticus, Anathematizatus, Antichristus & totius Christianitatis invasor & destructor potius & meritò nominaris. Hinc propter illam intrusionem & injustam Pontificatûs usurpationem & retentionem, ipsum anathematizatum ac tanquam intrusum in Papatu, nullâ electione canonicâ praecedente, totius Christianitatis invasorem, qui caput ipsius sanctæ Christianitatis invadere non formidavit, vel destructorem, qui & sub sua occupatione tyrannica efficere satagit, ut ferè Sacramenta deficiant, & Christicola populus vero Pastore carens, per abrupta ducatur in devium, publicant & denunciant. Ipsum nihilominus exhortantur & obsecrant per viscera misericordiæ J. C. cujus Ecclesiam sponsam suam non erubuerat invadere, ut de fine cogitans, ad quem jam ipsum trahit plenitudo dierum, ad Deum & puram conscientiam dirigat aciem mentis; & Sedem Petri, quam sine titulo occupat, liberam & vacuam omnino dimittat; insignia deponat Papalia, ac ab administratione spiritualium & temporalium Papatus Romanæ Ecclesiæ, sine dilatione abstineat, & aliàs Domino ac Ecclesiæ sanctæ suæ per fructus veræ pœnitentiæ satisfacere studeat. 1378.

Deinde secundâ Augusti, Cardinales publicum Instrumentum confecere, quo testatum voluere, electionem Urbani esse irritam, propter tumultum & vim manifestam; ea narrantes quæ electionis ejus tempore contigerant. Subscriptum est istud Instrumentum tredecim Cardinalium nominibus, & ab iis missum ad quatuor Cardinales Italos que Tiburi erant cum Urbano, ut huic per eos significaretur. Simulque ipsos Anagniam vocaverunt, ut unanimi consensu Ecclesiæ providerent. Ii statim Urbano hocce Instrumentum tradunt, & sequenti die tres ex iis Tibure recessere & ad Castrum Vicovarum se contulere, ad Urbanum non ampliùs reversi.

Haud ita multò post, mensis die nonâ Augusti, Cardinales Galli, universis Christi Fidelibus per litteras notum faciunt, Bartholomæum intrusum esse, non verum Papam, & nisi monitus Pontificatu cedat, usuros se aliis remediis per canonicas Sanctiones concessis. Ad varios quoque Principes scripserunt, ne illum pro Summo Pontifice agnoscerent, speciatim verò ad Parisiensem Universitatem, ut Regi hunc intrusum & Apostolicæ Sedis invasorem esse persuaderet.

Interim Cardinales Italici tres prope Prenestinam urbem cum tribus aliis Cardinalibus convenerunt & de rebus Ecclesiæ in commune consilio gerendis, inter se deliberaverunt. Quâ deliberatione habitâ, tam Cardinales qui Anagniæ erant, quàm tres illi, Fundos pervenerunt, ubi die 13 Kalendas Octobris, duodecim Galli, consentientibus tribus Italis, Robertum Gebennensem tituli XII Apostolorum Presbyterum Cardinalem, in Pontificem eligunt, qui Septembris ultima die coronatus, Clementis VII nomen assumpsit. Eâ de re statim Carolum V Francorum Regem, Universitatem Parisiensem aliosque Christi Fideles certiores faciunt. Tunc missi à Clemente in varias Orbis Christiani Regiones Legati, qui Reges, Principes & Respublicas ad partes suas amplectendas, & præstandam obedientiam hortarentur. Nec segnior fuit in defendenda causâ Urbanus VI, qui Romam regressus, ad animos civium confirmandos, dat quoque litteras ad omnes Monarchas & Universitatem Parisiensem, 11 Kalend. Decembris, admonens quid rei molirentur schismatici, quàmque perniciosam Religioni Christianæ cladem illaturi essent, nisi conatibus eorum obsisteretur. Clementis VII electio

Clemens aliquot diebus Fundis moratus, cum omni Curia Splenatam in Diœcesi Cazertana concessit, ac ipse cum aliquibus Cardinalibus Neapolim contendit ad Joannam Siciliæ Reginam, cui cùm Urbanus licèt Neapolitanus, minùs esset acceptus, statim Clementem VII agnovit, utque omines ditionis suæ Christiani ipsi parerent edixit. Nihilominus excitato adversùs eam Neapoli tumultu, ex hac urbe cum suis migrare coactus est: deinde post tentatam frustra è Castro S. Angeli quod Clementis erat, Romanam Urbem, adjuvante licèt in ipsa Urbe Ursinorum factione, cùm Urbanus, copiarum delectu habito, jam in Italia superior esset, comitante Regina Joanna Avenionem transfretavit, ibique Sedem fixit. Post annum, Castrum S. Angeli ab Urbano deditione captum est, & solo adæquatum.

Tum Christianus Orbis in duas partes abiit, quibusdam Urbanum, aliis Clementem pro Pontifice agnoscentibus. Urbano adhæserunt Germania, quam regebat Imperator Corolus IV, Hungaria, Anglia, Bohemia, Polonia, Dania, Suecia, Norvegia, Prussia, Belgium, Tuscia, Longobardia, Ducatus Mediolanensis & magna Italiæ pars. Clementis verò partes amplexi sunt præter Neapolitanos Galli, in solemnibus Comitiis in Castro Vincennarum habitis, quibus adfuerunt multi Gallicanæ Ecclesiæ Præsules, necnon Doctores Theologiæ Jurisque Canonici. Mox Scoti, Navarri, Sabaudi, Lotharingi, & deinde Hispani. Stabant ab utraque parte viri tum Sanctitate tum Doctrina insignes, & utrimque varii Tractatus à viris doctis & Universitatibus in gratiam electionis Urbani, vel contra ipsam pro Clemente editi sunt. Parisiensis Universitas utri se Pontifici adjungeret diu anceps fuit; rogavitque Regem die 8 Januarii anni 1379, ut rei examinandæ tempus sibi daret, & interim sineret eam à neutra parte stare; quapropter neutri Pontifici, præcedenti anno rotulum nominatorum miserat. At 22 die Maii, ad Regis instantiam, re in deliberationem missa, tres Faucltates, Theologiæ nempe, Decretorum & Medicinæ, ac duæ Nationes, Franciæ nimirum ac Normanniæ, Clementem VII verum Pontificem esse, intrusum verò Urbanum declararunt: duæ tantùm Nationes, Picardiæ scilicet & Angliæ, propter certas rationes loco & tempore ponendas & explicandas, à neutralitate tum discedendum non esse dixerunt. Missi inde ad Regem Deputati, nomine Universitatis dixerunt, eam adhærere ac de cœtero adhæsuram Clementi VII tanquam vero Papæ & Summo Pontifici. Fuêre nihilominus semper in Universitate, qui meliùs fore arbitrarentur neutri parti adhærere: hos neutrales seu indifferentes vocabant. Scripsit in hanc sententiam Tractatum in Dialogi morem Henricus de Hassia, quem Epistolam pacis incripsit; in quo adductis utriusque partis momentis, hoc unum concludit; quæstionem esse obscuram ac perplexam à Theologis & Canonistis agitandam, ac in Concilio Generali definiendam. At Clemens, cujus electioni maximum pondus addiderat Universitatis Judicium, litteras gratulatorias ad eam scripsit VII Kalend. Augusti. Christiani Orbis divisio. 1379.

Haud multò post Hispania, quæ hucusque Urbano faverat, in partes Clementis concessit, annuentibus & annitentibus ad id Castellæ & Arragoniæ Regibus, qui missis Romam & Avenionem Legatis, visis tabulis, auditis utriusque partis rationibus, re maturè perpensa in Comitiis Regni, Clementi parendum esse judicarunt. Nihilominus Urbanus, Imperatoris aliorumque Regum pa- Italiæ motus.

1379. trocinio fretus, Romanæ Urbis Dominus, Italiæ magnam partem sibi obnoxiam habens, Clementem & Cardinales ei adhærentes, schismaticos esse decernit, eosque, non secus ac omnes Præsules ac Clericos harum partium, Dignitatibus, Beneficiis & muniis Ecclesiasticis privat. Idem in Urbanum ejusque fautores à Clemente statutum. Sed majoribus deinde inter utrosque certatum odiis, quæ Italiæ longè perniciosiora fuere. Nam hic Urbanus, Joannâ Neapoleos Reginâ exautoratâ, Regnum Carolo Dyrrachino adjudicat, & coronam ei regalem imponit, ea lege ut Francisco Prægnano fratris sui filio Capuensem ac Melfitanum Ducatus, aliasque Neapolitani tractus Ditiones concederet. Quæ res innumeris calamitatibus Regnum Neapolitanum afflixit. Nam statim Carolus, ex ea pecunia quam Urbanus, venditis Ecclesiæ rebus conflaverat, collectis copiis, Regnum Neapolitanum invadit: Joannam, quæ vitâ pactâ sese dediderat, contra fas laqueo interfici jussit; Primores Regni, Cardinales duos, & plures Regni Neapolitani Præsules Clementis partibus addictos, in carcerem conjecit, quorum pars dolore & inedia interiit. Ex altera parte, cùm Joanna Ludovicum Andegavensem, Caroli V Francorum Regis fratrem adoptasset in filium, hunc Clemens VII Regem Siciliæ declarat. Is copias ad invadendam Italiam parat, & in sumptus belli, bonorum Ecclesiasticorum decimas à Clemente obtinet, quæ res multis passim expostulationibus, appellationibus, provocationibus locum dedit.

Universitatis Parisiensis de Clemente Judicium.

Nec minùs Cleri Gallicani & Universitatis Parisiensis querelas excitavit Expectativarum & Reservationum, Annatarumque usus, quarum operâ Clemens VII opulentissima quæque Beneficia suis largiebatur, & Ecclesiarum proventus magnâ ex parte suos faciebat; tempus opportunum ad id
1380. nactus, initia scilicet regni Caroli VI impuberis, qui patri anno 1380 die 16. Sept. mortuo successerat.

Cùm ista in Universitatis Parisiensis detrimentum maximè vergerent, Regem & Ludovicum Ducem adeundos censuit, & apud eos expostulandum, quàm grave esset id exactionis genus, quàmque gratiæ illæ Expectativæ damnosæ essent Magistris. In eam rem delectus est Joannes Roncius Gessoriacus Theologus, qui liberiùs fortè, quàm par erat, locutus, & in decimarum exactionem, in Expectativas, Annatas, imò & in mores & tempora invectus, Ludovicum Ducem, cujus consiliis adversa erat hæc oratio, ita offendit, ut Doctorem hunc Cardinalitium alumnum, noctu ex musæo raptum in carcerem conjecerit. Postridie Comitiis habitis, Universitas redit ad Regem, & ab ipso, atque ab Andegavo Duce reddi sibi suum clientem impetrat, eâ lege, ut à Clemente non deficeret. At liberatus, ad Urbanum statim profectus est. Rectorem quoque Scholasticorum Dux comprehendi jussit, quod ab Urbano litteras Breves accepisset, ac in universæ Scholæ cœtu recitasset, non præmonito, ut moris est, Rege, nec obtentâ ab eo licentiâ: sed fugâ periculum vitavit. Multi quoque scholastici, ob eam causam, Lutetiâ discesserunt, & alii aliò dilapsi sunt. Ex horum numero Gersonium fuisse scripsere nonnulli, eique comitem adjungunt Ægidium, Ecclesiæ Parisiensis Cantorem, quos aiunt, unà cum Rectore in carcerem conjectos, ubi libertati restituti fuerunt, ad Urbanum contendisse. At apud Autores fide dignos nihil de Ægidii Gersoniique incarceratione legimus. Et si quidem Gersonius tum ex eorum numero fuit, qui Lutetiâ Romam contenderant, scholaris etiamnum erat, annos natus novemdecim. Verùm Academia Parisiensis, quanquàm Clementi minùs addicta, Urbanum tamen haud agnovit, sed summoperè exoptabat, ut dissidium istud componeretur. Extant apud Huttenum, hujus Academiæ, necnon Oxoniensis, Pragensis, & Wencesslai Cæsaris ad Reges, Principes, & Ordines Imperii litteræ, quibus hortantur eos, ut turbatam diro schismate Ecclesiam, & infami servitute oppressam, in libertatem vindicarent.

1381. Anno 1381 Cardinales Clementini, & alii nonnulli Clementi adhærentes, quos Neapoli captos diximus, coacti sunt Cardinalatûs insignia ponere, Clementem ejurare, Urbanumque solum Summum & verum Pontificem agnoscere, & profiteri. At libertati restituti, ad Clementem fugientes, suas dignitates recuperarunt. Eodem anno, mense Augusto, Cardinalis Mediolanensis, unus ex Italis, qui electioni Urbani adfuerunt, Niciæ publico Instrumento testatus est, electionem hanc factam fuisse per impressionem, & nullam esse ipso Jure; Clementis è contra, validam & Canonicam, simulque confitetur errasse se, & veniam petere, si quid unquam fecerit, vel dixerit contra Sanctissimum Patrem & Dominum Papam Clementem VII.

Clementinorum Cardinalium defectio & restitutio.

1382. Anno 1382 Ludovicus Andegavensis in Italiam transmisso sexaginta millium militum exercitu, Neapolitani Regni fines ingreditur, & Carolo Dyrrachino multis è locis pulso, Regni partem occupat. Urbanus metuens ne Carolus Regno cederet, vel potiùs Dominium affectans, ipse eò progredi, renitentibus licèt Cardinalibus, statuit. Obvius ei fuit ad urbem Aversanam Carolus, à quo Neapolim deductus est, & in arcem novam retrusus, specie quidem liber, at reverâ sub fida custodia. Petitâ à quibusdam Cardinalibus ejus plenâ libertate, verbis quidem concessa est, at re ipsa libertati restitutus non est. Interim Cardinales, aliique Præsules de
1383. Urbano conqueri palam cœperunt, ac molientes eum deturbare, quædam placita in medium
1384. protulerunt, quibus ratum habebatur, quod si Pontifex secus quàm par est in administratione versaretur, sive negligentiâ, sive nimiâ confidentiâ, nec adhibito Cardinalium consilio,
1385. liceret Cardinalibus ipsi Tutores dare. Hoc cùm comperisset Urbanus, à Dyrrachino dimissus, vocatis Cardinalibus, ex illis sex in carcerem conjecit, ipsoque Dyrrachino Duci, ut læsæ Majestatis Pontificiæ reo, diem Noceram dixit. Quò cùm Dux majori quàm reum decebat, comitatu venerit, hujus iram metuens Urbanus, latâ in illum excommunicationis Sententiâ, longis Genuensium navibus Panormum urbem Siciliæ delatus est, secum trahens Cardinales capti-
1386. vos, quos diris modis cruciatos, horum unum in Sicilia morti addixit, alteri dignitatibus spoliato vitam, ad Regis Angliæ preces, concessit. Quinque alios, Panormo Genuam rediens, culeo insutos in mare projecit, quosdam dignitate spoliavit, quasi conspirationis cum Carolo Dyrrachino, & Clemente reos. Hac crudelitate multorum animos à se abalienavit. Eoque tempore Cardinales Pileus, de Prato Ravennensis Archiepiscopus, & Galeottus de Petramala ad Clementem profugêre, à quo benignè excepti, & in Cardinalitia dignitate confirmati sunt.

Dissidia inter Urbanum, Carolum Dyrrachinum & Ludovicum Andegavensem in Italia.

Novos etiam Cardinales creat Clemens, atque ut opum accessione partes suas firmaret, mediam redituum Ecclesiasticorum Beneficiorum partem in Gallia facere suam statuit, atque ad eam colligendam Abbatem S. Nicasii Remensis misit. Is cùm ex Britannia & Neustria
1387. magnam pecuniæ vim comparasset, reclamante Universitate Parisiensi, quæ de hujusmodi

Clementis exactiones in Gallia comprimuntur.

vexatione

vexatione querelas suas ad Regem detulit, Abbati, ne quid simile tentaret interdictum, atque ut Regno, triduo sequenti exiret mandatum; necnon Edicto publico cautum, ne quid auri & argenti è Regno eveheretur, omniumque Beneficiorum reditus sub Regis manu missi; ut una pars in restituendis ædificiis impenderetur; altera in solvendis oneribus; tertia in commodum Clericorum cederet. Et ne ingratum istud esset Clementi, missus est à Rege Avenionem Arnoldus Corbeïensis Protopræses Senatus Parisiensis, qui justam esse doceret Universitatis Parisiensis de hac exactione querelam. 1387.

Cessionis via ad conciliandam pacem proponitur.

Quantumvis in qualibet Gente Christiana uni è duobus, qui Pontificis nomen gerebant, obedientia præstaretur; gemebant nihilominùs omnes hujusmodi schismate Ecclesiam divelli, & nullus erat, qui non vehementer cuperet, Chistianos omnes adunari, eumdemque Pontificem Summum agnoscere. Hoc autem fieri non poterat, nisi aut alter alteri cederet; aut utriusque causâ discussâ, in unius gratiam judicaretur; aut ambo Pontificatu cederent, & tertius eligeretur. Tertium Regi Christianissimo per Legatos proposuit Academia Parisiensis, ut præsentissimum malo remedium, & ad utrumque Pontificem de viis reducendæ unionis scripsit. Clemens juxtà crebras ejus exhortationes significavit, se Concilii autoritati, & definitioni obnoxium fore, imò & cessurum, si sic Ecclesiæ videretur expedire. Asserebat prætereà, pollicebaturque se, si confirmaretur, Urbanum primæ notæ Cardinalem facturum: si verò cedere juberetur, se in Urbani potestate futurum. At Urbanus à multis ad idem faciendum inivitatus, facere detrectavit.

Damnatio Propositionum Joannis de Montesono.

Dum sic Ecclesiasticæ paci invigilat Academia Parisiensis, ecce in Scholis schisma oritur. M. Joannes de Montesono, Doctor Theologus Parisiensis, Ordinis Prædicatorum, Natione Catalanus, anno 1387 multas propositiones in Aula S. Thomæ asseruit, tùm in Actibus Vesperiarum, & Resumptæ, tùm in publicis Lectionibus, quæ multorum animos offenderunt. Re ad Decanum Sacræ Facultatis delatâ, & in Comitiis in deliberationem missâ, sex, ut loquuntur, Deputati nominati sunt; tres Sæculares, ac totidem Regulares qui in Codicem inquirerent, & de eâ re ad Facultatem referrent. Hi, causâ perpensâ, cùm gravior videretur, referre quidquam noluerunt, nisi adjunctis sibi aliis Deputatis. Sex alii nominati sunt: ac tandem delatæ sunt quatuordecim propositiones Joannis Montesoni, quas habes in Appendice Tomi I Operum Gersonis p. 693 & 694. Ex iis aliæ pertinent ad Mysterium Incarnationis, & personæ Christi dignitatem: aliæ ad Fidei principia, & Sacrarum Litterarum interpretationem: aliæ denique ad Conceptionem D. Virginis Mariæ, quam non solùm in peccato conceptam asserebat, sed & contrarium docentes Scripturæ Sacræ adversam tenere sententiam affirmabat. Hasce propositiones confixit, & à Montesono revocandas esse censuit Theologorum Ordo in Comitiis 6. Julii habitis. Joannes de Montesono ad Comitia propterea à Decano vocatus est, eique injunctum, ut damnatas propositiones revocaret. Ibi primùm ille tergiversari, & cùm urgeretur, palam dicere, se illas ad mortem usque defensurum. Tum verò Facultas Theologiæ rem ad Universitatem detulit, à quâ latum in Montesonum Judicium confirmatum est, oblatumque Parisiensi Episcopo Petro de Ordeomonte, Judici in hac parte Ordinario. Is Joanni Montesono diem dixit; qui vadimonium subire non ausus. Igitur Episcopus, examinatis iterum Thesibus, habitoque consilio, & factâ Supplicatione solemni, Sententiam emisit die 23 Augusti; quâ sub pœnâ excommunicationis ipso facto incurrendæ vetuit, ne quis propositiones damnatas doceret, ipsumque Joannem Montesonum contumacem prehendendum, & in carcerem ducendum decrevit, implorato ad id, si necesse esset, Brachii Sæcularis auxilio.

Judicium in Montesonum latum à Clemente confirmatum.

Ab hac Sententia, simulque à Facultatis Judicio ad Clementem VII Avenioni degentem provocavit Joannes, & in eam urbem provocationem defensurus sese contulit. Adjungit sese Montesono Dominicanorum Ordo, qui in eo negotio S. Thomæ doctrinam impeti vociferebatur. Tum Academia Parisiensis mittit Avenionem Legatos quatuor, Petrum de Alliaco Doctorem Theologum Collegii Navarrici moderatorem; Ægidium de Campis, & Joannem de Novavilla Bernarditas Doctores item Theologos, & Petrum de Alainvilla Benedictinum, in Jure Canonico Professorem. Huic Legationi sese tunc etiamnum Baccalaureum interfuisse testis est Joannes Gersonius, in Ep. *Ad studentes Navarræ. T. 1. p. 1. pag.* 112. Interim scribit litteras circulares universis Fidelibus, quibus rem ut gesta erat exponit, & adversariorum calumnias confutat. Hæ datæ sunt die 14 Februarii anni 1388 ante Legatorum in urbem adventum: qui cùm eò pervenissent, Causam Universitatis egregiè tuiti sunt. Petrus de Alliaco hujus Legationis princeps, duas coram Clemente & Cardinalibus Orationes habuit; quibus motus Pontifex, Joanni Montesono injungi jussit, ne Romanâ Curiâ excederet, donec ejus negotio, Sedis Apostolicæ Judicio finis esset impositus. At Montesonus ejus eventum metuens, atque ea de causa prohibitum se Avenioni discedere intelligens, nisi ut comprehenderetur, & Lutetiam remitteretur, ut ibi propositiones suas revocare cogeretur, quæ Universitatis erat petitio, Avenione clam aufugit, & in Arragoniam abiit, ubi Urbani partes amplexus est, & in ejus gratiam adversus Clementem scrpsit. Post hujus discessum, Clemens Causam hanc Guidoni Cardinali Prænestino, Cardinali S. Sixti, & Amelio Cardinali tituli S. Eusebii judicandam commisit. Ii Montesonum in urbe Avenionensi conquiri jusserunt, in ea præsertim domo, ubi commorabatur. Cùm autem per inquisitionem constitisset eum tertia die Augusti urbe egressum, publicis proclamationibus ad certam diem vocatum, cùm non comparuisset, contumacem judicarunt, & excommunicatum denuntiarunt, eosque omnes quibus cum illo esset aliquid consortii. Hoc Judicium latum est die 27 Januarii anni 1389 ac Lutetiæ publicatum die 17 Martii sequenti. 1388.

Revocationes Doctrinæ Joannis de Montesono Parisiis factæ.

Interim dum hæc Avenioni geruntur, non pauci ex iis, qui Joannis Montesoni doctrinam sive in publicis lectionibus, sive in concionibus probaverant, hanc revocare à Parisiensi Academia coacti sunt. Celebris est inprimis revocatio Guilielmi Gualonis Ebroïcensis Episcopi, Confessarii Regii ex Ordine Prædicatorum, qui coram Rege, Consiliariisque Regiis, Universitatis Rectore, Cancellario, & Deputatis, revocavit ea quæ dixerat adversus opinionem Immaculatæ Conceptionis Mariæ, & Judicium in Montesonum latum approbavit, die 17 Februarii, anno 1389. Hanc secutæ sunt aliæ multæ similes, ut Joannis à S. Thoma, die 21 Martii; Fratris Adami Suessionensis Prædicatoris, & Nivernensis Conventus Prioris, facta 22 Maji; 1389.

1389. Maji; Fr. Joannis Ade, die 20. Augusti; Fr. Richardi Marie; Petri Dechanaio, mense Octobri; Joannis Nicolai, mense Septembri; aliorumque plurium, qui propositiones à se in Orationibus publicis, adversùs intaminatam Virginis Conceptionem prolatas, retractare coacti sunt. Quin etiam ab Universitate decretum est, eos omnes expellendos, qui nollent jurejurando sese astringere ad sustinendam damnationem errorum Joannis Montesoni; eosque omnes qui vellent ad Universitatem accedere, priùs id juramentum præstare statutum.

Expulsio Dominicanorum. Dominicani existimantes hac censura S. Thomæ doctrinam impeti, hoc juramentum emittere detrectarunt, & sic à Facultate Theologica expulsi sunt; ac deinceps, nec ad Conciones habendas, nec ad Confessiones audiendas, nec ad ulla Ecclesiastica munia obeunda admissi. In tantùm autem populo odiosi esse cœperunt, ut non tantùm solitis eleëmosinis privarentur, sed & sæpe vexarentur, ac mulctarentur, ita ut in publicum prodire vix auderent. Dominicani, ad tantam tempestatem sedandam, in Capitulo Generali habito Tolosæ anno 1389, decem è suo Ordine Doctores elegerunt, qui Causam S. Thomæ adversùs Universitatem Parisiensem in Curia Romana tuerentur, & ibidem Ordinis expensis residerent. Eo tempore Universitas Apologiam illam confecit, quam inter Opera Petri de Alliaco, in Appendice Tom. I edidimus. Quidquam ea de re novi in Curia Romana judicatum fuisse memoria proditum non est. At Dominicani, ut iram in se conceptam lenirent, coacti sunt Festum Conceptionis cum aliis in Gallia celebrare, & de Conceptione Virginis silere, nec ampliùs eam in peccato conceptam publicè docere. Id observantibus quies data, & Ecclesiasticorum officiorum exercendorum licentia concessa. At per viginti quinque annos à Facultate Theologiæ Parisiensi exularunt, quia jurare noluerunt, se damnationem propositionum Montesoni probare; donec tandem Sacra Facultas, ad preces instantissimas Regis, eos admisit, die 21 Augusti anno 1403; ea lege, ut appellationi quam à Facultatis Decreto ad Summum Pontificem interposuerant, nuntium mitterent, utque ii qui in posterum Facultatem adirent, se huic Decreto parituros esse sponderent. Atque hæc de Joannis Montesoni & Dominicanorum negotio. Nunc ad institutam schismatis Historiam revertamur.

Mors Urbani & electio Bonifacii IX. In Italia Ludovicus Dux Andegavensis, & Carolus Dyrrachinus de Regno Neopolitano contendentes obierant. Nec multo post Urbanus VI decessit, anno 1389, mense Octobri. Post hujus mortem, Cardinales Avenionenses id efficere in animo habebant, ne quis in hujus locum à Cardinalibus, qui Romæ erant, substitueretur, atque ea de causa ad Wenceslaum Imperatorem, aliosque Reges scripserunt litteras, ut ea ratione pax redderetur Ecclesiæ. Verùm frustra id moliebantur: nam Cardinales, qui Romæ erant, metuentes ne ab electione facienda deterrerentur, statim à Pontificis morte Conclave ingressi sunt, & die 2 Novembris Petrum de Thomacellis Neapolitanum Cardinalem in Pontificem elegerunt. Is se Bonifacium IX appellari voluit. Ita redintegratum est schisma, quod extingui facilè potetat.

Mox consecutum est bellum Neapolitanum, inter Ludovicum Andegavensem, Ducis ejusdem nominis filium, à Clemente coronatum, & Ladislaum Dyrrachini filium, Regem à Bonifacio designatum, qui tandem superior fuit. Interim inter Pontifices hinc & inde certatum, quamvis non deessent viri probi, qui utrumque ad pacem quovis modo restituendam
1390. exhortarentur. Hanc præcipuè exoptabat Universitas Parisiensis, quæ etiam anno 1390 de
1392. Clementis exactionibus apud Regem querelam instituit.

Pacis Propositiones. Anno 1392 prima pacis inter utrosque de Pontificatu contendentes ineundæ mentio facta videtur. Hoc enim anno, duo Cartusienses pietate moti, feruntur Romam ad Bonifacium ivisse, & ab hoc Pontifice, cujus ad pacem animum inclinarant, epistolam obtinuisse, quâ Regem Christianissimum adhortabatur, ut paci Ecclesiæ consuleret, pollicitus ad eam sanciendam sese id omne quod licitum crederet, esse facturum. Hoc cùm comperisset Clemens, datasque Bonifacii Litteras Regi, Legatum ad Regem misit, qui suo nomine significaret, paratum se esse quidvis facere, ut schismati finem imponeret. Hac de causa publicæ Supplicationes in Regno Gallirum institutæ. Sed tunc nihil ultra processum.

1393. De viis ineundæ pacis, Universitatis Parisiensis deliberatio. Anno 1393, pactis inter Franciam & Angliam induciis, Universitas Parisiensis ad Regem Deputatos misit, qui enixè rogarent illum, ut ad unitatem Ecclesiæ restituendam seriò allaboraret. Post solemnem hanc ob rem Supplicationem Parisiis celebratam, de viis revocandæ pacis habita deliberatio est. Atque ut plena & integra esset suffragiorum libertas, in arcam occlusam votorum schedulæ à singulis Nationum Deputatis per rimam missæ sunt. Omnium fermè sententia fuit, vias Cessionis aut Compromissi aptissimas esse, ad finem imponendum schismati.

Versabatur tunc in Gallia Petrus de Luna, Cardinalis, à Clemente ad Regem missus, Biturigum Duci tunc apud Regem potentissimo, valdè acceptus, qui sana Universitatis consilia turbabat. At stabant ex altera parte Petrus de Alliaco, & Ægidius de Campis, cum Nicolao Clamengio, qui Judicium Academiæ haud segniter tuebantur. Cum his plures habitæ disputationes; quæ cùm omninò fuissent inutiles, Cardinalis vetuit hujusmodi propositiones Parisiis fieri, ac Petrum de Alliaco, & Ægidium de Campis à Clemente accersiri voluit. At isti negarunt se ituros, & Universitas Legati minis non modò à negotio pacis promovendo deterrita non est, sed ei impensiùs apud Regem allaboravit: atque ut benigniùs à Rege exciperetur, Burgundionem Ducem sibi conciliavit, ut eum adversùs Bituricensem Clementi addictum haberet adjutorem. Hujusce ergo Principis gratiâ, obtentâ Regis alloquendi & de schismate deliberandi facultate; statim indictis, pro more, Supplicationibus, ac deinceps Comi-
1694. tiis habitis, post maturam deliberationem, die sexta Junii anni 1694 statutum est tribus potissimum modis, jam anno superiore comprobatis, pacem Ecclesiæ procurari posse, atque restitui, scilicet, *Cessionis*, ac renuntiationis omnimodæ contendentium; *Compromissionis* mutuæ in aliquos, qui communiter deligerentur ad rei discussionem, quorumque arbitrio standum esset; & *Determinationis*, seu definitionis per Concilium Generale faciendæ. Decretum deinde factum, ut hæ tres viæ in epistola conscriberentur, quæ Regi offerretur. Hujus verò conscribendæ provincia demandata jam fuerat Nicolao Clamengio Oratori tum temporis disertissimo. Composita ab illo epistola, lecta & probata est, placuitque eam Regi offerre.

Itaque

Itaque Universitas, ultimâ die Junii Regem frequenti comitatu adiit, & per Oratorem suum præfatas pacis vias proposuit & explicavit, simulque epistolam, seu libellum, in quo illæ continebantur, obtulit. Laudat primùm in eâ Universitas Parisiensis studium suum in extinguendo schismate, quod à sexdecim annis viguit, quo nunc privatim disputando, & conferendo, aut scribendo; nunc palam & apertè coram Rege orando, proponendo, & exhortando ad Ecclesiæ unionem, quantùm divinitùs facultatis sibi datum erat, eniti non destitit; conatus suos, licèt non omnino irritos, tamen hucusque frustratos fuisse conqueritur. *Turbati*, inquit, *hucusque fuimus, &, pessimorum quorumdam nefariâ factione impediti accessu eodem Regiæ Majestatis, sine qua nihil possumus, excusata licentia infantia, & adolescentia.* Laudat deinde Regem, quòd jam maturior factus, illico, non degener ab Illustribus Proavis, ad salutem Ecclesiæ, & diri vulneris hujus amputationem totis viribus animi intenderit: gratulatur ipsi, quòd jam Ecclesiæ rerum status immutetur; quòdque mutatis vicibus, qui antea ab Universitate admoneri solitus erat, ipse prior eam exhortetur; qui se pulsari toties audierat, ipse ultro pulset, & non modò pulset, sed quod suo jure potest, ut vias & rationes, quibus id fieri possit, sollicitè & sedulò excogitent imperat. Se & sua universa in hujus execrabilis scissuræ resartionem impensurum pollicitus, etsi Regni sui, aut corporis impendium, negotium hujusmodi deposceret. Mandasse speciatim eum Academiæ, ut vias, modos, & formas, quibus ad hanc concordiam maturiùs veniretur, per Deputatos, qui cum Regiis Consiliariis convenirent, excogitaret. Jussis paruisse Universitatem, sed Consiliarios Regis noluisse cum Deputatis ejus conferre. Interim tres vias, ad pacem in Ecclesia obtinendam excogitatas, & ab universis Academicis approbatas, *per modum avisamenti*, (verba sunt epistolæ) Majestati Regiæ proponunt. Prima ex iis, est via Cessionis, & Renuntiationis plenæ & integræ utriusque contendentium; sive Cessio illa fiat præsentibus ambobus Collegiis Cardinalium, ab unoquoque seorsim Collegio suo, aut inter manus Deputatorum à se, aut nominandorum; quâ factâ & publicatâ, ab utroque Collegio fiat electio. Hæc via, ut convenientior, efficacior, & promptior cœteris anteponitur tùm propter facilitatem executionis, tùm propter universorum Principum & Regnorum utrique adhærentium tranquillitatem & honorem, tùm ob juris utriusque perplexitatem, tùm ob utriusque partis in suæ causæ justitiâ fiduciam; quâ fit, ut nulla verisimilis spes sit, hos ad illos accessuros esse. Secunda via quæ proponitur, est mutuæ Compromissionis amborum in aliquos solemnes viros, quos ipsi ambo duxerint nominandos, vel in aliquos alios canonicè eligendos, tanquam in plenarios Definitores controversiæ, qui supremum de eâ Judicium ferant. Hæc via Concilii generalis convocationi anteponitur, per quam rei definitio & facilior & maturior redditur. Tertia via, est Concilii generalis, aut secundùm formam Juris, ex Prælatis tantummodo celebrandi: *Aut quia*, verba sunt Epistolæ, *plures eorum, proh pudor! hodie satis illiterati sunt, pluresque ad alterutram partem inordinatè affecti, mixtis unà cum Prælatis ad æqualem numerum Magistris & Doctoribus Theologiæ & Juris Arbitris; aut adhuc, si alicui prædicta provisio non sufficit, adjunctis, præter præmissos, Capitulorum Cathedralium, & Religionum principalium uno vel pluribus Deputatis.* Concilii generalis autoritatem extollit, Regem enixè precatur, ut ad schisma extinguendum seriò allaboret; & Ecclesiæ mala indè exurgentia, & imminentia latè describit, quorum summam hîc referre non piget.

1393.

Epistola de viis ineundæ pacis Regi oblata.

„ Quid ante hoc schisma, schismatisque præambula Ecclesiâ florentius? quid splendidius? quid locupletius? quid honoratius? tam grandi exuberabat bonorum copiâ, ut mole etiam suâ laboraret. Postquam verò clades ista schismatis damnatissimi introiit, pro libertate servitus & durissima servitus, pro divitiis egestas, pro specie deformitas, pro honestate dedecus, pro eminente gloria vilis & abjecta contentio, pro Ecclesiæ & bonorum ejus tutela prædæ, rapinæ, spolia invaserunt. Et quare hoc? Quia nimium indigni, atque improbi homines, ad regimen Ecclesiæ evecti sunt, & plusquàm quotidie evehuntur, quibus nihil sancti est, nihil pensi, nihil honesti curæ sit. Suis tamen flagitiis, & libidine pascuntur, atque delectantur: exhauriunt Ecclesias, Religiones dissipant, Monasteria spoliant, Sacras passim Domos in vastitatem redigunt, ut suæ cupiditati sacrilegæ nunquam satis satiandæ, de Chisti patrimonio sui pretiosissimi Sanguinis effusione conquisito, satisfacere valeant; sacraque aut prophana, è quibus quæstus aliquis, aut pecunia pendeat, promiscuè habent: exactiones gravissimas, maximas, intolerabiles pauperibus Ecclesiæ Ministris imponunt; impiissimos homines atque inhumanissimos ad colligendas eligunt, qui nemini parcant, nullius misereantur, aliàs quàm talibus inopiâ pressi, quin statim excommunicent, fulminent, ac exterminent, quinetiam in barathrum, quantùm in se est, detrudant; nisi sibi impositum onus protinus exolvant. Mendicos jam Sacerdotes, & vilissimis insuper officiis & prophanis secularibus servientes ubique videmus. Sacrosanctæ Reliquiæ, Cruces, Calices ipsi, omnia denique vasa sacrifica, si argentea tamen sunt vel aurea; proventus Ecclesiarum ac reditus, ad angarias istas importabiles solvendas, multis in locis venduntur. Quot jam labentia Templa, quot ruentes Basilicas, quot jam æquatas solo cernimus; & multò nimiùm plures cerneremur, nisi Regia vestra sublimitas, positis in manu sua proventibus, Ecclesias reparari, ac refici sæpè ab earum Rectoribus, compelleret....... Quid nunc de Simonica hæresi loquemur? quæ in Ecclesiæ Domo sic præsidet, ut jam ejus ditioni omnia sint propemodùm subjecta, & sine cujus interventu, pauci gratiæ quidquam, nisi valdè difficulter obtineant; si qui eam Advocatam habuerint, non lite, non Judicio, non difficultate aliqua terreantur. Verùm in aurem utramvis otiosè si velit dormiat, quia pars sua tuta est, & formatis fluctuum turbinibus, ipse in portu naviget. Hæc est quæ Beneficia, quæ alicujus omninò emolumenti sunt, impurissimis quibusque, dùm tamen opulenta sint, distribuit, maximéque ut sedula dispensatrix circa Pastorales Curas invigilat, quæ pauperes aspernatur, nec ullâ promotione, quantacumque doctrinâ polleant, dignos censet: imo quò plus sunt litterati, eò magis ut plurimùm, sunt sibi odio habiti, quia liberiùs eam redarguunt quàm alii, nec suo patrocinio in ullis Beneficiis assequendis uti velint; & quod iniquissimum est, nec satis exagerari verbis potest, hæc est, quæ damnatissimâ corruptelâ, Sacramentorum omnium mysticas collationes, & præcipuè Ordinum ac Pœnitentiæ, turpi detestabilique quæstu vendit; ac per hoc ineptissimas vilissimasque personas, sordida cupiditate, ad honores Ecclesiæ, & Gra-

1393. „ dus admittit, in grandem ignominiam Ecclesiasticæ dignitatis. Quid de diurno cultu ex hac „ cruenta schismatis pernicie ubilibet imminuto, atque in locis plerisque prorsus deserto queremur? Quid de morum disciplina, Episcoporum Ecclesiæ virtutibus? quæ sic in oblivionem „ inque omnia vitia mutatæ sunt, ut vix præcedentes Patres, si redeant, eamdem Ecclesiam, „ quam ipsi dudùm rexerant, quamque Christus instituit, esse putent, nullis virtutum suarum „ reliquiis, nullis usquam vestigiis, imò ne umbrâ tenui ibidem relictâ. Omittamus Ecclesiæ „ libertates ereptas, veteres immunitates obliquatas, patrimonium denique distractum, dilapidatum, abalienatum. Ista, inquam, omittamus, quia temporalia sunt; quanquam majora isti hæc „ temporalia ducunt. Ad Fidei Catholicæ detrimenta & scandala, quæ nos majora ponimus, „ veniamus. Irrident Religionem nostram sacrosanctam, talem in ea videntes scissionem, canes „ Ægyptii mordent, accusant, blasphemant, inde se commodissimam gaudentes occasionem in „ eamdem insultandi reperisse, quæ sit in seipsa divisa, ac in propria viscera, cœco furore sævienda, semetipsam conficiat, & destruat. Hujusmodi Fideles oppugnant. Hinc hæretici „ irruunt, qui jam venenatum caput extollere vehementer, nullo vindice cœperunt, & in „ complurimis locis hæreses perniciosas, etsi non adhuc patenter, tamen latenter seminant, „ & ut cancri quotidiè magis serpunt: sic in Fidem Catholicam defensione vacuam, & domestico bello se continuè prosequentem, atque consumentem, undecumque fit impetus. Sed quid „ universa mala ex hoc horrendo schismate nascentia complecti nitamnr? Res nobis, & cuicumque impossibilis est. Quis enim tanto præditus ingenio, aut tantâ eloquentiâ decoratus, qui angustias, ærumnas, calamitates singulas, quas Ecclesia sustinet non dignè ut res „ postulat deplorare, sed nominare valeat, aut referre? Quid nominare dicimus? cogitare „ potiùs dicamus, ac mente carpere. Tanta est miseriarum ac molestiarum moles, tanta magnitudo, tanta congeries, ut & mentem præsentium effugiat, & nasciturorum fidem, credulitatemque vincat. Obstupescent certè posteri nostri, mirabuntur, & horrescent tantorum „ immanitate flagitiorum, legentes, si hæc ab aliquo mandata sunt. Quæ mala cùm atrocia „ adeò sint, & suprema, ut jam nihil addi posse, quo ulteriùs crescant videatur; tamen pejora imminent, & in deterius res semper procedit. Nam qui dies posterior non priore deterior? Quæ lux præcedenti non aliquid malitiæ agglomerat? Omnia in dies mala augescunt. „ Novi modi obsistendi Ecclesiæ unioni, per perditos & nefarios homines, diabolo suggerente, „ quotidie oriuntnr, novæ astutiæ, nova molimina. Qui, quoniam non aliàs se id posse arbitrantur quod cupiunt efficere, nisi ante omnia cœterosque veritatem sibi maximè pestem „ enuntiare solitos ubique infamant, totos virium suarum & astutiarum nervos in nostram delationem moliuntur intendere. „ Tum multis epistolæ Autor invehitur in eos, qui sese pacificis Academiæ consiliis opponebant, ac demùm Deum deprecatur, „ ut quassatam penè undis ratem suam, nec jam sine sua ope obniti valentem, tandem aliquando servet, ventis & mari imperans, ut positis turbinibus, jam ulteriùs sævire desistant. „

Responsum Regis. In hanc sententiam Universitatis Parisiensis Orator Regem, oblato simul scripto, allocutus est. Sed eâ die nihil aliud responsum est à Rege, nisi, *Rem esse magni momenti, sibi placere zelum & fervorem Universitatis in asserenda Ecclesiæ pace, illique propediem significaturum, quid in hanc rem decrevisset, rediret certâ die, certiusque responsum relaturam.*

Agnovit Universitas sibi dari verba, & licèt Rex, Ludovicus ejus frater Dux Aurelianensis, patrui & cognati, Principes alii & Proceres ac Prælati, inter quos eminebat Simon Cramaudus Lemovicensis, Patriarcha Alexandrinus, expostulationem Universitatis læto atque hilari vultu, & animo audivissent, istamque dicendi & loquendi libertatem maximè probavissent, tempori nimirùm valdè opportunam: nihilominus tamen artibus Petri de Luna Cardinalis, & Ducis Bituricensis factum est, ut responsum Regium differretur. Ad diem autem dictam conveniunt Legati Academici, definitivum responsum accepturi. Et hoc accipiunt Regis nomine, Cancellarii ore: nimirùm, Regi non placere ut eâ de re deinceps agant, aut negotio se immisceant, néve litteras ullas aliundè scriptas accipiant, aut aperire audeant, priusquàm Regi obtulerint. Hujusmodi responsum sibi factum iri præviderat Universitas, monita scilicet & edocta quid rerum in Curia pro Clemente moveretur, atque idcirco, habitis Comitiis, post solemnem deliberationem, suis Legatis injunxerat, ut si hoc responsum daretur, significarent Cancellario, *Cessaturam Academiam à Lectionibus & sacris Sermonibus, omnibusque aliis Studiorum actibus, nisi & donec justis ejus petitionibus satisfieret.*

Litteræ Universitatis de pacis viis, ad Clementem. Dum hæc apud Regem Parisiis agit Universitas, scripsit quoque ad Clementem VII, & ad Cardinales Avenionenses litteras, quibus triplicem pacis reducendæ viam, quam Regi obtulerat, significat, obtestaturque, ut ad eam seriò attendant, afflictæ Ecclesiæ misereantur, nec eam diutiùs tàm pernitioso schismate scindi, ac divelli patiantur. Nullum ad eas litteras scripto responsum dedit Clemens, sed tantùm fertur, iis lectis, in hæc verba prorupisse: *Litteræ istæ malæ sunt & venenosæ.* Audito hujusmodi responso Academia Parisiensis, gravem ad eum epistolam scripsit, quâ expostulabat, id ab ipso dictum, vel potius id de eo dici, & responsum ad priorem epistolam efflagitabat.

Antequàm hæc epistola Avenionem perveniret, Cardinales, visâ Universitatis epistolâ, cùm convenissent, hujus consiliis subscribendum omnes censuerunt, uno excepto Cardinali de Luna. Quâ de causâ Clemens summo mœrore affectus, paucis post diebus subitâ apoplexiâ correptus, obiit die Mercurii 16 Septembris, anno 1394. Eodem tempore, cùm

1394. Mors Clementis VII. fama ubique sparsisset, ea quæ Parisiensis Academia de pace Ecclesiæ consuluerat, & scripserat; multi Principes, ac pleræque Academiæ, congratulatorias ad illam litteras, eâ de re, miserunt. Quibus respondit Universitas, ita in proposito perstans, ut tamen Clementi potiùs, quàm Bonifacio, quem intrusum appellabant, faveret.

Petitiones Universitatis Parisiensis de pace. Accepto de obitu Clementis nuntio, statim Universitas Deputatos ad Regem misit, qui ab eo quatuor exquisierunt. Primum, ut Cardinalium Avenionensium Collegium moneret, nè quenquam in locum Clementis eligeret, donec circa unionem pleniùs deliberatum foret. Deinde ut Prælatos, & Barones Regni, ac Universitatum Primores, aliosque Viros notabiles, & pacis amicos congregaret, qui deliberarent, quid in hoc negotio tam arduo agendum esset. Tertium, ut de istis scriberet ad Bonifacium intrusum, & alios, qui ejus partes tuebantur. Denique

nique ut ad pacem Ecclesiæ obtinendam Orationes, & Supplicationes publicæ per Regnum fierent; utque Studio Parisiensi liceret, studia solita resumere. Iis Rex annuit, eos more suo benignè redarguens, quòd tanto tempore à Prædicationibus, & scholasticis actibus abstinuissent, ac præcipiens, ut ea resumerent: quod se libenti animo facturos promiserunt. 1394.

Regis ad Cardinales mandatio.

Auditâ Legatione Universitatis Rex Consilium suum secretius convocat: & cùm omnes Regi suaderent ut ad Cardinales Legatos mitteret, Patriarcham Alexandrinum, necnon Petrum de Alliaco Regis Eleëmosinarium; dissuasit Dux Bituricensis, aiens, laicos Legatos Cardinalibus gratiores fore, & Petrum de Alliaco, quem rerum, quæ in Universitate adversùm Clementem gesta erant, autorem præcipuum arbitrabantur, haud benignè exceptum iri. Hinc designati qui Avenionem Regis nomine irent, Reginaldus de Raia, & Bussicaldus Mareschallus Franciæ. Huic datum in mandatis, ut Raimundo de Turnonia nomine Regis præciperet, ne ampliùs Cardinales bellicis incursibus molestaret, ut sic liberiùs unioni allaborare possent. Statim autem Rex per veredarium ad Cardinales scripsit, nè ante adventum Legatorum suorum electioni futuri Pontificis operam darent. Duas in hanc rem ad Cardinales scripsit epistolas, unam die 22, alteram die 24 Septembris. Ipsa quoque Universitas existimans non posse reperiri compendiosiorem viam ad pacem, quàm si occasione mortis istius, Cardinales Avenionenses redirent cum Romanis in idem Collegium, eumdemque Pontificem agnoscerent, & haberent, ad eos scripsit litteras, quibus eos enixissimè rogavit, ut alterius Pontificis electionem differrent. Datæ sunt Universitatis ad Cardinales litteræ, die 23 Septembris. In eamdem sententiam aliæ ad omnes Prælatos, & Capitula Ecclesiarum, ejus nomine missæ. At Cardinales meliorem suam conditionem fore rati; electo Pontifice, id tantùm præcaverunt, ut pro se quisque juraret, antequam Conclave subiret, se, si designaretur, Pontificatum ejuraturum, si id Bonifacius Romanus facere paratus esset. Huic protestationi cùm omnes Cardinales Avenioni residentes, (erant autem viginti duo,) subscripsissent, Conclave ingressi die Sabbati, die Lunæ sequenti, quæ erat 28 Septembris, Petrum de Luna, Cardinalem Arragonium elegerunt, qui Benedictus XIII dictus est. Re per nuntios Lutetiam allata, Rex ad recèns electum Pontificem Legatos misit; suos quoque ad eum misit Universitas cum litteris, quibus significat se in ea fuisse sententia, consultius fore, & ad pacem utilius, si nulla facta fuisset electio: attamen lætari se, ait, quòd is electus esset, qui paci Ecclesiæ cuncta postponeret; illumque hortatur, ut quantociùs concordiæ viam ineat. Datæ sunt hæ litteræ die 23 Octobris: eademque die scripsit alias ad Cardinales, quibus eos deprecatur, ut ad opus tam necessarium promovendum incumbant.

Electio Petri de Luna dicti Benedicti XIII.

Variæ Epistolæ de Consilii pacis.

Tunc Benedictus Ægidium Bellenarium Archiepiscopum Avenionensem, & Petrum Blanii Legatos ad Regem misit, qui monuerunt eum, ut unioni Ecclesiæ operam impenderet, ex consilio Clericorum Regni sui, & præcipuè Universitatis Parisiensis, utque viam, quam potiorem eligeret, sibi significaret: Universitatem quoque cohortati sunt, ut proposito insisteret. Rex ad Pontificem misit Petrum de Alliaco Eleëmosinarium suum, ut de via ineundæ pacis cum eo conveniret. Conspirabant in idem propositum pacis, Joannis Arragonum Regis, Henrici Castellæ Legionisque, necnon aliorum ferè omnium Principum, & populorum Orbis Christiani mentes, qui litteras ea de re tùm ad Parisiensem Universitatem, tùm ad Benedictum dederunt. At Benedictus, cui Pontificatum retinere in animo erat, nihil motus hisce litteris, de eo in Italia transferendo cogitare cœpit, & de abdicando verba fieri vetuit: magnum nihilominùs concordiæ ac unionis desiderium præseferebat, & in eam sententiam ad Universitatem scripsit. Postquam verò litteras ipsius Universitatis, & Regis mandata per Magistrum Petrum de Alliaco accepit, viasque & modos intellexit, quibus pax restitui posse præmonebat; per alias litteras die 11 Novembris datas significavit, se in eo esse animo, ut pacem Ecclesiæ procuret, eamque intentionem suam cunctis notam esse vult.

Concilii Gallicani Convocatio & Acta.

Cùm igitur nihil præter verba à Benedicto expectandum videretur, Rex Chistianissimus ad 1395.
promovendam pacem, ex consilio Universitatis Parisiensis Concilium Ecclesiæ Gallicanæ Parisios ad diem Purificationis convocat, in quo de viis extinguendi schismatis aliquid statueretur. Huic Synodo adfuerunt quinquaginta, aut circiter Archiepiscopi vel Episcopi Gallicani, cum multis Abbatibus, & magno Doctorum grege, ac Universitatis Deputatis. Præfuit ei Simon Cramaudus Patriarcha Alexandrinus: in Regali Palatio Lutetiæ habita est; ibique re in deliberationem missa, auditâ Petri de Alliaco, Legatorumque, qui Avenionem ierant relatione, ex plurium sententia conclusum est, è tribus viis, quas Universitas Regi exposuerat, viam Cessionis esse commodiorem & compendiosiorem, ut scilicet uterque Pontifex cederet, & tertius, aut alter ex ipsis, si Concilio videretur expediens, eligeretur.

Legatio ad Benedictum ut jure suo cederet, & varia cum eo colloquia incassum habita.

Quin huic viæ insistendum esset haud dubitans Rex Christianissimus; (quamvis Anglorum Universitates hanc rejecissent, & vias Compromissi, aut Concilii Generalis per litteras ad Regem suum Richardum approbassent) Legationem ad Benedictum misit, quâ nulla solemnior esse poterat, cùm inter Legator essent duo Regis patrui, Joannes Dux Bituricensis, & Philippus Burgundus, necnon Regis frater Ludovicus Dux Aurelianensis, unà cum Episcopis Silvanectensi, Pictaviensi, & Atrebatensi, aliisque Regni Principibus. Missi sunt etiam Legati à Clero Gallicano & ab Universitate Parisiensi, quæ prolixas litteras ad eum scripsit, quibus eum multis hortabatur ad acceptandam Cessionis viam. Benedictus primùm negavit à se aliisque Cardinalibus antequam in Conclave ingrederentur, subscriptam fuisse schedulam, quâ futurus electus sese obstingebat amplexurum se viam pacis, quæ tollendo schismati magis idonea videretur, imò & cessurum se Pontificatu, si alter Pontifex Bonifacius Romanus pariter juri suo renuntiaret. Quamvis autem certum esset factam fuisse istam schedulam, ejusque apographa haberentur in Gallia, quæ ad nos usque pervenerunt; attamen cùm ejus autographum esset penes Benedictum: non solùm factam negavit, sed nullam hujus mentionem fieri voluit, ac Cardinalibus inhibuit ne exemplar illius unquam darent, aut ei subscriberent.

Cùm Legati Regis Avenionem pervenissent, benignè à Benedicto excepti sunt. Post ea quæ in primis congressibus Legatorum fieri & dici generatim solent, cùm de proposito negotio seriò agi cœptum est, Benedictus unionis hanc viam Legatis proposuit: ut scilicet ipse cum Cardinalibus suis, & Bonifacius, quem adversarium Ecclesiæ Dei appellat, cum Cardinalibus Romanis quos Anti-Cardinales dicit, in loco tuto convenirent, ibique simul de viis unionis

1395. procurandæ deliberarent. At Legati Regii viam hujusmodi minimè probantes, in alio congressu per Ægidium de Campis latè ostenderunt, ex omnibus viis ad unionem, potiorem esse viam Cessionis, & Benedictum ut eam acceptaret urgere non destiterunt. Displicuit istud maximè Benedicto: ne tamen videretur viam sibi oblatam omnino rejicere, petiit ut sibi scripto traderetur, quo pacto illa executioni mandari posset. Negarunt id se facturos Legati Regii, asserentes nihil eâ viâ simplicius, Cessionem uno aut altero verbo fieri posse, nec opus esse rem multis exponi. Quod responsum ægrè admodùm ferens Benedictus, proposuit ut postquam ambo contendentes cum sequacibus suis convenissent in loco tuto, unusquisque arbitros eodem numero eligeret, qui du utriusque jure judicium ferrent, cui staret uterque: ita tamen ut si hac via schismati finis non posset imponi, paratum se futurum alias vias prosequi licitas & honestas, ut pax & tranquillitas in Ecclesia haberi posset. Hoc responso tum voce, tum scripto Legatis dato, die 20 Junii conveniunt illi cum Cardinalibus, & unanimi consensu concludunt, insistendum esse viæ Cessionis, eamque meliorem, breviorem & convenientiorem esse. Promiserunt omnes Cardinales, uno excepto Pampelonensi, se viàm illam unam quantùm in ipsis esset secuturos, & ad finem perducturos esse. Quibus sic actis, iterùm Duces Papam conveniunt, quantâ possunt humilitate supplicant, ut compatiatur Ecclesiæ, misereatur tot animarum in deplorando illo schismate pereuntium, denique meminerit juramenti quod in introitu Conclavis præstiterat, se vias omnes tollendi schismatis, etiam ipsam Cessionis viam amplexurum; nec se notari perjurio sineret. Ad hæc ille respondet, se nec juramento teneri, nec perjurum dici posse, cùm ad viam Cessionis descendere minimè teneatur ex pacto, nisi tentatis omnibus aliis viis. Tum Legati, ut Benedicti pertinaciam vincerent, Cardinalibus persuadent, ut ei denuntiarent, se viam Cessionis ut convenientiorem probare, illumque deprecarentur ut hanc eligeret.

Cùm nihilominus is in proposito perstitisset; rursus cum Legatis Regiis, & Universitatis consilium habent; & post maturam deliberationem omnes adeunt Pontificem, flexisque genibus orant, nomine Regis Francorum, Cleri Gallicani, Collegii Cardinalium, omniumque fidelium Christianorum, uti se flecti sinat & exorari. Ad hæc ait Benedictus; se jam satis & abundè mentem suam explicasse responso dato die 20 Junii: iterum tamen se responsionem scripto daturum die crastina, (28 Junii.) Addidit in ea, sibi propositum esse vias unionis juridicas, honestas, utiles & sufficientes ad tollendum schisma prosequi, & alia facere quæ ad id fuerint necessaria & etiam opportuna, prout sibi incumbebat ex debito officii sibi commissi, & aliter, in quantum virtute cujusdam schedulæ factæ in Conclavi tenebatur. Cùm nondum sufficiens videretur ejusmodi declaratio, adjecit etiam insuper in alia schedula data 8 die Julii, suæ intentionis non esse nec fuisse, schedulam in Conclavi factam, aut ejus effectum suspendere, seu conditionem aliquam in ipsa apponere, vel circa eam aliquid immutare; sed eam juxta suum ordinem & tenorem servare, nec ei derogare, licèt suæ quoque intentionis non esset, ei novum robur adjicere, aut novam legem sibi imponere. Tum Cardinales schedulæ subscribunt, quâ declarabant, se viam Cessionis tanquam convenientiorem, breviorem & utiliorem ad faciendam unionem, & toti populo Christiano magis acceptam ad tollendum schisma, & singulorum conscientias serenandas aptiorem eligere, ac declarare & attestari, viam hujusmodi expedire pro bono pacis & unitatis, necnon consulere suo Papæ ut eam acceptet & exequatur. Tertiâ deinde vice Cardinales & Legati Benedictum convenerunt, & enixiùs quàm antea flagitarunt, ut tandem aliquando vinci se sineret, viamque Cessionis quæ probabatur omnibus amplecteretur. At Benedictus in proposito permanens, nihil ampliùs ad priora responsa adjicere se posse respondit, & Legatos rogavit ut oblatas à se conditiones gratas habere vellent. Instantibus, apertè negavit se viam Cessionis amplexurum. Re igitur infecta discessêre Legati. Hi cùm Lutetiam pervenissent; Regi quæ Avenioni acta erant retulerunt, ex quibus intelligi dabatur, Benedictum in retinendo Pontificatu pertinacem esse.

Academiæ Parisiensis variæ Legationes ad viam Cessionis inculcandam.

Ast Academia Parisiensis suo proposito semper intenta, apud Regem & apud alios Principes, atque apud alias Universitates uni viæ Cessionis, utpote faciliori & expeditiori insistendum esse, per litteras, & per Legatos evincere conatur. Ad ejus preces Rex eadem de causa Legatos in Germaniam, Angliam, aliasque Nationes misit. Benedictus è contra conatur sibi amicos fautoresque devincere, præsertim Regem Castellæ, quo inscio & non monito Legati Gallicani de unione Ecclesiæ egerant. Extat epistola Universitatis Parisiensis ad Oxoniensem, quam Joanni Brevicoxæ deferendam dedit. Illa quidem huic Universitati reddita non est. At Rex Richardus, ad instantiam Legatorum Regis & Universitatis, & scripto quodam hujus nomine oblato, quo vix ullum hoc tempore prolixius & enucleatius circa negotium schismatis conscriptum est, commotus, (composuerat autem illud Petrus le Roi Constantiensis, primùm Abbas S. Taurini Ebroicensis, deinde Exaquensis, tum vero S. Michaëlis de Monte, multis Legationibus in varias Regiones insignis) rem examinandam ad Universitates Anglicanas remisit, & interim judicium suum suspendit; ac Universitatem per litteras certiorem fecit, sibi gratum esse illius studium, secuturumque se ea de re Cleri Arglicani, Academiarumque hujus Regni consilium, quibus notas facturus erat rationes Academiæ Prisiensis. Interim Parisiensis circulares ad alias omnes Universitates, & ad Principes litteras dedit, Legatosque misit, qui de extinguendo per viam Cessionis schismate cum iis agerent.

1396.

Parisiensis Academiæ provocationes.

Cùm autem Benedictus minas intentaret Universitati Parisiensi & Regno, Universitas per M. Joannem de Craona Procuratorem, prolixum edidit appellationis Instrumentum, plenam eorum quæ gesta erant narrationem, & rationes propter quas Benedicto parendum non esset continens, quo scilicet ad verum, Orthodoxum, & Universalem Papam, vel illos que de hujus causa appellationis cognoscere potuerint provocat. Significata est statim provocatio ista Benedicto. Quamobrem excandescens, eam irritam pronuntiavit; & adversùs eum qui ipsam interposuerat ejusque adhærentes acturum se declaravit, Constitutione data 3 Kalendas Junii anni 1396. Cùm autem in hacce Constitutione non solùm appellatio Universitatis irritaretur, sed & schismaticæ pravitatis accusaretur, & generatim declararetur non licere à Romano Pontifice provocare; novo Instrumento Parisiensis Academia priorem appellationem adversùs Benedicti criminationes defendit, eique se suosque omnes adhærere palam professa est. Hanc non secus ac priorem provocationem proscripsit Benedictus.

Inte-

1396. Interim Legati tum Regis tum Universitatis in diversas Nationes missi, varia referebant responsa. In Germania, Boemiæ Rex Legatos Universitatis audire noluit: Regiis verò id responsi dedit, congregandum à se Clerum Regni sui, ut ex ejus consilio quid faciendum esset cognosceret. At Rex Ungariæ viam Cessionis probavit, seque Regem Boemiæ in eam sententiam adducturum pollicitus est. Eam quoque probaverunt Trevirensis & Coloniensis Archiepiscopi, necnon Bavariæ & Austriæ Duces, ac plerique Principes. Reges Navarræ & Arragoniæ, laudato Regis Christianissimi in Ecclesiæ pacem studio, Clerum se suorum Regnorum congregaturos policiti sunt. Castellæ Rex quæ à Rege gesta erant comprobavit. Angliæ verò Rex, etsi privatâ sententiâ in viam Cessionis propenderet: attamen cùm Oxoniensis Academia, quæ in hoc Regno celeberrima est, hanc minùs probaret, & viam Concili Generalis proposuisset per Legatos suos hanc epistolam Regi Christianissimo porrigendam curat: nihilomimus ad Bonifacium & Benedictum ita scripsit, ut licèt illum Pontificem nominaret, hunc tantùm Cardinalem de Luna; tamen utrique viam Cessionis à Rege Galliæ propositam insinuaret. Inter ipsum quoque & Regem Galliæ convenit, ut ab utroque Legati mitterentur Romam & Avenionem, qui Bonifacium & Benedictum ad viam Cessionis impellerent, ac ut Wenceslaum Romanorum Regem sibi adjungi postularent. Legati Regis Castellæ Lutetiam cùm venissent, Regis collaudarunt in pace Ecclesiæ procuranda fervorem, at viam Cessionis Regi suo probatam fuisse primùm tacuerunt: sed prolato Diplomate cui appensum erat Regis Castellæ sigillum, coacti sunt fateri hanc esse suorum sententiam. Denique ipsi Cardinales Avenionenses numero 17, separatim ad Regem litteras dederunt, quibus se à via Cessionis minimè recedere protestati sunt.

Variæ Regum & populorum de Cessionis via sententiæ.

Anno 1397 habitus est Francofurti in Germania magnus Principum conventus de schismate Ecclesiæ: ad quem multi Reges & Principes, Universitas quoque Parisiensis Legatos suos miserunt, in quo de viis ineundæ pacis, juxta Parisiensis Universitatis propositiones actum est. Habitum quoque Parisiis Concilium Ecclesiæ Gallicanæ in eamdem rem. Cùm enim videret Carolus Rex, neque precibus, neque minis adduci posse Benedictum ad Cessionem, Prælatos convocavit, suadente Universitate, deliberaturos quid facto opus esset. 1397.

Conventus anno 1397 Francofurti & Parisiis de pacé Ecclesiæ habiti.

Quæstio in deliberationem missa hæc fuit: An expediret ad abolendum schisma, utrique Pontifici obedientiam subtrahere, neutrique parti adhærere. Plurimis placebat substractio, quâ promulgatâ, sperabant cœteros Monarchas idem facturos erga Bonifacium. Dissuasit M. Rodulphus de Ulmonte, in utroque Jure Licentiatus, effecitque eâ vice ne Decretum fieret, sed ut ad utrumque Pontificem Legati mitterentur, admonerentque de consilio & proposito Ecclesiæ Gallicanæ. Idem in conventu Wenceslai Romanorum Imperatoris, & Caroli Francorum Regis, plurimorumque Magnatum Remis eodem anno consilium placuit. Igitur ad utrumque Pontificem Legati missi à Regibus: ad Bonifacium profectus est M. Petrus de Alliaco tunc Aniciensis seu Padiensis Episcopus. Summa Legationis erat, ut mitterent Pontifices è suis Cardinalibus quos vellent ad Concilium, quod Rex in negotio schismatis habere destinabat, nisi mallet uterque Cessioni propositæ & exquisitæ acquiescere. Sed neuter acquievit. Bonifacius quidem respondit, se postquam Benedictus cessisset, Regis postulatis satisfacturum. Benedictus ad Regem duos Cardinales misit, quorum unus erat, Martinus Pampelonensis, ipsi & amicitia & cognatione junctus. Rex intelligens sibi verba dari, noluit eos admitti. Jamque palam de substractione obedientiæ omnes loquebantur; quam veritus Benedictus, ad Bituricensem Ducem scripsit, ut quâ autoritate valebat apud Regem sibi faveret, & adversarios, inter quos nominatim Simonem de Cramaut Patriarcham Alexandrinum, & Petrum le Roi Abbatem S. Michaëlis taxat, compesceret.

Cùm tot Principum admonitiones, tam præclara Universitatis Parisiensis Scripta, tam sancta bonorum vota, ut Bonifacius & Benedictus ultrò jure suo decederent, & in eorum locum tertius eligeretur in irritum cecidissent: tandem Rex Christianissimus nihil intentatum volens relinquere, ut schismati finem imponeret; tertiò convocavit Episcopos, Abbates, Universitates, Capitula Ecclesiarum Cathedralium & multos Theologiæ & utriusque Juris Doctores, ad primam diem Maii anni 1398; & impedimentis pluribus Regi, ejus patruis & fratri obvenientibus, usque ad 1398. diem 22 negotium dilatum est. Hac die Rege ob adversam valetudinem absente, & ob hoc deputatis in Concilio Præsidentibus Joanne Bituriæ, Philippo Burgundiæ patruis, & Ludovico Aurelianensi Regis fratre Ducibus, præsentibus unà cum iis Rege Navarræ Carolo, Duce Borbonio, Comite Nivernensi filio Regis Burgundiæ, Cancellario Franciæ, D. Arnaldo de Corbeya milite, & quodam milite Græco Alexio nomine, ac pluribus militibus & Baronibus Consilii Regis, necnon præsentibus Archiepiscopis Lugdunensi, Rhotomagensi, Remensi, Senonensi, Bituricensi, Auxitensi, Turonensi, Bizuntinensi; Episcopis Baïoiensi, Lexoviensi, Abrincensi, Macloviensi, Constantiensi, Parisiensi, Carnotensi, Cabillonensi, Morinensi, Atrebatensi, Belvacensi, Ambianensi, Silvanectensi, S. Flori, Aurelianensi, Andegavensi, Redonensi, Corisopitensi, Trecorensi, Laudunensi, Suessionensi, Lexoviensi, Magalonensi, Condomiensi, Convenarum, Petragoricensi, Albiensi, Rodocensi, Pictaviensi, Aniciensi, Trecensi, S. Pontii, aliisque innumeris Abbatibus, Prælatis, & Capitulorum Procuratoribus; Universitatumque Parisiensis, Aurelianensis, Andegavensis, Magalonensis, Tolosanæ Magistris & Doctoribus Sacræ paginæ, & utriusque Juris; Rectore Universitatis Parisiensis cum Decanis & Procuratoribus singularum Facultatum; causa Conventus à Simone de Cramaut Regis Consiliario & Patriacha Alexandrino exposita est: An scilicet expediret ad executionem viæ Cessionis, substrahere se ab obedientia Benedicti; & an substractio illa foret integra, an tantùm ex parte, in iis nempe quæ spectabant pecuniarias res, necnon Episcopatuum, Dignitatum Beneficiorum, aliorumque Officiorum provisionem.

Tertius conventus Gallicanæ Ecclesiæ de pace, in quo statuta substractio.

Aderat conventui Matisconensis Episcopus à Benedicto missus. Huic adjuncti sunt sex ex iis qui ei maximè favebant, ut partem ejus tuerentur, & totidem ex altera parte electi sunt. Tres ex parte Benedicti sententiam dixerunt adversùs substractionem: institerunt è contra Patriarcha Alexandrinus, & Abbas S. Michaëlis. Latè etiam eâ de re disseruit Ægidius de Campis. Lecta est Universitatis Parisiensis sententia de substractione impræsentiarum in totum facunnda. Post varias utrimque disputationes, à singulis vota non solùm voce, sed & scripto emissa sunt.

Ter centum dixere sententiam, præter Universitates. Ex iis septem supra ducentos & qua-

 dra-

1398. draginta censuerant sine morâ substrahendam esse omnino obedientiam Pontifici, donec viam Cessionis acceptasset. Viginti circiter existimabant, inpræsentiarum id quidem statuendum; at hujus Decreti executionem protelandam, donec admonitus esset Pontifex: sexdecim verò priusquam aliquid deceneretur Cleri nomine, conveniendum esse Pontificem Benedictum arbitrabantur; ac deinde eos omnes qui ei parebant convocandos, & quod communi consilio deliberatum ac conclusum foret, executioni mandaretur. Pauci in varias abiere sententias. Universitates pro substractione omnis obedientiæ steterunt, eademque fuit plerorumque Principum ac Procerum Regni opinio, si Ducem Aurelianensem aliosque paucos excipias. Ad Regem deinde quæ in Comitiis dicta & gesta erant relata sunt à Ducibus Bituricensi & Bergundiensi, qui iis auditis, secundùm majorem suffragiorum numerum concludendum esse decrevit, impræsentiarum & sine dilatione faciendam esse substractionem. Quam Regis voluntatem Concilio significavit die 28 Julii Arnaldus de Corbeya Regis Cancellarius; astantibusque, Regis nomine mandavit, ne discederent priusquam de iis quæad executionem hujus substractionis pertinebant deliberatum esset, ut occurreretur iis incommodis quæ ex illa oriri poterant: adjecit insuper, Regis mentem esse, ut Ecclesia Gallicana antiquis Libertatibus ac Immunitatibus frueretur.

Observanda tempore substractionis. Inde hæc inposterum, tempore substractionis observanda, proposita sunt. 1. Ab substractione non esse recedendum propter Judicia quæ in contrarium pronuntiarentur à Benedicto, & Sententias quas ferret in eos qui sibi non obedirent, cùm nullius ea de se sint roboris, & ne quidem ab eis appellare necesse sit: attamen ut meticulosiorum conscientiæ succurratur, provocationem permitti, in quantum eâ opus sit. 2. In iis casibus qui Domino Pontifici reservati sunt, Absolutionem peti posse à Pœnitentiario Romano, si quidem à Benedicto deficiat; aut ab eo quem Cardinales ipsi subrogabunt, vel secùs, ab Episcopo Diœceseos. 3. Circa Dispensationes ad Matrimonia in gradibus prohibitis contrahenda: si earum obtinendarum gravis necessitas urgeat, has ab Ordinario concedi posse, aut à Collegio Cardinalium. 4. Quantùm ad eos quibus quædam à Pontifice concessa fuerant, de quibus adhuc lis sub Judice erat, statutum, ut nullus Beneficio sibi concesso gauderet, nisi ante substractionem factam negotium peractum sit. 5. Nec Regem, nec Episcopos Gallicanos passuros inposterum, autoritatem Præsulum Regni à Pontifice, ut antea factum est, usurpari, confundi aut infringi, inprimis quantùm ad collationem Beneficiorum; & pristinas Ecclesiæ Gallicanæ Libertates restituendas esse. 6. Eos qui juramento obstricti sunt aliquid dare Pontifici, eo per substractionem obedientiæ solutos esse. 7. Regi dandam operam esse, ut omnes exactiones quales sunt vacationum, procurationum &c. inposterum tollerentur. 8. In Appellationibus eandam formam observandam quæ in usu est, Sede vacante, secundùm ordinem Juris; ut ab Episcopo ad Metropolitanum, & à Metropolitano ad Concilium Provinciale singulis annis habendum appelletur. 9. Omni anxietate deposita, cunctis Regni incolis probandam esse obedientiæ substractionem. 10. Quantùm ad confirmationem electionum, quæ sunt apud exemptos, cautum est, ut per Ordinarios locorum fiant; & tamen, sine exemptorum præjudicio quibus litteræ concedentur, nullum inde Jus in eos ab Ordinariis acquiri.

Substractionis Edictum. His constitutis, Rex Edicto publico, post narrata ea omnia quæ in negotio schismatis gesta erant, declaravit se, Clerum, Regnumque suum recedere ab obedientia totali Benedicti, nullâ de ejus adversario facta mentione, cùm nunquam ipsi in Regno præstita fuisset obedientia. Datum est istud Edictum 28 Julii Anni 1398. Publicatum & Actis Curiæ insertum die 29 Augusti. Specialibus quoque litteris Rex edixit, ne quis subditorum suorum, cujuscumque dignitatis foret, Benedicto, ejusque Officiariis pareret. Cavit etiam, ut Collationes & electiones Beneficiorum liberè omnino fierent ab iis ad quos de Jure pertinebant; ac denique Scribis Apostolicis injunxit, ut Instrumenta sua inscriberent, *Ab Electione D. Benedicti ultimo in Papam electi, Anno* &c. non autem ut moris erat, *Anno Pontificatus D. nostri Papæ.*

Legatio ad Benedictum ut cederet: renuens in Arce Avenionensi oppugnatur. His perfectis, Rex Petrum de Alliaco ad Benedictum misit, qui abdicationem ei persuaderet, & ad Cardinales Nuntios misit, qui eos hortarentur, ut substractionem obedientiæ factam in Gallia probarent, atque ipsi similiter ab obedientia Benedicti recederent. Annuêre Cardinales, & utrumque per litteras Regi significarunt. At Benedictus, ut erat vir intrepidi animi, Pontificatu se abdicaturum negavit, & Cardinales qui secesserant à se Censuris ac minis deterrere conatus est. Verùm illi ne incarcerarentur, Avinione discedunt & ad Novam-villam sex millibus ab Avinione distantem sese conferunt. Tum Bussicaldus, Franciæ, ut aiunt, Marescallus, copiis admotis, urbem Avenionem coronâ cingit, & civibus portas aperientibus in urbem ingressus, Benedictum intra Arcem compulit, eamque oppugnare cœpit. Post aliquot oppugnationis dies, ab armis ex utraque parte cessatum. Mandatum tamen Bussicaldo, ne Benedictum Arce exire, & thesauros Ecclesiæ exportare sineret. Tum duo Cardinales, Pampelonensis, & alius nomine Bonifacius, qui soli Clementi addicti permanserant, fugam mutato habitu tentantes comprehensi sunt, & in carcerem conjecti, in quo alter obiit; alter nonnisi magnâ vi pecuniæ datâ liberatus est.

Substractio probatur à pluribus. Mense Octobri Dux Aurelianensis qui semper Benedicto faverat, in Conventu quem Parisiis in Valli-scholarium egerat, publicè se substractionem probare professus est. Eamdem hoc & sequenti anno amplexi sunt Rex Castellæ, Dux Bavariæ, Rex Navarræ, Regina Siciliæ, Leodienses, Cameracenses, Bizantini, aliique. At Rex Arragonum, audita obsessione Pontificis Benedicti, commiseratione motus, ab eo non modò non secessit, sed ejus partes accuratiùs fovit. Interim Cardinales qui ab obedientia Benedicti recesserant Villæ-novæ commorantes, ad Regem Galliarum Legatos miserunt Cardinales tres, Pictaviensem, de Tureio & Saluciensem. Isti à Rege benignè excepti, petierunt ut Benedictus in ejus potestate esset, ut cœteri Principes qui Bonifacio adhæserant, ab hujus pariter obedientia desciscerent, neu Rex Arragonum Benedictum exciperet, ut substractionis tempore Privilegiis, Immunitatibus & reditibus liberè fruerentur, & Gratiarum Expectativarum quas ante substractionem obtinueraut fructum consequerentur, atque ut Ecclesiis vacantibus ac vacaturis ante electionem Pontificis, provideretur, utque earum fructus ac reditus sumptibus ad unionem faciendam necessariis reservarentur.

Indigna visa sunt hæc postulata, nec aliud iis à Regis Cancellario responsum, quàm statuisse Regem Concilium habere mense Februario, in quo res hujusmodi in deliberationem mitterentur. Tantùm verò abfuit ut Gratias Expectativias approbaret, ut è contra eas omnes publico Edicto dato die

die 7 Maii anni 1399, omnino tolleret, & in omni ditione sua locum habere prohiberet. 1399.

Benedicto non tam timendum erat à Rege, quàm ab Avenionensibus civibus ipsi infensis, & qui eo capto, prædam sibi paratam esse existimabant, & Cardinalibus, qui novum Pontificem creare mirum in modum cupiebant. Rex Legatos ad eum miserat, Abbatem S. Michaëlis, Guilielmum Tignonvillæum Equitem, & Ægidium de Campis (quibus datum erat in mandatis, ne ipsi debitos Summo Pontifici honores deferrent.) Iis Benedictus promisit Instrumento dato 20 die Aprilis anni 1399 abdicaturum se Pontificatu, si Bonifacius intrusus aut cederet aut moriretur, quo facto tertius eligeretur. Interim Regem rogabat, ut Avenionensium, & Cardinalium vim cohiberet, pollicitus arma se positurum. Hoc insuper adjecit, se adfuturum Concilio, quod ad pacem Ecclesiæ reddendam haberetur, modò stipatus centum comitibus adveniret, qui sub Regis tutela essent, quibus ad victum necessaria præberentur, integrâ nihilominus substractione. His promissis, Legati Regis litteras Pontifici tradiderunt, quibus eum Rex sub tutelam suam accipiebat; datisque ipsi custodibus, cum Cardinalibus & Avenionensibus civibus pacti sunt, ne quid Benedicto fieret injuriæ.

Cessio à Benedicto promissa.

Emissi sunt per id temporis à Theologis & Canonistis Tractatus pro substractione & contra substractionem: sed missis aliis, quæ fuerit circa eam Gersonii mens, quæque de illa tum scripserit paucis aperiemus. Variæ erant in ipsa Universitate Parisiensi de substractionis æquitate & utilitate sententiæ: plurimi eam probabant, atque inter eos Petrus de Alliaco, Abbas S. Michaelis, Ægidius de Campis, qui ejus autores fuerant. Hanc è contra acerrimè impugnabat Nicolaus Clemangius domus Navarricæ Baccalaureus, vir doctus & eloquens, qui cùm Cessionis viam priùs ursisset; substractioni tamen ita adversatus est, ut ne Universitati quidem Parisiensi quæ eam approbaverat, pepercerit. Erant qui Bonifacio faverent alii, qui Benedictum, ob pertinaciam, schismaticum & hæreticum declarari poscebant. Acriter utrimque certabatur. Gersonius, ut erat vir mitis ac pacis amans, singularisque prudentiæ, in tam gravi negotio cautiùs & cunctatiùs agendum esse censuit. Statuebat enim primùm, dubiam omnino esse utriusque Pontificis causam, quia nempe pendebat tum ex factis de quibus non constabat, tum ex Juris quæstionibus in utrumque disputabilibus. Nolebat igitur Christianos sese mutuò accusare, aut proscindere, quòd huic vel illi obedientiam præstarent: sed utriusque partis hominibus mutuæ charitatis nexibus vinctis, in eadem Communione, & eorumdem utrobique Sacramentorum participatione permanendum esse censebat. Id ostendit in Tractatu *De schismate*, qui habetur Editionis hujus T. II. p. I. p. 3, & primus est eorum quos de schismate composuit. Viam Cessionis utrique propositam non improbavit, sed inutilem esse haud immeritò credidit, nisi uterque simul de jure suo decederet, & in eam consentirent utriusque obedientiæ Principes & populi. Cùm substractio ab obedientia Benedicti proposita est, exurgentia inde incommoda considerans, non omnino assensus est. Benedicti causam ita defendit, ut Benedictum ipsum minimè excusaret. Substractione facta, stetit Regis, Cleri & Universitatis determinationi: ita tamen ut per eam schisma tunc extinguendum non esse prædiceret. Cùm verò quidam Benedictum tanquam hæreticum, schismaticum & contumacem deponendum esse proposuissent, Joannes Gersonius liberè sententiam dixit, sibi id iniquum videri & ad extinguendum schisma planè inutile. Hæc continet ejus Protestatio, quam in capite omnium de schismate lucubrationum posuimus, quanquam nonnullis posterior sit.

Variorum de substractione sententiæ atque inprimis Gersonii.

Cùm Benedictus in Regis potestate foret, deliberatum est, quâ ratione schismati finis imponeretur. Plerique Concilium generale totius ejus obedientiæ convocandum esse arbitrabantur & deponendum in eo Benedictum, aut pro legitimo Pontifice agnoscendum, rejecto Bonifacio: alii Benedictum, nisi cederet, per vim deturbandum aut etiam occidendum censebant: quidam restituendam ei obedientiam. Gersonius primum, id est Concilium unius obedientiæ inutile animadvertit quippe cujus altera pars nullam rationem haberet: secundum non modò inutile, sed & crudele, indecorum & indignum esse pronuntiavit: tertium opportunissimum esse judicavit, ut, restitutâ sine mora obedientiâ, de restituenda pace pacificè & amicè ageretur. At obedientiam Benedicto restituendam non esse censuit, nisi sub quibusdam conditionibus. Primùm, ut non redderetur ei obedientia in iis quæ pertinent ad Collationes Beneficiorum, & alia Ecclesiæ temporalia. 2. Ut quæ hinc & inde acta erant minimè reprobarentur. 3. Ut Papa & Cardinales sibi mutuò indulgerent. His legibus, restituendam esse Benedicto obedientiam sanxit Gersonius: non quidem ut Benedictus in perpetuum haberetur pro legitimo Pontifice; sed ut obedientiâ ejus resarcitâ & unitâ, posset alteri obedientiæ proponere vias restituendæ pacis in Ecclesia, sive per Concilium generale, sive quacumque aliâ ratione.

Consilium Gersonii de restitutione obedientiæ.

Anno supra millesimum quadringentesimo, indicta est à Bonifacio Papa Romano plenaria, ut vocant, peccatorum remissio, quam vulgò Jubilæum appellant. Rex verò Francorum subditos suos Romam, lucrandarum Indulgentiarum gratiâ, proficisci vetuit; tum ne pauperius regnum fieret, ablatis ad peregrinandum pecuniis, tum ne Bonifacii tanquam legitimi Pontificis autoritas agnosceretur. Ex alia parte Benedictus Avenioni captivus detinebatur, nec ulla ipsi præstabatur in Galliis obedientia. Ita per quinquennium Ecclesia Gallicana nulli certo Pontifici paruit, suisque eam Legibus Regni Præsules rexerunt. Erant tamen qui hujusmodi statum improbabant, atque ut Benedicto quemadmodum antea obediretur suadebant. Tolosana inprimis Universitas id maximè ambiebat, Regique prolixam anno 1401 contra substractionem porrexit epistolam, quâ statum Ecclesiæ Gallicanæ defleat, quæ facta fuerant adversùs Benedictum improbat, substractionem obedientiæ illicitam esse decernit, plura mala quæ ea consecuta sunt describit, atque ut Benedicto inposterùm pareatur consulit. Huic Epistolæ duas responsiones opposuit Parisiensis Universitas, quarum unam habes in Trilogo Gersonii T II Pag. p. I p 88. Mediam inter utrasque viam sequebatur, uti observavimus Gersonius: restitutionem quidem obedientiæ Benedicto suadens, sed certis conditionibus, & eo tantùm fine, ut de resarcienda Ecclesiæ concordia inter utriusque obedientiæ Christianos ageretur. At Joannes Brevicoxæ, aliique Facultatis Theologicæ Parisiensis bene multi, substractionem in publicis Concionibus probabant & contrarium sentientes redarguebant. Nec solùm inter Theologos, sed & inter Principes ipsos studiis utrimque certabatur. Substractionis patroni erant Duces Bituricensis & Burgundus: at

1400. Romam ad Jubilæum eundi prohibitio. Status Ecclesiæ Gallicanæ tempore substractionis, variaque studia partium. 1401.

1403. at Aurelianensis manifeste Benedicti partes tuebatur. Arragoniæ Rex per Legatos de Pontificis detentione conquerebatur, atque ut in libertatem restitueretur urgebat. Rex Siciliæ Ludovicus ad Benedicti partes accessit. Cùm utrimque graves propterea altercationes orirentur, Rex Christianissimus, de Consilii sui sententia statuit die 15 Maii anni 1403, Conventum Episcoporum & Magnatum Regni Parisiis habere, ut in eo inquireretur, utrum magis expediret; an in substractione semel facta perseverare, an ab eâ recedere.

Benedictus è Castro Avenionensi aufugit, & Massiliam venit.

Interea Pontifex die 12 Martii, mutato hebitu delusis custodibus, ex Arce Avenionensi aufugit, & primùm in Castrum Reginaldi, deinde Massiliam sese recepit, nihil secum auferens, præter pixidem in qua Corpus Dominicum continebatur, & litteras Caroli Regis, quibus fides fiebat numquam substractioni consensisse Regem. Mox igitur ad Regem, ad Duces, ad Universitatem dat litteras suæ libertatis indices, polliceturque per se non staturum, quominus Ecclesiæ pax & tranquillitas perfecta restituatur. Statim Cardinales qui deseruerant, obtentâ ventâ, ad eum redeunt, & paulò post Avenionenses in potestatem redegit, Arci imposito Arragonum præsidio.

Ad restituendam obedientiam Benedicto inclinati multorum in Gallia animi.

Tum multorum ad restituendam Benedicto obedientiam in Gallia inclinati sunt animi. Ita ut in multis Ecclesiis hoc anno Parisienses, cereis Paschalibus annos Benedicti veluti Summi & legitimi Pontificis appinxerint, & tabellas Benedictum Papam exprimentes in Basilicis collocarint. At statim illæ per Officiales ad hoc missos Templis sublatæ, ut res in eodem statu manerent, donec aliquid novi ab indicto Conventu statutum foret. Hujus Conventus imminente tempore, Benedictus Cardinales, Prænestinum qui Pictaviensis dicebatur, & Saluciensem ad Regem misit.

Concilium in quo restituitur obedientia Pontifici.

Rex Aureliano Duce suadente, Concilium Præsulum convocat ad diem 18 Maii. In hoc consessu prætentati tantum modò sunt eorum animi. Die 25 ejusdem Mensis, Legati Benedicti intromissi sunt ad Regem. Pictaviensis Orationem habuit, quâ miserum Ecclesiæ statum exposuit; huic nihil adjumenti ex substractione allatum; Cardinales illi eâ mente consensisse, quòd mox futuram pacem crederent; malum è contra crescere, ac necessarium omninò videri sine capite diutiùs non esse. Tùm Regi protestatus est, Benedictum paratum esse id omne præstare, quod Regi & Consilio ejus opportunum videretur, interim rogare, ut sibi ea deferretur obedientia, quæ ab aliquot annis negata erat. Responsum est à Rege, Regni sui Præsules ad id convocatos esse, ut quid facto opus esset consulerent. Benedicto reddendam esse obedientiam contendebant Universitates Aurelianensis, Andegavensis, Montispessulana & Tolosona: in Parisiensi non modicum erat eâ de re dissidium. Theologica Facultas, Natio Gallicana, & Picardica restitui volebant obedientiam: Facultates verò Decretorum, & Medicinæ, cum Natione Normanica refragari videbantur. Anglicana neutrius partis se futuram esse decrevit. Inter Præsules substractionem mordicùs tuebantur Patriarcha Alexandrinus & Cardinalis de Tureio, cum nonnullis aliis Episcopis: at major pars ad restitutionem obedientiæ inclinabat. Dux Aurelianus, tentatis singulorum animis, quos Benedicto favere intellexerat, Concilium convocat die 28 Maii, in quo, absente Rege, ac Biturigum & Burgundorum Ducibus, & omnium scrutatus sententiam; pomeridianis horis Regem cum aliquot Præsulibus adiit, eique omnium ferè vota ad restitutionem obedientiæ inclinare aperuit. Hoc audito Rex, in eamdem sententiam descendere se ait. Tùm nullâ datâ morâ, Aurelianensis raptâ de Altari Cruce, Regem impulit ut ad restituendam Benedicto obedientiam sacramento sese adigeret. Confecto hujusce rei Instrumento, Rex ipse in gratiarum actionem, ac lætitiæ signum, hymnum solemnem *Te Deum* præcantavit. Tam grande negotium præcipitanter adeò confectum fuisse multis displicuit, præsertim verò Bituricensi, & Burgundo Ducibus, qui statim eâ de re querelas suas ad Regem detulerunt: quibus ille respondit, factum istud bono animo ab Aurelianensi Duce, seque restitutionem obedientiæ jurasse tantùm eâ conditione, ut Benedictus illa præstaret, quæ fratri promiserat, sibi, Regno & Ecclesiæ multùm honorifica, & ad pacem maxime conducibilia. Bituricensis haud multò post ad Aurelianensis Ducis sententiam accessit; habitaque sunt Comitia Præsulum, & aliorum Clericorum die 30 Maii, in Palatio Ducis Biturigum, quibus etiam adfuit Dux Bungundiæ. In iis Cancellarius Franciæ dixit; restitutionem obedientiæ Benedicto à Rege juratam esse, sed sub certis conditionibus, quas ab ipso præstandas Dux Aurelianensis pollicitus erat.

Conditiones restitutionis obedientiæ.

Nimirùm 1. Ut viam Cessionis amplecteretur tribus in casibus, cedente scilicet, aut mortuo, aut expulso ejus adversario. 2. Ut omnes protestationes adversùs substractionis viam editas, omnesque lites ejus occasione motas revocaret. 3. Ut nulla substractionis præteritæ, sive in Concilio Generali, sive alibi mentio fiat, & quæ ejus tempore factæ fuerunt in Benedictum, oblivioni tradantur. 4. Ut nihil immutetur circa Collationes, & Promotiones ab Ordinariis factas, tempore substractionis, quas tamen Benedictus confirmare poterit; sed in eorum tantummodò gratiam, qui ab Ordinariis instituti fuerint. 5. Ut inter quinquennium Cocilium Generale suæ obedientiæ haberet, in quo agatur de unione Ecclesiæ, & de diminutione onerum, quibus Ecclesia Gallicana à Curiâ Romanâ gravatur: cui quidem Concilio Benedictus parere teneretur, & ad quod Legati à Rege mitterentur. Ab adstantibus Præsulibus quæsitum est, utrùm his addendum quidquam, aut mutandum censerent. Cùm alii annuerent, alii tempus ad deliberandum peterent, acceptum est à Rege mandatum, ut omnes, cœteris omissis, in Palatium S. Pauli, ubi tunc habitabat, ad se venirent. Cùm illuc accessissent; sine morâ Rex equo conscenso, indè perrexit ad Ecclesiam Cathedralem Parisiensem: secuti sunt eum Duces cum magnâ Prælatorum & Cleri multitudine. Missam ibi celebravit Cardinalis Prenestinus, & Petrus de Alliaco tunc Episcopus Cameracensis Orationem habuit ad populum, in quâ restitutionem obedientiæ, simul & conditiones ejus propalavit. Eodemque die Rex de restitutione obedientiæ litteras, magno Sigillo munitas, emisit, quæ tamen nonnisi mense Junio anni sequentis, in Acta Curiæ Parisiensis relatæ sunt. Eodem die integra Universitas Parisiensis restitutionem obedientiæ probavit, exceptâ solâ Natione Anglicanâ, quæ Bonifacium pro legitimo Pontifice habebat.

Legati ad Benedictum

His peractis, missi sunt à Rege, & ab Aurelianensi Duce ad Benedictum Legati; tum ut gratu-

gratularentur ei de restitutione obedientiæ ipsi factâ; tùm ut ab eo confirmationem conditionum, quibus ea facta erat, impetrarent. Unus è Legatis Ducis fuit Abbas S. Dionysii, electus & promotus tempore substractionis. Is, nomine Ducis, à Benedicto petiit, ut fidem suam liberaret. At re in aliud tempus delatâ, Abbatem S. Dionysii electum in Abbatem nominavit, eique Abbatiam contulit, quasi irrita esset electio & promotio facta tempore substractionis; quæ res Regem non leviter offendit, cùm hoc facto Benedictus unam è conditionibus restitutæ obedientiæ apertè violaret. Missi indè alii duo Legati, Archiepiscopus Aquensis, & Episcopus Cameracensis. Suos quoque Legatos ad Benedictum Parisiensis Universitas misit. Ipse Dux Aurelianensis ad Benedictum venit, ut fidem suam quam obligarat, liberaret. Post habitas cum ipso collationes nonnullas, vulgatum est, Benedictum pactis conditionibus consensisse. Interim, quod ad Beneficia pertinebat, Edictum à Rege emissum est, die 19 Decembris, quo cautum est, collationes Beneficiorum per Ordinarios factas tempore substractionis valituras, deinceps verò Benedictum jure suo usurum. 1403. missi, per quos ab eo conditiones pacis ægrè obtinentur.

Dux Aurelianensis Lutetiam reversus, Benedicti Bullam detulit, quâ conditiones restitutæ obedientiæ probabantur. Lecta ea est in Consilio Regis, in quo Dux Aurelianensis primùm exposuit Pontificis Benedicti in pacem animum, promptamque Ecclesiæ Gallicanæ sublevandæ voluntatem. Hoc facto, Rex litteras restitutionis obedientiæ per universum Regnum promulgari & executioni mandari jussit, Rescripto eam in rem dato nonâ Junii anni 1404. 1404.

Benedictus, ut exsolveret aliquo modo fidem suam, Legatos misit, Petrum Rabanum Episcopum S. Pontii Tomeriensis, & Petrum Zagarrigam Ecclesiæ Ilerdensis electum, ad Bonifacium, de unione Ecclesiæ & extinctione schismatis. Hoc habebant in mandatis, ut cum eo de loco convenirent, in quo unanimiter de modis ineundæ pacis inter se conferrent. Romam advenêre Legati die 10 Kal. Octobris. Bonifacius haud aliter Legatos Benedicti audire voluit, nisi sibi ut Pontifici deferrent. Pro bono pacis id ab iis præstitum: ab Episcopo Tomeriensi Oratio habita, propositumque ex parte Benedicti, ut de pace Ecclesiæ acturi, in locum designandum ambo convenirent. Ægrè tulit hujusmodi propositionem Bonifacius; & cubiculum ingressus, febri correptus, Kal. Octobris obiit. Legatio Benedicti ad Bonifacium.

Eo mortuo, Legati Benedicti in arce S. Angeli à Præfecto Bonifacii consanguineo detrusi sunt, atque interim octo Cardinales qui Romæ tunc erant, Cosmatum Melioratum Sulmonensem in Pontificem elegerunt. Is Innocentius septimus est dictus: & xvi Kalendas Novembris, in Conclavi Cardinales juramento se astrinxerant, ut schismatis abolendi causâ, electus Pontifex Pontificatu se abdicaret, quoties Benedictus idem facere vellet. Legati Benedicti nonnisi solutis 5000 florenis auri dimissi sunt. Universitas autem Parisiensis, auditâ creatione Innocentii VII, & iis quæ in ejus electione acciderant, binas ad eum & Cardinales dedit litteras, quibus eos ad schisma extinguendum cohortabatur: deinde conquerebatur de captivitate Nuntiorum Benedicti. Quibus respondens Innocentius Bullâ datâ XIII Kal. Martii, asserebat, se toto animo schisma detestari, seque ad illud extinguendum paratissimum esse; quod verò ad electionem attinebat, Nuntios Benedicti nullam aliam viam extinguendi schismatis obtulisse, quàm ut duo contendentes convenirent; cùmque morbis gravatus obiisset Bonifacius, Cardinales ab iisdem Nuntiis sciscitantes num mandatum haberent ad cedendum ex parte Benedicti, quoniam ab iis decretum fuerat, si id habuissent, non procedere ad aliam electionem, quousque ad extinctionem schismatis provisum foret, audisse à Nuntiis se mandatum ejusmodi non habere, ac proinde ipsos, ne Ecclesia Dei Rectore careret, processisse ad electionem Pontificis. Quod denique ad Nuntiorum Benedicti captivitatem pertinebat, eos illam sibi imputare debere, qui mortuo Bonifacio, noluissent in urbe manere; incidisse autem in manus Præfecti, ex quibus nec ipse, nec Cardinales, propter tumultus urbis, potuissent eos eripere. Mors Bonifacii IX. Innocentii VII electio. Motus in Urbe.

Hoc tempore non leves in Italiâ & in ipsâ urbe motus excitati sunt inter Gibellinam & Guelphinam factiones, quæ Innocentium VII Pontificatûs initio sollicitum habuerunt. Gibellini libertatem, & Magistratuum in Urbe constituendorum facultatem, quæ Bonifacio concessa fuerat, repetebant. Guelphi nihil immutandum rebantur. Inde ortum in Urbe civile bellum. A Gibellinis Ladislaüs advocatus est. Is arbiter factus, Capitolium Gibellinis, Urbis administrationem Magistratibus à Pontifice nominandis addixit, pontes & portas quas tenebat, eidem adjudicavit. Coronatus inde est Innocentius; sed pax nec diuturna nec fida, Magistratibus Pontifici minimè obnoxiis: quos cùm Ludovicus Melioratus Bonifacii nepos occidisset, tanta repentè seditio exorta est, ut Pontifex & Cardinales fugâ se urbem Viterbiensem subterfugere coacti sint. Ladislaüs tùm urbis per suos occupandæ consilium capit. At cùm id Romani intellexissent, sumptis armis Ladislai fautores ex urbe ejecerunt, & Innocentium revocatum cum gaudio exceperunt.

Dùm hæc in Italia geruntur, Benedictus cupidum se pacis simulans, statuerat Romam ire, ut cum Innocentio de pace Ecclesiæ ageret: at post Legatorum suorum reditum, à proposito destitit; præfatus tamen se quantùm posset, ex parte sua unioni faciendæ allaboraturum. Hac de causa Genuam initio anni 1405 profectus est, ut per Internuntios cum Innocentio Viterbii tunc commorante, faciliùs ageret. Interim Ecclesiasticis bonis decimas imponit, exigique jubet duplicem pensionem, teriis neme Paschalibus, & Remigialibus. Id onus multis fuit grave, visumque ferri non debere. Rector Universitatis eâ de re, magno comitatu Regni Rectores adiit, & de imposito onere conquestus, à Pontificis eâ de re Mandato appellavit: tandemque ne decimas solveret effecit. Tum Legatos de pace ad Benedictum Genuam misit, M. Plaoul sacræ Theologiæ Professorem, Joannem Guioti Decretorum Doctorem, Henricum Doigny M. in Medicina, Guilielmum Pulchrinepotis, & Arnoldum Wtwit Magistros in Artibus & Baccalaureos Theologos. Benedictus se studiosum pacis simulat, & decimas exigere vult. 1405.

Litteræ Innocentii, in quibus pacis studium præ se ferebat, Parisios delatæ, & in Universitatis Comitiis perlectæ, porrectæ sunt Biturigum Duci. Ille protinus alios Legatos ad Innocentium mittit. Ex iis intellectum est, Benedictum minùs sincerè de pace agere; nam pollicitus erat statim post recuperatam libertatem Legatos Romam missurum, qui viam ipsam Cessionis proponerent; & tamen nihil aliud eis in madatis dedisse, nisi ut cum Bonifacio de Legationes & Litteræ de pace Ecclesiæ.

 loco

1405. loco conventûs agerent. Hinc ejus res in Francia retroferri cœperunt; quamvis Princeps Walliæ modò Regis Gallorum impulsu ad ipsius partes accessisset. Rex Castiliæ neutri favens, ad Regni Gallorum Rectores scripsit, ut ad utrumque Legatos pacis causâ mitterent. Benedictus Cardinalem de Challanto Sabaudum in Galliam misit, cum mandatis ad Ducem Biturigum, ne propositis ab Universitate viis nimis insistat; ipsam enim variis studiis distrahi, & quod semel animo conclusit vel concepit, seu benè seu malè, velle pertinaciter tueri. Non tulit Dux talia dicentem Legatum, regessitque non esse audiendos Cardinales, qui viam Cessionis non admitterent. Reversi Legati ab Universitate ad Innocentium missi, retulerunt hunc bis Concilium obedientiæ suæ indixisse, ad quod vocati cùm non convenissent, tertium indixisse, pollicitumque se bonâ fide facturum quidquid in eo ad pacem sanciendam decretum foret.

1405. *Oratio Gersonii ad Regem.* Eodem anno Joannes Gersonius non tantùm Ecclesiæ, sed & Regni saluti incumbens, Universitatis nomine Sermonem habuit ad Regem Carolum, accepto Themate, *Vivat Rex*; qui extat Tom. IV Editionis nostræ, parte 2, de dissidio inter Aurelianensem & Burgundionum Ducem componendo, & de Regni reformatione; quam Orationem Dux Aurelianensis ægrè tulit. Ille tùm temporis cum Regina Meloduni morabatur: sed paucis post diebus copiis collectis, Lutetiam cum ea tendebat. Hinc tumultus in Urbe, quam tamen ingressus non est: sed inter eos pactum conventumque per Internuntios, ut Reges Siciliæ & Navarræ, item Borbonius & Biturix Duces dissidii causas examinent & dijudicent: quo tandem composito, Aurelianus Parisios rediit, & cum Burgundione in gratiam redire visus est.

1406. *Actio Universitatis Parisiensis in epistolam Universitatis Tolosanæ.* Anno 1406 rursum insurrexit adversùs Benedictum Universitas Parisiensis ob ejus tergiversationes & ludificationes: hujus partes è contra tuebatur acriter Cardinalis De Challanto. Petiit is audiri, & auditus est statim à Paschate. Latinè peroravit, præsentibus Ducibus & selectis Universitatis. Schisma primùm detestatus, adversùs Innocentium dixit. Benedictum laudavit, missum se in Galliam pacis ergo professus est, cujus Benedictum adeo cupidum esse dixit, ut si id necessarium videretur, jure suo cedere non dubitaret. Tum Joannes Parvi Normannus Doctor Theologus, ex mandato Rectoris surrexit, petiitque, ut sibi nomine Universitatis loquendi facultas daretur: quâ licèt ægrè impetratâ, die 13 Maji contra tricas & rationes Benedicti dixit luculenter, rationesque à Cardinale prolatas apertissimè confutavit; & tandem conclusit, non posse ipsum aliter adigi ad cedendum, quàm si nunc ut ante substrahatur ei obedientia; simulque postulavit Academiæ Tolosanæ epistolam lacerari, & flammis mandari, ut Regi, Regno, Ecclesiæ Gallicanæ, Universitati Parisiensi, & omnibus bonis injuriosam. Variæ dictæ sunt sententiæ: demùm placuit litis discussionem ad Curiam Parisiensem remitti. Causa nomine Universitatis perorata est à Petro Plaoul Doctore Sorbonico, & Joanne Parvi. Ille adversùs Universitatis Tolosanæ epistolam contra substractionem ab aliquot annis confectam, & recenter ad Regem per Guinonem Flandrin Nuntium missam multa dixit. Hic substractionis obedientiæ Decretum innovandum esse contendit, cùm Benedictus promissis non stetisset, & aliter ad unionem perveniri non posset: ac multis in onera, exactiones, vexationesque, quibus Ecclesia Gallicana à Pontificis Curia premebatur invectus est; utque ab iis Ecclesia Gallicana & Universitas liberarentur, postulavit. Causâ peroratâ, Juvenalis de Ursinis Advocatus Regius dixit, ac Universitatis Tolosanæ epistolam seditiosam, ejusque Autores læsæ Majestatis reos esse pronuntiavit, utque igni traderetur, in ejus Autores animadverteretur, & omnia exemplaria ad Curiam afferrentur, autor fuit. Quod ad substractionem pertinebat, faciendam eam esse censuit, juxta Parisiensis Academiæ consilium; cùm præsertim restitutio obedientiæ facta non esset, nisi sub certis conditionibus, quas Benedictus posthabuerat. Reges, Ecclesiæ Gallicanæ Patronos, id semper curasse ostendit, ut Libertates & Privilegia ejus salva tectaque essent: Benedictum iis non levem plagam intulisse, dum vectigalia, decimas, aliaque onera imposuit, quæ veteribus ignota erant. Hujus Oratione finitâ, Præses inquisivit, num aliqui adessent causæ Benedicti Patroni. Surrexerunt quidam ignobiles, à quibus allegatum est, rem esse magni momenti, in qua de Summo Pontifice & Cameræ Apostolicæ Jure agebatur: petierunt adjungi sibi Doctores, & moram ad deliberandum. Instante Universitate, ut quoniam negotium urgeret, sine dilatione judicaretur, res in deliberationem missa est. Aderant inter Judices non tantùm Consiliarii totius Senatus Parisiensis, sed & Præsules, Patriarcha Alexandrinus, Turonensis Archiepiscopus, Tornacensis, Meldensis, Sagiensis, & Santonensis Episcopi. De Tolosanæ Universitatis epistola per sex dies actum: tandemque die 14. Julii statutum, eam ut Regi, Clero Gallicanò, & Universitati Parisiensi injuriosam ac diffamatoriam, Parisiis, Tolosæ, & in ponte Avenionensi publicè lacerandam; & injungendum cunctis, ut exemplaria ejus, quæ penès se habuerint, ad Curiam intrà tres menses deferant. In eam sententiam Senatusconsultum editum est, die 17 ejusdem mensis Julii.

Substractionis quoad pecuniarum solutionem Decretum. Neque his contenta Universitas Parisiensis, institit substractioni quoad pecuniarum sebventionem, Decimarum exactionem, & Gratiarum Expectativarum concessionem. Quod ut intellexit Cardinalis, qui à Benedicto venerat, ad Benedictum rediit. Rex verò ne toties importunis querelis vexaretur, statuit quod supererat exequendum eidem Curiæ demandare. Mandatum attulit Carolus Savoisius probè sigillatum, & hoc pacto Universitatis gratiam recuperavit. In Senatu actum est tantùm de substractione partiali. Auditus est Joannes Parvi Doctor Theologus, cui astipulati sunt Cognitores Regii: & undecimâ die Septembris statutum, ne ampliùs solverentur in Regno Annatæ, seu reditus anni vacantium Episcopatuum, aut Beneficiorum, aut id quod pro jure Procurationum, seu Visitationum à Pontificiis Exactoribus percipi solebat.

Mors Innocentii VII. Electio Gregorii XII. Restabat è tribus ab Universitate propositis tertium, quod erat de substractione omnimoda. Sed hæc materia, quia difficilior & periculosior, Ecclesiæ Gallicanæ Conventui propemodùm celebrando relicta est. Interim moritur Innocentius, VIII Idus Novembris ejusdem anni, cui Cardinales Romani numero 14, pactis conditionibus de via Cessionis, substituerunt M. Angelum de Corario Venetum Patricium, Doctorem Theologum: is Gregorii nomen assumpsit.

Conventus Parisiensis Verùm antequàm electionis hujus Nuntius in Galliam perveniret, sub finem Novembris inchoata

chöata est Synodus Parisiensis, cui adfuerunt 64 Archiepiscopi vel Episcopi, Abbates quamplurimi, Legati Universitatum quamplures. Electi sunt sex ex utraque parte Doctores, quorum alii substrahendam esse Benedicto omnimodam obedientiam contenderent, alii contra pugnarent, non recedendum ab obedientia Benedicti. Primi dixerunt, Franciscus ad Boves Franciscanus, & Joannes Parvi, quorum alter ostendit, Romanos Pontifices in ordinem cogi posse: alter narratis iis quæ gesta fuerant cum Benedicto, tot ejus promissa hucusque vana commemorans, tot Regis, aliorumque Principum conatus irritos, tot Benedicti tergiversationes, tot ac tantas Ecclesiæ Gallicanæ vexationes, Benedictum peremptorio Decreto monendum censuit, ut juri suo cederet, & ni sine morâ id faceret, ab ejus obedientia recedendum, & Ecclesiæ Gallicanæ regimen Conciliis Provincialibus committendum. Die Sabbati I Adventûs, Petrus Cramaudus similiter contra Benedictum peroravit, assumpto hoc Themate; *Congregati sunt filii Israël & Juda, ut ponant unum caput sibi.* Ostendit positos esse Romanos Pontifices ad Ecclesiæ unitatem conservandam, ac proinde rejiciendos eos, qui non modò illam non fovent, sed ei maximè obsunt, qualis est Benedictus. Deinde quâ ratione Ecclesia, substractionis tempore, ab Episcopis, Metropolitanis, Primatibus, & Provincialibus Conciliis regi posset exposuit. Cùm dixisset, Cancellarius Regni admonuit, ut qui pro Benedicto dicturi erant, die Lunæ proximâ parati accederent, qui moram unius mensis postulantes, bidui tantùm acceperunt. Ergo die Mercurii pro Papa dixit Gullielmus Fillâtre Legista Decanus Ecclesiæ Remensis, præsente Rege, ac præsentibus Bituricensi & Borboneo Ducibus, & Petro Navarræo. Initio Orationis protestatus est, se Regis jussu partes Benedicti tueri, nec dicturum se quidquam, nisi quod ex Deputatorum ejus Commentariis hauserit: Pontificis Romani tantam esse autoritatem contendit, ut ne ab universis quidem Christianis damnari possit, multò minùs à Concilio paucorum hominum unius Gentis: Reges equidem Galliæ Romanæ Sedis invasores aliquando expulisse, nunquam autem idem in legitimos Pontifices tentasse: hæreticos ab Ecclesia damnatos à Regibus proscribi, sed de hæresi ipsâ ab iis minimè cognosci. Ita præfatus, Orationem in tres partes distribuit. Prima spectabat ea, quæ ante substractionem facta fuerant. Secunda, statum Ecclesiæ tempore substractionis. Tertia, ea quæ substractionem subsecuta erant ad hoc usque temporis. Restitutionem obedientiæ necessariam fuisse contendit, factamque non ad tempus, sed in perpetuum. Itaque in ea permanendum esse, nec de substractione cogitandum censuit. 1406. de substractione, Acta.

Die Sabbati iterum Fillaster Orationem habuit, ac post eum Amelius de Brolio Archiepiscopus Turonensis dixit similiter pro Benedicto.

His accessit undecimâ Decembris Petrus de Alliaco Episcopus Cameracensis.. Is non secùs ac Fillaster dixit vehementissimè; Fillaster quidem extollendo Pontificiam autoritatem, Regiamque deprimendo; Alliacensis verò contra Universitatem, cujus consilia conatusque redarguit. At ille dictorum veniam à Rege petiit. Is in Comitiis Universitatis accusatus, ad Regem provocavit.

Die 14 ejusdem mensis; Petrus le Roi Abbas S. Michaëlis pro Universitate & substractione loquens, multa dixit de autoritate Conciliorum generalium in Papam, de collatione Beneficiorum per Ordinarios, & adversùs exactiones Pontificias. Excepit Simon Cramaudus, respondítque ad ea, quæ Fillaster & Amelius Turonensis dixerant.

Die 15, Petrus Plaoul Doctor Theologus pro Universitate dixit, & ostendit hominem Ecclesiæ universæ, quæ Christi corpus est, Dominum esse non posse; Papam errori obnoxium & peccato, non autem Ecclesiam; ipsum ab Ecclesia emendari & puniri posse; Ecclesiam Romanam Diœcesim esse sicut & Parisiensem, sed eum qui Romanam regit, toti Ecclesiæ præsidere; Sedem Apostolicam deficere non posse, eique adunatos licèt ab eo qui in illa sedet divisos, in Ecclesiæ unitate esse; Regem posse Concilia convocare in negotiis etiam Fidei; Potestatem Papæ ministerialem esse tantummodò, Regiam autoritativam ac potestativam, multaque alia hujusmodi, hac & sequenti die edisseruit.

Rursùs auditi deinde Fillaster & Archiepiscopus Turonensis contenderunt, neque Regem, neque Conventum rei de qua agebatur Judices esse posse; Pontificem ipsis etiam generalibus Conciliis superiorem esse. Auditi quoque Patriarcha Alexandrinus, qui Ecclesiæ Gallicanæ Libertates ac Jura extulit; & Joannes Parvi, qui Conciliorum generalium autoritatem defendit, ac sententiam Universitatis de substractione, iterum confirmavit.

Die 20 Septembris præsente Delphino, auditus est Joannes de Ursinis Advocatus generalis. Is posita Regiæ & Spiritualis autoritatis distinctione, ostendit Regis esse Synodos convocare, & consulere Regni sui Præsules circa unionem Ecclesiæ, iis præsidere, ac ex Sententia Synodali concludere: Pontificem verò Jus nullum habere in personas & bona Regni. In exactiones Pontificias multa dixit, ac tandem conclusit, de re proposita deliberandum esse. His actis, dictæ sunt sententiæ de duobus capitibus; in primo quidem conformes, scilicet ad obtinendam Ecclesiæ pacem opus esse Concilio generali; in altero discordes: decretum tamen juxta sententiam communem, substractionem esse promulgandam, Beneficiorum Ecclesiasticorum collationes & dispositiones penès Prælatos remansuras ut antè, dùm prior substractio vigebat, pristinas Regni & Ecclesiæ Libertates, & Jura immota manere.

Advenerunt eo tempore Legati Gregorii, & Cardinalium Romanorum, exposueruntque Innocentii obitum, Gregorii promotionem certis legibus, ut qui foret electus, procuratione potius ad deponendum Pontificatum munitum, quàm Pontificem se factum intelligere posset; demum electam unanimiter viam Cessionis. Placuit hoc Regi, Regisque Consilio. In eamdem sententiam ad Regem, ad Duces, & ad Universitatem Parisiensem plures epistolæ Româ missæ sunt. Legatio Gregorii & Cardinalium Romanorum.

Ne autem Ecclesiæ Gallicanæ Sanctio de via Concilii generalis, deque substractione foret irrita; jussa est Universitas suas Propositiones & Conclusiones Concilio tradere: tradiditque die 3 Januarii, cum litteris ad Regem. Conclusiones erant. Conclusiones Universitatis, de substractione.

1406.

CONCLUSIO I.

„ Quòd quicumque Prælatus etiam Papa, etiamsi non juraverit cedere, pro unione tamen Ecclesiæ, & pro tam gravi scandalo vitando, sicut est schisma præsens, & aliàs sedari „ non potest, tenetur cedere etiam invitus.

CONCLUSIO II.

„ Quòd Papa qui juravit, pro unione Ecclesiæ, cedere, quotiescumque videtur Collegio „ DD. Cardinalium, vel majori parti eorum, obligatus est Deo propter jusjurandum; quia „ juramentum dirigitur in Deum principaliter, & Deo principaliter obligatur & Ecclesiæ „ militanti, in cujus favorem unio fienda est. Nec tale juramentum per hominem est re- „ missibile; sicque Ecclesia aliam viam admittere non tenetur, cùm per præmissa sit Jus in „ Papam, & Christo & Ecclesiæ.

CONCLUSIO III.

„ Quòd Papa qui juravit cedere pro unione Ecclesiæ, quotiescumque videtur Collegio „ DD. Cardinalium, vel majori parti, hoc viso vel deliberato per eosdem Cardinales, tene- „ tur cedere, & expresse recusans perjurus est, & infidelis Deo & hominibus, & malè sen- „ tiens de Fide, & tanquam de Fide suspectus, potest de hæresi accusari, & nisi cedat, recu- „ sans pertinaciter, tanquam hæreticus per Concilium Prælatorum declarandus.

CONCLUSIO IV.

„ Quòd electus in Papam eâ intentione, quòd cedet quandocumque, & sine quo aliàs non „ fuisset electus, de qua intentione apparet per juramentum ipsorum Cardinalium; si ex hoc „ pertinaciter contradicit, cedere requisitus solemniter, ex tunc talis non est reputandus Papa, „ sed ab ejus obedientia liberè recedi potest, etiam sine declaratione.

CONCLUSIO V.

„ Quòd Papa notoriè faciens contra juramentum suum proprium, est notoriè criminosus cri- „ mine pessimo, & per hoc contumax & rebellis, sicque, quia contumacia notoria super cri- „ mine tam notorio est hæresis, est tanquam hæreticus habendus & prosequendus.

CONCLUSIU VI.

„ Quòd quia perjurium respicit directè Dei irreverentiam, quæ propriè est Christianæ Re- „ ligioni contraria, Principes sæculares, qui perjuria puniri possunt, consurgentes contra Pa- „ pam, ut præmissum est, notoriè delinquentem, aut cogentes eum cedere, merentur apud „ Deum, & sunt duntaxat Jurium executores, ac juramenti violati presecutores; nec resistit „ personæ qualitas, cùm per præmissa reddiderit se indignum privilegio Clericali, & dignitate „ Papali.

1407. *Decretum de Substractione.* Post hæc factum est Decretum Ecclesiæ Gallicanæ de Substractione die 7 Januarii, cujus hæc est conclusio. *Deliberatum est per omnes, quòd supplicetur Regi, quòd ipse prohibeat, & faciat prohiberi omnibus Regnicolis & subditis suis in Delphinatu, quòd nullus audeat impugnare, aut damnare viam Cessionis, vel dogmatizare contra eam, nec etiam contra substractionem aliàs factam, directè vel indirectè; & quòd facta & ordinata tempore substractionis prædictæ, secundùm formam litterarum ejusdem, valeant & teneant inviolabiliter. Et supplicetur etiam Regi, quòd facta quomodocumque in contrarium reparentur, & reducantur omnino ad statum pristinum & debitum.*

Hanc Gallicani Conventus sententiam probavit Rex, & confirmavit litteris datis die 14 ejusdem mensis Januarii, lectis & publicatis in Curia die tantum 23 Martii.

Legati Regis ad Gregorium & Benedictum, eorumque mandata. Porrò Rex ut tam sanctum, tamque necessarium urgeret negotium, quanquam juxta prædictum Ecclesiæ Gallicanæ Decretum suctractionem promulgare constituisset, supersedendum tamen aliquamdiù ratus, ut utriusque Pontificis mentem, de unione Ecclesiæ jam toties tentatam, postremò tandem experiretur, solemnem ad utrumque Legationem mittit.

Princeps Legationis fuit Simon Cramaudus Patriarcha Alexandrinus, cui adjuncti è Præsulibus, Archiepiscopus Turonensis; Episcopi Bellvacensis, Meldensis, Cameracensis, Trecensis, Ebredunensis; Abbates S. Michaëlis, Gemmeticensis, S. Dionysii, Claræyallensis, & S. Stephani Divionensis: è Proceribus Regni, Faius Belloquadræ Senechallus, Calvillæus Eques, Guillelmus Borratus Libellorum supplicum Magister: è Theologis, Ægidius de Campis Regis Eleemosinarius Decanus Rothomagensis, Guil. Fillaster, Dominicus Parvi, Joannes Brevicoxa, Gersonius noster, Petrus Plaoul, Joannes Parvi: è Decretistis, Godefridus de Pompadour, Radulphus de Refugio, Joannes Guiot, Robertus de Querneio: è Medicis, Joannes Voignon, & Henricus Doigny: ex Artistis, Petrus Cauchon, Eustachius de Fauquemberg, Guil. Pulchrinepotis, Jacobus de Noivano, Arnoldus Witwith, cum Joanne Borulleto Regi à secretis, & Joanne Benel Duce Aquitaniæ, pariter à secretis. Iis Carolus Rex in mandatis dedit, ut Benedictum & Gregorium requirant, ut apertè & sine ambagibus, ac semotis conditionibus viam Cessionis acceptent, & Bullas ad id intra terminum decem dierum à die requisitionis edant. Obsecrent eos & obtestentur, ut ad evitandam difficultatem itinerum, pericula personarum, querelas litium, aliasque moras, absentes velint cedere, aut per litteras Procuratoribus datas, provisionibus congruis ita prudenter adhibitis, ut alteri de altero nullus metus

metus fraudis esse possit; Benedictum primùm adeant, qui, si dicat responsum certum se non 1407.
daturum, nisi priùs Romani animum perspexerit, per eos requiratur, ut ad vitandas moras, spondeat se cessurum esse, si alter cedat, & pari formâ Cessionem facturum. Quòd si noluerint ambo cedere, nisi postquam convenerint, non id videri impediendum. At si Papa Benedictus subterfugia quæsierit, & aliam viam Cessionis prætulerit, & negotium protrahere conatus fuerit, aut si altero per Procuratores cedente, ipse velit cum eo priùs convenire, ac nisi intra finem decem dierum ab admonitione primùm facta, viam Cessionis approbaverit, & intra decem alios dies de circumstantiis ad hujus executionem spectantibus convenerit; declarat Rex, se juxta Concilii Ecclesiæ Regni sui, & Universitatum Parisiensis, Aurelianensis, & Andegavensis sententiam, ab eo veluti schismatico & ab Ecclesia præciso recessurum, nec ei ulteriùs obedientiam præstiturum; utpote per quem steterit, quominùs schismate extincto, pax desiderata Ecclesiæ reddita sit: simili pœnâ statutâ in Cardinales, qui ejus proposito faverint. Qui verò ex illis. Regis sententiæ astipulabuntur, vult eos cum altero Collegio, ad unici Romani Pontificis electionem favendam, convenire; sin omnes recusent, Legatis suis injungit, cum parte altera de pace & unione Ecclesiæ sancienda tractent. Datum fuit hoc Diploma die 18 Februarii, anni 1407: simulque duo alia emissa, quibus Annatæ aliæque Pontificiæ exactiones severissimè prohibentur.

Gregorius interim, ut sacramento quo tenebatur sese saltem in speciem exsolveret, litteras ad Benedictum, & ad Reges, ac Principes misit, quibus significabat, paratum se esse jure suo cedere, si modò Benedictus juri quoque suo renuntiaret. Respondit Benedictus, sibi & Cardinalibus suis opportunum videri, ut cum eo convenirent, & de pace agerent; paratumque se esse juri suo nudè & simpliciter renuntiare. Nec litteris contentus Gregorius, Legatos etiam misit Massiliam ad Benedictum, Antonium Episcopum Boloniensem, Guilielmum Tudertinum Episcopum, & Antonium de Butrio Doctorem in Decretis. Actum inter eos & Benedictum de loco Conventus quo uterque Pontifex commodè & securè posset sese conferre. Non paucæ hinc & inde urbes propositæ, ac demum de Savonæ urbe utrimque convenit.

Gregorii & Benedicti ludificationes & tergiversationes.

Cùm hæc agerentur, advenêre Regis Galliarum Legati. Cùm autem Aquas-Sextias pervenissent; huc ad eos missus ex parte Legatorum Gregorii, Tudertinus Episcopus, quem alii duo paulo post consecuti sunt: ex parte verò Benedicti, Cardinalis de Tureyo: Legatos quoque Regis adiit. Ii à Benedicto honorificè excepti: cui cùm Legationis suæ causam exposuissent; longam & ambiguam Orationem habuit Benedictus, quâ modò suam potestatem efferebat, modò Regis in hoc negotio curam & sollicitudinem laudabat, Cessionis viam modò eludens, modò eam à se probari affirmans: nihilominus in fine Orationis, se juri suo cessurum promittere visus est. Sed cùm postridie urgeretur, ut Bullam Cessionis daret; iterum tergiversari cœpit, & rem ad Cardinalium Collegium remittere. Ab iis à Gersonio requisitum est primùm, ut si contingeret Benedictum mori, ab electione alterius Pontificis abstinerent; alterùm, ut altero ex duobus contendentibus mortuo, in id incumberent, ut à duobus Collegiis Cardinalium in unum convenientibus, unius legitimi Pontificis fieret electio.

Adjunxit Patriarcha Alexandrinus, Cardinalium esse, non tantùm rogare, sed etiam cogere Papam, ut postulatis à Rege satisfaceret. Collegii Decanus, Collegii nomine pollicitus est, se omni operâ nisum iri, ut petitum Diploma Benedictus concedat: sed in casu obitus unius è contendentibus, fieri non posse ut ad electionem eos admittant, quos pro Cardinalibus non habent. At Benedictus privatim Episcopo Cameracensi, aliisque nonnullis è Legatis dixit, Bullis opus nequaquam esse, fidem suam abundè sufficere; si quid amplius postularetur, id per vim extortum visum iri. Ac postea discedentibus die 29 Maii Legatis omnibus & Diploma flagitantibus, id haud obscurè negavit, dicens se jam eorum petitioni satisfecisse, & litteras ad æmulum suum misisse, quibus viam Cessionis proponebat.

Ita digressi Aqua-Sextia Legati, alii denuntiandam substractionem putant, alii malunt differre donec à Gregorio reditum fuerit. Vicit hæc sententia. Tunc Patriarcha Alexandrinus cum plerisque Legatis ad Gregorium proficiscuntur, Turonensi Archiepiscopo & Abbate S. Michaëlis Massiliæ relictis; tum ut Benedicti de cedendo consilium foverent, tum ut si fortè è vivis excederet, obstarent ne aliquis à Cardinalibus in ejus locum eligeretur. Abbas S. Dionysi, & Decanus Rothomagensis Lutetiam redierunt, ut quid à Legatis gestum esset Regem edocerent. Hi benignè à Rege & Principibus excepti: at Universitas Parisiensis à Lgatis nihil actum esse intelligens, quòd versipelli homini à quo toties delusi erant temerè fidem adhibuissent, Legatos misit ad Regem, qui litteras substractionis Beneficiorum promulgari peterent, simulque suos a Sermonibus & Scholis cessaturos esse prædicerent.

Hunc Rex impetum cohibuit, facta spe felicis negotiationis, cùm contendentes duo in unum convenissent, quod propediem eventurum erat. Eandem spem unionis brevi faciendæ dabant Gregoriani Legati, qui ad Regem venerant; quorum audita Legatione, Rex Gregorium per litteras hortatur, ut constans sit in prosecutione unionis: & similiter Collegium Cardinalium illius obedientiæ, ad eam promovendam aliis litteris invitat. At Gregorius non minùs retinendi Pontificatus erat cupidus quàm Benedictus: in eoque proposito confirmabatur à Ladislao Neapolitano Rege, metuente ne si Gallus ad Pontificatum eveheretur, Ludovico Andegavensi de Siciliæ Regno secum contendenti faveret.

Itaque cùm ad eum venissent Legati Regis & Benedicti, de loco Conventus convenire noluit, Savonam sibi suspectam causatus, atque aliunde sibi ad iter suscipiendum sumptus nullos esse. Has & alias moræ rationes cùm subinde protulisset, non aliud responsum Legatis dedit, quàm se propediem ad Castellum Petræ-Sanctæ venturum ac inde cum adversario acturum.

Benedictus de Savona cùm convenisset, mutare noluit & eò se contulit. At Gregorius huc venire renuit, & Pisas aut Liburnum proposuit. Hinc inter utrumque variæ altercationes, quibus tandem apparuit neutrum bona fide agere; sed ambos ad retinendum Pontificatum colludere, cœterosque qui pacem optabant, deludere.

Quæ cùm in Galliam essent perlata, Parisiensis Universitas paci Ecclesiæ promovendæ 1408.
semper intenta, re in pluribus Comitiis agitata, tandem decernit, sibi videri promulgandam ab
utro-

Substractio

1408. utroque subſtractionem, neutrique parti favendum. In eam rem litteras circulares conſcribit, quæ Sigillo Facultatum omnium ac Nationum munitæ fuerunt & emiſſæ die 27 Decembris. Hanc ſententiam probavit Rex, & (die 12 Januarii 1408.) utrique Pontifici ſcripſit, niſi juramenta & vota ſua de Ceſſione & pace toties repetita impleant, in neutralitate permanſurum, alioſque Principes ad eam ſimiliter eligendam & amplectendam adhortaturum. Ne autem temeritatis & inconſtantiæ argueretur, quod primùm Clementi, deinde Benedicto obedientiam præſtitiſſet, tum ſubſtraxiſſet, poſtea reſtituiſſet, ac demum utrique ſubtrahere ſe conſtituiſſet, publicis litteris cauſas edidit ſubſtractionis, reſtitutæ obedientiæ, & neutralitatis quam obſervare intendebat. Extant hæ poſt *Trilogum* Gerſonii, T. II. p. 2. p. 103, datæ 12 die Januarii: quâ etiam die litteras Patentes Rex emiſit, quibus ſtatuit, ut niſi intra diem Aſcenſionis pax Eccleſiæ reſtituta eſſet & unus Summus Pontifex legitimus conſtitutus, neutri è duobus contendentibus in Regno ſuo præſtaretur obedientia. Alias pariter dedit litteras 18 Febr. quibus etiam proteſtatur ſe ab utriuſque obedientia receſſurum, niſi intra tempus præfinitum viam Ceſſionis, de qua toties interpellati fuerant ineant.

Obedientiæ utrique contendenti in Gallia ſacta.

Uterque tum temporis, ſub ſpecie procurandæ pacis, alter Lucam, alter Portum-Veneris appulerant, ut de loco commodo convenirent. At Gregorius contra fidem novos creat Cardinales; quod veteres ita graviter offendit, ut diſceſſum meditarentur. Horum intellecto conſilio Gregorius, primùm vetuit, ne ſine ſua licentia vel Lucâ abirent, vel inter ſe convenirent; deinde cum alterius obedientiæ, vel Regis Francorum, vel Univerſitatis Pariſienſis Oratoribus quoquo modo agerent. At illi captata occaſione Piſas concedunt omnes, exceptis quatuor recenter creatis. Tum Gregorius redire eos juſſit, & in unum convenire vetuit, pœnam depoſitionis alioquin intentans. Ad hæc reſponderunt illi, haud gravatè ſe redituros, ſi modò paci Eccleſiæ ſeriò conſulere velit, coëundi autem ut de rebus ad Collegium ſpectantibus deliberent jus habere ſeſe, quo privari nequeant. Cùm his nequaquam moveretur Gregorius, ab eo ad Concilium generale provocant, futurumque legitimum Pontificem, & provocationis hujus Inſtrumentum datum Piſis die 13 Maii Gregorio cum ſuis Cardinalibus ſedenti ſignificari curant, Regeſque Chriſtianos de ſuo diſceſſu per litteras admonent. Furit in eos Gregorius, cunctoſque Præſules ac Clericos Curiales qui Lucâ diſceſſerant omnibus Dignitatibus, Officiis atque Beneficiis privatos eſſe decernit. Die 3 Julii nihilominus ſequenti Monitorialem ſchedulam ad Cardinales proponit, quâ injungit ut intra menſem hunc redeant, ſeque eos recepturum eſſe & de pace Eccleſiæ cum illis collatutum promittit; ni pareant, pœnas ſolitas in eos ſtatuens. Ab hoc mandato iterum provocant Cardinales, & epiſtolam ad omnes Chriſtianos emittunt, quâ Gregorium vafritiei & ſævitiæ inculant; & omnes Chriſtianos admonent, ut ab ejus obedientia recedant, nec jam eum pro Pontifice habeant; ac demum quidquid ab eo fieret irritum eſſe pronunciant.

Benedicti Bullæ in Regem.

Interim Benedictus à Rege per Legatos admonitus, niſi intra diem Feſtum Aſcenſionis concordia Eccleſiæ reſtituta foret, nec ipſi, nec adverſario Regnum Galliæ pariturum. Indignatus eâ de cauſâ Benedictus Nuntios ad Regem miſit duas ſecum Bullas deferentes: unam quidem datam Maſſiliæ anno ſuperiori, 14 Kalendas Junii, quam hucuſque in ſcriniis clauſam tenuerat, alteram apud Portum-Veneris hoc anno datam 13 Kalend. Maii. In ea conqueritur de Edicto regio, cujus obtentu biennio exacto, jura ſibi in Gallia erant ſubſtracta; de appellationibus quæ interponebantur à ſuis Judiciis; ſed maximè de litteris, quas Joannes de Caſtromorandi, & Joannes de Toyſeco Legati Regii dederant, quibus ſignificabatur, quòd niſi intra Feſtum Aſcenſionis proximè futurum unitas Eccleſiæ fuiſſet ſubſecuta, & unus verus ſolus & indubitatus Papa & Paſtor Eccleſiæ Univerſalis haberetur, fore ut Rex & ejus ſubditi neutri è contendentibus obedientiam exhiberent. Quantùm hæc comminatio ſibi doloris attulerit indicat; quærit num iſta ſint indicia veræ dilectionis filii erga Patrem; incuſat eos qui Regi & Principibus de ſanguine ſuo venenata hæc conſilia præbent.

„ Conantur *inquit*, te & alios cum eis in præcipitium trahere, fama inclytæ Domus tuæ non ſine „ gravi macula læditur, Omnipotentiæ divinæ detrahitur, duratio ſchiſmatis procuratur. „ Rogat deinde & hortatur Regem, ne aures ſuas malevolis accommodet; „ qui fortè *inquit*, quærunt „ in noſtra & Eccleſiæ, ac tua & tuorum turbatione, in alienis diſpendiis ſua lucra venari.

Demum poſtulat ut illata ſibi & Eccleſiæ in Regno ſuo gravamina, & attentata in præjudicium Eccleſiæ libertatis revocet, ut cuncta in priſtinum ſtatum reſtituat, nec ea quæ comminatus fuerat adimpleat; alioquin monet præter pœnas & Sententias à Jure prolatas & ab homine, eum & alios ipſi aſtipulantes, alias etiam per quamdam Conſtitutionem à ſe dudum editam promulgatas, quam ſub Bulla cum hiſce litteris mittit, incurſuros. Hæc autem Bulla excommunicationis Sententiam pronuntiabat adversùs eos omnes qui vel unionem propoſitam turbarent, aut qui ſe ab ejus, ſucceſſorumque ſuorum obedientia ſubſtraherent, aut in ſubſtractione perſeverarent, aut demum à ſuis Judiciis appellationes interponerent; & in eos qui hujuſmodi ſubſtractionibus aut appellationibus faverint, aut qui aſſeruerint illos qui præmiſſa committunt, per hanc excommunicationis Sententiam non ligari. Feriebantur hac pœna cujuſcumque Gradus ac Dignitatis, ſive Eccleſiaſticæ ſive Civilis homines: illinc Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi; hinc Imperatores & Reges nominatim deſignabantur. Præterea in eos qui per viginti dies Sententiam hanc indurato animo ſuſtinuiſſent; ſi laïci forent, pœna Interdicti in Civitates, Caſtella, loca quæcumque quæ obtinebant ſtatuebatur; ſi Eccleſiaſtici, Dignitatum ac Beneficiorum Eccleſiaſticorum privatio decernebatur. Utrorumque ſubditi à juramento fidelitatis abſolvebantur: ipſi denique omnibus Beneficiis & Officiis quæ Romanæ Curiæ accepta referebant, ſpoliabantur. Hæ Bullæ clauſæ Regi Franciæ à Sanctio Lupi ex parte Benedicti oblatæ ſunt Pariſiis anno Domini 1408, die 14 menſis Maii, de mane, captatâ occaſione quâ nullus è Principibus Regii ſtemmatis adeſſet. Et quoniam ſuperſcriptio erat, *Domino Regi & omnibus Dominis de ſanguine & Conſilio*, reſpondit Rex in præſentiarum eos non adeſſe quibus dirigebatur Bulla, ſed vocaturum ſe illos, & apertis litteris reſponſum daturum.

Acta in Bullas

Tum properè abiit Sancius. Cùm autem conveniſſent Principes, Rex ſcilicet Ludovicus, Duces Biturigum & Burgundiæ, Petrus frater Regis Navarræ, Comes Nivernenſis, frater Ducis

cis Burgundiæ, & Reginæ frater, apertæ sunt & lectæ Benedicti epistolæ: adversùs quas coortâ omnium indignatione, quid facto opus esset deliberatum. Tandem die 21 mensis Maii vocatis in Concionem à Rege Principibus, Episcopo Parisiensi, aliisque Præsulibus, Senatoribus, Rectore Universitatis & viris Academicis; coram iis Joannes Brevicoxa Orationem habuit adversùs Benedictum, sub hoc Themate: *Convertetur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet; concepit dolorem & peperit iniquitatem.* Ostendit Regem & Principes in hoc negotio nihil fecisse, nisi ex consilio Præsulum & Universitatum; Petrum de Luna juramenti violati reum esse, schismaticum & pertinacem, imò & hæreticum, ac perturbatorem pacis & Ecclesiæ; non ampliùs eum agnoscendum pro Pontifice, nec ei parendum ampliùs esse; Collationes omnes ab ipso factas à tempore quo datæ fuerunt istæ litteræ, hoc est à die tertia Maii anni elapsi, nullas esse; & eos omnes qui Petro de Luna faverint, crimen læzæ Majestatis haud dubiè incurrere. Quibus peroratis, surrexit unus qui pro bono Ecclesiæ & pace Regni, ac Coronæ honore petiit primùm, ut inquisitio circa litteras illas fieret, utque in custodiam conjicerentur qui has litteras suggessisse, aut delatores qui apud se recepisse convicti forent. 2. Ut nullas alias litteras ampliùs Rex à Benedicto recipiat. 3. Ut præcipiatur Universitati, ut à suis de hoc negotio per totum Regnum Conciones habeantur. 4. Revocetur Episcopus S. Flori, Decanus S. Germani Altisiodorensis, aliique detineantur & puniantur. 5. Ut Bulla Benedicti injuriosa, seditiosa, & Regiæ Majestatis offensiva declaretur. 1408.

His expositis, Decanus S. Germani illico captus fuit & in custodiam conjectus. Quod verò spectabat ad Bullam, oblata est iterum Regi à milite, & à Rege Cancellario tradita, præceptumque ei ut id quod Juris erat faceret. Hanc in duas partes lacerandam dedit Cancellarius militi; & harum unam dedit Principibus, aliam Præsulibus & Universitati, à quibus utraque in frusta minutatim divisa est. Deinde Rex mandavit Mareschallo Bucicaldo, qui Genuæ erat, ut Petrum de Luna, si fieri posset caperet. Episcopum S. Flori Legatum in Aragoniam missum ut neutralitatem suaderet, cùm Benedicto favere diceretur, à Legatione revocavit: Guidonem de Roya Archiepiscopum Remensem, Petrum Alliacensem Cameracensem Episcopum & alios Benedicti fautores Lutetiam venire jussit, qui tamen metu carceris venire non ausi sunt. Episcopus Vapiniensis Abbas Sandionysianus, & quidam Canonici Parisienses in Castro Luparæo detenti sunt, læsæ Majestatis accusati, quòd cùm Bullæ istæ non fuissent ipsis ignotæ, eâ tamen de re nil ad Regem detulerant. Conquisiti tandem ii qui ipsas attulerant, quorum alter... Castellanus prope Lugdunum, alter Sancius Lupi Arragonius, in Claræ vallensi Ecclesia capti sunt: uterque Lutetiam deductus est.

Interim Rex Neutralitatem (sic vocata est obedientiæ ab utroque substractio) in Regno suo promulgat, Reges & Principes Christianos per litteras hortatur, ut eam pariter amplectantur. Ad Cardinales quoque utriusque obedientiæ litteras dat die 22 Maii, ut in unum conveniant, ad remedium quærendum schismati. Ad eosdem scripsit etiam die 29 Maii Universitas Parisiensis disertam epistolam, quâ hortatur eos, ut pacem dent Ecclesiæ, Pontificem unum & legitimum unanimiter eligentes. Ne autem interea Bullæ Benedicti spargerentur in publicum, Rex vetuit, ne ullæ hujus Litteræ aut Bullæ à die 19 Maii anni præcedentis offerrentur, aut reciperentur, aut executioni mandarentur in Regno; ac è contra jussit ut statim dilacerarentur; & qui eas deferrent aut retinerent, apprehenderentur. *Promulgatio Neutralitatis in Regno.*

Benedictus metuens ne à Busicaldo caperetur, clam è Portu-Veneris initio mensis Junii solvit, & ad Illiberitanum Catalauniæ oppidum appulit. Antequam verò abiret, Gregorium monuit per litteras, se quanquam recederet, inque locum tutiorem sese recipere cogeretur, nihilominus semper fore paratum ad pacem sarciendam. Gregorius his acceptis litteris, 20 Junii epistolam ad omnes Fideles edidit, quâ persuadere conabatur, per se non stetisse; quin pax redintigraretur. Nec multò post (die 2 Julii) Concilium Aquileiæ indicat. Benedictus verò in Catalauniam cùm venisset, Perpinianum sese contulit, ibique Concilium Episcoporum pariter indixit. *Benedicti fuga in Catalauniam.*

Utriusque Pontificis fugas & collusiones cùm viderent Cardinales utriusque Collegii, inter se invicem per litteras conveniunt celebrare Concilium, utrumque deponere & alium eligere. Hoc suum consilium Regi & Universitati Parisiensi per litteras notum faciunt. Tum Benedicti Cardinales, exceptis quatuor qui eum in Hispaniam secuti sunt, Liburnum in Hetruria ad Gregorianos accesserunt die 1 Julii, & utrique litteris ad universos Christi Fideles datis, significant se neutrius partis deinceps fore, donec uterque Pontifex cesserit. Deinde 14 Julii per litteras unanimiter Concilium indicunt Pisis congregandum die 25 Martii anni 1409: & utrumque Collegium seorsim ad utrumque Pontificem & Præsules obedientiæ suæ dant litteras, quibus eos ad Concilium vocant. *Cardinales utriusque Collegii conveniunt & indicunt Concilium in civitate Pisana.*

Interim Rex Franciæ Regni sui Præsules Letetiam convocavit. Concilio præsedit Joannes Montacutius Archiepiscopus Senonensis: inchoatum est die 11 Augusti, & 5 Novembris finitum. In eo actum est præsertim de Collatione Beneficiorum, pendente Neutralitate; & plures ea de re Articuli confecti, ad suggestionem Universitatis Parisiensis, qui postea solemni Decreto approbati & confirmati sunt. Renovati quoque antehac in priori substractione constituti Canones circa Excommunicationes, Dispensationes, Appellationes, Concilia, administrationemque Ecclesiarum. *Concilium Gallicanum.*

Eodem tempore Sanctius Lupi, & Equitator Papæ Benedicti, qui, ut diximus, convicti fuerant litteras Papales attulisse, à delegatis Judicibus damnati sunt die 20. Augusti: atque ad majorem eorum ignominiam, mitris papyreis coronati, nigris dalmaticis lineis induti, quæ Benedicti inversa gerebant Insignia, cum titulis qui ipsos esse falsarios & proditores à proditore missos indicabant, producuntur, & impositi vehiculis quibus lutum & sordes efferri solent, ad Curiam Regalis Palatii deducuntur. Sequenti autem die Dominica, eodem habitu in porticu Ecclesiæ S. Mariæ, ubi cùm spectaculum populo præbuissent, unus ex Delegatis, Ordinis S. Trinitatis Magister in Theologia, injuriis & contumeliis plenam in Petrum de Luna præsentesque reos Orationem habuit. Tum Sanctium perpetuo carceri addictum, Equitatorem ad triennium, cœteros quoque qui in ergastulis tenebantur reos pronuntiavit. Cùm tamen in longum protraheretur horum Judicium, ea de re conquesti, à Regina & Aquitaniæ Duce *Pœna in delatores Bullarum Benedicti decreta.*

1408. Duce ad Judices ordinarios remissi sunt, cognitione schismatis Episcopo Parisiensi; & læsæ Majestatis Senatui concessâ. Hinc sub custodia Episcopi per mensem remanserunt, quo spatio temporis elapso, qui erant de Collegio Ecclesiæ Parisiensis liberantur. Regina verò, Dux Aquitaniæ, Duces Biturigum & de Borbonio, Abbatem & Episcopum, invitâ licet Universitate liberos abire jusserunt. Guido de Roya Remensis Archiepiscopus, adversùs Neutralitatem & Concilii Gallicani Decreta protestationem emisit. Petrus de Alliaco Cameracensis Episcopus institutam adversùm Bullam Papæ litem improbavit; atque eâ de causâ obtinuerat Universitas ut caperetur & adduceretur Lutetiam: at salvo-ductu à Rege impetrato, tutus fuit.

Gersonii mens de Neutralitate. Gersonius noster, qui omni affectu prorsùs vacuus, bonum tantummodo publicum spectabat, duo præcipuè intendit. Primum, ut durante Neutralitate, Præsules quilibet Ecclesiæ suæ magnâ curâ invigilarent: alterum, ut cœteris missis, Concilium haberetur, ad quod, securitate datâ, vocarentur duo contendentes, ut præsentes jure suo cederent; quod si nollent adesse, quæreretur eorum Cessio per Procuratores legitimos; & si utrumque contempsissent, utroque posthabito, procederetur ad electionem unius, per communem assensum totius Concilii, roborantis & approbantis illud quod duo Collegia Dominorum Cardinalium, aut eorum pars major & sanior constituissent aut fecissent.

Neutralitatem amplectuntur multi. Circa idem tempus Legati à Rege Galliarum missi in Germaniam, retulerunt Allemannos, Hungaros & Boemos Neutralitatem amplexos, donec unicus Summus Pastor electus ritè & canonicè fuisset.

Concilium Perpiniani habitum à Benedicto. Indicta erant, uti diximus, tria Concilia à diversis & diversis in locis. Primum à Benedicto XIII Perpinianum, Bullâ datâ 15 Junii: alterum à Gregorio XII Aquilæiam, Bullâ datâ 2 Julii, ad Pentecostem anni sequentis: tertium Pisas, Cardinalium utriusque obedientiæ, litteris datis Liburni die 14 Julii, idque ad 15 Martii diem anni sequentis. Cœteros antevertit Benedictus, cujus inchoatum est Concilium die prima Novembris hujus anni 1408. Hac die Orationem ad Præsules habuit Alphonsus Patriarcha Constantinopolitanus, Ecclesiæ Hispalensis Administrator: quo facto, Concilium ad decimam quintam ejusdem mensis diem prorogatum est. Die 14 Benedictus Thesaurario Magalonensi Ecclesiæ Astensis Administratori, Archiepiscopi Antiocheni dignitatem contulit, & Patriarchæ Hierosolymitani titulum Francisco Ximeni Minoritæ. Hi die 20 ejusdem mensis consecrationem acceperunt. Secundus Concilii consessus habitus est die 17: in eo lecta tantummodo Fidei formula quam tenere se ac profiteri protestatus est Benedictus. In tertio consessu, qui die 21 habitus est, exposita sunt ea quæ Benedictus ab initio Pontificatus egerat; præsertim verò ea quæ ad pacem spectare videbantur. Aderant tum Concilio Episcopi Castellæ, Arragoniæ & Navarræ, cum quibusdam Gallis è Vasconiæ, & Sabaudiæ regionibus, in totum centum viginti numero, præter quatuor Archiepiscopos specioso Patriarcharum titulo decoratos, necnon Toleti, Cæsar-Augustæ, & Tarraconæ Metropolitas. Quinque consessus in exponendis iis quæ Benedictus ad restituendam pacem & extinguendum schisma tentasse videbatur insumpti sunt. Tandem in Sessione habita die 5 Decembris, Benedictus rogavit quid censerent potissimùm faciendum, ut paci consuleretur, & errori ac schismati iretur obviàm. Hæc quæstio, quam in eo rerum qui tunc erat statu, solvere non ita facile erat, Concilii hujus Episcopos implicavit. Hinc in varias abiêre sententias. Quibusdam visum illud, statim à Benedicto Legatis suis injungendum, ut Pontificatu cederent: alii procrastinandum censuerunt: varias nonnulli vias ad componendam pacem proposuerunt.

1409. Conclusio Concilii. Istâ disceptatione in longum productâ, plerique Præsules Perpiniano discedunt: ita ut jam nonnisi octodecim superessent. Tandem Patriarcha Constantinopolitanus, & qui remanserant Episcopi, suam sententiam dederunt prima die Februarii anni 1409, in hunc modum.

Benedictum à Concilio pro legitimo Pontifice agnosci, Catholico & vero Christi Vicario; hunc nec hæreticum, nec schismaticum; nec hæreticorum, aut schismaticorum fautorem à se haberi: cœtum gratias ipsi agere de iis quæ pacis ergò se facturum spoponderat; Deumque deprecari, ut velit ipsi adesse, ejusque consilium ad majorem sui Gloriam promovere. Verùm obtestari suam Sanctitatem eique consulere: primùm ut Ecclesiæ uniendæ consilium efficaciter, sublatis omnibus impedimentis & neglectis incommodis prosequatur, & quidem viâ abdicationis, quæ cœteris præferenda videbatur, nullâ tamen earum exclusâ. 2. Ut propositam abdicandi conditionem ad eum casum extenderet, quô contingeret Intrusum cedere, mori aut de facto & reverà, cum eorum qui ipsi parebant consensu, de Sede dejici. 3. Ut nomine suo ad Intrusum, necnon ad Anti-Cardinales & Cardinales Pisis degentes Nuntios mitteret, quibus amplam daret facultatem locum eligendi, quò vel ipsi convenirent ad ea exequenda quæ pacta fuissent, aut Procuratores mitterent sufficienti autoritate instructos, qui id præstarent, eorumque nomine Pontificatui renuntiarent. 4. Ut Procuratoribus amplissima daretur facultas per scriptum autenthicum, cui nihil ad fidem faciendam deesset. 5. Ut interim provideret ne pax, ejus interveniente morte, turbaretur, & ne rursum schisma recrudesceret. 6. Ut adversùs eos omnes qui schisma quoquo pacto instaurarent, novis Constitutionibus pœnas statueret. Hæc sententia scripto mandata, & Præsulum omnium qui tum Perpiniani aderant subscriptione munita, à Patriarcha Constantinopolitano Benedicto oblata est, qui in Sessione habita 12 Februarii, conditiones istas gratas & acceptas habuit, pollicitusque est electurum se viros idoneos qui id quod propositum erat opere complerent. Atque ut promissis satisfaceret, 9 Martii septem Legatos nominavit, qui in urbem Pisanam irent, & de pacis ineundæ conditionibus agerent.

§. 2.

§. 2.

Historia Concilii Pisani & eorum quæ sub Alexandro V & Joanne XXIII usque ad Concilii Constantiensis convocationem contigerunt.

DUm hæc in Aragonia geruntur, Cardinales duorum Collegiorum Pisis congregati in id seriò incumbebant, ut Christianos Principes ad Concilii sui autoritatem agnoscendam, & ad illa probanda quæ à se agerentur impellerent. Jam dudum in eam partem inclinatus erat Regis Franciæ animus, qui quidem Rex per litteras eos hortatus fuerat, ut in proposito perstarent, & Christianis omnibus communem darent Pontificem quem haud dubiè cuncti Christiani Principes agnoscerent: quantùm ad se, non solùm hunc pro legitimo Pontifice tum à se, tum à suis habitum iri, sed & omnem se autoritatem suam ad eum tutandum impensurum. Nec ab agnoscendo eo Pontifice qui à Concilio Pisano daretur abhorrebat Anglia, missusque eò à Cardinalibus Burdegalensis Cardinalis, vix ullos ibi nactus erat adversarios. Germania sola Gregorio favebat, cujus partibus Robertus Dux Bavariæ Romanorumque Rex erat addictus. Huc Cardinales initio anni 1409 miserunt Landulphum Cardinalem Barrensem; qui Francofurtum cùm venisset, ibi conventum Præsulum ac Principum Germaniæ habuit, ut eos ad id induceret, vel ut Concilio Pisano adessent, vel saltem ut illic Legatos mitterent. Barrensis à Principibus benignè excipitur. Sed & Gregorius Antonium Cardinalem Nepotem in Germaniam miserat, qui Francofordiensi quoque conventui interfuit, Patroni sui causam egit, & in Cardinalem Barrensem pluribus invectus est. Displicuit ea res Principibus: at Romanorum Rex qui Gregorio favebat effecit, ut nihil aliud statueretur, quàm ut in Italiam mitterentur Legati de pace acturi. Ad eam Legationem delecti Archiepiscopus Regensis, & Episcopus Wormatiensis, & Ferdensis electus. His à Gregorio persuasum, ut Regis Romanorum nomine Pisanum Concilium adirent.

1408. Cardinalium Pisis degentium curæ ut à se constituta probentur.

Die 25 Martii, quæ dies indicta erat, Concilium Pisis in Cathedrali Ecclesia inchoatum est. Aderant Cardinales Prænestinus, Albanensis, Ostiensis, Podiensis, de Thurcio, Saluciensis & S. Angeli de obedientia Benedicti: ex altera Neapolitanus, Aquileïensis, Columnensis, de Ursinis, Brancacianus, Ravennensis, Laudensis, & S. Angeli. Adfuere etiam Legati Regis Galliarum, Angliæ & Siciliæ, cum multis Archiepiscopis & Abbatibus. Requisiti & appellati duo de Pontificatu contendentes: cùm non comparuissent, nec ullus eorum nomine respondisset, instituta est adversùs eos actio. Die sequenti iterum citati nemine pariter ipsorum nomine respondente, res ad diem 27, & deinde ad 3 comperendinata est. Quæ cùm advenisset, Benedictus & Gregorius contumaces pronuntiati sunt, & Sententia in eos à Prænestino Cardinali, consentientibus omnibus Concilii Patribus prolata est. Dies etiam dicta est ad 15 Aprilis Cardinali Todensi Gregorii asseclæ, necnon Cardinalibus S. Sabinæ, S. Adriani, S. Mariæ in Via-lata, de Flisco, & de Challanto qui Benedictum secuti erant. Huic consessui adfuerunt Cardinales Mediolanensis & Barrensis, qui secum 90 tum Archiepiscopos tum Episcopos adduxerunt.

1409. Pisani Concilii Acta.

Ad quartum consessum habitum die 15 Aprilis, accesserunt Legati Regis Romanorum, qui adversùs Concilium protestati sunt, quòd sine consensu Regis, ad quem illud convocare pertinebat, indictum fuisset; postularuntque ut differretur & alius ei locus assignaretur, polliciti tum Gregorium adfuturum, & sive præsente sive absente Benedicto, Pontificatu cessurum. Idem à Concilio nomine Gregorii petiit Carolus Malatesta Dux Aninìnensis. Negata utrisque conditio, & duo contendentes iterum de contumacia judicati, ac consessus ad diem 25 Aprilis indictus.

In isto, Concilii Advocatus, narratis iis quæ ab initio schismatis acta fuerant, incusatâ duorum contendentium tergiversatione, collusione & indignitate, requisivit ut decernerent Collegiorum duorum adunationem & Concilii convocationem ritè factas esse; Pisanam urbem locum esse Concilio aptum; citationes duorum contendentium validas esse; & contumaces eos judicari, ac dignitate privatos; eorumque fautores & asseclas cunctis Dignitatibus, Beneficiis & Officiis spoliatos, Magistratibus Civilibus potestatem fieri eos coërcendi & puniendi, si Decreto Concilii reniterentur; Reges ac Principes sacramento solvi & ab eorum obedientia immunes fieri. Quamvis autem ea quæ in ipsos allegata fuerant essent manifesta; nihilominus Judices à Concilio nominari petiit qui de illis inquirerent. Hac die Concilium pronuntiavit, Collegium Cardinalium adunatum ad convocandum Concilium, jus illius indicendi in præsenti rerum statu habuisse; ac Concilium hoc generale, Universam Ecclesiam repræsentans, legitimè congregatum esse, & peremptoriam proferre posse Sententiam; sufficientem esse Præsulum numerum; urbem Pisanam locum esse Concilio percommodum; ac Petrum de Luna & Angelum de Corario sufficienter vocatos & citatos. Cœtera ad sequentem consessum die Aprilis ultimâ habendum sunt remissa. Paulò post Simon Cramaudus Patriarcha Alexandrinus, Universitatis Parisiensis aliarumque Deputati, Ducum Brabantiæ, Hollandiæ, Leodii, & Archiepiscoporum Moguntini ac Coloniensis Legati advenêre. Accesserunt etiam Angliæ Regis novi Legati, quorum nomine Salisburiensis Episcopus in sexto consessu Orationem habuit, quâ Patres ad pacem hortatus est, sibique à Rege suo iis quæ in Concilio statuerentur assentiendi potestatem datam esse dixit. Nihil præterea hoc in consessu gestum: sequens ad diem quartam Maii comperendinatus. Interea Cardinales Burdegalensis & Hispanus Pisas advenêre. Legati verò Regis Romanorum provocationem instituerant Concilio; cujus Instumentum cùm promulgassent, ac valvis Ecclesiæ affigi curassent die 9 Aprilis ejusdem mensis, die 21 Pisis excesserunt.

Dicta die cùm convenissent Patres, Petrus de Ancarano Bononiensis Doctor Orationem habuit, quâ Legatorum Regis Romanorum, licèt absentium, rationes confutavit; docuitque contendentes de Pontificatu legitimè vocatos esse; Concilium in eos actionem meritò instituisse; suæ intentionis esse pacem Ecclesiæ instaurare; Legatorum è contra consilio hanc impediri. In isto consessu nominati sunt Judices, qui testimonia eorum quos testes producebat Actor Concilii exciperent & examinarent. Hi fuere Cardinales Landensis & S. Angeli, quorum unus ex uno; alter ex altero

1409. Collegio; & cum his Episcopus Lexoviensis, adjunctis tribus è Gallia Doctoribus & Anglo uno. Statutum quoque ut Concilium Deputatos mitteret ad Ladislaum qui se Regem Siciliæ dicebat, ut si fieri posset, placaretur. Sequens consessus ad diem decimam Maii indictus: in eo cùm auditum esset adventare Legatos Petri de Luna, coacti sunt ejus Cardinales qui nondum omne obedientiæ jugum excusserant, palam ipsi nuntium mittere: pronuntiatumque est in Concilio, ab eo tempore quo constiterat utrumque contendentem procurandæ pacis Ecclesiæ voluntatem non habuisse, liberum fuisse ab eorum obedientia recedere, nec jam ampliùs eis parendum esse. In consessu nono qui decima septima Maii habitus est, hocce substractionis Decretum lectum & promulgatum est. Eo præterea Judicia à duobus contendentibus lata, vel ferenda in eos qui ab eorum obedientia substraherent, irrita pronuntiabantur. In duobus sequentibus consessibus habitis diebus 22 & 23 ejusdem Mensis, lecta sunt accusationum capita & testimonia in reos, qui cùm non comparuissent, contumaces iterum judicati sunt die 25 ejusdem Mensis. Aderant tum Concilio centum quadraginta Præsules, Cardinales, Archiepiscopi & Abbates; Doctores Theologi centum viginti, Juris autem Canonici & Civilis trecenti, cum Legatis Regum Franciæ, Angliæ, Jerosolymæ, Siciliæ, Cypri & Poloniæ; Ducumque Brabantiæ, Austriæ, Bavariæ, aliorumque multorum ex Germania & Italia Principum, necnon Universitatis Parisiensis. In eo declaratum est, delicta & crimina, aliaque quorum accusati erant contendentes, notoria esse. Die 29 Maii Petrus Plaoul Facultatis Theologiæ Parisiensis Doctor Orationem habuit, quâ multis ostendit, Ecclesiam Concilio superiorem esse, Petrum de Luna schismaticum pertinacem, imò & hæreticum esse contendit & Pontificatu dejectum, ac per Concilium dejiciendum, hanc esse sententiam non solùm Academiæ Parisiensis, sed & Andegavensis, Aurelianensis, & Tolosanæ. Unus ex Italiæ Episcopis in pulpitum ascendens, Bononiensium ter centum Doctorum sententiam Academiæ Parisiensis Decreto consonam legit. Tandem Concilii Advocatus postulavit ut peremptoria ferretur Sententia, eique ferendæ dies quinta Junii decerneretur; & interim congregatio haberetur in qua nova testimonia in contendentes prolata referrentur.

Sententia in Benedictum & Gregorium lata. Tandem in consessu decimo quarto, qui die 5 Junii habitus est, vocatis iterum pluribus vicibus Benedicto & Gregorio, Patriarchæ Alexandrino à conventu injunctum, ut Sententiam in eos peremptoriam proferret. Tum ille, præsentibus non solùm Concilii Patribus, sed & astante populi magnâ multitudine, hanc Sententiam pronuntiavit.

„ Sanctum Concilium universale Pisanum Ecclesiam Universam repræsentans, ad quod hu„ jus causæ cognitio Judiciumque pertinet, iis perpensis quæ in negotio unionis Ecclesiæ „ & schismatis inter Petrum de Luna dictum Benedictum XIII, & Angelum de Corario o„ lim Gregorium XII acta sunt; unanimi consensu, & maturâ deliberatione habitâ declarat, „ ea accusationum capita, quæ à Promotoribus Concilii in eos allegata sunt, vera esse & no„ toria, ambos contendentes schismaticos esse, schismatis fautores, hæreticos, perjurii reos, „ Ecclesiam pertinaciâ & contumaciâ manifestâ scandalizantes, & omni honore ac dignitate, „ præsertim verò Summo Pontificatu indignos, iisque ipso facto dejectos privatosque & ab „ Ecclesia extorres: nihilominus Concilium hac peremptoriâ Sententiâ eos Pontificatu deji„ cit, vetatque ne Summorum Pontificum nomen assumere audeant, Ecclesiam Romanam „ vacantem esse declarat; Christianos omnes à promissa ipsis obedientia immunes esse decernit, „ & ne ipsis inposterum obediant, aut faveant, aut auxilium præstent districtè præcipit; „ qui huic Sententiæ non paruerint, à sæculari potestate coërcendos statuit; Judicia ab ipsis la„ ta irrita esse declarat, non secus ac nominationes Cardinalium ab ipsis modò factas, ab An„ gelo de Corario à die 3 Maii; & à Petro de Luna à die 15 Junii anni 1408.

Ut autem Decretis à contendentibus in detrimentum Ecclesiæ datis occurreretur, & promotionibus ab ipsis factis consuleretur, indicta est Sessio ad diem 10 Junii. Hac die Pisanus scriptum quoddam obtulit quo Cardinales spondebant, ab illo qui inter eos Pontifex electus foret, Concilium minimè dissolvendum, donec Ecclesiæ Universalis tum in capite tum in membris emendatio facta esset. Nihil aliud actum in hoc consessu; & sequenti die 13 Junii statutum, ut à Cardinalibus utriusque Collegii pro more eligeretur Pontifex. Tum ad Concilium accessêre Legati Regis Aragoniæ & Petri de Luna. Illi auditi: cùmque petiissent ut de gestis à Concilio, quod tamen non approbabant, edocerentur, responsum est nominandos esse à Concilio, qui ipsis* illa exponerent. Ægrè tamen latum, quòd Petrum de Luna Papam Benedictum XIII nominassent. Cùm autem Tarragonensis Archiepiscopus, aliique Petri de Luna Legati introissent, tumultus repentè exortus est. Ex iis unus, Joannes à Costa petiit ut sibi liberè proloqui liceret: quo concesso, petiit Legatorum Benedicti nomine, ut Conventus Acta in notitiam suam venirent, & res in crastinum differretur. Illud quoque concessum. At cùm Legati res suas perditas viderent, die sequenti recesserunt.

Alexandri V electio; & ejus Acta in Concilio Pisano. Die Sabbati 19 Junii, post Orationem ab Episcopo Novariensi habitam, cujus hoc erat argumentum, *Eligite meliorem & eum ponite super solium*, IV Reg. 10, Cardinales numero 24 Conclave ingressi sunt: cùmque ibi ad diem 26 mensis hæsissent, unanimiter in Pontificem elegerunt Petrum Philaretum de Candia Ordinis FF Minorum Doctorem Parisiensem, qui vulgò Cardinalis Mediolanensis dicebatur: huic Alexandri V nomen impositum. Ad hunc Pontificem electum Orationem habuit Gersonius, T. II. P. I. p. 131. Novus Pontifex Concilii consessum indixit ad primam Julii, cui etiam præfuit in excelsa Cathedra, in medio trium Patriarcharum sedens. Post lectum electionis suæ Decretum, Patres allocutus, Decretum promulgavit, quo ea omnia quæ à Cardinalibus in negotio unionis Ecclesiæ 3 die Maii anni 1408 & à Concilio generali acta fuerant rata habebat, & ambo Collegia Cardinalium adunabat. Die Dominica sequenti coronatus est, habitusque vigesimus primus Concilii consessus die 10 Julii. In eo Sententias omnes à duobus contendentibus in eos qui alteri aut neutri obedientiam præstabant tempore schismatis latas, irritas esse Decreto suo statuit Alexander. Consessus sequens in diem 27 Julii prorogatus, ob adventum Ducis Andegavensis Siciliæ Regis. In eo Alexander confirmavit & approbavit collationes, provisiones & translationes Beneficiorum, Consecrationes Episcoporum, Ordinationes Clericorum ab ipsis, aut eorum auctoritate in sua obe-

obedientia canonicè factas, iis exceptis quæ in detrimentum unionis factæ erant, aut in damnum eorum qui Concilio adhærebant, potissimùm à die 3 Maii anni 1408, quod spectat ad Angelium de Corario; & à 15 Julii in iis quæ ad Benedictum de Luna pertinebant. Declaravit insuper, in fautores utriusque animadversum iri in Concilio generali post triennium habendo, anno scilicet 1412, mense Aprili, in loco commodo, & anno ante designando. 1409.

Cœterùm ea quæ ab Episcopis tempore Neutralitatis acta & concessa fuerant confirmavit; & ea quæ ab Ecclesiis Cameræ Apostolicæ usque ad diem electionis suæ debebantur, liberaliter indulsit. Die septima Augusti postremus fuit hujus Concilii consessus. In eo Pontifex vetuit, ne Ecclesiæ Romanæ aliarumque bona à Pontifice aut venderentur, aut oppignerarentur, usque ad futurum Concilium, neu fierent translationes invitis partibus. Habenda interim statuit ab Episcopis Concilia Provincialia, & à Regularibus generales Ordinum Conventus, mittendos Legatos ad Reges & Principes, ut ea quæ in Concilio statuta erant executioni mandarentur. Denique professus est sibi in mente fuisse Ecclesiam in capite & in membris emendare, tantamque rem jam inchoatam perficere: sed cùm id fieri non posset impræsentiarum, ob discessum Præsulum & Legatorum quamplurium, hanc emendationem differre & prorogare ad Concilium dicto tempore habendum, unicuique eorum qui aderant discedendi liberam facultatem relinquens. Hæc fusiùs in Actis hujus Concilii, quæ integra à Luca Dacherio Tomo 6 Spicilegii edita sunt, & in novissima Historia Concilii Constantiensis.

Adfuerunt in universum huic Synodo 22 Cardinales, 67 Legati, 4 Patriarchæ, 12 Archiepiscopi, 67 Episcopi præsentes & per Legatos 85, Abbates quamplurimi, cum Generalibus Ministris, Procuratoribus & Prioribus diversorum Ordinum, & Monasteriorum, ac Universitatum Deputatis. Quæ ab ea decreta erant probavit Alexander V Bullâ datâ die ultima Januarii anni 1410. Numerus Patrum Concilii.

Interea Benedictus & Gregorius novos Cardinales utrimque creant sibi omnino devotos. Concilii Udinensis acta in gratiam Gregorii.

Dum Pisis solemne Concilium habetur, Gregorius XII Utinæ, quem locum speciali Bullâ anno 1408, 18 Decembris datâ designarat, Conventum habuit. Dicta die Festa Corporis Christi anni 1409 Supplicationes pro more habuit: at cùm nulli ferè Præsules advenissent, consessum ad 22 Junii indixit, & Episcopos iterum ad Synodum suam invitavit. Haud multò major numerus Episcoporum convenit: nihilominus tamen in eo conventu Gregorius effecit, ut Urbani VI, Bonifacii IX, Innocentii VII prædecessorum suorum electiones & inthronizationes, suaque canonicæ; & è contra quæ factæ fuerant Roberti de Genua, Petri de Luna & Petri de Candia recens electi temerariæ, illicitæ, sacrilegæ pronuntiarentur, atque hi schismatici & intrusi dicerentur, quibus nullum jus erat ad Pontificatum; & quæcunque ab ipsis acta fuerant in irritum missa sunt. Tandem Gregorius, in tertio consessu, seu potius in paucorum admodùm Præsulum sibi obnoxiorum conventu declaravit, paratum esse se Pontificatui reverà & de facto renuntiare, modò Petrus de Luna, & Petrus de Candia eodem in loco juri prætenso personaliter etiam renuntiarent juxta formam in Conclavi præscribendam, eâ tamen lege, ut futuri Pontificis electio rata non esset, nisi Cardinalium utriusque obedientiæ votis duarum partium è tribus in unum concurrentibus fieret. Ut autem de loco conveniri posset, hunc designandi potestatem faciebat Roberto Regi Romanorum Ladislao qui Regis Jerosolymitani titulo gloriabatur, & Sigismundo Regi Hungariæ, quibus, si adversarii nollent assentiri, auctoritatem dabat convocandi Concilii generalis, cui adfuturum se spondebat, pariturumque judicio quod à numerosiore parte Præsulum utriusque obedientiæ latum foret. Hac porro conditione posita, res tota in irritum cadebat: fieri enim non poterat, ut Sigismundus, Ladislaüs & Robertus sibi mutuò hostes & infensi idem sentirent in negotio circa quod variè affecti erant.

His Utinæ actis, Gregorius sibi à Venetis timens, mercatoris habitu solus ex urbe evasit, & conscensis triremibus quas ad eum Ladislaüs miserat, in Brutios aufugit, ibique Cajetæ demoratus est ab omnibus ferè desertus: nam præter Apuliam, partem Tusciæ, Æmiliam & Liguriam, reliquum Italiæ Alexandrum V agnovit, Româ in ejus à Baltazare Cossâ Legato Bononiensi potestatem reductâ. Arragonia, Castilia, Scotia, & Armeniaci * Ducis ditio nondum à Benedicto recesserant. In Germania Robertus Rex Romanorum ne Alexander V Pontifex agnosceretur obstabat: at Moguntinus aliique Præsules & Principes Germaniæ, hujus beneficiis deliniti, lubenter ejus electionem approbarunt. Gallia, Anglia & cœteræ Orbis Christiani Regiones ipsi pariter ut Pontifici legitimo detulerunt. Gregorii fuga & ab eo defectio. * forsan leg: Annoniaci

At is, ut erat septuagenarius, & ad negotia ineptus, Baltazari Cossæ se totum permisit, à quo Bononiam deductus, ibi paulò post decessit die 6 Maii anni 1410; & in ejus locum, ad commendationem Ducis Andegavensis Siciliæ Regis ipse Balthazar Cossa electus est in Pontificem, Joannis XXIII nomine assumpto. Hoc ille, ut primùm ad Pontificatum evectus est, in votis habuit, ut Ladislaüm Regno Neapolitano expelleret, & Ducem Andegavensem ejus compotem faceret. Igitur coactis copiis & cum exercitu Ducis conjunctis, Ladislaüm acie vicit. At reverso in Galliam Duce, Ladislaüs amissa facilè recuperavit, corruptis Joannis Ducibus, & exercitum usque ad urbis portas misit. Repressus eâ quidem vice fuit ejus impetus: at cùm Joannes Ladislaüm vi aperta superare desperaret, pecuniâ ipsum sibi adjungere statuit; & pactis cum eo clam initis, Gregorius è ditione Ladislai ejectus, inde in Marcam Anconitanam profugit sub Caroli Malatestæ, qui solus ipsi fidelis remanserat, tuitione. 1410. Mors Alexandri V, & Joannis XXIII electio. Hujus adversùs Ladislaum conatus.

At Ladislaüs veteres injurias ulturus, bello denuntiato, cum exercitu ad urbem accessit, quam à Romanis Joanni ob exactiones iratis, indefensam ingressus est mense Maio anni 1413. Joannes cum suis ex urbe profugus, magna celeritate in Longabardiam pervenit, collaturus cum Sigismundo Rege Hungariæ, qui Romanorum Rex electus fuerat post Roberti Bavariæ Ducis mortem, qui 18 Maii anni 1410 obierat, sed ab electorum tantùm parte; nam alii Jodocum Moraviæ Marchionem nominarunt. Verùm hoc brevì fato functo, omnium vota in Sigismundum concurrerunt. 1413. Capta à Ladislao Roma. Joannes profugus.

Quod ad Galliam pertinet, ea quidem Alexandrum & Joannem pro legitimis Pontificibus agnovit eisque paruit, at non nihil cum utroque Academiæ Parisiensi concertationis fuit. 1409. Disceptatio Gallorum

1409. Cum Joanne quidem, occasione Diplomatis in gratiam Fratrum Mendicantium emissi, quo licentia dabatur illis ubique prædicandi Evangelium, Confessiones peccatorum audiendi, Sacramenta administrandi, cœteraque munia obeundi, quæ Pastores solent. Hæc Bulla data Idibus Octobris, anno 1409, statim atque Lutetiam perlata est, Universitatem graviter commovit adversùs Mendicantes, qui Bullam hanc subreptitiè impetraverant; & ejus autoritatem in Concionibus per totam Quadragesimam Lutetiæ venditaverunt dicentes, ut ait Niemus, se præcipuos esse Pastores, se verbum Dei prædicare & populum docere, sibi licere Confessiones laïcorum audire, nec teneri laïcos peccata illa rursus Curionibus suis confiteri.

cum Joanne XXIII, circa Bullam Mendicantibus concessam.

1410 Hanc vaniloquentiam citò repressit Schola Parisiensis, statuens ne quis Mendicantium Privilegiis & Libertatibus Universitatis gauderet, nisi priùs Bullam subreptitiam esse scripto agnovisset. Huic Decreto Dominicani statim paruerunt, & ad Conventum Academiæ accedentes, ibi publicè Bullam abjurarunt. Eorum exemplum secuti Carmelitæ; cœteri non item. At Franciscani, quorum operâ præcipuè Bulla fuerat impetrata, acriùs eam tuebantur. Quapropter Universitas à Rege interdictum obtinuit, quo publicâ præconis voce prohibitum est Curatis & viris Ecclesiasticis, sub pœna amissionis bonorum, sinere Fratres Franciscanos & Augustinianos in suis Ecclesiis Conciones habere, Confessiones audire, aut Sacramentum Absolutionis administrare. Tum Gersonius, in Supplicationis Universitatis ad Ædem Divæ Virginis solemniis, Dominicâ 3 Quadragesimæ Orationem habuit, quæ extat Tomi II Part. 3. p. 431. De illa Bulla proscribenda actum est in Facultate Theologiæ, judicatumque est eam esse intolerabilem, totius Ecclesiastici status perturbativam, eique obviandum tam à Præsulibus quàm ab Universitatibus. Noluit tamen Facultas tunc determinare, an confessi Fratribus tenerentur vel non tenerentur peccata sua iterum proprio Sacerdoti confiteri; nec alias movere difficultates circa hanc Bullam emergentes, quas in præfato Sermone Gersonius enucleat. Præterea consulit Facultas, ut in solemni convocatione Præsulum & Judicum, quæ ab Universitate contra Bullam acta sunt probentur; ac deinde per Prædicatores, populi contra hanc edoceantur. Item ut pro salute plebium, conscribantur parvi Tractatuli in Gallico, continentes in generali tenorem Præceptorum, & enumerationem articulorum, ut vel legendo vel recitando, possint Curati diebus Festivis plebem suam docere; utque nullus Curatus aut Vicarius ejus suscipiat deinceps aliquem Fratrem privilegiatum, nisi habeat litteras sui Prælati, ne qui non missi sese ingerant. Demum plures Doctores, quorum Antesignanus Gersonius noster, IV Idus Octobris Scriptum ediderunt, quo Bullam proscribunt. Extat illud Parte tertia Tomi II. pag. 442.

Decimarum exactio rejecta.

Nonnihil etiam eodem tempore turbarum fuit adversùs Alexandrum V ob exactiones Decimarum quas Cardinalis de Thurcio petebat. Sed repulsam tulit Universitatis suffragio, quæ hujusmodi exactioni nomine totius Ecclesiæ Gallicanæ sese opposuit. Tunc Edictum à Rege emanavit ad omnes Judices & Officiales Regios, ut qui vellent Decimas exigere, Regno pellerentur.

Revocatio Bullæ Mendicantium,

Joannes XXIII, ut placaret Universitatem Parisiensem, Alexandri V decessoris sui Bullam de Privilegiis Mendicatium revocavit, propter turbas inde exortas, voluitque in eodem omnia statu remanere, in quo fuerant ante prædictam Constitutionem, Deplomate dato Bononiæ V Kal. Junii anno 1410.

Quæstio de homine gravato debitis, Religionem ingrediente.

Eodem anno proposita est à Theologis Parisiensibus quæstio, de homine qui cùm multùm æris alieni contraxisset, bona sua fratri reliquerat, & tum ipse tum hujus uxor Monasticam vitam ex mutuo consensu amplexi erant. Debitis non solutis ob captivitatem fratris, contigerat socerum ejus mori: quærebat utrùm liberum ei fuisset redire ad sæculum, ad petendum bona soceri sui, ut inde debita sua exolveret. Huic quæstioni Gersonius ita respondit, ut nec jure suo fraudatos creditores esse voluerit; nec fidem ac religionem voti violari permiserit. Hujus responsum undecim alii Magistri probarunt & sua subscriptione munierunt; quo facto, ad Universitatem perlatum est & litteris ejus munitum. Hinc patet novum non esse, ut plures Doctores separatim & extra Comitia quæstionis alicujus solutioni ab uno datæ subscibant, & ejusmodi Instrumenta haud minimi pretii & ponderis esse, ut quidam volunt. Extant ea de re Gersonii lucubrationes, & schedula ab undecim Doctoribus approbata, Parte 4. T. II. p. 730 & sequentibus.

De concedendis Joanni XXIII Decimis & Annatis disceptatio.

Cùm Joannes XXIII Universitati revocationem Bullæ ipsi admodum invisæ indulsisset, existimavit haud ægrè se impetraturum, ut exactioni Decimarum, redituumque Beneficiorum vacantium consentiret. Atque ut eam magis demereretur, VI Idus Julii Privilegia illius circa Beneficia ampliavit. Nihilominus Legati Pontificii, quibus præerat Cardinalis Pisanus, repulsam
1411. plenis Comitiis tulerunt. Nam primùm Joannis Diploma, quo decessoris Bulla circa Mendicantes revocabatur, insufficiens Universitati visum est, ac deinde censuit inhærendum esse Decreto anno 1406 à Conventu Gallicanæ Ecclesiæ condito, ut ea immunis esset ab omni præstatione Decimarum, procurationum, aliorumque hujusmodi vectigalium. Cautum est præterea, ut si Papa vellet Ecclesiasticis censuris Gallos ad eas solvendas cogere, ab eo ad Concilium generale Gallicanæ Ecclesiæ provocaretur. Nihilominus consultum, ut si Pontifex urgentem Ecclesiæ necessitatem prætexeret, & convocato Ecclesiæ Gallicanæ Concilio ea probaretur, ipsi subveniretur per modum subsidii caritativi, cujus collectores essent viri boni & prudentes à Concilio electi, qui pecunias collatas iis distribuerent, quibus à Concilio præscriptum foret. Re ad Consilium Regis delata, Pisanus Archiepiscopus, aliique Pontificis Legati, ea quæ petebant Cameræ Apostolicæ jure tum Canonico, tum Civili, tum Naturali deberi contenderunt. Hoc allegari non tulit Parisiensis Universitas, & Comitiis habitis Regem adeundum censuit, ut Legatus sententiam revocare teneretur, & ni faceret, deligendos ex Ordine Theologico, qui eam scripto refellerent. Confirmata insuper prioris Conventus conclusio, decretumque ad Præsules aliasque Universitates scribendum, ut Universitati Parisiensi sese adjungerent.

Alius deinde habitus est Conventus, cui plures Præsules interfuerunt, in quo nihil concedendum esse plurium vicit sententia: quamquam plerique Magnates ac Principes aliter sentirent. At paulò post horum autoritate effectum est, ut subsidium caritativum Pontifici non denegaretur. Legatus præterea ad Senatum Parisiensem Pontificiam epistolam detulit, quâ suam electionem &

pronum

pronum ad pacem animum significabat. Adjecit unus è Nuntiis ipsi in mente esse, Latinam & Græcam Ecclesiam inter, concordiam restituere, & Concilium generale tempore præscripto convocare, in quo Ecclesiæ tum in capite tum in membris emendatio fieret. Placuerunt hæc Senatui, suamque operam in promovendis tam salubribus consiliis pollicitus est. At cùm interceptæ essent Legati litteræ, quibus querebatur, Parisiensis Curiæ Judices contendere sese à subsidii præstatione immunes, nec de facto quidquam solvere, & de causis Ecclesiasticis, ratione Possessorii cognoscere; non parum commoti sunt Senatorum animi, statutumque ut immunitatis Diploma in scriniis regiorum Diplomatum conquireretur, ac Legato injungeretur, ne quid scriberet inposterum adversùs jus Curiæ, circa cognitionem causarum quæ ad possessionem Beneficiorum pertinent; & postulatum à Rege, ut Pontifici & Cardinalibus ea de re scriberet, ne Legati litteris fidem haberent, utque Privilegia & prærogativas Senatus Parisiensis sarta tectaque esse vellet. Hæc initio anni 1411 gesta. 1411.

Sequenti anno datæ sunt Regis litteræ, quibus eos qui tempore Neutralitatis ad Beneficia promoti erant, spoliari vetabat aut vexari. Eodem anno duo Conventus in Gallia habiti sunt. In primo Rex, de consilio Præsulum, Universitatum, aliorumque Clericorum statuit, ut Provisiones & Commendæ Ecclesiarum locum ampliùs in Regno minimè haberent. Ea de re Legatos ad Joannem XXIII Rex misit, ut Beneficiorum nundinationi quam palam exercebat obviaretur. Cùm autem Joannes haud quidquam pensi eam habuisset, latiùsque malum serperet, & per collationes ac gratias quas passim indulgebat, Regni opes infringeret, Regius Cognitor, Præfectusque Urbis Parisiensis ac Ædiles à Rege petierunt, ut huic malo vellet occurrere. Rem is ad Senatum remisit, qui convocatis omnibus Senatoribus, adjunctisque Præsulibus & viris Academicis, censuit revocandam esse Sanctionem anno 1406 circa Beneficiorum collationem latam: quod Senatus-Consultum à Rege probatum est; utque anni 1406 Edictum ubique in Regno observaretur imperatum. 1413.

Gersonii adversùs Joannis Parvi Doctrinam certamen.

Hoc tractu temporis, post luctuosam Ducis Aurelianensis cædem anno 1407 Burgundi operâ perpetratam, bellis civilibus inter utramque factionem ardebat Gallia. Gersonius quanquam Burgundo Duci obstrictus, tam dirum facinus detestatus est, & Joanni Parvo cædem hanc licitam esse contendenti acriter obstitit, utque propositiones ejus proscriberentur effecit. Quæ res occasio fuit maximarum atque intricatissimarum litium, quæ Gersonio graves crearunt molestias; quas cùm magno animo multis annis sustinuisset, vix perpetuo exilio declinare potuit. Sed hæc nihil necesse est hîc fusiùs prosequi, cùm integra hujus causæ Acta à nobis edantur. Quare his missis quæ Parisiis anno 1413 & 1414 ad damnationem libri Joannis Parvi gesta sunt; quæ in Concilio Constantiensi, Gersonii præsertim operâ ad extinguendum schisma statuta sunt, summatim enarremus.

§. 3.

Narratio eorum quæ ad extinguendum Schisma in Concilio Constantiensi & post Concilium gesta sunt, usque ad mortem Gersonii.

Indictio & convocatio Goncilii in urbem Constantiam.

POst Concilium Pisanum non tam extinctum quàm auctum schisma videri poterat, cùm pro duobus tres jam essent Summi Pontificatus titulo insigniti. Causa equidem Joannis XXIII potior erat, at non minùs invisa persona. Aliunde res ejus in pejus in Italia ruebant, cùm Ladislaüs Romam vicinasque urbes occupasset, & ad urbem Bononiensem quò Joannes confugerat obsidendam sese accingeret. In his rerum suarum angustiis Joannes coactus est à Sigismundo Imperatore consilium & opem petere, ac Concilium generale convocare. In Concilio, uti diximus, Pisano, ab Alexandro V statutum fuerat, ut post triennium Universale Concilium ad reformationem Ecclesiæ haberetur. Anno 1411 id Romam indixerat Joannes XXIII; sed incassum omnino, statim enim illud prorogarat, nullo assignato ejus tempore vel loco. Id primum monuit eum Sigismundus, ne Concilii locum indiceret, quin priùs Legatos quos ad ipsum mittebat esset allocutus. Hi Papam Florentiæ convenerunt, & de Concilii convocatione cum eo egerunt. Sed ut res citiùs transigeretur, Joannes duos ad Sigismundum, adjuncto Manuele Chrysolom Comite, Cardinales misit, data potestate ut de loco & tempore Concilii cum Imperatore convenirent. Constantiæ Urbs locus, tempus dies prima Novembris anni sequentis 1414 agendo Conventui destinata sunt. Quod à Legatis actum erat ratum habuit ipse Pontifex, colloquio cum Imperatore habito, & Concilium Constantiæ ad Kalendas Novembris anni 1414 indixit Diplomate in Lodensi urbe dato 2 die Novembris anno 1413; quo Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & generatim universos Ecclesiæ Præsules invitat, ut ei sive per se, sive per Legatos intersint. Bononiam inde reversus, copiarum delectum instituit, quas Ladislao ad obsidionem hujus urbis venienti opponeret, At is morbo correptus Neapolim redire coactus est, ubi paulò post decessit, Joannæ sorori Guilielmi Austriaci viduæ Regnum relinquens. Hoc nuntio recreatus Pontifex, & hoste adeo metuendo liberatus, Bononiæ rebus compositis, prima die Octobris anni 1414 ad Constantiæ iter sese accinxit, eòque pervenit 20 ejusdem mensis die.

Gersonii in Concilio partes.

Interea varii de Concilii successu rumores erant, variæ sententiæ. E nostris celeberrimi duo hac tempestate Doctores, Gersonius, & Petrus de Alliaco varia de eo opinabantur: hic pacis & disciplinæ Ecclesiasticæ restaurationem Concilii operâ ægrè admodum fieri posse censebat; ille è contra opportunissimum & præsentissimum ad pacem sanciendam, & mores reformandos hoc putabat esse remedium. Utriusque ea de re lucabrationes, in quibus amicè disceptant edidimus. Rex autem Galliæ convocatis Regni sui Præsulibus statuit, per Legatos ad Concilium mittendos inter cœtera proponendum, ut speciali Canone Sanctio quæ mense Februarii anni 1406 circa Beneficiorum dispensationem & collationem facta fuerat, simulque Libertates Ecclesiæ Gallicanæ confirmarentur. Legationis Regiæ princeps erat noster Joannes, quem etiam Universitas inter suos Legatos esse voluit. Ita in Concilio, Regis, Universitatis & suo nomine egit, tantæque fuit apud omnes Patres existimationis, ut nihil, nisi eo annuente

 & con-

1414 & consultante non solùm decerneretur, sed ne tentaretur quidem. Concilii hujus Acta fusè & sigillatim enarrare nostri non est propositi, cùm ea passim extent, & hujus Historia copiosè admodùm, cum plurimis monumentis ad illud pertinentibus, à viro Docto & laborioso Francofurti nudiùs tertiùs edita fuerit. Ea tantùm summatim attigisse sufficiet, quæ ad extinctionem schismatis pertinent.

Concilii initium. Adventus Legatorum Gregorii & Benedicti ad Concilium.

Anno 1414 ob infrequentiam Præsulum nihil agi potuit, absente Imperatore Sigismundo, & plerisque Principum Legatis. Sub ejus finem, in Vigilia scilicet Natalis Domini, Sigismundus advenit, ac paulò post Gregorii XII & Benedicti XIII Legati. Illi Pontificis quique sui nomine dixerunt, eum paratum esse Cessionis viam amplecti, nullum tamen afferentes ea de re scriptum Mandatum. Hi non ita apertè locuti sunt; mentionem tantùm injecerunt pacti initi inter Sigismundum & Aragonum Regem, quo convenerant Niciam se Aprili mense venturos ut de pace Ecclesiæ reddenda inter se tractarent. Ludovicus Bavarus qui à Gregorii partibus stabat, cùm ad Concilium advenisset, palam etiam declaravit Gregorium, eosque qui ipsi obediebant, paratos esse viæ Cessionis adhærere, nec in mora futuros, quominus optata pax haberetur, & in Concilio emendaretur Ecclesia, ea tamen lege, ut Conventui minimè præesset Joannes XXIII: quæ si concederentur, pollicebatur se Judicio Concilii pariturum, sive consentiret sive dissentiret Gregorius.

1415. Joannis de cedendo Pontificatu simulatio, & fuga.

Tum inter Patres Concilii, secluso Joanne XXIII, deliberari cœptum de extinguendo schismate, & de emendanda tam in capite quàm in membris Ecclesia. Quanquam autem omnes Pisani Concilii autoritatem agnoscerent, censebant tamen plerique, pro bono pacis, Joanni non minùs quàm Benedicto & Gregorio Pontificatu cedendum; eaque sententia unanimi tandem consensu comprobata est. Quæ res ut proposita est Joanni, in speciem libenter Cessioni consentire visus est, modò idem facerent alii duo de Pontificatu contendentes: idque etiam scripto professus est. At cùm rei eventus, juxta declarationem, ex beneplacito duorum aliorum penderet, coactus est aliam dare, quâ generatim sese obstringebat ad Cessionem Pontificatus, sive alii cederent, sive eorum morte aut alio casu interveniente, quo ex sua Cessione pax Ecclesiæ redderetur. Hæc declaratio ab eo in solemni conventu Concilii facta est 2 Martii anni 1315. Tum ab eo petitum, ut Sigismundo ad Regem Aragoniæ profecto, cum quo de negotio Benedicti ageret, abdicationis paciscendæ plenam faceret per scriptum potestatem. Abnuit Joannes, paratum se esse dicens conferre se ad locum aliquem ad quem accederet Petrus de Luna, ut de pacis conditionibus convenirent. Cùm intellexisset Concilium, id ab eo proponi, ut abdicationi Pontificatus moræ necterentur, metuendumque esse ne in absentia Pontificis conventus dissolveretur, & amborum colloquium frustra omnino futurum, Pontificem discedere noluit. At ille die 20 Martii clam ex urbe evasit, & Schafusam, Ducis Austriæ qui tum Constantiam venerat & Joanni suffragabatur, Castellum confugit.

Decreta de Concilii autoritate.

Habita est nihilominus Sessio tertia Concilii die 25 Martii, in qua declaratum est, Concilium legitimè inchoatum, discessu Pontificis dissolutum non esse, nec dissolvi debere, nisi schismate extincto, transferri quoque non posse, nisi justâ de causâ, consensu & autoritate Concilii comprobatâ; nec cuiquam Præsulum, aut aliorum qui Concilio interant, discedere licitum esse.

Subsecuta est die 30 ejusdem mensis 4 Sessio. In ea solemne Decretum de autoritate Concilii generalis promulgatum est his verbis conceptum. *Hæc Sancta Synodus Constantiensis generale Concilium faciens, pro extirpatione schismatis, & unione ac reformatione Ecclesiæ Dei, in capite & in membris facienda, ad laudem Omnipotentis in Spiritu Sancto legitimè congregata, ad consequendum faciliùs, securiùs & liberiùs unionem & reformationem Ecclesiæ Dei, ordinat & definit, statuit, decernit & declarat ut sequitur. Et primò quòd ipsa Synodus in Spiritu Sancto congregata legitimè, generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam Militantem repræsentans, potestatem a Christo immediatè habet, cui quilibet cujuscumque Status vel Dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad Fidem & extirpationem dicti schismatis, ac generalem reformationem Ecclesiæ Dei in capite & in membris.* In quibusdam MSS. desunt hæc verba, *in his quæ pertinent ad Fidem*: in aliis quibusdam Vaticanis hæc clausula, *ac generalem reformationem Ecclesiæ Dei in capite & in membris.* At in pluribus aliis codicibus, quorum nonnulli tempore Concilii Constantiensis scripti sunt, Decretum ea ad verbum continet, quæ retulimus: & in omnibus codicibus Sessionis sequentis ita etiam habetur, ac refertur à Gersonio, tempore ipso Concilii, in libro, *De potestate Ecclesiastica*, T. II. p. 2. pag. 231, & in Sermone habito Constantiæ, in Festo S. Antonii, ibid. p. 355. Immeritò ergo Schelestratus Basileenses Patres criminatur, quasi horum additamentorum Autores, ut Papam Concilio subjicerent. Nam præterquam quòd ex Gersonii Scriptis constat haud dubiè, hanc fuisse Concilii Constantiensis sententiam, Pontificem Concilio subjectum esse; vel hæc sola verba indicant, *cui quilibet cujuscumque Status vel Dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur:* quibus docetur Papam, non secus ac alios omnes Fideles Concilii generalis Judicio subesse. Sed quamvis in ea Sessione de additamento clausulæ aliqua fuisset disceptatio; sublata sanè est in Sessione proxima, in qua Decretum hoc relectum & repetitum est integrum ut jacet; quod quidem inficiari non audet Schelestratus, probaturque ex Actis manuscriptis quæ ab ipso edita sunt.

Responsum Joannis XXIII de secessu suo.

Sub vesperum ejusdem diei, Remensis Archiepiscopus narravit conventui, se missum ad Joannem, ut discessus causam ab eo quæreret: hoc responsum per Cardinalem de Challanto, Joannem neque per vim Constantiâ expulsum, nec propter metum, sed valetudinis ergò, quoniam urbis aër minus esset salubris, excessisse, paratumque se ea omnia implere, quæ promiserat in Concilio; Imperatorem à se diligi, optareque se cum eo colloqui, si Niciam ire vellet, ut cum Petro de Luna coiret.

Decreti Constantiensis, de autoritate Concilii quæ intelligentia.

In Sessione Aprilis sexta die habita, relectum & confirmatum est superius de Concilii autoritate Decretum, statutumque Joannem, nì Pontificatu sese ultrò abdicaret, eo dejectum esse; & nì Constantiam rediret, in eum agendum ut in fautorem schismatis, & hæreseos meritò suspectum. Quoniam verò hîc Decreti Concilii Constantiensis, de autoritate Concilii in Papam facta est mentio, eos per transennam refellere juvat, qui illud de schismatis tantùm tempore, intelligi

telligi contendunt, cùm de Summo Pontificatu inter dubios Pontifices certatur; nec posse ad illud tempus extendi, quo unus & certus est Summus Ecclesiæ Pontifex. 1415.

Quod quidem effugium quàm vanum sit, ex nostro Gersonio palam est: in eo quippè totus est, ut autoritatem Concilii cujuslibet generalis in quemlibet Papam statuat. Sed & eam in rem apertum est Concilii Decretum. Primùm enim, generale Statutum est de quocumque Concilio generali, nullis terminis circumscriptum, nullâ exceptione limitatum. 2. Non solùm casum extirpationis schismatis exprimit, sed & reformationem Ecclesiæ tam in capite quàm in membris, & ea quæ tùm ad Fidem tùm ad mores spectant. 3. Non tantùm hujus Concilij mentionem facit, sed & cujuscumque alterius generalis legitimè congregati. 4. Pœnas statuit generales adversùs eos qui Concilij generalis Decretis non parerent, cujuscumque dignitatis tandem sint. 5. Autoritatem Concilij in Papam ex eo derivat, quòd Ecclesiam Catholicam repræsentet & errare non possit, quæ duo Conciliis omnibus generalibus conveniunt, quo quo tandem tempore celebrentur. 6. Concilium Joannem XXIII pro legitimo haud dubiè Pontifice agnoscebat; sed hunc Concilio parere vult, & ex ejus nutu abdicare se Pontificatu, ac ni faciat, abdicandum esse decernit, ut & renuentem postea reverà abdicavit. Nihil est ergo quod ad tempus tantummodo schismatis & incerti Pontificis, Concilij verba detorqueantur. Nec verò Decreti hujus autoritas nutare potest, cùm pleno Concilio factum fuerit ex unanimi Patrum consensu, re priùs per Nationes singulas discussa & ita definita; cùmque postea simul cum cœteris Constantiensis Concilii Decretis à Papa Martino V solemniter approbatum fuerit.

Joannis accusatio & abdicatio.

Verùm ut ad narrationis seriem redeamus, in sexta Sessione 27 Aprilis celebrata missi sunt ad Joannem XXIII Legati, qui ipsum vocarent ad Concilium, ut ibi promissa impleret, aut si ipse nollet accedere, peterent ab eo ut per scriptum Procuratores nominaret, quibus suo nomine Pontificatui renuntiandi potestatem daret. Hi Friburgum apud Helvetios Joannem quò confugerat convenerunt, & mandata Concilii exposuêre. Respondit missurum se ad Concilium mandatum, & misit quidem, sed quod insufficiens est judicatum. Interea varias abdicationis suæ conditiones proposuit, quibus cùm id eum moliri Patres Concilii intellexissent, ut Pontificatum retineret, in ipsum secundùm Juris Leges agere incipiunt. Citatus est ad Concilium, multorum criminum accusatus, auditi in eum testes, lecta publicè testimonia, donec ipse Joannes à Duce Austriæ desertus, captus & è Friburgo in castellum propè Constantiam adductus, se Concilii Judicio pariturum promisit, & quæcumque contra se gesta erant approbavit.

Tum in duodecima Sessione 26 Maij celebrata, peremptoria in eum est lata Sententia, quâ „ ejus ex urbe Constantia discessus illicitus, scandalosus, pacis Ecclesiasticæ perturbativus, „ schismatis prorogativus, voto, promissis, & sacramento quæ Deo, Ecclesiæ & Concilio „ emiserat contrarius est pronuntiatus. Ipse notoriè schismaticus, bonorum Ecclesiasticorum „ dilapidator, temporalium & spiritualium rerum eversor est declaratus, atque ob scandalum „ Ecclesiæ datum, cùm admonitus emendare se neglexisset, de Pontificatu dejiciendus, ut & „ de facto Concilium eum dejicit, & Fideles à sacramento Fidei & obedientia immunes esse „ decernit, vetatque ne eum pro Pontifice agnoscant, aut Papam appellent. Demum eum „ in custodia retinendum esse decernit, sub præsidio Sigismundi Regis Romanorum, facultatem „ nihilominus sibi reservans, alias in eum pœnas indicendi, vel ad strictos Juris apices, vel „ juxta misericordiæ modum. Prohibetur insuper, ne quis è tribus contendentibus Pontifex „ eligeretur, & si quis electus foret, irrita ejus declaratur electio, ediciturque, ne quisquam „ Christianus ipsi pareat.

Angeli de Corario cessio voluntaria.

In Sessione 14 quæ quartâ die Julij habita est, Cardinalis Ragusinus, & Carolus de Malatestis Dux Anininensis * Concilio obtulerunt Diploma Angeli de Corario, seu Gregorij, quo rata habebat quæ fierent in Concilio, & Procuratorem qui suo nomine ageret nominabat Carolum de Malatestis, cui etiam aliâ Bullâ dabatur specialis potestas nomine Gregorii, juri quod ad Pontificatum habere se contendebat renuntiandi. Is in eadem Sessione idipsum prestitit. Tum ex Collegiis Cardinalium Joannis & Gregorij unum effectum est.

* *forsan leg: in MS.* Ariminensis

Abdicatio Petri de Luna seu Benedicti XIII.

Unus tum restabat è tribus contendentibus Perus de Luna, cui à Concilio injunctum, ut intra decem dies jure suo cederet; alioquin declaratur schismaticus, incmendabilis, pertinax, hæreticus, sacramenti violator, dignitate & honore Pontificali indignus & dejectus, omni jure destitutus, vetitumque ne Papæ nomen assumat, & ne quisquam Christianorum ei pareat, auxilium aut subsidium præstet; & omnibus imperatum, ut illum pro schismatico, pacis Ecclesiæ perturbatore & hæretico habeant; idemque de ejus fautoribus judicent.

Iter Sigismundi ad Regem Aragonum.

At Benedictus cedere præfractè nolebat, nec cogi poterat, nisi à Rege Aragoniæ, in cujus ditionem confugerat, consentiente. Ad hunc dimovendum à proposito, aut saltem ad compellendum Aragoniæ Regem ut eum ad cedendum jure suo cogeret, Sigismundus Imperator haud dedignatus est ipse in Aragoniam proficisci, ut rem cum Aragoniæ Rege transigeret. Hunc abeuntem votis prosecutus est conventus Constantiensis, & pro hujus itinere solemnes indixit preces ac Supplicationes, in quibus habita est ad Regem nomine Concilij à Gersonio Oratio die 21 Julij, quam habes T. II P. 2 p. 273. Narbonam, quæ urbs colloquio habendo dicta fuerat, cùm venisset Rex Romanorum, ibi Aragoniæ Regem aliquamdiu expectavit, sed cùm comperisset eum Perpiniani morbo detentum, illuc cum Concilij Legatis profectus est. Venêre etiam in hanc urbem Legati eorum qui Benedictum agnoscebant, ipseque Benedictus licèt diu expectatus tandem advenit. Verùm nil motus Imperatoris, Regum, Principum & populorum precibus, Pontificatu cedre pertinaciter recusavit; & ne ad id cogeretur, clam Perpiniano discessit. Post hujus discessum, Principes & populi qui ipsi parebant, omnem de eo curam abjecerunt, & ad Sigismundum qui Narbonam jam redierat, Legatos misêre, ut de pace agerent. Ibi die Decembris 15 res transacta est his conditionibus.

Obedientia substracta ab ijs qui parebant Benedicto, & quibus conditionibus.

1. Ut Præsules Concilii Constantiensis eos qui à Benedicto stabant convocarent per litteras quæ à Rege Aragoniæ ad Principes hujus obedientiæ dirigerentur, per eos Præsulibus suis tradendas, quibus ad Concilium invitarentur tertio mense postquam Regi Aragoniæ redditæ forent. Et vicissim Reges & Principes obedientiæ Benedicti convocaturos per litteras ad idem

tempus

1415. tempus Constantiam, Præsules alterius obedientiæ. 2. In hisce litteris generatim tantùm exponendam Concilij causam his verbis.

Ob extirpationem schismatis & hæreson, Ecclesiæ Romanæ adunationem, Universæ Ecclesiæ reformationem in capite & in membris, unius Summi Pastoris electionem, aliasque causas quarum cognitio ad Concilium generale de jure spectat. At Imperatorem, Legatosque Concilij seorsim scripto promissuros, nihil statuendum in Concilio, quod Reges, Principes ac Præsules obedientiæ Benedicti lædat. 3. Præsules hujus obedientiæ in Concilium admittendos statim atque illuc venerint; & tum unanimiter in Benedictum agendum, nisi Pontificatu se abdicare velit, & litem ejus juxta Leges Juris instituendam, nullâ habitâ ratione eorum quæ in Concilio Pisano acta sunt; nec eligendum alium Pontificem, nisi priùs ejus abdicatione pronuntiata. 4. In irritium mittenda, in quantum necesse foret lites, Judicia, Decreta, aliaque ob causam schismatis facta per Gregorium aut Joannem XXIII, eorumque prædecessores, & à Concilio Pisano contra Benedictum & eos qui ejus partes sequebantur. 5. Approbandas & confirmandas omnes collationes Beneficiorum, aut concessiones à Benedicto Principibus aut Prælatis obedientiæ suæ factas. 6. Cardinales ejus Collegij fruituros omnibus Dignitatibus ac Privilegiis Cardinalatus. 7. Curialibus hujus providendum, 8. Quòd si contingeret Benedictum ante renuntiationem aut depositionem mori, haud laturos Principes ejus obedientiæ in suis Ditionibus alium Papam eligi; & si quis eligatur, eum ab ipsis nec agnoscendum nec tolerandum. 9. Cardinales diversarum obedientiarum qui eumdem habent titulum, pendente Concilo illud retenturos, sed utriusque ante finem Concilii dignitati & honori provisum iri. 10. Dandos esse salvos-conductus Benedicto & cunctis ejus obedientiæ qui ad Concilium accedere velint. 11. Imperatorem & Legatos Concilii sacramento se adacturos, à Concilii Præsulibus hæc pacta probatum ac executioni mandatum iri. 12. Utrisque hujus Instrumenti exemplaria autentica concedenda.

1416. Hæc autem cùm Constantiam à Legatis Concilii allata essent & lecta in Congregatione generali habita 30 Januarii anni 1416, ibi probata sunt, & Cardinalium ac Præsulum Concilii

Abrogatio Benedicti. subscriptione firmata: nec pactis fides defuit. Convocati utrimque Præsules, ac post dictum tempus, Legati Regis Aragoniæ ad Concilum venerunt die 15 Octobris. Hinc actio instituta in Benedictum qui Panischolam, munitum Aragoniæ Castellum confugerat. Post inquisitiones ac citationes pro more factas, cùm Reges Aragoniæ atque Castellæ obedientiam subtraxissent & Ducem Ameniacum * in potestate Regis Galliæ futurum Gersonius dixisset: tandem die 26 Julii anni 1417 in trigesima septima Concilii Sessione cui Sigismundus adfuit,

1417. * Forsan leg. in MS. Armeniacum sive Annoniacum vel Atiminiacum.

„ Contumax est declaratus, ac damnatus ut perjurus, Ecclesiam Universalem scandalisans, schismatis fautor, pacis Ecclesiæ perturbator, schismaticus, hæreticus, & omni dignitate ac honore „ indignus, de jure quod poterat ad Pontificatum habere dejectus, ab Ecclesia extoris, & Pontificatus dignitate spoliatus à Concilio, vetitumque ne quis Fidelium cujuscumque conditionis „ esset aut dignitatis ipsi pareret, aut perfugium daret; simulque omnia Judicia, Acta, Decreta &c. „ in contrarium data, in irritum missa.

De electione futuri Pontificis, & reformatione &c. Concilij Decreta. Ita dejectis tribus contendentibus, unus ac legitimus eligendus supererat Pontifex. Sed Germani instabant ut priùs emendationis Ecclesiæ Decreta conderentur. Cardinales è contra electionem Pontificis sine mora faciendam censebant. Post varias altercationes conventum, ut à Concilio reformationis Ecclesiæ, tum in capite tum in membris capita exponerentur; utque Pontifex eligendus, ante finem Concilii hanc reformationem perageret. In Sessione 39. Octobris die nona habita, editum est Decretum de frequenti Conciliorum convocatione; statutumque in quadragesima Sessione, quæ ejusdem mensis die 30 habita est, ut futurus Pontifex ante Concilii dissolutionem, simul cum Concilij Patribus, aut viris ad id deputatis, propositis reformationis capitibus provideret. De Annatis diù & acriter disceptatum: tum de futura Pontificis electione decretum: fieri eam jussère Patres, absentibus licèt Cardinalibus Petri de Luna, ea conditione, ut si ante factam electionem advenissent, ad vota ferenda admitterentur. Atque ut solemnior esset electio, statutum, ut pro hac tantummodo vice, sex ex unaquaque Natione Præsules Cardinalibus adjungerentur; utque is qui duabus suffragiorum per Cardinales latorum partibus vinceret, si duo ex singulis Nationum Deputatis concurrerent, Pontifex agnosceretur.

Electio Martini V & solutio Concilij. Nominatis Deputatis, Electores ingressi sunt Conclave die 8 Novembris, ac die Jovis sequenti quæ S. Martino sacra erat, in Papam communibus votis electus est Odo de Columna Cardinalis Diaconus tituli S. Georgii, qui Martini nomen, ob Festum incidens assumpsit. Is eadem die in-

1418. thronisatus est; & coronatus die 21 ejusdem mensis. Paucis ille Constitutionibus circa reformationem editis, & indicto Ticinum Concilio die 22 Aprilis anni 1418 conventum solvit, invitis quampluribus Patribus, qui emendationem priùs ex compacto fieri volebant; & repugnante Gersonio ac Polonis, à quibus frustra propositionum Joannis Parvi, & Operis editi à Falkembergo damnatio flagitabatur. Quapropter adversùs Concilii conclusionem scripto protestati sunt, ac Poloni appellationem interposuerunt.

Edicta Galliæ in Curiam. In Gallia Martini V electio probata: sed quia Concilium emendationi Ecclesiasticæ disciplinæ non consuluerat, confirmatum est Decretum de collationibus Beneficiorum anni 1406, statutumque ut ad amussim observaretur: ac alio Edicto Annatæ, omnes reservationes & gratiæ Curiæ Romanæ in Regno sunt penitus abrogatæ, vetitumque ne pecunia extra Regnum, Beneficiorum causâ asportaretur.

Mors Gregorii & Joannis. Benedicti pertinacia. Ante Concilii Constantiensis finem, Gregorius XII è vivis abierat; Joannes autem XXIII qui captivus erat, elusis custodibus elapsus, Florentiam venit, & ad pedes Martini prostratus, ab eo benignè exceptus est, concessumque ut in Collegio Cardinalium Decani locum obtineret. Quo quidem honore haud diù gavisus est; nam sexto post mense Florentiæ obiit.

Unus superstes fuit Benedictus XIII, in Castello Panischolæ conclusus, nomen & insignia Pontificatus retinens, quatuor stipatus tantùm Cardinalibus. Missus est ad eum à Martino Cardinalis S. Eusebij Florentinus Legatus in Aragoniam, qui ipsi injungeret sub pœna Censurarum Ecclesiasticarum, ut Pontificatui renuntiaret. Id pro bono pacis faciendum esse censuerunt Cardinales qui cùm eo erant. At ille solitum dedit responsum, se conventurum cum adversario, ut quid facto opus esset consulerent. Tum à duobus è suis Cardinalibus desertus est,

est, reliquis tantùm duobus, quorum unus Carthusianus erat, alter Julianus de Obla dicebatur. Tunc Hispani omnes Martinum solum pro Pontifice agnoverunt. Eorum exemplum mox secuti sunt Scoti, ac demum Armeniacæ * ditionis homines: atque ita tota Benedicti autoritas Panischolæ limites non excedebat. Nihilominus haud multò post, Alphonsus Aragoniæ Rex Martino infensus, quòd Ludovico III Andegavensi Duci Neapolitanum Regnum adjudicasset, Benedicti jura revocare conatus est, Legatumque ad Concilium quod Senis haberi debebat misit, ut ibi Benedicti partes tueretur. Quæ res una è causis fuit, propter quas à Martino Concilium in aliud tempus dilatum est. Demum Benedicto anno 1424 mortuo, Cardinales qui cum eo erant Ægidium Munionem Barcinonensis Ecclesiæ Canonicum Hispanum in Pontificem elegerunt, qui se Clementem VIII cognominari voluit. Cardinales creavit, & omnia Pontificum Munia obiit. 1424.

* *forsan leg:* Anneniacæ

Electio Clementis VIII in locum mortui Benedicti.

At concordiâ deinceps inter Martinum & Alphonsum initâ, coactus est iste Clemens juri suo renuntiare inter manus Cardinalis Fuxi Legati Pontificii in Aragoniam. Atque ut Cessio minùs turpis esset, Bullam dedit die 26 Julij anni 1429, quâ declaravit se jure suo quantumvis certo & aperto purè ac liberè, sine dolo & metu renuntiare. Eademque die tres è Cardinalibus ejus sociis, in locum quemdam cui Conclavis nomen imposuerunt ingressi, Odonem de Columna priùs à Clemente ante abdicationem à Censuris absolutum, in Pontificem elegerunt, quem Martinum v dici voluere, & ut ab omnibus ei pareretur edixerunt. Hac umbratili perfecta electione, die Sabbati 13 Augusti Ægidius Munio, tres hujus Cardinales & Panischolæ cives in Legati Palatium, quod tribus leucis à Panischola distabat venêre, ut Martinum agnoscerent in Pontificem, eique obedientiam voverent. Non tamen ad Sacra admissi, quin priùs Absolutionem à Censuris, & restitutionem in integrum à Legato petissent & accepissent. Ægidio Munioni Episcopatus Majoricæ Insulæ concessus: recens ab eo creati Cardinales ultrò Cardinalatui nuntium misêre. Duo velites in carcerem priùs conjecti fuerant, ubi tædio & inædia perierunt. Ita hoc anno schismati, quod per annos quinquaginta & unum duraverat, finis impositus est.

Abdicatio Clementis. 1429.

Is etiam annus fatalis Gersonio fuit, qui post Constantiense Concilium Burgundiæ Ducem metuens, sub specie peregrini aliquamdiu in Germania latuit, ac Lugdunum cùm venisset, ibi diem clausit extremum, ut in hujus Vita mox narraturi sumus. Mors Gersonii.

GERSONIANA.

LIBER II

Joannis Gersonii, Petri de Alliaco, Nicolai Calmengii, aliorumque coætaneorum Scriptorum Vitas continens.

§. I.

VITA JOANNIS GERSONII.

Gersonii Parentes & Natalitia.



NAtus est JOANNES CHARLERIUS anno 1363 die 14 Decembris S. Nicasio sacrâ, in Viculo Remensis Diœceseos propè Rhetelium, cui nomen erat *Gerson*, à quo etiam GERSON cognominatus est, pro temporis hujus more. Solebant enim Magistri tum, omisso sæpe familiæ, quæ plerumque obscura erat, nomine, loci natalis cognomento insigniri. Ita à Patria noster Joannes, *de Gerson* dictus est, ut & seipsum in subscriptionibus vocat. In mss. quibusdam codicibus legitur *Jarson* sed vitiosè & ex pronuntiatione populari vocis *Gerson*. Aliquando Latina terminatione dicitur *de Gersono*, & vulgariter nunc *Gersonius*. Patrem habuit *Arnulphum Charlier*, matrem *Elizabetham La Chardeniere*, quos, ut ait ipse, *Deus bis senaprole donavit*, puellis septem, maribus quinque.

Horum Primogenitus is cujus Vitam scribimus; è quatuor aliis unus cui nomen erat *Petrus* infans est mortuus. Tres reliqui Monachi fuêre. Unus Joanni nostro cognominis inter Theologos Navarrici Collegii ad annum 1404 recensitus, Ordinis Cœlestinorum Monachus, circa finem vitæ nostri Gersonii Lugdunensi Monasterio præpositus erat. Secundus Nicolaus, inter Artistas Navarricos memoratus anno 1391 Cœlestinorum quoque vitam amplexus est, vir austerioris vitæ. Hujus mortui sanctitatem Gersonius cui admodum carus erat, laudat in Monicho. Tertius itidem Monachus Rhemis professus est, ut ex quadam epistola Gersonii intelligitur. Inter sorores *Paulinam* præcipuè commendat Gersonius, & beatam ejus mortem prædicat.

Gersonii educatio & Studia.

A parentibus sanctè & piè educatus Gersonius cùm primùm adolescentiam attigit, ad Parisiensem Academiam anno 1377 ablegatus est. Eò Artistarum Societati in Collegio Navarræ ascriptus est sub Laurentio Guilleto eam tunc regente. Anno 1381 licentiatus est in Artibus sub M. Joanne Loutrarii in prima auditione apud Cancellarium Parisiensem. Anno 1382 gradum fecit ad Theologicam ejusdem Navarræ Societatem sub Joanne Laurentio de Chavangiis ejus tunc Præposito; in hac decem annos transegit; per septem annos M. Petrum de Alliaco, & per tres Ægidum Campensem audiit.

Intenim annis 1383 & 1384 Nationis Gallicanæ in Universitate Procuratorium Magistratum gessit. Baccalaureus cùm esset, unus fuit è Legatis Universitatis, qui anno 1387 ad Clementem VII in negotio Joannis de Montesono Avenionem missi sunt. Hinc redux coram Academia solemnes Orationes habuit, quæ uti ingenii præstantiam indicant, haud mediocrem quoque præseferunt humaniorum litterarum notitiam. Nam præter Sacra dicta non inscitè prolata, selectis Ovidii, Virgilii, Terentii, Horatii, Senecæ, Persii, Ciceronis aliorumque sententiis, elegantiam Orationibus singularem, & haud vulgare pondus addere consueverat. Anno demum 1392 Doctoris Theologiæ titulum adeptus, Ecclesiæ & Academiæ Parisiensis Cancellarius, in locum Petri de Alliaco qui hoc munere sese abdicaverat, renuntiatus est anno 1393, seu potiùs ut Hemeræus Doctor Sorbonicus, in libro suo de Academia Parisiensi scribit, anno 1395. Brugensis paulò post Ecclesiæ Decanatum, Ducis Burgundiæ suffragio adeptus est.

Gersonii Munera, ac præsertim Cancellarii Parisiensis.

Cancellarii Officium, ut par erat, summa cum laude sustinuit Joannes Gersonius, & magnâ tum fide, tum gravitate, tum prudentia difficillimis temporibus gessit. Academiæ commoda, Ecclesiæ pacem, Regni tranquillitatem ac gloriam, Studiorum dignitatem omni ope, industriâ, labore promovit. At multas in eo Munere passus est molestias, quas ipse egregiè exponit in Scripto ea de re confecto, quod extat Tomo IV. P. 2. p. 725 quam consule. Inter has autem prima & præcipua erat, quòd cogeretur pluribus Dominis Potentibus & Magnis qui infensi sibi mutuò erant complacere vel obsequi, Duces, Aurelianensem & Burgundum, quorum nomina reticet, indigitans. At ne propositum exequeretur obstitit Ducis Burgundiæ, cui se post Deum omnes operas suas debere fatetur, mandatum, quo Cancellarii dignitatem retinere, & Parisiis manere coactus est.

Legationes Gersonii ad Benedictum.

Quæ fuerit ejus, cùm de substractione obedientiæ Benedicto in Gallia ageretur, mens atque sententia, jam à nobis dictum est. Eâ restitutâ, secundâ Feriâ Pentecostes anni 1403, in Supplicatione publica Orationem habuit, quâ Ecclesiæ Gallicanæ propterea gratulatur. Hinc non tam missus, inquit, quàm coactus, Legatus ad Benedictum, duas Orationes coram eo habuit; unam Massiliæ, alteram Tarascone; & in utraque Pontificem hunc ad pacem promovendum, etiam viâ Cessionis ultroneæ hortatus est. Has Orationes æmuli, ejus dicta malè interpretantes, perstrinxerunt, & iis Gersonio invidiam conflare conati sunt: quorum calumniis obviam ivit Epistolâ ad Petrum de Alliaco Cameracensem Episcopum. Nec obtrectatorum livor impedivit, quominus in solemni Legatione ad Gregorium & Benedictum missa anno 1406, unus esset è Legatis.

Ab

Oratio Gersonii de Conc. Pisano cui ipse interfuit.

Ab hac Legatione reversus anno 1408, in Concilio Provinciali Remensi Festis Pachalibus, *Reformationem omnium statuum Ecclesiasticorum* magno affectu longaque Oratione commendavit: & in eodem Concilio Tractatum perutilem, *De Cura Prælatorum* edidit: tum imminente Concilio Pisano plures de schismate sedando Tractatus composuit. Cùmque Anglorum Legati ad Concilium Pisanum missi Lutetiam venissent, Parisiensis Academia Gersonium elegit, qui coram iis Orationem haberet, quâ Concilii necessitatem demonstraret & autoritatem astrueret, ut remotis duobus Pontificibus inter se contendentibus, tertius eligeretur. Huic Concilio interfuit Gersonius, & electo Antistiti Alexandro v solemni Oratione gratulatus est.

Sæva in Gersonium tempestas.

Reversus in Galliam Gersonius, cùm ex Pisani conventus Decreto, generale Concilium propediem convocandum esset, in id incubuit, ut quæ in Concilio generali tractanda erant præverteret. Hoc consilio, de pace & unione Græcorum, ac de Ecclesiæ reformatione scripsit. Tum etiam molestissimo dissidio inter Burgundum & Aurelianensem implicitus est. Cùm enim pro sua æquitate, Ludovici Aurelianensis Ducis infandam cædem Burgundi operâ perpetratam palam detestaretur, seditione Parisiis orta anno 1413 à seditiosis quæsitus ad necem vel in carcerem raptus fuisset, nisi fugâ sibi consuluisset, ac in fornicibus Ædis B. Mariæ per aliquot dies delituisset. Erat tum Ecclesiæ S. Joannis in Grævia Pastor, quæ ei commendata jam erat anno 1405 cùm Orationem habuit coram Rege, cujus initium *Vivat Rex*; quam haud diu deinceps retinuit. Omnis ejus suppellex à seditiosis direpta, bonaque dissipata sunt.

Gersonii in damnando Joannis Parvi Libello labores.

Hac tempestate sedata, Joannis Parvi Opusculum, quo cædem Ducis Aurelianensis licitam fuisse, & Tyrannum jure occidi posse contendebat, delatum est: cujus gravissimi negotii prosequendi cura Gersonio ab Academia demandata est. Is enim ab ea delectus, qui apud Regem Causam ageret, in Oratione quam ad ipsum habuit die 4 Sept. cujus initium: *Rex in sempiternum vive*, novem propositiones è Joannis Parvi libro excerptas refellit & damnavit. Hujus sententiam sequenti die unanimi consensu probavit Academia. Hinc operâ Gersonii indicti à Rege Judices qui de hoc negotio cognoscerent, adhibitis in consilium Sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis Doctoribus. Gessit in hoc consessu Gersonius Parisiensis Academiæ personam, & eo instigante potissimùm, post longam deliberationem proscripta est Joannis Parvi Doctrina, propositiones censurâ notatæ, ac damnatus liber & igni addictus. Delata per appellationem Burgundionis Ducis ad Sedem Apostolicam Causa; eaque ad Concilium Constantiense devoluta, quantùm laborum ac molestiarum in defendendo Parisiensi Judicio sustinuerit in eo Concilio Gersonius, abundè docent monumenta à nobis edita; quibus constat illum nullis neque impensis, neque laboribus pepercisse, ut Doctrinæ Joannis Parvi damnationem extorqueret; eumque nec Potentum gratiâ, nec periculorum imminentium metu, nec Cardinalium, imò & Pontificis offensione à proposito deterreri potuisse; ac calamo & voce, Orationibus, lamentationibus, querelis, operibus, potestationibus, schedulis, libellis supplicibus, imò & appellationibus, aliisque omnis generis Scriptis, Causam hanc sedulò & acriter, tum suo tum Regis, tum Universitatis nomine in Concilio egisse.

Gersonii in Concilio Constantiensi autoritas.

Verùm non in hac tantùm Causa enituit in Concilio Constantiensi Gersonii virtus & autoritas: quin & eorum omnium quæ in Concilio gesta sunt non solùm particeps, sed & autor fuit. Fungebatur in eo Legatione Regis Christianissimi, Parisiensis Academiæ & Senonensis Ecclesiæ, quæ res magnam ipsi conciliabat autoritatem: sed majorem eruditio insignis & incorrupta Religio. Hinc in omnibus contentionibus, sive cum Pontifice, sive cum Joanne Hus, & Hieronymo de Praga, sive in proponendis reformationum capitibus primas partes egit.

Gersonii in Concilio Constantiensi gesta.

In Joannem XXIII fugitivum & Concilii autoritatem declinantem primus insurrexit, & Concilii autotitatem Pontificis potestate superiorem esse, primus in Concilio publicâ Oratione docuit. Præclara eâ de re Scripta edidit, & conficiendorum de autoritare Concilii generalis Decretorum autor fuit; viam Cessionis ad restaurandam Ecclesiæ pacem inculcavit, & Joannem XXIII ac Benedictum abdicare se Pontificatu renuentes, justè ac legitimè deponi posse ostendit, utque id Concilii Patres efficerent obtinuit. Wiclefi & Hussi dogmata refutavit, ac hujus sicut & Hieronymi de Praga damnationem promovit. In eos qui Communionem sub utraque specie tanquam necessariam restitui vellent scripsit. Brigittæ Canonizationem indirectè videtur impugnasse, edito *De probandis spiritibus* Opusculo: sed impedire nequivit. Ecclesiæ Universalis emendationem ardentissimè exoptavit; utque eam Concilium in se susciperet, publicis privatisque Orationibus & Scriptis enixè postulavit, & ad extremum usque vehementissimè ursit, eamque neglectam & in aliud tempus delatam esse inpensissimè doluit. Matthæi Grabon Ordinis Prædicatorum Theologi Wimariensis Provinciæ Saxoniæ, Mersburgensis Diœceseos in Concilio Constantiensi oblatum *De vera Religione ac perfectione* libellum peculiari Opere refutavit, tredecim Theologorum ex diversis Academiis Concilio præsentium adjecto calculo. Cùm Antonius Cardinalis hujus Causæ Judicium præpararet, Matthæus Grabon ad recantationem & abjurationem suæ Doctrinæ & Scripti adactus est. Vincentium Ordinis Prædicatorum per litteras ad Concilium invitavit, & nihilominus hujus de flagellationibus opinionem amicè refellit.

Gersonius Synodo finitâ sub Peregrini habitu discedit.

Synodo finitâ, Joannes Gersonius tot laborum suorum, insignisque pietatis, ac in Justitiam & Verum ardentissimi amoris non aliud præmium consecutus est, quàm perpetuum exilium. Cùm enim Burgundi Ducis, acerrimâ damnationis libri Joannis Parvi prosecutione, odium concivisset; Lutetiam Anglorum & Burgundionum Dominationi obnoxiam redire non ausus, instar alterius Athanasii aut Chrysostomi, in spontaneum exilium propè sexagenarius abiit. Igitur Peregrini habitu indutus Constantiâ profectus est, solutis expensis Notario in Causa Parvi die 6 Maii anni 1418. Sed en tibi ornatus ipsius Figuram, quam Prosâ & Versibus adumbravit, in tabella oculis subjiciendam curavimus.

JOANNES CANCELLARIUS PARISIENSIS

Germano suo Chariſſimo Ordinis Cæleſtinorum Monacho.

Pſ. 72. 26. *INclinavit cor meum vel curioſitas, vel vanitas, vel ut piè confido, charitas illius qui dixit*, Cor meum Deus, cordis mei & pars mea Deus in æternum, *ut mihi deſcriberem arma & ſcutum & cordis & Fidei, & qualem militiam mihi neceſſariam & accommodam figurarem pro præſenti* vita, *quæ teſte Job eſt*, militia hominis ſuper terram. Meditatus ſum cum corde meo *plurima: tandem aſcendit mens in hunc* affectum cordis, *ut ſibi ipſi cor alatum & ignitum ſignatum ſigno Thau aureo poneret in ætheris ſaphyrini medio, radiantibus illic aureo colore, Sole, Lunâ & Stellis, quatenùs ego peregrinus & advena* (*ſic enim Gerſon interpretatum ſignificat*) *aſſidua meditatione recordarer verbi cœleſtis peregrini Pauli*, Noſtra converſatio in cœlis eſt. *Nec me fefellit hæc meditatio cordis, dum illud tu* Domine dilataſti; *dum libero ſibi volatu per ampliſſimos Sacræ Scripturæ cœleſtes campos ſpatiari donatum eſt, ubi toties de corde fit ſermo vivus & efficax, quæ ad ſenſus nunc allegoricos, nunc morales, nunc anagogicos fructuoſiſſima jocondiatate trahi poteſt, ut jugiter illud inſonet Eccleſia* SURSUM CORDA. *Hoc tibi germane ſignificare volui; quia conſors es peregrinationis meæ: tibi mecum & mihi tecum debet eſſe cor unum & anima una; quatenus ædificationis hujus non ingrata particeps eſſe velis; quia ſcies & poteris, cooperante illo qui cor Regis & hominum inclinat quocumque voluerit; quia finxit ſigillatim corda eorum; in quo benè vale feliciter & evola. Scriptum Conſtantiæ primâ Januarii* MCCCC. XVI.

Job. 7. 1. Pſ. 76. 7. Pſ. 72. 7.

Ad Hebræas voces alludit; quia Joannes gratioſum & Gerſon advenam ſeu peregrinum Hebræis ſignificat.

Dic precor iſte quis eſt qui carmina condidit iſta:
Gratia nomen ei, cognomen & advena fecit.
Eſſe peregrinus ſignis erat cognitus aptis,
Caſſidulum dextro fartum dependet ab armo,
Ad latus oppoſitum: celſum caput orbicularis
Pileus obnubit, Soles quo pellat & imbres
A vultu infeſtos, baculus teres regit artus
Ferrea cui cuſpis: munitur ſura cothurno:
Scutum læva gerit, ſaphyro cœlove ſereno
Concolor; hîc auro ſeptem radiare Planetas
Inſpiceres; medio cor pennatum velut ignis
Emicat & Thau rutilo ſibi ſignat in auro
Ægide Theoſophus hac, hoſtica tela retundit:
Nec caret Angelico duce, ſed caro viſibus obſtat.
Sedulus hunc catulus ut Tobiam comitatur.
Gerſon origo fuit, dat Cancellarius almo
Luſtris quinque gradus, Studio tibi Pariſiorum.

Gerſonii in Germaniam peregrinatio.

Primùm autem in montana Bavariæ ſeceſſit, ubi in oppido Rhatembergenſi, ad imitationem Boëtii quatuor libros *De conſolatione Theologiæ*, cum Dialogo Apologetico eorum quæ in negotio Joanni Parvi egerat conſcripſit. Nec multò poſt in Auſtriæ Ducis fines conceſſit, à quo benignè exceptus, ut canit his verſibus.

Inter quos unus qui Cancellarius almi
Pariſiis Studii eſt cedit & advena fit.
Auſtria tu felix, felix ſtudioſa Vienna
Dux quibus eſt talis traditus in regimen
Zelo quæ Fidei fervens, ob eam fugitivo
Huic miſerans offert, ultro refrigerium
Aſſignatque locum cum libertate ſuique
Patribus egregii commodo Collegii.
Sis magis Jeſu merces, pro cujus honore
Doctorem recipit diſcipulumque tuum.
Gloria, laus & honor, Dux inclyte, te reſonabunt
Dum pietas terras ſancta Fides que colent.

Gerſonii in Lugdunenſi ſeceſſu Opera.

Tandem Gerſonius anno 1419 Lugdunum Gallorum, quod Delphino contra Burgundionum factiones favebat, ad Archiepiſcopum cui erat acceptus, fratremque Cœleſtinorum illic Priorem ſe recepit, ubi reliquum vitæ tempus orando, meditando, concionando, componendo, & præſertim parvulos in Fidei rudimentis quotidiè informando impendit. Primis annis ſolitariam vitam duxit, quam ſic egregiè deſcribit ejus frater cùm jam ferè per quadriennium ibi Gerſonius noſter degerit. *Adverſus peſtiferas hæreſes*, inquit, *quantos latratus, more fideliſſimi & vigilantiſſimi canis ediderit, vel hæc ſola res indicium eſt, quòd veritatis tuendæ cauſâ, domo, patria, civitate, cognatis, amicis, Dignitatibus, rebuſque propriis privatus eſt, & ex illis propulſus, ac innumeris inſidiis expetitus. Propterea refugium aliquod ad tempus captavit in hac præclara Lugdunenſi civitate, in qua jam ferè per quadriennium demoratus eſt, vitam quietiſſimam ducens, & tam ſolitariam, ut unum ex Eremicolis crederes, niſi quòd deſerti receſſus nondum petiit, ſed habitat in medio populi ſui; mirantibus multis & inquirentibus; quid hic agit tam ſolitarius, cur ad publicum non procedit, cur non ſedatum hominum jurgia, quæ tam acriter ubique debacchantur; ad quid perditio hæc?* Dulci gaudebat fratris conſortio, & poſt conflictus atque procellas, otio fruebatur quod ipſi dederat Deus, ſed negotioſo & non inutili otio: varias enim ſcribebat ad diverſos epiſtolas, nunc proſperis, nunc adverſis coaptans animum, hos nunc exhortando, his compatiendo. In variis, ancipitibus atque intricatis caſibus rogatus, ſalubria dabat conſilia; ut *De Eccleſiaſticorum Cœlibatu: De moderanda Carthuſianorum ſeveritate &c.* Sed imprimis utilibus libris componendis operam impendebat; Aſtrologiam judiciariam peculiaribus libris Delphino unico Regis Galliæ filio inſcriptis Lugduni anno 1429 doctè impugnavit, aliaſque ſuperſtitiones ex hominum animis eruere conatus eſt.

Gerſonii præparatio ad mortem.

Proximis ante mortem temporibus in *Magnificat* & in *Canticum Canticorum* Commentarios edidit: in hoc quem triduo ante mortem abſolvit, omnes Divini amoris affectus ad vivum expreſſit. Teſtamentum condidit, & quod ſibi librorum ſupererat, Cœleſtinis Avenionenſibus legavit. Anniverſarium ſibi in Æde Divi Pauli Lugdunenſis inſtitui voluit. Carthuſianos enixè rogavit, ut Suffragia & preces quas pro defuncto eſſent deinde oblaturi, pro ſe vivo adhuc, ſed mox abituro offerrent. Hunc proximo ante mortem die, cùm hanc imminere perſentiſceret, puerulis in Eccleſiam, ut ſolebat, ad Miſſam adductis, clauſis undique oſtiis, in medio ſtantem juſſiſſe ferunt, ut verbis Gallicis ita ſecum orarent: *Dieu mon Createur ayés pitié de voſtre pauvre ſerviteur Jean Gerſon.* Hoc eſt, *Deus meus, Creator meus, miſerere miſeri tui famuli Joannis Gerſon.*

Tan-

Tandem Joannes Gersonius gratam animam Deo reddidit Lugduni 12 Mensis Julij anno 1429, ætatis 66. In Ecclesia S. Pauli honorificè sepultus est. Inscripta est ejus tumulo hæc sacra sententia, quam inter concionandum sæpè sæpius in ore habebat: *Pœnitemini & credite Evangelio*: & in circuitu tumuli, ac in tabula juxta ejus Peregrini insignia muri appensa, sequens Epitaphium legebatur, Gersonii mors.

Magnum parva tenet virtutibus urna Joannem
Præcelsum meritis, Gerson cognomine dictum
Parisiis Sacræ Professor Theologiæ
Claruit Ecclesiæ, qui Cancellarius: anno
Milleno Domini centum quater atque vigeno
Nono, luce petit Superos Julij duodena

Hujus mortem docti pariter & pii luxerunt, ac memoriam coluerunt, & in perpetuum colent; Hujus ossa quæ diù latitaverant, anno 1643, cùm fortè fossores in tumulum hujus incidissent ex eo eruta sunt, & magno populi concursu ac religione eorum inventio celebrata, ut fusiùs legere est in narratione Stephani Verney, quam cum aliis Gersonii Vitis ad calcem hujus Operis edemus.

§. 2.

PETRI DE ALLIACO

Cardinalis Cameracensis

VITA.

Non est sejungendus à Joanne Gersonio Petrus de Alliaco hujus primùm Magister & prædecessor, deinde in iisdem gerendis negotiis collega. Ambo non solùm summâ inter se familiaritate atque amicitia; sed & sententiarum ac consiliorum mirâ concordiâ conjuncti; quique pari animo Ecclesiæ pacem ac emendationem, necnon errorum proscriptionem, quantùm in ipsis fuit, unanimiter promoverunt. Petrus de Alliaco (Gallicè d'*Ailly*) Compendii * ad Isaram * quod Galliæ Belgicæ oppidum est, in Parochia S. Antonii natus est anno 1350 haud claris admodùm, sed probis Parentibus. Petri Alliaceni ortus; parentes; Educatio; Studia. * Compiegne. * L'Oise.

Patri Colardus nomen fuit. Lutetiam venit puer studiorum causâ, & in Collegio Navarrico exceptus est. Anno 1365 inter Artistas annumeratus; & anno 1372 Nationis Gallicanæ Procurator est electus; quo etiam anno, beneficio Regis, in studiorum subsidium Navarrici Collegii Convictoribus ascriptus est, & inter Theologiæ Canditatos recensitus, Collegii tunc Rectore Simone Freron. Tum in Philosophicis operibus sese haud segniter exercuit, Nominalium Sectæ potissimùm addictus.

Hinc ad Theologiam accessit, & pro more, anno 1375 Magistrum Sententiarum legere ac Commentariis illustrare aggressus est. Plures etiam tum temporis, & subinde Orationes & Conciones sacras habuit. Ambianum ad Synodum evocatus, cùm Hypodiaconus tantùm esset, rarissimo exemplo, quod non nisi magnis debetur hominibus, Presbyteros ad Dei cultum & pietatem informavit.

Anno 1380, 3 Id. Aprilis Doctoris Theologi in Academia Parisiensi titulum adeptus est. Alliaceni munera. Dignitate. Honores & Orationes. Legationes & Opera.

Anno sequenti Simon Freron hactenus Collegii Navarrici Præpositus, & Theologiæ Professor, ad Canonicatum Parisiensis Ecclesiæ promotus; Fundationis legibus, quibus cautum ut cedat domus Magister si aliud Officium ejusdem vel majoris reditus nanciscatur, religiosè obsequens, quod nostro tempore quidam parum curant, Præpositurâ sese abdicavit.

Huic successor designatus est Joannes Laurentius Chavangius; cujus paulò post in hoc Officio successor fuit Alliacenus. Intenim crescente quotidie fama, coram Duce Andegavensi, Academiæ Parisiensis nomine, 13 Kal. Julii Orationem habuit, quâ Concilii generalis convocationem necessariam docuit, ad Urbani & Clementis abolenda dissidia, restituendamque Ecclesiæ pacem. Eodem anno vitæ præsidia quærens, ex Academia Parisiensi discessit, ac Noviodunum Belgarum, in cujus urbis Ecclesia Canonicatu donatus erat commigravit.

Verùm haud ita multò post revocatus, Navarrico Collegio in locum Chavangii anno 1383 præficitur. Hic etiam pro more Theologiam professus est, & inter alios discipulos duos habuit celebres, Gersonem & Clamingium.

Adversùs Joannem Blanchard Cancellarium Ecclesiæ & Universitatis Parisiensis, jura sibi quædam pecuniæ pro Licetiandis arrogantem, anno 1384 decertavit: nec minùs acriter anno 1387 adversùs Joannem de Montesono Dominicanum, Immaculatæ Conceptionis oppugnatorem; adversùs quem ab Universitate Legatus fuit ad Clementem, Avenionem missus, ibique Caussam Universitatis tum Orationibus tum Scriptis egregiè defendit. Anno 1389 factus est Cancellarius Universitatis Parisiensis, post Magistrum Joannem de Guignecourt: eoque anno, aut sequenti Magisterium domus Navarricæ ejuravit. Ei successit Joannes de Cruce.

Anno 1393 cùm Petrus de Luna Cardinalis Legatus Clementis VII Parisiis degeret, & tum temporis Academia Parisiensis cum eo de Ecclesiæ pace per Cessionis viam sancienda, non sine acerbitate ageret, inter primos Alliacenum fuisse haud dubium. Hunc sanè & Ægidium de Campis, ut nominatissimos ad se mitti à Rege petiit Clemens VII. At illi vim aut insidias veriti, Avenionem proficisci renuerunt.

Anno 1394 Capellæ Regiæ Parisiis Thesaurarius factus est, quæ dignitas in Collegio Canonicorum hujus Ecclesiæ primaria, magni honoris est & emolumenti. Anno vel superiori vel sequenti Cancellarii munere sese abdicavit, eique suffectus est Joannes Gersonius. Post electum in Clementis VII locum Petrum de Luna qui Benedictus XIII est nuncupatus, ad eum à Rege missus est Petrus de Alliaco, Regii Eleemosinarii honore auctus, cum eo de pace Ecclesiæ

 acturus.

acturus. Benedictus pacis se cupidum simulans, Alliacenum in suas partes sensim pertraxit. Is reversus, promptum Pontificis erga pacem animum cùm exposuisset, conclusum viâ Cessionis id fieri posse, quæsitumque quo pacto utriusque Pontificis Cessio impetrari & effici posset.

Verùm ut arctiùs hunc sibi devinciret, ex consilio Clamengii Benedictus Aniciensem seu Podiensem Episcopum eum designavit circa finem anni 1395, ac post sexqui-annum iterum missus ad Benedictum, Cameracensis Episcopus factus est. Tantæ autem autoritatis fuit apud Benedictum, ut ad promovenda in Gallicanis Ecclesiis Theologica Studia, ab eo impetrarit ut in Metropolitanis & Episcopalibus Ecclesiis constitueretur Theologus qui Theologiæ docendæ vacaret, & Præbendæ unius ad id jure gauderet, quæ in perpetuum huic Officio deputaretur. Quod institutum Facultati Theologicæ tantoperè placuit, ut per litteras ei propterea gratias ageret. Verùm hoc Decretum tum temporis effectu caruit, ut queritur Gersonius in Oratione quam anno 1408 in Concilio Remensi habuit.

Alliacenus ad Benedictum Legatus mittitur. Petrus de Alliaco tantis beneficiis Benedicto devinctus, ne eorum quæ adversùs ipsum Parisiis moliebantur particeps esset, Cameracum secessit, ubi Pontificali functus est officio, donec anno 1403 Benedicto favorabilior affulgeret fortuna: tunc enim Lutetiam venit, & Aurelianensi Duci se adjunxit, ut ad restituendam ei obedientiam Regis animum inclinaret: eâque restitutâ solemnem Orationem in Æde Cathedrali coram Rege & Principibus habuit. Hinc ad Benedictum missus est, ut eum ad Cessionem invitaret.

Jn hac Legatione anno 1405 Alliacenus Genuæ agens, Oratione publica Benedictum instigavit, ut Festum Trinitatis ubique solemne esset: quam in rem datum est Kalendis Julii Pontificis Rescriptum, quo statuitur de Festo Trinitatis in posterum ubique pari cum Festis Nativitatis & Resurrectionis Christi gradu celebrando.

Benedicti partes tuetur. Cùm rursum anno 1406 in Benedictum moras trahentem ludificantemque ne cederet, insurrexisset Universitas Parisiensis, & ab ejus obedientia recedendum esse contenderet; Cameracensis Benedicti partes in duobus consessibus tuitus est, & Concilium generale convocandum esse statuit. Et hoc quidam evicit; sed interim substrahendam Benedicto obedientiam à consessu definitum. Indignata Universitas Cameracensem Episcopum tam acriter Benedicti partes defendisse & Universitati non pepercisse, in eum pro jure suo agere voluit: quod cùm resciviset Cameracensis, conquestus est peti se ab Universitate, cùm sibi tuendarum Benedicti partium provincia esset demandata; quod si fieret, libertatem tolli, nec quemquam hiscere ausurum; rogavitque ne quidquam in Comitiis Universitatis contra se ageretur; sed si vellent eum provocare, starent ad Tribunal Regis: qua de re inter eum & Joannem Parvi Deputatum Universitatis convenit.

Legatur ad Benedictum. Decreto perfecto, Petrus de Alliaco non obstitit, imò unus fuit è Legatis ad Benedictum & Gregorium XII qui Bonifacio successerat missis, ut uterque in ordinem sese cogeret. Alliacenus qui plus apud Benedictum poterat quàm cœteri, cum eo ac nonnullis aliis Legatis secreta habuit colloquia, consentientibus cœteris. Deinde cum Legatis Gregorii egit, ut eum ad Savonense colloquium perduceret; sed frustra.

Cameracum redit. Re igitur infecta, cùm ad Benedictum scripsisset Cameracensis, vix jam ullam affulgere spem finiendi schismatis per voluntariam Cessionem; aliaque media, & imprimis Concilii generali convocationem proposuisset, intellexissetque inutilem operam suam in Curiis Romanis futuram, ad Ecclesiam Cameracensem reverti statuit; & Benedictum monet litteris ad eum & ad Cardinales in Porto Veneris desidentes datis, 26 Januarii anno 1408, in quibus pollicetur se ibi & ubilibet paratum fore ad suæ Sanctitatis beneplacita & Mandata. Nec promissis defuit, etiam cum magno suo periculo. Cùm enim ob atroces ab eo missas in Galliam litteras Benedictus infamaretur, à partibus ejus non recessit, quæque agebantur improbavit. Quam ob rem Universitas à Rege petiit, ut cum cœteris fautoribus Benedicti Lutetiam adduceretur, & ibi in custodiam traderetur. At in Episcopatu sese continuit, nec quidquam legitur in eum actum.

Pisano Concilio adest, & fit Cardinalis. Tandem quod in votis semper habuerat Alliacenus Concilium generale Pisis congregatum est. In eo publicam utilitatem privatis beneficiis anteponens, Benedicti non secus ac Gregorii exautorationem, & Alexandri V electionem non solùm approbavit; verùm etiam promovit. A Joanne XXIII Cardinalitiâ Purpurâ anno 1411 insignitus est; & anno 1414 Legatus in Germaniam missus.

Gesta ejus in Concilio Constantiensi. Cùm Constantiam congregaretur Concilium, eò statim Cardinalis Cameracensis sese contulit. In principio hujus Concilii, cùm Joannes XXIII absente Sigismundo adesset, Alliacenus Hussum apud Papam astantem aliquoties vidit & audivit. Deinde unà cum Gersonio magna animorum consensione, de autoritate Concilii generalis, de depositione trium contendentium & de Ecclesiæ reformatione, de Joannis Parvi damnatione multa & præclara dixit, scripsit & præstitit. Ac demum electioni Martini V voto suo suffragatus est.

Alliaceni mors & Funebria. Soluto deinde Concilio, ad Cameracensem Ecclesiam suam reversus est. Ibi miserum Regni & Ecclesiæ Gallicanæ statum, necnon Universitatis ruinam, ac amicorum vexationem deflevit, & Navarrico Collegio multa contulit. Senex altera vice à Pontifice Martino V in Germaniam ablegatus est: in qua Legatione vitâ functus est anno 1425 die 9 Octobris, septuaginta quinque annos natus. Testamento corpus suum in Altari minori Cameracensis Ecclesiæ recondi mandavit. Cameraci, Compendii, Parisiis tum in Æde Regia, tum in Collegio Navarræ Sacra Funebria fieri jussit: certam pecuniæ summam Nosocomiis & pauperibus Ecclesiis distribuit; voluitque ut reliquum bonorum in tres partes divideretur: quarum una in funebribus Anniversariis Ecclesiis distribueretur; altera in pauperum adolescentularum generis potissimùm sui Matrimonium insumeretur; tertia hæredibus traderetur.

Corpus Cameracum è Germania relatum, & in Ecclesia Cathedrali prope majus Altare repositum est. Compendii quoque, quæ urbs patria ejus erat, in Ecclesia B. Antonii hujus effigies inter parentes posita. De hujus Scriptis dicemus infra.

Interim Gersonio & Alliaceno tertius accedat, studiis iisdem & familiaritate junctus Clamengius.

N I-

§. 2.

NICOLAI CLAMENGII VITA.

Nicolaus de Clamingis vulgò Clemangis sic dictus ab oppido natali *de Clamenge* Catalaunensis Diœcesis in Gallia, Patrem habuit cognominem; avunculum Petrum Clemangium inclitum civitatis Catalaunensis Medicum; fratrem vidit Stephanum Collegii Navarrici Lutetiæ Præfectum. Ipse cùm *nondum alter*, ut ait, *ab undecimo cœpisset eum annus*, Lutetiam missus, hujus Collegii primùm Bursarius, deinde Artista, ac postremò Baccalaureus Theologus fuit, magnamque ætatis partem in eo exegit, & gratum ac memorem præclaræ institutionis semper retinuit animum. Doctores præcipuos habuit Petrum de Nongento, Gerardum Machetum, & Joannem Gersonium. Facundè & ornatè dicendo potissimùm excelluit; sed nec rerum Theologicarum imperitus fuit. Clamengii Natales, & Studia.

Academiæ Parisiensis Rector anno 1393 creatus, gravissimam Academiæ nomine, ad Carolum VI de viis extinguendi schismatis conscripsit epistolam cujus partem supra retulimus. Clamengii Munera.

Mox anno sequenti 1394 nec multò post, de pace ad Clementem VII & post ejus mortem ad Cardinales, ac demùm ad Benedictum XIII litteras dedit. Cùm verò eloquentiæ laude maximè floreret, inductus est à Cardinali de Petra-Mala, ut ad Benedicti à quo petebatur Aulam se conferret, ut ei esset à scribendis litteris.

Quamquam autem magna esset in eum Pontificis indulgentia, subiit tamen post aliquod tempus ejus animum satietas Curiæ, & serviendi tædio affici cœperat, quando in ipsum sæva tempestas excitata est. Cùm enim Benedictus Bullam excommunicationis ad Regem scripsisset, Clamengius quasi ejus Autor accusatus, Regis, Regni, & Academiæ Parisiensis indignationem incurrit. Quod crimen ut à se amoliretur, elegantem ad Parisienses epistolam scripsit, quâ factum negat, & ab accusatione ista sese purgare cunctis eloquentiæ viribus conatur. Accusatio in Clamengium.

Scripta erat, utì observavimus, epistola Benedicti anno antequam in Galliam mitteretur. Cùm mittendam esse Clamengius inaudisset, Genuam Avenione concesserat, tribus ferè ante mensibus. Sed hic recessus conscientiæ facti fortasse poterit ascribi: nec aliunde indignus est Clamengio hujus epistolæ Pontificiæ stylus. Ut ut sit, in Galliam rediit, Beneficio Thesaurariæ Lingonensis auctus, cujus ut possessionem adipisceretur, Lingonam petiit, ibique aliquandiu mansit. Tum verò ex rumore scriptæ ab eo epistolæ, excitata est in eum tempestas, quam ut fugeret, urbe excedere coactus est, & apud Carthusienses Vallis-Profundæ, seu Fontis in Bosco delitescere. Ejus secessus.

Tandem isthic, inquit ipse, *ad Sacri Canonis investigationem, Sacrorumque Doctorum mysticè ac salutanter * illum exponentium magnâ me aviditate contuli; quæ nunc pœnè sola me lectio delectat, in qua parum ingenio parum studio proficere potui; plus tamen, ut opinor, profeci, quàm tota anteactâ ætate in Studio Parisiensi.* * Forsan leg: Salubriter.

Hìc sanè magnam librorum suorum, epistolarumque partem composuit. In hoc secessu Concilii Pisani fata anno 1409, Concilii Romani ludibria anno 1412 & Constantiensis initia anno 1414 observavit. Extant ejus ad Patres Constantienses litteræ post biennium à Concilii convocatione scriptæ, in quibus eos hortatur ne discedant, quin priùs pacem Ecclesiæ dederint; sub finem epistolæ id subindicans, meliùs fore unum è contendentibus eligi, quàm pacem Ecclesiæ differri, nec placere sibi Decretum quod ab ipsis conditum ferebatur, de nullo è contendentibus eligendo. Haud obscurè id in Benedicti gratiam scribebat Clamengius, à quo tum temporis etiam, septennio nempe post discessum, invitatus est ut rediret. At prudens redire noluit, sibi gratulatus quòd semel è Curia Papali salvus evasisset. Tandem placato Regis animo, ad Canonicatum Lingonensem rediit: sed nescio quo fato hinc Bacocensis Ecclesiæ Præcentor & Archidiaconus factus est.

Anno 1421 contendebat cum Jacobo de Templeune de Præpositura Normaniæ in Ecclesia Carnotensi, ut legitur in Actis Curiæ, in quibus vocatur, *Nicole de Clamenge Chantre de Bayeux*. Lis erat de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, istamque Causam Rex Anglorum Curiæ commendavit: sed illa certas ob causas Judicium ferre noluit.

Tandem Clamengius pristinum vitæ institutum resumpsit, & ad Collegium Navarricum rediit, in quo ex Actis Nationis Gallicanæ constat eum Provisorem fuisse ad annum usque 1434. Ibidem eum obiisse colligitur, ex Sepultura & Monumento in Capella Collegii Navarrici, ubi etiamnum hodie Epitaphium ejus sub lampade legitur. Clamengii in Collegium Navarricum reditus. Mors.

Belga fui, Catalaunus eram, Clamingius ortu
Hic humus ossa tenet, spiritus astra petit.

Dies & annus mortis, sicut & natalis ejus nullibi ascriptus legitur: at vitæ terminos saltem circiter statuere non est difficile. Nam anno 1393 jam Rector erat Academiæ Parisiensis, & quamquam juniorem se tum fuisse testetur in Epistola ad Carolum VI; tamen eum haud triginta annis minorem fuisse verisimile est. Ad annum usque 1425 eum vixisse; & ante 1440 mortuum, ex Actis Academiæ constat. Natus ergo erat circa annum 1360, & septuagenarius circa annum 1430 obiit.

Nulli veterum cedit Clamengius, sive sermonis ubertatem, sive sententiarum sublimitatem attendas, & plerosque superat elegantiâ verborum, & Latini eloquii puritate. Hujus Oratio veræ ac nativæ nec affectatæ eloquentiæ ornatu splendiscit, electis dictionibus, locupletibus sententiis; & tum sacrorum tum prophanorum Scriptorum appositis allegationibus abundat. Nihilominus in declamationibus aliquando modum excedit, & in Satyris nimis acer videtur; at in descriptionibus jucundus est, in narrationibus politus, in præceptis abundans, in exhortationibus vehemens, in consiliis prudens. Scriptor sanè, quidquid dicant, quovis tempore legi dignus

&

& magni faciendus. Hujus Opera quæ manibus eruditorum teruntur à Joanne Lydio edita jam rariora, simul cum Gersonii & Alliaceni Scriptis recudere in animo habebam; emendata quidem ad plures MSS. Codices, ex quibus quamplura, quæ lucem nundum viderunt eruta fuissent: sed nondum per tempus licuit aut jam edita cum MSS. Codicibus conferre; aut edenda describere. Quod si quando Deus otium istud aut mihi, aut aliis dederit, opus id nec ingratum, nec inutile futurum existimo.

§. 4.

QUORUMDAM SCRIPTORUM GERSONIO COÆVORUM VITÆ.

PRæter hos tres sui temporis facilè principes, Gersonium, Alliacum, & Clamengium, fuêre tum & alii multi in Gallia viri, eruditione & rerum Ecclesiasticarum scientia præstantes. Paucos tantùm commemorabo, aut quorum Scripta nonnulla à nobis cum Gersonii Operibus eduntur in lucem, aut qui eorum negotiorum participes fuêre.

Vita Henrici de Hassia. Inter illos, cæteros ætate antecedit *Henricus de Langestein* dictus *de Hassia* Teutonicus, Facultatis Theologiæ Parisiensis Licentiatus, quem gradum anno 1375 adeptus est. Is schismatis initio inclaruit, tùm Legationibus quas obiit nomine Universitatis, tùm Tractatibus quos edidit: inter quos est ille quem inscripsit *Consilium Pacis*, qui in Appendice Tomi II primum locum tenet. Scripsit & alios plures Tractatus, quorum Catalogum texit Trithemius. Cùm in Universitate Parisiensi aliquamdiù claruisset, pro decore novæ plantationis Universitatis Viennensis, illò se contulit, & Canonicus Wormatiensis obiit.

Joannis Brevicoxæ Vita. Huic succedat *Joannes de Courtecuisse*, quod latinè redditum est, *Breviscoxa* seu *Brevicoxa*, aut ut alii, *Curta Coxa*, Cœnomanensis, in Collegio Navarrico exceptus anno 1367. Magister Artium renuntiatus anno 1374. Doctor Theologus anno 1388. Unus fuit è Legatis ad Benedictum & Bonifacium missis.

Scientiæ simul & eloquentiæ laude excelluit: nam & assiduè Theologiam docuit, & habuit Orationes publicas. Inter has, solemnes sunt eæ quas de Substractione, & contra Benedicti Bullas recitavit; quæ quidem Regii Eleëmosinarii Officio remuneratæ sunt. Absente Gersonio, Cancellarii Parisiensis pro eo partes obiit. Ad Parisiensem Episcopatum promotus est anno 1420: & paulò post, cùm Regi Anglorum, qui tunc Lutetiæ Dominus erat, minùs esset acceptus, Episcopali domo cedere coactus est, ac in Monasterio S. Germani à Pratis latitare. Inde Lutetiâ discedere maluit, quàm Anglorum Regi parere.

Gebennensem igitur ad urbem profectus, illùc anno 1422 Episcopus est factus. Quamdiù superstes posteà fuerit incertum. Inter ejus Scripta, quæ in Bibliothecis latent, nullum est quod hujus Tractatui *de Fide*, *Ecclesia*, *Romano Pontifice*, *& Concilio* possit æquiparari. Hunc Tractatum nos primùm ex codice Ms. Victorino in lucem edimus, quem eruditis omnibus gratissimum fore non dubitamus'

Vita Joannis Parvi. *Joannes Parvus* Minorita, Doctor Theologus, Nationis Normanicæ, Licentiatus anno 1400, vir fuit alicujus doctrinæ & facundiæ. Adversùs Benedictum peroravit in Senatu anno 1406. At Burgundi Ducis sumptibus in scholis educatus, & ejus stipendiis militans, venalem linguam & calamum in defensione cœdis Aurelianensis Ducis impendit: nec tantùm eam justè perpetratam fuisse, cum aliis duobus Doctoribus Ambiani contendit; sed & Lutetiam venire ausus est, & coram Rege idem linguâ, Oratione, multisque rationibus asserere. Quæ Oratio paulò post scripto consignata est & in publicum emissa, magnas turbas concivit; & Gersonio illam acriter impugnanti, molestiarum quamplurimm causa fuit. Pauca admodùm ad Causam istam pertinentia huc usque visa fuerant: nos omnia monumenta eorum, quæ tùm Parisiis, tùm Constantiæ acta & scripta sunt in hoc negotio, in lucem primùm producimus. Cœterum Joannes Parvi paulò post, prævalente Aurelianensium factione, hæreseos apud Universitatem factus reus, exulare cogitur; & Nosocomio ac largis pensionibus, stipendiisque à Burgundione dotatus, apud Hesdinum anno 1411 fâto functus est, & in Æde Minoritarum sepultus.

Vita Petri Cauchon. Ejusdem quoque factionis fautor acerrimus fuit *Petrus Cauchon*, Diœcesis Remensis, ex Vice-dominis Ecclesiæ Remensis ortus, ut nonnulli scribunt, in Academia Parisiensi & Collegio Navarrico enutritus. Hic in Concilio Constantiensi Joannis Parvi Causam acriter defendit: in cujus rei gratiam, Episcopatum Belvacensem adeptus est anno 1420. Et ut Universitatem Parisiensem eidem factioni, si fieri posset, assereret, anno 1423 curavit se Conservatorem Privilegiorum Apostolicorum eligi, quam provinciam ejuravit anno 1432 quô ad Sedem Lexoviensem translatus est. Obiit anno 1447.

Ægidii de Campis Vita. Floruit eâ tempestate *Ægidius de Campis* Rhotomagus, alumnus Navarricus, Licentiatus anno 1383, ejusdemque Domus & Societatis Doctor nominatissimus. Is cum Petro de Alliaco ab Universitate ad Curiam Avenionensem delegatus fuit anno 1387, in Causa Joannis de Montesono. Idem interfuit Synodo Gallicanæ Parisiis habitæ, ad extinctionem schismatis; & tertiæ Synodo habitæ similiter Parisiis anno 1398 ubi actum de Substractione totali obedientiæ Benedicto XIII. Varias Legationes tàm nomine Universitatis, quàm à Carolo VI obiit ad Clementem, ad Benedictum, & ad Principes & Monarchas exteros. Hinc à Rege Eleëmosinarii Officio donatus est, Episcopatu Constantiensi anno 1408, Cardinalatu à Joanne XXIII anno 1411. Obiit die 15 Martii anno 1413.

Petri Plaoul Vita. Inter eos quoque qui schismati sese opposuerunt, insignis fuit *Petrus Plaoul* Doctor Sorbonicus, qui anno 1398 & 1406 de Substractione obedientiæ Benedicto facienda fortiter peroravit. Is etiam ad Episcopatum pervenit anno 1408 factus Episcopus Silvanectensis, & Sorbonæ Provisor designatus.

GERSO-

GERSONIANA

LIBER III.

DE SCRIPTIS GERSONII;

In quo omnia ejus Opera recensentur, singulorum tempus & occasio declarantur, argumentum exponitur & caracter assignatur.

§. 1.

De Operibus Tomi I qui continet Opera Dogmatica, de Religione & Fide.



IN capite Operum Gersonii visum est apponere brevem sed perutilem admodùm ejus Libellum DE SENSU *litterali Sacræ Scripturæ*, seu *De causis errantium*, in hunc locum Evangelistæ Marci Cap. 3. *Qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.* Inter species peccati illius æterni in Spiritum Sanctum meritò reponit Gersonius impugnationem veritatis cognitæ, quod vitium suo tempore invaluisse dicit, *non solùm in Anglia, Scotia, Studio Pragensi & Alemannia*; ubi scilicet Waldensium, Wiclefi & Hussi vigebant errores, sed *& quod dolet*, inquit, *& pudet, in Francia.* Ii enim quos accusat dicebant, *Fundari dicta sua in Scriptura Sacra, quam solam profitebantur se velle insequi & admittere, rejectis & pro nihilo habitis quibuscumque Constitutionibus aliis, vel Scripturis Decretorum vel Decretalium, quas appellant apocryphas & Christo adversas*: quod fuit Wiclefistarum & Hussitarum, ac ante hos Waldensium placitum. TOMI I. PARS I. Libellus De Sensu litterali Scripturæ Sacræ. T. I. p. 1.

Adversùs illos duo molitur in hoc Opere Gersonius. Primùm ostendit, quis dicendus sit *sensus litteralis Scripturæ Sacræ, & quomodo sit investigandus & tenendus*: deinde *causas errandi, & cautelas adversùs errores adhibendas*, breviter assignat. In fine non solùm Waldenses, quorum errores summatim describit, perstringit; sed & eos Franciæ Doctores, *qui ad seditiones & rebelliones contra omnem Dominatum erigebantur, nolebantque infima per media reduci ad Deum, seseque Judices Supremos constituebant.* Quibus verbis designat Doctrinæ Joannis Parvi fautores. Cœterùm Censura quam allegat statim, ut probet sensum litteralem Scripturæ semper esse verum, cùm ait, *Oppositum hujus esse nuper Parisiis condamnatum*, ea est, quæ adversùs Joannem Parvi facta est anno 1413: post quam compositum est hoc Opusculum, paulò ante Concilium Constantiense. Verè autem aureum est, & tot sententias quot verba continet, ac Fidei nostræ fundamenta dilucidè paucis exponit.

Nec minùs utilibus documentis refertus est Liber *De examinatione doctrinarum*, præcedenti paulò prolixior. Scriptus est post Concilium Constantiense, cujus Decretum, de autoritate Concilii generalis laudat, Gersonio jam sene, p. 21 B cùm Lugduni degeret, ut annotatum est in MS. Codice Colbertino, in quo annus 1413 perperam ascriptus; pro quo reponendus est 1423; ad Carthusienses & Cœlestinos directus est iste Liber. In eo, post Considerationem tertiam, extat annotatio Stephani Prioris Carthusiæ Senensis, ac deinde Papiensis, in qua Pontifices qui Romæ & Avenioni tempore schismatis sederunt enumerantur, & Catharinæ Senensis exemplum nominatim adducitur. Tractatus De examinatione Doctrinarum. p. 7.

Aliud item *exemplum* in fine primæ Partis refertur, *de seductione mulieris*, quæ anno 1424 Lugduni contigit. Hoc etiam videtur esse additamentum, vel ab ipso Gersonio, vel ab alio factum; deestque in MSS. Codd. Colbertino & Victorino. Exemplum de seductione mulieris. p. 19.

Altera Pars ejusdem Operis, in qua rationem reddit, cur de examinatione Doctrinarum non agat *exemplariter*, ut sibi proposuerat, hoc est, cur exempla non referat eorum qui seducti sunt, deest in Victorino codice, sed reperitur in Colbertino. In ea fatetur Gersonius, se penè deceptum fuisse ab Eremita Remensi, eo tempore quô Lectionem composuit, *De distinctione verarum revelationum à falsis.* Meminit etiam in hoc aliorum librorum à se compositorum, scilicet: *Tractatus De potestate Ecclesiastica*, & Opusculi, *An liceat appellare à Papa* p. 8. A; in fine p. 21 D Tractatus *De Impulsibus*, *De Conceptibus*, & *De Concordia Theologiæ Mysticæ cum Scholastica.* D. Bonaventuram præcipuè commendat p. 21. Laudat etiam p. 16 & 17 *Summam de vitiis & virtutibus*, cujus Autorem dicit fuisse *contemporaneum Guilielmo Parisiensi & Sancto Thomæ, virum sine gradu, & de Conventu Prædicatorum Lugdunensium.* Aliquæ considerationes quomodo reliquos. p. 20.

Is est Guilielmus Peraldus Ordinis FF. Prædicatorum Lugdunensis non Episcopus, ut quidam putant, qui ab anno 1250 floruit, & anno 1275 decessit; quique etiam Sermonum plurium qui inter Guilielmi Parisiensis Opera reperiuntur Autor est. In eo præterea Opere Gersonius commemorat duo Facultatis Theologiæ Parisiensis Judicia: unum p. 13 A adversùs Raimundi Lulli methodum; alterum p 14 A De revocanda propositione; *Quod Pater sit causa Filii.*

Occasio Opusculi, cui titulus est, *Declaratio Veritatum quæ credendæ sunt de necessitate salutis*, initio

Declaratio veritatum quæ credendæ proponuntur. p. 22.

initio ipsius Opusculi simul cum ejus argumento exponitur his verbis: *Declaratio compendiosa, quæ veritates sint de necessitate credendæ, quæ de sola probabilitate tenendæ, quæ de pietate Fidei reputandæ, & quæ sint impertinentes judicandæ..... Pro solutione dubitationis, quæ nuper movebatur in Sermone, de Nativitate Virginis Mariæ; Consideratione secunda, anno 1416.*

Habetur ille Sermo Tom. III p. 1345, in cujus Consideratione secunda, postquam docuit Gersonius Mariam à peccato originali immunem, Josephum in utero sanctificatum quemadmodùm & Joannem, & fortasse quosdam pueros in utero materno singulari Dei beneficio sanctificari; hortatur mulieres prægnantes & viros, preces Deo fundere, & Angelorum ac Sanctorum & Sanctarum suffragia expostulare, *ut infantes nondum natos, si fortè morituri sint priusquam ad Baptismi fluminis gratiam pervenire valeant, dignetur Dominus Jesus summus Pontifex, Baptismo Spiritus Sancti præveniendo misericorditer consecrare. Proficit*, inquit, *hæc Consideratio, ad exercitationem devotionis in parentibus, proficit ad leviandum eorum angustiam, dum sine Baptismo decedit puer; quia non omnis inde spes ablata est: sed neque absque revelatione, fateor, certitudo.* Hoc posito, argumentum & occasionem hujus libri sic etiam hoc in loco exponit. *Sed oritur in hac Consideratione secunda, & in similibus dubitatio Theologica salubriter coram hoc sacro Concilio & publicè pertractanda: necessitas enim major incumbit ut hoc fiat, quàm antea credideram. Dicit quippe nostra Consideratio, quod Maria fuit in utero sanctificata, imò & ipse Joseph. Constat autem quòd hoc in Scriptura Sacra, quæ est Canon Bibliæ, neque continetur explicitè, neque ex contentis in eadem educitur evidenter. Est igitur quæstio; Si de necessitate Fidei tenenda est veritas nostræ Considerationis secundæ. Et hoc est investigare sub generali regula, quæ veritas est certa Fide, & de salutis necessitate tenenda; quæ de sola probabilitate; quæ de pietate Fidei & quæ sit impertinens. Respondere proposueramus per unicam distinctionem sextuplicem, collocando virtutes pertinentes ad Religionem Christianam sub sex gradibus ad invicem ordinatis, & inferendo breves & paucas propositiones Corollarias, quæ forsitan minùs habent prædicationis locum, quàm exercitium scholasticum respiciunt, quale exercitium posteriùs habere sperantes, nos hac dubitatione relicta, transibimus ad reliquas Considerationes.* Quod sibi proposuerat hac in Oratione Gersonius, hoc exequitur in eo Opere de quo agimus, quod proinde vel eodem anno vel paulò post concinnatum est.

Tractatus De protestatione circa materiam Fidei contra hæreses diversas. p. 28.

Sequens Tractatus *De protestatione circa materiam Fidei contra hæreses diversas*, suam habet in fine ascriptam epocham, 29 *diem mensis Octobris anni* 1415 *in civitate Constantiensi, ubi sacrum agebatur Concilium*, ad hoc conscriptus, ut hæretici qui ad Concilium veniebant detegi possent, & Fideles probari. Præscribit enim in eo regulas, quibus utendum est in hæreticos aut hæresis suspectos, ut de eorum ορθοδοξία erroris abjuratione constet.

Duodecim Considerationes de signis pertinaciæ. p. 36.

Subjiciuntur in fine XII *Considerationes* quibus continentur totidem signa pertinaciæ quæ facit hæreticum. In hoc Opere mira Gersonii sagacitas ac prudentia elucet.

Tractatus *De Probatione spirituum* p. 37.

Eodem anno in Festo S. Augustini scriptus est Tractatus *De Probatione spirituum*. Sicut autem in præcedenti regulas dedit ad ὀρθοδοξίαν ab hæresi distinguendam; ita in hoc normam præscribit, ad quam exigere oportet visiones & revelationes quæ privatis fieri dicuntur. Editus est autem cùm ageretur de Canonizatione S. Brigittæ, quæ hujusmodi visionibus assueta erat, & de examinatione doctrinæ illius. *Est*, inquit Gersonius, *utrobique, vel in approbatione vel in reprobatione periculum. Approbare enim falsas & illusorias aut frivolas visiones pro veris & solidis revelationibus, quid indignius, quid alienius ab hoc sacro Concilio? Reprobare verò nunc eas, quæ multifariè, multisque modis quaqua versùm per diversas Nationes probatæ dicuntur, non parva exinde scandalorum in Christiana Religione & devotione populorum formidatio. Denique in ipso etiam silentio & dissimulatione, ex quo res in medium posita est, nonnihil esse discriminis pertimescimus. Invenire verò medium aliquod vel expediens inter hæc extrema, laudabile quidem* * *aut effectibile sit, necdum satis cernimus exploratum.* Igitur ut circa hæc Patrum Constantiensium Religionem institueret, Tractatum hunc composuit, in quo de visionibus & revelationibus ita loquitur, ut plerasque suspectas reddat: quamquam non omnes rejiciendas esse pronuntiet, sed regulas præscribat quibus probari possint.

* forsan leg: *at effectibile si sit, necdum*

De distinctione verarum visionum à falsis. p. 43.

Idem argumentum prosequitur in Tractatu quem huic subjunximus, *De distinctione verarum visionum à falsis*, ad fratrem Cœlestinum. Initio hujus Operis mentionem facit Lectionis suæ, *De non esu carnium apud Carthusienses*, tanquam nuper à se scriptæ. Ea autem transmissa est ad Fratrem Gonnehans qui anno 1401 obiit, postquam Petrus de Alliaco ad Episcopatum Cameracensem provectus erat, quod anno 1398 contigit. Itaque circiter id temporis utrumque Opus à Gersonio scriptum videtur. Hoc autem, *De distinctione verarum visionum à falsis*, in Lectionis pariter formam compositus est, ad hæc verba Evangelii Marci; *Fuit Joannes baptizans in deserto*, refertumque est magnâ exemplorum varietate, ac sacrarum Litterarum sententiis, tanquam flosculis respersum: quô fit ut in eo legendo non minùs voluptatis, quàm utilitatis percipiatur.

Epistola de Libro Joannis Ruysbroech, *De ornatu spiritualium nuptiarum*. 59. Defensio ejusdem Libri per Joannem de Schoenhavia. p. 63. Epistola contra hanc defensionem. p. 78.

Sequuntur eæ lucubrationes quæ spectant ad Librum Joannis Ruysbroech, inter quas primum obtinet locum Joannis Gersonii *Epistola, ad Fr. Bartholomæum Carthusiensem, contra tertiam Partem Libri Joannis Ruysbroech* DE ORNATU SPIRITUALIUM NUPTIARUM: *Defensio ejusdem Libri per Joannem de Schoenhavia:* & *Epistola Gersonii contra prædictam defensionem.*

Fuit autem Joannes Ruysbroech, ita dictus à natalitio vico ejusdem nominis inter Bruxellas de Hallum sito, *Sacerdos, primus Prior & Fundator Monasterii Canonicorum Regularium in Brabantiâ, appellati Viridis-vallis, Cameracensis Diœcesis, siti in quadam silva, quæ Zonia dicitur, juxta Bruxellas* (ut ait Joannes de Schoenhavia p 66.) Anno 1381 octoginta & octo annos vitæ computans obiit die 2. Decembris. Spiritualis ac Mysticæ scientiæ famâ suo tempore ita inclaruit, ut *Doctor divinus, seu Contemplativus* appellaretur. Plura scripsit Opuscula spiritualia, sed Teutonico sermone. Inter ea primas tenet Liber *De ornatu spiritualium nuptiarum*, in tres partes divisus, qui jam tempore Gersonii latinitate donatus erat.

Hunc ille librum à Bartholomæo Carthusiensi acceptum, in transcursu primùm legerat; sed eo deinde attentiùs relecto, *in prima & secunda Parte multa de vita activa & spirituali salubria & alta Documenta tradi comperit*: at tertiam Partem, *De excellentia vitæ contemplativæ*, quam Beatitudini proximam esse contendebat Auctor, non modò à Spiritu Sancto minimè afflatam, sed insuper à sanâ doctrinâ abhorrentem esse deprehendit. Nam Joannes Ruysbroech statuebat animam perfecti contemplantis, non solùm clarè videre divinam essentiam; sed etiam transformari & absorberi in Deum,

Deum, & esse unum cum Deo, secundùm essentialem existentiam, ac perdi in abyssali esse divino. Hanc opinionem, seu potiùs locutionem reprehendit hac in epistola Gersonius tanquam erroneam & à doctrina Sanctorum alienam.

Cùm hoc Gersonii judicium non parùm Joannis Ruysbroech famæ officeret, unus ex ejus discipulis Regularis etiam Clericus, Joannes de Schoenhavia, conatus est mentem illius explicare, & ejus locutiones tanquam Patrum sententiis consentaneas defendere, ac objectis rationibus respondere. Hæ tres sunt Libelli quem composuit Partes, qui epistolæ Gersonii subjectus est. Hoc responsum cùm accepisset Gersonius, placita quædam inconcussa opposuit, quibus Ruysbroeckii & Schoenhavii dicta planè diruuntur, ac alia ad eumdem Bartholomæum, cui prior epistola inscripta erat misit. Horum porro Scriptorum ætas colligitur ex duobus locis, quorum alter est in Opere Joannis de Schoenhavia p. 67, ubi ait, vixisse Ruysbroeckium tempore schismatis, & ab ejus morte 25 annos vel circiter effluxisse. Cùm enim Ruysbroeckium anno 1381 desinente mortuum esse constet; scribebat hæc hujus discipulus circa annum 1406. Alter locus extat in responsione Joannis Gersonii p. 80, in qua citat verba Sermonis habiti *in Capitulo uno fratrum Carthusiensium anno Domini* 1406 vel 1408 adversùs locutiones omnino pares iis, quibus usi erant Ruysbroeckius & Schoenhavius; quibus recitatis hæc subjungit: *O si vidisses quisquis Autor Sermonis illius, si vidisses epistolam noviter ostensam mihi, quid dixisses! quid stomachi habuisses!* Ex quibus liquet circa annum 1410 hæc à Gersonio scripta esse.

Sequitur *Judicium de Vita S. Ermina*, cujus historiam latè descriptam in MS. Codice Victorino 284 breviter texuimus in Monito. Inter visiones & apparitiones ipsius hanc unam hîc commemorabo, quæ ipsi contigit in Vigilia Festi Sanctorum anni 1395. Judicium de Vita S. Erminæ. p. 13.

Cùm Ermina Matutinum Officium flexis genibus juxta fenestram recitasset & cubitum iret, audiit simul tres voces quibus nomine suo vocabatur, retróque respiciens vidit canem fenestræ insidentem oculis igneis. Ad preces conversa nihil ampliùs conspexit in fenestra: at juxta se videre sibi visa est crassum caput, cui duo grandes erant oculi, sed naso & ore ademptis. Plures hujusmodi apparitiones narrantur in hujus Vita, quam, uti diximus, scripsit Joannes Morellus Canonicus Rugularis sancti Dionysii Remensis. Hæ autem ipsi contigerunt à vigilia Festi omnium Sanctorum anni 1395, ad Festum S. Ludovici sequentis, quô migravit ex hoc sæculo; in quibus non solùm vidit, sed audiit loquentem sibi diabolum. Inter alia de Joanne de Varennis hæc sibi dicta, quæ prout scripta sunt, Vernaculâ linguâ referre haud pigebit.

Le Diable lui dit, la nuit du jour de la Mi-Août de sortir de son Païs. Tu vois, dit-il, ce saint homme de sainte vie, Messire Jean de Varennes, parce qu'il croit la verité & qu'il persevere, comme Dieu l'aime, & tiendra à grande perfection. Si tu sçavois l'honneur qu'il a aujourd'hui euë, car il a aujourd'hui prêché, & a converti le Roi & la Reine, & tres grande quantité de peuple, n'est l'Université pour lui, l'Archevêque de Reims & ces Messieurs sont si endurcis en leur mauvieté qu'ils ne veulent se convertir.

Ermina omnes suas visiones narrabat Joanni Morello, qui rei novitate perculsus, Doctores de eâ consulendos censuit, inter alios S. Dionysii Priorem, qui magnus fuerat Pœnitentiarius; ipsumque Archiepiscopum Remensem. Deinde post Erminæ mortem, cùm extremum agens spiritum testata esset, nihil à se de visionibus & apparitionibus dictum fuisse, quod verum non esset, Vitam ejus scripsit, in qua visiones ipsi factas, prout illa sibi narraverat retulit. Sed cùm non pauci eam improbarent, judicium Joannis Gersonii tum litteris, tum vivâ voce postulavit: cui respondet Gersonius hoc Opusculo, singulari cum prudentia. Primùm, nihil esse in hoc Libello, quod Fidei Catholicæ contrarium sit. Secundùm, quamvis necessarium non sit ad salutem, credere omnia & singula de facto contigisse prout in Libro narratur; nihilominus temerarium videri dissentire, aut animositate obstinata eadem impugnare. Demum, non expedire passim & generaliter hæc enuntiare; sed illis duntaxat aperire, quos verisimile erit *ex his*, ut loquitur, *salubriter ædificari*. Hocce responsum post annum 1396 conditum esse certum est: quod verò ait à Morello viva voce petitum, indicio est nonnisi post annum 1408 quô Gersonius Remis aliquamdiu demoratus est, elucabratum esse istud Opusculum. Observat in fine alios etiam huicce Judicio subscripsisse, *qui*, inquit, *verisimiliter non possint nec velint decipere, quibus nec visum est impunè posse mentiri.* Gallicè autem scriptum fuisse videtur istud responsum, ut habetur in MSS. Codicibus, ac deinde ab ipso Gersonio in Latinum translatum.

Dubitavimus aliquamdiu utrùm *Lectiones duas contra vanam curiositatem in negotio Fidei, ad hæc verba: Pœnitemini & credite Evangelio*, reponeremus inter Moralia, vel inter ea quæ ad Theologiæ tractandæ methodum pertinent. Sed considerato earum argumento, quod totum fermè versatur in instituendo Theologo, & à vanis quæstionibus ad sanam Theologiam revocando; in hac potiùs quàm in illa classe eas collocandas esse duximus. Est autem illud Opus eximium, in eoque Gersonius pietatem cum eruditione, prudentiam cum subtilitate, elegantiam cum præcipiendi ratione feliciter conjunxit. Prioris annus & dies in fine ascriptus, annus scilicet 1402, dies Mercurii ante Festum Martini in hyeme: posterior hujus continuatio est. In hac meminit multorum Sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis Statutorum; imprimis unius determinationis & revocationis de distinctione formali p. 101. B, cujus cùm nec tempus assignet, nec Autorem nominet, hîc observandum venit, revocationem esse Magistri Ludovici, quæ facta est anno 1362. Duæ Lectiones super illud Marci: Pœnitemini & credite Evangelio: contra vanam curiositatem in negotio Fidei. p. 86.

Ad idem argumentum cum duabus Lectionibus præcedentibus pertinent sequentia Gersonii Opuscula. *Epistolæ* scilicet *duæ ad Studentes Collegii Navarrici*: in quarum prima lectionem antiquorum Theologorum commendat, & qui potissimùm circa singulas materias legendi sint præscribit: in altera, Universitatis mala notat, ut Dominicani ejecti ex ea restituantur exoptat, & quâ ratione id fieri possit edocet. Itaque scriptæ sunt hæ duæ epistolæ ante annum 1403, quô Dominicani restituti fuerunt, idque circa annum 1400 quô tempore Brugis erat, & Cancellariatum dimittere volebat, nisi Burgundiæ Dux huic consilio obtitisset. Epistolæ duæ ad Studentes Collegii Navarræ. p. 106. & 110.

Sequitur *Admonitio de cautè legendis quorumdam libris, propter errores occultos.* Scriptus à Gersonio anno 1425. Cùm Hubertini Scripta relegisset in eo taxat errores Minoritæ, qui circa initium sæculi quo natus est Gersonius floruit, necnon Begardorum & Beguinarum nefanda placita, & quorumdam aliorum temerarias propositiones refellit. Prodit & altera pars ejusdem Scripti, *de Theologia mystica.* Admonitio Quomodo cautè legendi sint quorumdam libri, propter errores occultos. p. 113.

Hanc



Epistola ad Oswaldum Carthusiensem. p. 116. Epistola laudans mellifluam & igneam Bonaventuræ doctrinam. p. 117.

Hanc admonitionem excipiunt, *Epistolæ duæ*, una *ad Oswaldum* Carthusiensem, in qua promittit se missurum ad eum Opuscula sua & Bonaventuræ librum. Altera, in qua Seraphici hujus Doctoris, Operumque illius elogium prosequitur, & distinctionem formalem Scotistarum acriter impugnat.

*Excerptum de legendis antiquis Doctoribus, suis posthabitis lucubratiunculis. p. 119. Epistolæ duæ de Reformatione Theologiæ. p. 120.

* Excerptum sequens continet Gersonii de Operibus suis Judicium, & de legendis antiquis Autoribus consilium. Restant *Epistolæ Brugis Scriptæ* anno 1400, Ecclesiæ & Theologiæ reformationem spectantes.

† Libri quatuor *de consolatione Theologiæ*. p. 125.

† Hanc primam Tomi I Operum Gersonii Partem claudunt *Libri quatuor*, *de Consolatione Theologiæ*, prosâ & metro in formam dialogi scripti, ad imitationem libri Boëtiani *de Consolatione Philosophiæ*. Hos composuit Gersonius post Concilium Constantiense anno 1418 in oppido Rathemberg, quò secesserat, iram Ducis Burgundiæ metuens. Inducit in iis *Volucerem* nuntium à se missum *Peregrino* ad Joannem Monachum fratrem suum Cœlestinorum Lugduni Priorem quem *Monici* nomine designat. Hujus Operis argumentum satis accuratè expositum habes ejus initio: in eo autem interiores animi sui sensus circa definitionem veritatis & justitiæ egregiè Gersonius exprimit; & quo pacto affectus esse debeat Theologus verè Christianus humiliter exponit. Eminent in eo Tractatu Gersonii Religio eximia, & eruditio singularis: hîc reperire est aurea præcepta, quibus instituatur perfecti Theologi, tum ad scientiam tum ad pietatem animus. Uno verbo, ejusmodi est istud Opus, ut illud Theologorum omnium manibus assiduè versari exoptandum esset. Miræ insuper elegantiæ est & flosculis plenum, nec infertili venâ currunt ejus carmina ad imitationem Boëtianorum composita. Atque hæc de libris primæ Partis Tomi I. Operum Gersonii.

TOMI I. PARS II.

Secunda ejusdem Tomi Pars continet *Tractatus adversùs prophanas Superstitiones*, quæ tum temporis plurimùm invaluerant. Imprimis Astrologia tanto erat tum apud Principes in pretio, ut de gravissimis negotiis consulerentur Astrologi, & de illis ex eorum responsis statueretur.

Trilogium Astrologiæ Theologizatæ. p. 189.

Hanc superstitionem emendare cupiens Gersonius, composuit Librum *Astrologia Theologizata*, hoc est reformatæ, & à superstitione purgatæ ope Theologiæ, in quo triginta propositiones affert, quibus Astrologiam ab erroribus Religioni contrariis & superstitionibus liberare se posse putat: & quoniam non audet hanc disciplinam quam pro scientia agnoscit omnino rejicere, rationes investigat, quibus aliquis Astrologiâ prudenter ac sine peccato, salvâ Fide & Religione Christiana, interdum utatur. Scripsit illud Opus anno 1419, & Delphino unico Regis Christianissimi Caroli VI filio (qui deinde Rex fuit Carolus VII) tunc ex jure Regni Regenti dedicavit. Extat in fine egregia ad Principem admonitio, de iis omnibus eliminandis superstitionibus, quæ Religionem ejus & Fidem vel minimùm lædere possunt.

Ex Astrologiâ fluunt aliæ observationes superstitiosæ, quas pariter Gersonius singularibus Opusculis impugnat.

Tractatus contra superstitiosam dierum observationem. pag. 203. Opusculum adversùs Doctrinam cujusdam Medici sculpentis in Numismate figuram Leonis cum certis caracteribus, pro curatione renum. pag. 206. Tractatus de observatione dierum, contra Medicum. p. 208.

Primum est adversùs eorum superstitionem, *qui diem Innocentum infaustum esse credebant*. Quàm vana sit hujusmodi opinio docet Gersonius, futiles esse ostendens omnes causas quæ afferri possent, propter quas infortunatus esset iste dies. Scriptus est iste libellus Lugduni, post Librum *Astrologia Theologizata*.

Hoc Opusculum excipiunt alia duo ejusdem generis & argumenti adversùs Jacobum Angeli Medicum Montis-Pessulani, quorum prius *Adversùs usum Numismatis figurâ Leonis insculpti ad curandos morbos*, datum est Lugduni die 8 Decembris. Posterius, *Contra vanam & superstitiosam dierum, ad certa quædam facienda, observationem* scriptum est. Utrumque firmissima continet placita Religioni & rationi æquè convenientia.

* De erroribus circa artem Magicam. p. 210.

* Qui sequitur Tractatus excerptus est ex Oratione ad licentiandos in Medicina, in qua, datâ occasione, contra superstitiosas observationes, *nostrâ*, inquit, *tempestate, proh nefas! nimis & nimis prævalescentes* disseruerat. *In id diverticulum eò faciliùs lapsum se profitetur, quò utilius sibi visum, & eò quòd in patrocinium hujus corruptelæ, quidam adducere nituntur in crimen Medicinam.* Ita verò in eo Magicas & Superstitiosas observationes exagitat, ut hoc perlecto, nemo sanus & pius ab iis non abhorreat.

Ad sententiam suam confirmandam, apposuit in fine Decretum Facultatis Theologiæ Parisiensis, continens viginti septem Articulos, quibus totidem Idololatricæ, Magicæ, & Superstitiosæ observationes damnantur, datum die 19 Septembris anni 1389. Oratio verò è qua excerptum est hoc fragmentum, habita est cùm Lutetiæ Cancellariatus Munere fungeretur, ante Concilium Constantiense, & fortè Lugduni in secessu seorsum editum.

An liceat Christiano initia rerum observare ex cœlestium siderum respectu. p. 220.

In alio Opusculo inquirens *An liceat Christiano initia rerum observare ex cœlestium siderum respectu*, vana & illicita esse probat Astrologorum placita.

† Epistola Cardinalis Cameracensis ad Gersonium, de Astrologia. p. 226.

† His Opusculis subjunximus *Epistolam Cardinalis Cameracensis ad Gersonium, quâ laudat ejus de Astrologia Judicium*. In his Opusculis multa legere est singularia & curiosa circa Superstitiosas observationes; inter hæc egregium Philippi Regis Francorum dictum & factum, qui cùm reperta fuisset *imago quædam cerea, quam dicebant baptizatam & execratam taliter nomine suo, ut eâ destructâ Rex ipse moreretur. Videbimus, inquit pius Rex Fide plenus, si potentior erit dæmon ad perdendum me, quàm Deus ad salvandum: & hæc dicens ceram projecit in ignem.* p. 216. Sunt etiam in iis Opusculis insignes sententiæ morales & politicæ, quæ cum magno fructu memoriæ commendari possunt.

TOMI I. PARS III. Compendium Theologiæ. p. 233.

Tertia Pars hujus Tomi complectitur Tractatus ad Fidei Dogmata pertinentes. Hujus initio reposuimus Tractatum, cujus inscriptio est; *Compendium Theologiæ breve & utile*, continens *Expositionem*, 1. *Articulorum Fidei*. 2. *Decem Præceptorum Legis*. 3. *Septem Sacramentorum Ecclesiæ*. 4. *Septem virtutum*. 5. *Septem petitionum Orationis Dominicæ*. 6. *Septem donorum Spiritus Sancti*. 7. *Octo Beatitudinum*. 8. *Vitiorum tam naturæ quàm voluntatis*. Hoc autem Opus quamvis sub nomine Cancellarii prodierit, ejus tamen non est.

Primùm enim, in nullo MS. Codice ipsi tribuitur. 2. Stylus Autoris à Gersonii stylo valde diversus. 3. Methodus ac rerum exponendarum ratio diversa. Verùm etsi Gersonio perperam ascribatur; quia tamen Opus est alicujus pretii, in quo multa sunt utilia & præclara, tum ad Fidei, tum ad morum Doctrinam spectantia perspicuè ac dilucidè exposita, haud contemnendum illud esse duximus aut rejiciendum, imò id cœteris hujus generis Operibus Gersonii præfigendum; utpote majoris molis & operæ.

Est

Est autem hujus doctrina sana, & instituendis iis quibus cura animarum incumbit aptissima, ob simplicitatem orationis, dictionis claritatem, rerum copiam, atque eorum quæ ad Præcepta & peccata pertinent solidam expositionem à recentiorum Casuistarum corruptelis maximè alienam.

Huic Operi geminum est sed brevius Opusculum tripertitum à Gersonio cùm Parisiis esset adornatum: *Ut Curati minus instructi*, inquit, *aliquod Opus solidum & aptum haberent, quod in toto vel per partes diebus Dominicis & Festivis legere possent suis plebibus, ut scirent & intelligerent, ad quid & propter quid & à quo facta sunt; quid insuper credere, quid agere, & quid omittere divinâ Lege tenentur; & quemadmodum à peccato resurgere.*

Opusculum Tripartitum. p. 425.

Prima Pars, post Fidei formulam, continet expositionem brevem Decalogi. Secunda est de Confessione. Tertia exhibet exhortationes, interrogationes, orationes & observationes quæ fieri possunt ad hominem in articulo mortis positum. In eo Opere, Gersonius stylum suum ad captum eorum in quorum gratiam erat confectum accommodavit. Visum est autem adeo utile illis ignorantiæ temporibus, ut Gallicani Episcopi quamplurimi, in Synodis suis id, ad institutionem Presbyterorum & Fidelium elegerint, ac legendum populo à Pastoribus præscripserint, & suis Ritualibus inseruerint.

Huic subjunximus Epistolam *ad Joannem Bassandum Cœlestinorum Provincialem*, in hæc verba Cantici Mariæ, *Suscepit Israël puerum suum*; in qua Gersonius susceptionis carnis à Verbo, & justitiæ ab homine œconomiam exponit. In prima Parte, de donis Mariæ Virgini collatis, aut quæ potuissent conferri, nec tamen collata sunt; in altera, de quorumdam Spiritualium erroribus disputat. Habet autem hæc Epistola ascriptum annum 1426 & diem octavam Decembris.

Tractatus de susceptione humanitatis Christi. Pag. 450.

Tractatus *De Communione laïcorum sub utraque specie*, editus est in Concilio Constantiensi anno 1417 die 20 Augusti, adversùs Bohemos, qui necessariam esse contendebant utriusque speciei sumptionem, eamque restitui acriter postulabant. Hunc multò auctiorem damus ex MS Codice Magistri de Targny Sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis Doctoris, viri in rebus theologicis versatissimi.

Tractatus de Communione Laïcorum sub utraque specie. p. 457.

In eodem Concilio die 3 Aprilis anni sequentis, Gersonius Scriptum obtulit Antonio Cardinali Veronensi, cui demandata erat hæc Causa, adversùs propositiones Matthæi Grabon Conventus Wismariensis Provinciæ Saxoniæ Ordinis Prædicatorum, Diœcesis Mersburgensis, qui Begardos & Beguinas impugnans, in oppositos errores inciderat, Religionis statum nimis commendando; ac propositiones multas protulerat, quæ visæ sunt in communis Christianorum vitæ dedecus vergere.

Propositiones adversus assertiones Matthæi Grabon. p. 467.

Scriptum hoc sequitur *Judicium Cardinalis Cameracensis*, adversùs doctrinam Matthæi Grabon: tùm *Libellus* hujus *Dominicani, cum 26 propositionibus excerptis, ac demum ejus revocatio*.

Judicium Cardinalis Cameracensis de propositionibus Matt. Grabon p. 468. Libellus Matt. Grabon. p. 470. Propositiones excerptæ ex ejus libello. p. 473. Revocatio & Abjuratio Matthæi Grabon. 474.

[1] Extremum locum inter Gersoniana, de Fidei Dogmatibus, Opera occupat, Libellus nunc recens è MS. Victorino erutus, in quo quæstionem hanc agitat, *An Angeli & Beata Virgo & omnes Sancti associent Corpus Christi in Sacramento Altaris*. Hanc asseruerat Magister quidam in Artibus, Rector Scholæ Aviciensis, seu potius Aniciensis aut Podiensis.

Gersonius interrogatus utrùm hæc assertio esset vera & ad populum prædicanda: Respondet primò, non esse prædicandam ad populum, & prohibendum à Prælatis ne id fiat. Deinde propositionem excutit, & varios ejus sensus impugnat. In hoc Libello sunt quædam notanda circa modum quo Corpus Christi existit in Eucharistia: nec leviter prætereundum id quod narrat de revocatione cujusdam Concionatoris, qui Parisiis ad populum dixerat: *Illud quod videtur oculis corporalibus in manibus Sacerdotis, hoc est illam albedinem, non esse Christum vel Corpus Christi.*

[2] Syllabum Operum quæ in Tomi I. Appendice continentur, ejus initio dedimus: nunc de singulis pauca dicamus.

[1] Conclusiones, An Angeli & Beata Virgo & omnes Sancti associent Corpus Christi in Sacramento Altaris 475.

[3] Primum inter ea locum obtinent Petri de Alliaco Tractatus duo in hæc verba: *Attendite à falsis Prophetis*, quorum occasione, non tantùm de falsis Prophetis agit, sed etiam de omni genere falsæ Prophetiæ. Hinc in secundo adversùs omnes divinationum species fusè disputat: multa etiam intermittit de natura, cognitione & operationibus Angelorum ac dæmonum, nec non de Astrologiæ futilitate. In his parergis prolixior fortasse videbitur: at pro sui temporis more hæc tractat, ponendo principia, & quæstiones plurimas in utramque partem agitatas dissolvendo. In his Tractatibus non parùm eruditionis, multùmque judicij reperire est.

[2] Tomi I. Appendix: [3] Petri de Alliaco de falsis Prophetis Tractatus duo 1. 489. 2. pag. 511:

[4] Sequitur brevius ejusdem Opusculum, cui titulum dedit: *Recommendatio Scripturæ*, in hæc verba Christi: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, quæ sic exponit, ut licèt non neget super Christum & super Petrum ædificatam esse Ecclesiam; attamen per Petram illam super quam ædificata dicitur Ecclesia, intelligit Sacram Scripturam, quam Ecclesiæ fundamentum esse ostendit, quò nixa, omnes adversantes sibi superavit & superabit ipsa semper invicta. hoccè Opusulum politum est & tersum, ac multâ arte compositum.

[4] Ejusdem *Recommendatio Sacræ Scripturæ* Pag. 603.

[5] Magis ludicra & minus gravis est sequens Oratio habita à Petro de Alliaco, initio cursus Biblici, in qua Doctrinam Christianam cœteris scientiis præferendam esse docet. Hanc juvenis fecit, & pueritiam redolet scribendi ratio.

[5] Ejusdem Principium in cursum Bibliæ 610.

[6] Sequuntur *Quæstiones subtiles de tribus suppositis in una natura* seu *de Trinitate*, in quibus duo tenet Alliacenus à vulgatis Theologorum circa Trinitatem placitis abhorrentia. Primum est, Personas non constitui per relationes, sed per proprietates absolutas. Alterum, Tres Personas esse tres res absolutè: quæ quidem cùm per transennam in priori Lectione protulisset, explicat in altera.

[6] Eusdem Lectiones duæ circa quæstionem, Utrùm tria supposita unius naturæ sit perfectio communicabilis creaturæ. 1. p. 617 2. pag. 625,

[7] Nec minùs subtiliter agitat aliam quæstionem. *Utrùm libertas creaturæ ante & post lapsum intrinsecè sit æqualis?* libertatem considerans non ratione actuum, sed ratione ipsius facultatis quam à voluntate non distinguit.

[7] Ejusdem de libertate Creaturæ rationalis ante & post lapsum. p. 630.

[8] Utilior est simul & planior alia quæstio: *Utrùm conscientia erroneâ excuset à culpa?* quam tamen subtilissimè & accuratissimè tractat, versatque in omnes partes Alliacenus.

[9][9] Hanc excipiunt duæ de Dominio. *Utrùm Christi dono gerens potestatem solus possit præesse*, & *Utrùm indoctus in Jure Divino possit justè præesse*. Egregriè distinguit donum quô Christus Dominii jus tribuit Prælatis, à dono gratiæ; & justitiam Dominii, à justitia personæ; & ostendit contra Armachanum,

[8] Ejusdem quæstio: Utrùm conscientia erroneâ excuset à culpa 635. [9] Ejusdem quæstio: *Utrùm Christi dono gerens potestatem solus possit justè præesse* p. 641. [9] Ejusdem: *Utrùm indoctus in jure Divino possit justè præesse* p. 646.

hum, malos & peccatores justè exercere posse dominium, eisque parendum: in posteriori, de viis extinguendi schismatis fusè agit; & viam Concilij generalis cœteris præfert. Scripta autem est, ut patet ex fine, post Conclium Pisanum, ante celebrationem Constantii Concilii; post Congregationes Parisiis habitas.

1 Ejusdem: Utrùm Petri Ecclesia Lege reguletur p. 646 Utrùm Petri Ecclesia Rege gubernetur, Lege reguletur, Fide confirmetur, Jure dominetur. p. 672.

[1] Non minoris momenti, nec minùs uberes sunt duæ aliæ quæstiones; una in Vesperiis: altera in Actu Resumptæ habitæ. *Utrùm Petri Ecclesia Lege reguletur*, & *Utrùm Rege gubernetur, Lege reguletur, Fide confirmetur, Jure dominetur.* Quarum propositionum occasione, gravissimas quæstiones de Ecclesiæ perpetuitate & infallibilitate, de Concilii generalis & Romani Pontificis autoritate, de potestate Ecclesiastica & Laïca, fusè & accuratè pertractat, in utramque partem eas movendo, suamque opinionem modestè proponendo.

2 Propositiones damnatæ Joannis de Montesono I. 693. Epistola Universitatis Parisiensis adversus Joannem de Montesono I. 694. Sermo Petri de Alliaco coram Papa Clemente VII Avenioni habitus adversus Joannem de Montesono p. 697. Propositio in Consistorio facta contra Joannem de Montesono p. 702. Apologia nomine Facultatis adversù. Joannem de Montesono p. 703.

[2] Circâ monumenta Petri de Alliaco ad damnationem Joannis de Montesono pertinentia, non est quòd multùm immoremur, cùm hujus rei series à nobis antea sit exposita. Hoc unum observabimus hîc, nihil gravius esse epistolâ Universitatis Parisiensis adversùs Joannem de Montesono, nihil ad propositum accommodatius duabus Orationibus Alliaceni; nihil denique maturioris judicii Apologiâ Facultatis Theologiæ Parisiensis.

In hac eximiæ & nunquam non satis commendandæ, de approbatione Librorum & Sanctorum erroribus Regulæ proponuntur; quibus eorum nimis delicata refellitur opinio, qui Sanctis nullum volunt errorem adscribi posse; ac illorum obstinata mens, qui in alicujus Doctoris verba jurant, à cujus placitis ne latum quidem unguem discedere volunt.

Præclara etiam habes in his monumentis, de Theologicarum Facultatum in Fidei quæstionibus doctrinaliter definiendis autoritate; eorumque impudentiâ qui adversùs illarum censuras allatrare & cavillari non cessant. Totum hoc negotium de Joanne Montesono in Curia Romana annis 1388 & 1389 peractum est.

3 Ejusdem Tractatus duo, quòd nihil exigere liceat pro Gradu Licentiæ 1. 723. 2. p. 745.

[3] Tractatus duo *Adversus Cancellarium Parisiensem*, *Quòd nihil exigere liceat pro Gradu Licentiæ*; scripti sunt lite pendente inter Universitatem Parisiensem & Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis. Hujus est, ab antiquo, post emensum à Baccalaureis Theologis Licentiæ decursum, eos à scholis solemni Benedictione mittere, iisque docendi, ac Verbi Dei annuntiandi facultatem autoritate Apostolicâ concedere. Gratis antehac à Cancellario fiebat hujusmodi Benedictio, nec quidquam exigebatur à Baccalaureis Licentiandis; sed si quid Honorarii libenter dare vellent, in eorum erat potestate; atque ut id ita fieret, Summorum Pontificum Diplomatibus cautum erat. Primus Joannes de Caloribus nonnihil exigere instituit; sed quia modicum quid erat, tulerat Universitas.

Post ejus mortem Joannes Blankaërs, aliàs Blanchardi, ab unoquoque Licentiandorum decem libras exigere voluit, quas nisi conferrent, Mandatum ad recipiendam Benedictionem, quod Signetum tunc vocabant, denegabat. Hinc commota Facultas Theologiæ Parisiensis, imò & tota Universitas, cùm non tantùm de Theologis, sed & de Licentiandis in aliis Facultatibus res ageretur.

Igitur anno 1384 Universitas ut huic malo occurreret, Decretum Gregorii promulgavit in Comitiis diei Jovis ante Festum S. Dionysii, quod incipit *Parens Scientiarum*, in quo cavetur ne quid pro Licentia concedenda exigatur: ac deindè querelas suas detulit ad Clementem VII adversùs Cancellarium Parisiensem; non quidem litem intendens, sed tantùm admonitionis & expostulationis ergò.

A Clemente hujus rei Judex datus est Cardinalis Laudunensis. Huic Cancellarius commonitorium dedit, quo sibi à Licentiandis aliquid, non quidem pro Licentia, sed, ut aiebat, pro pœna exigere licere contendebat. Nihilominùs Universitas mense Januario subsequenti, sub gravi pœna vetuit, ne *ullus Baccalaureus admissus ad determinandum aut legendum, seu ad Licentiam, det aut promittat daturum se ullam pecuniam, quocumque modo aut prætextu.*

Indoluit Blanchardus, quòd lite nondùm à Delegato Sedis Apostolicæ judicatâ, ita suo fraudaretur peculio: ad Senatum Parisiensem rem detulit, conquestus quòd jure suo ante finem litis spoliaretur. Ibi inter Patronos acta est Causa die 5 & 6 Februarii: verùm ea ampliata est, donec ab utraque parte scriptis actisque prolatis, res dijudicari posset; statutumque ut Cardinalis Laudunensis adiretur à Curiæ Deputatis. Cùm res essent in hoc statu, Petrus de Alliaco eos de quibus agitur Tractatus composuit, in quibus pro Gradu Licentiæ Theologicæ aliquid exigere simoniacum esse contendit, multisque rationibus probat; & Cancellarii Parisiensis excusationes ac responsa fusè refellit. Eò autem utiliores sunt isti Tractatus, quòd varias de Simonia quæstiones evolvunt.

Ejusdem, *Tractatus contra Astronomos* p. 778.

Ultimum inter Alliaceni Tractatus hac in Appendice editos tenet locum *Liber contra Astronomos*, qui primum obtinuisse debuisset, nisi seriùs ad Typographum pervenisset: imò & omitti omnino potuisset; continet enim multa vana & obscura: sed quia Gersonii eâ de re Tractatus longè utiliores ac solidiores is Tomus complectitur, visum est eis adjungere Tractatum hunc, qui certè Astronomiæ curiosis non displicebit.

Joannis Breviscoxæ *Tractatus de Fide, Ecclesia, Romano Pontifice & Concilio generali*. p. 805.

Petri Alliaceni Opera excipit *Joannis Breviscoxa* Doctoris Parisiensis, posteà, uti diximus, ad Parisiensem Ecclesiam, ac deinde ad Gebennensem promoti, Tractatus ingens, *de Fide, Ecclesia, Romano Pontifice & Concilio generali*, ubi quæstiones præcipuè agitat, quæ ad Ecclesiæ, Concilii generalis, Summorum Pontificum indefectibilitatem & infallibilitatem & Sacerdotum autoritatem, pertinent. Hæc autem non ut alii ferè plerique jejunè tractat & leviter, sed fusè ac solidè, rationes in utramque partem prolatas excutiens, & quid ipse sentiat modestè ac opinativè exponens. Ex hoc autem colligitur, quanta fuerit tùm temporis circa hujusmodi quæstiones in Scholis quidlibet sentiendi libertas; & quo pacto pleræque quæstiones in utramque partem à Theologis Catholicis agitarentur. Docet etiam hic Autor, in illis quæstionibus quæ Romanum Pontificem attingebant, aliter definire quàm Curiæ Romanæ placeat, *jam tum periculosum fuisse*, & *fortassè* verba sunt illius, p 882, *periculosius quàm de Trinitate, aut Incarnatione Jesu Christi Salvatoris nostri.*

Joannis de Varennis responsiones ad capita accusationum p. 505

Hanc Appendicem claudit *Joannis de Varennis Pastoris S. Leti responsio ad capita accusationum quibus impetebatur, scripta in carcere S. Mauri anno* 1396. Quis fuerit iste Joannes de Varennis; quomodo captus & detentus operâ Guidonis de Roya Remensis Archiepiscopi; quàm crudeli-

ter

ter in carcere vexatus, docet hæc responsio. Patet etiam illum multa acriter & imprudenter de Clero & Archiepiscopo in Concionibus dixisse. At Archiepiscopum & Clericos ab iis vitiis quorum ipsos accusat, omnino immunes fuisse vix quisquam sibi persuadebit; & ex aliis monumentis constat, multorum Episcoporum ac Presbyterorum mores tùm fuisse valdè corruptos.

Quorum, inquit ille, *si voluissem labefactionibus adulari, quantùm gratiâ Dei posse-tenùs restiti; hodiè in muscipula carcerum captus non essem malefactorum Sancti Mauri: sed illos praopto carceres arctos jam nunc induere & diutiùs tentasse, quàm veritatis etiam scintillam siluisse. Et utinam ad hoc natus sim, & in mundum venerim, ut testimonium usque ad mortem perhibeam veritati.*

Hic si reverà fuit hujus hominis animus, zelus quidem laudari potest: at Gersonius noster eum in libro *De probatione spirituum* in exemplum adducit eorum, qui *cùm finem bonum habere viderentur, tandem prolapsi sunt in multiplicius scandalum, dum vel non responderunt ultima primis, vel aliud falsum fictumque deprehensum est in personis fuisse, quod reputabatur sanctitatis & devotionis. Docuit*, inquit, *hoc ætas nostra, de Prædicationibus Dominorum Joannis de Varenis & Joannis Hus.* Et in Epistola ad Cameracensem Episcopum, eum in exemplum adducit, eorum qui plùs paupertatem Apostolicam sectabantur; atque illum propter austeritatem vitæ populos innumerabiles aggregasse, & magnos fructus ab eo faciendos, *si*, inquit, *fuisset comes humilitas & filia ejus discretio.*

Nihilominus antequam captus foret, singularis sanctitatis habebatur à populo; & coram Rege ac Regina Conciones habuit anno 1395, ut discimus ex Autore Vitæ S. Erminæ, cujus testimonium supra retulimus: at Universitati, Archiepiscopo & Clero Remensi odiosus erat, ut ibidem habetur. Quid de eo factum deinde fuerit nuspiam legitur: in carcere fortè periit.

§. 2.

De Operibus Tomi secundi continentis ea quæ ad Ecclesiasticam Πολιτείαν *& Disciplinam pertinent.*

PRima Pars hujusce Tomi complectitur Tractatus ad schisma pertinentes usque ad Concilium Constantiense. Cùm autem schismatis hujus Historiam texuerimus, ac Gersonii in eo componendo operæ mentionem in Historia fecerimus, circa hæc Opera breviores erimus.

[a] Primo inter ea loco posuimus *Protestationem circa statum Ecclesiæ*, quam emisisse videtur, cùm primùm in Ecclesia Gallicana de substractione ab obedientia Benedicti ageretur anno 1396.

[b] Paulò antiquior videtur *Sententia de modo se habendi tempore schismatis*, & omnium prima Gersonii de schismate lucubratio.

[c] Sequentes duæ *De substractione schismatis*, eo tempore scriptæ sunt, quo Universitas substractionem urgebat, cùm Benedictus cedere recusaret.

[d] Anno 1396 aut 1398 his posterior est *Tertius de schismate Tractatus*, cùm ageretur de revocanda substractione obedientiæ, quod factum est die 20 Maii anni 1403.

[e] Ejusdem temporis sunt Opusculum *De Concilio unius obedientiæ*; ac *Considerationes de restitutione obedientiæ.* Quæ fuerit tunc Gersonii mens de substractione obedientiæ, & inutilitate Concilii unius obedientiæ, ex iis monumentis facile est discere.

[f] Obedientiâ restitutâ, feriâ secundâ Pentecostes anni 1403, Orationem habuit sequentem: & eodem anno bis coram Benedicto peroravit; primùm Massiliæ, nonâ die Novembris; deinde [g] Tarascone, in die Circumcisionis Domini. Hæc excipiunt *Epistolæ duæ* ejusdem temporis; una [h] *ad Ducem*; altera ad [i] *Cardinalem Cameracensem.* In illa, quæ fuerit ejus de extinguendi schismatis viâ mens atque sententia declarat: in hac, purgat se ab objectis adversùs Sermonem Tarascone habitum. [k] *Acta* sequentia *de schismate tollendo*, suam initio ferunt epocham, annum nempe 1406, post mortem Innocentii VII. Ejusdem temporis est [l] Disputatio ejusdem argumenti.

Post substractionem, [m] *Trilogus in materia schismatis* confectus est, cui inserta *Epistola Universitatis Parisiensis adversùs Tolosanam*, & subjecta [n] *Epistola Caroli* VI die 12 Januarii anni 1407 data de substractione.

Hanc sequitur *Epistola Cardinalis Cameracensis, ad Papam Benedictum* XIII, data die 26 Januarii anni 1408, more Romano.

[o] [p] [q] *Commonitorium, Conclusiones & Propositiones de schismate*, durante quoque substractione composita sunt, & præcedunt Concilii Pisani convocationem; non secùs ac Tractatus [r] *De Unitate Ecclesiastica*; [s] cum quatuor Considerationibus & alio [t] Commonitorio. Sunt autem ista omnia Opuscula anni 1409, sicut & [v] *Oratio ad Anglicos Oratores ad Concilium Pisanum proficiscentes*, nomine Universitatis habita.

[x] Concilio peracto, Orationem habuit *ad Alexandrum* V, die 20 Junii anni ejusdem, quæ subsequitur: & post aliquod tempus [y] *Sermonem De Unione Græcorum.*

Post hæc genuina Gersonii Opera scriptiunculam collocavimus incerti Autoris Diœceseos Cusentinæ, *De schismatibus Ecclesiæ Romanæ* quæ nullius omnino est pretii. Revocari debent & ad istam Partem *Liber De auferibilitate Papæ*, & Lectio *De Jurisdictione Spirituali*; sed hæc in secunda Parte locavimus, ut dicetur infra.

[z] Primus in ea locus datus est Tractatui recens in Concilii Constantiensis Historia edito, *De modis uniendi ac reformandi Ecclesiam in Concilio Universali*, ad Cardinalem Cameracensem, in quo respondet rationibus quas attulerat iste Cardinalis in Opusculo *De difficultate reformationis Ecclesiæ in Concilio universali*, quem in Appendice edidimus. Cùm enim de Concilio universali convocando ageretur, de hujus utilitate variè sentiebant, prout variè affecti erant homines. Gersonius præsertim & Cardinalis Cameracensis in diversas abierant sententias, atque, ut amicissimi erant, amicè etiam sibi invicem mentem suam exposuerunt, ac scriptis contulerunt. Primus videtur sua dubia proposuisse Petrus de Alliaco; quibus cùm, ut fatetur initio Tractatus, aliquatenus satisfecisset Gersonius, alia ille dubia proposuit. Primum

TOM. II Pars prima. [a] Joannis Gersonii Protestatio super statum Ecclesiæ p. 1. [b] Sententia de modo se habendi tempore schismatis p. 3. [c] De Substractione schismatis p. 7. Tractatus de eodem schismate p. 14. [d] Tractatus alius de eodem schismate p. 17. [e] De Concilio unius obedientiæ p. 24. Sermo post restitutionem obedientiæ. p. 39. [f] Sermo habitus Massiliæ 43. [g] Sermo habitus Tarascone. 54. [h] Epistola ad Ducem Aurelianum p. 74. [i] Epistola ad Cardinalem Cameracensem p. 74. [k] Acta de schismate tollendo p. 76. [l] Disputatio de schismate tollendo 77. [m] Trilogus in materia schismatis p. 83. TOMI II PARS II. [n] Epistola Regis Franciæ p. 103. [o] Rememoratio. p. 106. [p] Octo Conclusiones p. 110. [q] Aliæ Propositiones. p. 112. [r] Tractatus de unitate Ecclesiastica. p. 113. [s] Quatuor Considerationes p. 118, [t] Commonitorium p. 121, [v] Propositio coram Anglicis euntibus ad Sacrum Concilium 123. [x] Sermo coram Alexandro V. 131. [y] Sermo de Unione Græcorum 141. [z] Tractatus de modis uniendi & reformandi Ecclesiam in Concilio universali. 161.

Primum fuit circa convocationem Concilii. Dixerat Gersonius per Imperatorem vel per Regem Romanorum convocandum esse Concilium generale, ad unionem & reformationem Ecclesiæ. Objicit Cameracensis, id temporis illud fieri non posse, vacante scilicet Imperio, & dissentientibus circa electionem Imperatoris Electoribus, ita ut metuendum esset ne diù Imperium remaneret absque Rectore. De Rege Hungariæ Sigismundo, in quem studia inclinabant, liberè ait, cum nec Imperio regendo, nec schismati extinguendo idoneum. Deinde etsi Electores de uno simul convenirent, fore ut ab uno è tribus de Pontificatu contendentibus approbationem accipiat, cui juramentum præstabit ac tenebitur adhærere, nec proindè poterit aut eum cogere ut Pontificatu se abdicet, aut Concilium convocare, ut in eo dejiciatur. Accusat deinde Joannis XXIII rapacitatem & avaritiam, qui suis Constitutionibus, ex Beneficiorum reservationibus & collationibus, magnam pecuniæ summam colligebat. Hinc conjicit difficilem omnino emendationem in Concilio generali. Novum deinde proponit obicem circa Pontificis electionem, dejectis tribus. Nam si Cardinalibus permittatur electio, unum ex seipsis eligent, à quo non est speranda reformatio: si verò committatur aliis, detrectabunt illi electo obedire, aliumque eligent, unde novum schisma in Ecclesia orietur. Negat eos qui non obediunt Joanni ob ejus vexationes, cogi posse ipsi obedire.

De Gregorio & Benedicto quærit, num vocandi sint ad Concilium necnè; si vocarentur, videretur derogari Concilio Pisano: si vocati non fuerint, ipsi eisque adhærentes in schismate permansuri sunt. Non minorem circa locum Concilii scrupulum proponit, cùm de loco nulli è contendentibus suspecto conveniri nequeat. Hæc sunt dubia quæ Alliacenus Gersonio solvenda proponit.

Et hoc præstat in eo de quo agimus Opere Gersonius. Primùm enim Pontificem Romanum in casu præsenti deponi posse ostendit, & in locum trium expulsorum, unum legitimum constitui debere; id per Concilium generale fieri posse, in quo præter pacem Ecclesiæ, etiam emendatio præstabitur. Hoc autem convocari posse à Pontifice, vel si nolit, à Rege Romanorum, vel ab ipsis Episcopis secum invicem de loco & tempore Concilii convenientibus. Quid in eo de pace & emendatione Ecclesiæ statuendum censeat, summatim prosequitur. Sigillatim deinde ad dubia sibi proposita respondet. Ad primum: vacante Imperio, *devolvi Concilii convocationem ad Principes, ad Communitates, aliosque Dominos sæculi; & si non essent, in casu possibili, ad cives & rusticos, usquequo deveniretur ad minimam vetulam.*

Ad secundum: Electum Imperatorem, etiamsi Coronam acciperet, & juramentum præstaret uni è contendentibus; non tamen propterea teneri ei obedire: quia hujusmodi juramenta intelliguntur, salva semper utilitate & curatione corporis Reipublicæ, præsertim universalis Ecclesiæ: sed præstare ut electus à nullo Coronam recipiat, nulli se juramento astringat, donec unus certus & legitimus Pontifex sit constitutus. Docet tertiò, qua ratione pecuniariæ exactiones Pontificum compesci possint, & mores Ecclesiæ reformari exponit. Quartò, contendit è Republica Christiana esse, ut non solùm nullus è tribus, verùm etiam ne quis ex Collegio Cardinalium Pontifex eligatur.

Agit postea de damnis Imperio & Regnis temporalibus ab ambitiosis & avaris Pontificibus illatis; Titulum *Servi Servorum Dei*, & Sigillum Pontificum Petri & Pauli Imaginibus insculptum ita explicat, ut ostendat hæc ad Spirituale tantùm eorum ministerium & potestatem pertinere. Demum Concilium generale convocandum esse concludit, & agendorum in eo præcipua capita summatim proponit. His autem Alliaceno tam abundè à Gersonio satisfactum est, ut in ejus sententiam transierit, & Concilii Constantiensis convocationem approbaverit. Scripti sunt hi Tractatus ante Concilium Constantiense, vacante Imperio ob dissentionem Electorum; Jodoco nondum mortuo, anno 1400.

TOMI II. PARS II.

Sermo ad Patres Concilii Constantiensis, post recessum Joannis XXIII, vigiliâ Dominicæ in Ramis Palmarum. p. 201.

De extirpatione errorum. p. 206.

De auferibilitate Papæ ab Ecclesia. 209.

Tractatus De Potestate Ecclesiastica, *seu*, De origine Juris & Legum. 225.

Arbor de Origine Juris & Legum. p. 257.

Arbor de Potestate Ecclesiastica. p. 259.

De Jurisdictione Spirituali p. 262.

De Jurisdictione Spirituali & temporali. 267

Propositiones coram Concilio generali. 171. *& supra* 205.

Sermo pro viagio Regis Romanorum. 273.

Inde Gersonius Regis & Universitatis ad Concilium Constantiense Legatus, multa in eo dixit & scripsit. Scripta quæ supersunt Pars secunda complectitur. Inter ea primum obtinet locum, *Oratio ad Patres Concilii, post recessum Joannis* XXIII *habita anno* 1415 *in vigilia Dominica in Ramis Palmarum*; in qua postquam eos hortatus est his verbis Christi: *Ambulate dum lucem habetis*; de agendis in Concilio, de causis Concilii, & de autoritate Ecclesiæ ac generalis Concilii disserit. Proposuerat prætereà de errorum extirpatione dicere; sed impeditus partim amicorum suasione, partim temporis angustiis, & ne prolixior esset, hæc silentio præteriit, quorum aliqua summatim subjuncta sunt. His subjicitur Tractatus; *De auferibilitate Papa ab Ecclesia*, licèt ante compositus fuerit, Concilii Pisani tempore, sed quia tum Tractatu isto usus est Gersonius in Concilio Constantiensi: hujus autem Libri, uti observavimus, scopus, non in eo versatur, Papam ab Ecclesia penitùs auferri posse; sed aliquamdiu Ecclesiam eo carere, ac nonnullis in casibus ipsum ab ea deponi posse. Viginti Considerationibus rem totam exequitur, ex quibus quatuor deducit Corollaria.

Inter Gersonii Opera nullum est accuratius & profundius Tractatu *De potestate Ecclesiastica*, seu *De origine Juris & Legum*: sed de hoc plura in quarta hujus Operis Parte: nunc observasse sufficiat, ipsum tredecim Considerationibus constare; quarum argumentum, licèt imperfectè, exhibent præmissa Summaria

His subjectæ sunt tres Conclusiones cum duabus tabulis. Habet autem istud Opus suam Epocham in fine adscriptam, annum nempè Domini 1417 more Romano (cùm scriptum sit in Concilio Constantiensi) & diem 6. Februarii

Huc revocavimus alia duo Opuscula ad idem argumentum pertinentia, licèt diversi temporis. Primum jam editum; *De Jurisdictione Spirituali*, compositum anno 1382 Clemente VII vivente: alterum, *De Jurisdictione Spirituali & Temporali* ineditum, post annum 1420 conscriptum, sed valde imperfectum, & summa tantùm rerum dicendarum capita, memoriæ juvandæ causâ, repræsentans: quod an Gersonii sit valdè dubito.

Sequentes Propositiones duodecim, *De Ecclesia & Concilio generali*, quæ jam cum Sermone Gersonii editæ fuerant, separatim hìc etiam prodeunt ex duobus aliis MSS. Victorinis.

Sermonis habiti die 21 Julii anni 1415 occasio & argumentum satis dilucidè exponitur in præmissa admonitione, ad quam hìc remittimus.

Oratio

Oratio sequens & subjunctæ Conclusiones coram Concilio habitæ sunt in die Purificationis, postquam Judicium ab Episcopo Parisiensi in Joannem Parvum latum, à tribus Cardinalibus Concilii Deputatis, die 15 Januarii anni 1416 in irritum missum est.

Cùm eo obtentu Deputati pronuntiassent irritam esse Episcopi Parisiensis & Inquisitoris Sententiam, quòd ad hos non pertineret de rebus Fidei judicare; ostendit ad Episcopos pertinere de rebus Fidei judicare; & Sententiam Deputatorum injustam, imò & hæreticæ pravitatis fautoriam esse concludit.

Post hæc inseritur Decretum Concilii Constantiensis, de Conciliis generalibus inposterùm convocandis, die 9 Octobris anni 1417 latum.

Sequuntur [a] *Articuli plures Concilio Constantiensi oblati adversùs Pet rumde Luna*, cujus tum Causa agebatur in Concilio.

Sub finem Concilii Oratores Poloni, negatâ damnatione Libri seditiosi Joannis Falkemberg, ad futurum Concilium generale provocarunt; quam appellationem Joannes Gersonius peculiari Libello defendit, ostendens [b] *Licitum esse in Causis Fidei à Summo Pontifice appellare.*

Hunc excipiunt Opuscula duo de moribus: unum, Sermo est pronuntiatus *In die Conceptionis Gloriosæ Virginis Mariæ, in Concilio Constantiensi, De morbis & calamitatibus Ecclesiæ, & signis futuri Judicii*: alterum, [d] *Declaratio compendiosa defectuum virorum Ecclesiasticorum*; compositum ad hoc, ut offerretur Concilio, ad reformationem morum.

In fine hujus Partis positi sunt quidam Tractatus Gersonii antea editi, circa negotium Joannis Parvi. Primum inter eos locum tenet [e] *Oratio* quam habuit *ad Concilium nomine Regis Franciæ die 5 Maii anni 1416*, cujus nomine damnationem propositionum Joannis Parvi postulavit.

In ea multùm est artis & facundiæ. Patres ad commiserationem inducit; miserandam Ludovici Ducis Aurelianensis mortem in memoriam revocans, & ob oculos ponens, favorem Causæ suæ conciliat, eas excusationes rejiciens, quibus utebantur adversarii, ut negotium hoc silentio obruendum esse persuaderent; ac demùm quidquid actum usque in ea Causa fuerat, breviter exponit. Hac Oratione habita, litteras aliaque monumenta ad Causæ hujus Judicium pertinentia, nomine Regis Christianissimi Concilio obtulit, & in manus Scribæ Concilii consignavit.

Eodem pertinent [f] *duo Sermones* sequentes, in quibus rem dogmaticè tractat. Hos excipit [g] *Sermo S. Antonii* in Concilio habitus die Dominica 17 Januarii anni 1417; in cujus fine, de damnatione errorum Fidei mentionem facit.

Adjecta est huic Sermoni Appendix, in qua [h] quæstiones aliquas de Ecclesia agitat; & sub finem hortatur Patres, ut Causam Joannis Parvi dijudicent. Quam damnationem ut urgeret, collegit *Propositiones* multas *erroneas*, quas Assertores doctrinæ Joannis Parvi defendebant, quasi ramos & consectaria doctrinæ illius.

[i] His errores alios subjicit; ac demùm tria præcipua capita, quibus innixa erat defensio cœdis à Duce Burgundo perpetratæ, refert.

Hæc monumenta claudit [k] *Dialogus Apologeticus* post finem Concilii conscriptus, in quo rationes quærit, propter quas Causa hæc in Concilio Constantiensi judicata non est. Circa finem conqueritur de Bulla Martini V, quâ cavebatur ne quis à Papa appellaret. Hîc de Polonorum Causa, ac de difficultate reformationis Ecclesiæ nonnulla observantur. Cœtera monumenta ad negotium Joannis Parvi pertinentia, seorsùm edidimus.

Tomi ejusdem Pars tertia continet Tractatus qui spectant ad Forum Pœnitentiæ. Hoc autem in genere multa sunt & præclara Gersonii Opera: fuit enim vir Juris Pœnitentialis peritissimus, & ita celebris, ut ab omnibus in difficilibus conscientiæ nodis consuleretur.

Primus inter hos Tractatus positus est is, qui titulum habet [l] *De Potestate ligandi & solvendi*, in formam Dialogi inter Discipulum & Magistrum conscriptus; in quo quæstionem hanc resolvit; Utrùm is cui concessa est à Summo Pontifice potestas alium absolvendi ab omnibus Sententiis, tam Jure quàm ab hominibus latis, possit etiam ipsum absolvere ab omni vinculo Sententiæ pœnalis; verbi gratiâ, ab Irregularitate quam contraxit, quia celebravit excommunicatus. Affirmativè concludit; simulque de Definitione, Divisione & Autoritate Sententiarum Judicialium [m] *Propositiones octo, ad elucidationem propositæ quæstionis* adducit.

Varia Excommunicationum ac Censurarum genera exponit in Distinctione [n] *De modo Excommunicationum & Irregularitatum & Absolutionis*: cui subjecta est brevis lucubratiuncula, [o] *De impositione pœnitentiæ*, an ante vel post Absolutionem facienda sit.

De Absolutione Sacramentali fusiùs differit in sequenti Opusculo Parisiis scripto.

[p] [q] *De Absolutione defuncti quæ in usu erat apud Carthusienses*, seorsim agit in alio Libello.

[r] Quos casus reservare expediat &, quanta moderatio in eo servanda, docent duæ sequentes lucubrationes.

[t] In alia ostendit Irregularitatem non contrahi ex occisione vel mutilatione, nisi cùm occidens vel mutilans fecit actum ex quo sequitur per se, vel probabiliter occisio vel mutilatio hominis.

Scrupulosam quorumdam, circa emendationem Litterarum Apostolicarum, sententiam rejicit in [v] Opusculo ea de re scripto.

Circa Excommunicationum & Irregularitatum materiam alias quæstiones resolvit [x] duodecim Considerationibus.

Inter ea Opuscula quæ de Excommunicatione, maximi momenti est illud, in quo ostendit [y] falsam & erroneam esse, & in Fide suspectam Assertionem cujusdam Commissarii Apostolici, qui statuerat Sententias suas etiam injustas, timendas esse & tenendas.

Magni quoque pretii esse debent Considerationes à nobis primùm editæ, [z] ut damnatis ad mortem non denegetur Confessionis & Absolutionis viaticum, quo antea in Galliis privabantur: hujus occasionem exposuimus in Monito.

Prælatorum ac Curatorum Jura defendit in [a] [b] duobus Opusculis, adversùs Bullam à Mendicantibus ab Alexandro V impetratam anno 1409; ac horum jactantiam graviter retundit.

Sermo in Festo Purificationis, post irritationem à Cardinalibus factam. p. 281. — *Conclusiones quædam sub quibusdam Articulis. p. 287.* — *Decretum Concilii Constantiensis, De convocandis Conciliis. p. 290.* — *a Libellus Articulorum contra Petrum de Luna. p. 293* — *Secundus liber Articulorum specialium. 297.* — *Excerpta de Articulis. p. 301.* — *b An liceat à Summo Pontifice in Causis Fidei appellare. p. 303.* — *c De signis futuri Judicii p. 309.* — *d Declaratio compendiosa defectuum virorum Ecclesiasticorum. p. 314.* — *e Propositio facta coram Concilio generali Constantiensi contra Propositiones Joannis Parvi. 319.* — *f Sermo de erroribus circa Præceptum Non occides. p. 330.* — *Alius Sermo circa idem. p. 338.* — *Tomi II Pars III.* — *g Sermo in Festo S. Antoni. 349.* — *h Tractatus in quo solvit quæstiones in præcedenti Sermone motas. p. 365.* — *i Errores circa Præceptum Non occides. 380.* — *k Dialogus Apologeticus: Volucer & Monicus. p. 386.* — *l De Potestate ligandi & solvendi. p. 398.* — *m Propositiones octo de Sententiis. p. 402* — *n De modo Excommunicationum, Irregular. & Absolutionis. p. 403.* — *o De injunctione pœnitentiæ. p. 405.* — *p De Absolutione Sacramentali. p. 406.* — *q De Absolutione defuncti. p. 412.*

Poste-

r De absolvendi potestate p. 413. s De moderatione casuum reservandorum. p. 415. t De casu Irregularitatis. p 417. u De emendatione Litterarum Apostolicarum. p. 420. x Resolutio circa materiam Excommunicationum & Irregularitatum. p. 422. y An Sententia Pastoris injusta timenda sit. p. 426. z An damnatis ad mortem permittatur confiteri. p. 427. a Sermo ad Populum Parisiensem contra Bullam Mendicantium, p. 431. b Censura adversùs eamdem Bullam. p. 442.

Posterius à nobis primùm editum, non unius Gersonii, sed & plurium Theologiæ Professorum nomine factum est.

Tractatus De Arte audiendi Confessiones, Præcepta Confessariis utilia continet. Nescio utrùm in eo genere laudandus, an culpandus sit Gersonius, ob Libellum, *De Confessione mollitiei*, bono sanè fine ab eo scriptum; sed in quo ea inquirenda monet, quæ fortè potiùs silentio obruenda forent.

Vtilior est *Tractatus De remediis contra recidivum peccati.*

De absolutione à casibus reservatis Superioribus aut Prælatis, agit in duobus aliis Opusculis, in quorum uno improbat usum Carthusiensium, qui peccatorum omnium mortalium absolutionem reservabant Priori: in posteriori, expedire putat, ut Superiores Ordinum Carthusiensis & Cœlestinorum à Papa habeant latissimam absolvendi in Foro pœnitentiali licentiam.

Quàm peritus fuerit in solvendis quæstionum Moralium nodis Gersonius, quàm prudens & cautus, ex quæstionum ipsi propositarum resolutione intelligitur: singularum argumenta hic non referemus, quia de iis aliàs nobis erit dicendi locus.

Nec minùs prudentiæ refert [a] *Consilium de correptione proximi*; cui adjungi potest & *Monitum De primis motibus & consensu. Animadversio circa formam absolvendi*, non est à nostris moribus aliena.

Quantùm verò in Morali scientia eruditus fuerit, docet præcipuè [b] *Tractatus De differentia peccatorum venialium & mortalium*; in quo non ut quidam neoterici, pro arbitrio decernit id esse mortale, id verò veniale peccatum: sed causas inquirit & reddit, cur unum peccatum sit altero gravius, ita ut nec laxior sit in excusandis peccatis, nec rigidior in eorum gravitate statuenda.

In Sermone [c] *De Pœnitentia* habito, *in Cœna Domini*, veræ Contritionis, sinceræ Confessionis & legitimæ Satisfactionis dotes indigitat.

De Indulgentiis & Suffragiis pro mortuis fusè ac dilucidè tractat in Opusculo [d] *De Indulgentiis.*

Denique his omnibus *De Pœnitentia* Operibus adjecimus Lucubratiunculam adversùs quorumdam superstitiosam opinionem, qui docebant [e] *Eos qui audiebant Missam, illo die cæcos minimè fore*; aut *subita morte non interituros*; aut *alii hujusmodi incommodo obnoxios minimè fore*; vel etiam *temporale aliquod commodum accepturos.* In eos etiam invehitur, qui quasdam Imagines peculiariter colunt, aut Sanctos quosdam ità invocant, ut certò credant se ab iis sanandos.

Huic subjunctum est Monitum, quô docet, qua ratione ii qui Romam ire non possunt in anno Jubilæi, spiritualiter peregrinationem eamdem perficere queant.

Quarta Pars complectens Opera quæ spectant ad Munia & Officia Prælatorum, Clericorum, aliorumque Fidelium, incipit à Tractatu [g] *De Statibus Ecclesiasticis*, in quo egregia traduntur præcepta, de Officiis Summi Pontificis, Cardinalium, Prælatorum, Curatorum, & Privilegiatorum.

Huic subjunctus est Tractatus ejusdem fermè argumenti; [h] *De Officiis laïcorum* cujusvis conditionis. Quot sunt in utroque Opere sententiæ, totidem sunt Leges & Regulæ, ad quarum normam qui vitam instituerint, suis quique fungentur Officiis.

In [i] *Sermone habito in Concilio Remensi anno Domini* 1408 Pastores docet quomodo oves suas pascere debeant triplici pabulo, prædicationis scilicet, conversationis & charitativæ subventionis. Ad quæ tria, omnia Pastorum Officia refert, & sigillatim exponit.

Liber [k] *De Visitatione Prælatorum*, omnia Episcoporum in Pastoralibus excursibus Munia accuratè complectitur, & in omnium, qui sive suo, sive alieno nomine partes istas implent, manibus esse deberet.

Nec minùs iis qui ad Episcopatum aspirant utilis est Libellus [l] *De desiderio & fuga Episcopatus*, de novo à nobis editus, quô docebuntur quàm difficile sit Episcopatum animo puro & integro desiderare,

[m] *Sermo De reddendo debito*, insignis est institutio Prælatorum tum majorum tum minorum, quæ nunquam ex eorum manibus excidere deberet. In fine consilia Prædicatoribus suggerit utilissima.

In duobus [n] *De vita Clericorum* Sermonibus Ambitionem, Avaritiam, Hypochrisim, aliaque Clericorum vitia fortiter impugnat.

In Opusculo, [o] *De sollicitudine Ecclesiasticorum*, ad Fratres Cœlestinos, multa solvit dubia circa intentionem dantium & accipientium pro Missis, Orationibus & Suffragiis, & executionem hujusmodi conventionum, ab Ecclesiasticis & Religiosis viris. Sæpe incidunt hujusmodi dubia, quæ per regulas in hoc Opus præscriptas facilè solvi poterunt. In illius fine, de multiplici attentione hominis in oratione, tabula exhibetur.

Dialogus [p] *De Cœlibatu*, sive castitate Ecclesiasticorum, inter Sophiam & Naturam Lugduni (ut & plerique alii hujus Partis Tractatus) compositus est. Annum & diem habet ascriptum in fine, 1 Junii anni 1423. Hîc etiam observatur, *ferri à quibusdam sibi notis, eum à Gersonio una die compositum; cùmque Dominus Guilielmus Saygnet miles edidisset quoddam Opusculum, ut Latini Sacerdotes nuberent, tradidissetque Gersonio ut quid super his videretur sibi respondendum, eum in crastino hunc Tractatum Theologicum exhibuisse.* Hoc sanè Opus festinationem compositionis redolet, nec cœteris Gersonii Scriptis accuratè elaboratis æquiparandum est.

Tractatus [q] *De Temperantia Prælatorum in cibis, potu & vestibus*, eorum luxum exagitat, ac varias excusationes quibus eum prætexunt repellit. In fine, de cultu Dei & hominum, ac Idololatriæ speciebus breviter agit.

Tractatus [r] *De Simonia* impugnat præcipuè Annatas quæ à Romanis Pontificibus exigebantur, & omnem generatim exactionem pecuniæ ante collationem Sacramentorum, Ordinum aut Beneficiorum. Deinde regulas præscribit, quibus huic malo remedium afferri possit. In Concilio Constantiensi editus est, ut patet ex fine; non secus ac subjunctæ [s] Propositiones, ad reformationem Simoniæ & Simoniacorum.

[t] Guillelmus de Chalançon Episcopus Aniciensis seu Podiensis, qui huic Sedi præfuit ab anno 1418 ad annum 1443, Gersonium consuluit de cujusdam Fraticelli sententia, qui privatarum mulierum, & piorum laïcorum orationes anteferebat actibus hierarchicis Ecclesiasticorum, Sacerdotum & Doctorum peccatorum. Hujus doctrinam [u] *duodecim Considerationibus* evertit Gersonius, ac singularem subjicit propositionum hujus censuram. Tempus hujus Responsio-

Tractatus De Arte audiendi Confessiones. 446.
De Confessione mollitiei. p. 453.
De Remediis contra recidivum peccati. 457.
De Statuto Ordinis Carthusiensium circa Confessiones. 460.
De modo Confessiones in Religionibus audiendi, & absolvendi p. 461.
Responsiones ad quæstiones diversor. p. 463.
Quæstiones aliæ. p. 470.
De peccato veniali duplici. p. 475.
a De correptione Proximi. p. 480.
De forma absolvendi. p. 482.
De primis motibus & consensu. p. 483.
b De differentia peccatorum venialium & mortalium p. 485.
Tomi II. Pars IV.
c Sermo de Pœnitentia p. 504.
d De Indulgentiis. p. 514.
e Adversus eos qui dicunt: si quis audit Missam in illo die non erit cæcus &c. p. 521.
f De Peregrinatione in anno Jubilæi supplenda p. 523.
g De statibus Ecclesiasticis. p. 529.
h De modo vivendi omnium Fidelium. p. 538.
i Sermo factus in Concilio Remensi. p. 542.
k De Visitatione Prælatorum. p. 558.
l De desiderio & fuga Episcopatus. p. 565.
m Sermo De reddendo debito. p. 570.
n Sermo De vita Clericorum. p. 576.
Alter de eodem argumento. p. 584.
o De sollicitudine Ecclesiasticorum. p. 597.
p Dialogus De cœlibatu Ecclesiasticorum. p. 617.
q Tractatus De Temperantia Prælatorum. p. 634.
r Tractatus De Simonia. p. 696.
s De Reformatione Simoniæ & Simoniacorum. p. 651. t Responsio contra Fraticellum, ad Episcopum Aniciensem. p. 653.

sponsionis indicat epistola ad hunc Episcopum Lugduni scripta 27 Februarii anni 1428.

Extremum in hac Parte locum occupant ea quæ *De flagellatione* scripsit Gersonius. Invaluerat ab undecimo sæculo, ignota priscis temporibus ἀσκήσις, sese scilicet flagellandi consuetudo.

Hanc primùm nonnulli pii, atque inter alios Dominicus Loricatus induxerunt; hoc novo macerationis genere Deum placari, & peccatorum veniam obtineri arbitrati. Quæ ut facta est vulgatior, insurrexerunt in pluribus locis homines, qui velut œstro perciti discurrentes, in propatulo sese flagellis cædebant ac cruentabant. Hinc orta est Secta Flagellantium, quæ pluries compressa repullulavit.

Erant adhuc tempore Gersonii plures ita sese flagellantes, quorum Institutum celebris ea tempestate, ac fervidus Concionator Vincentius Ferrerius ferebatur approbare. Hac de causa Gersonius eum ad Concilium Constantiense invitans, amicè monet, ut non solùm non approbet homines sese flagellantes, sed & iis se adversari palam profiteatur.

In hac autem epistola Gersonius Vincentium mirè laudat, multùmque ipsi honoris defert; ac reprehensionem mollibus adeo verbis temperat, ut charitatis & humanitatis leges accuratè observet. Data est 9 Junii anno 1417.

Epistola ad Vincentium Ferrerium contra Flagellantes. p. 653.

Ut autem Vincentium à sententia deduceret, Scriptum confecit *Adversus Sectam Flagellantium*, illudque ad Vincentium misit. In eo varias rationes affert, propter quas spontaneæ hujusmodi flagellationes Legi Christi & Ecclesiæ sibi videntur adversari. Nec aliam probat flagellationem, nisi eam quæ, *fit Judicio Superioris, imponentis talem pœnitentiam, & quæ ab altero fiat & moderatè & sine scandalo & ostentatione ac sine sanguine, juxta traditionem Guilielmi Parisiensis, quemadmodum fit hujusmodi flagellatio in Religionibus approbatis & ab aliquibus devotis personis.* In fine, Vincentium hortatur, ut sese flagellantes à proposito deterreat: & si non possit huic malo salubriter providere, ut eorum societatem vitet, seseque ab iis ad tempus segreget, vel ad Concilium veniendo, vel alia occasione. Die 18 Julii anni 1417 perfectum est hocce Opusculum, & ad Vincentium missum simul cum epistola Gersonii de qua supra; aliâque Cardinalis Cameracensis ad eumdem, quâ vota sua Gersonii votis adjungit: data 21 Junii.

Epistola Cardinalis Cameracensis. p. 659.
Tractatus contra Sectam Flagellantium &c. p. 660.

Restat Tomi II Operum Gersonii quinta & ultima Pars, continens ea quæ ad Disciplinam Monasticam pertinent, in qua non minùs quàm in Ecclesiastica versatus erat Gersonius. Nam & circa finem vitæ Monasticam vitam egit, & Monachos semper dilexit: non tamen ita, ut statum eorum Hierarchico præferret, aut Religiosorum Privilegia Hierarchiæ Ordini noxia probaret.

Tom. II. Pars V.

Cœteris hujus generis Operibus præmisimus quæstionem Theologicam, cujus inscriptio est, *Utrùm aurora mane rutilans solem ediderit*: quo ex titulo vix ac ne vix quidem hujus libri argumentum intelligere esset, nisi id alius explicaret, in quo tractatur, *De Consiliis Evangelicis, & statu perfectionis.* Sed necdum satis apertè quid in hoc Opere moliatur Gersonius, ex eo perspicere licet, nisi dicamus in illo id quæri; utrùm perfectior sit status Monasticus quocumque alio statu. Ut autem hanc solvat Gersonius, ostendit primùm, perfectionem Christianam maximè in Charitate sitam esse Mandatorumque observatione. Consilia quidem Evangelica ad perfectionem conducere tanquam instrumenta; non verò ipsam constituere: hinc majorem esse Præceptorum quàm Votorum observandorum obligationem: in omni Voto Papam dispensare posse, secus de Præceptis Evangelicis. Statum Religiosorum statum esse perfectionis acquirendæ; Prælatorum autem, Episcoporum & Curatorum perfectionis exercendæ, ac proinde hunc illo nobiliorem. De Curatorum dignitate in fine pauca sed necessaria subdit. Compositum videtur istud Opusculum à Gersonio, cùm Parisiis doceret.

Quæstio Theologica Utrùm aurora mane rutilans solem ediderit. p. 669.

De Religiosis observantiis, ac præsertim vocali Officii Ecclesiastici recitatione, quando & quatenus omitti possint, vel non, tractat in sequenti Opusculo, cujus inscriptio est: *Opusculum Epistolare, de Religionis perfectione & moderamine, ad Guilielmum Monandi quondam Medicum Domini Saluciarum, tum autem Monachum Domûs Majoris Carthusiæ.* Scriptum videtur cùm Lugduni esset.

De Religionis perfectione & moderamine. p. 682.

Agitata est nostris temporibus & magnis quidem studiis, inter duo vitæ Asceticæ lumina, quæstio de studio Monachorum, quam Gersonius jam olim præviderat, iisque verbis proponit, quæ neotericæ omnino conveniunt; *Utrùm Litterarum studium, præsertim Sacrarum, sit expediens Religiosis; & omisso interim sermone de Fratribus Mendicantibus, qui se ad Doctrinam & Prædicationem constitutos dicunt, coarctare verbum nostrum ad Cœlestinos & Carthusienses*: quorum loco si Benedictinos & Cistercienses reposueris, hæc est ipsissima quæstio, quæ inter Armandum Butilierium Abbatem de Trappa, & R.R. Mabillonium Congregationis S. Mauri Monachum pietate & eruditione celebrem ventilata est. Ait Gersonius, *quæstionem videri posse dissolutam ex verbis Hieronymi & aliorum Patrum* (quæ non semel hisce diebus prolata sunt) *quia officium Monachi est flere & plangere, non docere. Cùm ergo finis studii & lectionis sit Doctrina, quid utilitatis afferret lectio Monachis eâ non usuris.* Hoc etiam adjicit incommodum, quod à recentioribus non est omissum. *Omnes de uno Monasterio vel darentur studio litterarum, vel tantummodo pauci ex eis. Primum nequit fieri, propter assiduitatem Servitii, & quia jam transierunt in alterum modum vivendi à Patribus suis institutum: secundum verò tollit eam quæ optima custos Caritatis est communionem, & singularitatem nutrit.*

De studio Monachorum. p. 692.

His non obstantibus, Gersonius in oppositam sententiam descendit; suamque opinionem Considerationibus quibusdam, pro more suo, confirmaverat, quæ desunt in MS. Victorino è quo procemium istud edidimus, gratiam haud dubiè inituri ab iis, qui Monachorum studiis favent, ad eorum opinionem accedente tanti viri suffragio.

Licèt autem interciderint rationes, quibus Monachis studium suadebat, nonnullæ tamen peti possunt ex sequenti Tractatu, *De laude Scriptorum*, ad Fratres Cœlestinos & Carthusienses, in quo quamvis ex professo non agat de iis qui libros componunt, sed de iis qui compositos ab aliis describunt; tamen hanc operam præcipuè commendat Monachis, ut per descriptionem librorum instituantur & erudiantur.

De laude Scriptorum ad FF. Cœlestinos & Carthusienses. p. 694.

Quæstio quam sibi proponit hæc est: *Utrùm liceat diebus Festis scribere libros devotionis gra-*

tiâ.

tiâ. Sed, ut dixi, latius excurrit, ac de utilitate conscriptionis Librorum pulcherrimè & animadversione dignissima scribit; quibus præmissis, ad quæstionem propositam respondens concludit; *Nihil vetat quominus Libri, seu Tractatuli, vel Codicilli devotionis scribantur diebus Festis, habito moderamine quale sapiens judicabit in hoc opere, quod utique non servile censendum est; sed in honorem Ecclesiæ plus aliquando vergens, quàm multiplicatio vocalis Orationis, imò quàm insolens in aliquibus Missarum inculcatio.* Quod si de Librorum descriptione dici potest, quæ opus est manus; multò magis de eorum compositione dicendum, quæ tota ingenii est. Lucubratio ist hæc Lugduni confecta est anno 1423 mense Aprili.

De Libris legendis à Monacho. p. 704.

Quantùm Monachorum studium probet Gersonius, ex alio Opere colligitur, in quo respondet cuidam Monacho Carthusiæ Majoris, quærenti; *Utrùm licitum foret pro studio lectionis & exercitii spiritualis, Conventum & prolixitatem Divini Officii dimittere, & qui libri essent fructuosius frequentandi.* Quamvis Officium Monasticum studio anteferri debere sentiat; nihilominus tamen reliquum temporis, post necessitates corporis, studio impendi consulit, & qui libri potissimùm Monacho legendi sint indigitat. Epistola huic Operi præfixa scripta est anno Domini 1426, 9 Julii.

Contra impugnantes Ordinem Carthusienum. p. 715. De non esu carnium apud Carthusienses. 715. An liceat gravato debitis ingredi Religionem. p. 730. Aliud cur dem super eodem. 734. Schedula super eadem materia. 736.

Ut solent homines perfectioribus invidere, haud mirum, si Ordo Carthusiensis in suis initiis nonnullos habuerit detractores & adversarios: quidam despiciendum dicebant, quòd nulla fierent apud eos miracula; quòd vix ullum haberent Sanctum canonizatum; quòd eorum Ordo non esset confirmatus; quòd inhumanè omnino carnium esum, etiam in summa necessitate, suis interdicerent. Has omnes calumnias à sanctissimo Ordine depellit Gersonius noster in Opusculo, *Contra impugnantes Ordinem Carthusiensium*, & in alio, *De non esu carnium apud ipsos.* Posterius ante annum 1401 conscriptum esse ostendit epocha mortis Joannis de Gonnehaus, ad quem hoc Opus dirigitur. Alterius tempus incertum.

Anno 1410, occasione cujusdam militis sæcularis, qui debitis non solutis, in Ordine Carthusiano Vota emiserat, quæsitum est, *Utrùm debitis gravato ingredi in Religionem & Vota emittere liceat;* & an emissa sint irrita; cujus sint bona relicta aut Monasterio collata; & an ille ad sæculum redire possit.

Exhortatio ad constantiam suscepti propositi. p. 742.

De his consultus Gersonius, in Lectione publica quæstionem generatim agitavit; deinde ad singula quæsita respondit tum seorsim, tum etiam adjuncto undecim Magistrorum suffragio, qui pro more usitato, hujus responsioni subscripserunt die 21 Maii.

Contra Professum inobedientem. p. 770. De zelo & fervore Novitiorum. p. 772. Schedula directa Incluso in Monte-Valeriano. 773. Schedula regiminis, eidem. 774. Tractatus contra proprietarios Regulæ S. Augustini. p. 775.

Exhortatio ad constantiam suscepti propositi, cuidam Novitio Carthusiensi directa, tota ex sacrarum Litterarum sententiis composita est, & in hoc genere excellit. Scripta est Lugduni, cùm esset in Monasterio.

Monachum qui contra nutum Superioris austeriorem vitam ducere volebat, increpat in sequenti Opusculo *Contra Professum inobedientem.* Ejusdem ferè argumenti est scriptiuncula, *De zelo & fervore Novitiorum*, quæ mutilata videtur.

Quantùm à singularitate in Monasteriis abhorreret Gersonius, præter Opera præcedentia, docet etiam *Epistola ad Reclusum in Monte-Valeriano*, Legesque ipsi præscriptæ.

Ultimum tenet locum Tractatus, *Contra proprietarios Regulæ S. Augustini*, cujus Autor adversus Canonicorum quorumdam Regularium, qui proprium quid habebant, usum acriter insurgit. Hic sanè Tractatus nec stylum nec genium Gersonii sapit; nec eum in ullo MS. Codice nomen Gersonii præferentem invenimus. Opus est fervidissimi cujusdam Canonici Regularis non infantis nec indocti.

AD TOM. II. APPENDIX. Henrici de Hassia, Consilium Pacis. p. 809. Joannis de Varennis Epistolæ ad Benedictum XIII. p. 842.

In Appendice Tomi II diversorum Autorum Scripta collegimus, De schismate, Ecclesiæ Reformatione & Concilii generalis autoritate.

Inter ea primum, ratione antiquitatis, locum obtinet, Tractatus HENRICI DE HASSIA cui titulus est, *Consilium*, seu, *De Unione & Reformatione Ecclesiæ in Concilio Universali*, anno 1381 aut paulò post elaboratus, cùm primùm de viis schismatis extinguendi ageretur. Ostendit in eo nullam aptiorem esse, quàm Concilii generalis convocationem, & multa in Concilio emendanda proponit. Cæterum Tractatus iste hominis est in Canonica scientia eruditi, qui Canones Conciliorum, & veterem Ecclesiæ disciplinam probè norat. Stylus simplex & facilis.

Petri de Alliaco, De difficultate Reformationis Ecclesiæ. p. 867. Ejusdem Epistolæ, De Reformatione Ecclesiæ. p. 882. Incerti Autoris monita De necessitate Reformationis Ecclesiæ. 885.

Succedunt JOANNIS DE VARENNIS *Epistolæ ad Benedictum.* Prima quidem statim post hujus electionem lenior, cui etiam benignè respondit Benedictus. Altera cum Commonitorio acrior. Tertia cum alio Commonitorio de Concilio convocando. Quarta jam asperior: quâ minatur Papam, ni viam pacis oblatam eligat, aut meliorem Ecclesiæ & Principibus denuntiandam. Quinta ad Cardinales, quos vehementissimè hortatur ut emendationi Ecclesiæ in capite & in membris allaborent. Hæ Epistolæ Joannis de Varennis, genium ejus jam ex antecedentibus notum, omnino sapiunt.

De Opusculo sequenti Petri de Alliaco, *De difficultate Reformationis Ecclesiæ*, diximus supra.

Ejusdem epistolam ad Joannem XXIII, de præcipuis Reformationis Ecclesiæ capitibus; & fragmentum alterius ejusdem argumenti hic damus.

Idem argumentum longè fusius prosecutus est idem Cardinalis in Operibus editis in Concilio Constantiensi.

Sub ejus nomine editum est in Historia Concilii Constantiensis novissima, *Opusculum de Reformatione Ecclesiæ in capite & in membris*, ex MS. Codice Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis. At cùm, fatente Editore, nomen Petri de Alliaco in MS. non sit ascriptum, alterius potiùs esse, quàm Alliaceni crediderim; cùm præsertim hic Autor longè acriùs in Curiam Romanam, Reservationes, Expectativas, Commendas, aliasque artes hujusmodi invehatur, quàm Cardinalis Cameracensis. Adde quòd Scriptor ille, quisquis sit, procul dubio Germanus est, & Germaniæ rebus potissimùm consulit. Itaque licèt in hac Editione istud Opus nomen Alliaceni præferat, tamen ejus non videtur esse, sed alterius. Verùm cùm Operibus Alliaceni, de Reformatione, sit planè simile, ejusdemque temporis, haud inutiliter à nobis denuò hic editum est.

Petri de Alliaco Tractatus, De Reformatione Ecclesiæ. p. 903.

At genuinum Alliaceni *De Reformatione Ecclesiæ* Opus, est sequens in Concilio Constantiensi editum, & oblatum Kalendis Novembris anni 1416. Prodiit istud Opus primùm in Germania, decimi sexti sæculi initio, Editore anonymo, qui Fr. ab Hutten esse creditur. Hanc editionem in *Fasciculo rerum expetendarum* expressit Orthuinus Gratius, edito Coloniæ anno 1535. Multoties

toties deinde multis in locis & Operibus, typis mandatum est. Nunc emendatius prodit.

Huic subjecimus Orationem in Concilio post hæc habitam, anno 1417, ex veteri editione Argentinensi anni 1490, cujus Orationis inscriptio est, *De Officio Imperatoris, Papæ, reliquorumque membrorum Concilii Constantiensis.*

Oratio De Officio Imperatoris, Papæ, reliquorumque membrorum Concilii Constantiensis. p. 917.

Tractatus *De Ecclesiæ, Concilii generalis, Romani Pontificis & Cardinalium autoritate*, seu *De Ecclesiastica potestate*, ut ipsum appellat ipse Petrus de Alliaco in Tractatu *De Reformatione* cap. 2, in eodem Concilio Constantiensi editus est, non anno 1417 ut perperam irrepsit in titulo, sed anno 1416, 1 Octobris. In eo Cardinalis rectè & liberè de Concilii generalis autoritate loquitur: & quia nonnulli, *hanc*, ut ait, *sibi imposuerant infamiam, quòd disputare vellet de plenitudine potestatis Romani Pontificis, ut ejus ac Romanæ Ecclesiæ potestatem extolleret*; ad hanc maculam expurgandam, declarat *se non solùm nunc, sed jamdudum Concilii generalis autoritatem defendisse, ac propterea grave & periculosum Joannis XXIII odium incurrisse.* Nihilominus in eo Opere non quidem Papæ, sed Cardinalibus blanditur, quorum originem ab Apostolicis temporibus repetit, Dignitatem extollit, & Collegium Cardinalium Apostolorum Collegio successisse autumat. Quò ostendit, viros alioquin doctos & veritatis amantes aliquando, cùm de re & dignitate sua agitur, transversos rapi.

Tractatus De Ecclesiastica potestate. p. 926.

Scriptorum ejusdem cum Gersonio ætatis, *De potestate Ecclesiastica* Operibus, recentiorum nonnullorum ejusdem argumenti Tractatus adjunximus, qui jam in editione Operum Gersonii Richeriana prodierant: JACOBI scilicet ALMAÏNI ac JOANNIS MAJORIS lucubrationes. ALMAÏNUS Senonensis, sæculi decimi sexti initio in Academia Parisiensi floruit. Societati Navarricæ anno 1508 ascriptus est, & Parisiensium Theologorum pileo donatus anno 1511: inde Theologiam in Collegio Navarrico publicè docuit, donec morte præmaturâ anno 1515 raptus est.

Hujus extant Opera multa, aut Philosophica, aut Scholasticæ Theologiæ; nec non alia *De potestate Ecclesiastica*. Hæc ad propositum nostrum spectantia, Gersonii & Alliaceni Operibus adjuncta sunt, utpote istis gemina.

Primum est, *Quæstio resumptiva agitata in Vesperiis Magistri Ludovici Ber, qui primum habuit Licentiæ suæ locum anno 1512, De Dominio Naturali, Civili & Ecclesiastico.* In eo Almaïnus originem Dominii tum Civilis, tum Ecclesiastici inquirit, utriusque fines assignat, & potestatis tum Pontificiæ, tum Ecclesiæ & Concilii limites præscribit.

Jacobi Almaini, De Dominio Naturali, Civili & Ecclesiastico. p. 962.

Iisdem principiis firmiter innixus, Librum à Thoma de Vio Dominicano, qui Caïetanus vulgò dicitur, *De Autoritate Papæ & Concilii*, scriptum, quod à Concilio Pisano ad Facultatem Theologiæ Parisiensem missum fuerat, impugnat in Tractatu *De Autoritate Ecclesiæ & Conciliorum generalium.*

Ejusdem Tractatus De Autoritate Ecclesiæ & Conciliorum generalium. p. 976.

Caïetani refellendi provincia Almaïno demandata fuerat, *quod imprimis*, inquit, *exoptabat, ut ederet quippiam*, verba sunt ipsius, *in assentatorias, & quasi quodam adulationis illicio Summum Pontificem sibi nimis blandiendo, demerentes doctrinas illius Fratris Thomæ de Vio Caïetani, hominis alioquin eruditi, nisi suam eruditionem assentationis macula contaminasset; & nisi Sacratissima illa Concilia Constantiense & Basileense, suis procacibus verbis infamare & sugillare ausus esset: igitur pro modulo suo ei respondere instituit, & citra cujuspiam assentationem maledicamque infamationem, ejus debilitare & confutare rationes, ac Gallicis, ut aiunt, armis, ejus aciem oppugnare.*

Hæc ex epistola hujus ad Reverendissimum in Christo Patrem Dominum Tristandum de Salazar Senonensem Archiepiscopum, cui Opus istud dicavit. Hujus Operis tempus in fine assignat his verbis.

Et hæc sunt, quæ pro autoritate Ecclesiæ Jesu Christi sponsæ scripsi Parisius, ipso donante, contra quædam asserta à fratre Thoma de Vio, in Tractatu quodam, quem, ut ipse testatur, scripsit anno salutis M D XI, *ætatis suæ* XLIII. *Et hæc scripsi anno Domini* M D XII, *Doctoratus mei anno primo, mense secundo, de ætate verò, ne vento gloriæ agitari videar, taceo: in quibus si aliquid sit erroneum, protestor me semper submissum determinationi Ecclesiæ Universalis.*

In eo Tractatu Almaïnus contendit, potestatem Ecclesiasticam toti Ecclesiæ primariò collatam; atque inde Concilii generalis Ecclesiam Universam repræsentantis autoritatem & Jurisdictionem, Pontificis Romani, licèt supremi Hierarchæ potestate majorem esse concludit.

Ejusdem *Expositio circa Decisiones Magistri Guilielmi Occam, De Potestate Ecclesiastica & Laica*, non ab ipso Almaino scriptis exarata est, sed excerpta ex ejus Lectionibus, ab hujus discipulo Vincentio Doesmier, qui exponentem eum Librum Occami audiebat. In ea autem, de Potestate Ecclesiastica & Laica, de Ecclesiæ, Summi Pontificis, Imperatoris & Regum, tum in Ecclesiasticis tum in temporalibus autoritate, fusissimè disserit, & quæstiones omnes quæ circa hæc movera possunt accuratè enucleat.

Ejusdem Expositio circa Decisiones Guilielmi Occam, De potestate Ecclesiastica & Laica. p. 1013.

Appendicem hanc claudunt excerpta, *De statu & potestate Ecclesiæ*, *De autoritate Concilii supra Pontificem*, *& De potestate Papæ in temporalibus*; è Commentariis Joannis Majoris. Fuit autem *Joannes Major* Hadingtonensis Scotus, Doctor Parisiensis renuntiatus anno 1505, qui deinceps in Academia Parisiensi summa cum laude floruit & docuit.

In iis disputationibus, quas Commentariis suis in Evangelia, & in Librum IV Sententiarum inseruit, Gallicanæ Ecclesiæ & Parisiensis Academiæ doctrinam, circa Romani Pontificis & Concilii autoritatem, ac Regum supremam in temporalibus potestatem egregiè tuetur.

Quapropter aliis ejusdem generis & argumenti Operibus meritò adjungendæ fuerunt. Adjici potuissent & alia multa Opera, in quibus eædem quæstiones fusè & accuratè ventilatæ sunt; sed modus tenendus fuit, & finis huic Tomo imponendus. Aliàs fortasse amplissimam omnium hujus argumenti Scriptorum, tum editorum tum ineditorum, collectionem dabimus: nunc ista sufficiant.

Joannis Majoris, De statu & Potestate Ecclesiæ. p. 1121. Ejusdem, De Autoritate Concilii supra Pontificem Maximum. p. 1131. Ejusdem, De Potestate Papæ in temporalibus. p. 1146.

§. 3.

De Operibus Tomi III Moralia complectentis.

Tomus III. Pars I. Liber *De Vita spirituali Animæ*. p. 1.

HUjus tertii Tomi Opera in tres Partes distributa sunt. Prima continet ea in quibus morum Doctrina traditur. Secunda Mystica & Pia. Tertia Sermones de Tempore & de Sanctis: de singulis paucis dicendum.

Inter primi generis Scripta potissimùm excellit, *Liber De vita spirituali animæ*, sex Lectiones continens, quas Gersonius in Schola Parisiensi habuerat. Mos enim fuit olim, ut Doctores Theologi Parisienses, in die Sanctæ Euphemiæ Lectiones publicas inchoarent, in quibus, sumpto è sacris Litteris Themate, quæstiones movebant ad Fidem aut morum doctrinam pertinentes. Huic consuetudini obsequens Gersonius, licèt jam Cancellarius, Lectiones Parisiis habuit, quibus interesse non dispuduit Petrum Alliacenum jam Cameracensem Episcopum: quas Lectiones cùm audiisset, à Gersonio petiit, ut eas scripto traderet. Paruit Gersonius, & sex illas Lectiones scripto consignatas, ad Cameracensem misit, eique dedicavit.

Quod vero ad stylum earum pertinet, observat *quòd si quem offenderit sermo incultus, nec satis perfecto & pulchro, ut Tractatum decuerat, ordine contextus, recogitet priùs, alium pro Lectionibus, alium pro Tractatibus stylum esse; sciatque non ita cohærere quæ variis temporibus prolata sunt, quemadmodùm illa quæ elaborata sub uno tenore, dictavit Oratiò.* Licèt autem totum Opus sex Lectionibus constet; monet eum dividi posse in tres Partes: quarum *prima agit de vita animæ & de morte ipsius, & de ægritudinibus spiritualibus, inquirendo quidditatem peccatorum à radice, & eliciendo moralia documenta inde sequentia. Secunda tractat de vita secunda animæ, quæ est motus ejus vel instinctus, inquirendo distinctionem inter bonas inspirationes & immissiones per angelos malos in diversis materiis, & de modo tentationes superandi. Tertia loquitur de vita animæ per contemplationes stabilita & consolata.*

In eo autem libro de Legibus accurratè disserit, hujusque opinionis non contemnendus Autor est; Leges humanas vi Legis non obligare in conscientia & sub pœna peccati; de qua plura dicemus infra.

Regulæ Morales. p. 77.

Sequuntur *Regulæ Morales*, egregium sanè Opus, & totius doctrinæ Moralis veluti compendium: sed de quo, an genuinum sit Gersonii, dubitationi locum dat styli diversitas, quamquam doctrina tota Gersoniana sit, & in MSS. Codd. bonæ notæ, sub ejus nomine habeatur. Continet autem non tantùm sententias & regulas morum; sed & multa ad praxim pertinentia, tum de peccatis, tum etiam de Sacramentorum administratione, vel usu. Ad hujus Operis finem extant *Definitiones terminorum ad Theologiam Moralem pertinentium*, quæ minùs habent utilitatis, nec videntur esse Gersonii.

Definitiones terminorum ad Moralem Thelogiam pertinentium p. 107.
a *Tractatus De Passionibus*. p. 128.
b Centilogium De Impulsibus. p. 146.
c De signis bonis & malis. 157.
d De refrenatione linguæ. p. 161.
e Opusculum De Contractibus. p. 161.
f Sermo De dominio Evangelico. p. 196.
g Carmen De voluntaria Paupertate. p. 207.
h Tria Opuscula De Nobilitate. p. 208.
Epistola Caroli VII De Nobilitate Canonicorum Lugdunensium. p. 225.
Tractatus De Considerationibus quas habere debet Princeps. p. 226.
Instructiones ad Joannem Majorem. p. 235.
i Admonitio ad Sanctimoniales. p. 237.
k Quindecim perfectiones necessariæ volenti Deo servire 240.
l Doctrina contra nimis strictam & scrupulosam conscientiam. p. 241.
m Tractatus Contra fœdam tentationem Blasphemiæ. p. 243.
n Tractatus De Oratione. p. 247.
Alius Tractatus *De Oratione*. p. 263.
o De Cordis induratione. p. 275.
p De præparatione ad mortem. p. 275.

[a] Tractatus *De Passionibus*, & [b] *Centilogium de Impulsibus*, & Opusculum [c] *De signis bonis & malis* ejusdem ferè sunt generis, moralia continentes & monita ad vivendum, tum ut Christianum, tum ut virum honestum decet utilissima. Claudit hoc agmen Tractatus verè aureus [d] *De Refrenatione linguæ*.

Difficillimam de Contractuum justitia vel injustitia materiam tractat in Opusculo, [e] *De Contractibus*, ad instantiam Prioris & Conventus domus Carthusiæ in Sabaudia anno 1420 mense Januario compositus: in eo multi circa Contractus in speciem usurarios nodi solvuntur, secundùm Leges, æquitatem, utilitatem & charitatem.

In Sermone [f] *De Dominio Evangelico*, hominum præsertim Ecclesiasticorum opinionem castigat, qui bona sua sibi ita propria esse autumant, ut non teneantur ea in usus pauperum impendere; eosque insectatur, *qui spreto & calcato Monarchatu gratiæ ditissimo, cæcos se ad inopem & languidum civilitatis titulum conjecerunt, & toti funditùs incubuerunt Beneficiis sibi per fas perque nefas coacervandis.* Hunc Sermonem subsequitur [g] *Carmen De voluntaria paupertate.*

Liber *De* [h] *Nobilitate*, in tria Opuscula distributus, antehac mutilus erat: duo posteriora in formam dialogi conscripta, *De nobilitate Ecclesiastica*, nunc primùm lucem vident ex MS. Cod. Vict. 180. Scripta videntur hæc in gratiam Ecclesiæ Lugdunensis, in qua nonnisi Nobiles ad Canonicatus promoventur. Hunc usum multis rationibus non tantùm licitum, sed & laudabilem esse ostendit Autor noster, & Decretalem Gregorii IX, qui Argentinensis Capituli consuetudinem, de non promovendis in Canonicos nisi Nobilibus, improbasse videbatur, exponit. Opus composuit anno 1423, & Amædeo Lugdunensi Archiepiscopo, *a quo*, ut ipse ait, *fuerat Archiepiscopaliter tractatus, velut ab Ambrosio fuit Episcopaliter Augustinus*, dedicavit. Ad finem ejus adjecta est Caroli VII epistola, circa Privilegium Capituli Lugdunensis, de non admittendis nisi Nobilibus.

Ad Confessarium Caroli VII Francorum Regis, & ad Joannem Majorem Ludovici Delphini hujus filii Præceptorem Gersonius duo scripsit Opuscula, ad institutionem Principis perutilia. Primum cui titulus, *Tractatus de Considerationibus quas habere debet Princeps.* Alterum, *Instructiones ad Joannem Majorem*; quæ utinam in omnium Principum manibus versarentur. Posterius compositum est anno 1429: aliud longè ante, ut initio posterioris observat.

Hæc excipiunt quatuor Opuscula Moralia. [i] *Admonitio ad Sanctimoniales.* [k] *Quindecim perfectiones necessariæ volenti Deo servire.* [l] *Doctrina contra nimis strictam & scrupulosam conscientiam.* [m] *Tractatus contra fœdam tentationem blaspemiæ*: quæ continent monita salutaria, & remedia utilia ad vitam spiritualem fovendam, vitandasque tentationes.

Insignes sunt Tractatus duo [n] *De Oratione*, quibus subjectus est Sermo ejusdem argumenti, in Concilio Constantiensi habitus, in quibus de orationis dotibus & efficacia egregiè disputat.

His subjunctæ sunt duæ lucubratiunculæ: una [o] *De cordis induratione*: alia ad senem, [p] *De præparatione ad mortem*.

Quantùm parvulis in pietate Christiana instituendis laboraverit Gersonius, ex ejus Vita notum est.

est. Ad id maximè conducunt Tractatus quatuor sequentes. Primus est, *De Parvulis ad Christum trahendis*, pueris & puerorum Magistris pariter utilis, & summâ curâ elaboratus. Secundus qui nunc primùm prodit, *Adversus lascivas imagines*, in gratiam quoque puerorum conscriptus est, quorum mores picturis, cantilenis, gestibus & libris obscœnis & impudicis inficiuntur. Quem cùm carpsisset nescio quis, in ejus defensionem aliud Opusculum composuit, *De Innocentia puerili*: atque ut præcedentes, à libidinosis picturis avertunt; ita quartus *Adversus Romantium de Rosa*, à similium librorum lectione Christianos deterret. Hic autem magna arte compositus est, & amatorias illas fabulas mirè ludificatur, librum hunc qui tum temporis in pretio erat, è schola Christiana prorsùs eliminandum esse ostendens, ut castis moribus & sanctitati quæ Christianos decet omnino adversum. Nec minùs acerbè scenicas illas comœdias quæ in Ecclesiis agi solebant perstringit in quinque Conclusionibus, *De Ludo stultorum*.

De parvulis ad Christum trahendis. p. 277. Adversus lascivas imagines. p. 291. De innocentia puerili. 293. Contra Romantium de Rosa. p. 297. Quinque Conclusiones De Ludo Stultorum. p. 309.

Gravem illam quæstionem, De dignè vel indignè sumentibus Corpus Christi in Eucharistia versat, in *Collecta super incitatione cujuspiam, ad dignè suscipiendum Corpus Dominicum*. Primò pungit eum, *pericula maxima indignè sumentium exponens, ut sic quasi clavo clavum indignæ perceptionis expellat*; deinde allicit, utilitates dignæ perceptionis enarrans; tum quibus hoc Sacramentum dari & & à quibus dignè percipi possit demonstrans; & quâ ratione homo se præparare possit ostendens; simul de Fide hujus Mysterii nonnulla interserens. Tractatus autem iste utilissimus nunc primùm prodit è Codice Manuscripto Magistri de Targni.

De Invitatione ad sumendam Eucharistiam. p. 310.

Similis est argumenti *Tractatus De preparatione ad Missam*, in quo hæc potissimùm quæstio agitatur: Utrùm pollutio nocturna à celebratione Missæ deterrere debeat. Verùm in eo prætereà multa sunt præclara circa celebrationem Missæ; necnon circa modum quo Christi Corpus præsens est in hoc Sacramento.

Tractatus De Præparatione ad Missam. p. 323.

Cùm hæc scripsisset Gersonius de pollutione nocturna, de pollutionibus diurnis speciatim agit in sequenti Tractatu, ut scrupulis occurrat, quæ conscientias timoratas turbare solent. Ad hunc conficiendum, non solùm Scripta Doctorum consuluit, *sed & colloquium habuit cum exercitatis, & discretis in Confessionis materia; imò & à Medicis hujusmodi multiplicis & variæ pollutionis causam inquisivit.* Ad hunc legendum maximè necessaria videtur Autoris admonitio: *Præparet se lector audire castè id quod pro castitatis cognitione necessitas cogit aperire.*

De Pollutione diurna. p. 335.

Longè pluribus gratior & utilior erit *Tractatus De Consolatione in mortem amicorum*, in quo novem Considerationibus piis admodùm, & rectæ rationi congruentibus, Christianos de morte parentum & amicorum suorum consolatur.

De Consolatione in mortem Amicorum p. 345.

Ad perficiendum hunc Tractatum, adjecit explicationem hujus sententiæ, *Fiat voluntas tua.* Quæ licèt sit in ore omnium Christianorum; à pluribus tamen vel non intelligitur, vel perperam explicatur, quorum ignorantiam vel errorem levare abundè poterit illæc Gersonii lucubratio.

Explicatio hujus sententiæ *Fiat voluntas tua*. p. 353.

Secunda Pars hujus Tomi III continet Opera Mystica & Pia, quo in genere ita excelluit Gersonius, ut plerorumque Spiritualium ac Mysticorum excessus sapienter fugerit, ac scrupulos in quos impegerunt prudenter vitarit. Sunt quippe multi en iis veræ Theologiæ ignari, qui totos se suis imaginationibus permittentes, quidquid in mentem venit effutire, & tanquam Sacrum & à Spiritu Sancto afflatum obtrudere non erubescunt. At noster Autor affectus spirituales & cogitationes mysticas ad normam Legis Christi & veræ Theologiæ placita exigit, & certas regulas proponit, à quibus deviare nefas; modosque præscribit qui transcendi nunquam debeant.

Tomi III Pars II.

Hoc præsertim docet in Libro *De Mystica Thologia*, qui cœterorum veluti fundamentum est, atque ideo primum inter Opera Mystica locum obtinet; ac specialiùs etiam in [a] *Elucidatione scholastica Mysticæ Theologiæ*, in qua Dei cognitionem in piis, mysticis & contemplativis, affectui & amori necessariò adjunctam esse docet. Prior Tractatus est anni 1419; posterior anni 1424.

De Mystica Theologia. p. 361. [a] De Elucidatione Scholasticæ Mysticæ Theologiæ. 422.

[b] Subsequuntur epistolæ tres spirituales ad Petrum Cameracensem: & una affectus plenissima, *De Cruce Christi portanda*, ad Provincialem Cœlestinorum, cum Catalogo Scriptorum quorumdam, qui de contemplatione locuti sunt. In secunda ad Cameracensem epistola, observat, splendorem quemdam & docorem civilem nunc necessarium esse in Prælatis, quorum mores ad vetustorum Præsulum sanctitatem non accedunt. At minimè dubitat, quin *Si quis ex iis stabilitus foret in humilitate & charitate repletus, plus proficeret imitando paupertatem Apostolicam, quàm fastum temporalem.* Et in hujus rei exemplum adducit Joannem de Varennis, *qui*, inquit, *propter austeritatem vitæ, populos innumerabiles aggregabat, & magnos fructus fecisset, si fuisset comes humilitas & filia ejus discretio.*

[c] Tertia ad eumdem epistola scripta est nomine Facultatis Theologiæ Parisiensis, quæ gratias agit Cameracensi Episcopo, quòd ejus operâ *Annexum fuerit Officium Lectoriæ sacrarum Litterarum uni Prabendæ, non tantùm in Metropolitanis Ecclesiis, sed & Suffraganeis Regni, aliarumque Partium aliquarum.* [d] In epistola ad Provincialem Cœlestinorum citat Opera multa pia, quæ composuerat, & eorum lectionem commendat.

[b] Epistolæ duæ ad Petrum Cameracensem. p. 429. [c] Epistola Facultatis Theologiæ Parif. ad eumdem. p. 433. Annotatio Doctorum aliquorum qui de contemplatione locuti sunt. p. 434. [d] Epistola ad Provincialem Cœlestinorum. De Cruce Christi portanda p. 434.

[e] Tractatus *De perfectione Cordis*, in formam Dialogi conscriptus, ostendit 1 Veram perfectionem Christiani, in charitate sitam esse; nec aliam esse perfectionem vitæ Christianæ: sed statum unum alio perfectiorem dicit, *in quantum perfectio talis tanquam finis attingeretur commodiùs, & augeretur vel roboraretur efficaciùs.* Refellit deinde cujusdam Fratris Prædicatoris Matthæi Grabon opinionem, qui tempore Concilii Constantiensis asseruerat, nullum esse posse in statu perfectionis, nisi tria Vota cum Professione solemni susciperet. 3. Prælatorum, aliorumque Ecclesiasticorum statum examinat, vocatque perfectionis acquisitæ & exercendæ statum; cùm Monachorum Ordo sit perfectionis acquirendæ. 4. Curatorum dignitatem & Officia describit. 5. Inquirit an Monachos ad Episcopatus provehi expediat. 6. Quærit num Monachi, qui Mendicantes dicuntur, ita verè dici possint: & hoc omisso, in altera Parte fusè hanc quæstionem agitat & evolvit, Utrùm homo semper debeat agere id quod est perfectius, ut dici possit in statu perfectionis.

[e] Tractatus De perfectione cordis. p. 436.

Succedit Tractatus *De Meditatione Cordis*, in quo non, ut alii, meditationis regulas & methodum præscribit; sed quæ sit meditationis utilitas, quæ adjumenta, qui obices, quæ materia, qui etiam abusus exponit.

Tractatus De meditatione cordis. p. 449.

Ad idem conducunt sequentes Tractatus, *De simplificatione*, *De Directione*, & *De Illuminatione cordis*, necnon *De oculo*.

Tractatus De Simplificatione, Directione, Illuminatione cordis, & De Oculo. p. 456.

Libri

Colloquium hominis & animæ, De paupertate & mendicitate spirituali, p. 487.
[a] Tractatus De monte contemplationis. 541.

Libri, *De paupertate & mendicitate spirituali* argumentum initio exponitur. *Colloquium est hominis contemplativi ad animam suam & animæ ad hominem; docens recurrere ad Deum per sanctam & devotam orationem, pro impetranda eleemosina gratiæ & virtutum; & insuper pro impetranda & adipiscenda scientia affectionum, quæ propriè sapientia dicitur. Et continet duas Partes, quarum prima tractat quæstiones & responsiones diversas hominis ad animam, & è contra secunda orationes & meditationes diversas, quas format anima, sub forma pauperis mendicantis & quærentis panem.* In prima Parte, de orationis natura, efficacia & virtutibus disseritur. In altera, plures sunt orationes & meditationes perutiles.

[b] Tractatus, De remediis contra Pusillanimitatem. 579.
[c] Tractatus De diversis Diaboli tentationibus. p. 589.

Diversos contemplandi & meditandi modos latissimè exponit [a] *Tractatus De monte contemplationis*, de Gallico in Latinum translatus.

Et quoniam Spirituales aliquando patiuntur ariditates quasdam, quibus à contemplatione revocari solent, sibique timere incipiunt; idcirco ad eorum consolationem Tractatum scripsit, itidem Gallicè [b] *De remediis contra pusillanimitatem & scrupulositatem* hujusmodi hominum, non inutilem ad accendendos eos qui facilè deficiunt, & diaboli tentationibus superantur.

[d] Epistola ad sorores: De quo sit cogitandum. p. 602.
De exercitiis discretis devotorum. p. 605.

Quod ne eveniat, alium item Gallicè Tractatum composuit, [c] *De diversis diaboli tentationibus*, ut hujus insidias, in quas imprudentes incidissent, detectas vitare faciliùs possent.

Accedunt his duo Opuscula inferioris subsellii, quorum unum [d] est *Epistola ad sorores suas, de quo quis singulos dies cogitare debeat.* Alterum pro devotis simplicibus; *Qualiter se in suis exercitiis discretè & cautè habere debeant.*

Tractatus De Canticis. p. 619.

Tractatuum *de Canticis* argumentum habes ab ipso Autore, initio totius Operis, p. 619, de quibus ampliùs dicere, nullius videtur esse operæ: nec enim magni admodùm pretii esse videntur.

APPENDIX ad II PARTEM TOMI III. p. 805.

Idem judicium fero de cœteris hujus Voluminis Operibus, partim prosâ, partim metro compositis, quorum titulos ad [e] marginem indicasse sufficiet. Nec melioris notæ sunt Opuscula Gallica in Appendice nunc primùm edita; tum ne quid Operum Gersonii deesset, tum ut hujus temporis Idioma, & concionandi ratio pateret.

III PARS TOMI III Operum Gersonii. Sermones. p. 897.

Tertia Pars continet Sermones è Gallico in Latinum per Joannem Brisgoïcum translatos, de quibus vide Præfationem Jacobi Wimphelingii p. 897.

[e] Epithalamium mysticum. 684. Quomodo puer Jesus in mente devota concipitur. 685. Speculum bonæ vitæ. 688. Duodecim Considerationes quas habere potest homo erga Deum, ut sua exaudiatur oratio. 691. De decem Considerationibus in orando Deum. 693. Expositio super *Dimitte nobis debita nostra*. 694. Oratio cùm peccator de peccatis suis est multum anxius. 695. Meditationes animæ, circa Ascensionem Domini. p. 697. Tenor appellationis peccatoris à Divinâ Justitiâ. p. 700. Querela defunctorum in igne Purgatorio. p. 703. Documentum notabile de Sacramento Altaris. p. 706. Tractatus in hæc verba: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis*, Gersonio perperam ascriptus. p. 709. Dialogus De tribulatione. p. 740. Epistolæ spirituales ad diversos. p. 741. Considerationes volentibus facere Testamentum. p. 758. Epistola super Testamento. p. 760 Epistola ad Carthusienses, quâ postulat ut Suffragia quæ mortuo impendere debebant, sibi vivo concedant. p. 760. Fundatio Anniversarii in Ecclesia D. Pauli Lugdunensis. p. 761. Testamentum quotidianum Peregrini. p. 762. Considerationes super eodem. p. 762. Testamentum Peregrini metricum. p. 765. Epistola consolatoria ad Germanum, de morte alterius Germani, metro scripta. p. 767. Ac demùm, Tractatus De Elevatione mentis in Deum, seu, Alphabetum Divini Amoris, ipsi perperam ascriptum ob rationes allatas. p. 770.

§. 4.

De Operibus Tomi IV Continentis Opera Exegetica & Miscellanea.

TOMUS IV PARS I.

Expositio & Meditatio super Psalmos Pœnitentiales. 1.
Tractatus super *Cantica Canticorum*. p. 27.

QUARTUS Tomus complectitur *Exegetica* in Scripturam, & *Miscellanea* Gersonii *Opera*; atque ita in duas Partes distribuitur.

In Exegeticis litteram minimè secutus est Gersonius; sed in Allegoricis, Anagogicis & Moralibus sensibus inquirendis ac exponendis totus est. Docent id abundè *Expositio & Meditatio super Psalmos Pœnitentiales*, necnon amplissimus *Tractatus in Cantica Canticorum*, anno 1429 compositus.

Monotessaron, seu Unum è quatuor Evangeliis. p. 83.

Alterius generis est *Monotessaron, seu Unum è quatuor Evangeliis*, in quo quatuor Evangelistarum Historiam, ipsis eorumdem verbis connectit: quod Opus primus, uti observavimus in Monito, post veteres admodum Scriptores aggressus est. Vide cœtera, quæ de illo labore in hocce Monito diximus p. 83.

Lectiones super Marcum. p. 203.

Lectiones duæ *super Marcum*, morales sunt admonitiones, quibus etiam quæstiones ad Theologiam practicam spectantes interserit.

Collectorium super *Magnificat*. p. 230.
Carmina super *Magnificat*. p. 513.
[a] Anagogicum de Verbo & Hymno Gloriæ. p. 541.

Tractatus duodecim super Canticum Magnificat, ita sunt scholastico pulvere, ut ita loquar, sordidi, ut vix patienter legi possint. Anno 1427 Lugduni confecti sunt. Nec tolerabiliora sunt Carmina super idem Canticum. Hanc Partem claudit [a] *Anagogicum de verbo & Hymno gloriæ*, anno 1428 compositum, Opus pariter dumetis scholasticis horridum.

[b] TOMI IV PARS II.

[b] Secunda Pars hujus Tomi IV continet Orationes solemnes, Epistolas aliquot, Carmina & alia Miscellanea, quæ ad præcedentes classes revocari non potuerunt.

[c] Oratio in Solemni Supplicatione, pro pace Ecclesiæ. 566
[d] Querela adversùs Familiam Caroli de Savoisy. p. 571.
[e] Oratio habita coram Rege sub hoc Themate, *Vivat Rex*. p. 583.

Orationes solemnes & studio paratas sæpius habuit Gersonius, & in aliquibus excelluit.

Prima habita est in solemni Supplicatione, [c] *Pro pace Ecclesiæ*, quo tempore nuntiatum est, Bonifacium & Benedictum contendentes de Papatu, viam Cessionis admisisse; anno salutis 1394, aut 1395.

Secunda est [d] *Querela nomine Universitatis, ad Senatum Parisiensem, adversùs familiam Caroli de Savoisy*, quæ anno 1404 scholasticos ad Ædem S. Catharinæ in solemni Supplicatione procedentes, orto jurgio, malè mulctaverat. Hæ ambæ Orationes Gallicè prodeunt ex MS. Cod. Vict.

Tertia habita est nomine itidem Universitatis anno 1405, in Castro Lupareo, coram Rege Carólo sexto Delphino, Principibus de stirpe Regia, aliisque Magnatibus; Gallicè quidem, sed in Latinum posteà translata, sub hoc Themate: [e] *Vivat Rex*. In ea sunt egregiæ ad Regem & liberæ admonitiones, tum circa regimen Regni, tum circa privatam ejus vitam: quæ virtutes Regum esse debeant, & quæ Munia, fusè docet; ac adulatores eorum graviter carpit, & adversarios insectatur. Ea Gallicè typis mandata est Parisiis, apud Vincentium Sertenas anno 1561 cum Privilegio Regis dato die 25 Januarii anno 1560. Nos eam Latinè tantùm edendam censuimus.

Hanc

Hanc excipiunt *Decem Considerationes Principibus & Dominis utilissimæ, ne fatuis adulatorum decipiantur assertionibus.*

Considerationes contra Adulatores. p. 622.

Quinta Gersonii solemnis Oratio habita est anno 1408 nomine Universitatis, ad pacem conciliandam inter Ducem Burgundiæ & filios Ducis Aurelianensis, quorum dissidio Regnum turbabatur: ea quoque de Gallico in Latinum translata.

Oratio pro Pace. p. 625.

Eodem anno coram Rege aliam habuit *De Justitia.* Utraque præclara habet; illa de pacis bono, hæc de Justitia.

Oratio pro Justitia. 642.

Septima ejusdem Oratio ea est quam habuit anno 1413 nomine Universitatis adversùs Propositiones Joannis Parvi. Hæc Gallice prodit ex MS. Victorino.

Oratio ad Regem adversus Propositiones Joannis Parvi. p. 657.

Octava & ultima coram Rege habita est Oratio, *In commendationem Nosocomii Parisiensis*, quô nullum in hujus domus laudem illustrius posset esse monumentum. Hîc nescio quo casu insertæ sunt [a] *Considerationes adversus crimen Blasphemiæ.*

Oratio in commendationem Hospitalis Parisiensis. p. 681.

Subsequuntur tres [b] Orationes pro Licentiandis in Decretis, Juris tum Civilis tum Canonici laudes complectentes, quæque sit utriusque utilitas, qui usus in Theologia edocentes.

Similis est illis Oratio [c] pro Licentiandis in Medecina, hujus scientiæ laudem & Apologiam, necnon salutaria ad Medicos documenta complectens. Huic adjunximus *Doctrinam pro pueris Ecclesiæ Parisiensis*, utilia ad eos instruendos præcepta exhibens.

[a] Considerationes adversus Blasphemiæ crimen. p. 614.
[b] Orationes pro Licentiandis in Decretis. 616.
[c] Oratio pro Licentiandis in Medicina. p. 712.

Orationes excipiunt Epistolæ. Harum [d] prima est ad Abbatem S. Dionysii, circa controversiam inter eum & Parisienses exortam, de Reliquiis capitis S. Dionysii, quas integras in Abbatia S. Dionysii & non alibi haberi publicâ tabellâ propositâ jactabant Sandionysiani. Suadet Abbati Gersonius, ut hanc tabellam Parisiensibus injuriosam auferri præcipiat. Observat autem ritum venerationis Reliquiarum apud multas Ecclesias flocci faciendum, *si qualibet varietas in hujusmodi cultu haberetur error intolerabilis, dum id Reliquiarum quod habere se dicit una Ecclesia vel Religio, prætendit altera similiter; quemadmodum de capitibus B. B. Joannis Baptistæ, Benedicti, Magdalenæ, Lazari & aliarum hujusmodi Reliquiarum conspicimus.* Ex ejus sententia, *nihil prohibet*, hoc in casu, *utrumque contradictoriorum stare cum altero, etsi non in veritate, tamen in tali rationum probabilitate, quæ sufficiat ponentes & laudabiles reddere, & eos defendere a mendacio vel errore.*

[d] Epistola ad Abbatem S. Dionysii p. 721.

Subsequuntur aliæ quatuor Epistolæ *Ad Familiares.* Una de gravitate oneris Cancellariæ dignitatis quam invitus retinuerat. Secunda ad Religiosum, ut exercendis Officiis Monasticis potissimùm incumbat. Tertia ad Navarricos, singularis in eos benevolentiæ, & grati in Collegium animi testis. Huic subjectæ sunt *Causæ propter quas Cancellariam dimittere volebat.*

Epistolæ quatuor ad Familiares. p. 721. Causæ propter quas Cancellariam dimittere volebat. p. 725.

Singularem habuit Gersonius in cultum B. Josephi propensionem. Huc pertinent sequentia ejus Opuscula. Quamvis B. Josephi Sponsi Mariæ, qui Christi Pater habebatur, honorifica in Sacris Litteris fiat mentio; nullus tamen ei in Ecclesia specialis cultus, nisi postremis temporibus exhibitus legitur. Nulla quippe in veteribus Martyrologiis, imò nec in iis quæ ab Usuardo & Adone concinnata sunt, ejus memoria extat. Græci ad xx diem Julii Josephum commemorant; sed Josephum Justum Matthiæ in Apostolatu æmulum, à Josepho Virginis Sponso non distinguunt. Apud Latinos in Officio Ecclesiæ nulla fiebat ejus memoria, nec ullus ei Festus dies consecratus fuit ante finem sæculi decimi quarti. Tum quidam privato studio Festum B. Josephi celebrare incœperunt, imprimis Carmelitani, Franciscani & Augustinenses. Sed huic Solemnitati nondum satis certæ, diversi dies assignati sunt. Quidam de transitu Josephi tanquam Confessoris Festum celebrarunt in die octavæ Purificationis B. Mariæ. Alii 19 Martii. Gersonius sacrum ejus cum B. Virgine Matrimonium potissimùm attendens, hanc Solemnitatem statuit die Jovis quatuor Temporum ante Nativitatem Domini, quâ die recitatur Evangelium huic Solemnitati conveniens: *Exurgens autem Joseph à somno* &c. Ad hujus Festi celebrationem instituendam tum Ducem Burgundiæ, tum privatos, tum Ecclesias universas pluribus per litteras hortatus est.

Exhortatio ad Regem Burgundiæ, ut solemnizetur Festum S. Josephi. p. 729. Ep. ad Præcentorem Carnotensem, de eodem. p. 631. Alia Epistola de eodem ad Ecclesias. p. 732.

Officium in hac Festivitate recitandum, & Carmen in laudem Josephi versibus heroïcis composuit, quod *Josephinam* inscripsit. Laudandus sanè ob studium in Mariæ Sponsum, eoque magis, quòd fabulas non admiserit, & Officium non ex apocryphis vel dubiis, sed ex Sacræ Scripturæ verbis contexuerit. Nihilominus Solemnitatem hanc Matrimonii Josephi, pauci amplexi sunt: nec ante Sixtum IV Festum ejus in Universa Ecclesia receptum est, die 19 Martii, quô apud Fratres Augustinenses Mediolani, tempore Gersonii celebrabatur.

Officium S. Josephi. 736 Josephina. p. 743.

Josephinæ accedunt alia Gersonii carmina, in quibus, sicut & in illo, quamvis non infertilis venæ, fluit tamen luculentus, non tam suo quàm temporis vitio.

Varia Carmina. p. 784.

Ad finem appositi sunt Philosophici Tractatus haud quantivis pretii & utilitatis, scilicet *Centilogium De conceptibus. Centilogium De causa finali. De modis significandi, Propositiones quadraginta.* [e] *De concordia Metaphysicæ cum Logica*, quæ ad Scholas Philosophorum Aristotelicorum amandanda sunt.

Centilogium De conceptibus. 793 Centilogium De causa finali. 807. [e] De Modis significandi, Propositiones quadraginta. p. 816. [f] De Concordia Metaphysicæ cum Logica. 821.

[g] *Dialogus Cordis, Conscientiæ, Rationis & quinque sensuum* Gallicè à Gersonio conscriptus & in Latinum translatus, Moralia continet præcepta, sed humili & triviali stylo exposita. [h] *Donatus Moralizatus* Opus ludicrum est & alterius à Gersonio Scriptoris.

Idem judicium feratur de Dialogo [i] *Inter Francum & Anglum* milites, necnon de duobus [k] Opusculis *De Puella Aurelianensi*, quæ falsò Gersonii nomen præferunt.

Est & aliud Opus Gersonio ascriptum, quod licèt mole exiguum; ob sententiarum pietatem & altitudinem, toto Orbe celebre evasit. Librum *De Imitatione Christi* à me indigitari satis intelligitur: sed an ejus sit, certant inter se jampridem Critici, & adhuc sub Judice lis est. Qua de re extat in Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum accurata Dissertatio, quam, ne actum ageremus, in Latinum transferre visum fuit. Ex ea conficitur, quamvis certum non sit hoc Opus esse Gersonii, nulli tamen alii Autori verisimiliùs ascribi. Nihilominus tamen inter ejus Opera librum hunc edere nihil necesse duximus, quippe qui omnium manibus teratur, & sexenties editus fuerit.

[g] Dialogus Cordis &c. [h] Donatus moralizatus. p. 835. [i] Dialogus inter Francum & Anglum p. 837. [k] Duo Opuscula De Puella Aurelianensi. p. 159.

§ ULTIMUS.

De stylo Operum Gersonii & Alliaceni Judicium.

A Temporibus D. Bernardi nullum habuit Ecclesia Christi Scriptorem majoris à Gersonio famæ, profundioris scientiæ, solidioris pietatis. Stylus ejus inæqualis. In quibusdam Operibus studio elaboratis satis accuratus; in aliis festinanter compositis, vel vulgo destinatis neglectus: quod non solo Gersonio, sed & omnibus ferè hujus temporis Scriptoribus contigit. Erat enim tunc linguæ Latinæ velut duplex Idioma: aliud tersum & politum, quô utebantur in Orationibus publicis ad apparatum compositis, vel in Operibus studio elaboratis; aliud horridum & opicum, quô in familiaribus ad populum Concionibus, in scholis & in Commentariis juvandæ memoriæ, aut ad rudium institutionem compositis.

Utriusque generis Scripta videre est in Gersonio, Alliaceno aliisque hujus ætatis Autoribus.

Quod ad scribendi rationem pertinet, Gersonius accuratè, plenè & ordinatè admodùm res tractat; sanum ac rectum fert ferè semper judicium; ac nihil eorum quæ in rem dici possunt omittit. Sententias suas è certis deducit propositionibus & placitis sacrarum Litterarum, aut rationis naturalis autoritate subnixis.

Quæ ad mores pertinent, nunc dogmaticè, nunc affectivè & mysticè pertractat. Veri Defensor semper fuit acer & intrepidus, æquitatis & justitiæ patronus integerrimus, quarum causâ multa passus est & in exilio mortuus.

Tanta fuit de eo in Concilio Constantiensi opinio, ut à Cardinali De Zabarellis in eo, tanquam præstantissimus Ecclesiæ Doctor, nullo reclamante, laudaretur.

Fatendum tamen est cuncta ejus Scripta non esse ejusdem pretii, nec semper eum, in quæstionibus quas agitat aut solvit, verum scopum attingere. Sunt nihilominus inter ejus Opera, non pauca optima & utilissima, in quibus legendis Theologi non mediocrem profectum facere possunt. Et nescio an ullus alius sit Theologus posterioris ævi, è quo plura & utiliora placita & dogmata peti possint

Quamobrem optandum esse videtur, ut ejus Operibus legendis incumbant, qui Theologiæ dant operam, dolendumque Operum ejus lectionem quæ frequens olim erat, ab aliquot annis ita à Theologorum vulgo esse neglectam, ut plerique Gersonium de nomine tantùm noverint.

Multos fortè ab hac lectione deterruit exemplarium ejus raritas & pretium; alios Operum in vulgatis editionibus confusio; quosdam etiam thesaurus iste latebat, & quantam ex his Operibus rerum utilium supellectilem sibi comparare possent, nesciebant. Quibus incommodis hanc editionem occursuram, viamque faciliorem ac planiorem legendis Gersonii Scriptis paraturam esse speramus.

Nec est sine elogio dimittendus Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis, cujus plurima Opera nunc primùm edimus. Major in eo quàm in Gersonio styli diversitas; & Opera ejus inter se comparata, sunt etiam longiùs à se invicem dissita. Sunt enim ex iis, in quibus facundus videtur, ut in Orationibus corám Summo Pontifice; sunt alia in quibus dictionis gravitas materiæ dignitati respondet, ut Commentarii ad reformationem morum pertinentes; sunt nonnulla in quibus subtiles quæstiones movet, quas ut Theologum decet resolvit; at sunt alia multa levia & ludicra, quæ vel juvenis scripsit, vel cursim ac festinanter. Eruditione & in agendis peritiâ plurimùm ille valuit, nec infacundus fuit. At Gersonius judicii acrimoniâ, doctrinæ constantiâ, vi ratiocinii, & pietatis sensis superior est. Ille in Curia, in rebus agendis, in declamationibus melior. Hic scholæ, rudium institutioni, quæstionibus tractandis & solvendis, informandæ pietati & accendendo affectui aptior. Atque hæc de Gersonii & Alliaceni Operibus.

DISSER-

DISSERTATIO

DE

Autore Libri, cujus inſcriptio eſt

DE

IMITATIONE CHRISTI.

In qua controverſiæ de eo excitatæ narrantur; rationes, in eorum quibus attributus eſt gratiam, allatæ referuntur; Manuſcripti Codices, Editiones & Teſtimonia ad uniuscujuſque jus ſtabiliendum allegata diſcutiuntur; & æquum ac ab omni ſtudio partis alienum de eo fertur Judicium.



NUllum fortaſſe unquam Opus fuit aliud à Libro *De Imitatione Chriſti*, de cujus Autore aut acriùs certatum fuerit, aut plures Libri conſcripti. Quis ejus Autor fuerit inquirere, res haud magni videtur eſſe momenti, nec digna, quæ viros eruditos diù diſtineat. Nihilominus quæſtio hæc celebris evaſit; tum duarum Congregationum Regularium ſtudiis; tum Doctiſſimorum hominum in diverſa abeuntium opinionibus; tum reconditarum rerum utrimque facta inquiſitione; tum argumentorum & teſtimoniorum quæ in hac Cauſa adducta ſunt numero; tum certantium inter ſe eruditione & facundia; tum denique turbis propterea excitatis. His rationibus impulſi, de illa penitiùs in hac Diſſertatione agere nobis propoſitum eſt, in quam ea omnia contulimus, quæ circa hanc rem ab initio hujus ſæculi vel acta ſunt, vel in quadraginta & ampliùs lucubrationibus conſcripta.

§. I.

Hiſtoria controverſiæ de Libro cujus inſcriptio eſt, De Imitatione Chriſti, *ab initio Sæculi decimi ſeptimi, ad hoc uſque tempus.*

LIber *De Imitatione Chriſti* cùm primùm ſub D. Bernardi inſcriptus prodiiſſet, multoties ſub Joannis Gerſonii & Thomæ à Kempis nominibus editus eſt. At poſt Badii Editionem anni 1520, poſtremo longè frequentiùs aſcriptus eſt, & ejus vulgò creditus, uſque ad ſæculi decimi ſeptimi initium, quo tempore quibuſdam in mentem venit, hoc Opus hujus Auctoris non eſſe. Hæc ſuſpicio in Hiſpaniâ primùm nata eſt, ex eo quòd liber *De Imitatione Chriſti* lauderur in Collationibus quæ Beato Bonaventuræ aſcribuntur, qui Bonaventura ante ortum Thomæ à Kempis exceſſit. Petrus Manriquez omnium primus, ſcripto negare auſus eſt, Opus *De Imitatione Chriſti* alterius eſſe à Thoma Scriptoris, in libro Hiſpanico, cujus titulus eſt; *Apareios para adminiſtrar el Sacramento de la Penitentia*, qui typis mandatus eſt Mediolani anno 1604.

Hanc ſententiam, quam Hiſpani quidam in Italiam advexerant, Pater Roſſignolius Jeſuita confirmavit, autoritate manuſcripti codicis libri *De Imitatione Chriſti*, in quem incidit in domo Aronenſi Patrum Societatis Jeſu, quæ olim Monaſterium fuerat Ordinis S. Benedicti: quo quidem in codice quatuor in locis hic liber aſcribitur Joanni Gerſen, Geſen, aut Geſſen Abbati. Opinatus eſt ille, manuſcriptum hunc codicem ſuperſtitem eſſe ex antiqua Bibliotheca Aronenſium Benedictinorum; & rem Poſſevino ac Bellarmino aperuit, qui propterea in hanc ſententiam inclinarunt. E contra Roſweïdus unus è Jeſuitis Belgis, anno 1615 epiſtolam compoſuit, in qua Thomam à Kempis genuinum libri *De Imitatione Chriſti* Autorem eſſe contendit, & Collationes quæ Bonaventuræ aſcribuutur hujus eſſe negat. Ex altera parte Conſtantinus Caïetanus Abbas Monaſterii ſancti Barunti Congregationis Caſſinenſis Ordinis S. Benedicti, vir in extollendo Ordine ſuo immodicus, cùm à Nigronio Jeſuita manuſcriptum codicem Aronenſem accepiſſet anno 1616, librum *De Imitatione Chriſti* juxta illum codicem edi curavit, ſub nomine Joannis Geſſen Abbatis Ordinis Sancti Benedicti, adjectâ Diſſertatione, in qua Collationes Beato Bonaventuræ vendicat; contenditque Aronenſem codicem indubiè oſtendere, libri *De Imitatione Chriſti* Autorem Ordinis ſui Abbatem fuiſſe.

In Caïetanum ſtatim inſurrexit Roſweidus, libro edito, cui titulum dedit; *Vindiciæ Kempenſes*: in quo Caïetani argumentis reſpondet, & Gerſenii nomen pro Gerſonii nomine in codice Aronenſi irrepſiſſe ait; qui quidem codex non erat, ut Caïetano perſuaſum fuerat, anti-

quæ Bibliothecæ Benedictinorum Aronensium, sed Genuâ Aronam anno 1579 à Patre Maïolo Jesuita, è domo Patris advectus fuerat. Hocce Rosweidi responsum anno 1617 prodiit, & Bellarminum à priori sententia revocavit, cùm Rosweidus Caïetani objectis satisfecisse videretur. Hic nihilominus ita se vinci haud passus est, sed statim in suæ sententiæ defensionem, Apologiam composuit, quæ Parisis anno 1618 prodiit. Atque ut opinionem suam per totum Orbem spargeret, à Congregatione *De Propanda Fide* petiit, ut sibi liceret librum *De Imitatione Christi* in Græcum translatum, sub nomine Abbatis Gessen evulgare.

Tum Canonici Regulares hocce consilio commoti, libellum supplicem Congregationi obtulerunt, ne id fieret postulantes, & ne liber *De Imitatione Christi* sub alio nomine, quàm Thomæ à Kempis typis mandaretur. Hic stetit ista lis, totaque controversia ad annum usque 1626, velut sopita resedit. Hanc Rosweidus tum temporis de novo excitavit, eximiâ Editione libri *De Imitatione Christi*, cui Dissertationem de hujus libri Autore inseruit, quam inscripsit: *Indubitata testimonia, quibus Thomas à Kempis Libri* De Imitatione Christi *Autor probatur.* Hanc Bollandus post Rosweidi mortem rursum typis mandari curavit annis 1630 & 1634. Franciscus Vulgravius Anglo-Benedictinus, Rosweidi editioni opposuit editionem ejusdem libri *De Imitatione Christi*, sub nomine Joannis Gersen, quem Abbatis Vercellensis titulo decorat. Hæc Parisiis prodiit anno 1638 ex officina Sebastiani Huré, cum notis Apologeticis circa titulum libri, in quibus, ut probet librum *De Imitatione Christi* Gersenii esse, tres manuscriptos codices ex Italia adducit, videlicet Aronensem, de quo supra; Monasterii Padolyronensis codicem, in quo nomen Gersenii duobus in locis occurrit; codicem Cardinalis de Biscia, in quo Autor libri *De Imitatione Christi*, vocatur *Joannes de Cabanaco:* quibus adjungit exemplar veteris editionis Venetæ anni 1501 libri *De Imitatione Christi*, quod ascriptum habebat in titulo Joannis Gersonii nomen, & in cujus fine scriptum erat veteri caractere; *Hunc librum non compilavit Joannes Gerso, sed Joannes..... Abbas Vercellensis, cujus manuscriptum usque nunc in hac Abbatia servatur.* Hac observatione nixus, suspicatur Valgravius, Gersen Abbatem fuisse S. Stephani Vercellensis; & hosce quatuor codices Caïetanus appellat, quadrigam auream, quâ triumphans Gersen deducitur. Biennio post, Pater Fronto Canonicus Regularis Sanctæ Genovefæ Parisiensis, Valgravio respondit, lucubratione edita Parisiis anno 1641, sub hoc titulo: *Thomas a Kempis vindicatus ab uno e Canonicis Regularibus Congregationis Franciæ.*

Eodem fermè tempore, cùm Cardinalis Richelius mandasset, ut liber *De Imitatione Christi* Typis Regiis excuderetur, Gregorius Tarisse Benedictinorum Congregationis S. Mauri Superior Generalis rogavit Cardinalem, ut is liber sub nomine Joannis Gersen è Typographia Regia prodiret, quem quidem verum ejus Autorem esse spondebat, nixus autoritate quatuor manuscriptorum codicum, qui Romæ asservabantur. Respondit Cardinalis, se Romam scripturum, ut alicujus viri fide digni testimonio constaret, hosce manuscriptos codices id adstruere quod prætendebat; ac D. Desnoyers in mandatis dedit, ut de ista quæstione doctos consuleret. Ad eam examinandam selecti sunt Doctores Sorbonici, Duvallius, Hallerius, & Sanbovius, quibus adjecti eruditi duo Jesuitæ Petavius & Sirmondus; qui vocatis Prioribus S. Germani è Pratis, Sanctæ Genovefæ & S. Victoris, rem ad amussim ponderarunt. Interim cùm Tarissius Romam scripsisset, Frater Placidus Simon Benedictinorum Congregationis S. Mauri Procurator generalis; & Anglorum Benedictinorum Procurator Frater Joannes, 30 die Januarii anni 1641 Cardinalem Bagnium, qui Nuntius in Gallia fuerat, adierunt, rogantes ut vellet quatuor MSS. codices ipsi oblatos inspicere, ut certiorem facere posset Richelium Cardinalem, hos nomen Joannis Gersen præferre: quibus respondit Bagnius, ad majorem auctoritatem suo testimonio conciliandam, nominandos esse duos harumce rerum peritos, qui manuscriptos codices examinarent, & quid de iis judicandum foret, præsente se, & adjuncto Notario publico declararent. Ad id ex compacto, electi sunt Gabriel Naudæus Cardinali Bagnio à secretis, & Florens Martinellus, unus è custodibus ac conscriptoribus Bibliothecæ Vaticanæ. Naudæus inspectis seorsum manuscriptis codicibus, advertit in eo qui penes Cardinalem Bisciam olim fuerat, quique hinc in potestatem Allatii venerat, nomen *De Cabanaco* supra lineam scriptum esse, quamvis eadem fortè manu & ab eodem Anamuensi. In eodem quoque manuscripto invenit Bullam Legati Apostolici in Germaniam, quæ data erat anno 1448: unde colligere erat, manuscriptum hunc codicem hoc anno posteriorem esse. Aliunde verò codicem nonnisi circa finem seculi decimi quinti, aut sequentis initium exaratum fuisse ex ejus caractere suspicatus est.

In altero codice, Padolyronensi scilicet, deprehendit istas voces, *Incipit liber Joannis Gersen primus*, adjectas fuisse, utpote minio splendidiori & recentiori, ac reliquas tituli voces exaratas: in fine autem codicis nomen *Gerson* mutatum esse in *Gersen.*

Quod spectat ad tertium codicem qui Cavensis erat Abbatiæ, cùm nomen Scriptoris non exhiberet, sed tantùm figuram Benedictini Monachi primæ litteræ libri impressam, è qua ducebatur conjectura Scriptorem esse Benedictinum, observavit inde nihil deduci posse, nec ullo argumento probari hanc esse Autoris libri effigiem.

Quartus codex manuscriptus non erat, sed exemplar typis mandatum Venetiis, sub nomine Joannis Gerson, in cujus fine observatio hæc adjecta fuerat, Opus non esse Joannis Gerson, sed Gersen Abbatis Vercellensis. Nihil ergo circa illud sibi animadvertendum esse putavit Naudæus, nisi quantùm ad hujus observationis caracterem, quem recentissimum esse judicavit, imò & falsatam esse notam, & insertam in locum vetustioris de industriâ erasæ, cujus adhuc vestigia deprehenderentur, imò & voces integræ, atque inter alias nomen *Thomæ.* Hæc à se observata Bagnio Cardinali, & Florenti Martinello qui in eamdem sententiam descendit, retulit Naudæus.

Cùm deinde Placidus, & Joannes ad Bagnium cum Notario rediissent, coram iis de singulis inquisitum est * tres litteræ vetustioris tituli primi codicis superstites aut perforatæ quarum vestigia novis minimè respondebant. Quibus actis, cùm Monachorum Benedictinorum Causam haud multùm juvaret hujusmodi relatio, nullum eâ de re Instrumentum publicum à Notario confici voluerunt. At Naudæus in privato Commentario rem exposuit, de cujus viritate Vincen-

* Hic deest aliquid in apographo.

centium Galeottam Cardinalis Bagni Auditorem testem esse voluit, eumque eodem anno ad Fratres Puteanos in Galliam transmisit.

Ibi Sirmondus, manuscripti codicis libri *De Imitatione Christi*, qui in Bibliotheca Collegii Claromontani Societatis Jesus Parisiis servabatur autoritate nixus, librum alterius à Thoma Scriptoris esse existimavit. Nam licèt anonymus esset codex, eum Thomæ ætate antiquiorem esse arbitrabatur. E contrà Petavius ob styli hujus Operis cum stylo aliorum Operum, quæ extra omnem controversiam Thomam à Kempis Autorem habent, consonantiam, hùjus istud Opus esse non dubitavit asseverare; cùm aliunde Rosweidum objectis ab Abbate Caïetano argumentis abundè satisfecisse arbitraretur. Sanbovius verisimiliùs credidit istud Opus esse Joannis Gersonii Cancellarii Parisiensis, quàm Joannis Gersenii, aut Thomæ à Kempis. Quæ fuerit aliorum sententia ignoratur. Ita ex hac inquisitione hoc unum effectum est, ut liber *De Imitatione Christi* sine Autoris nomine è Regia Typographia prodiret. Nec Naudæanæ observationes Caïetanum deterruerunt, quominus in sententia perstaret, eosdemque codices manuscriptos, Notarii unius testimonio munitus, allegaret, eademque argumenta quæ priùs, iterum proferret in Apologia pro Joanne Gersen anno 1644 Romæ edita, cum nova editione libri *De Imitatione Christi*, sub Joannis Gersen nomine.

Valgravii librum & Caïetani Apologiam refutaverunt Canonicus Regularis Belga, nec non Simon Werlenius Diessensis Præpositus. Hic adversùs Valgravium scripsit anno 1641, & adversùs Caïetanum anno 1647: sed posterius istud Opus nonnisi anno 1649 post mortem Scriptoris typis mandatum est, sub hoc titulo *Vindiciæ Vindiciarum Kempensium.*

Eodem anno Pater Fronto Canonicus Regularis Monasterii S. Genovefæ Parisiensis, iterum excudi curavit Dissertationem jam anno 1641 editam; & huic novæ editioni Naudæanam de MSS. codicibus Romanis relationem adjecit. In tres Partes distributus est is liber. In prima ostendere vult, librum *De Imitatione Christi* non esse Gersenii, nec ullius Abbatis Benedictini: in secunda non esse Gersonii Cancellarii Parisiensis: in tertia Thomam à Kempis ejus esse Autorem. Simul igitur librum hunc majoribus caracteribus, sub nomine Thomæ à Kempis, typis mandari curavit.

Libri Frontoniani editio velut classicum fuit, quô ad bellum excitati de novo sunt Gersenii & Thomæ à Kempis fautores. Tum Robertus Quatremarius Congregationis S. Mauri, Ordinis S. Benedicti Monachus, vir ingenii & eruditionis haud mediocris, sed fervidus & acer, Frontonis libro non sine stomacho respondit, & Naudæum in manuscriptis codicibus examinandis, malæ fidei incusavit; quin & suspicionem injecit, codices manuscriptos de quibus agebatur, ab eo, cum inter ejus manus essent, falsatos, & testimonium istud ab eo, in gratiam Canonicorum Regularium datum, pro mercede Prioratus, ut aiunt, simplicis, ejusdem Ordinis, quem in Commendam habebat; quamvis Beneficium hujusmodi non fuisset ipsi concessum, nisi quatuor annis post missam ad Puteanos relationem suam.

Haud ita multò post, Franciscus Valgravius aliud responsum edidit, in quo Naudæus non minus acerbè excipitur. Ambo verò in lucem emisere Joannis Launoïi Facultatis Theologiæ Parisiensis Doctoris Opusculum, in quo, licèt æquius ac moderatiùs, circa Autorem libri *De Imitatione Christi* calculum suum ferebat in gratiam Gersenii, adversùs Thomam à Kempis.

Naudæus nominatim impetitus, & sycophantiæ ac fallaciæ accusatus, non eâ tantùm ratione se defendit, quam solent viri litterati adhibere, Scriptis nempe publicis Causam suam tuendo, & cùm accusantur, innoxios se argumentis ostendendo; sed & Magistratus adiit, ut de illata sibi injuria satisfieret, Libellumque supplicem Prætorii Urbani Judicibus obtulit, ut exemplaria librorum Quatremanii & Valgravii supprimerentur.

A Benedictis res ad Palatinos Judices evocata est, coram quibus Naudæus protestatus est, paratum esse, exhibitione MSS. Codd. relationis suæ veritatem notam facere. Id unum in mora erat, quòd nonnisi difficillimè Româ deferri poterant. Non alium præter Allatianum exhibuit, cujus inspectione constititit, vocem *De Cabanaco* inter lineas positam, & confectâ lineâ adjectam, ejusdem tamen caracteris & minii. Tres alios codices Româ accersire haud potuit, quamvis omni adhibitâ diligentiâ, & Benedictinis pluries interpellatis, ut eos in medium producerent. Quin etiam, ad majorem fidem faciendam, professus est oppigneraturum se trium millium librarum summam, quæ Nosocomio Parisiensi daretur, aut in lucernæ argenteæ coram Altari majori Ecclesiæ S. Germani à Pratis suspendendæ pretium impenderetur, si Benedictini manuscriptos codices tres, de quibus lis erat, Româ intra sex hebdomadarum spatium deferri curarent, nec invenirentur ita se habere ac in relatione sua scripserat.

Aliquamdiu lis ista sub Judice fuit. Tum Canonici Regulares S. Genovefæ ad Causam Naudæi accesserunt, petieruntque ut interdiceretur, ne liber *De Imitatione Christi*, sub alio quàm Thomæ à Kempis nomine typis mandaretur. Tandem causâ ab omnibus partibus peroratâ, die 12 Februarii anni 1652 statutum est, ut probra utrimque ingesta pro non dictis haberentur; ac nihilominus Valgraviani libri exemplaria, quæ sequestrata fuerant, liberè prostarent; cautumque insuper ne liber *De Imitatione Christi*, sub nomine Joannis Gersen Abbatis Vercellensis deinceps typis mandaretur; simulque concessum, ut sub nomine Thomæ à Kempis excudi posset. Ab isto Judicio Palatinorum Judicum, ad Supremam Senatus Parisiensis Curiam à Benedictinis provocatum est: at provocatio non ultra prolata est.

Dum hæc coram Judicibus aguntur, Autores Scriptis publicis sese mutuò lacessebant. Valgravii libro, necnon Launoïi Opusculo respondit Fronto. Naudæus itidem multas lucubrationes tum Latinè tum Gallicè, stylo eleganti, sed acri & præfervido evulgavit; & Caïetanum Abbatem crudeliter laceravit in Scripto cui titulus erat; *Causæ Kempensis correctio.* Launoïum etiam haud levi brachio aggressus est in alio Scripto cui titulus, *Velitatio Kempensis.* Tum etiam quidam Anglus Presbyter nomine Quadratus, Anglo-Benedictinis à Confessionibus, qui jam Anglicè de ea controversia scripserat, ad defendendam Thomæ à Kempis Causam librum conscripsit & Naudæanis opposuit, quem inscripsit; *Thomas à Kem-*

pis à seipso restitutus. In eo Opere, quod peculiare ipsi est, instituitur comparatio inter voces, phrases, sententias, & doctrinam libri, *De Imitatione Christi*, cum libris Thomæ à Kempis, ut mira inter hunc & illos consonantia demonstretur. Adduxit nihilominus præterea veteres editiones vetustosque testes. Quod quidem Opus etsi cœteris, quæ in gratiam Thomæ à Kempis huc usque composita sunt, eligantiâ inferior sit; nihil tamen illis cedit, quantùm ad argumentorum fidem.

Fronto quoque duo nova argumentorum genera in medium protulit; unum ex similitudine libri *De Imitatione Christi*, cum aliis libris Canonicorum Regularium hujus temporis: alterum è nomine Devotorum, quô non semel utitur Scriptor libri *De Imitatione Christi*, & quô hujus tempore Canonici Regulares designari solebant. Nec silentium tenuit Launoïus; sed Frontonis Responsum aggressus est.

Eodem ferè tempore Pater Vancalvis ea quoque refutavit, quæ Marillaius in Præfatione translationis libri *De Imitatione Christi* in Gallicum, dixerat in gratiam Joannis Gersen.

At Canonici Regulares, cùm id Judicum Sententiâ consecuti essent, ne liber *De Imitatione Christi*, sub alio quàm Thomæ à Kempis nomine deinceps cuderetur, triumphum canere & libros confidentiâ plenos Latinè & Gallicè in vulgus spargere cœperunt. Uni Latino, cujus Autor Pater Desnotius, titulus erat, *Thomas à Kempis de adversariis suis triumphans*: alteri Gallicè conscripto, *Controversia* De Imitatione Christi *elucidata per rationes à Benedictinis & Canonicis Regularibus prolatas, cum argumentis jus Thomæ à Kempis astruentibus.* Caret istud Opus Autoris nomine: at ignotum non est illud à Patre de Boissy Canonico Regulari Sanctæ Genovefæ fuisse compositum. Tres distributum est in partes.

Prima continet argumenta quibus Opus Thomæ à Kempis vindicatur. In secunda respondetur argumentis quibus istud jus impugnatur. In tertia Gersenii jus affertur & rejicitur. In fine Operis collecta sunt ea instrumenta quæ Causam Thomæ juvant. Hic liber resumit, sed meliori ordine, quæcumque huc usque dicta fuerant, ut ostenderetur libri *De Imitatione Christi*, Thomam à Kempis Autorem esse. Nihil huic à Benedictinis responsum. At Launoïus notis quibusdam ea quæ ad ipsum pertinebant repulit, in Dissertatione Gallica, quæ Montmaurio dicata est.

Posthæc sopita aliquamdiu controversia, dum Benedictini manuscriptos codices undique conquirebant, ut de novo jus suum vindicarent. Ex Italia Padolyronensem, Allatianum, Cavensem, quos Naudæus falsi arguerat, deportari curarunt, aliosque ex Belgio & Germania: quibus muniti, hos anno 1671 Lamonio Proto-Præsidi Senatus Parisiensis obtulerunt, in Collatione habita cum Patribus Lallemantio, & Molineto S. Genovefæ Canonicis, qui manuscriptos istos codices ad Causam suam minimè pertinere contenderunt. Næc multò post Parisiensem Archi-Præsulem Harlæum adierunt, rogaruntque ut manuscripti codices quos habebant, coram eo à viris litteratis excuterentur: consensit Archi-Præsul. In hujus ergo domum die 14 Augusti anni 1671 deferuntur duodecim manuscripti codices, & veteres quædam editiones Gersenii nomen præferentes. M. Faure Sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis Doctor, Cointius Congregationis Oratorii Presbyter, Vio Herovallianus, Valesius, Baluzius, Cottelerius advocati venerunt. Ab his manuscripti codices coram Archi-Episcopo inspecti sunt & examinati, ac Instrumentum relationis confectum. Inter alia Padolyronensis manuscripti caracteres, quos falsatos esse putaverat Naudæus, sinceros esse judicarunt. Hoc Instrumento freti Benedictini, librum *De Imitatione Christi*, Litteris Regiis munitum, Parisiis in Typographia Joannis Billaine eximiis caracteribus anno 1674, sub nomine Joannis Gersen Abbatis Sancti Stephani Vercellensis, recudi curarunt, & cum eo Instrumentum illud de quo mox dictum est. Accessit & Dissertatio, quam seorsim ediderunt, cujus Autor Pater Delfau, in quo nullum eorum argumentorum prætermittitur, quæ eorum sententiam, qui Joannem Gersen hujus Operis Autorem esse existimant, astruere possunt.

Haud ita multò post Benedictini San-Germanenses alium codicem manuscriptum à Slusio acceperunt, qui in fine Joannis Gersen nomen habebat ascriptum. In eum inquisitum est à viris istarum rerum peritissimis Ducangio, Herovallio, Baluzio, Valesio, Launoïo, Cotelerio, & Cointio, ac integrum & vetustum ab iis judicatum est, cujus rei Instrumento autentico dato 23 Augusti anni 1674 fidem fecerunt. Anno 1679 Canonici Regulares in lucem edidere Responsum ad Dissertationem Patris Delfau, sub hoc titulo, *Vindiciæ Kempenses* cujus Autor perhibetur Pater Testelletius Canonicus Regularis: hæc brevì quibusdam observationibus repulsa est.

Tandem Canonici Regulares, ut Instrumentum autenticum Benedictinorum Instrumento opponerent, manuscriptos codices, aliaque Instrumenta, quibus nitebantur collegerunt, eaque examinari voluere coram Archi-Præsule Parisiensi à viris Doctis, Fauro scilicet, Baluzio, Herovallio, Ducangio, necnon Garnerio & Harduino Jesuitis, Bosco aut Bosio Oratorii Presbytero, & Alexandro Dominicano. Confecerunt eâ de re Actum die 4 Martii anni 1681. Tandem Joannes Mabillonius & Michaël Germain Benedictini, Italiâ reversi, hinc detulerunt manuscriptos codices tres. Primum quidem Aronensem, scilicet illum celebrem; alterum Monasterii Bobiensis; tertium Ecclesiæ Sancti Joannis Parmensis, in quibus Joannis Gersen nomen habebatur ascriptum. Tum verò Faurum, Ducangium, aliosque complures harumce rerum peritos, inter quos ascribere me dignati sunt, accersiverunt die 28 Julii anni 1687, qui, examinatis hisce manuscriptis codicibus, declararunt Gersenii nomen in iis primâ manu scriptum esse, & primi manuscripti caracterem non videri inferiorem annis trecentis; secundum ejusdem esse ætatis; tertium, præter librum *De Imitatione Christi*, complecti Regulam S. Benedicti, cujus descriptio ad umbilicum pervenerat octavâ die Augusti anni 1466.

Hìc stetit hæc controversia, quæ huc usque sub Judice manet, quamvis lis ex utraque parte contestata sit, & Judicio parata, ex Instrumentis & argumentis utrimque toties allatis, examinatis, agnitis & veris judicatis à viris de quorum probitate & peritia dubitari nequit. Excerpamus ergo ex Scriptis & Instrumentis partium, ea quæ ad rem pertinent; & videbimus posteà, an Judicium aliquod ferri possit, & in quorum gratiam, secundùm æquitatem ac veritatem ferri debeat.

§. 2.

§. 2.

Qui fuerint Scriptores, quibus Liber De Imitatione Christi *ascriptus est. D. Bernardi non esse liquidò probatur.*

QUatuor sunt Scriptores, quibus liber *De Imitatione Christi* vendicari possit : D. Bernardus ; Joannes Gerson Universitatis Parisiensis Cancellarius ; Thomas à Kempis, & Joannes Gessen seu Gersen Abbas. Ludolphum Saxonem omittimus, sub cujus nomine in uno MSS. codice reperitur, non secus ac in veteri translatione typis mandata ; cujus quidem Scriptoris ad hunc librum jus adeo leve est, ut cum aliis tribus conferri nequeat.

D. Bernardus primus possedisse videtur : ejus saltem nomine prima quam habeamus libri *De Imitatione Christi* prodiit editio typis excusa Brixiæ anno 1485, ex manuscripto haud dubiè codice antiquiori qui nomen ejus præferebat. Sic enim habet : *Incipit Opus D. Bernardi saluberrimum* De Imitatione Christi, & contemptu omnium vanitatum mundi, *quod Joanni Gersoni Cancellario attribuitur.* Ejus quoque nomen habet prima translatio libri *De Imitatione Christi* : nam in Catalogo librorum Joannis Comitis Engolismensis anno 1647 confecto qui in Camera Computorum habetur ; sub hoc titulo, *Inventaire des livres trouvez en larmaire de feu Monseigneur, le premier jour de Janvier* 1467, id est, *Inventarium librorum inventorum in Armario demortui Domini, prima die Januarii anni* 1467 : in fine is ascribitur, *La Imitation de S. Bernard, avec plusieurs oraisons & devotions, en papier & lettre commune bien caduque* : hoc est, *Imitatio S. Bernardi, cum multis orationibus & precibus, charthâ & caracteribus communibus multùm caduca.*

Quæ verba peculiari animadversione digna sunt : indicant enim hunc codicem MSS. anno 1467 jam vetustum fuisse, ac proinde jampridem factam fuisse hanc versionem è manuscripto qui nomen Bernardi præferebat. Hinc in prima editione Gallica libri *De Imitatione Christi* quæ Parisiis ex Officina Lamberti prodiit anno 1493, observatur huc usque librum hunc fuisse ascriptum D. Bernardo, aut Gersoni, his verbis : *Ci commence le livre tres salutaire, intitulé* De Imitatione Christi, *le quel a esté par aucuns jusqu'a present attribué à S. Bernard, ou à Maître Jean Gerson.* Et in alia editione Parisiensi anni 1500 è typographia Lenoxii : *Le livre* de l'Imitation de notre Seigneur, *attribué à S. Bernard, ou à Jean Gerson, translaté de Latin en François.* Sunt etiam codices quidam manuscripti, in quibus D. Bernardo tribuitur istud Opus, inter alios unus extat in Bibliotheca San-Genovefiana *m. n.* 413.

Attamen libri hujus Autorem esse Bernardum dici non potest, & ex ipso libro manifestè colligitur hujus non esse : citatur enim in eo S. Franciscus, cap. 50 libri 3. n. 8, *ait humilis S. Franciscus.* At Bernardus obiit anno 1153, S. autem Franciscus nonnisi anno 1226 natus est. Aliunde stylus libri *De Imitatione*, longè simplicior est stylo Bernardi, & dictio minùs Latina. Dicendum ergo amanuensium aut Typographorum incuriâ tributum fuisse ipsi hoc Opus, eo quòd sine Autoris nomine alicui ex Operibus Bernardi adjunctum foret, ut in nonnullis manuscriptis etiamnum reperitur cum Bernardi Operibus compactum. Hinc crediderunt Opus esse Bernardi, eique nomen illius confidenter ascripserunt. Hinc intelligere datur, non semper manuscriptorum & editionum etiam antiquarum inscriptionibus fidem habendam. Atque hæc quantùm ad D. Bernardum.

Si tres reliqui nihilò plus juris haberent, vel si daretur argumentum æquè evidens, quo ipsis abjudicari posset, dirempta citò lis esset. At non ita se res habet, longè plura adducunt argumenta, multò plures producunt testes, nec irrefragabali argumento jus ipsorum aut astrui, aut destrui potest, ut sequentibus paragraphis intelligetur.

In his primùm examinabimus codices manuscriptos, quos singuli in suæ opinionis confirmationem proferunt. Deinde antiquas editiones, quas adducunt, quæ MSS. codicibus ferè æquiparandæ videntur, cùm ars Typographica haud ita multò post evulgatum istud Opus inventa fuerit ; atque aliundè manuscripti sint codices editionibus typis excusis recentiores. Tertiò agemus de testibus quos adducunt. Quartò quibus argumentis sententiam quisque suam defendat ostendemus. Demum quid unusquisque aliorum objectis respondeat exponemus.

§. 3.

Manuscripti Codices De Imitatione Christi *qui nomen Thomæ à Kempis, Canonici Regularis Zwollensis præferunt examinati.*

PRimus Causam dicet *Thomas de Kempis*, cujus primum ac potissimum ad jus suum astruendum Instrumentum videtur esse codex *De Imitatione Christi*, qui in domo Jesuitarum Antwerpiensium extat, ejus manu scriptus anno 1441 ; ut fidem faciunt sequentia verba ad finem codicis ascripta. *Finitus & completus anno Domini* MCCCCXLI *per manus Fratris Thomæ à Kemp. in monte S. Agnetis prope Zwol.* Continet hic codex libros quatuor *De Imitatione Christi* sub quatuor titulis diversis. Primum sub hoc titulo ; *Admonitiones utiles ad vitam spiritualem* ; *aliàs De Imitatione Christi.* Secundum sub isto, *Admonitiones ducentes ad interiorem.* Quartum qui præpostero ordine tertius est in hoc codice, sub illo ; *De Sacramento Altaris.* Tertium, qui ultimo ponitur loco, inscriptum ; *De Interna locutione Jesus Christi.* Continet iste codex præter hos quatuor libros, alia Thomæ à Kempis Opuscula : hæc nempe, *Tractatum De disciplina eorum qui sunt in Claustro* ; *Epistolam unius devoti ad Regularem* ; *Commendationem humilitatis vitæ mortificatæ, & vitæ justorum pacificæ* ; *Elevationem cordis* ; *Brevem admonitionem de exteriori.* Hæc Opuscula inter Thomæ à Kempis lucubrationes extant, nec de iis quisquam ipsis litem movet : unde infertur quatuor priores ejus quoque esse, idque eò verisimiliùs, quòd si fuissent alterius Scriptoris, hujus nomen fuisset ascriptum. Autenticus autem est iste codex : nam ejus initio observatur,

hunc

hunc esse Monasterii Canonicorum Regularium montis Sanctæ Agnetis Virginis & Martyris prope Zwol. Et deinde recentiori manu, *Fratrem Joannem Latomum Professum Ordinis Regularium Domus prope Herentals Ministrum Ordinis Generalem, cùm visitaret montem Sanctæ Agnetis prope Zwol, eum ex hujus Monasterii ruderibus eruisse, ne penitus periret, Antwerpiam detulisse, & anno 1577 tradidisse veteri & fideli amico Bellero, à quo datus fuerat in gratiam filiorum, Patribus Societatis Jesu anno 1590.*

Qui Thomam de Kempis libri *De Imitatione Christi* Autorem negant, respondent hunc codicem sibi potiùs favere, quàm obesse.

1. Quia id solum probat ille codex, Thomam de Kempis exscriptorem esse librorum *De Imitatione Christi*, nequaquam verò Autorem. Hoc unum eâ observatione quæ in fine apponitur significari, & similem omnino reperiri in exemplari Bibliorum manu Thomæ à Kempis descripto. *Finitum & completum anno* 1439, *in Vigilia S. Jacobi, per manus Thomæ à Kempis &c.* hanc fuisse vulgatam & communem formulam quâ tum temporis exscriptores uti solebant.

2. Codicem hunc licèt Thomæ Kempensis manu scriptum, non esse primum hujus autographum, cùm haud dubiè, & fatentibus cunctis, manuscripti codices hujus libri reperiantur isto antiquiores; inter alios, manuscriptus codex primi libri, qui in fine sic habet: *Explicit Tractatus scriptus in Concilio Basileensi anno* 1437, *& Dei ope completus per me Gottingen.* Non potest ergo dici hoc esse Thomæ de Kempis autographum: ad summum dici posset, proprii Operis apographum esse.

3. Esse in illo manuscripto non pauca, quæ dubitationem an Thomas à Kempis hujus libri Autor sit confirment, potiùs quàm infirment. Nam, inquiunt, siquidem Operis hujus Autor est, haud verisimile est eum describentem Opus suum, quartum librum loco tertii posuisse; nec verò in eo multa menda reliquisset, aut sententias integras omisisset, ut verbi gratiâ l. 1. c. 23 post hunc versum: *Principiis obsta, serò medicina paratur*, istum ad sententiam explendam necessarium, *Cùm mala per longas invaluêre moras.* Et lib. 2. c. 11. in hac sententia *rarò invenitur tam spiritualis;* ubi omissum est verbum *invenitur*: præter crassiora errata, ut lib. 1. c. 12. *Non bene nobis creditur*, pro *de nobis creatur*: & lib. 2. cap. 5. *debes habere* pro *velles habere.* Necnon libri 4. (qui tertius est in editis) c. 36. *succumbi* pro *succumbere*: & cap. 55 *stips* pro *stipes* aut *stirps;* verbaque bis repetita & expuncta. Atque id ita verum est, inquiunt, ut ii ipsi qui librum *De Imitatione Christi* sub Thomæ à Kempis nomine ediderunt, non in omnibus hunc codicem manuscriptum secuti fuerint; quod sanè facere debuissent, si constaret hoc esse ultimum exemplar manu Autoris exaratum, ac proinde emendatissimum.

4. Ex eo quòd libri *De Imitatione Christi*, cum Opusculis Thomæ de Kempis ascriptis, in eodem codice inveniantur, colligi non posse, aiunt, eos pariter ejus esse; cùm sæpe sæpius in idem volumen diversorum Scriptorum Opera compingantur. Aliunde verò in dubium revocari posse, an alia hæc Opuscula sint Thomæ à Kempis.

Ad hæc reponunt alii ad primum: Verum quidem esse, ex solis verbis in fine Operis ascriptis non posse certò colligi Autorem ejus esse Thomam à Kempis: imò ultrò conceditur eum ex humilitate noluisse sese Autorem Operis palam profiteri, sed tantùm exscriptorem haberi voluisse. At cùm liber *De Imitatione Christi* adjunctus sit Opusculis quæ Thomæ à Kempis esse agnoscuntur, & quidem in eodem codice ejus manu ab initio ad finem exarato, verisimile non esse, illum alterius esse Autoris, cùm præsertim distinctionem nullam fecerit, nec observarit libros *De Imitatione Christi* alterius esse Autoris.

Ad secundum aiunt, neminem contendere hoc esse primum Thomæ à Kempis autographum, sed apographum tantùm esse anno 1441 confectum Operis à se circa annum 1410 compositi.

Ad tertium, Autorem qui suum Opus describit labi aliquando posse, & ex inadvertentia menda relinquere: librorum ordinem inter errata non esse reponendum, cùm nullus inter eos ordo certus esset. Versum hunc, *cùm mala per longas* &c. non solùm in hoc codice manuscripto omissum, sed & in aliis pluribus, qui nomen Thomæ à Kempis non præferunt, à Caïetano & Valgravio in suis editionibus rejectum tanquam inutilem.

Ad quartum observant, quòd cùm codex à principio ad umbilicum manu ipsius Thomæ à Kempis exaratus sit, dici non posse casu effectum, ut hæc Opera simul in eo reperirentur; nec verisimile fieri, eum Tractatus suos alterius Operi subjunxisse, nullâ factâ utrorumque distinctione.

Est & alius manuscriptus codex, Thomæ quoque à Kempis manu descriptus, ut docet hæc assertio Joannis Ulimmerii anno 1486 ad finem ascripta. *Hic liber est scriptus manu & caracteribus Reverendi & Religiosi Patris P. Thomæ à Kempis Canonici Regularis in monte S. Agnetis, qui est Autor horum libellorum devotorum. Joannes Ul.*[us] *scripsit* 1586. Extat iste codex in Bibliotheca S. Martini Lovaniensis: complectitur autem *Soliloquium animæ*; tres primos *De Imitatione Christi* libros; *Elevationem mentis*; *Brevem admonitionem De vita spirituali*; Tractatum *de Sacramento Altaris*, qui quartus est liber *De Imitatione Christi*, cujus sola ibi reperitur Præfatio. Est autem partim carthaceus, partim papyraceus. Eadem in isto ac in præcedenti omissa, & idem de hoc ac de illo dici potest, cùm præsertim non ipse, sed alius fidem faciat scriptum esse Opus per manum Thomæ à Kempis & hunc ejus esse Autorem, & is testimonium hoc reddat anno 1586 centum & ampliùs annis post Thomæ mortem: quò fit ut levis omnino sit autoritatis.

Ad alios codices accedamus à Sangenovefianis prolatos, qui scripti non sunt manu Thomæ à Kempis, sed nomen ejus præferunt.

Primus est codex manuscriptus S. Martini Lovaniensis, qui complectitur *Hortulum rosarum*, & tres *De Imitatione Christi* libros, primum nempe, quartum & tertium, in cujus fine hæc leguntur: *Expliciunt Tractatus quatuor Fratris Thomæ Kempis, devoti & interni; scripti, illuminati & ligati per manus Fratris Symonis Jacobi de Leydis, Professi in Leyderdorp, pro tunc socii Rectoris hujus Monasterii Sanctimonialium antiquarum in Aemstelredam, anno scilicet Domini* 1482 *in Professo Willibrordi Episcopi.* En manuscriptum codicem anni 1482, qui tres libros *De Imitatione Christi* Thomæ Kempensi manifestè ascribit. Se-

Secundus, est codex manuscriptus Domus SS. Petri & Antonii in Dalhem, in quo extat excerptum ex Tractatu Hugonis Foglieti, *De clausura animæ*, scriptus anno 1475; & liber *De Imitatione Christi* sub titulo libri *De contemptu mundi*, in cujus fine hæc verba leguntur: *Explicit libellus* De contemptu mundi, *quem fecit Frater Thomas Kempis Professus in monte S. Agnetis, Ordinis Canonicorum Regularium. Obiit ætatis suæ anno* XCII. *in Ordine devotus, Requiescat in perpetua pace, de primis pro quo solvi debitum anno* MCCCCLXXI *in Festo S. S. Cosmæ & Damiani, quo anno obiit.* Haud magni videtur momenti iste codex, ad astruendum jus Thomæ à Kempis, cùm istæc observatio illius non sit qui codicem scripserat & anonymum reliquirat, sed alterius.

Tertius, est codex MS. Canonicorum Regularium Augustanorum Sanctæ Crucis, continens quatuor *De Imitatione Christi* libros, in quorum fine hæc habentur: *Compilator hujus Opusculi fuit Frater Thomas nomine, de Conventu & Ordine Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini montis Sanctæ Agnetis Trajetensis.* Bollandus & Heserus hunc codicem putarunt esse anni 1440: at prolatus codex, carere temporis notâ deprehensus est, nec cujus ætatis sit à peritis judicatum. Ita dici nequit, utrùm antiquior sit, an verò recentior codice anni 1441: præterquam quòd in eo Thomas à Kempis Compliator tantùm hujus Operis appellatur.

Quartus, est codex manuscriptus Bibliothecæ S. Martini Lovaniensis, qui in fronte libri primi *De Imitatione Christi*, refert nomen Thomæ à Kempis ita: *Liber primus Fratris Thomæ à Kempis Canonici Regularis* De Imitatione Christi. Habet in fine notam temporis ascriptam annum 1524, *ultimâ Decembris finientis anni* 1524 *in Festo S. Silvestri Papæ & Confessoris.*

Allegantur & alii plures manuscripti codices triti & laudati ab iis qui de hac quæstione scripserunt; quorum testimonia referunt: inter alios, codex MS. Domus Carthusiensis Bruxellensis anno 1463 scriptus, continens quatuor libros *De Imitatione Christi*, sine nomine Autoris proprio, sed designato quodam Regulari; his verbis: *Explicit devotus Tractatus cujusdam Regularis* De interna locutione Christi ad animam fidelem, *scriptus per manus Jacobi Bueust Laici Redditi: finitus in anno Jubilæo* MCCCCLXIII *die mensis Octobris, & pertinet ad Carthusienses Domus Sylvæ S. Martini prope Geraldi-montem.* Citavit hunc codicem Chiffletius, septimo Apologiæ suæ capite, & præ manibus suis hunc se habuisse testatur. Quamvis anonymus sit, Regularem tamen Autorem hujus libri agnoscit. Alterum codicem MS. Trajectensem citat idem, sub fide Cappii, à quo is decimi quarti sæculi esse perhibetur, in quo nomen Thomæ Regularis ter repetitus legebatur.

His addunt duos manuscriptos codices Monasterii S. Joannis Baptistæ de Rebdorf sine temporis nota, qui, juxta testimonium Patris Breidenbouch hujus Monasterii Subprioris & Notarii, nomen Thomæ à Kempis præferunt.

Manuscriptum codicem Bibliothecæ Afflighemensis, à Sandero citatum ex fide Patris Camberii hujus Abbatiæ Monachi Benedictini, qui nomen quoque Thomæ habet ascriptum.

Codicem manuscriptum Monasterii Canonicorum Regularium Maseickensium, à Rosweido allegatum, anno 1477 conscriptum manu Cornelii Offermans qui nomen itidem Thomæ præfert.

Manuscriptum codicem Bibliothecæ Davidis Ehingeri ex urbe Kirchen in Wirtembergensi Ducatu, laudatum à Prospero Faraudo, continentem tres libros *De Imitatione Christi*, ascriptos Thomæ à Kempis, & in quo scriptum erat, librum hunc exaratum fuisse manu Autoris anno 1425; qui codex cùm non extet, nec dicatur cujus manu hæc observatio scripta fuerit, haud gravis videtur esse momenti.

Codicem manuscriptum Bibliothecæ Augustanæ, testimonio Vicarii hujus urbis munitum, sed sine temporis nota, in quo Thomas fertur Autor librorum *De Imitatione Christi.*

Alium pariter codicem ejusdem Bibliothecæ, qui quatuor libros *De Imitatione Christi* complectebatur nomen Thomæ à Kempis præferentes, ut discere est ex Catalogo librorum hujus Bibliothecæ anno 1633 edito; in quo tamen ultimus tantùm reperitur liber *De Imitatione Christi*, adjunctus aliis Tractatibus Thomæ à Kempis Canonici Regularis in unum compactis volumen; in cujus primâ paginâ observatur, librum hunc fuisse ad usum Fratris Joannis le Fort Lectoris Theologi, datumque fuisse anno 1490 in octava S. Martini, à Joanne Carpentatio Provinciali Ordinis Carmelitarum.

Adjunguntur hisce manuscriptis codicibus, in quibus libri *De Imitatione Christi* Thomæ nomen seorsim ab aliis ejus Operibus præferentes inveniuntur, antiquæ Collectiones Operum ejus, inter quæ libri *De Imitatione Christi* reperiuntur.

Primus, est manuscriptus codex Bibliothecæ Monasterii S. Barbaræ Carthusianorum Coloniensium, continens varios Tractatus, quorum Index est in capite, scilicet; *Speculum Henrici de Hassia*; liber ejusdem *De discretione spirituum*: & deinde *Aliqua Opuscula devoti Regularis* (ad marginem hîc à quibusdam ascriptum, *cujus nomen est Thomas à Kempis, de Conventu prope Zwol.*) *De Sacramento Altaris: De septem bonis quæ Deus in electis maximè diligit: Breviloquitum exercitiorum spiritualium: Tractatus De virtutibus: Soliloquium animæ*, in formam Dialogi: parvus liber qui vocatur; *Qui sequitur me.* Sub finem libri *De Sacramento Altaris*, observatur scriptum esse hunc Tractatum *anno* 1447 *in die S. S. Simonis & Judæ.*

Duo primi Tractatus hujusce codicis, qui sunt Henrici de Hassia, & ultimus qui primus est è libris *De Imitatione Christi*, aliâ manu scripti sunt, & horum caracteres cum caracteribus Indicis conveniunt, ut à peritis observatum: at nomen Thomæ à Kempis recentioris est manus.

Adducuntur & aliæ duæ Collectiones, quarum una extat in Monasterio Benedictinorum Blandiniensium propè Gandavum, quæ, juxta testimonium P. Vanheule Bibliothecarii hujus Monasterii, à Decano Ecclesiæ Gandavensis, ut loquuntur, legalizatum, continet multa Thomæ à Kempis Opera, quæ incipiunt à Sermonibus ad Novitios, cum Prologo, cujus titulus est; *Hic incipit Prologus devoti hominis Fratris Thomæ à Kempis Presbyteri & Canonici Regularis Professi, mortui in Monasterio Sanctæ Agnetis prope Zwol.* Sermones sequuntur multa alia hujus

Opuscula, inter quæ occurrunt libri *de Imitatione Christi.* Caret hic codex temporis nota, nec de ejus ætate judicium ullum latum legitur.

Tertius est is, qui servatur in Bibliotheca Benedictinorum S. Martini Tornacensis, à Chiffletio allegatus, continens librum *De Disciplina Claustri*, *Exercitia spiritualia*, Tractatum *De notitia propria fragilitatis*, *Brevem admonitionem exercitii spiritualis*, *Monita salutaria ad vitam spiritualem* (*seu primum* De Imitatione Christi *librum*) *Monita dirigentia ad interiora* (seu secundum ejusdem Operis librum) & in fine eadem manu, eodemque minio scriptum est: „ Frater Thomas à „ Kempis Canonicus Regularis Monasterii Sanctæ Agnetis prope Zwol in Diœcesi Trajecten- „ si composuit Opuscula quæ supra. „ Caret etiam iste codex temporis nota.

Afferuntur præterea Catalogi manuscriptorum librorum, ex quibus liber *De Imitatione Christi* Thomæ à Kempis ascribitur; quales, Catalogus Bibliothecæ Endovicensis, cui adjunctus est alius Catalogus Bibliothecæ S. Mariæ Arnhemensis, anni, ut inscribitur, 1472. Catalogus librorum centum ferè Bibliothecarum Germanicarum, continens brevia Scriptorum elogia, in cujus pag. 302 sequentia occurrunt. „ Fr. Thomas de Kempis Diœcesis Co- „ loniensis, Canonicus Regularis in monte S. Agnetis prope Zwol, Diœcesis Trajectensis, „ in Sacra Scriptura versatus, multos Tractatus compilavit testes suæ devotionis, & Religio- „ sis utiles, scilicet, *Monita ad vitam spiritualem*, aliter *De Imitatione Christi*; *Admonitiones ad vitam interiorem*; *De conversatione interiori*; *De consolatione aut locutione interna*; *De Communione sancta*, *seu præparatione hominis ad Communionem.* Alius item Catalogus præcedenti annexus, in quo sub littera T Thomæ à Kempis tribuuntur quatuor libri *De Imitatione Christi*, unà cum libro *Trium Tabernaculorum*: necnon *De Maria & Martha.*

Hice tres Catalogi extant in Bibliotheca S. Martini Lovaniensis.

In Catalogo S. Mariæ Arnhemensis anni 1496 quatuor *De Imitatione Christi* libros reperire est, sub nomine Thomæ de Kempis.

Tres antiqui Catalogi Bibliothecæ Monasterii S Joannis Baptistæ de Rebdorf, continent titulos omnium Operum Thomæ à Kempis, inter quos reperiuntur libri *De Imitatione Christi*, quorum unus scriptus fertur anno 1488. à Fratre Nicolao Numan Francofordiensi Professo de Frakendal.

In codice MS. Monasterii Sanctæ Catharinæ Augustæ, in quo continentur Vitæ Gerardi & Florentis Germanico idiomate conscriptæ, observatur hoc Opus esse Thomæ à Kempis, qui devotum *De Imitatione Christi* librum composuit.

Unum ad MSS. tot codices responsum opponitur: Hos omnes, cùm sint posteriores Antwerpiensi anni 1441, qui in fine nomen Thomæ à Kempis ascriptum habet, non quidem ut Autoris sed ut amanuensis, fieri facilè potuisse, ut re aliter intellectâ, pro Autore subjiceretur, & sic tribueretur ipsi liber cujus nonnisi conscriptor fuit: hanc rem eos in errorem induxisse qui libros *De Imitatione Christi* deinceps aut descripserunt, aut typis mandaverunt; multosque alios Scriptores, qui librum ipsi tribuerunt: nullum codicem anno 1441 antiquiorem inveniri, qui nomen Thomæ à Kempis præferat; multos esse ejusdem temporis ac posterioris anonymos; nec illos esse antiquiores aut melioris notæ, quàm eos in quibus idem Opus aut D. Bernardo, aut Gersonio, ipso vivente Thoma à Kempis, tribuitur; imò extare ex horum numero antiquiores: in Belgio tantùm & Germania codices reperiri, qui nomen Thomæ habeant; alios omnes Italiæ & Galliæ codices, aut esse anonymos, aut nomen Gersonii vel Gersenii ascriptum habere; quô sanè ostenditur, errorem illorum fluere ex MS. codice manu Thomæ à Kempis anno 1441 descripto, quô sequentes amanuenses decepti sunt: præterea in manuscriptis quibus nomen Thomæ ascriptum est, quatuor libros Operis *De Imitatione Christi* separatos esse, & sub diversis titulis, quasi diversos Tractatus, & sæpe ordine præpostero, cùm in aliis plerisque antiquioribus iidem quatuor libri *De Imitatione Christi* extent sub uno & eodem titulo, & nativo ordine.

Hæ sunt exceptiones quæ proponuntur adversùs ingentem illum manuscriptorum codicum numerum, qui in gratiam Thomæ à Kempis allegantur: quorum exceptionum fundamentum præcipuum petitur ex aliis MSS. codicibus in contrarium facientibus, de quibus deinceps dicemus. Nunc veniamus ad editiones quæ sub nomine Thomæ à Kempis prodierunt.

§. 4.

Editiones Libri De Imitatione Christi, *sub nomine Thomæ à Kempis.*

PRima Editio libri *De Imitatione Christi*, sub nomine Thomæ à Kempis, creditur esse anni 1475. Nullum ejus profertur exemplar: at ferunt unum extare in Bibliotheca Augustana cod. 32 librorum Theologicorum, in quo quatuor libri *De Imitatione Christi*, in folio impressi reperiuntur. Annus quidem huic libro non est ascriptus, sed in fine sequentem habet observationem. „ Viri egregii Thomæ montis Sanctæ Agnetis in Traje- „ cto Regularis Canonici, libri *De Christi Imitatione*, numero quatuor finiunt feliciter, per „ Zeintherum Zainer ex Reutlingen progenitum, litteris impressi ahenis. „ Mortuus est Zainerus die 14 Aprilis anni 1475, ut probatur ex libro Mortuali Canonicorum Regularium Sanctæ Crucis in urbe Augusta: hanc ergo editionem hoc anno vetustiorem esse oportet. Extat editio *Speculi vitæ Christianæ*, Roderici Zamorensis anno 1471, à Zainero typis excusa. Denique in exemplari libri *De Imitatione Christi*, de quo mentio facta est, scriptum legitur, hunc emptum fuisse anno 1486 à Conventu F. Carmelitanorum Augustæ degentium. Quæ si vera sint, dubitari nequit, quin liber *De Imitatione Christi*, sub nomine Thomæ à Kempis paulò post ejus mortem editus sit.

Secunda editio quæ profertur, Argentinæ facta est anno 1487. Hanc ferunt in Bibliotheca

Pra-

Pragensi extitisse; refertque Heserus, eam se vidisse in Augustana Bibliotheca Canonicorum Regularium S. Georgii. Hujus autem initium sic se habet: *Incipit liber primus Thomæ de Kempis Canonici Regularis Ordinis S. Augustini* De Imitatione Christi, ac De contemptu omnium vanitatum mundi. Capitulum primum. *Qui sequitur me* &c. & in fine: *Fratris Thomæ de Kempis* De Imitatione Christi, & De contemptu vanitatum mundi, *devotum & utile Opusculum finit feliciter; Argentinæ impressum per Martinum Flach, anno Domini millesimo quadringentesimo octogesimo septimo.*

Allegatur & alia editio ejusdem anni Norimbergæ facta, cujus mentio fit in Appendice ad Historiam Bibliothecæ Norimbergensis.

Tres proferuntur editiones anni 1489: Ingolstadiensis una; Lugdunensis altera; tertia Memmingensis, & anno 1493 Luneburgensis.

Prima ex iis editionibus quæ in manus nostras inciderunt, est ea libri hujus in Gallicam linguam translatio, quæ Parisiis prodiit anno 1493, cujus jam mentionem fecimus. Hæc autem in fronte habet Gallicè, quæ nos Latinè reddimus. „ Hic incipit liber saluberrimus, inscriptus *De Imitatione D. N. Jesu Christi. Et contemptu omnium vanitatum mundi*, qui à quibusdam huc usque B. Bernardo attributus est, aut Magistro Joanni Gersonio, quamvis aliter se res habeat. Nam hujus Autor secundùm Christum fuit Venerabilis Pater & devotissimus Religiosus Canonicus Regularis, vivens tempore suo in observantia Regulari, juxta Regulam S. Augustini, cui nomen erat Thomas de Kempis. &c. „ Nullam hic Translator noverat hujus libri editionem antiquiorem sub Thomæ à Kempis nomine.

Hanc sequitur editio Nurinbergensis Operum Thomæ à Kempis anni 1494, typis Gasparis Hocfederi, & curâ Petri Danhausseri, ad preces Georgii Pirkameri Prioris Domûs Carthusiensis hujus urbis, in qua Tractatus *De Imitatione Christi*, primum inter Thomæ Opera locum obtinet, hac observatione addita: *Dulcissimi ac divi Thomæ de Kempis viri piissimi Religiosissimique*, De Imitatione Christi *Opus, quod falsò apud vulgares Gersoni Parisiensi Cancellario impingitur.*

Extant etiam aliæ, quæ præcedunt Parisiensem Badii editionem anni 1520, quam quidam primam omnium putaverunt sub nomine Thomæ à Kempis; extant, inquam, Coloniensis anni 1507; & Antwerpiensis anni 1519.

In editionibus Operum Thomæ de Kempis, quæ operâ Badii prodierunt annis 1520 1521 & 1523, liber *de Imitatione Christi* reperitur cum eadem observatione, falsò Gersoni ascriptum eum fuisse.

Anno 1535 inter quædam Opuscula Thomæ Kempensis cum eadem animadversione reperitur editus.

Præterea editiones Parisienses annorum 1541 1549 1561 & 1574; Antwerpienses quoque annorum 1535 1550. 1552 1559 1574 1575 1587 1592 1599 1607, quas insecuta est editio anni 1616 curâ Belleri, ex manuscripto autographo anni 1441; Lugdunenses, item annorum 1554 1555 1596 & 1601; Vindobonensem anni 1561; Olysipponensem ejusdem anni; Dilingenses annorum 1571 1576; Basileensem anni 1563, in qua tres priores libri à Castalione in dictionem puræ Latinitatis translati sunt, & ita recusi anno 1575, curâ Francisci Tollii: Colonienses quoque prætermitto annorum 1575 1582 1591 1601, 1607 1610; & Romanam anni 1583, in quibus omnibus libri quatuor *De Imitatione Christi* nomine Thomæ à Kempis Canonici Regularis in titulo inscripri sunt, aut adjecta observatio, falsò tributum esse hoc Opus Joanni Gersonio, & reverà Thomæ esse à Kempis. Nihil dicam de editionibus horum librorum in Linguis Vernaculis, qualis Gallica anni 1565; Italica Venetiis excusa anno 1569; Hispanica Ludovici Granatensis anni 1542; duæ aliæ translationes in eamdem linguam annorum 1615 & 1633; Belgica à Nicolao de Winge Canonico Regulari Lovaniensi adornata, Lovanii excusa annis 1548 & 1576, necnon Antwerpiæ anno 1591; Germanica, excusa Dilingæ annis 1554 & 1555; Turcica anni 1580; Bohemica anni 1600; Anglica anni 1611; Græca, Augustæ anno 1615; Japonica, Arabica, & Hungarica anno 1636.

Tam ingenti editionum numero minimè terrentur adversarii Thomæ à Kempis; nec enim recentiores haud magnæ sunt autoritatis: vetustioribus autem opponunt alias æquè veteres, in quibus illud Opus tribuitur, aut Bernardo, aut Gersonio sub cujus nomine non semel in Italia & Gallia prodiit, antequam Thomæ Kempensi vindicaretur.

Interim omnes istæ editiones posteriores sunt manuscripto codice anni 1441, qui ansam dedit libri *De Imitatione Christi*, Thomæ ascribendi: post mortem quoque Thomæ prodierunt, eo tempore quo nonnullis in Germania & Belgio persuasum erat, libros *De Imitatione Christi* ejus esse, non alibi ferè quàm in Germania aut Belgio in lucem emisse; nec enim antiquæ ullæ sunt in Italia aut Gallia, quæ Thomæ nomen præferant; sed omnes ferè Gersonium ascribunt Autorem.

Denique hujus Causæ Judicium non ex editionibus pendet, sed ex manuscriptis codicibus: nam si qui sint ætate Thomæ à Kempis antiquiores, haud dubium est nequaquam fieri posse, ut istud Opus sit illius. Itidem si codices qui Gersonii aut Gersenii nomen habent, antiquiores sint & majoris autoritatis, quàm qui Thomæ nomen habent; illis potiùs quàm huic Opus ascribendum est. Hinc unicè quæstionis hujus determinatio pendet, nec numerus editionum, manuscriptis codicibus recentiorum, præjudicare nequicquam potest.

§. 5.

Testimonia Scriptorum, quæ in gratiam Thomæ à Kempis allegantur.

SCriptorum coævorum testimonium, aut qui paulò post venerunt, aut scripserunt, ad Autoris Opera genuina dignoscenda magnæ utilitatis est. Multa producuntur hujusmodi, ad ostendendum librum *De Imitatione Christi* à Thoma de Kempis compositum esse.

Primus est Joannes Buschius Canonicus Regularis Windesemensis, qui Chronicon Monasterii sui scribere desiit anno 1464, ut in Præfatione sua testatur; & ex capitibus secundi libri, quarto & quinto colligi potest, in quibus observatur jam à septuaginta & ampliùs annis conditum fuisse Windesemense Monasterium. Hic Scriptor, ejusdem libri cap. 21, mentionem faciens mortis Joannis Huesden Prioris Monasterii Windesemensis, hæc ait: „ Contigit „ ante paucos dies sui obitus, ut duo Fratres notabiles de monte S. Agnetis prope Zwollis „ Ordinis nostri, dictum Priorem nostrum super certis rebus consulturi in Windesem advenirent; (quorum unus fuit Frater Thomas de Kempis, vir probatæ vitæ, qui plures libros de„ votos composuit, videlicet: *Qui sequitur me. De Imitatione Christi*, cum aliis,) nocte in„ secuta somnium vidit præsagium futurorum: aspexit namque in visu noctis, concursum spi„ rituum Beatorum fieri in cœlestibus, quasi pro alicujus obitu, celeriter festinantium, sta„ timque tabulam, tanquam pro morientis exitu, in somnis audivit pulsari, ut exinde exper„ rectus evigilaret.... In se itaque reversus, cœpit tacitè cogitare, quòd Prior in Windesem „ in brevi esset migraturus. „ Hæc non solùm extant in codicibus impressis Buschiani Chronici; verumetiam in MS. Abbatiæ S. Martini Lovaniensis, & in alio manuscripto S. Petri Dalhemensis, quos Canonici Regulares protulerunt; necnon in MS. Bibliothecæ Trajectensis; ac in Rebdorfensi, ut docent autentica testimonia Bibliothecarii Trajectensis & Episcopi Augustani Suffraganei. Manuscriptus codex Rebdorfensis scriptus est anno 1477, per F. Joannem Offenburg, septuaginta annos natum, ut in ipso codice observatur, his verbis: *Finit feliciter per me fratrem Joannem Offenburg in Kerpgarten Professum, feriâ tertiâ ante Dionysii Festum, anno ætatis meæ circiter septuagesimo, anno verò Incarnationis* 1477 *sine speculo oculari scriptum.* Hic Joannes Offenburg diem extremum obiit anno 1479, ut in eadem pagina annotatur, *Anno Incarnationis Dominicæ* 1479 *obiit idem Frater Joannes Offenburg.* Hæc ad conciliandam autoritatem huic testimonio. Nihilominus tamen hæc parenthesis (*quorum unus Frater Thomas de Kempis* &c.) aut saltem hæ voces, videlicet, *Qui sequitur me. De Imitatione Christi*; sublestæ habentur, & ascititiæ putantur. 1. Quia tota hæc parenthesis cum præcedentibus & sequentibus minimè cohæret. 2. Quia duorum Fratrum adventum nuntiat, & de uno Thoma loquitur. 3. Quia ad narrandam istam visionem, inutile erat observare, Thomam composuisse libros devotos. 4. Quia ex his unum nominare librum *De Imitatione Christi*, affectatum esse videtur. Quicumque ad hanc phrasim, *qui plures devotos libros composuit, videlicet, Qui sequitur me, De Imitatione Christi*, attenderit, intelliget sanè, profectò verisimile admodum esse, has voces *videlicet, Qui sequitur me* &c. esse ascititias. Hæc autem suspicio jam certa esset, siquidem manuscriptus codex Chronici Buschiani scriptus anno 1464, hanc parenthesim, ut nonnullus mihi dixit, non haberet. Cùm enim codices manuscripti, in quibus reperitur, apographa sint post hoc autographum confecta, hæc ut & alia plura addere facile fuit. At etiamsi constaret hanc parenthesim Buschii ipsius esse, & ab ipso anno 1464 scriptam, fieri, inquiunt, potuit, ut Autor ille deceptus fuerit, utque Thomam Kempensem libri, cujus tantùm exscriptor erat, fecerit Autorem.

Secundus Autor pro Thoma adducitur, Matthias Farinator Carmelita Vindobonensis, Autor libri Moralitatum, cui titulus, *Lumen animæ*, Antwerpiæ editi anno 1477. Fertur is librum *De Imitatione Christi* propriâ manu scripsisse, sub nomine Thomæ à Kempis: ejusque exemplar inter alios Tractatus, in Bibliotheca Augustana extitisse, ut hujus Bibliothecæ Catalogus fidem facit. Desunt equidem nunc in illo MS. codice libri *De Imitatione Christi*; at sunt alia Opera in quorum fine observatur, hæc scripta esse anno 1472 manu Matthiæ: est & *Soliloquium animæ* Hugonis, quod annum præfert 1475.

Huic testimonio sic occurrunt alii. Testem hunc Thomæ Kempensis Causæ nihil prodesse, multùm obesse; quia scilicet Matthias Farinator vixit tempore Joannis XXII, qui Sedem Apostolicam obtinuit ab anno 1316 ad annum 1334, & cujus jussu Matthias librum composuit, quem *Lumen animæ* inscripsit. Possevinus & Simlerus hujus ætatis eum esse perhibent. Quod si ita sit, librumque *De Imitatione Christi* is homo descripserit, non potest ille liber Thomæ Kempensis esse, cùm Farinatorem obiisse necesse sit ante annum 1406, quò Thomas Canonicorum Regularum Ordini fuit ascriptus.

Respondetur, Matthiam Farinatorem non decimi quarti, sed decimi quinti sæculi Scriptorem esse, ut annus manuscripto codici ascriptus indicat: Trithemium mentionem ejus nullam fecisse in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum qui ad annum usque 1494 producitur; nec Arnoldum Bastium, in Catalogo Scriptorum Carmelitani Ordinis, eodem ferè tempore perfecto; quod argumento est, Matthiam hac ætate posteriorem esse: Possevinum & Simlerum in errorem inductos falsa hac persuasione, scriptum à Matthia Farinatore librum Joannis XXII mandato, in quo sanè lapsi sunt; nec enim in Præfatione scriptum est, ut illi autumant, Joannis XXII jussu librum hunc à Matthia conscriptum; sed eum, cùm Joannis XXII temporibus compositus fuisset, & in tenebris posteà delituisset, ab illo restitutum, & in titulos & paragraphos distributum, ac tabulis ornatum fuisse. Hæc sunt ejus verba: „ Liber Moralitatum jussu Joan„ nis Pontificis Maximi *Lumen animæ* dictus, quem post diutinam occultationem, cùm adhuc „ informis esset, simplicioribus rudis & obscurus appareret, Frater Matthias Farinatoris de Vi„ enna, Sacri Ordinis B. Dei Genitricis & Virginis Mariæ de Monte Carmelo, Lectorum Sa„ cræ Theologiæ minimus, in titulos, & titulos in paragraphos distinxit; moralitates om-

nes

„ nes pariter naturales per binas tabulaturas consignans, & editus est anno 1477." Verisimile est ergo, Matthiam Farinatorem circa sæculi decimi quinti finem vixisse, nec eum composuisse Moralitatum Opus, sed in ordinem redegisse, emendasse, & evulgasse.

Quo posito, respondebitur: hunc si quidem librum *De Imitatione Christi*, sub nomine Thomæ à Kempis descripserit, deceptum fuisse autoritate cujusdam manuscripti codicis ex MS. anno 1441 descripti, qui multos in eam opinionem induxerat, Thomam hujus libri Autorem esse. Dixi; si quidem sub nomine Thomæ à Kempis descripserit; nec enim extat MS. ille codex, & fieri potest ut Autor Catalogi eo scribens tempore, quò vulgò liber *De Imitatione Christi*, Thomæ Kempensi tribuebatur, nomen ejus in MS. tacitum, in Catalogo scripserit. Demum cùm ipsum Farinatoris autographum non habeatur, leve omnino videtur istud testimonium.

Tertius Scriptor qui Thomæ Kempensi librum *De Imitatione* ascribere videtur, est Autor anonymus Vitæ hujus; tum in ipsa narratione, in qua ait, ex libro ejus *De Conversatione interiori Christi & animæ*, capite secundo, intelligi quæ ipsius fuerint cum Deo in solitudine colloquia; tum in Catalogo veteri Operum Thomæ, qui in fine hujus Vitæ extat.

Adversus hoc testimonium excipitur; testem hunc non esse Thomæ coætaneum; quippe qui eum nec noverit, nec viderit: sed quæcumque de ejus vita scripsit, didicerit, ut ipse ait, *à Fratribus illius Conventus, qui adhuc vivebant*; loquaturque de eo tempore, quò Thomas de Kempis Monasticam Professionem emisit, tanquam à pluribus annis elapso. *Tunc temporis*, ait, *fuit consuetudinis, ut sic per sex annos probentur, prius quàm investiantur.* Non igitur mirum, si Scriptor recens opinionem communem in Germania secutus sit. Aliunde verò interpolatam esse hanc Vitam, nec Catalogum & verba ultima quibus eum promittit, in editionibus Venetis annorum 1568 & 1576 reperiri. Catalogos Operum Thomæ nec secum convenire, nec cum Trithemiano. Tandem Continuatorem Chronici Montis S. Agnetis, qui Vitam Thomæ anno 1477 scripsit, nihil hujusmodi habere, nec ullam mentionem facere libri *De Imitatione Christi*; sed observare tantùm, composita esse ab eo quædam Opuscula ad ædificationem juventutis, stylo simplici & facili, verùm sensibus & virtute grandia.

Quartus testis est Petrus Schottus Canonicus Argentinensis, qui anno 1488 Gersonii Opera edidit, in cujus Admontione observat, inseruisse se quosdam Tractatus Gersonio ascriptos, qui alium habent Autorem, ut liber *De contemptu mundi*: *quem constat*, inquit, *esse à quodam Thoma Canonico Regulari editum.*

Quintus testis est Joannes Kunne Duderstatensis, qui anno 1489 Librum *De Elevatione animæ ad Deum* edidit, in quo librum *De Imitatione* Thomæ Kempensi tribuit.

Sextus est Joannes Mauburnus Abbas, Autor *Rosarii spiritualis* quod Basileæ anno 1491 typis mandatum prodiit. Autor is, in illo Opere librum *De Imitatione Christi* sub nomine Thomæ à Kempis laudat; & in alio Opere manuscripto *De Scriptoribus Ecclesiasticis Ordinis Canonicorum Regularium*, inter eos locat Thomam à Kempis, ob libros ab eo compositos, inter quos recenset eum qui incipit his verbis: *Qui sequitur me. Quod Opus quidem*, inquit, *falsò Gersoni ascripserunt.* Hæc scripsit ille circa sæculi decimi quinti finem: quo tempore ipse agnoscit, librum fuisse Gersonio vulgò ascriptum: nihilominus eum Thomæ esse privatâ sententiâ existimat, at nullum hujus opinionis profert argumentum, nec ejus testimonium irrefragabilis est fidei.

Septimus testis est Trithemius; qui in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* anno 1494 absoluto, librum *De Imitatione Christi* quem *De Contemptu mundi appellat* quòd his verbis incipit, *Qui sequitur me* &c. cœteris Thomæ à Kempis, quem anno 1410 floruisse ait, Operibus præfigit. At idem Scriptor in libro *De Viris illustribus Germaniæ*, paulò post scripto, duos distinguit hujus nominis homines, ambos Canonicos Regulares Montis S. Agnetis Zwollensis; alterum antiquiorem, qui floruit tempore Gerardi Magni, quique ferebatur Autor libri *De Imitatione J. C.* quamquam multi dissentirent: sed en ipsius verba: *Et notandum quòd duo feruntur hujus fuisse nominis, ambo de Kempis, Regulares in Monte Sanctæ Agnetis; ambo varia cudentes Opuscula, quorum primus temporibus M. Gerardi Magni ad Religionem conversus, divinis revelationibus dignus habitus, ea quæ supra recensuimus Opuscula scripsisse dicitur. Secundus verò adhuc nostris temporibus penè viguit in humanis, & varia composuit, quæ ad manus nostras non venerunt: & forsitan primo nonnulla sunt ascripta, quæ secundus fecisse putatur. Libellus autem* De Imitatione Christi, *primi fertur Autoris, quem ante multos annos seniores nostri suos ferunt legisse seniores; quamvis sciam nonnullos in hac re sentire contrarium. Claruit autem Thomas iste senior sub Ruperto Bavaro El. Imperatore anno Domini* 1410.

Ex his verbis intelligere est Trithemium, cùm post conscriptum librum *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, didicisset Thomam Kempensem ad sua usque tempora vixisse, in animum inducere non potuisse, hunc eumdem esse qui circa annum 1410 floruerat, & Autor erat libri *De Imitatione Christi*, quem ante multos annos seniores seniorum in manibus habuerant. Idcirco duos ejusdem nominis destinguit, alium antiquiorem, tempore Gerardi Magni; alium recentiorem, Joannem de Kempis Thomæ Fratrem, qui reverâ Gerardi Magni discipulus fuerat & cum fratre Canonicus Regularis Montis S. Agnetis, ab illo non distinguens. Itaque ex hoc Trithemii testimonio videtur colligi posse, librum *De Imitatione* Thomâ antiquiorem esse, ac Trithemii ipsius tempore, an Thomæ esset incertum planè fuisse.

His testibus adjunguntur Georgius Pirckamerus, Prior Domus Carthusiensis Nurembergensis, & Petrus Danhausserus, quorum operâ liber *De Imitatione Christi*, sub nomine Thomæ à Kempis anno 1494 editus est; Anonymus, in epistola manuscripta anno 1496, quæ in Bibliotheca S. Germani à Pratis servatur, in qua liber *De Imitatione Christi*, sub nomine Thomæ à Kempis laudatur; Joannes Geilerus Keisersbergensis, qui itidem sub nomine Thomæ à Kempis librum hunc laudavit, anno 1499, in Tractatu quem inscripsit, *Navicula, sive Speculum fatuorum*; Philippus Bergomas, qui Thomam laudavit, eique Opus *De Imitatione Christi* ascripsit, in Chronico ad annum 1506; aliique benè multi decimi sexti sæculi Scriptores, quos appellare nihil necesse est, cùm eorum testimonium nullius sit ponderis.

§. VI.

Argumenta quibus Thomas à Kempis Libri, De Imitatione Christi *Autor esse comprobatur.*

ARgumenta quibus nituntur ii qui librum *De Imitatione Christi*, Thomæ à Kempis esse contendunt, hæc ferè sunt. 1. Similitudo styli cum stylo aliorum Operum Thomæ à Kempis. 2. Sententiarum consonantia. 3. Dictiones Belgicæ, quibus Autor Belga indicatur. 4. Doctrina & placita Canonicorum Regularium Congregationis Gerardi Magni, quæ hujus Operis Autorem discipulum ejus esse suadent. 5. Nomen Devotorum sæpe tributum Congregationibus Religiosis, quibus seipsum annumerare videtur, quod nomen vulgò Canonicis Regularibus hujus Congregationis tribui solebat.

Styli similitudo elucet 1. In usu earumdem vocum inusitatarum & opicarum, quæ in libris *De Imitatione Christi* occurrunt, quibus sæpe sæpius, tum Thomas à Kempis, tum ejus temporis collegæ in suis Operibus uti solebant, quales sunt; *regratiari*, *pensare*, *querulosum*, *passionatus*, *contentare*, *contranare*, *compassivus*, *cordialiter*, *meliorari*, *solatiatus*, *sufferenter*. 2. Usus frequentium interjectionum *Eia*, *ô*; *quàm*, *ô si*; quæ passim in hoc Opere & in illis occurrunt. 3. Eadem scribendi ratio simplex & humilis, sed affectus ad vivum exprimens. 4. In genere dicendi brevi & sententioso, ut totidem sint sententiæ & placita, quot phrases.

Ad hæc opponitur; stylum libri *De Imitatione* strictiorem, pressiorem, acriorem, ac magis sententiosum esse eô quem usurpat Thomas à Kempis in suis Operibus, qui languidior est & laxior; inter utrumque latum esse discrimen, in eo præcipuè quòd Thomas à Kempis Scripturas & Sanctorum sententias de verbo ad verbum citare solet, & referre, loca unde desumpta sunt indicans; cùm Autor libri *De Imitatione Christi* rem ipsam sibi propriam faciat, aliis utens verbis, & omissâ librorum mentione; quæ res ostendere videtur, huic magis familiares fuisse fontes quàm illi, eumque altiùs quàm illum hæc adyta penetrasse: quantùm ad voces easdem, quæ in utroque occurrunt, has ipsis esse communes cum aliis benè multis Scriptoribus, qui postremis hisce sæculis scripserunt; exclamationes verò & interjectiones, spiritualibus & affectivis Scriptoribus esse familiares. Præthereà cùm Thomas à Kempis sæpe sæpius librum *De Imitatione Christi* legerit & descripserit, & ad ejus sese normam conformarit, haud mirum esse si iisdem aliquando vocabulis usus fuerit, quæ in illo frequenter occurrunt. Hæc de primo argumento.

Secundum ex eo ducitur, quòd eadem doctrina, eadem morum institutio in libris Thomæ à Kempis occurrunt, ac in libro *De Imitatione Christi*, iidemque affectus de contemptu sui, & mundi, de fuga voluptatum, de humilitate, de vanitate scientiarum, de solitudine, de vita Monachorum, de mortificatione carnis, de cura sui Domino committenda, & præcipuè de Crucis amore. Eædem demum sententiæ, eademque placita totidem ferè verbis; cujus rei hæc exempla proferuntur.

Ex Libro De Imitatione Christi.	Ex Operibus Thomæ à Kempis.
HAbitus & Tonsura modicùm conferunt; sed mutatio morum & integra mortificatio passionum. *Libro* 1. *capite* 7. *Numero.* 2.	NOn vestis pulchra perfectum facit Religiosum, sed perfecta sæculi abrenuntiatio & vitiorum quotidiana mortificatio. Serm. 14. ad Novit. n. 9.
Quid prodest tibi alta de Trinitate disputare, si careas humilitate. *Lib.* 1. *c.* 1. *n.* 3.	*Quid prodest altus status sine humilitate & charitate?* ibid.
Si non vincis parva & levia, quomodo superabis difficiliora? *Lib.* 1. *c.* 11. *in fine.*	*Si non potes parva vincere, non poteris graviora superare.* Hort. rosar. c. 15. n. 2.
Valdè vilis quandoque res est, unde gravis tentatio provenit. *Lib.* 1. *c.* 12.	*Sæpe valdè parva res est, unde homo valdè graviter tentatur.* ibid.
Sancta illa anima quæ dixit; Mens mea solidata est & in Christo fundata. *Lib.* 3. *cap.* 45. *Num.* 3.	*Beata Agatha ingenua virgo & spectabilis genere ait; Mens mea solidata est & in Christo fundata.*
Ama nesciri & pro nihilo reputari. *L.* 1. *c.* 2. *n.* 3.	*Ama nesciri & pro nihilo reputari.* Opuscul. 5. p. 686.
Miser es ubicumque fueris & quocumque te verteris, nisi ad Deum te convertas.	*Quocumque te vertere disponis, dolores semper invenies & tædia multa, nisi fueris ad Creatorem conversus* Soliloq. animæ. c. 12. n. 10.
Omnia vanitas, præter amare Deum. *L.* 1. *c.* 1. *n.* 3.	*Omnia pereunt præter amare Deum.* Man. Par. c. 7. & alibi sæpius.
Domine, hoc non est opus unius diei, nec ludus parvullorum. *L.* 3. *c.* 32. *n.* 2.	*O Domine Deus quid sic facis? quid est iste ludus! O Pie Jesu &c.* Soliloq. anim. c. 13. n. 4.
Plures invenit (Jesus) socios mensæ, sed paucos abstinentiæ. *L.* 1. *c.* 11. *n.* 2.	*Christus multos habet amatores & sodales mensæ, sed paucos sectatores abstinentiæ.* Hort. ros. c. 7. n. 2.
Dixit quidam, quoties inter homines fui, minor homo redii. *L.* 1. *c.* 20. *n.* 2.	*Dixit quidam expertus; Quidquid boni tacendo colligo, hoc ferè totum loquendo cum hominibus dispergo.* Serm. ad Novit. 13. n. 8.
In Cella invenies quod foris sæpius perdes. *ibid. n.* 5.	*Qui foris sæpius evagatur, raro inde melioratur.* Hort. rof. c. 10. n. 2.

Tota

Tota vita Christi crux fuit & martyrium. *L.* 2. *c.* 12. *n.* 7. — *Tota vita Jesu Christi crux fuit & martyrium.* In Cant. Spirit. Cant. 8.

Sæpe videtur esse caritas, & magis carnalitas. *L.* 1. *c.* 15. *n.* 2. — *Sæpe putatur esse caritas & est magis carnalitas.* De Discipl. Claustri. c. 11. n. 2.

Vita boni Monachi crux est sed dux Paradysi. *Lib.* 3. *c.* 56. *n.* 4. — *Vita boni Monachi crux est sed dux Paradysi.* Opuscul. 12.

En sanè multas sententias & phrases omnino similes. At, inquiunt, nemini mirum istud videri debet, si duobus diversis in mentem venerint, cùm hæc pietatis & Religionis placita obvia sint iis ferè omnibus, qui spirituales libros componunt; & similes iis sententiæ occurrant, non solùm in libris Thomæ Kempensis, sed etiam in Operibus D. Bernardi, Ludolphi Saxonis, Joannis Rusbroeck, Dionysii Curthusiani, aliorumque spiritualium Scriptorum; præterquam quòd Thomas à Kempis sententiis & cogitationibus Autoris libri *De Imitatione Christi*, quem sæpesæpius volvebat assuefactus, &, ut ita loquar, innutritus, non potuit non inde quædam haurire, sicut plura ex sacris Litteris.

Quidam Scriptores, atque inter alios Rosweidus & Heserus multùm laborarunt, ut phrases Belgicas aut Teutonicas, quas in libris *De Imitatione Christi* deprehendisse se arbitrabantur, colligerent. Alii è contra existimarunt sese ibi legere phrases Italas. At istorum & illorum observationes omnino leves: nam quas illi phrases aut Teutonicas aut Italas esse dixerunt, locutiones sunt apud eos qui Latinè loqui nesciunt satis usitatæ. Una tamen est omnino Belgica, hæc nempe, *Scire totam Bibliam exteriùs* pro *scire memoriter*. Sic enim Belgæ, pro *scire memoriter*, dicunt, *scire exteriùs*, quod ipsis omnino peculiare. At vox ista *exteriùs* non occurrit in plerisque MSS. eamque à Thoma Kempensi in suo exemplari adjectam fuisse nihil vetat.

Doctrina, monita spiritualia & placita libri *De Imitatione Christi*, dicuntur omnino consentanea genio & Regulis Congregationis Canonicorum Regularium Gerardi Magni. Ad id probandum, conferatur is liber cum epistola Joannis Huesden unius è primis Windesemensis Monasterii Prioribus, eadem hìc & illic occurrunt placita: cujus rei hæc exempla subjicimus.

Ex libro De Imitatione Christi.	Ex Epistola Joannis Huesden.
DOmine suscepi de manu tua crucem, portabo eam usque ad mortem sicut imposuisti mihi. Verè vita boni Monachi crux est sed dux Paradysi... Eia Fratres.... propter Jesum suscepimus hanc crucem, propter Jesum perseveremus in cruce. *Lib.* 3. *c.* 56. *num.* 4. *&* 5.	*QUi perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Dilecte Frater, habeas præscripta verba ante cordis tui oculos, & persevera usque in finem in sancta cruce Pœnitentiæ, idest in vita Religiosa & Monastica quam propter amorem J.C. suscepisti.* Initio epistolæ.
Intuere Sanctorum Patrum vivida exempla. ... ô quam multas & graves tribulationes passi sunt Apostoli & Martyres, Confessores, Virgines & reliqui omnes..... omnibus divitiis, dignitatibus, honoribus, amicis & cognatis renuntiabant. *L.* 1. *c.* 18. *n.* 1. 2 *&* 3.	*Eorum inspice multiplices & pergraves labores, & quàm perfectè Deo obtulerunt amicos & cognatos omnes, & possessiones, & temporalia bona, & mundi honores.* ibid.
Religiosus qui se intentè & devotè in sanctissima vita & Passione Domini exercet, omnia utilia & necessaria abundanter ibi inveniet, nec opus est ut extra Jesum aliquid melius quærat. O si Jesus crucifixus in cor nostrum veniret, quàm citò & sufficienter docti essemus. *L.* 1. *c. ult. n.* 26.	*Si ad breve tempus perseveraveris in hac exercitio sanctissimæ vitæ & Passionis Domini nostri Jesu Christi, ista præcepta & multò majora quàm tibi scribi poterunt quietè & citò adjicientur.* Pag. 3.
Requiesce in Passione Christi & in sacris ejus vulneribus libenter habita; si enim ad vulnera & pretiosa stigmata Jesu devotè confugeris, magnam in tribulatione confortationem senties. *Lib.* 2. *c.* 1, *n.* 4.	*Quid dulcius ô dilecte Frater, quid securius, quid simplici columbæ salubrius, quàm in petræ foramine, hoc est, in Christi Jesu vulneribus delitescere & requiescere.* ibid.
Multò tutius est stare in subjectione, quàm in Prælatura. *Lib.* 1. *c.* 9. *n.* 1.	*Ad extrema Officia nullatenus Frater dilecte aspires, nec aliquam Prælaturam affectes.* Pag. 11.
Pete secretum tibi, ama solus habitare tecum. *Lib.* 3. *c.* 53. *n.* 1.	*Libenter, cùm potest fieri, solus sis.* Pag. 22.
Cum sapienti & conscientioso viro consilium habe, & quære potiùs instrui à meliori, quàm tuas adinventiones sequi. *L.* 1. *c.* 4. *n.* 2.	*Nihil penitùs agas sine consilio, & plùs semper expertis, quàm tibi ipsi credas.* Pag. 23.
Ama nesciri & pro nihilo reputari. *L.* 1. *c.* 2. *n.* 3.	*Ama nesciri, & ab aliis contemni opta.* p. 26.

Denique Canonici Regulares Congregationis Gerardinæ *Devotorum*, *Clericorum Devotorum*, *Congregationis Devotorum* nominibus vocari vulgò solebant. Hoc ipsis nomen tribuitur ab ipso Thoma Kempensi, in Vitis Gerardi Magni, Florentis & aliorum. Sic etiam illos appellat Buschius, in Chronico Windesemensi. Ast Autor libri *De Imitatione Christi*, sæpe sæpius de Devotis loquitur, & se cum iis versari indicat. *Utinam in te non dormiret profectus virtutum, qui multa sæpius exempla vidisti Devotorum.* L. 1. cap. 18. num. 6. *In veritate confiteor quoniam dignus sum omni ludibrio, nec decet me inter tuos Devotos commemorari.* L. 3. cap. 52. n. 2. *Offero tibi omnia*

nia pia desideria Devotorum. lib. 4. c. 9 num. 5. Quin & de Devotis, & de peculiari Societate loquitur multis in locis, cum Religiosis eos componens, & de iis velut de Fratribus in commune viventibus loquens, ut in locis allatis, & in isto: *Sive adsint homines boni, sive Devoti Fratres & amici fideles.* l. 2. c. 9. n. 6. Ex iis conjicere est, illum eadem ætate, & eadem in Regione vixisse, in quibus Devotorum nomen Canonicis Regularibus tribui solebat, & ipsum ex illorum numero fuisse.

Ad istud argumentum respondetur: Devotorum nomen commune esse piis ac religiosis omnibus; quô quidem Canonici Regulares Congregationis Gerardi vocitati sunt; at non propterea peculiare ipsis fuisse, ita ut aliis minimè conveniret: & sanè istud nominis reperiri in Scriptoribus qui ante institutam Gerardi Congregationem vixerunt, ut Ricardi à S. Victore, Bonaventuræ, aliorumque Operibus, quin & ab ipso Autore libri *De Imitatione Christi*, de iis omnibus usurpari, qui in pietatis operibus exercentur; ut libri quarti c. 13. n. 3, *Tanto desiderio tam specialium Devotorum tuorum non ardeo*, aliisque in locis: in ipsis etiam locis quæ adducuntur nihil esse quod probet, Devotorum nomen sumi speciatim pro viris Ordinis cujusdam, aut Congregationis peculiaris.

§. 7.

Excutiuntur Argumenta quæ proferuntur, ad ostendendum Thomam de Kempis libri De Imitatione Christi *Autorem non esse.*
An aliqui Scriptores hujus libri mentionem fecerint, antequam potuerit ab illo conscribi; & utrùm in manuscriptis codicibus eò vetustioribus habeatur.
Catalogus manuscriptorum omnium codicum libri De Imitatione Christi.
An Autor hujus libri Monachus fuerit.

THomam à Kempis libri *De Imitatione Christi* Autorem non esse primùm probant, ex eo quòd liber iste ipso Thoma videatur esse vetustior. Hoc si semel probatum fuerit, haud dubium est quin ipsi tribui minimè possit. Sic autem illud astruere se posse putant.

Primùm, inquiunt, liber *De Imitatione Christi* laudatus est à D. Bonaventura, cujus ætas natalem Thomæ à Kempis antecedit. Nec res videtur dubia, cùm in Collationibus ad Novitios, quæ reperiuntur inter Opera Bonaventuræ, ejusque nomen præferunt, occurant excerpta ex capite 25 libri *De Imitatione Christi*, quem ita laudat Autor: *ut patet*, inquit, *in devoto libello* De Imitatione Christi. Vel hoc unicum testimonium rem conficeret, si certum esset has Collationes esse Bonaventuræ. At contendunt alii eas hujus esse, quod ineluctabiliter probare videntur. Nam prima, inquiunt, Collatio, deprompta est ex libro *De vita crucifixa*, qui Autorem habet Ubertinum Casalem, ab ipso compositum, ut ait in Prologo anno 1305, conversionis ejus anno 32. *Mense*, inquit, *Septembri terminavi, in Vigilia Michaëlis Archangeli anni præsentis 1305 à felicissimo ortu veri Solis Jesu, à meo verò, civili conversione 32, & die 9 Martii, in Quadragesima inchoatus est iste liber.* Siquidem Ubertinus hunc librum composuit anno 1305, & ingressus fuerit in Ordinem FF. Minorum anno 1273; quomodo potuit hujus Opus laudari à B. Bonaventura, qui anno 1274 mortuus est. Adjiciunt hasce Collationes non reperiri in editione Argentinensi Operum Bonaventuræ anni 1489; neque in MSS. codicibus Bibliothecarum, Vaticanæ, Sfortianæ, Columnensis, Oratorii Bononiensis, & Tolosanæ; Marianum Florentinum qui scribebat anno 1486, primum esse, qui eas inter Opera Bonaventuræ annumerarit, in Catalogo Operum hujus, sed magnâ incuriâ confecto; reperiri quidem in editione Operum Bonaventuræ Argentinæ facta anno 1495, sed in editione Romana curâ Zamoræ, inter ejus Opera locum habere tantùm, *quia in impressis hactenus Opusculis ferebantur*, non ex ullius manuscripti codicis fide: demum hasce Collationes Bonaventuræ ascriptas, quia ipse nonaginta & unam Collationes conscripserat, sed ab istis diversas.

Qui verò nihil his argumentis deterriti, Collationes istas Bonaventuræ esse pertinaciter contendunt, aiunt primò, post Wadingum Autorem istarum Collationum, ea quæ communia habet cum Ubertino, non esse ab isto mutuatum, sed è contra Ubertinum ab illo hæc excerpsisse: cùm autem nominatim appelletur Ubertinus in Collationibus, aiunt hujus nomen ab aliquo margini ascriptum, in textum irrepsisse: quod tamen verisimile non fit. Nam Autor Collationum consarcinator est, qui eas ex quatuor aut quinque Scriptorum centonibus confecit. Ad aliud ergo responsum confugiunt, & Ubertinum antiquiorem esse contendunt. Cùm enim scribat se habitum Monachalem recepisse à Joanne Parmensi, qui anno 1256 Generalis gradu dejectus est, necesse est dicere, Ubertinum ante annum 1273 Ordini Franciscanorum ascriptum fuisse, & longè ante hunc annum potuisse librum hunc conscribere, quem à Bonaventura citatum fuisse nihil vetat.

Joannem Parmensem anno quidem 1256 dejectum esse constat. At deinceps per triginta annos vixit in eremo Reatina, quò Ubertinus Casalis illum se invisisse scibit, nullâ factâ mentione habitus Monachalis ab eo recepti. Quidquid sit, cùm ingressus Ubertini Casalis in Religionem, tempusque conscripti libri ejus testimonio constet, inutile est ex conjecturis utrumque expiscari.

Quod spectat ad Marianum Florentinum, hunc circa annum 1400 floruisse ait Rodulphus Tossinianus: annum 1430 ipsi ascribit Pocciontius Historiæ Florentinæ Scriptor; ex quo sequitur, eum Thoma à Kempis antiquorem esse, & Collationes Bonaventuræ nomine ab ipso citatas, Thomâ quoque vetustiores: quod unum sufficit.

His opponitur Marcus Ulisipponensis, qui Marianum Florentinum nonnisi anno 1528 denatum fuisse scribit. Id quidem satis incertum est: nam hujus Autoris fides levis est. At certum est ex Mariani Chronico, eum vitam ad annum usque 1480 produxisse, quo anno eum mortuum fuisse tradit Servita, Autor Historiæ Florentinæ. Sed rursum instant: Si Marianus circa annum 1480 vidit MS. Codicem Collationum sub nomine Bonaventuræ, necesse est ut hujus Operis Autor antea vixerit: cùm autem is dum scriberet habuerit manuscriptum codicem anonymum

nymum libri *De Imitatione Christi*, in Italia; verisimile est librum hunc fuisse compositum antequam Thomas à Kempis illius Autor esse potuerit. Hoc negant ii qui librum à Thoma circa annum 1410 compositum esse contendunt: atque ita testimonium ex Collationibus Bonaventuræ ascriptis petitum, non est peremptorium.

Affirmant præterea D. Thomam de Aquino è quarto libro *De Imitatione Christi*, nonnulla in Officium Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti derivasse, quale est id quod habetur in Antiphona ad *Magnificat*, in Festo Corporis Christi. *O quàm suavis est Domine, Spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de cœlo præstito esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes*: quæ iisdem fermè verbis reperire est c. 13. libri 4. *De Imitatione Christi*, in hunc modum: *O quam suavis est Spiritus tuus Domine, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de cœlo descendente illos reficere dignaris.* At quo pacto, quæso, ostendi potest, hæc potius Aquinatem ab Autore libri *De Imitatione Christi* mutuatum esse, quàm Autorem hunc ex Officio Sanctissimi Sacramenti: cùm prætertim ille sæpe sæpius Officii Ecclesiastici sententias adhibeat, ut cap. 3 ejusdem libri: *O mira circa nos tua pietatis dignatio!* quæ ex Benedictione cerei Paschalis desumpta sunt: & cap. 55, Oratio excerpta ex Oratione Dominicæ decimæ sextæ post Pentecostem.

Allegatur hîc etiam Mathias Farinator: sed quid de hoc teste sentiendum jam dictum est: atque ita nihil est quod invictè demonstret, librum *De Imitatione Cristi* ab aliquo Scriptore laudatum fuisse, antequam Thomas à Kempis hujus Autor esse potuerit.

Unum superest Trithemii testimonium jam à nobis prolatum, qui de libro isto hæc ait: *Quem ante multos annos seniores nostri suos ferunt legisse seniores.* Hæc scribebat Trithemius anno 1495. Seniore hujus erant sexaginta aut septuaginta annorum. Hi Seniores viderant, cùm essent etiamnum juvenes, librum hunc in seniorum suorum manibus, qui à multis annis ipsum legebant: quæ res hujus Operis ætatem ad initium hujus sæculi revocat. Hinc etiam Trithemius Thomæ antiquori illum adjudicat, non illi qui ad suum usque tempus vixerat. Aiunt quidem, id quod scribit in hoc loco Trithemius de ætate libri *De Imitatione Christi*, verum esse posse; & nihilominus Thomæ nostro à Kempis ascribi, simodò Opus illud conscripserit, ut volunt, anno 1410, cùm Thomam illum antiquiorem, hoc tempore vetustiorem Trithemius non faciat. Hoc ergo unum inquirendum est, utrùm Thomas à Kempis anno 1410 Operis hujus Autor esse potuerit, quod à nobis posteà expendetur.

Videamus nunc utrùm sint aliqui manuscripti codices, sive anonymi, sive Scriptoris alicujus nomen præferentes, annum habentes ascriptum vel tacitum, quibus ostendi queat, librum *De Imitatione Christi* extitisse, antequam à Thoma conscribi potuerit. Antiquissimus omnium codicum MSS. libri *De Imitatione Cristi*, is sanè foret, qui Joannis Abbatis Vercellensis, qui ejus fertur Autor, manu scriptus dicitur, & asservatus in Abbatiâ hujus urbis, si verum esset id quod habetur in observatione scripta in exemplari editionis Venetæ anni 1501, ubi sub nomine Gersonii prostat, quæ observatio est hujusmodi, *Hunc librum non compilavit Joannes Gerson, sed D. Johannes. . . . . Abbas vercell. . . . ut habetur usque hodie, propriâ manu scriptum in eadem Abbatia.* At cùm ignoretur à quo & quando id in hoc exemplari annotatum fuerit, constetque hanc observationem anno 1501 posteriorem esse; necnon affirmet Naudæus scriptum id esse post litem ea de re motam, nec à Benedictinis prolatum fuerit istud exemplar anno 1671 aut 1674 quamvis præ manibus ipsum haberent; codicem cujus hîc fit mentio, silentio prætereundum existimo.

Aronensis codex, qui nomen refert Abbatis Gersen, necnon codex Monasterii S. Colombani de Bobio, anno 1687 ter centum annis vetustiores judicati ex caracteribus, hoc effato, *Scriptura non videtur inferior annis tercentis*: si ita est, ad finem decimi quarti sæculi pertinent; ac proinde liber *De Imitatione Christi* jam extabat, antequam quidquam Thomas à Kempis exarare potuerit.

Idem judicium tulit Sirmondus de MS. codice anonymo quem habebat, quique etiamnum asservatur in Bibliotheca Collegii Parisiensis PP. Societate Jesu. Naudæus longè recentiores judicavit: sed Sirmondo majorem hac in re fidem haberem, quàm Naudæo.

Allegatur etiam MS. codex anonymus Abbatiæ Grandimontensis, cum testimonio Petri Almaert Monachi & Bibliothecarii Monasterii S. Hadriani Grandimontensis coram Scriba publico, qui quidem Almaert testatur vidisse se & legisse in ultimo folio hujus manuscripti codicis, quod ab aliquot annis detractum est, hæc verba: *Hic liber conscriptus fuit à F. Ludovico de Monte, qui obiit ante annum millesimum quadringentesimum.* At cùm nesciatur à quo id fuerit annotatum, nec quo tempore, & aliunde contineat iste codex librum Thomæ à Kempis *De Disciplina Claustri*, frustra adduceretur ad ostendendum librum *de Imitatione Christi* Thomâ antiquiorem esse.

Codex MS. Monasterii S. Jacobi Leodiensis papyraceus, in quo quartus liber libri *De Imitatione Christi* extat sub titulo libri *De Sacramento Altaris*, sine Autoris nomine, in primo folio hæc habet: *Anno Domini* M CCCC. XVII. XV *die mensis Octobris, indutus fui habitum S. Benedicti in Monasterio ædificato in honore SS. Apostolorum Jacobi & Andreæ.* Haud necesse est hunc codicem ejusdem esse temporis ac Monachi hujus in Ordinem ingressus, cùm sæpe contingat, ut Monachi annum quô Monachalem habitum induti sunt inscribant in libris quos posterius habuerunt. Nihilominus satis verisimile est, haud multò post ingressum hujus hominis in Religionem, hæc ab eo scripta esse.

Primus codex qui certam præseferat epocham, is est qui citatur in Registro Monasterii Melicensis, scripto & confecto anno 1517. à Fratre Stephano Purckhardi, in quo mentio fit codicis MS. continentis Tractatum S. Augustini, *De visitatione ægrotorum*; primum *De Imitatione Christi* librum & *Contemplationem, Passionis*, scriptam à B. Bernardo, in cujus fine annotatio hæc habebatur: *Explicit Contemplatio B. Bernardi, De Passione Domini, finita anno* XXI, *in die S. Joannis Baptistæ.* Hic numerus XXI annum tantùm 1421 designare potest, cùm Registrum confectum sit anno 1517.

Objicietur fortassè, codicem *De Imitatione Christi* alterius fuisse manus & temporis, à codice libri *De Contemplatione*, S. Bernardi: at Registrum supponit, integrum codicem ejusdem fuis-

se & temporis & caracteris & voluminis; nec quidquam diversum, ab iis qui hunc codicem viderunt, observatum est.

Annus codicis Weingartensis certior videtur: nam MS. codex ipse profertur, in quo tres primi Operis *De Imitatione Christi* libri extant, & in fine tertii eadem manu scriptum est: *Explicit liber* Internæ consolationis, *finitus anno Domini* MCCCCXXXIII, *secundâ feriâ ante Festum Assumptionis B. Virginis Mariæ, per me fratrem Conradum Obersperg, tunc temporis Conventualem in Weingarten.* En manuscriptum codicem libri *De Imitatione Christi*, anni MCCCCXXXIII, qui autographum non est exemplar Thomæ à Kempis, quique nullum nomen Autoris habet ascriptum.

Alter codex Meliciensis hunc proximè sequitur, anni quippe est 1434, & continet *Enchiridion S. Augustini*; *Regulam*, quæ tribuitur Hieronymo; *De ratione vivendi in Monasterio*; librum *De Reformatione hominis*, in quatuor partes divisum, cujus liber primus est, *De Imitatione J. C. & De contemptu vanitatum mundi.* Quatuor *De Imitatione* libros sequuntur Tractatus quidam Gersonii, quorum ultimus est, *Viginti quinque Considerationes de modo audiendi Confessiones*, in quarum fine, pag. 120 ad marginem scriptum est, *Explicit die Kiliani* 34, quæ nota indigitat annum 1434, cùm hujus codicis mentio fiat in Registro anno 1517, uti observavimus, confecto.

Affirmat Mabillonius in *Itinere Italico*, vidisse se Patavii, in Bibliotheca Abbatiæ S. Justinæ manuscriptum codicem libri *De Imitatione Christi*, anni 1436, in quo vetus inscriptio erasa est, & in ejus locum hic titulus ascriptus, *Gersonii, aut Thomæ de Campis.* Non ergo vetus inscriptio nomen Thomæ præferebat: alioquin non esset erasa, ut recentiori manu nomen hoc ascriberetur.

Manuscriptus codex Monasterii S. Ulrici Augustani, qui primum *De Imitatione Christi* librum sine Scriptoris nomine continet, scriptus est anno 1437, tempore Concilii Basileensis, ut in fine observatur: *Et est finis hujus Tractatus scripti in Concilio Basileensi anno Domini* MCCCCXXXVII: *& sic cum Dei adjutorio finitus est iste Tractatus per me Georgium de Gottingen, tunc temporis Capellan. In Wiblingen.*

Codex MS. à Thoma de Kempis anno 1441 descriptus haberi potest pro anonymo, cùm ipse illi nomen ascripserit ut amanuensis, non ut Autor.

Anonymus quoque est codex Domus Carthusiensium S. Barbaræ Coloniensis anno 1447 scriptus, in quo primus liber *De Imitatione Christi* reperitur, nullo præfixo Autoris nomine. Observatur tantummodò in Indice, Tractatum, & sequentes (quorum Autor est Thomas à Kempis) esse *devoti cujusdam Regularis.*

Codex S. Martini Lovaniensis, in quo habetur tertius liber *De Imitatione Christi* scriptus anno 1449. & à PP. S. Genovefæ prolatus, anonymus item est.

Antiqua translatio Gallica librorum *De Imitatione*, anno 1447 à Monacho Marchiæ, ad usum Bernardi d'Annagnac aut d'Armagnac confecta, & typis mandata Rotomagi anno 1498, Autoris libri nomen prætermittit.

Alia translatio Gallica, cujus anno 1467 manuscriptus codex jam vetustus in armario Comitis Engolismensis repertus est, nomen Bernardi inscriptum habuit.

Extat in Bibliotheca Abbatiæ S. Germani à Pratis Parisiis, MS. codex quatuor librorum *De Imitatione Christi*, sub nomine Gersonii, qui annum 1460 habet ascriptum.

Extat manuscriptus codex ejusdem anni in Domo Carthusianorum Parcensi apud Cenomanos, in cujus fine hæc habentur: *Hic explicit liber Dei qui nuncupatur*, Qui sequitur me. *&c. & composuit quidam Religiosus Ordinis Carthusiensis, pro omnibus Presbyteris & Religiosis Deo devotis.*

Allatianus Codex, qui nomen Joannis de Cabanaco præfert, est anni 1463.

Saltzburgiensis ejusdem anni Gersonio istud Opus tribuit.

Citatur à Chiffletio Bruxellensis ejusdem anni, sed anonymus.

Parmensis qui nomen habet Gersenii initio quarti libri prefixum, continet præter quatuor libros *De Imitatione Christi*, Regulam S. Benedicti eadem manu scriptam, in cujus fine scriptum est: *Die* VIII. Aug. MCCCCLXVI.

Citatur alius codex, anno 1468 Olevetani Ordinis Monacho à Visitatore traditus, quem P. Delfau in musæo D. de S. Hilaire invenerat.

Slusianus & Padolyronensis, qui nomen Gersenii habent, circa idem tempus scripti sunt, cùm ducentorum annorum esse judicati fuerint annis 1671. & 1674.

Codex S Petri Dalhemensis anni 1470 anonymus fuit cùm primùm scriptus est, & recentiori tantùm manu observatio adjecta, hunc librum esse Thomæ à Kempis.

Primus codex qui Thomæ Kempensi hoc Opus tribuat ut Autori, is est quem citat Rosweidus, operâ Offermans conscriptus.

Alter est MS. codex Jacobi Leydensis, qui epocham habet ascriptam annum 1482.

Tertius est manuscriptus codex Bibliothecæ Augustanæ, qui dictus est anni 1440, sed qui certâ temporis notâ caret; ut & Rebdorfensis & Lappianus; quibus adjungere oportet Collectiones & Catalogos de quibus supra.

Codex MS. Bibliothecæ San-Genovefianæ, in quo tribuitur liber *De Imitatione Christi* B. Bernardo, caret quoque temporis nota; sed ducentorum, ad minus, videtur esse annorum.

Lechasserii codex, cujus mentionem fecit Launoius, in quo quatuor libri *De Imitatione Christi*, sub nomine Gersonii habentur, ante annum 1497 scriptus est: nam Jacobus Lupus hujus Scriptor, Baccalaureus ibi dicitur, qui anno 1497 Licentiatus fuit, & obiit anno 1498.

Hæc est omnium ferè manuscriptorum codicum Operis *De Imitatione Christi*, quorum notitia quædam ad nos pervenerit, enumeratio, ex qua hæc colligi possunt.

1. Codices esse hujus Operis, aut saltem partis ejus aut anonymos, aut sub nomine Joannis Gersen, quos periti in hac arte judicant esse scriptos circa finem decimi quarti sæculi, aut initio decimi quinti.

2. Extare MSS. codices annorum 1421. 1433. 1434. 1436. 1437, qui aut anonymi sunt, aut aliud nomen à Thomæ nomine præferunt: imò nullum esse ab anno 1420 usque ad annum 1440, qui hujus nomen habeat; cui hoc adjungendum, nullum ex his codicibus autographum esse Autoris, sed exemplaria ab amanuensibus ex vetustioribus codicibus descripta.

3. Codicem anni 1441 Thomæ à Kempis manu scriptum, non perhibere ipsum Autorem libri, sed Scriptorem codicis.

4. Ad

4. Ab anno 1441 ad finem sæculi, plures esse MSS. codices in quibus istud Opus tribuitur aut Gerseni, aut Gersonio, aut Bernardo, aut Ludolpho Carthusiano.

5. Nullum esse codicem, vivente Thoma, hoc est, usque ad annum 1471 scriptum, qui ipsius velut Autoris nomen habeat.

6. Post hujus mortem, nomen ejus in MSS. codd. & editionibus, usque ad finem sæculi præferri, sed esse quosdam codices & editiones nonnullas, in quibus Bernardo, Gersonio aut Gersenio tribuitur.

Thomæ à Kempis Patroni ad ista reponunt: Omnes hos codices non obstare quominùs dicatur hujus libri Autor; quia scilicet omnes qui certam habent ætatem, posteriores sunt anno 1410, quò istud Opus à Thoma de Kempis conscriptum dicunt, nec aliis qui anno carent, affirmari posse vetustiores. Quantùm ad hos, respondetur aliquos esse, ut Aronensem & Bobiensem, qui anno 1410 visi sunt vetustiores viris in hac arte peritissimis: quantùm autem ad illos qui annum habent ascriptum; quamvis anno 1410 (quô placuit iis que Thomam Autorem hujus libri faciunt, quamvis absque autoritate, hujus compositionem ei ascribere) posteriores sint; nihilominus ex his verisimiliter colligi posse, librum hunc ante istunc annum esse compositum. Cùm enim hi codices ex aliis codicibus transscripti fuerint, & in locis à Thomæ sede valdè dissitis, putà in Italia, inveniantur, vix credi potest tam recens fuisse hoc Opus.

Præterea negatur fieri potuisse, ut Thomas de Kempis anno 1410 hunc librum componeret. Thomas anno 1399 scholasticus erat Daventriensis: sub finem anni Monasterium S. Agnetis ingressus est: nonnisi anno 1406 Professionem in eo emisit. *In eo Monasterio*, ut ipse ait in Vita Arnulphi de Schoenhavia, *didicit scribere, & Sacram Scripturam legere, & quæ ad mores spectant, devotosque Tractatus audire*: initio magnam passus est inediam, multùmque laboravit; dein libros conscribere cœpit, *pro Domo & pro pretio*, verba sunt continuatoris Chronici Monasterii S. Agnetis. Missalis & Officii exemplaria anno 1414 ad umbilicum deduxit. Bibliorum libros anno 1439 perfecit. Nonnisi anno 1423 ad Presbyterii Ordinem promotus est. Ex his facile est intelligere, verisimile admodùm, Thomam anno 1410 componendo *De Imitatione Christi* Operi parem non fuisse. Erat tum admodùm juvenis, parum versatus in studiis, nec magnos in vita spirituali progressus fecerat, necdum Presbyter erat ordinatus. At Opus *De Imitatione Christi*, Religiosi est veteris & perfecti, qui diù multùmque ea quæ docet, opere ipso complevit, multùmque in spirituali vita profecit, qui Sacras Litteras & libros Spirituales versavit & assiduè meditatus est, quique Presbyter jam erat. Hic sanè cœteris Thomæ Operibus, nemine contradicente, & sublimior & excellentior est. Quis ergo in animum inducet, hoc ejus esse tyrocinium, ac unum è primis Operibus. Nescio an cuiquam id verisimile fieri possit.

Adducit præterea Launoïus aliud argumentum petitum ex eo quo Monachos sui temporis laudat Scriptor Operis *De Imitatione Christi*, libri primi capite ultimo; quæ laus haud convenit Monachis qui initio sæculi decimi quinti vivebant, quorum vitia describit Nicolaus Clamingius.

Respondet Fronto, fuisse nihilominus tum temporis multos Monachos vitæ integerrimæ; Cistercienses Regulæ suæ observantissimos; Benedictinorum, tempore Concilii Basileensis, reformationem factam; Dominicanos circa annum 1400 ad meliorem frugem rediisse; Minoritas anno 1411: cœterùm circa annum 1350, quô supponit Launoïus Autorem librorum *De Imitatione Christi* vixisse, non minùs depravatos fuisse Monachorum mores, quàm initio sæculi decimi quinti, ut ex illius temporis Scriptoribus liquet; Clamingium in Monachorum vitiis describendis nimium fuisse.

Fatendum est Launoïi argumentum haud magni esse ponderis, cùm Autor libri *De Imitatione Christi*, de Monachis in genere nihil dicat, sed tantùm multos laudet privatos, qui religiosè omnino vivebant, quales tum temporis fuisse certum est; ac inter alios, Carthusienses & Cistercienses, quos hic Autor in exemplum affert, aliosque hujusmodi. Nec verò dissimulat idem Autor quorumdam Monachorum vitia l. 1. c. 18. n. 5. *Jam magnus putatur si quis transgressus non fuerit.* ibid. c. 3. n. 5. *O si tantam adhiberent diligentiam ad extirpanda vitia, & virtutes inserendas, sicuti ad movendas quæstiones; non fierent tanta mala & scandala in populo, nec tanta dissolutio in Cœnobiis.*

Verùm aliud argumentum adversùs Thomam Kempensem, saltem in speciem validius, afferri potest, quod hujusmodi est. Scriptor hujus Operis Monachum se profitetur, *lib.* 3. *c.* 10. *n.* 2. „ Fecisti ultra omnem spem misericordiam cum servo tuo: & ultra omne meritum gratiam & „ amicitiam exhibuisti. Quid retribuam tibi pro gratia ista, non enim omnibus datum est, ut „ omnibus abdicatis sæculo renuntient, & Monasticam vitam assumant. Et *cap.* 56. *n.* 4. Sus„ cepi, suscepi de manu tua crucem, portabo & portabo eam usque ad mortem sicut imposuis„ ti mihi. Verè vita boni Monachi crux est & dux Paradysi. Et *l.* 1. *c. ult. num.* 8. Quomodo fa„ ciunt tam multi alii Religiosi, qui satis arctati sunt sub disciplina Claustrali? rarò exeunt, „ abstractè vivunt, pauperrimè comedunt, grossissimè vestiuntur, multùm laborant &c. „ Hæc Monachis propria sunt, nec Canonicis Regularibus ascribi posse videntur Cùm igitur Autor Operis se Religiosis illis annumeret cùm ait; *tam multi alii Religiosi*, verisimile est eum pariter Monachum fuisse. Denique Regulam S. Benedicti sæpe commendat, & Benedictinos ac Monachos exemplo sibi proponit: de Regula S. Augustini ne verbum quidem habet, nec Canonicorum Regularium mentionem facit, quos in suis Operibus vix unquam illaudatos prætererit Thomas Kempensis.

Ad istud argumentum respondetur; nomen Monachi Canonicis Regularibus & Monachis commune fuisse, ut observat Mauburnus, in libro qui *Venatorium* inscribitur: *Nam*, inquit, *& generali compellatione Canonici Clerici Monachorum nomine compellantur, ut Juristæ notant.* Nec quidquam familiarius est in Operibus Thomæ Kempensis, quàm Monachorum nomine Fratres suos designare. *Part.* 1. *Serm.* 1. n. 6. „ Cœnobium Monachorum, est sicut salsum mare. *Part* 2. *Serm.* „ 4. *n.* 3. O Frater Monache, qui sanctitatis speciem geris habitu & nomine. *Eodem in Ser-* „ *mone. n.* 7. Beatus Monachus desolatus, cui mundus exilium, cœlum patria, cella Paradisus. *Sermo* 5. *n.* 6. Onus quippe Ordinis, diurnum & nocturnum Officium collo Monachi „ impositum. *Part.* 3. *Serm.* 1. *n.* 12. Hæc est via sanctæ crucis; hæc doctrina nostri Salvato-

„ ris; hæc sapientia Sanctorum; hæc Regula Monachorum. *Ibid.* O Religiose Monache & sectator arctioris vitæ, noli ab assumpta cruce in Ordinem recedere, sed sustine & porta crucem „ usque ad mortem. „ Qui locus omnino similis est ei qui objicitur; Opusc. II. c. 1. *Monache ad quid venisti? quare mundum reliquisti?* Quibus verbis Fratres suos Canonicos Regulares compellat, quos proinde Monachos appellat. Ad eorum quoque usum composuit Opuscula eodem nomine inscripta; qualia sunt *Breviarium Monachi*. *De vita boni Monachi*; ut de *Alphabeto Monachi* nihil dicam, quod quidam Bonaventuræ tribuunt. Sunt & Opera in quibus Thomas Canonicorum Regularium nullam mentionem facit: ut in Opusculo sexto, *De disciplina Claustri.* c. 3. n. 3. „ Rete suum (*diabolus*) per totum mundum subtiliter texit, ac latissimè expandit; Monachos & Moniales, subditos & Prælatos, Solitarios & Officiales circumdat & „ tentat. *c.* 4. *n.* 3. Fortissimum vincendi genus est, semetipsum perfectè vincere, & abnegare, propter obedientiam, quæ Monachorum est laus maxima, & omnium Religiosorum corona pulcherrima. *cap.* 6. *n.* 4. Accipe ergo exemplum bona operandi à Christo Jesu, à S. „ Paulo, à S. Antonio, à S. Augustino, à S. Hieronymo, à S. Benedicto, à S. Francisco, à „ S. Dominico, & ab omnibus Patribus qui Regulas Monachorum scripserunt. „ Ita quamvis Autor libri *De Imitatione Christi*, sese Monachis accenseat; inde non sequitur, eum Canonicum Regularem non fuisse, multò minus Benedictinum hunc esse. Hæc tum in gratiam Thomæ à Kempis, tum adversùs eum dicta sunt: nunc ea quæ ad Gersonium pertinent recensere oportet.

§. 8.

Manuscriptorum Codicum Libri De Imitatione Christi, *qui nomen Gersonii Cancellarii Universitatis Parisiensis præferunt, enumeratio.*

NEgari non potest, quin sub finem sæculi decimi quinti, in Gallia & Italia vulgatior de Autore Operis *De Imitatione Christi* opinio hæc fuerit, id esse Gersonii. Non tamen eadem curâ undique conquisiti sunt codices manuscripti, qui nomen ejus habent ascriptum, quàm ii qui vel Thomæ, vel Gersonii nomina præseferunt: quia caruit Congregationis cujusdam studio & operâ, quæ aliis minimè defuêre. At certum est pluribus librorum *De Imitatione* codicibus manuscriptis nomen Gersonii inscriptum fuisse.

Extat insignis codex membranaceus in Bibliotheca Monasterii S. Germani à Pratis, qui ascriptum habet annum 1460 cujus initio hæc habentur: *Incipit Libellus devotus & utilis Magistri Joannis Gerson* De Imitatione Christi, & contemptu omnium vanitatum mundi. Et in fine quarti libri ista: *Explicit liber quartus & ultimus* De Sacramento Altaris, *anno Domini* 1460, 13 *Kalend. Septembris.*

Manuscriptus codex Saltzburgensis papyraceus anni 1463 continet multos Tractatus; & in Elencho liber *De Imitatione Christi*, ita indigitatur: *De Imitatione Christi. Joh. Gers.* quod Gersonium indicat: nam Gersen in Germania ignotus fuit; præterquam quòd nomen notum & celebre, quale est Gersonii, ita solet abbreviari, non autem obscurum, quale est Gersenii. In fine codicis scriptum est. *Explicit liber* Internæ conversationis *per Fratrem Benedictum, die Sabbati ante Festum omnium Sanctorum, anno* MCCCCLXIII *& scriptus Saltzburg Monasterii S. Petri.*

Est & alius codex MS. qui fuit Lechasserii, nomen & dignitatem Gersonii referens. Hunc ita depingit Launoïus: Codex ille MS. membranaceus est, continet quatuor libros *De Imitatione Christi*, quos sequitur Tractatus Joannis Gersonii *De meditatione cordis*: & post hunc, Isidori Hispalensis *Synonima*. In primo folio verso cernere est Gersonii scribentis effigiem, Doctorali habitu; & paginâ sequenti, legere hæc verba; *Incipit liber primus Johannis Gerson Cancellarii Parisiensis* De Imitatione Christi, & De contemptu omnium vanitatum mundi. *cap.* 1. *Qui sequitur me* &c. Et in fine libri quarti: *Liber Magistri Johannis Gerson Cancellarii Parisiensis*, De Imitatione Christi, *unà cum* Meditatione cordis, *unicuique Religioso & D voto necessarius, finit.* Ac in fine voluminis: *Expliciunt* Synonima *Isidori Hispalensis Episcopi* De homine & ratione, *emendata, & summâ cum diligentiâ castigata, per Magistrum Jacobum Lupi Sacræ Theologiæ Baccalaureum Formatum benè meritum.* Jacobus Lupi Facultatis Theologiæ Parisiensis Licentiatus factus est anno 1497, 13 die Januarii; diemque obiit mense Martio anni 1498. Hîc autem Baccalaurei tantùm Formati nomine donatur; quô demonstratur codicem vetustiorem esse anno 1497, quo Licentiæ gradum adeptus est.

Qui Thomam à Kempis librorum *De Imitatione Christi* Autorem faciunt, nullum codicem antiquiorem Gersonio possunt objicere. At qui Gersenio Abbati illud Opus adjudicant, quosdam proferunt codices quos Gersonio antiquiores esse contendunt, sive anonymos, sive Joannis Gersen, aut Gesen nomen habentes, cui in Aronensi codice Abbatis dignitas adjungitur, quæ Gersonio minimè convenit.

At qui stant pro Gersonio, reponere possunt, nullum esse codicem MS. de quo constet, eum esse Gersonio antiquiorem: nomen autem Gersenii quod in quibusdam reperitur, corruptum esse Gersonii nomen.

Alii è contra contendunt, affinitatem nominis *Joannis Gersenii*, qui genuinus est hujus Operis Autor, cum *Joannis Gersonii* nomine, ansam dedisse, ut opus istud Gersonio tribueretur. Quæ quidem controversia dirimi non potest, nisi in mss. codices qui Gersenii nomen ferunt inquisitio fiat, quod à nobis posteà præstabitur.

§ 9.

§. 9.

Editionum Libri De Imitatione Christi *sub nomine Gersonii enumeratio.*

QUin alii plures MSS. codices libri *De Imitatione Christi*, sub Gersonii nomine extent, nullus dubito: qui quidem invenirentur, si eadem cura, eædemque vigiliæ adhiberentur ad eos conquirendos, quæ adhibitæ sunt ad conquirendos eos qui Gersenii vel Thomæ nomen habent. Sed sive reperiri queant, sive non; certum semper est, multos hujus nomine inscriptos olim fuisse, cùm primæ editiones hujus Operis, quæ sive in Italia, sive in Gallia prodierunt, illud præferrent.

Brixiensis editio anni 1485 S. Bernardi nomen habet: verùm in ea observatur, priùs hocce Opus Gersonio ascriptum fuisse; his verbis: *Incipit Opus B. Bernardi saluberrimum* De Imitatione Christi, & contemptu omnium vanitatum mundi, *quod Joanni Gersoni Cancellario Parisiensi attribuitur.* Ergo ante annum 1485 ex vulgatiori opinione hoc Opus Gersonio tribuebatur.

Extat editio antiquissima, sine loci aut anni designatione, & alia Parisiensis Marnesiana, sine anni pariter nota, quas mortem Thomæ à Kempis præcessisse nihil vetat.

Editiones Venetæ annorum 1486 1488 & 1501; necnon Mediolanensis anni 1488; Parisienses item anni 1489 apud Higmanum, annorum 1491 & 1492 ex Pygoucheti officina, anni 1500 apud Parvum Latinè & Gallicè, è Nigriana officina, sub nomine Gersonis prodierunt.

In editione Gallica anni 1493 observatur, utì diximus, hunc librum vulgò ascriptum fuisse Bernardo vel Gersonio. Nec is hac possessione depulsus est sæculo sequenti, quod plures editiones libri *De Imitatione Christi* tulit, ut Parisienses anni 1513 apud Thomam Rees; annorum 1515 & 1517 apud Joannem Parvum; & translationem Gallicam anni 1515; Venetam item editionem anni 1518 apud Aribavirium; Viennensem anni 1561; Lugdunensem anni 1567 & 1608; Romanam anni 1583 & alias.

His editionibus opponuntur 1. aliæ editiones æquè antiquæ, sub nomine D. Bernardi & Thomæ à Kempis. 2. Catalogus Operum Gersonii, à fratre conscriptus, in epistola scripta anno 1423, in quo libri *De Imitatione Christi* nulla mentio; non secùs ac in Catalogo eorumdem Operum, quem Caresius anno 1429. confecit. 3. Editiones Operum Gersonii, è quibus expunctus est liber *De Imitatione Christi*, qui credebatur esse Thomæ à Kempis, juxta observationem Petri Schotti, in editione Operum Gersonii Argentinensi anni 1488. Non habetur item inter Opera Joannis Gersonii, in editionibus Coloniensi anni 1483; Argentinensibus annorum 1494 & 1514; Basileensi anni 1489 & 1518; & Parisiensibus annorum 1521 & 1606.

Potest quidem his de causis elevari autoritas editionum, quæ pro Gersonio allegantur: at his non ostenditur librum *De Imitatione Christi* Gersonii non esse: nec enim allegati Catalogi omnia Gersonii Opera continent, non secùs ac editio anni 1483. Et quod spectat ad editionem Schotti, & sequentes quæ ex ista derivarunt; cùm in Germania prodierint, in qua liber *De Imitatione Christi* Thomæ à Kempis esse putabatur, haud mirum si Schottus aliique post ipsum, Gersonii Operum Editores, vulgatiorem suæ Gentis opinionem sequuti, librum *De Imitatione Christi* ex eorum numero expunxerint.

§ 10.

Argumenta quibus ostenditur Librum De Imitatione Christi, *Joanni Gersonio tanquam Autori verisimiliter ascribi.*

NEc desunt conjecturæ & argumenta, quibus liber *De Imitatione Christi* Gersonio tribuatur. Et quidem hoc primum observare est, verisimile admodùm esse, hujus Operis Autorem neque in Germania ubi regnat Imperator, nec in Italia, aut Longobardia scripsisse; sed in Regione quæ Regi parebat. Nam lib. 1. c. 22. n. 1. hoc habet. *Nemo sine tribulatione aliqua, quamvis sit Rex vel Papa.* Si in Germania scripsisset, pronum fuisset ipsi dicere, *quamvis sit Imperator vel Papa*: & si in Italia aut in Longobardia: *quamvis sit Papa*, aut *quamvis Magnus Dux sit aut Papa.* Ex quo conjicere est hunc vixisse sub Regis dominatione, quod Gersonio convenit.

2. Verisimile quoque esse, Autorem hujus libri in Universitate aliqua educatum fuisse, & Doctoribus ac Canonicis sui temporis notum & amicum; ut indicant plures ejus sententiæ. l. 1. c. 3. n 5. *Dic mihi ubi sunt modò omnes illi Domini & Magistri quos bene novisti dum adhuc viverent, & in Studiis florerent? Jam eorum Prebendas alii possident.* Non dicit, *ubi sunt omnes Abbates, Priores, Religiosi?* ast ait: *ubi sunt modò omnes illi Domini & Magistri?* Non dicit, *jam eorum Abbatias, Prioratus alii possident*: at; *jam eorum Prebendas alii possident.* Non hoc dicit tantùm, *qui fuerunt ante te:* ast ait: *quos bene novisti cùm adhuc viverent & in Studiis florerent.* Sæpe sæpiùs similibus utitur loquendi formulis, quæ hominem in Scholis versatum redolent. l. 3 c. 43 n. 2. *Veniet tempus quando adveniet Magister Magistrorum Christus.* Non dicit *Abbas Abbatum* l. 1. c. 3 n. 2. *Taceant Doctores.* De Scholarum disputationibus non semel loquitur. Ibidem. *Quid cura nobis de generibus & speciebus?* Et n 3. *Quid prodest tibi alta de Trinitate disputare?* Sic loquitur ut solent homines, quibus incumbebat legere & audire. ibid n. 2, *Tædet me sæpe multa legere & audire.* Qua ratione studiis utendum sit docet ibid. c. 2. n. 3. *Noli ergo extolli de ulla arte, sed potiùs time de data tibi notitia.* cap. 7 n. 1. *Non confidas in tua scientia.* l. 3 c. 43 n. 1. *Nunquam ad hoc legas verbum, ut doctior aut sapientior possis videri.*

3. Observandum etiam venit, Gersonio quinque fratres & septem sorores fuisse; patrem ac matrem ejus religiosè vixisse; tres è suis fratribus Monasticam vitam amplexos; unum è fratribus & unam è sororibus in pueritia decessisse; ex superstitibus sororibus unam tantùm nuptam, ut ipse ait in Epigrammate quod scripsit anno 1428, quo tempore Paulina soror & Nicolaus frater obierant; ibidem ait se oriundum è vico Gerson, *Gerson origo fuit*. Hæc autem omnia apprimè conveniunt iis quæ habentur in 4 l. *De Imitatione Christi*. c. 9 n. 5. *Offero tibi omnia pia desideria Devotorum, necessitates parentum, amicorum, fratrum, sororum, omniumque carorum meorum*. Si de se loquatur Scriptor, nulli meliùs quam Gersonio hæc adaptari possunt: per necessitates enim parentum, possunt intelligi Suffragia vivorum quæ mortui expetebant. Verùm à Thoma Kempensi qui unum tantùm fratrem habuit, dici nequibant, saltem in propria persona.

4. Sententiæ & doctrina Autoris librorum *De Imitatione Christi*, similes planè sunt iis quæ occurrunt in Operibus piis Gersonii. Autor contemptum vanæ scientiæ commendat in toto libro primo; præcipuè verò capitibus 2 & 3: & de Beneficiis Ecclesiasticis loquens l. 3. c. 3. n. 2. *Pro modicâ* inquit, *Prabenda, longa via curritur*. At Gersonius Doctor, qui diu floruerat in Universitate Parisiensi, cujus Cancellarius erat, eodem modo loquitur in epistola, *De conversione & perseverantia in bono proposito*. „ Recogita ubinam sunt tecum studentes; ubi illi familiares socii cum quibus vivere & sapere dulce erat. . . . . quàm multi jam obierunt: quàm „ multi jam vagi in sæculo remanserunt . . . . audisti alios Romam pergere, & pro Beneficiis laborare; alios Parisiis residere & ad Magisterium tendere. “

Illud autem peculiari animadversione dignum est, quòd Gersonius scribens ad fratrem Nicolàum, gratulaturus illi quòd Monasticam vitam esset amplexus, ait, salvum eum vix esse potuisse, si in sæculo remansisset, & Licentiam aut Magisterium in Artibus adeptus fuisset: „ Ille, „ *inquit*, qui à puero misertus est tibi, dans tibi cor pium & timoratum, & super afflictos compatientem, superaddidit misericordiam, ut te repelleret à sæculo nequam, in quo „ jam demergendus penè fueras irrevocabiliter, si Licentiam aut Magisterium in Artibus adeptus fuisses.“ Et proprias conjecturas ex aliis accipe. Annon ergo fieri potest, ut in gratiam hujus fratris ea scripserit, quæ habentur in primo libro *De Imitatione Christi*. Hic ille est quem matris suæ votis à Deo datum refert. „ Denique, *inquit*, noli oblivisci „ misericordiam Domini in progenitoribus tuis, in matre præsertim, quæ ineffabilibus votis, „ etiam ante tui conceptum, te talem aliquem à Domino quæsivit, velut Anna altera Samuelem. Deinde natum & adultum, jugibus ferè lachrymis in hoc statu, sicut piè sentio, progenuit. Meministi, ut opinor, litterarum quæ super hoc præbent indicium, & quæ alteram „ Augustini matrem repræsentant eam erga te. Reddes ei vicem orationum tuarum, & in te uno „ nos omnes erga Deum intercessorem habebimus. Ad hunc etiam scribit in hunc modum „ Omnis homo qualis interiùs est, talis ei exterior adversitas erit. . . . Non est magna patientia, quam parva res perturbat. . . . tu ergo esto libenter reus, ut fias ante Deum innocens: „ tu, primò à te ipso incipe, & sic poteris alium sanare. Audeas tamen qui zelum videris habere adversùs aliorum defectus. . . . quia rectè & prudenter ageres, si zelum tuum etiam „ contra commotionem tuam exerceres. . . . quid enim mihi prodest, si aliquem verbis meis „ sanavero, & in propriis meis passionibus mansero? “ Quæ similia sunt iis quæ habentur l. 2. *De Imitatione Christi* c. 3 n. 1. „ Tene te primò in pace, & tunc poteris alios pacificare. . . . „ habe primò zelum super te ipsum, & tunc justè zelare poteris etiam proximum tuum. “ Ad hunc dixit: „ Impedit nos valdè quòd non audemus violentiam inferre naturæ. . . . Hodiè aliquid inchoare, & cras modicum addere, perficit hominem virtuosum. “ Quibus geminum „ est id quod habetur l 1. *De Imitatione Christi*. c. 11. n. 5. „ Si omni anno unum vitium „ extirparemus, citò viri perfecti efficeremur. . . . si modicam violentiam faceremus in principio, tunc posteà cuncta possemus facere cum levitate & gaudio.“ Hunc etiam alloquitur cùm dicit: “ O quantos labores faciunt homines pro terrenis lucrandis, & nos pro æternis bonis marcescimus. “ Cui consonum est id quod legitur l. 3. *De Imitatione Christi c.* 3 *n.* 2. „ Pro modica „ Præbenda longa via curritur, pro æterna vita à multis vix pes semel à terra levatur. “ Ad hunc cit: „ Considera teipsum, quod quæris in operibus tuis, quod diligis, & quod non diligis: „ secundùm desideria sua fit homo stabilis, aut vagus; qui multùm concupiscit, & multa habere vult, quomodo in se manebit? Dispergitur in omnem ventum cœli, & capitur laqueo „ desiderii terreni. Parva res est sæpe, propter quam adipiscendam generatur homini perplexitas magna: sed qui omnia à se expellit, permittens unum quodque stare sicut venit, bene „ in pace erit. . . . ô quanta adhuc discere habet, qui non videt quantùm adhuc illi deficit, „ & ô quàm longè stat. “ Hunc item sic alloquitur: „ Suscipiamus, carissime, de manu Dei quidquid voluerit super nos venire Deus: nihil enim sine certa & justa causa agitur in terris: & „ ideo nos Deo oportet subjicere cor nostrum & sensum nostrum, ut respiciens humilitatem & „ patientiam nostram, benè disponat desiderium nostrum &c. Ad hunc etiam dicit; Philosophis ignotam fuisse veritatem, sed Christum cùm venit, dixisse; *Qui sequitur me non ambulat in tenebris*, quæ prima est, uti sciunt omnes, libri *De Imitatione Christi* sententia. Hunc item ita exhortatur ad crucem: „ Via crucis via nostra; via electorum via paucorum. . . . Frangere „ propriam voluntatem crux est. . . Memento quantùm Sancti pro vita æterna laboraverunt, „ in qua nunc cum Christo sine fine regnantes gaudent. . . . quanto in inferiori, & humiliori statu cor fuerit, tantò veriùs sæpe bona agit, & faciliùs habita custodit; si alii præcedunt „ nos, quid ad nos? sequamur Jesum humilitate & simplicitate, & non curemus humanam „ vanitatem. . . . Quæ major gloria, quàm cum Christo gloriari in cruce? Quæ major consolatio cordis, quàm portare viventem imaginem Crucifixi? “ Fratrem quoque affatur cùm ait. „ Quàm multi divites, nobiles & potentes; quàm multi sapientes, litterati & famosi adolescentes in hoc sæculo miserabiliter fluctuant, & abjicere jugum diaboli à suis cervicibus non „ prævalent, nec illo spiritu adhuc moventur ut sæculo renuntient! O vanitas vanitatum, mundum diligere, & quæ Dei sunt minùs curare! Venit tempus, veniet citò tempus, quò omnes sæculares & carnales voluptates finem habebunt. Ad hunc denique dicit, „ Denique fra-

„ ter

„ ter cariſſime, noli in vanum gratiam accipere, quæ data eſt in te: audiſti cariſſime, quo-„ modo teipſum debes vincere. “ Quæ dicta, quæ ſententiæ omnino ſimiles ſunt iis quæ paſſim occurunt in libro *De Imitatione Chriſti.*

5. Stylus Piorum Operum Gerſonii, non ita diverſus eſt à ſtylo librorum *De Imitatione Chriſti*, ac plerique exiſtimant. In libris Dogmaticis auſterior eſt quidem & durior: at in Piis & Spiritualibus lenior eſt, &, ſi ita loqui fas eſt, habilior, & ſtylum habet librorum *De Imitatione Chriſti* ſtylo ſatis ſimilem.

6. Gerſonius Opus *De Imitatione Chriſti* nullibi laudat. Cœleſtinos hortatur ad libros pios legendos, in epiſtola ad eorum Provincialem ſcripta. Commendat Opera Bernardi & Bonaventuræ. Libros à Monacho legendos indicat in epiſtola ad Recluſum in monte S. Valeriani; liber *De Imitatione Chriſti* inter hos principem facilè tenet locum, nec Gerſonius ipſum prætermiſſurus fuiſſet; at nullibi ejus meminit. Et tamen in Gerſonii Operibus ſententiæ & dictiones plane ſimiles occurrunt iis, quæ in hoc libro paſſim habentur. Legatur Gerſonii epiſtola, *Ad Recluſum in monte S. Valeriani.* Epiſtola, *Ad fratrem Nicolaum.* Liber *De mendicitate ſpirituali.* Tractatus *De Conſiderationibus quas debet habere Princeps*; & alia Opera Spiritualia: & quantùm inter hæc Opuſcula, & libros *De Imitatione Chriſti* ſimilitudinis ſit, intelligetur. Ex his conjicere eſt Autorem libri *De Imitatione Chriſti*, non eſſe Gerſonio antiquiorem; & hunc ipſum Gerſonium, aut alium qui ejus Opera legerit, hujus libri Scriptorem fuiſſe.

§. 11.

Argumenta quibus oſtendi videtur Librum De Imitatione Chriſti *non eſſe Gerſonii.*

DUo tantùm argumenta proferuntur, ut Opus *De Imitatione Chriſti* Gerſonio abjudicetur; Autoris ſcilicet, qui ſe Monachum, ut obſervavimus, fuiſſe indicat, vitæ genus; & ſtyli diſcrimen.

Prima ratio peremptoria videtur adverſus Gerſonium: nihilominus dici poſſet eum loqui in perſona eorum ad quos ſcribebat; & ſic ipſe Gerſonius in Tractatu in hæc verba: *Venite ad me omnes*, hæc ait, *Si ſemel nos jugo ejus aſtrinxerimus, non liceat nobis de Monaſterio egredi & collum excutere de ſub jugo Regulæ. . . . propter quod natus eſt Benedictus Legiſlator noſter.* Et in Opuſculo *De ſolitudine Eccleſiaſticorum*, ait: *Hoc jubet ſupremus Abbas noſter Jeſus Chriſtus.* Necnon in epiſtola *Pro confortatione cujuſdam tentati*, hæc habet: *Vita Clericorum, Monachorum, & omnium Religioſorum in cruce* &c. *ſi aliam vitam quærimus, erramus.*

Præterea obſervandum eſt 1. Gerſonium decem annis ante mortem ſolitariam vitam egiſſe Lugduni, ubi anno 1429 mortuus, & quò conceſſerat quatuor annis ante annum 1423 ut colligitur ex epiſtola fratris Joannis Cœleſtini, ad fratrem Anſelmum, hoc anno ſcripta. Ibi tam altâ animi pace fruebatur, ut dicat, nunquam ſibi mentem aut præſentiorem, aut acriorem fuiſſe. Advertit etiam, non niſi ægrè tum cogi potuiſſe, ut nonnulla Opuſcula ſuo nomine ederet, iis exceptis, quæ Doctoris aut Cancellarii Munus attinebant; multaque neglexiſſe, quorum aliqua amiſſa erant, ut liber *De Nuptiis ſapientiæ*; quod in cauſa eſt, ut libros omnes ſuos enumerare nequeat. 2. Obſervandum eſt Gerſonium rogatum fuiſſe à Cœleſtinis, ut aliquid ſcriberet in hæc verba: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemet ipſum & tollat crucem ſuam & ſequatur me.* Cujus rei ipſe teſtis eſt in epiſtola.

Ait etiam frater ejus Joannes, à Cœleſtinis rogatum, ut aliquid ad eos ſcriberet, quô ad pietatem informarentur. In eorum gratiam ſcripſit Opuſculum in hæc verba: *Venite ad me omnes qui oneratí eſtis*: quibus incipit quartus liber *De Imitatione Chriſti.* Alios etiam Tractatus in eorum gratiam compoſuit. Quidni fieri poſſet, ut in eo ſeceſſu totus in conſiderandis placitis quibus à ſæculo pii avocantur, intentus, ex iis librum *De Imitatione Chriſti* ſub finem vitæ compoſuerit?

Hæc quidem adduci queunt, ut oſtendatur nihil repugnare, quominus Gerſonius librorum *De Imitatione* Autor habeatur, quamvis ejus Scriptor de ſe ut de Monacho loquatur.

Quantùm ad ſtyli deverſitatem: verum quidem eſt Gerſonii ſtylum à librorum *De Imitatione Chriſti* ſtylo aliquantulùm differre, & in illo plùs eſſe methodi, minùs affectus. At diſcrimen illud minùs apparet in libris piis; nec vetat eum ſcribentem Opus movendo affectui & nutriendæ pietati deſtinatum, in hoc incubuiſſe, ut ſtylum molliret, ſententiis ad animum percellendum aptis inſtrueret, & propoſito convenientem redderet.

§. 12.

Inquiſitio in MSS. Codices qui pro Joanne Gerſen aut Geſſen proferuntur. An aliquis fuerit hujus nominis Abbas Vercellenſis Ordinis S. Benedicti. Num Joannes Gerſenius pro Joanne Gerſonio ſuppoſitus; an ſecùs Joannes Gerſonius pro Joanne Gerſenio.

UNus ſupereſt Joannes Gerſen, cujus ad librum *De Imitatione Chriſti* jus, manuſcriptis codicibus potiſſimùm innititur.

Primum & majoris autoritatis eſt illud, quod inventum eſt Aronæ, quæ urbs Italiæ Principum Borromæorum propria, in Domo Novitiorum Societatis Jeſu, quæ olim fuit Abbatia Ordinis S. Benedicti. Reliquus non eſt hic codex, ut putavit Caïetanus, ex antiqua Bibliotheca Benedictinorum hujus Monaſterii; Sed Genuâ anno 1579 allatus eſt, à Patre Maïolo Jeſuita, à quo in domo patris repertus fuerat.

Au-

Autor librorum *De Imitatione Christi*, tribus in locis vocatur, *Abbas Joannes Gesen*: in uno *Abbas Joannes Gessen*: & in uno *Abbas Joannes Gersen*.

Primus titulus in prima pagina minio scriptus, ita habet: *Incipiunt capitula libri primi Abbatis Gesen* De Imitatione Christi & contemptu omnium vanitatum mundi, *Caput primum.* Initio libri secundi minio quoque scriptum est: *Incipit tabula libri secundi Abbatis Joannis Gesen*, De interna conversatione, *Caput primum.* Initio tertii libri minio quoque scriptum est: *Incipit tabula tertii libri Abbatis Joannis Gesen* De interna Christi locutione ad animam fidelem. Initio quarti libri, quæ sequuntur caractere nigro scripta sunt: *Incipiunt capitula quarti libri Abbatis Joannis Gessen*: Cum quanta reverentia Christus sit suscipiendus, *Caput primum.* In fine libri minio scriptum est: *Explicit liber quartus & ultimus Abbatis Joannis Gersen* De Sacramento Altaris.

Hos libros excipiunt Tractatus S. Bernardi *Ad Potentes*; Liber Ambrosii *De moribus & vita honesta*, & fragmentum Operis cujusdam S. Bernardi. Hæc omnia egregiè scripta sunt in membranis, eodemque caractere, quod à consessu virorum peritorum anni 1687, ter centum annorum judicatum est. Nec verò autographum est Scriptoris exemplar, qui procul dubio nomen suum ubique iisdem litteris scripsisset, sed apographum quoddam.

Nihil videtur huic MS. opponi posse, quod fidem ei deroget. Falsi argui non potest in quinque locis, nec tituli recentiores dici, cùm à Judicibus fide dignissimis visus & examinatus fuerit. Recens quoque dici non potest, post horum de ejus antiquitate Judicium. Hoc unum dici posset, Scriptorem nomen Joannis Gesen, Gessen, aut Gersen posuisse loco nominis Joannis Gerson. At cur illum semper Abbatem cognominasset? Unde ista denominatio manare potuisset? Nulla est inter vocem *Cancellarii*, & vocem *Abbatis* affinitas. Qui venire potuisset in amanuensis mentem, ut Abbatem faceret Joannem Gersonium? Haud facile est istorum rationem reddere.

Secundus codex manuscriptus Monasterii S. Colombani Bobiensis, quem Aronensi ætate non inferiorem iidem judicarunt, initio quarti libri refert nomen *Joannis Gersem*; nam in capite, & in fine aliorum, Autoris nomen non legitur. Sic incipit iste codex: *In nomine Domini, amen. Incipit libellus* De Imitatione Christi & contemptu omnium vanitatum mundi. *Capitulum primum.* In fine trium primorum librorum hæc habentur: *Incipit liber Joannis Gersem*: Cum quanta reverentia & devotione Sacratissimum Dominicum Corpus & sanguinem sit sumendum. Et in fine quarti libri: *Explicit, Deo Laus & Beatissimæ Virgini.* Sequitur alius Tractatus qui his verbis incipit: *Quoniam carissime, & hujus mirabilis vitæ fugientis ærumnosa via* &c.

Tertius codex est Congregationis S. Justinæ Monasterii Benedictini Padolironensis propè Mantuam, ut in fine observatum est, his verbis: *Iste liber est Monachorum S. Justinæ de Observantia, deputatus Monasterio S. Benedicti de Padolirone, signatus numero* 451. In eo Joannis Gersen nomen bis occurrit; semel minio in capite libri, ita, *Incipit liber Johannis Gersen primus*, De contemptu mundi & De Imitatione Christi. Et in fine libri atramento nigro: *Explicit liber quartus Johannis Gersen* De Sacramento Altaris.

Quantùm ad hoc posterius, nullâ mutati, aut sublati caracteris suspicione laborat, nomenque Joannis Gersen haud dubiè prima manu exaratum est. Naudæus suspicatus fuerat, in eo lectum olim fuisse *Gerson* & *o* in *e* mutari facilè potuisse: at nec ipse ausus est ad extremum usque id affirmare; & nihil immutatum aut abrasum hoc in loco fuisse, aperto & viso codice, qui in Bibliotheca Sancti Germani à Pratis reperitur, omnino constat, ut & à peritorum consessu anno 1671 judicatum est.

Quantùm ad primum titulum, longè major difficultas. Naudæus ait in relatione sua, considerato hocce titulo: *Incipit liber Joannis Gersen primus*, cujus voces præpostero ordine collocatæ sunt, advertisse se vestigia tituli præcedentis & vetustioris, cujus vestigia recentior titulus & superadditus cooperire omnino non potuerat; ut IHO, & partes quasdam aliarum litterarum dimidias, quæ attentiùs aspicientibus patebant: nec dici poterat has, esse litterarum ex altera parte folii positarum ramos: cùm enim hæc vestigia scalpelli mucrone perforasset, deprehendisse se foramina caracteribus à tergo positis non respondere. Demum verba hæc: *Liber Johannis Gersen primus*, scripta esse minio longè condentiori, quàm quò scripta erant sequentia; ita ut vel ex uno minii colore diverso, falsitas vel minùs peritis pateret. Quapropter, inquit, quamvis Congregatio S. Justinæ ab annis ducentis & ampliùs fuerit extincta; nihilominus inde colligi non potest, antiquum esse hunc titulum, cùm falsum sit & superadditum antiquiori, licet pariter falso, nempe *Joannis Gerson*, ut indicant tres veteres caracteres IHO, quod quidem factum est non simplici mutatione vocis *Gersen* in *Gerson*; sed integrâ tituli inversione & immutatione, ne relictum nomen Cancellarii, aut aliud simile, quod Gersenio convenire non poterat, fraudem aperiret. Alioquin littera *o* in litteram *e* facilè mutari poterat.

Hunc codicem Lutetiam delatum vidit & examinavit Launoïus, qui sequentes circa eum observationes instituit, in notis adversùs librum Canonici Regularis S. Genovefæ. 3. p. p. 89. Hujus mf. titulus est: *Incipit liber Joannis Gersen primus* De contemptu mundi & De Imitatione Christi. Finis is est: *Explicit liber quartus Joannis Gersen*, De Sacramento Eucharistiæ. In fine nulla vox immutata, nullus caracter vitiatus apparet: quod cùm ita sit, haud verisimile non est, titulum aut vitiatum, aut mutatum fuisse in eo, in quo finis cum titulo concordat; in nomine scilicet Joannis Gersen.

Tria nihilominus observasse se dicit circa titulum. Primùm voces istas, *Liber Johannis Gersen primus*, minio paululùm candentiori ac alias voces: at existimat id ex eo effectum, quòd calamus plus minii continuisset, cùm efformati sunt isti caracteres, quàm cùm alii exarati. Experientiâ enim discimus, caracteres abundantiori minio effictos, condentiores esse iis, qui dilapso è calamo minio fiunt, quamvis eodem utrique tempore scribantur.

Secundò, advertisse se dicit, papyrum in linea illa cui inscriptæ sunt hæ voces, *Incipit liber Johannis Gersen*, esse obscuriorem; quæ obscuritas etiam supra lineam extenditur: at putat id evenisse amanuensis culpâ, qui cùm incœpisset scribere, & primos caracteres primæ lineæ malè efformasset, hos digito admoto sustulisse; ita tamen ut fieri non potuerit, quin macula ali-

qua

qua in papyro supereffet, cui deinde novos caracteres suppofuit: sed quidquid fit, certò deprehendi non posse quid primùm ab amanuensi scriptum ibi fuerit.

Tertiò, hanc maculam seu obscuritatem papyri, ex quocumque capite proveniat, supra vocem *Gersen* extendi, sed non infra; ita ut in vocem istam nulla mutationis aut falsationis suspicio cadere possit, & amanuensis ipsius, qui codicem descripsit, scripturam esse constet. Quod quidem peculiari attentione dignum censet Launoïus: nam si quæ immutatio facta fuisset, fieri debuisset in voce *Gersen*, non autem in voce *Johannis*, quæ utrique communis est. „ Cœterùm, inquit, vellem ex animo, persuaderi mihi, manuscriptum hunc codicem de quo loquor, " eum non esse cujus Naudæus meminit in relatione, quam R. P. Abbas S. Genovefæ Latinè & Gallicè edidit in tertia Operis sui parte: quatuor ad id me rationes movent. Prima, quòd " ait in sua relatione Naudæus, tres istas vetustiores litteras legi I H O, quæ in titulo MS. " quem vidit inerant; quarum nullum vestigium in MS. quem vidi, quemque unusquisque videre potest apparet. Secunda, quòd idem dicat, in titulo nomen Cancellarii olim fuisse, " quod in eo MS. de quo loquor, reperiri nunquam potuit, ut inspicientibus liquidò constabit. " Tertia, *Cancellarii* nomini semper adjunctum esse, *Parisiensis*: at nullus locus est in titulo " MS. ubi voces istæ duæ reponerentur. Quarta, quòd Naudæus dicat in fine codicis MS. quem " vidit, haud dubiè olim scriptum fuisse, *Johannis Gerson*, cùm in eo quem vidi id nunquam " scriptum fuerit. "

Consessus virorum eruditorum anni 1671 judicavit, primæ inscriptionis hujus MS. scripturam sanam in nomine proprio, nec ullam falsationis suspicionem in eo esse, non secus ac in subscriptione quæ in fine libri primâ manu exarata.

Huncce codicem haud ita pridem vidi; & examinato titulo de quo movetur quæstio, hæc fuit mea de eo sententia. 1. Scriptum illum esse totum & integrum eadem manu. 2. Ab eodem scriptum, à quo totum Opus. 3. Prima quidem verba obliterata fuisse, ac præcipuè verbum *Incipit*. 4. Nonnullos adhuc deprehendi caracteres eorum quæ primùm scripta fuerant, & inter alia litteram I. verbi *Incipit*, quæ observari etiam potuit tempore quo Naudæus hunc vidit. At litteræ I H O nunc minimè apparent, & ne foramina quidem, quibus eas se punxisse ait. 5. Non esse obliteratas voces ullas abrasione membranæ; nam exposita luci, ejusdem videtur tenoris, nec ullo in loco tenuior: præterquam quòd si abrasa fuisset, veteres caracteres deprehendi ampliùs nequirent. 6. Post Launoïum observavi, in superiori parte membranæ, super lineam, maculam esse coloris fusci-rubei, quam hîc impressam fuisse ex eo comperi, quòd amanuensis, digiro ea quæ minio primùm scripserat, obliterasset, & ita minium respersisset in cartha, nec illud ita auferre potuisset, ut macula nulla superesset. 7. Hinc suspicatus sum, amanuensem, postquam hæc prima tituli verba scripsisset, *Incipit liber Johannis*, ea obduxisse, fortè quia calamus abundantiori minio intinctus, illum in membranam effuderat; ita ut totum obliterare ipsi necesse fuerit. 8. Locum non esse longiori titulo. 9. Prioris verbi *Incipit*, adhuc deprehendi vestigia, & fortè tempore Naudæi alterius vocis *Johannis*, ac proinde eumdem fuisse titulum. 10. Rubicundiorem esse caracterem tituli in ejus initio, quàm in fine, quia calamus plùs minii tunc habebat. Cœterùm ætas hujus manuscripti ex eo tempore noscitur, quò Congregatio S. Justinæ, cujus fuit iste codex, extincta est, quod à ducentis annis contigit, ut observant Judices, & Naudæus ipse agnoscit. Nec omitenda videtur observatio alia circa hunc codicem Padolironensem, quæ est hujusmodi. In primo ejus folio descriptum est Epitaphium Gersonii Cancellarii Parisiensis, quod ejus tumulo inscriptum est in Ecclesia S. Pauli Lugdunensis, his versibus.

Magnum parva tenet virtutibus urna Johannem,
Præcelsum meritis Gerson cognomine dictum.
Parsius celsæ Professor Theologiæ,
Claruit, Ecclesiæ qui Cancellarius, anno
Milleno Domini centum quarter atque viceno
Nono, luce petit superos Julii duodena.

Hujus Epitaphii meminit Caïetanus: at à Naudæo non est animadversum, nec de eo quidquam dictum in Judicio anni 1671. Siluit quoque de eo P. Delfau; cui cùm ea de re litem movisset adversarius, qui respondit, falsus est id in MS. descriptum esse, sed recentiori caractere. Si eâdem ac reliqua manu scriptum fuisset, haud dubiè, apertè ostendisset Joannem Gersenium positum hoc in loco pro Joanne Gersonio; sed cùm recentioris cujusdam sit, ut ex primo conspectu caracteris patet, hinc tantùm colligere est, quemdam in cujus manus inciderat iste codex, invento prima fronte Gersenii nomine, quò Gersonium designari putavit, cui hocce Opus tribuebatur, in primo folio vacuo hoc Gersonii Epitaphium descripsisse. Atque nihil inde de primo hujus libri Autore expiscari datur.

Quartus codex quem à Slusio habent Benedictini, & in Bibliotheca sua Sangermanensi servant, est etiam ducentorum annorum, ex judicio peritorum, qui eum anno 1674 examinarunt. In ejus fine minio hæc primâ manu scripta reperiuntur: *Explicit liber quartus & ultimus* De Sacramento Altaris, *Johannis Gersen*.

Quintus codex Monasterii S. Joannis Parmensis continet Regulam S. Benedicti & librum *De Imitatione Christi*, eadem manu, & annus ad finem Regulæ S. Benedicti ascriptus est, hoc pacto. *Sanctissimi Benedicti explicit Regula, discretione præcipua & sermone luculenta, die* VIII *Aug.* MCCCCLXVI. In fine libri quarti *De Imitatione Christi* eadem manu scriptum est, *Explicit liber quartus & ultimus Johannis Gersem* De Sacramento Altaris. *Amen.* Nomen in hoc codice, sicut & in Bobiensi, ad finem habet litteram *m Gersem*, non autem *Gersen*, ut in aliis.

Sextus est Allatianus, qui priùs fuerat Cardinalis Bisciæ, quem is ex Germania verosimiliter habebat; nam ad morem Germanorum compactus erat, & continebat Opera Nicolai de Inckespuel Universitatis Viennensis Rectoris, & Joannis de Tambaco Pragensis Universitatis itidem Rectoris, cum Bulla Legati data Viennæ anno 1448. Papyraceus est is codex, & titulum hunc minio descriptum præfert: *Incipit Tractatus Johannis de Canabaco* De Imitatione Christi & contemptu omnium vanitatum mundi, *& dividitur in quartuor libros.* Bulla anni 1448 eodem caractere quô cœtera scripta, ostendit apertè codicem non esse hoc anno antiquiorem.

Nomen verò *De Canabaço* supra lineam adjectum est; sed est ejusdem manus, caracteris & minii. Naudæus & eruditi consessus anni 1671 in hoc consentiunt. Naudæus caracterem esse putat anni 1480 aut 1500: illi verò de hujus ætate nullum judicium ferunt. Agnomen illud, *De Canabaco*, quod Autori libri *De Imitatione* tribuitur, variè explicatum est. Quidam dixerunt, *Canabacum* locum esse natalem hujus Joannis, quem Gersenium esse supponunt. Quia verò *Canabacum* quid sit nescitur, *Cavaglia* interpretati sunt, quæ vicus est Vercellensi agro proximus. Hæc erat sententia Quatremarii & Valgravii. At P. Delfau, & qui post eum scripserunt, ab hac opinione videntur recessisse, nec ausi sunt affirmare, Canabacum patriam fuisse Joannis Gersenii, idemque esse Canabacum & Cavaglia. Ita nescitur quid sit istud *Canabacum* indè sumptum, nec quid nomen istud *Joanni* dederit. Quidam suspicari potuerunt amanuensem hujus codicis, cùm in alio reperisset *De Gersonio* minùs bene scriptum, legisse & scripsisse *Cabanaco* pro *Gersonio*; aut potiùs cùm incidisset in codicem, in quo positum erat *Cancellario*, per abbreviationem *Cancrio*, legisse *Canabaco*. Ut ut sit, nullo argumento probari potest, Joannem hunc *De Canabaco*, eumdem esse cum eo qui in aliis manuscriptis codicibus dicitur *Joannes Gersen*.

Septimus codex est Cavensis, in quo scriptum est: *Iste liber est Congregationis Cassinensis*; & paulo post, *asservatur in Monasterio Cava.* Scriptus in eo est liber *De Imitatione Christi*, in membranis, pulcherrimis caracteribus, nec cujusquam nomen habet, aut ætatis notam, cùm in fine mutilatus sit. At in prima littera libri... cernitur imago Monachi Benedictini tenentis Crucem in manu sua: inde opinati sunt effigiem esse Joannis Gersen. Deinde dictum, huic picturæ locum dedisse hæc verba Capitis 56 l. 3. *Suscepi, sucepi de manu tua Crucem, portabo & portabo eam.* At fieri quidem potest, ut hæc sententia ansam dederit hujus codicis Scriptori, hanc effigiem initio repræsentare. Verùm quâ tandem ratione inde concludi potest, librum *De Imitatione Christi* Monachi Benedictini esse? De codicis amanuenti ad summum id conjici potest.

Ultimo loco, affertur exemplar quorumdam Operum Venetiis excusorum anno 1501, inter quæ reperire est librum *De Imitatione Christi*, sub nomine Joannis Gersonii Universitatis Parisiensis Cancellarii, in cujus fine hæc manu scripta inveniuntur. *Hunc librum non compilavit Johannes Gerson, sed D. Johannes.* Verùm hæc vox ultima *Johannes*, fatente ipso P. Delfau, reformata est, & quod sequebatur abrasum, ita ut post vacuum spatium legatur *Abbas Vercellensis*; ac deinde post abrasas item voces, hæc legere est; *ut habetur usque hodie, propriâ manu scriptus in eâdem Abbatia.* Hoc exemplar unum fuit ex illis quæ Romæ anno 1641 tradita sunt Naudæo. Falsatam esse hanc observationem judicavit, & nomen *Thomæ*, in nomen *Johannis* immutatum, idque tam imperitè, ut Vincentius Galeottus legens hanc observationem, *Thomam* pro *Johanne* recitarit. Nec verò exemplar istud adductum est in consessu anni 1671, quamvis Parisiis esset; nec P. Delfau aliam hujus rei rationem dedit, nisi quòd inter codices typis mandatos, in Bibliotheca Sangermanensi se inscio jaceret. At si non aliâ de causâ Benedictini tum temporis illud præteriissent, exhibitum sanè ab ipsis fuisset in consessibus annorum 1674 & 1687. At planè suppressum illud voluerunt, nec sine causâ; quia scilicet optimè judicarunt notam hanc manu scriptam nullius esse momenti. 1. Quia constat quidem eam esse recentionem anno 1501: at cujus ætatis aut Scriptoris sit nescitur. 2. Quia cùm falsatum sit nomen *Johannis*; nec *Gersenii* aut *Gessenii* nomen extet, ad causam inutilis est. 3. Quia nota hæc quamvis nova, ab alio falsario corrupta est, qui quidquid ipsi placuit inseruit. 4. Quia quodvis aliud nomen suppleri potest diversum à nomine *Johannis Gersen*; imò & nomen Thomæ à Kempis, qui fortè dictus erat *Abbas Windesemensis*, aut fortè etiam *Vercellensis*. Fuit enim Thomas quidam Abbas S. Andreæ Vercellensis, quem quidam Canonicum Regularem faciunt S. Victoris, ex fide vetusti Necrologii: alii Benedictinum, ex effigie Monachi, quam dicunt hujus tumulo insculptam 5. Quia nescitur utrùm hæc verba; *Abbas Vercellensis*, sint primi Scriptoris notæ hujusmodi, an falsarii. Atque ita dignitas Abbatis Vercellensis tributa Joanni Gersenio, cùm hoc uno fundamento nitatur, omninò fictitia est, cùm Gersenius ibi nequidem nominetur, nomen verò Joannis sit falsatum, nec ulla hujusmodi Instrumento fides haberi debeat.

Duæ fuerunt Abbatiæ Vercellis, una sub invocatione S. Stephani; alia sub invocatione S. Andreæ. Hæc Henrici II Regis Angliæ impensis erecta est, post occisum ab illo Thomam Cantuariensem. Hujus primus Abbas est Thomas ille, secundùm aliquos Gallus, Canonicus Victorinus; secundùm alios Monachus Benedictinus Angliæ. Hanc Abbatiam tenuit ad annum usque 1260. Itaque non hujus Monasterii Vercellensis Abbas fuisse fertur Joannes Gersen, sed alterius antiquioris, Sancti Stephani nempè, qui Ordinis fuit S. Benedicti ad annum usque 1536, quô Paulus III dedit eum Canonicis Regularibus, donec omnino destructum fuit anno 1581. At nullus Scriptor alicujus antiquitatis, Abbatis hujus Gersenii mentionem facit: Franciscus Augustinus equidem, in Chronico Pedemontano anno 1648, eum inter Abbates Vercellenses enumeravit, & libri *De Imitatione Christi* fecit Autorem: at fidem Benedictini alicujus secutus, post controvesiam à Caietano excitatam, nec ausus est ejus mentionem facere in Historia Vercellensi. Citatur etiam in hanc rem Historia Vercellensis Joannis Baptistæ Mutinensis manuscripta, qui testatur legi in antiquis manuscriptis, alios fuisse S. Stephani Abbates, qui cæteris annumerati non sunt, atque inter alios Joannem, qui putatur esse libri *De Imitatione Christi* Autor; nec potest esse Abbas alterius Monasterii quàm hujus. An hæc scripta sint in illa Historia non liquet; sed etiamsi liqueret, patet hæc dixisse Scriptorem illum, occasione eorum quæ scripta fuerant de hac controversia jam mota.

Fatendum itaque est, nullo argumento aut teste probari posse, Joannem Gersenium Abbatem fuisse S. Stephani Vercellensis. Nihil est etiam quod ostendat, eum esse ortum de *Canabaco*; aut *Canabacum* idem esse cum *Cavaglia*. Nescitur etiam quis fuerit ille *Joannes Gersen*, seu *Gersem*, aut *Gesen* seu *Gessen*, cujus nomen in MS. codicibus libri *De Imitatione Christi*, quorum mentionem fecimus, reperitur. In nullo *Abbatis* dignitate decoratur, præterquam in Aronensi, ubi semper *Abbas* dicitur: at cujus Ordinis aut loci tacetur. Atque ita Benedictini non magis illum sibi vindicare possunt, quàm Cistercienses, aut alii Monachi, qui Abbatias & Abbates habent.

Joannes Gesen, seu Gessen, aut Gersen Abbas à solo Aronensi codice testimonium ha-

habet. Joannes Gersen seu Gersem sine ulla dignitate, quatuor habet manuscriptos codices, sinceros & fide dignos, qui ei suffragantur, Bobiensem, Padolironensem, Slusianum & Parmensem.

Joannis de Canabaco nomen occurit in uno MS. Allatiano post annum 1448 descripto, & quidem agnomen istud supra lineam positum est, quamvis ejusdem manus.

Joannis Abbatis Vercellensis falsus est titulus. At nullus ex his Scriptorem habet antiquum, qui hujus mentionem faciat, eumque noverit aut viderit, nec ullam sub hujus nomine editionem proferre est, ante illam quæ Caïetano obstetricante ex MS. Aronensi prodiit anno 1616, cum hac inscriptione, *Venerabilis viri Joannis Gessen Abbatis Ordinis S. Benedicti.* Ita sine ratione & autoritate Ordinem cujus Abbas erat, de quo in MS. codice ne verbum quidem, de suo adjiciens.

Valgravius Gessenii nomen immutavit in Gersen, & patriam ejus assignare ausus est, ac locum Monasterii cujus erat Abbas, cùm librum *De Imitatione Christi* edi curavit anno 1638, sub nomine *Johannis Gersen Abbatis Vercellensis Italo-Benedictini.*

Tandem Pater Delfau, qui tamen levitatem argumentorum quibus dignitas Abbatis Benedictini Vercellensis Gersenio tribuitur, animadvertere potuerat prioribus editionibus, adjecit nomen Abbatis S. Stephanii Vercellensis in postrema editione anni 1674, quam ita inscripsit: *Johannis Gerson Abbatis S. Stephani Vercellensis Ordinis S. Benedicti.* Quo in titulo solum nomen *Joannis Gersen* autoritate plurium MSS. codicum nititur; Abbatis verò dignitas, Aronensis unius testimonio. Cœtera gratis dicuntur.

Cùm ergo nulli Scriptores, nullæ antiquæ editiones, Joanni Gersen Abbati suffragentur; allegantur in ejus gratiam Autores & editiones, in quibus liber iste Gersonio ascribitur quod Joanni Gersenio favere putant. Cùm enim tanquam certum supponatur, Opus *De Imitatione Christi* Gersonii Cancellarii Parisiensis non esse, & aliunde Autorem hujus Monachum fuisse; non aliâ de causâ Gersonio tributum fuisse videtur, quàm ob affinitatem nominis cum Joanne Gersenio: quia cùm hic esset minùs notus, imò ferè ignotus in Gallia; & celebre è contra Gersonii nomen; hoc alteri substituere promptum fuit; idque esse verisimilius; quàm nomina *Gesen*, *Gessen*, *Gersen* aut *Gersem* loco nominis *Gerson* posita esse.

1. Quia extant MSS. codices tum anonymi, tum sub nomine Johannis Gersen, qui putantur antiquiores eo saltem tempore quò Gersonius hoc Opus componere potuit: imprimis Meliciensis, qui notam habet anni 1421: Aronensis item & Bobiensis, qui decimi quarti sæculi esse censentur. 2. Quia nomen Abbatis in Aronensi reperitur quod Cancellario Parisiensi minimè convenit. 3. Quia verisimile non est, toties scriptum, & tot diversis in locis *Gersen*, *Gesen*, *Gessen*, aut *Gersem*, pro *Gerson* noto sanè nomine.

Reponi tamen potest, Gersonii nomen positum, vel quia Gersonius est verus hujus Operis Autor, vel quia liber iste cum Operibus Gersonii in iisdem codicibus reperiebatur, ut in Meliciensi MS. codice anni 1434 videre est. Eadem de causa Bernardo quoque ascriptus est, quia hujus Operibus erat adjunctum, ut in primo MS. Meliciensi: vel positum esse nomen *Gersen* pro *Gerson*, quia fortè in manuscripto codice, è quo hi qui nomen Gersen habent, exscripti, abbreviatum erat, ut cernere est in MSS. Saltzburgensi, ita, *Joh. Gers.* vel denique ab amanuensi aliquo lectum *e* pro *o* & sic scriptum; vel unum sufficere MS. codicem qui ita habuerit, qualis est Aronensis, ut in cœteros, idem mendum derivarit; hoc autem reperiri tantummodò in codicibus MSS. Italis, qui ex Aronensi exscribi potuerunt: nomen *Abbatis* quod in isto cernitur, ex ignorantia amanuensis proficisci: diversitatem autem scribendi hujus nominis, aliquando *Gesen*, aliquando *Gessen*, tum etiam *Gersen*, quæ vel in solo MS. Aronensi reperitur, satis ostendere, ignotum fuisse amanuensi verum Autoris nomen, quia de suo nomen Abbatis adjecit: denique cum Abbas iste, sive *Gesen*, sive *Gessen* sive *Gerson* omnino ignotus sit, nullusque reperiatur qui ejus mentionem fecerit ante motam inter Benedictinos & Canonicos Regulares, circa Autorem libri *De Imitatione* controversiam, verisimile admodùm esse, fictitium hunc hominem esse, qui nunquam in rerum naturâ extiterit.

§. XIII.

Judicium circa ea quæ de hac controversia dicta sunt; in quo certò falsa ab incertis secernuntur, & quid verisimilius sit inquiritur.

POstquam ea omnia quæ à viris eruditis in controversia circa Autorem libri *De Imitatione Christi* hinc & inde dicta vel scripta sunt retulimus & excussimus, non possum quin illis Terentianum illud oggeram.

. . . . . Fecistis probè,
Incertior sum multò quàm dudum.

Nec dubito quin superiora legentibus eadem animum subeat cogitatio. Tanta quippe multitudo manuscriptorum codicum, editionum, testimoniorum, argumentorum, quæ hinc & inde probata sunt, tantùm abest ut huic quæstioni lucem attulerint; ut eam potiùs è contra obscuraurerint. Nec solùm ex his certus Autor libri *De Imitatione Christi* non est detectus, verum & ignotior atque incertior factus videtur. Conemur tamen ex his consectaria quædam elicere: & si non possumus inde aliquid certi exculpere, saltem id quod falsum est deprehensum rejiciamus; quid in incerto positum sit ostendamus; & quid deinceps pro versimili haberi vel non haberi possit aperiamus.

Primò. Certum est Opus hoc non esse D. Bernardi, quamvis ei tributum fuerit.

Secundò. Nequicquam verisimile est Ludolphum ejus Autorem esse.

 Ter-

Tertiò. Nullum est argumentum invictum, quô probetur esse Thomæ à Kempis. Nam si quod esset, niteretur, vel MSS. codicibus, vel editionibus, vel coævorum Scriptorum testimonio, vel styli consonantiâ. Codices MSS. cum Autorem non probant, saltem invictè, cùm primus, anni 1441, nomen Thomæ non præferat ut Autoris, sed ut exscriptoris hujus libri; atque hinc fieri potuit ut in aliis MSS. & à sequentibus scriptoribus, Thomæ tanquam Autori tribueretur. Buschii testimonium adjectitium esse verisimile est, etiamsi genuinum esset; neque hic, neque alii scriptores, neque MSS. codices, aut editiones codice anni 1441 posteriores, invictum præbent argumentum, cùm scilicet concurrant cum aliis MSS. codicibus, editionibus & testimoniis, etiam antiquioribus, in gratiam Bernardi, Gersonii & Gersenii. Nec consonantia styli inter librum *De Imitatione Christi*, & Thomæ à Kempis Opera, ineluctabile præbere potest argumentum. Primùm enim in genere, similitudo styli sola non sufficit ad Opus Scriptori alicui certò tribuendum: aliunde verò non est omnino sine dissonantia hujusmodi consonantia: denique certum non est omnia Opuscula quæ nomen Thomæ à Kempis ferunt, ejus esse; cùm iis ipsis fatentibus qui ipsi maximè favent, nulli suorum, ex animi demissione, nomen apposuerit, & aliorum plura descripserit.

Quartò. Librum *De Imitatione*, Thomâ à Kempis vetustiorem esse aliquatenus verisimile videtur. Argumento esse possunt manuscripti codices Aronensis, Sirmondianus, Bobiensis, qui quamvis ætatem ascriptam non habeant, à peritissimis hac in arte viris Thomâ antiquiores judicati sunt. Hi quibus ascripta est temporis nota annorum 1421. 1433. 1434. 1436. 1437, fidem etiam hujus rei faciunt. Sunt equidem posteriores anno 1410, in quo gratis supponitur is liber à Thoma compositus; quamvis id verisimile minimè videatur. At duo sunt observanda: primum est, hos codices MSS. in locis diversis ac dissitis reperiri: alterum, hos non esse autographa Autoris, sed exemplaria ex apographis descripta. Haud verisimile est, tam brevi tempore librum *De Imitatione Christi* toties potuisse describi, & in tot loca diversa deferri. Idem observari potuit circa versionem Gallicam anni 1447, & MSS. codicem item Gallicum Comitis Engolismensis, & hæc firmare testimonio Trithemii, qui anno 1494 disertè ait, seniores seniorum suorum hoc Opus legisse, quod ad initium usque decimi quinti sæculi hoc Opus ad minimùm revocat.

Quintò. Certum est librum *De Imitatione*, vivente ipso Thoma à Kempis attributum fuisse D. Bernardo, Carthusiano, Gersonio & Gersenio. Ex manuscriptis & editionibus res nota est: quod magno argumento est, Thomam Kempensem pro ejus Autore habitum non fuisse.

Sextò. *Joannes Gersonius* Universitatis Parisiensis Cancellarius, is videtur esse è tribus contendentibus, cujus Causa melior, si consulantur tantùm externa testimonia. Possessionem habet acquisitam ante Thomam à Kempis. MSS. codices qui Joanni Gersen aut Gesen favent, excepto uno qui nomen Abbatis habet, de eo possunt accipi ob similitudinem nominis, quod vitiari facilè potuit. Suffragatur ei communis Galliæ & Italiæ decimo quinto & decimo sexto sæculis opinio. Autor est certus magni nominis, qui multa ejusdem generis Opera composuit. At duo sunt quæ his argumentis obviant; Monachi professio quæ Scriptori tribuitur, & styli diversitas.

Septimò. Dignitas *Abbatis Sancti Stephani Vercellensis Ordinis S. Benedicti*, quæ Joanni Gersenio tribuitur, nullum habet aut fundamentum, aut testem. In Aronensi solùm manuscripto Abbatis dignitate decoratur; in aliis nudus & spoliatus apparet; nunc sub nomine *Gersen*, nunc nominibus *Gesen*, *Gessen Gersem* ignotus hucusque, & tenebris densissimis obductus non solùm Autor, sed & homo.

Tandem definire haud facile est, utrùm *Joannes Gesen*, *Gessen*, *Gersen* aut *Gersem* nomen reverà sit Abbatis alicujus, an nomen Gersonii vitiatum. Conjecturæ hinc & inde militant, quæ suam habent quæque verisimilitudinem.

In summa, Operis *De Imitatione* Autor æquè incertus remanet, ac fuit ab initio, & unicuique è tribus contendentibus Causa semper superest probabilis: at nullus jure suo perspicuè demonstrato, in Judicio vincit.

GERSONIANA

LIBER IV.

DE DOCTRINA GERSONII,

In quo

Universa ejus Theologia exponitur.



Uanquam nullum sit Opus Joannis Gersonii, in quo Theologiam integram, pro more Scholasticorum Theologorum, ordine pertractarit; nihilominus tamen vix ulla est illius pars, de qua non identidem in diversis Scriptis, datâ, juxta veterum consuetudinem, occasione, non sit locutus: atque ita facile est ex ejus Operibus Summam, ut loquuntur, Theologicam excerpere, quod nos hîc facere tentabimus; haud equidem singula, quod prolixius esset, fusè exponentes; sed ea tantùm loca indicantes, in quibus illa quæ summatim exposuimus, latiùs ipse prosequitur. In hoc autem Gersonianorum libro, eumdem quem in ejus Operibus digerendis secuti sumus, servabimus ordinem; ut primo capite ea exequamur, quæ ad Religionis Dogmata pertinent: in secundo, quæ ad Disciplinam Ecclesiasticam: in tertio, quæ ad Mores: in quarto, quæ ad Theologiam Mysticam.

CAPUT PRIMUM.

In quo

Doctrina Gersonii circa Religionis Christianæ Dogmata exponitur.

§. I.

De principiis & fundamentis Theologicis; ubi de Sacrarum Litterarum, Traditionis, Ecclesiæ, Conciliorum generalium, SS. Patrum, Theologorum autoritate, aliisque locis Theologicis; necnon de recta tractandæ Theologiæ methodo; hæresi & variis errorum generibus disseritur.

De Teologiæ Principiis in genere.

THeologia, sapientia est à Deo, cujus revelantis autoritati tota nititur, *T.* 1. 189 *A.* Omne autem revelatum à Deo est verum. *T.* 1. 22. *B.* Credendarum scilicet veritatum Theologicarum species omnes ad eas reducuntur, quæ à Deo revelatæ sunt. *T.* 1. 23. *A.* Totaque credulitas omnium traditorum in Sacrâ Scripturâ, huic innititur principio, quòd tota Scriptura à Deo revelata est. *T.* 1. 26. *A.* Ac eadem est in omnibus Articulis Fidei generalis ratio credendi, scilicet divina revelatio. Hinc veritas Catholica sic potest describi: *Veritas habita per divinam revelationem immediatè vel mediatè; explicitè in propria forma verborum, vel implicitè in bona & certa consequentia. T.* 1. 23. *B.* Triplex autem distingui potest veritatum revelatarum & credendarum gradus.

Primus est canon totius Scripturæ Sacræ, & singulorum quæ in eâ litteraliter asserta sunt.

Secundus est veritatum ab Ecclesiâ determinaturum, quæ ab indubitata relatione Apostolorum per continuam successionem devenerunt.

Tertius gradus est veritatum specialiter aliquibus revelatarum, quæ ab illis quibus revelatio facta est absque ulla dubitatione credendæ sunt; alioquin non essent revelatæ: nam de ratione propositionis revelatæ est, ut sit certa. Cœteri verò quibus non est hujusmodi revelatio facta, non tenentur credere, nisi per miraculum evidens, vel per Scripturam Sacram, & præcipuè per Ecclesiam detur certitudo. *T.* 1. 22.

Atque ita, principia & fundamenta Theologiæ ad duo revocari possunt, Scripturam nempe Sacram, & Traditionem, juxta quæ Ecclesia & Concilium generale eam repræsentans, quid credendum sit proponit & definit.

De Scriptura Sacra Autoritate.

Scriptura Sacra nobis tradita est tanquam Regula sufficiens & infallibilis, pro regimine totius Ecclesiastici corporis & membrorum, usque in finem sæculi. Est igitur talis ars, talis regula, vel exemplum, cui se non conformans alia doctrina, abjicienda est velut hæreticalis, aut suspecta; aut impertinens ad Religionem prorsus habenda. T. 1. 12. *D.* At verò dicet aliquis: Ecce quot à principio, & usque nunc doctrinæ salubres, tam verbis, quàm scriptis insertæ sunt, quas Scriptura Sacra non continet. Imò continet, respondemus, secundùm aliquem gradum veritatum Catholicarum. T. 1. 13. *D.* Dedit itaque Deus per Scripturam suam Sacram, & expositores suos, habere sufficienter intellectum in omnibus, juxta vocationem uniuscujusque. T. 1. 21. *A.* Fidei regula est, contra quam bene intellectam non est admittenda autoritas; ratio hominis cujuscumque, nec aliqua Consuetudo aut constitutio, nec observatio valet, si contra Sacram Scripturam militare convincatur. Hæc regula fundamentum est commune Catholicis & hæreticis T. 1. 447. *B.* Constat enim quòd doctrina Fidei, quamvis Philosophiam superet, habet terminos suos prædefinitos in Sacris Litteris nobis revelatis, ultra quos nihil audendum est definire vel tradere. Igitur si conjecturis & ratiunculis humanis ultra progredi quisquam Theologisans præsumpserit; quidni potiùs turpiter seducatur & seducat insequentes? Deficiente enim scala Scripturarum, qualis altera comparabitur scàla, ad altiorem de Deo cognitionem attingendam? T. 1. 93. *A. B.*

De Interpretatione Scripturæ Sacræ.

Verùm quia seminatores hæreseon, & impugnatores veritatis dicunt, fundari dicta sua in Scriptura Sacra, & ejus vero sensu, quam solam Scripturam dicunt se velle insequi, rejectis & pro nihilo habitis quibuscumque Constitutionibus aliis, vel Scripturis Decretorum vel Decretalium, quas appellant apocryphas & Christo adversas; considerandum est in primis, quis dicendus sit sensus litteralis Scripturæ Sacræ, & qualiter est tenendus vel investigandus: ad quam considerationem pertinent propositiones quæ sequuntur.

1. Sensus litteralis Scripturæ Sacræ semper est verus.

2. Sensus litteralis Scripturæ Sacræ accipiendus est non secundùm vim Logicæ, seu Dialecticæ; sed secundùm locutiones in Rhetoricis sermonibus usitatas, & juxta tropos & figuratas locutiones quas communis usus admittit.

3. Sensus Scripturæ Sacræ litteralis judicandus est, prout Ecclesia Spiritu Sancto inspirata & gubernata determinavit, & non ad cujuslibet arbitrium & interpretationem.

4. Sensus litteralis Scripturæ Sacræ, præsertim in Sermonibus moralibus, utitur plerumque indefinita pro universali, juxta communem modum accipiendi. Utitur insuper aliis locutionibus figuratis, prout modo dicebatur: propterea talis indefinita locutio non excusat semper asserentem à falsitate, supposito quòd sit in aliquo particulari casu verum, illud quod indefinitè positum est.

5. Sensus Logicalis verus in assertione Theologica, non excusat asserentem, quin talem assertionem debeat revocare, si falsa sit in sensu Theologico litterali, aut si scandalosa, vel piarum aurium offensiva, vel malè sonans.

6. Sensus litteralis Sacræ Scripturæ fuit primò per Christum & Apostolos revelatus, & miraculis elucidatus; deinde fuit per sanguinem Martyrum confirmatus; postmodum Sancti Doctores per rationes suas diligentes contra hæreticos deffussùs elicuerunt prædictum sensum litteralem, & conclusiones ex illo clariùs vel probabiliùs consequentes: posteà successit determinatio sacrorum Conciliorum, ut quod erat doctrinaliter discussum per Doctores, fieret per Ecclesiam sententialiter definitum. Appositæ sunt tandem pœnæ per Judices tam Ecclesiasticos quàm sæculares, conta eos qui nollent, proterva temeritate, Ecclesiasticæ determinationi subjacere. Et hoc necessaria provisione factum est: quoniam in ratiocinando & altercando adversùs veritatem, non est apud multos finis.

7. Sensus litteralis dum expugnatur in his quæ sunt jam apertè per Ecclesiam determinata ac recepta; non oportet agere curiosis ratiocinationibus adversùs impugnatores, sed statutis punctionibus uti.

8. Sensus litteralis Sacræ Scripturæ si reperitur determinatus & decisus in Decretis & Decretalibus, judicandus est ad Theologiam & Sacram Scripturam non minùs pertinere, quàm Symbolum Apostolorum: propterea non est spernendus, tanquam humanâ seu positivâ Constitutione fundatus.

9. Sensus litteralis quamvis sit in multis, præsertim in his quæ sunt necessaria ad salutem, satis expressus in libris Scripturæ Sacræ, vel ex illis evidenter consequatur in iisdem libris; nihilominus expedivit tales sensus, sub certis articulis compendiosè in publicum tradere, quemadmodùm de Symbolo Apostolorum, & Athanasii factum fuisse cognovimus. Exigit hoc maximè communitas hominum, & capitum seu judiciorum varietas.

10. Sensus litteralis Scripturæ rationabiliter explicatur apud Studia generalia, & in cœteris Diœcesibus, nedum per totam Ecclesiam, sed per Diœcesanorum sententiam, cum judicio Theologorum in iisdem Studiis degentium.

11. Sensus litteralis quorumdam articulorum, ut precisè declaratus per unum Episcopum, etiam cum consilio Doctorum, si negetur esse Scripturæ, non redditur ex hoc præcisè negans hæreticus, sed pœnas appositas incurrit, si sit Diœcesanus, & ad revocandum rationabiliter condemnatur. Probatur prima pars, quia potest ad Papam appellare ex causis rationabilibus in casu; imò & à Papa ad Concilium generale; quia nec Papa, nec Episcopus aliquis est sic confirmatus in Fide, de lege communi, quin possit errare.

12. Sensus litteralis Sacræ Scripturæ si negetur esse verus, & impugnetur tam verbo quàm facto, per illos præsertim qui subsunt Prælatis & Inquisitoribus, qui sensum talem declaraverunt

runt esse de Sacra Scriptura, consurgit frequenter contra tales vehemens suspicio, quod sint hæretici.

Hæc totidem verbis, licet paulò fusiùs, Gersonius in Opusculo *De sensu litterali Scripturæ*, quod in limen Operum ejus reposuimus, quibus omnes ferè locos Theologicos summatim percurrit & assignat.

De Scripturæ interpretatione regulas præscribit etiam initio libri *De Communione Laïcorum sub utraque specie*: T. I. 457. Ubi postquam hoc placitum velut certum posuit: Scripturam Sacram esse Fidei Regulam, contra quam bene intellectam non est admittenda autoritas; aut ratio cujuscumque hominis, nec consuetudo, Constitutio, aut observatio valet; Sacram Scripturam debere considerari quasi unam propositionem copulativam connectentem singulas partes, ita ut una alteram confirmet, exponat & elucidet.

Hinc pro secunda regula statuit: Sacram Scripturam, dum consideratur in aliqua sui parte, non esse coarctandam in solis terminis illius propositionis, aut in illo sensu quem ista propositio, sic per se & nudè considerata, facit. Sed conferendam esse & concordandam per comparationem ad alios Sacræ Scripturæ locos.

Inde fluit tertia regula: Sacram Scripturam posse & debere in suis partibus & partialibus assertionibus, reverenter & humiliter & diligenter expositionem recipere, concordando inter se locum cum loco, & de unius sensu ex altero judicando.

Quarta statuitur hæc regula: Scriptura Sacra in expositione partium suarum requisivit & requirit homines; primò, præditos ingenio; secundò, exercitatos studio; tertiò, humiles in judicio; quartò, immunes ab affectato vitio.

Quinta: Scriptura Sacra in sui primaria expositione habuit homines eruditos, non solùm humana ratiocinatione vel studio; sed divina revelatione & inspiratione Spiritus Sancti. Patet de Apostolis & aliis, de quibus loquitur Lucas in Actibus Apostolorum c. XIII. Comparandi igitur sunt Doctores, in expositione Sacræ Scripturæ, cum Doctoribus; & illi quos constat habere conditiones positas in præcedenti regula, præferendi sunt non habentibus: similiter habentes revelationem, non habentibus eam.

Sexta: Scriptura Sacra non ita recipienda est nudè & in solidum, contemptis aliis Traditionibus hominum; quin debeat ad intelligentiam veram illius habendam, Juribus humanis, Canonibus & Decretis & Glossis Sanctorum Doctorum frequenter humiliter uti.

Septima: Scriptura Sacra recepit interpretationem & expositionem, nedum in suis verbis originalibus, sed etiam in suis expositionibus.

Octava: Scriptura Sacra dum per novellos homines inducitur, tanquam credenda sit in suis nudis terminis, absque alterius interpretis vel expositoris admissione, exponitur gravibus periculis & scandalis; nisi solerter provideatur, & confestim occurratur.

Nona: Scriptura Sacra in sua receptione & expositione autentica, finaliter resolvitur in autoritatem, receptionem & approbationem Universalis Ecclesiæ, præsertim primitivæ, quæ recepit eam & ejus intellectum immediatè à Christo revelante in die Pentecostes & aliàs pluriès. Patet: quia quòd Matthæus scripserit veraciter Evangelium, non solùm habemus ab autoritate Ecclesiæ, juxta illud Augustini *Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret autoritas.* Hæc enim est infallibilis Regula à Spiritu Sancto directa, qui in his quæ Fidei sunt nec fallere potest nec falli. Quamvis tamen ab initio Militantis Ecclesiæ, quæ componebatur ex Apostolis & immediatis successoribus (noviter & certitudinaliter à Christo doctis de multis quæ non sunt scripta) plùs esset credendum autoritati talis Ecclesiæ, quàm Evangelio cuicumque, priusquam esset ab ea receptum vel autorisatum; nihilominus post approbationem & autorisationem quatuor Evangeliorum per dictam Ecclesiam, plùs esset credendum Evangelio, quàm alteri cuicumque humanæ autoritati; non dicitur quàm totius Ecclesiæ, quoniam illa est autoritas Dei & Evangelii, nec potest errare in Fide, lege stante.

Quoniam verò Gersonii tempore Valdenses, Wiclefistæ Hussitæ, Begardi, aliique hæretici Sacris Litteris passim abutebantur, easque protervè legebant, non curantes Catholicam earum expositionem; ac propterà inducebantur in errorem: hinc descendit in eam sententiam Gersonius, quòd quemadmodum de Biblia bene & verè in Gallicum translata, bonum aliquod, si sobriè intelligatur, potest emanare; sic per oppositum, innumeri errores, & mala evenire possunt, si malè fuerit translata, aut præsumptuosè intellecta, refutando sensus, & Sanctorum Doctorum expositiones. Satius esset, *inquit*, hujusmodi rem ignorare, quàm parum aut malè scire, Magistrum se reputando in eis. *Sermone contra adulatores Regum. Consf. 5. T. IV. p. 623. C.*

Quo in loco Gersonius eas tantùm culpat Sacrorum Librorum translationes in linguam vulgarem, quæ parùm fideles sunt; iisque tantùm Sacrarum Litterarum lectionem interdicit, qui eas præsumptuosè intelligunt, refutando sensus & expositiones SS. Patrum.

Nec aliter intelligi debet id quod habet in Epistola *Ad Studentes Collegii Navarrici*. T. I. p. 105. Prohibendam esse vulgarem translationem Librorum Sacrorum, præsertim extra moralitates & historias: quæ exceptio libros ferè omnes Novi Testamenti, ac plerosque Veteris comprehendit. Quòd verò à Sacrorum Librorum lectione Christianos humiles & bene affectos non averterit, ex eo intelligitur, quòd ipse pronuntiet, experientiâ cognosci, quid mali, quid periculi, quid confusionis attulerit contemptus Sacræ Scripturæ, quæ sola sufficit pro regimine Ecclesiæ: alioquin, *inquit*, Christus fuisset Legislator imperfectus. *In Sermone Tarascone habito. T. II. p. 61. C.*

Imò contemptum Sacræ Scripturæ, errorum causam, & originem esse protestatur alibi. Cujus, *inquit*, Sacræ Scripturæ contemptus, cum suis professoribus sæpe duxit & ducit in errorem *T. IV. p. 305. A.*

Quantùm autem ex Sacrarum Litterarum lectione fructus à cunctis Christianis percipi possit, latè explicat in Dialogo *De Consolatione Theologiæ. T. I. p. 154. 155. 156*, quem locum consule: quemadmodum & Capita duo ultima Opusculi cujus inscriptio est; *Exhortatio ad constantiam suscepti propositi.* T. II. p. 766 & 768. Atque hæc de Scriptura Sacra.

De

De Autoritate Traditionis, in rebus Fidei.

Cùm autem ex dictis, ejus intelligentia petenda sit ab Ecclesiæ præsertim primitivæ Traditione & autoritate; hinc secundo loco, de Traditionis autoritate quæ fuerit mens Gersonii exponendum.

Nullæ aliæ, secundùm eum, veritates Catholicæ haberi possunt & determinari, nisi quæ ab indubitata relatione Apostolorum, per successionem continuam devenerunt. *T.* I. *p.* 22. *C.* Hinc in Ecclesiæ primitivæ, quæ Doctrinam suam immediatè à Christo recepit, auctoritatem, resolvitur Fidei nostræ ratio: & sicut nullum novum dogma condi potest; ita nulla inveniri nova hæresis: quia quæcumque detur, illa priùs erat Scripturæ Sacræ contraria, ab ipsaque damnata, & veteri Doctrinæ à Christo & Apostolis traditæ contraria. *T.* I. *p.* 33. *B.C.D.* Ex novitate opinionum surgunt hæreses, & schismata orta defenduntur. *T.* II. *p.* 312. *D.* Fatendum nihilominus, posse fieri declarationem novam tam doctrinaliter, quàm judicialiter, de aliqua hæresi quòd Scripturæ Sacræ repugnet, quæ si non obliget, ut præcisè talis est, obligat tamen, ut convincitur esse facta conformiter ad Scripturam, veteremque Traditionem. Nam nihil quidquam ad Fidem potest Prælatus adjicere, quod non sit priùs de Fide, quamvis nondum sit autoritativè declaratum. *T.* II. *p.* 44. *B.* Nec Papa aut generale Concilium, determinando de Fide, seclusâ revelatione speciali, faciunt aliud, nisi declarare talia esse de Fide, cum pœnarum adjectione. *T.* II. *p.* 346. *B.*

De Ecclesiæ in rebus Fidei Autoritate.

Divinæ hujus Traditionis custos est Ecclesia Universalis à Christo fundata, qui Caput ejus est, & Sponsus indefectibilis, ita ut nec Christus possit illi dare libellum repudii, nec è converso ipsa deficere. *T.* II. *p.* 205. 213. Christus fuit supremus & optimus Institutor Ecclesiæ, non deficiens in necessariis, qui & dixit, Matt. 28. v. 20. *Ecce ego, vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Hinc oportuit in Ecclesia relinqui regulam infallibilem pro Fide servanda, & dubiis emergentibus terminandis. *T.* I. 8. *B.* Hujus autem tanta est autoritas, ut diceret Augustinus: *Evangelio non crederem, nisi me auctoritas Ecclesiæ Catholicæ compelleret.* Quanquam vicissim dici possit: *Ecclesiæ non crederem, si non auctoritas Sacræ Scripturæ impelleret.* Et ita, diversis respectibus, autoritas utraque mutua se confirmat. *T.* I. *p.* 22. *C.* Hæc Ecclesia, præsertim primitiva, est infallibilis regula à Spiritu Sancto directa, quæ in his quæ Fidei sunt nec fallere potest nec falli. I. 459. *C.* Ejusque determinationes in rebus Fideï, ab earum numero secluduntur, quæ traditionibus hominum nituntur, qui possunt fallere & falli, cùm ab ea autoritate pendeant, quæ nec fallere potest nec falli. *T.* II. *p.* 44. *B.* Attendendum tamen est, quòd non omnia quæ tradit vel tolerat Ecclesia, publicè legenda sunt, de necessitate salutis; sed dumtaxat illa quæ sub definitione judiciali tradit esse credenda, vel opposita reprobanda, concurrente universali Ecclesiæ consensu implicitè, vel explicitè, vel interpretativè. *T.* I. *p.* 22. *C.* Nimirùm attendendum est, multiplicem esse doctrinarum per Ecclesiam (seu per Concilium, vice versa) approbationem. Quædam approbantur ut certitudinaliter, verè, necessarióque credendæ: quædam ut utiles ad moralem religiosamque doctrinam, sine mixtione falsitatis noxiæ; non tamen sunt ejus generis, ut credantur obligatoriè; sed dicuntur de pietate Fidei: quædam verò solùm permittuntur ut legantur, non quin sint mixtæ falsitates, sed habent aliunde plurimas utiles doctrinas, sicut sunt Scripta multorum Doctorum: & ita Augustinus sua Scripta recipi volebat. *T.* I. *p.* 8. *C.*

Opponet aliquis, quòd in agibilibus, & Constitutionibus humanis, vel Sententiis, vel Sanctorum Canonizationibus Ecclesia falli potest & fallere, secundùm Jura, & experimenta plurima. Respondetur: secùs esse in his quæ sunt Facti vel Juris humani, & in his quæ sunt Juris divini de necessitate salutis agnoscendi, cujusmodi sunt veritates Fidei *T.* I. *p.* 8. *B.* Generatim, in rebus Facti, Ecclesia fallere potest & falli. *T.* II. *p.* 18. *B.* Quin etiam, in materia schismatis & dissensionis inter Pontifices, Ecclesiam omnino infallibilem esse non audet pronuntiare, quando ex Facto res pendet. Ea, *inquit in Epistola ad Ducem Aurelianum*, T. II. p. 7. *B.* quæ dissensionem afferunt in præsenti schismate, sunt talia, quæ in Facto maximè consistunt, in quibus errare sine periculo salutis potest, non solùm iste vel ille, sed etiam in talibus Ecclesia fallere dicitur & falli. Posteà tamen ait: Pium est credere, quòd in tractatione hujus materiæ Concilium generale Universalis Ecclesiæ non erraret. Constat quidem quòd in materiis Fidei error non cadit in generali Concilio. Rationem dant Doctores, ex speciali assistentia Spiritus Sancti, & Christi regentis Ecclesiam, nec permittentis errare in iis ad quæ humana investigatio pervenire non potest: secùs in his quæ vel Facti sunt, vel humana ratione terminari possunt. Præsens autem schisma quanquam in his quæ Facti sunt plurimùm hæreat, ejus tamen terminatio tam perplexa cernitur, tamque difficilis, ut supra hominum vires, ingenia, inventiones & consilia videatur. Ubi verò deest humanum auxilium, potest & debet absque temeritate divinum, etiam miraculosum expectari. Ita enim de fortibus mittendis, in casu, determinat Augustinus, dum sævientibus tyrannis inquiritur; quis de multis Prælatis pro gregis salute remanebit, qui recedent.

Quæ comparatio Gersonii satis indicat eum non loqui de certitudine absoluta Fidei; sed de piâ tantùm credulitate: nam nemo dixerit certum esse & de Fide, fortes illas ita semper temperari, ut nunquam ab intento fine aberrent. Hinc adjicit.

Quòd etiamsi pars injustior vinceret in Concilio; tamen communis error faceret Jus, præsertim error Facti, vel ex Facto locum habens. Hæc in eodem Opere. *T.* II. *p.* 73. *A.* Si tamen ejus generis esset Factum, quòd non posset rationabiliter negari; qui negaret propositionem inde consequentem, diceretur meritò hæresim sapere: ut si quis diceret, quòd Beatus Gregorius non fuisset Papa; quia supposito quòd non possint rationabiliter negari historiæ, dicentes ipsum fuisse verè electum & susceptum in Papam, licèt non sint de Fide, sequitur ista hæresis; quòd

iste

Quòd ritè electus in Papam, non est nec fuit Papa. Aliud exemplum, ut illa propositio; Biblia est falsa, est hæreticalis; & si adderetur quòd Biblia quam habet Joannes est falsa, non esset hæreticalis de se, licèt dici posset sapere hæresim, supponendo quòd Joannes non haberet Bibliam nisi correctam. T. 1. 23. *C.* At in factis dubiis, sicut dicere; Multo tempore fœminam Ecclesia pro Papa coluit (*hæc enim fuit opinio Gersonii*) tunc qui negasset Joannem, Papam esse, quia fœmina erat, non attulisset propositionem hæreticam, aut sapientem hæresim. *T.* 11. 71. *B.*

Similiter & in Facto Marcellini Pontificis, aut alterius Papæ de crimine accusati, posset in eum depositionis Sententia à Concilio ferri: & si diceretur quòd non est hæreticus, aut reus; responderetur, quòd apud Judicium Ecclesiæ, ubi circa ea quæ Facti sunt fallere potest & falli, simile est Judicium de his quæ non apparent, & quæ non sunt. *T.* 11. *p.* 306. Atque ita Pontifex ille ejusque sequaces, tenerentur se submittere Judicio Ecclesiæ: non tamen credere teneretur ille, se noxium esse criminis quod certò scit se non admisisse; nec alii, qui vel eum innocentem esse certò nossent, aut probabiliter opinarentur.

De Autoritate Concilii Generalis in rebus Fidei definiendis.

Ecclesia Universalis, hoc est, Congregatio Fidelium omnium, Doctrinam à Christo & Apostolis traditam semper tenuit, nec unquam ab ea deflexit, aut contrariam credendam proposuit. Verùm cùm in dubiis emergentibus, tota illa hominum Congregatio convocari non possit, nec Judicium ferre; oportuit Christum in Ecclesia relinquere regulam infallibilem pro Fide servanda, & dubiis emergentibus terminandis: nulla autem, secundùm Gersonium, in terris altera talis infallibilis regula reperitur, nisi generale Concilium congregatum. *T.* 1. *p.* 8. *B*, Universalem Ecclesiam repræsentans, ut centies ait idem Gersonius, cum Concilio Constantiensi.

De Concilii generalis infallibilitate dubitarunt tum aliqui Theologi: at semper Gersonius pro ejus infallibilate decertavit, & certum esse docuit, illud errare non posse in quæstionibus Fidei. Unum è multis hìc proferam.

Constat, inquit in epistola citata, *ad Ducem Aurelianensem*, in materiis Fideï terminandis errorem non cadere in Concilium generale. Rationem dant Doctores, ex speciali assistentia Spiritus Sancti, & Christi regentis Ecclesiam, nec permittentis errare in his ad quæ humana investigatio pervenire non potest. At de Concilio pariter id dicit Gersonius, quod de Ecclesia, in quæstionibus Facti, etiam in iis propositionibus quarum pars à Jure pendet. Sic enim ratiocinatur in libro, *De Jurisdictione spirituali.* T. 11. p. 265. Juxta hoc facile est videre, quomodo in ista materia Concilium potest errare, & quomodo non: quia si proponeretur ista propositio; *An deberet esse unus Papa*, Concilium circa illam errare non posset: si autem proponeretur; *An Clemens sit Papa*, cùm includat unum quod est Facti; & etiam in illis quæ Facti sunt errare possit, sic ait, Non oportet dicere quin errare possit, etiam quoad judicandum de jure suo.

Plures aliæ circa Conciliorum generalium autoritatem quæstiones moventur, de quibus fusè Gersonius in Operibus suis. Sed cùm hæ ad πολιτείαν Ecclesiasticam pertineant, ad secundum librum eas remittimus: hanc tantum hìc attigisse contenti, quæ ad ejus in definiendo de rebus Fidei auctoritatem spectat.

De Papa in rebus Fidei definiendis Autoritate.

Examinator Juridicus Doctrinarum Fidem tangentium, Papa supremus est in terris, post Concilium generale, vel cum ipso: quoniam supremus in omni Politia Judex, habet dubia circa Politiam emergentia determinare, vel interpretari, vel declarare, cum appositione pœnarum in rebelles; hoc verò Judicium est auctoritativum. T. 1. 9. *A.* Differt autem determinatio Papæ, à determinatione cujuslibet alterius Prælati, eò quòd generalis sit, & ad omnes Catholicos se extendat quoad pœnam. T. 1. 10. *A.*

Attamen Romanum Pontificem errare posse in judicando, passim inculcat Gersonius, & tanquam certum atque indubitatum supponit; idque etiam in judicando & definiendo cum Consiliariis suis.

At in eo quòd Papa sit errori obnoxius, etiam in rebus Fideï, non sequitur eum non esse Judicem legitimum.

Neque enim potest semper Concilium generale haberi & continuò pro decisione dubiorum, nec expediret passim ita fieri. Supremus autem in Ecclesia faciliter aditur, qui si nollet omnino pertinaciter ea quæ sunt Fidei declarare, vel erraret declarando; superest Judicium Concilii. Concluditur tamen ex hac radice duplex veritas.

Prima, quòd determinatio solius Papæ, in his quæ sunt Fideï, non obligat, ut præcisè est talis, ad credendum: alioquin staret, in casu, quòd quis obligaretur ad contradictoria, vel ad falsum contra Fidem.

Secunda veritas est, quòd Sententia Papæ ligat omnes Fideles ad non dogmatizandum contrarium, nisi per illos, aut apud illos, qui manifestum contra Fidem deprehendunt errorem, & scandalum grande Fidei suo silentio fieri, si se non opponerent, cognoscunt. Quòd si fieret prosecutio Sententiarum & pœnarum contra eos, sciant *Beatos esse qui persecutionem patiuntur propter Justitiam.* Superest quoque remedium Concilii generalis, cujus finalis autoritativa, judicialisque potestas, fundata est indestructibiliter in illo verbo Christi, de correctione fraterna; *quòd si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Quòd adeò verum esse censet, ut oppositam doctrinam hæresim esse dicat, expressè damnatam per Concilium Constantiense. T. 1. p. 9. *B. C.*

Hinc in Causis Fidei, à Judicio Papæ, ad Concilium generale provocari posse, ex professo arguit Gersonius, in Opusculo de hoc argumento conscripto. T. 11. p. 303, in quo propositionem

nem rejicit; quòd Nulli fas sit, in Causis Fidei, Summi Pontificis Judicium declinare; & sequentes propositiones statuit, quæ quibusdam videbantur esse veritates Catholicæ; illa verò è contra palam hæreticalis, & totius Ecclesiasticæ Hierarchiæ, circa Fidei defensionem, seu conservationem finalem & resolutivam, subversiva. Sunt autem propositiones quas probat hujusmodi. p. 307.

1. In Causis Fidei, Judicium inniti debet infallibili regulæ, sic quòd ultimus & supremus Judex, cujus Sententiæ necessariò standum est tanquam verè Catholicæ, non sit à Fide deviabilis: alioquin staret, in casu, quòd homines obligarentur assentire contra Fidem. 2. In Causis Fidei non habetur in terra Judex infallibilis, vel qui non sit deviabilis à Fide, de lege communi, præter ipsam Ecclesiam Universalem, vel Concilium generale eam sufficienter repræsentans. 3. In Causis Fidei nullus particularis homo per suam determinationem potest de propositione non hæretica facere hæreticam; sicut nec de Catholica non Catholicam; ita nec Papa, nec Episcopus, propriè & verè loquendo, possunt propositionem aliquam hæreticare. Possunt tamen propositionem aliquam, quæ videtur aliquibus non hæretica, declarare quòd sit hæretica, & hoc judicialiter, sicut Doctores scholasticè hoc faciunt doctrinaliter. Et hoc appellatur facere articulum: diversimodè tamen; quia Papæ determinatio pœnalis, extendit se ad omnes Fideles; sed Episcopalis tantummodò ad subditos suos, ut præcisè est Episcopalis. 4. In Causis Fidei nulla determinatio judicialis Episcopi, imò nec Papæ solius, præcisè ut est Episcopi vel Papæ, ligat Fideles ad credendum quod ita sit de veritate Fidei, sicut prætendit sua declaratio; quoniam tam Papa, quàm Episcopus, deviabiles sunt à Fide: obligat tamen subditos sub pœna excommunicationis talis determinatio, quod non dogmatizent oppositum talis determinationis, nisi appareat manifesta ratio repugnandi, vel per Sacram Scripturam, vel per Ecclesiæ, seu generalis Concilii determinationem. 5. Ut in Causis Fidei potest declinari Judicium Episcopi, si appareat deviare à Fide, & requiri Judicium Papæ; sic de Papa, respectu generalis Concilii, suo modo dici potest, cùm præsertim apud Summum Pontificem, & ejus Sedem Romanam, possit esse quandoque raritas peritorum in Sacris Litteris, & in vera Fide probatorum, magis quàm apud quosdam ex ipsis, qui generalia habent Studia Sacræ Scripturæ, & aliarum Facultatum. 6. In Causis Fidei illa Major dicitur esse, non quæ est de re majori, sicut de Trinitate & Unitate personarum; sed quæ difficilis est & ambigua ad determinandum, in quibus fundantur Canones dicentes, Causas Majores ad Sedem Apostolicam esse referendas. 7. In Causis Fidei una Causa potest dici Major apud aliquem Episcopum vel Diœcesim, quæ apud alium Episcopum vel Diœcesim non reputabitur esse Major, vel ad Superiorem, sicut ad Papam remittenda, quia scilicet apud talem Episcopum, vel Diœcesim, propter abundantiam Theologorum, Causa talis non reputabitur difficilis vel ambigua; sed per Sacram Scripturam jam damnata vel approbata. 8. In Causis Fidei non minùs aliquando occurrendum est, sive per Episcopum, sive per Summum Pontificem, sive per generale Concilium, dum cernuntur oriri scandala & errores crudeles & impii contra pacificum convictum Christiani populi, qui maximè consistit in observatione Mandatorum Dei, de servando juramento; & de non interficendo homines auctoritate propria; & de non præstando usuram; vel de non rapiendo; vel de non adulterando; quàm dum insurgunt errores contra aliquos de Articulis Fidei, qui numerati sunt in Symbolo. Itaque benevoli Papæ Martini v. qui Constitutionem ejus, de non provocando à Papa ad Concilium non aliter tueri poterant, nisi ita intelligeretur; non esse fas appellare à Papa, vel ejus Judicium in Causis Fidei declinare; non quidem pro omni & in omni casu, sed quamdiu facit quod in se est; quando non apparet devius à Fide; sed ambulat rectè ad veritatem Evangelii, sine personarum acceptione T. 11. p. 307. 308.

De Episcoporum in rebus Fidei definiendis Autoritate.

De Episcoporum in Causis Fidei Judiciis quid sentiat Gersonius, jam ex dictis intelligitur.

Examinatores sunt juridici & ordinarii doctrinarum; in sua Diœcesi *T.* 1. 9. *D.* & ex Officio dignitatis Episcopalis tenentur cognoscete ea quæ ad Fidem & mores pertinent, atque ad eos spectat Judicium autoritativè ferre circa quæstiones Fidei. *T.* 1. *B.* Idque juris habent ex Officio Pastorali, & statu Hierarchiecho, qui fundatus est in Jure divino, cui nullum jus Canonicum ritè intellectum contradicit; quòd ipsi possint in suis Diœcesibus errores in Fide & moribus palam erroneos & scandalosos judicialiter condemnare & hæreticare, hoc est hæreticales decernere & anathematizare, autoritate tamen subordinata ad Sedem Apostolocam, & particulari circa solam plebem suam *T.* 11. 286. *A B.* idque non evocatis aliquando judicialtier errantibus *ibid.* Sed notetur hîc duplex veritas.

Prima. Quòd nullus Episcopus inferior potest condere Articulum Fidei Catholicæ, qui videlicet ad totam Ecclesiam se extendat: non enim potest in eos obligationem ferre, quos non habet in Jurisdictione subjectos. Differt igitur determinatio Papæ, quoniam generalis est, & ad omnes Catholicos se extendit quoad pœnam. Sic intelligere debent dicentes, Nullum præter Papam, condere posse Articulum Fidei; alioquin fallerentur; quoniam in suis Diœcesibus Prælati jus habent, cum appositione cauti consilii.

Pro quo sit secunda veritas, distinctione præmissâ, Quòd aliquæ sunt doctrinæ palam hæreticales apud omnes; aliæ dubiæ simplicibus, sed manifestæ sapientibus & peritis; tertiæ veluti neutræ, habentes pro se Doctores, cum rationibus ad utramque partem probabilibus, nec in una tantùm Diœcesi vel paucis, sed apud omnes Christianos, aut longè plurimos. Est ergo verum, quòd in primis & secundis, autoritas inferiorum Prælatorum se extendit ad suos tantummodo: in tertiis verò nequaquam; quoniam meritò dicuntur Majores Causæ Fidei, propter difficultatem decisionis cum periculo scandali: ideo sunt ad Sedem Ecclesiæ, vel ad sedentem in ea Summum Pontificem referendæ. T. 1. 10. *A.*

Ad Episcopos itaque 1. non spectat propositionem aliquam hæreticare, hoc est, ut hæreticalem judicialiter condemnare, quæ nullo modo pertinet ad Fidem, hoc est quæ non pugnat cum

iis

iis quæ Fide credenda sunt. 2. Non spectat ad eos propositionem aliquam hæreticare, ita ut eorum Sententia liget omnes, ut est præcise eorum Sententia. 3. Ad eos non spectat propositionem aliquam hæreticare, quæ ex se & de Jure penitùs dubia est an ad Fidem pertinat repugnanter, neque est scandalosa, & potest sine periculo ejus veritas vel falsitas ignorari. 4. & 5. Ad eos spectat propositionem aliquam hæreticare, hoc est, ut hæreticalem decernere, definire & determinare, quæ est explicitè & in propria verborum forma contra Scripturam Sacram; & quæ sequitur explicitè, evidenter & clarè ex oppositis Sacræ Scripturæ; quamvis non in propria & eadem verborum forma. 6. Ad Episcopos spectat, de Jure divino & quibusdam de pia consuetudine legitimè præscripta, propositionem aliquam hæreticare, hoc est, hæreticalem decernere, vel determinare, nedum doctrinaliter, sicut Doctores Theologiæ possunt; sed etiam judicialiter, cum appositione Decreti pœnalis contra subditos rebelles, si illa propositio scandalizaret Diœcesim suam. Et si est talis propositio de qua possint habere sufficientem certitudinem per consilium peritorum in Theologia, quòd repugnat eis quæ Fide credenda sunt, quamvis aliqui etiam Theologi dicerentur de illa dubitare: 7. Ad Episcopos spectat, ut in errorum condemnatione semper præferant interesse Fidei, cuilibet interesse personali, vel traditioni Juris purè positivi. 8. Ad eos spectat quòd damnare possint errores in Fide & bonis moribus, etiam dum nomina quorumdam præferunt, absque eo quòd priùs, vel simul agatur de personis. *T.* II. 287. 288. 289.

De Autoritate Theologorum & Theologicarum Facultatum, in determinandis Fidei Quæstionibus.

Proxima est, post Episcoporum in rebus Fidei exponendis autoritatem, Theologorum Sententia, eaque maximè quæ fertur in generalibus eorum Comitiis. Nam, ut ait Gersonius, *T.* I, *26. B.*

Licèt Judicium & quæstiones Fidei autoritativè spectent ad Prælatos: spectare tamen non potest ad alios quàm Theologos deliberatio, sicut & cognitio super his quæ Fidem respiciunt: & sicut Episcopi judicialiter possunt propositionem hæreticam declarare, cum appositione pœnarum; ita Doctores possunt idem doctrinaliter definire. Nec debent ipsi Episcopi propositionem hæreticam decernere, nisi talit sit, de qua possint habere sufficientem certitudinem per consilum peritorum in Theologia, quòd repugnet eis quæ de Fide credenda sunt: quamvis aliqui etiam Theologi de illa dicerentur dubitare, maximè verò iis in locis ubi sunt Studia generalia Thologiæ, sicut est Parisiis, in Oxonio & Braga. *T.* II. 288. *C.D.* Cum verò quæstiones occurrunt habentes pro se Doctores cum rationibus ad utramque partem probabilibus, nec in una tantùm Diœcesi, vel paucis, sed apud omnes Christianos, aut longè plurimos docetur; non potest Episcopus rem in alterutram partem tanquam de Fide definire; sed propter difficultatem decisionis debet Causam, velut Majorem, ad Sedem Apostolicam referre *T.* I. 10.

Verùm lata est differentia inter Theologicos Doctores, propter inæqualitatem exercitii in Theologia & ingenii diversitatem, adeò quòd duo vel tres debent aliquando majoris autoritatis esse, quàm centum vel ducenti; præsertim si appareat causa depravationis in affectu, quæ excæcat judicium. Hoc patuit tempore hæreticorum, ubi à paucissimis Catholicis multitudo eorum tandem superata est.

Consurgit igitur dubietas Fidei in aliqua propositione, non ex multitudine sic vel sic opinantium; sed sumitur ex rationum intrinseca probabilitate ad utramque partem contradictionis. Propterea debet Prælatus, vel Papa, vel Concilium considerare rationes & causas dicendi, magis quàm multitudinem dicentum. *T.* II. 289. At inprimis magni faciendum est Sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis Judicium, ad quam deferuntur frequenter è diversis Mundi partibus, imò & à Romana Curia nonnumquam quæstiones Fidei. T. II. 330. *D.* Cujus tanta est autoritas, ut non solùm Parisiis, sed etiam Bononiæ, solemnis in omnibus Actibus Theologicis fiat protestatio, nihil asserendum aut sentiendum, quod faveat Articulis Parisiis damnatis. T. II. 289. Hinc in damnatione Doctrinæ Joannis Papæ XXII, plus creditum est Theologis Parisiensibus, quàm Curiæ. *T.* III. 1205 *A.* Quâ autem ratione deliberationes in Comitiis Theologorum fieri debeant, ut firma sint, ita exponit Gersonius T. II. 379. Debet causa Fidei tractari simpliciter & de plano, sine strepitu & figura Judicii: & quòd priùs ante omnia fiat inquisitio & determinatio de ipsa veritate Fidei & suo interesse, quàm de interesse personali cujuscumque: debet insuper audiri quilibet in denuntiatione, sine hoc quòd quæratur involvi per lites: debet prætereà examinatio fieri non in abscondito, vel per schedulas, vel per conspirationes; sed in publico, coram peritis, ut habeant ad invicem collationem, & examen diligens, frequens & liberum; nec debent vota publicari. Demùm nullus Theologus potest aut debet in tali materia Fidei tanquam suspectus repelli, quin intersit examini & Judicio, nisi forsitan allegetur & probetur contra eum quòd est in Fide meritò suspectus, vel infectus. Cùm autem tanta sit Theologorum ad confirmationem Fidei utilitas, providendum est sedulò per Rectores Christianitatis, ne Studium Theologicæ veritatis depereat, sed alicubi resideat velut in fonte; alioquin timendum est, ne superseminentur zizania propter varietatem tot capitum, tot insuper passionum diversarum, unde multiplicatio sequitur Judiciorum; ubi si desit recursus ad Theologos non de pravatos & in unum collectos, quis oro providebit? Si dixerit aliquis; fiet recursus ad Sedem & Curiam Summi Pontificis: non negabimus hoc, si Theologia illic habuerit suos Doctores; non partiales, non seductos, non fastuosos, aut invidos; non Potestati sæculari, non spirituali, plusquàm veritati faventes, alioqui tolerabiliùs esset nullos habere, quàm tales pati. T. I. 18 *B.C.*

Cùm tamen nulla determinatio puri hominis qui fallere potest & falli, obliget, ut præcisè talis est, subditos ad credendum: exinde patet via ad investigandum quid operentur condemnationes Articulorum Parisiis, vel alibi factæ. Poterit siquidem fieri, ut absque peccato mortali, imò cum merito magno, sit aliquis Theologus, vel alius prudens, qui dissentiat corde ab humanis determinationibus, aut Traditionibus, qui tamen obligabitur, propter evitationem scandali vel aliter, non repugnare exteriùs: nam potest aliquarum publicatio veritatum prohiberi, & aliquarum falsitatum dogmatizatio permitti. *T.* III. 44. *A.*

Non solùm autem Doctores aut Licentiati, quibus docendi autoritas solemniter concessa est, de doctrina Judicium ferre queunt: sed & quilibet in Sacris Litteris sufficienter eruditus. Ita Gersonius: *Consideratione 5. libri De Examinatione Doctrinam T.* 1. p. 11. cui Considerationi duplex Corollarium adjungit.

1. Staret, inquit, quòd aliquis simplex non autorisatus, esset tam excellenter in Sacris Litteris eruditus, quòd plus esset credendum, in casu, doctrinali suæ assertioni, quàm Papæ declarationi: constat enim plùs esse credendum Evangelio, quàm Papæ: si doceat igitur talis eruditus, veritatem aliquam in Evangelio contineri, ubi & Papa nesciret, vel ultro erraret, patet cujus præferendum sit Judicium. 2. Talis eruditus deberet, in casu, si & dum celebraretur generale Concilium, cui & ipse præsens esset, illi se opponere, si sentiret majorem partem ad oppositum Evangelii, malitiâ, vel ignorantiâ declinare. Addit insuper, omnem hominem habentem donum discretionis spirituum, ad examinandam doctrinam aptum esse.

Verùm meritò duabus observationibus præcedentia restringit. *pag.* 12. *A.*

Prima; quòd habendi sint suspecti; vel non statim admittendi in doctrinis suis, ii qui se dicunt discretionem spirituum & visiones habere. Secunda: Neminem debere facilè æstimare se privata lege moveri, quin humano se paratus sit subdere, parereque Judicio. Unde in quæstionibus Theologicis doctos potiùs, eruditos, & exercitatos in Theologicis studiis; quàm pios & contemplativos, sed Theologiæ expertes consulendos & sequendos, fusè docet in epistola *Adversùs Joannem de Ruysbroech. T.* 1. *p.* 59. & 61. 62.

De SS. Patrum in rebus Fidei Autoritate.

Inter Teologorum autem lucubrationes, Scripta veterum salubriora sunt plerùmque, quàm dictamina novellorum. *T.* 1. 696 *A.* Non tamen quæcumque scripserunt ejus generis sunt, ut non habeant admixtas falsitates, sed habent aliunde plura utilia. Hujusmodi sunt Scripta plurium Doctorum; & ita Augustinus sua Scripta recipi voluit. *Noli*, inquit, *meis litteris quasi Canonicis Scripturis deservire.* Et iterum: *Negare non possum nec debeo, sicut in ipsis majoribus, ita multa esse in tam multis Opusculis meis, quæ possunt justo Judicio & nulla temeritate culpari. T.* 1. 8. *D.* Nihilominus notetur hîc, quòd Doctores etiam Sancti, sunt magis reverenter glossandi in multis; quàm ampliandi; quoniam non omnes semper adverterunt aut advertere cogitaverunt ad proprietatem locutionis. Improprietas autem non ampliari debet, sed ad proprietatem reduci: alioquin quid mirum si negetur * deceptio *T.* III. 14 *C.*

* *Leg: in MS. augetur*

Quomodò ergo respondendum est Sanctis Doctoribus, ut Sancto Augustino, S. Hieronymo, Sancto Bernardo, & aliis, qui videntur dicere contra id quod probatum est. Ad hoc respondetur per tres Considerationes.

Prima est, quòd Spiritus Sanctus interdum revelat Ecclesiæ, vel Doctoribus posterioribus aliquas veritates vel expositiones Sacræ Scripturæ, quas non revelavit eorum prædecessoribus. Secunda. Omni tempore Doctores in Sacra Scriptura instructi, autoritatem habent exponendi & declarandi veritates, sicut habuerunt Doctores antiqui. Et si dicas, quòd non habent talem sanctitatem. Respondeo hoc non impedire, quin talem habeant autoritatem: quemadmodùm Prælati novi similem habent autoritatem cum antiquis, ad eorum populum gubernandum, licèt non talem habeant sanctitatem....

Tertia Consideratio. Sancti Doctores in materia Fidem tangente & Religionem Christianam, semper maturè processerunt, non cito determinando dubias veritates. Ideo locuti sunt sæpe, magis inquirendo, quàm determinando. Hinc est quòd interdum videntur dicere contraria; non tamen dicunt: & potest in tali casu teneri contra eorum opinionem, absque hoc quòd periculosè erretur. *T.* III. 1330. 1331. At allegandi minimè sunt Scriptores nullius autoritatis vel ponderis, nec multùm in Theologicis eruditi, sicut sunt aliqui Glossatores Decretalium, & similiter aliqui quos de numero trahunt Theologorum. *T.* II. 458. *D.* Non quòd improbandi omnino sint novi dictatores, quales assiduè coguntur assurgere, tum propter alterationem variam gustus spiritualis cupientis nunc hanc, nunc illam escam verbi cœlestis, nunc omnem penitùs abominantes; tum verò propter dubitationes emergentes, juxta qualitates personarum, temporum, aliarumque circumstantiarum, quæ nunquam plenè totas se præbebunt, cùm sint absque numero variabiles *T.* II. 696. *A.*

Verùm pati non potest Gersonius, sua vel aliorum recentiorum Scripta, veterum Scriptis præponi; antiquorum volumina omnino negligi, & novas membranas assiduè teri.

Video, inquit, tanta volumina ab egregiis & summi ingenii, atque sapientiæ viris conscripta, neglecta tamen à plurimis ita, ut vix nudo nomine cognoscantur....., sunt qui nescio quibus nugis, ineptissimisque novitatibus membranas, & auditorum, præsertim inexpertorum, mentes occupant. Implent eos sterilibus, utinam non pestiferis, doctrinarum loliis; & memoriæ ventrem non cibis, sed siliquis onerant; agrum insuper cordis, spinis inserunt pro frugibus: incidunt quoque auditores in illud Senecæ: *Necessaria nesciunt qui supervacua didicerunt* &c. Scribimus, sed absque pondere sententiarum, absque numero & mensura verborum: est enim illud quod scribimus floccidum, illiberale, fluidum. Scribimus non nova, sed antiqua, noviterque versando & transmutando, dum nostra conamur efficere, prava reddimus & inepta..... Sic quidam excerpentes, aut magis propriè, lacerantes ex libris optimis & probatis particulis ingentia tendunt volumina, obnubilantes & per incuriam scribendi legendique, reddentes originalia velut mortua à corde. Vides in sententiarum lecturis, dum pudet quemlibet etiam majores sequi, quàm facilis lecturarum varietas in immensum excesserit. Porrò quantò consultiùs erat uti benè inventis, quàm dum quæruntur invenienda, nec illa afferre, quin etiam subvertere jam benè inventa. Quæ non à loquacibus juvenibus leviter (quia ad pauca aspiciunt) enuntiantibus; non ab argumentationibus dialecticis; non ab improbè sordidéque viventibus; sed à sanctissimis, qui faciebant quæ docebant, solidissimâ cautissimaque traditione fulcita subsistunt. . . . Sequamur tritum iter, commodius planè, & ab errorum, scandalorumque discrimine remotius. Tot habemus salutaris sapientiæ fontes vivos, ne quæso cisternas dissipatas fodiendo, nos casso, vano & stultò labore fatigemus. Hæc ille & alia in *Epistola ad Studentes Navarræ T.* 1. *p.* 106 & 107.

De fugiendis vana Curiositate & Singularitate in rebus Divinis.

Imprimis verò abjicienda est à Thologis superbia., quæ scholasticos à pœnitentia & Fide viva præpediens, duas in eis filias infelices, nisi providerint, gignere solita est; *Curiositatem* & *Singularitatem*, quibus insuper misera soror additur *Invidia*, quarum progenies infausta multiplex est super numerum: ibi contentio, disceptatio, pertinacia, erroris defensio, amor proprii sensus, pertinacia in opinionibus vel suis vel suorum; denique scandalisatio & contemptus simplicium, atque omnis doctrinæ humilis abominatio.

Curiositas est vitium quô, dimissis utilioribus, homo convertit studium suum ad minùs utilia, vel inattingibilia sibi, vel noxia.

Singularitas est vitium quô, dimissis utilioribus, homo convertit studium suum ad doctrinas peregrinas & insolitas. . . ,

Utraque culpatur; quia deserit meliora: quod profectò non fit absque cujusdam excellentiæ propriæ desiderio. Curiositas, ut sciat alia quàm oportet: singularitas, ut cœteris emineat. Hinc eliciamus Considerationes aliquas ad commonitionem scholasticorum Theologorum.

I. Consideratio.

Sicut Philosophos antiquos curiositas fefellit, ita formidandum est, ne Theologos nostri temporis ipsa similis curiositas decipiat. Porro si Philosophi, ratiocinatione cognoscentes Deum unum, Principem & Rectorem omnium, se intra hos limites coarctassent, & Deum sic cognitum, ut dignum fuerat glorificassent, benè erat cum eis; sed pergere ultra volentes, defecerunt scrutantes scrutinio... Ita etiam formidandum est, ne similis curiositas Thologos decipiat. Constat enim quòd materia Fidei, quamvis Philosophiam superet, nec ei contraria sit, habet terminos suos prædefinitos in Sacris Litteris nobis revelatis, ultra quos nihil audendum esse, definire, vel tradere, B. Dionysius expressit.... deficiente enim, vel non sufficiente scala Scripturarum, qualis altera comparabitur scala, ad altiorem de Deo cognitionem attingendam?.... Conferamus nunc ad divinas voluntates non revelatas nobis cœlitùs, sensum cujusvis Theologi quantumlibet elevati; nullus dubitaverit, quin ad illas cœcior sit, quàm cœcus ad colores; & non minùs idiota, quàm idiota aliquis ad Metaphysicam, aut Mathematicam disciplinam. Propterea si de altis istis & non revelatis veritatibus voluerit hujusmodi Theologus judicare, aut præsumptione raptus, aut pudore oppressus, si non ad omnia quæsita sibi responderit; quis non videat quàm profundam sibi, aliisque erroris abyssum paraverit? Quantò securiori humilitate responderet in multis: nescio, Deus scit & cui voluerit Deus revelare. Credite Evangelio & sufficit.

Nolo tamen ut hæc nostra curiositatis inculpatio nutriat secordem ignaviam eorum qui de divinis, ea quæ possunt debentque intelligere, vel negligunt, vel non negligentibus detrahunt: utrumque vitio deputatur; & nolle elucidare veritatem Sacræ Scripturæ, cum modestia in suis se limitibus continente: & vitium est velle plusquàm oportet sapere, & non ad sobriam pietatem.

II. Consideratio.

Signum curiosæ singularitatis est, fastidire doctrinas resolutas & plenè discussas, & ad ignotas vel non examinatas velle converti. Hanc esse magnam ac præcipuam causam existimo, cur opiniones toties revertuntur & mutantur. Mavult enim curiositas quærere invenienda, quàm inventa cum veneratione studiosa intelligere.... hæc non ratio, sed furia multos olim ad hæreses seminandas rapuit. Postmodùm alios ad scrutandum scrutationes inutiles, specie subtilitatis & novitatis allicientis impulit.

III. Consideratio.

Signum curiosæ singularitatis est, indebita Doctorum & Doctrinarum appropriatio. Si unus Dominus, una Fides, una Lex, si rursùm veritas communis est, à quocumque dicatur, à Spiritu Sancto est. Quorsum tendit hæc animosa affectio apud diversos Status & Ordines Christianorum; quòd iste plusquàm ille Doctor ab istis & non illis defenditur, colitur, antefertur; siquidem id fieret studio solius veritatis, absque fermento vanitatis, bene fieret; differt enim Doctor à Doctore, sicut stella à stella, hoc scio, hoc commoneo. Sed si ista sincerè fieri, facta interrogaveris, ipsa magnis vocibus contradicere audies.

Si aliquis dixerit, exempli gratiâ, de Scoto, vel de Ripa, vel de alio Doctore Fratrum Minorum; Doctor iste minùs bene sentit in hac materia: videbimus protinùs secundùm varietatem Ordinum, varietates affectionum & gustuum: his indignantibus & contra niti paratis; aliis congratulantibus atque faventibus, ut vel Dominum Hugolinum, vel de Tarentasia, mox intuebimur mutata esse omnia versa vice mortalium: hæc namque sunt indicia vanitatis & quædam vestigia singularitatis intrinsecùs, & palliata extrinsecùs umbra veritatis adamatur. Quæ singularitas Doctorum & Doctrinarum, quantam fenestram aperiat ad errores in Fide, ad schismata & contentiones in Christiana Religione, videt qui videt. Per eam fit ut affectio depravet intellectum speculativum, quemadmodùm intellectus practicus quotidie perturbatur. Utrobique enim par est ratio, nisi quòd in illo vana gloria malum subtilissimum & efficacissimum regnat; in isto brutalis cujusdam dilectionis appetitus, magis ad errorem operatur. (*Hanc Considerationem integram retulimus, quia temporibus nostris videtur aptissima, ubi malum hoc heu! latè regnat.*

IV. Consideratio.

Patres nostri curiositatis venenum tollere volentes, sanctè statuerunt, ut neque apud Artistas

materiæ purè Theologicales, neque apud Theologos materiæ purè Logicales, aut Philosophicæ disputarentur..., Ecce profiteris te velle fieri Theologum, benè habet: perscrutare igitur, & lege quæ Thologica sunt. Hac Consideratione notantur ii qui Theologicos libros & scholas aut replent sophismatibus, aut plusquam satis est scientias peregrinas introducunt.

Quæ materiæ Theologicæ.

At verò quæret aliquis; Quales materiæ dicendæ propriè & purè Theologicæ? Respondeat non ego, sed Augustinus, quòd illæ, *per quas Fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* Fides, Spes & Charitas quemadmodùm solùm nominantur & sunt virtutes Theologicæ; ita meteria illa propriè dicenda est Theologica, quæ Fidem ædificat, Spem erigit, Charitatem inflammat. O Sententiam aureis caracteribus in omnibus Theologorum Scholis insculpendam.

V. Consideratio.

Signum curiositatis & singularitatis est, gaudere potiùs in impugnatione Doctorum, aut in defensione unius pertinaci, quàm ad eorum dicta concordanda operam dare. Intolerabile itaque esset dicit Guilielmus Parisiensis, confestim judicare sapientissimos Inquisitores veritatis erravisse. Quod intelligit; nisi priùs diligentissimâ perscrutatione habitâ, cognoscatur eorum positio in nullo posse defendi &c.

VI. Consideratio.

Gaudere novis adinventionibus terminorum in materiis speculativis Theologiæ, præsertim divinitatis arcanum tangentibus, curiositas est pernitiosa & tollenda. *Liberis verbis* inquit Augustinus *loquuntur Philosophi, & in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem piarum aurium non pertimescunt: nobis autem ad certam regulam loqui fas est.* Similter Dionysius, primo *De Divinis nominibus.* Animadverterunt hoc cœteri Patres & Doctores Ecclesiæ in Conciliorum celebratione, qui non solùm sententias, sed verba etiam sententiis convenientia perscrutabilissimâ sedulitate librantes, & ad paucos & certos terminos frænata loquendi libertate redegerunt. (Testimonia hic affert ex Hieronymo, & cœteris multis de hoc nomine *homousion*, & aliis.) Quamobrem dum terminos quosdam apud aliquem ex Doctoribus approbatis invenimus non usitatos in Scholis, illos introducere non debemus, nisi piâ & reverenti resolutione præviâ; ut dicendo; terminus iste à tali sic accipiebatur, qui scilicet usus, quia usus communis aliter accipit, cavenda est offensio in divinis. Et *post allata hujusmodi non tolerandarum locutionum exempla,* ait: Hac consideratione maximè motos Theologos Parisienses, ne doctrinam Raymundi Lulli doceri paterentur: quia terminos habet à nullo Doctore usitatos.

VII. Consideratio.

Fundamenta nimio studio accipere à Philosophantibus paganis, curiositas est in Theologica eruditione periculosa.

Hujus rei inter alia exempla, Origenem testem producit; eosque vituperat Theologos, qui in quæstionibus subtilibus tempus terunt: consulit iis, ut deseratur qualiscumque, si inutilis est, acutissima subtilitas, ut discant non tam disputare, quàm vincere. Et in hanc rem refert historiam cujusdam Advocati, qui moriens, dum recitaret Psalmos Pœnitentiales, & legens hunc versum Psalmi sexti: *Quoniam non est in morte qui memor sit tui,* interrogavit Confessorem suum Magistrum in Theologia, qui aderat; quo pacto verum esset, nullum Dei memorem esse in morte: numquid, inquiebat, non ego moriens Dei mei possum recordari? Hæc audiens compescuit eum Magister cum modestia, admonens non esse hanc horam disputandi, sed orandi, & finem suum Domino commendandi. Cui relationi subnectit egregiam hanc sententiam. Omnes morimur, & tamen insuper nescio qualibus quæstiunculis tam crebrè, & inutili argumentatione occupati, diem exitus nostri nequaquam attendimus.

VIII. Consideratio.

Contemnere claras & solidas doctrinas, quæ leves videntur, & ad obscuriores se transferre, signum est curiositatis & originalis corruptelæ. . . . . Notat hæc Consideratio eos Theologos, qui vel Grammaticis Autoribus, vel historiis sæcularibus, vel Poëtis, vel eloquentiæ priscorum Oratorum, vel Mathematicis inquisitionibus principaliùs insistunt, quàm Theologicis materiis, facientes de accessorio principale. Si autem aliquis theologizans talibus vel delectetur in transitu, & pro sua vel aliorum quadam interim recreatione, hæc laudanda est, quæ & recreat animum fessum in Theologico studio, & nonnihil affert eruditionis & ornatus.

IX. Consideratio.

Præsumptuosa curiositas & singularitas in omni scientia, causat de facili scissuram, & ex consequenti, destructionem in eadem. Hæc fusiùs exequitur in Lectionibus *Contra vanam curiositatem*, in illud Marci: *Pœnitemini & credite Evangelio. T. 1. p.* 91. ad p. 106.

De fugienda in rebus Divinis Novitate.

Præter singularitatem & vanam curiositatem, signum erroris est novitas opinionum: ex hac enim surgunt hæreses; schismata orta defenduntur, & defensa radicantur; radicata, ut experimur, Fidem & Ecclesiam destruunt: moderno enim tempore unusquisque interpretari & trahere non veretur Scripturam Sacram ad libitum suæ voluntatis, prout amor, odium, invidia,

spes

spes promotionis, aut vindicta eum inclinat. Aliqui eorum nimis leviter hæreticos dicunt, quos tamen nondum hæreticare noverunt. Alii verecundiâ ducti, quandoque forsan errores defendunt, ne levi opinione vulgi videantur inquinati. Hi invicem, ut ait Apostolus, *languent circa quæstiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ*. T. II. p. 312.

Theologia quotuplex.
Et de diversis Propositionum Theologicarum generibus.

Theologia tripartitò dividi potest. In illam quæ inter Scholasticos magis vertitur; in eam quæ legentis mores ædificet, regulet & componat; & illam quæ prædicantibus congruit. Hæc autem tria non sunt usquequaque disparata, in quibus quotidie etsi non æqualiter, tamen vicissim deberet verus Theologiæ discipulus exerceri. Qui de singulis libri potissimùm legendi sint consulit Gersonus in Ep. I. *Ad studentes Collegii Navarræ.* T. I. p. 108. De modo etiam disputandi & cum Doctis disserendi, ibidem nonnulla tradit p. 109. Quanquam fateatur, pro varietate studentium, secundùm ætatem, ingenium & tempora, variandam esse studendi rationem.

Versatur autem potissimùm Theologia scholastica circa ea quæ ad Fidem attinent. Jam quidem propositionum ad Fidem pertinentium varia genera assignavimus: sunt quædam quæ de necessitate salutis credendæ sunt; sunt aliæ qua de sola probabilitate tenendæ; sunt quæ de pietate Fidei reputandæ; & sunt quæ impertinentes ad Fidem judicandæ. Primi generis variis sunt gradus.

Primus, eorum quæ litteraliter in Sacris Litteris esserta sunt. Secundus, eorum quæ ex indubitata relatione Apostolorum determinata. Tertius, veritatum specialiter aliquibus revelatarum, quæ ab illis tantùm, quibus revelatio indubitanter facta est, credendæ sunt: cœteri verò non tenentur credere, nisi per miraculum evidens, & per Ecclesiam detur certitudo. Quartus gradus continet veritates omnes & singulas quæ concluduntur ex præmissis veritatibus, in consequentia certa, in lumine Fidei, vel in evidenti lumine naturali, quamvis non in propria forma verborum illic habeantur: quemadmodùm ista veritas est de necessitate salutis credenda; *Christus habuit nervos & venas, ossa & reliqua humana membra*; quamvis in Scriptura Sacra non habeatur in propria verborum forma. Et ita de similibus, sine numero; quoniam ista est evidens consequentia, nedum in lumine Fidei, sed in lumine naturali apud Philosophos, *Christus fuit verus homo; ergo Christus habuit nervos & venas*.

Hi autem quatuor gradus ad Fidem pertinent, & primum genus veritatum, quæ credendæ sunt necessariò, & sine hæresi negari non possunt. In quinto gradu reponuntur veritates illæ, quæ ex veritatibus quadruplicis gradus ante dicti deducuntur in consequentia tantummodò probabili vel topica; vel dum in antecedente ponitur propositio quæ ad Fidem est impertinens; quamvis supponatur esse vera. Veritas autem quæ ad Fidem impertinens, ea sola dicitur, quæ nec in consequentia evidenti, nec in consequentia probabili neque certa sequitur, vel repugnat. Porro dum propositionibus Fidei apponitur aliqua, quæ non est de Fide, tunc totum quod est una copulativa, non potest simpliciter dici de Fide; quia sequitur debiliorem partem. Dicitur nihilominus talis propositio, ad cujus verificationem requiritur una propositio non pertinens ad Fidem, quòd sapit Fidem si sit vera; vel quòd sapit hæresim, si sit falsa.

Exempla subjicit jam relata propositionum illarum: B. Gregorius non fuit Papa; Biblia quam habet Joannes est falsa: quæ pendent è duabus propositionibus quæ humanâ tantùm Fide nituntur: quòd Gregorius fuerit ritè electus; & quòd exemplar Bibliorum Joannis sit correctum. Demùm in sexto gradu collocantur veritates illæ, quæ tantummodo faciunt ad nutriendam, vel fovendam devotionem, religiosamque pietatem; quæ scilicet magis inducuntur ad inflammandum affectum, quàm ad instruendum intellectum; ubi pietas devota magis aspicitur, quàm veritas certa: in quibus hoc unum reprobatur; si adesset assertionis temeritas, priusquàm elucidaretur aliquo modo per Ecclesiam, vel rationem certam ipsa veritas; aut si superstitionem, hoc est Religionem superfluam, aut noxiam, aut vanam induceret. Unde sicut dicit Aristoteles: *Nihil refert quædam falsa, probabiliora esse quibusdam veris*. Ita nihil refert quædam falsa piè credi; non quidem eâ ratione quâ falsa sunt, vel sciuntur esse fala; procul hoc à pietate Fidelium: sed cadit existimatio vel pia credulitas, non super veritate vel falsitate; sed super apparentia vel probabilitate: & hoc utique non est periculosum vel falsum, quia constat de apparentia & probabilitate, dùm falsitas vel veritas ignota est. Propterea sapientissimè dixit Hieronymus, quòd de talibus eligibiliùs est piè dubitare, quàm temere definire.... Respicit autem iste gradus Legendas & miracula Sanctorum, Vitas Patrum, necnon visiones & phantasias religiosarum & devotarum personarum, recitationes & opiniones Sacrorum Doctorum, quæ omnia suscipit Ecclesia & legi permittit: non quòd determinet talia esse de necessitate salutis credenda; sed quia proficuum ad commovendos affectus pios Fidelium, & in ædificationem ipsorum; dum in talibus nihil de certitudine scitur esse falsum, quamvis etiam nesciatur certò verum, quod nec oportet, nec ut tale credendum proponitur, ita quòd magis hîc attenditur id quod pia recogitatione fieri potuit, quàm illud quod factum est. Ex his propositionibus sequentia deducuntur Corollaria.

I. Falsum, blasphemum & hæreticum est, asserere quòd sensus litteralis Sacræ Scripturæ sit aliquando falsus. 2. Falsum & blasphemum & hæreticum asserere, quòd de notis per experientiam vel de evidentibus, non sit Fides etiam propriè dicta.

In exemplum adducit Præcepta Decalogi, & hanc propositionem: *Deus est*. 3. Inter veritates autem Fidei, duplicis generis distingui possunt. Sunt enim aliquæ ad salutem ita necessariæ, ut à nemine Christiano sine desperatione salutis ignorari possint: aliæ, præcipuæ in Religione, quæ Christianis omnibus notæ esse debent, & explicitè credendæ: aliæ, quæ simplicibus ignotæ sunt, nec explicita Fide credendæ, quæ doctis prorsùs credendæ sunt: potest enim simplex & idiota minùs instructus in dubium revocare, vel etiam negare, sine pertinacia, propositiones quæ continentur in Sacris Litteris, quas Thologus exercitatus in Sacris Litteris, tenetur credere

dere Fide explicita; nec tenetur privatus homo ea omnia ad Religionem & mores pertinentia nosse, quæ Prælati ex Doctores ex Officio & Munere suo tenentur credere. Quanquam autem tot dici possint Articuli Fidei, quot sunt veritates contentæ in Scriptura Sacra: restrictior tamen fieri potest acceptio Articulorum Fidei, pro illis tantummodò veritatibus, quæ continentur in Symbolo Apostolorum, quæ, scilicet, de directo & immediatè respiciunt Mysterium gloriosæ Trinitatis & Incarnationis benedictæ, quæ explicitè credenda sunt, cuilibet habenti rationem & discretionem *T.* 1.30.*T.* 11. p. 500: quamvis eadem sit utrobique generalis ratio credendi, scilicet divina revelatio; in tantum quòd sub hac ratione non minùs alia credenda sint firmiter, hoc est, absque formidine de opposito. Nec potest ullus Articulus Fidei hoc modo condi, quòd novum dogma proponatur; sed fieri potest nova declaratio veritatis per Ecclesiam & Concilium, postquam censebitur Articulus Fidei. Imò Papa & Episcopus possunt declarare veritates Articulos Fidei, si manifestè contineantur in Sacris Litteris, aut ex iis deduci necessariò possint.

Ex his principiis pendent descriptiones sequentes:

Descriptiones terminorum, quibus varia Propositionum Theologicarum genera significantur.

Veritas Catholica potest describi: Veritas habita per divinam revelationem immediatè, vel mediatè; explicitè in propria forma verborum, vel implicitè in bona & certa consequentia. Fides pro habitu infuso, est habitus supernaturalis infusus, inclinans ad credendum Catholicis veritatibus. Fides pro actu describitur; Assensus verus & certus, Catholicæ veritati ex infusa Fide proveniens. Fides per habitu acquisito; Habitus verus & certus, per auditum verbi Christi acquisitus. Fides pro objecto, quandoque dicitur ipsa propositio credita, vel aggregatio multorum credibilium, seu veritatum Catholicarum, ut hic: *Hæc est Fides Catholica.* Quandoque ipsa res significata per propositionem creditam, seu Catholicam: & ita nulla res est, quæ non possit cadere sub Fidei: quandoque dicitur ipsa ratio credendi, & hæc est una omnium credibilium, scilicet autoritas primæ veritatis revelantis. Veritas impertinens ad Fidem, est quæ nec sequitur, nec repugnat ad Catholicas veritates. Veritas sapiens Fidem, est veritas continens aliquod, vel aliqua, quæ sunt propriè de Fide, cum aliquo vel aliquibus adjunctis, quæ non pertinent ad Fidem, seu Catholicam veritatem. Et opposita falsitas, dicitur sapiens hæresim, si id quod adjunctum est sit tale, quòd non possit vel debeat rationabiliter negari, quamvis non sit de Fide.

Hæc Gersonius in Opusculo de hoc argumento. *T.* 1. *à p.* 22. *ad p.* 28.

Eadem habes etiam breviùs, in alio Tractatu. *T.* 11. *p.* 335. 336. 337, ubi latiùs etiam disserit, quomodo ea quæ ratione naturali cognoscuntur, eique evidentia sunt, possint tamen esse de Fide.

Breviter autem quid sit asserendum à Christiano Catholico, ita exponit *T.* 11. *p.* 453, scribens non licere de divinis alia, vel aliter asserere, quàm quæ in divinis Scripturis habentur, vel evidenter ex iis concluduntur; vel ab Ecclesia, quæ Spiritu Sancto regitur, credenda traduntur.

Quid sit hæresis & Propositio hæretica.

Veritati Catholicæ contraria est hæresis, quæ definitur ex Hieronymo: *Dogma falsum, Fidei Orthodoxæ contrarium.* *T.* 11. 336. *C. D.*

Cùm ergo ex dictis pateat quæ sint de Fide, & quæ non; quid sit hæresis jam apertè innotescit. Sed non omnis propositio hæretica, hæresis est: sunt enim multæ propositiones hæreticæ, quæ nondum tales declaratæ sunt. Quomodo autem, & à quibus declarari possunt hæreticæ, satis dictum est supra. Nec omnes qui propositiones hæreticas tenent, hæretici sunt: nam ut quis sit hæreticus, oportet ut sit pertinax in hæresi. Hæreticare possunt quidam, & non esse hæretici: quia nemo hæreticus, nisi pertinax: nemo quoque paratus corrigi, hæreticus esse potest. *T.* 1. *p.* 17. *C*, quia qui paratus est corrigi, non est pertinax, & quærit magnâ sollicitudine veritatem. *T.* 11. 264. Ille verò pertinax, qui non dimittit errorem suum, nec quærit cautâ sollicitudine veritatem, vel quæsitæ & doctæ non obedit. *T.* 11. 348.

Duodecim autem signa pertinaciæ assignat Gersonius, quæ legere poteris *T.* 1. *pp.* 36. 37.

Ad suspicionem verò hæreseos à se amovendam, protestatio Fidei adhibenda; sed non omnis protestatio sufficit: quâ de re vide Opusculum Gersonii de hoc argumento, *p.* 28. *& sequentibus.* Nec sufficit dicere quòd, Salver in Fide parentum, aut Credo in Deum, etiamsi quis non erraret; nec enim sola sufficit Fides generalis & implicita, sed explicita requiritur, apud quosdam quidem minùs, apud alios ampliùs, & Symbolum generale apud omnes capaces rationis: nam ex Apostolo, *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator est.* Apud Christianos verò, quibus facta est apertior revelatio de credendis, non sufficit hoc Symbolum, sed debent credere Symbolum Apostolorum. T. 1. 30. Sunt autem alii, quos ultra simplices & commune vulgus hominum, necesse est habere Fidem explicitam de plurimis aliis. T. 1. 31. Nec sufficit dicere, Si hæc veritas mihi nota esse, scit Deus quòd libenter eam corde crederem ad justitiam, & ore confiterer ad salutem. Hæc enim ignorantia non excusat apud Deum & homines, eos qui possunt & tenentur scire, cùm sit ignorantia Juris affectata, crassa vel supina.

In summa, quadruplex est modus errandi circa Fidem. 1. Credendo quòd Fides Catholica sit falsa, aut Scriptura Sacra, & sic errans, dicitur scienter hæreticus; quia non est paratus corrigi, cùm neget regulam per quam habet dirigi vel revocari. 2. Credendo generaliter quòd Fides Catholica sit vera; sed æstimando aliquam esse Fidem Catholicam, quæ in veritate non est Catholica, sicut Arius &c. Errant autem hi contra Fidem quam tenentur explicitè credere. 3. Sunt alii errantes circa Fidem, in his quæ non tenentur pro tunc explicitè credere, & hoc dupliciter. Uno modo pertinaciter, quia non parati sunt corrigi; alio modo, dum parati sunt corrigi protinùs, agnita veritate; quia non pertinaci animositate defendunt errorem, sed ex sola simplicitate vel ignorantia, sunt in errore. Quæ sit propositio sapiens hæresim, jam dictum est supra. Qui autem de hæresi vel leviter, vel vehementer suspecti censeri debeant, exponitur Tomo 1. *p.* 35. & 36.

Quid

Quid Schisma.

Post hæresim, nihil Ecclesiæ perniciosum magis est, quàm schisma, quô Charitas violatur & Unitas rumpitur, scissâ in plures partes Christi tunicâ. Quantum sit schismatis malum, & quæ ad eum, ubi plures de Summo Pontificatu contendunt, extinguendum remedia adhiberi possint & debeant, latè in pluribus locis disserit Gersonius. Schisma verò licèt primùm non sit contra Fidem, ad hæresim tamen disponit: quia recedens ab Ecclesia, errores fingit, ut rectè discessisse videatur. *T.* I I. 22. *B.* Verumtamen in dubio schismate temerarium, injuriosum & scandalosum est, asserere omnes tenentes istam partem, vel alteram, vel omnes neutrales, etiam absolutos, esse universaliter extra statum salutis, vel excommunicatos, vel rationabiliter de schismate suspectos: imò possibile est aliquos veræ parti assentientes, esse veraciter schismaticos; & aliquos falsæ parti assentientes, schismaticos non existere. *T.* II. 4. *A.* Quia multi sunt ex utraque parte, & neutrales, quibus non est materia ista ita clarificata, quin rationabiliter possint negare, aut dubitare istam propositionem, quocumque contendentium demonstrato: A est, aut fuit ritè electus; A non est schismaticus aut hæreticus; & consimiles, ad quas sequitur, A non est Papa: & constat multos esse simplices, qui ad talia dubia investiganda non tenentur alios sequi, nec moventur favore vel odio, seu quæstu, ad non consentiendum huic parti, vel illi, & parati sunt obedire veritati sufficienter agnitæ, nec sunt pertinaces; igitur nec excommunicati, nec de schismate rationabiliter suspecti. &c. quæ vide *p.* 5. & 6.

Consule etiam amplam eâ de re dissertationem in fine Sermonis *De Angelis. T.* I I I. *pp.* 1476 1477 *&* 1478.

Uno verbo, stante dubio probabili & notorio de aliquibus contendentibus de Papatu, dicere quòd alteri est necessariò obediendum, est error in Fide & moribus. *T.* II. 20. *D.*

Quid Propositio erronea, temeraria &c.

Quantumvis in Ecclesia semper diversa errorum genera, diversique gradus observata fuerint; non tamen in iis damnandis diversæ adhiberi solebant notæ: sed generatim proscribebatur error, & anathema ferebatur in eos qui pertinaciter errorem defendebant.

At Gersonii tempore mos inolevit, ut diversa errorum genera, diversis nominibus designarentur, & variis notis afficerentur. Has adhibuit Concilium Constantiense, & in Gersonii Operibus non raro occurrunt. De propositione hæretica & sapiente hæresim, jam ex mente Gersonii dictum. Aliæ item occurrunt notæ; scilicet, falsa propositio in sensu Theologico, hoc est, veritati cuidam, si non clarè & apertè revelatæ ac definitæ; saltem ex revelatis deductæ per legitimam consequentiam, contraria.

Temeraria propositio est, temerè & sine fundamento asserta, contra communem Ecclesiæ sententiam: scandalosa, quæ scandalum parit & in errorem inducit: piarum aurium offensiva, quæ contra opiniones pias vulgò receptas: malè sonans, quæ licèt vera esse possit, sensum præsefert malum: blasphema, quæ Dei vel Ecclesiæ honori detrahit; & injuriosa, quæ in injuriam Christianorum, ac potissimùm Pralatorum cedit.

Quanta autem in adhibendis hujusmodi notis cautio habenda sit; & generatim in damnandis propositionibus quantâ prudentiâ utendum; quantâ in definiendis propositionibus tanquam de Fide, & in proscribendis contrariis dogmatibus ut hæreticis, modestiâ agendum; & à quibus, & quo pacto id fieri possit, jam satis supra expositum.

De Damnatione Errorum, & Propositionum malè sonantium.

Tenentur nihilominus Prælati & Doctores, ex officio, condemnare propositiones hæreticas & erroneas, cùm in sua Diœcesi vel Universitate publicantur, cùm tales sunt, ut sine periculo non possint admitti vel tolerari; cùmque ex silentio nasceretur ingens scandalum.

Hæc fusè Gersonius inculcat in Libellis adversùs Assertiones Joannis Parvi editis, præsertim *T.* I I I. *p.* 346 *& sequentibus.*

Quinetiam aliquando possunt propositiones quæ sensum habent Logicalem verum, damnari, earumque Autores ad revocationem cogi, ob malum sensum. *De Sensu litterali Scripturæ. T.* I. p. 5.

Unde Parisiis quidam volens plùs subtilizare quàm oportebat, ad populum prædicavit, quòd illud quod videtur oculis corporalibus in manibus Sacerdotis, idest illa albedo, non erat Christus, vel Corpus Christi: & licèt haberet verum sensum, & sic exposuerit dum evocatus est per Cancellarium Parisiensem & Magistros Theologicæ Facultatis; nihilominus, quia loquendum ut plures, & sentiendum ut pauci; prohibitus est talibus & taliter prædicare. Hic est enim sermo vulgatus; vidi Corpus Christi; partem tenet Corporis Christi; nec opus vulgaribus dare sensum quem non caperent, aut quo scandalizarentur. Sufficit enim quòd Fides Christianorum salvetur in Fide Ecclesiæ, & Sanctorum Doctorum: sicut de adoratione Imaginum, cum multis similibus. Unde volens unus alius prædicare prædictum, quòd scilicet verè videbatur Corpus Christi; is inventus est populum non minùs deduxisse in scandalum. *T.* I. *p.* 476.

De Causis Errorum.

Transeamus consequenter ad dicendum de causis errorum & cautelis errantium; & dicamus summatim, & velut ab alto, quòd omnium errantium primaria radix & principalis origo fuit & est, inordinata affectio, vel voluntatis depravatio. Hoc vidit Augustinus dicens: *Approbare falsa pro veris, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.* Verùm descendendo sigillatum ad singula.

Prima causa erroris, est ignorantia capacitatis intellectus humani: quidam enim non attendentes limitatum esse intellectum humanum, credunt eum capacem esse omnium; & ideo credunt illud non esse, quod ab eo non capitur. Secunda: est aversio intellectus à credendis, & ab his quæ possunt hominem inducere ad credendum, & conversio ad errores: quidam enim sic amant errores suos, ut contraria eis non velint cogitare vel audire. Nolunt audire

qui sunt in erroribus, aliquid de miraculis, nec Sacra Eloquia, nec rationes Doctorum, quibus possunt ad veram Fidem induci: ideo non est mirum, si remanent in erroribus suis. Tertia: est rerum subtilitas, & intellectus grossities. Quarta: est distantia à credendis. Quinta: est negligentia quærendi Dei adjutorium ad credenda. Sexta: est obstaculum peccati. Septima: est superbia. Octava: est affectio inordinata intellectum trahens ad contraria Fidei; ut timor inordinatus, vel amor, vel odium. *Hæc Gersonius. T. 1. p 5. 6.*

De Examinatione Doctriniarum.

In examinatione verò doctrinarum attendendum est primò & principaliter, si doctrina sit consona Sacræ Scripturæ, tam in se, quàm in modi traditione. Hinc rejecta est Raymundi Lullii doctrina, statutumque est à Facultate Theologiæ Parisiensi suppositis suis, nè derelinquentes modum doctrinalem SS. Doctorum per Ecclesiam approbatorum, observatum hactenùs in hac Facultate, transirent ad novam hanc methodum. Elicitur ex his duplex cautela, nedum pro examinatoribus, sed receptoribus doctrinarum, maximè Religiosis, quos sua sancta non dicam rusticitas, sed humilis & Deo amabilis simplicitas commendat. Nam, ***qui ambulat simplicetir, ambulat confidenter; simpliciter***, intellige non ignoranter, non infantili sensu, non negligenti vel hebeti intellectu; sed absque plica dolositatis, versutiæ, aut curiositatis superbæ: alioquin, qui ignorat ignorabitur.

Prima cautela sit eis; nullam recipere doctrinam absoluto judicio, nisi approbatam, & eò magis, si sermo vel modus sit extraneus à communi sermone, quamvis sententiæ graves apparerent, morales, vel Philosophicæ. Altera cautela: conferre protinùs doctrinam, quæ terminos habet extraneos, vel sententias novas & peregrinas, ad terminos Doctorum communium & sententias eorum.

Secundò: attendendum est in examinatione doctrinarum, cujus sit conditionis docens, seu publicans, sive scribens: quia non modicum refert inter doctum rei de qua loquitur, & inter indoctum; inter senem & juvenem; inter morigeratum & dissolutum; inter hominem boni naturalis judicij, & patientem in cerebro, vel imprudentem. Hic error familiaris est admodùm sapientibus sæculi, qui dum se vident honorari pro aliqua scientia, sit Legum, sit Canonum, sit industriæ mundialis, laxant faciliter ora de sermonibus quos nesciunt; ut de Theologia, quasi verecondarentur aliquid ignorare: aut aliquandò, majori dementia, quæ non cognoscunt in se, despiciunt in aliis, tanquam supervacua & noxia, ne videantur ea quæ sunt utilia nequaquam cognoscere.

Multa adjicit Gersonius contra doctrinas mulierum, earumque visiones; eosque qui illis temerè ac leviter fidem adhibent, quæ apud ipsum vide *T. 1. p. 14 & 15.*

Tertiò: attendendum est in examinatione doctrinarum, cujus conditionis sint hujusmodi doctrinas vel conducentes vel recipientes: quid enim est efficacius ad corrumpendam doctrinam, quàm adulatio subdola vel consulentium, vel conscribentum, vel audientium, vel recipientium, cum indiscreta laude, nec examinata gloria simul cum adulatione. Hinc cautela duplex adhiberi debet. Primò. Fugere adulationem indoctorum, vel pravorum. 2. Cavere nè leviter approbent doctrinas, vel miracula, vel visiones insolitas.

Quartò: attendendum est quis sit hujusmodi publicationis doctrinarum finis. Itaque ruminet primò assiduè docens, vel scribens, vel studens, quis suus sit finis. Secundò: paratus sit is qui legit, scribit, aut studet, ut ea quæ profert, publicum subeant examen.

Quintò: attendendum est in examinatione doctrinarum, de fine; si sit ad commodum temporale, vel quæstum.

Sextò: num ad coporalem libidinem explendam, aut spiritualem luxum, hoc est, curiositatem sciendi quod non oportet, aut plusquàm oportet, studium referatur. Adversùs quæ prima sit cautela, non plùs sapere quàm oportet, sed ad sobrietatem: quia non omnibus omnes doctrinæ conveniunt. Dein, quæ generalis est finalisque cautela, illud Apostoli Præceptum. *Doctrinis variis ac peregrinis nolite abduci.*

Hæc ex posteriori Parte libri, *De examinatione Doctrinarum T. 1. 7.* Ideo ***non est unicuique spiritui credendum, sed probare oportet spiritus si ex Deo sunt.***

At non omnium est probare spiritus, sed quibus datum est, quales sunt spirituales, quos unctio docet de omnibus, & hoc multipliciter.

Uno quidem modo, per modum artis & doctrinæ generalis, sicut per eruditionem Sacrarum Litterarum, diligenti pioque studio acquisitam.

Alius, per inspirationem intimam, seu internum saporem, sive per experimentalem dulcedinem quamdam, sive per illustrationem fugantem tenebras omnis dubii.

At probare spiritus, si ex Deo sunt, per regulam artis generalem pro particulari casu, aut non potest, aut vix potest humanitùs fieri, sed requiritur donum Spiritus Sancti: & sicut nemo novit quæ sunt spiritus, nisi spiritus; ita nemo cognoscit infallibili certitudine ea quæ per solam experimentalem notitiam, vel sentimentum interius & sensum aguntur in alterius animo.

Quàm satius est probare spiritus, si ex Deo sunt, primo modo, videlicet per Scripturam Sacram & eruditos bonos in eadem. Est autem utrobiquè, vel in approbatione, vel in reprobatione periculum.

Approbare enim falsas & illusorias, seu frivolas visiones pro veris & solidis revelationibus, quid indignius? Reprobare verò eas quæ multifariè multisque modis, quaquaversùm per diversas Nationes probatæ dicuntur, non parva exinde scandalorum in Christiana Religione & devotione populorum formidatio. Denique in ipso silentio & dissimulatione, non nihil esse discriminis pertimescimus. Invenire verò medium aliquod inter hæc extrema, laudabile quidem; scilicet an effectibile sit, necdum satis cernimus exploratum.

Probare spiritus per modum artis & doctrinæ, nemo perficere potest per solam Sacræ Scripturæ eruditionem, qui non sit etiam expertus in semetipso variam affectionum spiritualium pugnam: & quin idem qui in Scripturis Sacris est eruditus, sit simul in contemplationis exercitatione probatus.

Probare verò spiritus doctrinaliter dum quærimus in aliis personis, quorum corda neque videre neque scrutari datur, oportet ut ab operibus signa sumamus.

Consideretur inprimis persona suscipiens visiones, si sit boni & discreti judicii rationis natura-

ralis: quia læso cerebro, turbatur judicium rationis: si læsus phantasias patiatur, non multùm quærendum est à quo spiritu veniant melancholicæ illusoriæque visiones, ut patet in phreneticis & ægrotis variis, qui vigilantes se talia videre putant, audire, gustare &c.

Quæritur si persona sit novitia in zelo Dei, quia novitius fervor citò fallitur, si regente caruerit, præsertim in adolescentibus & fœminis, quarum est ardor nimius, varius, effrenis, ideoque suspectus.

Rursùs plurimùm refert attendere qualis sit & fuerit persona, qualiter erudita, quibus assueta, quibus delectata, cum quibus conversata, si dives vel egena: in prima superbiam; in altera fictionem tenebimus.

Probatio spirituum respicit, nedum personam quæ visiones patitur, sed visionum qualitatem: si vera sunt omnia, etiam usque ad minimam propositionem; quoniam in spiritu falsitatis veritas non est: in spiritu autem mendacii quandoque sunt veritates apertæ, ut in unica latente falsitate decipiat. Est animadvertendum si sit in visionibus sapientia quæ desursùm est, cum suis titulis, quos Jacobus. III. 17, enumerat: si rursùs excedant hæ visiones communem intelligendi modum, vel in Scriptura Sacra positum, vel in ratione naturali, vel morali collocatum: quia si non, videretur illud ascribi frustra revelationi: quod in Scriptura locutus est Deus, idipsum non repetit. Onerosum quippe esset, ne dicamus vanum, visiones super visiones in immensum multiplicatas debere recipere tanquam ab ore Dei prolatas, ac deinde certissimâ Fide credendas. Sicque demum nostra Fides, nostraque Religio, quam Deus, teste Augustino, voluit sub paucissimis contineri, redderetur plùs, absque ulla comparatione, quàm Lex vetus onerosa.

Hinc claræ memoriæ Magister Henricus de Hassia, comprimendam esse tot hominum Canonizationem scripsit. Hinc alia ratio sumitur, quòd omisso Divinarum Scriptuarum studio, magna pars Christianorum ad has visiones, ideò placentiores quia recentiores, converterent oculos, & aures prurientes; sicque necessaria nescirent; quia, juxta Senecæ verbum, *Super vacua didicissent.*

Sint oportet in omni revelatione Moyses & Helias, hoc est, secundùm Venerabilem Richardum, testimonia Legis & Prophetarum; per totum alioquin suspecta est.

Persona verò cui hujusmodi visiones recitantur, habeat se prudenter & cautissimè; præsertim in principio: consideret quare movetur hæc persona secretum suum pandere; non applaudat ei; non obinde laudet eam; nec miretur quasi Sanctam; obstrepat potiùs, increpet eam durè, spernat eam. Consideranda prætereà causa, quare dicuntur fieri visiones: præsertim quo fine, nedum proximo, nedum aperto, sed occulto & longinquo. Potest enim finis primus apparere bonus & salubris & devotus ad ædificationem aliorum, qui tandem prolabetur in multiplicius scandalum; dum vel non respondebunt ultima primis, vel aliud falsum fictumque deprehendetur in personis fuisse, quod reputabatur sanctitatis & devotionis.

Mores etiam personæ considerandi, vitæque conversatio sedulò inspicienda. Demum, cùm difficile sit admodùm discernere in homine sensum à consensu; quantò plùs habet difficultatis probatio spirituum, revelationum & visionum?

Hæc descripta sunt ex Tractatu *De probatione spirituum.* T 1. *à pag* 37. *ad pag* 43.

De Distinctione verarum Visionum & Revelationum à falsis.

Quo autem pacto speciatim veræ visiones à falsis distinguantur, docet Gersonius peculiari Libello, in quo sequentia tradit signa, quæ apud ipsum fusiùs explicata invenies. T. I. *à p.* 43 *ad p.* 59.

Primum est humilitas: Si cognoveris aliquem qui per superbam curiositatem & vanam laudem, atque præsumptionem sanctitatis, cupidus sit habere revelationes insolitas, qui se dignum istis reputet, qui in talibus de se narrandis gloriabundus delectetur; scito quoniam illudi meretur, neque magni pendas, si aliquam habuisse revelationem jactanter affirmet: deest enim pondus humilitatis. Observandum tamen est, quòd quælibet manifestatio revelationis sibi factæ, non est arrogans & superba: sed ea tantummodò quæ fit inaniter, vanè & absque fructu ædificationis, vel consilii, ad exonerandum tumorem animi à vento jactantiæ; ad scalpendum denique prurientes aures astantium curiosâ hujusmodi miratione vanitatum.

Secundum signum revelationis, est discretio, quæ dat flexibilitatem, intellige promptitudinem ad credendum consilio, quæ est humilitatis filia. Sunt quibus placet propriâ sententiâ duci, & ambulant in adinventionibus suis: ducit eos periculosissimus rector, aut veriùs impellit, propria opinio; jejuniis supra modum se macerant; protendunt vigilias; lachrymis plusquam oportet cerebrum turbant & extenuant; & inter hæc, nullius credunt monitis, neminem consulunt. De talibus pronuntio, quia citò prolabuntur in omnem dæmonum illusionem, citò impingunt ad lapidem offensionis, quia cæca præcipitatione, & nimia velocitate rapiuntur. Prætereà quidquid de revelationibus insolitis pronuntiaverint, habeto suspectum.

Tertium signum, est patientia, quæ dat durabilitatem, dum per ignem tribulationis examinatur, & dum per contumelias & probra pulsatur. Si quis itaque ex manifestatione illorum quæ sibi dicit fuisse revelata, reportet non nisi dejectionem, irrisionem, & opprobria; faciliùs inducit credere sibi, quàm ubi suspicio de vanæ laudis captatione rationabiliter exoritur. Fallax tamen esse hoc signum non dubito; nisi cautissimâ circumspectione, cum aliis adjunctis examinetur: nam & obstinatio sæpe patientiam simulat, & nonnulli ex contumeliarum perpessione gloriantur; quemadmodùm ipsæ etiam sordes vestium, & cilicium aliquando superbiæ germen mordacissimum generant & nutriunt.

Quartum signum, est veritas, quæ dat configurationem & inscriptionem legitimam.

Est namque Scriptura Sacra locus, officina, ubi cuneus Regius monetæ spiritualis reconditur: quia si in aliquo vel minimo puncto discrepet in sua figuratione & superscriptione ab hoc cuneo Regis; absque ulla dubitatione falsatus est. Attamen est nonnumquam tanta similitudo denarii falsi ad verum, ut vix, nisi à doctissimis falsitas possit deprehendi.

Visi sunt hæreteci, qui magnos compingebant Catholicæ doctrinæ libros, ut solam hæresim inter tot veritates latenter insererent, & cautiori efficaciorique fraude publicarent. Hæc res indicat, ex quanta necessitate, quælibet moneta revelationum insolitarum, debet à Theolo-

ologis, priusquàm admittatur, examinari, quorum præcipuè intereſt veram & falſam Religionem, moreſque diſcernere. Palam eſt inſuper, quàm pernitioſa ſit Scripturæ Sacræ rejectio. Hoc ſignum quartum manifeſtè traditur *Deut* III & XVIII.

Et pro elucidatione majori, hîc placet quatuor conditiones veræ revelationis aſcribere.

Prima: ut nihil futurum prænuntietur, quin veraciter futurum ſit, in ſenſu quo Spiritus Sanctus intendebat. 2. Si quod prædictum eſt, non eo modo quo vocaliter prætendebatur eveniat, à Spiritu Sancto revelationem accipiet Propheta, de Prophetia vel revelatione ſic vel ſic intelligenda, conditionaliter, myſticè vel litteraliter. 3. Nihil bonis moribus & ſinceræ Fidei contrarium, Angeli Sancti & Prophetæ veri prædicent. 4. Revelatio quæ bonis moribus obviaret, niſi clarè & apertè conſtet de permiſſione aut diſpenſatione Dei, audiri non debet.

Quintum ſignum, eſt Charitas, ſeu divinus amor: ſed non uſquequaque ſtatim ſufficiens eſt, propter ſophiſticum & fucatum colorem dilectionis.

Hîc multa addit de illuſionibus amoris, præſertim in fœminis. His nixus fundamentis, tertiam partem libri Joannis De Ruysbroech rejicit, ut diſcrepantem à doctrina ſana Sanctorum Doctorum, licèt hujus pietatem & ſanctitatem commendet.

Quia ad quæſtionum talium determinationem, aut ad eas planè intelligendas vel explicandas, non ſufficit quòd homo ſit devotus, & ſit adeptus illam contemplationis ſpeciem, ſanctiſſimam prorsùs & optimam, quæ verſatur in affectione & fervore charitatis; ſed neceſſe eſt ut alteram contemplationis ſpeciem habeat, quæ verſatur in perſcrutatione divinarum virtutum, per quas Fides ſaluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur: atque ubi de veritate Fidei quæritur traditâ in Scripturis, magis interrogandi conſulendique ſunt Theologi vigentes in contemplatione ſecunda, quàm idiotæ pollentes primâ, ſecluſo in eis patenti miraculo.

Hæc & alia in Epiſtola, *De libro Joannis Ruysbroech*. T. I. p. 59 *& ſequentibus*.

In Reſponſione verò ad Joannem de Schoenhavia, placita quædam adducit, ſecundùm quæ judicari vult de doctrina & locutionibus ſpiritualium. *T*. I. 79.

1. Nobis ad certam regulam loqui fas eſt, nec utendum terminis novis, inuſitatis, impropriis & malè ſonantibus. 2. Si modus loquendi Doctorum reperiatur improprius & parabolicus & inuſitatus, aut figuratus, extendi vel in uſum trahi non debet; ſed ad ſenſum proprium & non figurativum reverenter exponi. 3. Unicuique in ſua arte perito credendum eſt. Hæc eſt ratio propter quam Doctoribus in Sacra Theologia exercitatis datur auctoritas interpretandi doctrinaliter Sacram Scripturam. 4. Devotio illorum culpanda eſt, qui nituntur involvere ſententias ſermonibus imperitis, peregrinis, & inuſitatis; vel eos qui ſic volunt, laudare atque defendere, & defendendo ſeipſos magis involvere. 5. Amicus Plato, amicus Socrates, ſed magis amica veritas. Pervertit enim affectio nimia ad Doctorem aliquem vel doctrinam, judicium non ſolùm practicum, quod ſæpiſſimè contingit, ſed etiam ſpeculativum. Tollenda eſt igitur è medio ſicut odioſa concertatio & inſectatio invidioſa; ſic pertinax & animoſa hujus vel illius doctrinæ defenſio. 6. An qui amant ſibi ſomnia fingunt. Hinc ſicut ex carentia pii affectus, & magis ex infectione ejus per vitia, errant nonnumquam peritiſſimi in Sacris Litteris: ita & parvo lumine intellectûs, & parvâ inſtructione in ſtudio litterarum, etiam ſæcularium, præſertim in Logica, prolabuntur aliquando in errores periculoſiſſimos. Ita illi qui magnorum ſunt erga virtutes affectuum, quales Apoſtolus notavit habere zelum, ſed non ſecundùm ſcientiam; adeo ut ſi non humiliter ſapiant, & niſi ſeſe contrahant infra metas ſuæ cognitionis, nulli pertinaciùs inveniuntur, neque abſurdiùs errores confingere: propterea non leviter oportet eos ſcribere vel docere; ſed nec abſque cautela magna adhærendum eſt eis, niſi prævia diſcuſſione diligenti, & Doctorum examinatione. In talibus enim reperimus plurima aut falſa, aut malè explicata; at proinde multam erroris materiam præbentia ſimplicibus, quamquam in multis diviniſſima altiſſimaque ſint. 7. Docendus non eſt vel monendus, qui errorem ſuum defendere mavult, quàm corrigere.

Ad deſcriptas huc uſque de viſionibus & revelationibus regulas, ſi ad amuſſim exegiſſet Gerſonius eas, quæ in Hiſtoria Erminæ legebantur, fortaſſe non ita pronus fuiſſet ad eas approbandas. Verùm, ſicut ait olim deceptum ſe fuiſſe ab Eremita Remenſi revelationes jactitante; ita videri poteſt hîc in gratiam amici ſui Joannis Morelli Canonici Remenſis, hujus fœminæ revelationibus nimis credulus fuiſſe. Quidquid ſit, fatetur non eſſe neceſſarium ad ſalutem, credere omnia & ſingula de facto contigiſſe, eo modo quo in hoc Libello leguntur. Imò obſervat, non expedire paſſim & generaliter prædicare ea, quæ in illo continentur; ſed illis duntaxat hæc aperienda, quos veriſimile erit ex his ſalubriter ædificari.

Subjiciam hîc quæ de quæſtionum inutilium incommodis obſervat Gerſonius, in Epiſtola quadam.

De inutilium Quæſtionum incommodis.

Nè, inquit, tractentur ita communiter doctrinæ inutiles ſine fructu & ſoliditate; quoniam primò, per eas doctrinæ ad ſalutem utiles & neceſſariæ deſeruntur. 2. Per eas ſtudentes ſeducutur; quia ſcilicet putant illos principaliter Theologos eſſe, qui talibus dant operam, ſpretâ Bibliâ & aliis Doctoribus. 3. Per eas termini à Sanctis Patribus uſitati tranſmutantur, contra illud Auguſtini, *Nobis ad certam regulam loqui fas eſt*. 4. Per eas Theologi ab aliis Facultatibus irridentur: nam ideo appellantur Phantaſtici; & dicuntur nihil ſcire de ſolida veritate, & moralibus Bibliæ. 5. Per eas viæ errorum multiplices aperiuntur: quia enim loquuntur, & fingunt ſibi ad placitum terminos, quos alii Doctores & Magiſtri non intelligunt, nec intelligere curant; dicunt incredibilia & abſurdiſſima, quæ ex ſuis abſurdis fictionibus dicunt ſequi. 6. Per eas Eccleſia & Fides neque intus neque foris ædificatur. 7. Per eas multi ex Theologis, tam activè quàm paſſivè ſcandalizantur: nam alii rudes vocantur ab aliis; alii è contra curioſi & Phantaſtici *T*. I. 122.

Theologicæ Scientiæ Utilitas.

At quantùm inde Phantaſticos illos Theologos contemnit Gerſonius, tantùm homines qui Theo-

Theologiæ veræ ac solidæ dant operam commendat, & illos qui ipsis detrahunt insectatur; nequidem parcens Prælatis nonnullis, qui Theologiam & Theologos haud magni faciebant. *T.* III. *p.* 1301. *in Serm. Dom.* XIX *post Pentecost.*

Theologia, inquit, ab eis stultilogia nominatur; & quæ sola, aut principalis in arce locari debuerat tanquam speculatrix, sagacissima, & in comparatione cujus, quævis alia, ignorantia dici potest, imo dejicitur, calcatur, reputatur probrum ingens. Quinetiam, si fama non mentitur, Prælatorum nonnulli (quod vix credere ausim) stultitiæ palàm arguunt homines Theologiæ operam impendentes, quasi ipsa res sit fatua, inutilis, phantastica. Theologicus, inquiunt, ergo Phantasticus. O nefandas, diabolicasque voces, & perditissimis auctoribus suis simillimas! O putrida ora, ferro cauterizanda, quæ tam spurcidum verbum expuerunt! Ista certè non irrisio est, sed mera blasphemia, & hæc igne & ferro exterminanda esset, præsertim in Prælatis, qui, de necessitate salutis, Fidem explicitè scire debent, persuadere insuper, & contra hæreses, si pullulant, acriter, sapienterque protegere. Tremenda hæc talibus, vera tamen sententia: neque enim domum suam prudenter instituisset Christus, nisi ad illius contra hæreses vastatrices tuitionem, quosdam obligasset. Quos autem alios ex Officio, magis obligatos reperies? *Potens sit* (inquit Apostolus de Episcopo) *exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* Tit. I. 9. Audent tamen eorum aliqui, prout fertur, à Theologiæ studio homines deterrere. O Fides! O Religio! Et miramur igitur, si Ecclesiastica domus perturbetur; si spirituali temporalique incommodo quatiatur, quandò è specula Theologiam præcipitant, & in ejus locum Domina ignorantia sublimatur? *Propterà*, inquit ipsa, *captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam:* Isaiæ. V. 13. Scientiam loquitur spiritualem divinæ Legis, non animalem & mundanam, quæ judicare de * pœnis (*Sicut ait Autisiodorensis*) aut de pecuniis numerandis & extorquendis solerter solet disserere. In spiritualibus autem, (*cæci sunt* (ait veritas) *& duces cæcorum:* nimirum sic *ambo in foveam cadunt.* Et ætate nostra nimis, heu! verum est Prophetæ vaticinium: *Speculatores ejus cæci omnes.* Isaiæ. LVI. 10.

* In MS. lecitur de pœcis.

Tres secundùm hæc, de Theologiæ contemptu, Considerationes subjicit.

Prima. In Ecclesiastica domo, in qua unius corporis membra sumus, simile esset, si Theologia ejiceretur, ac si membra hominis in oculos conjurarent, eosque eruerent; vel si ventrem hominis usque ad exinanitionem sine cibo degere permitterent

Theologia quippe, Ecclesiastici corporis oculus est & venter; etiam spirituales cibos glutiens, coquens, & in cœtera membra delegans.

Secunda. In Ecclesiastica domo majoris esset meriti, qui Theologiam foveret, & eam in populi lucem abundare faceret, quàm si institueret Advocatos & Medicos, qui gratis pauperibus patrocinia medicaminaque tribuerent. Eligibilius enim, præclarius, atque divinius est animarum, quàm corporum indigentiis succurrere. Ex quo liquidò conspicimus, quàm alti sit meriti recto, ut fieri decet, fine, non quæstuoso, non ambitioso, ipsi Theologiæ studium impendere. Sed observandum inprimis quod sequitur.

De Theologia loquor, non quæ ad verbosam & sophisticam loquacitatem, & chimericam nescio quam Mathematicam redacta est: sed quæ metit Fidem, moresque corponit. Et ab aliquibus fortè non minoris meriti judicaretur, se in hoc studium devovere, quàm sine eo Religionem profiteri. Hìc tamen nihil assero.

Rursùm ex eadem radice dilucidum est, quàm frivola, si non potiùs iniqua nominetur, judicanda quorumdam infidelium opinio, qui in * regione Ecclesiasticæ domus, scientiam adinventionum humanarum audent asserere ipsi Theologiæ præferendam, nisi fortasse, inquiunt, vel in locis ubi publica viget hæresum dogmatizatio: quasi Sacræ Scripturæ nullum aliud officium sit, quàm patentium hæresum extirpatio; & non etiam mores componere, erigere spem ad cœlestia, discernere inter peccatum, omnes humanas institutiones ad divinæ Legis lineam corrigere? Fidem insuper jam plantatam, ne evellatur, aut errorum zizaniis misceatur observare.

* videtur leg. regimine

Tertia Consideratio. Per scientias humanas temporaneo Ecclesiasticæ domus regimini curam tantam impendere, ut spiritualis gubernatio penè deseratur, videtur non mediocris occasio diminuendæ temporalitatis. Cur ita? Quoniam sublato fundamento, cui temporalitas innititur, & ob quam cumulatiùs abundavit, ædificium ruinam pati necesse est. Quamobrem hoc in loco recordari placet, quod à Valerio *lib.* VII *Cap.* 2. sapienter dictum ab Anaxagora prædicatur Atheniensibus: *Videte*, inquit, *ne dum cœlum custoditis, terram amittatis.* Verte sententiam. Videte Ecclesiastici, ne dum terram custoditis, cœlum amittatis. Agnoscitis per hoc, quàm periculosa res sit, Theologiam è specula Ecclesiasticæ domus ejicere.

Filiciùs quàm hacce sententia concludi non poterat hic de Theologia paragraphus.

§. 2.

Gersonii adversùs Idololatriam, Magiam, Astrologiam, prophanasque Superstitiones Placita; necnon de Veritate Religionis Christianæ.

De Idololatria.

IDololatria definitur à Gersonio, in Regulis Moralibus: *Exhibitio honoris verè, vel interpretativè, aut attributivè Divini, alicui creaturæ, aliter quàm sibi potest competere.* T. III. 86. *B.* Duplicis generis distingui potest. Alia est exhibitio honoris Divini creaturæ; alia exhibitio honoris Deo quidem, sed alia ratione quàm oporteat; signis enim exterioribus nunquam benè colitur Deus, quando illa fieri nequeunt bono animo: vel scandalizant ex similitudine sui ad Idololatriam, aut aliam inhonestatem. T. III. 96. *B.*

De Magicis Artibus.

Ad Idololatriam pertinent Magicæ Artes, in quibus dæmonibus obsequii genus exhibetur,

 pacto

pacto cum eis inito. Item futurorum per Astrologiam auguria, Geomantiam, Chyromantiam, Pyromantiam, inquisitio per sortes, ac demum observationes quædam superstitiosæ.

Adversus Artem Magicam hæc statuit Gersonius.

Primùm. Esse quidem dæmones, & plurima ab iis effici, quod apud Christianos negare impium esset, erroneum, & Sacris Litteris adversum; negari tamen non posse, quosdam effectus plerumque nimis leviter dæmonibus ascribi, quæ fieri à causis materialibus naturalibus rationabiliùs dicerentur. Nam, inquit, multas & miras in rebus sensibilibus efficacias, multas virtutes existere quis negaverit? ex quarum combinatione, alteratione, & configuratione, fiunt effectus mirabiles; sicut ex applicatione variâ speculorum; sicut ex celeri motu & jactatione quarumdam rerum; sicut ex immutatione diversa imaginativæ potentiæ in hominibus.

Secundò. Statuit juxta Decretum Sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis, observationem quamlibet ad faciendum aliquem effectum, qui rationabiliter expectari non potest à Deo miraculosè operante, nec à causis naturalibus, debere apud Christianos superstitiosam haberi, & suspectam de pacto implicito, vel explicito cum dæmonibus, quod Idolatriæ species est & Apostasiæ.

Tertium placitum est. Nec Philosophiam, nec Medicinam admittere traditiones superstitiosas, quæ dicuntur Methodicæ vel Empyricæ, quarum nulla potest ratio naturalis assignari. Hæc fusiùs exposita invenies in libro *De Erroribus circa artem Magicam*. T. I. p. 211. *& sequentibus*.

Quantùm ad Astrologiam pertinet, quæ tempore Gersonii magno erat in pretio; fatetur ipse eam esse scientiam nobilem & admirabilem; sed quam nonnulli tot impiis erroribus, tot superstitionibus sacrilegis deturpant, ut apud bonos & graves reddita sit nedum infamis, sed & Religioni Christianorum, suisque cultoribus pestilens & nociva.

Cœli & Syderum non solùm motus, sed & in res subcœlestes virtutem quamdam agnoscit: non solùm in effectibus nobis notis, ut sunt lumen, calor &c. sed & in quibusdam occultis & ignotis, quos qui prædicare præsumunt, crebrò contingit eos & fallere & falli; & si quando vera dicunt, vel à casu, vel à multitudine eorum quæ dicunt, vel à malis quæ præsagiunt, quæ sunt ut in pluribus apud homines, vel à cognitione secretorum, vel ab immixtione operationis dæmonum, id provenit. At prorsùs incertum est, Cœlum aut Astra huic vel illi Genti, huic vel illi homini dominari; certum è contra humanæ rationi & voluntati nullam ab Astris necessitatem imponi, nec hominis libertatem tolli. Hinc proscribendos esse plerosque Astrologorum libros, nec plerisque Astrologis fidem habendam esse concludit. Non tamen omnino prohibet, ne consulantur Astrologi, modò sint graves viri, honesti, bonis moribus præditi: verùm non ità audiendos esse putat, ut non rationes humanæ prudentiæ ex altera parte ponderentur.

Plura vide in *Trilogio Astrologiæ Theologizatæ*. T. I. p. 189. *& sequentibus*.

Inter observationes superstitiosas nulla est vulgatior, quàm ea quâ certi dies fausti, alii infausti habentur. Hanc ex professo refellit Gersonius, in Opusculo ea de re edito T. I. p. 208. 209. Speciatim verò eorum irridet superstitionem, qui diem Innocentum infaustum esse putabant; in alio Opusculo T. I. p. 203.

Imaginum quoque, seu caracterum figurarum sigillis insculptarum, ad curationem morborum usum irridet: vanumque ac superstitiosum esse docet, in alio Opusculo. p. 206. Alias denique plurimas observationes hujusmodi, etiam in speciem Religiosas, rejicit in fine libri *De Erroribus circa artem Magicam*: quas etiam reprobat Decretum sacræ Facultatis Parisiensis anni 1389; ad finem hujus Operis appositum. Qui plura volet de hoc argumento, legat integram Partem secundam Tomi primi.

De Veritate Religionis Christianæ.

Idololatricis & superstitiosis cultibus adversa est Christiana Religio, cujus veritatem pluribus argumentis astruunt. Hæc ferè omnia breviter collegit Gersonius, in Sermone *De Sancto Antonio* T. III. p. 1375, & 1376, quæ quamvis rudi sermone, pressè tamen, & prorsùs ἐνεργητικῶς exposita sunt.

Ubi, inquit, inveniemus nos alibi inter homines bonam Religionem & veram, Deo placentem, præter Christianam Religionem? Quæ est alia Religio taliter bonos mores docens, & quæ adeò contrarietur vitiis, ut Religio Christiana? Non est illa Epicuri, Mahometi, quæ omnem iniquam & turpem præcipit carnalitatem, & pro præmio, solam promittit corpoream voluptatem, ac si homines immundi essent porci, & ejusmodi mutæ bestiæ, quæ præter corpus curant nihil. Propterea Avicenna, qui & ipse Legis fuit Mahometicæ, dicit, Christianos meliùs de animæ felicitate sentire, quàm Mahometum. Nec sunt aliæ aliorum Paganorum & Idololatrarum Sectæ, quæ infinitos miscent errores, Deos suos diffamando, omnia eis vitia imponendo & dissolutiones, adulteria, odia, & prælia: sicut de Jove, qui patrem suum exhæredavit, & in mille formas se transformavit, ut aliorum falleret uxores. Sic de Marte, Apolline, Venere. Aut credunt in Idola surda & muta, quæ non sunt nisi petra vel metallum aliquod. Aut adorant bestias diversas, ut dracones, vel serpentes. Aut cœlum & stellas, quæ solùm opera Dei sunt, eorum vocant Deum.

Sed præterea, quæ est alia Religio approbata magis Christianâ Religione? Inprimis approbata est per ejus antiquitatem; quia fuit figurata & prænuntiata circa Mundi principium, tam in Lege Naturæ, quàm in Lege Moysi & Scripturis, per Prophetas & alios, qui in omnibus aliis veritatem dixerunt. Ideo in aliis quæ cognosci non possunt nisi per revelationem, aut Spiritum Prophetiæ, eis pariter fides adhibenda est; quemadmodùm de principio Mundi Philosophi nihil scire possunt, cùm hoc fuerit in libero arbitrio Creatoris, eum condere, secundùm judicium & ordinem Divinæ suæ sapientiæ. Insuper, testes innumeri, eam, ad mortem usque durissimam sustinendam & gravissima tormenta, confirmarunt: hoc ipsi ponebant vadium. Et reverà nihil in iis erat ob quod mentiri vellent. Propter argentum? Non. Timorem? Non. Favorem? Non. Quia omnia exponebant, & spernebant cuncta, ut Fidem eorum confirmarent & eorum assertionem. Nec dici potest eos deceptos fuisse; quia habebant litteras sigillatas & bullatas sigillo Dei. Quæ sunt ejus sigilla? Sunt evidentia ad confirmandam veritatem miracula, quæ certam præbent experientiam, & talem, qualem unusquisque in seipso percipit. . . .

Domine

Domine, si decepti sumus, credendo Religioni tuæ Christianæ, à te decepti sumus; quia tu ipse propria appendisti sigilla in hujus Religionis approbationem; tua propria sigilla, miracula sunt, quæ à nullo præter te fieri possent, *Qui facis mirabilia magna solus*: & ab his possunt fieri miracula, qui te amant, timent, & super omnia honorant. Et si quis manifestissimum hoc, miracula scilicet facta fuisse, negare vellet; est tamen miraculum summum, tot homines talis sapientiæ & autoritatis, in hanc Sanctam Religionem credidisse, sine miraculo; ad prædicationem simplicissimorum hominum, sine litteris, & sine cautione, sine violentia; sicut Mahometus Legem suam per mortem defendit, absque examine ullo. Nunquam Lex aliqua fuit meliùs examinata, per plura argumenta & ingeniosiores Clericos, quàm Lex Christiana: & bene condivit ad miraculum, quòd in talibus jam hominibus irradicata erat Fides prorsùs huic contraria; & quòd hæc Religio omnem defendit voluptatem & mundanas delectationes, ad quas erant assuefacti & pronissimi; in tam exiguo quoque tempore; quia vivente Sancto Petro (qui à Nerone fuit interfectus) Christianorum Lex per universum Mundum fuerat prædicata, sicut declarat Lyra. Adjicio homines absque numero, qui erant summæ sanctitatis & autoritatis, quique se à Deo missos dicebant, & habere instructionem & de Deo revelationem; & nobis id affirmasse, & quolibet die id affirmare. Et quoniam etiam, ut verum dicatur, non potest alibi inveniri inter homines Religio, quæ magis doceat Deum cognoscere & honorare: & quia illud agere, est finis noster, finis humanæ creaturæ. Ob omne quod Deus vult atque requirit in illa Religione, est necessarium hanc Religionem solam veram esse, & stabilitam, per te etiam humani generis inimicum, qui ipsi Jesu Christo, te invito, dedisti testimonium, ipsum scilicet esse Filium Dei.

Posteaquàm Deum esse verum est, nec quidquam hoc certius est, qui novit omnia, potest omnia, gubernat omnia per liberam suam voluntatem; & hoc tum Philosophi, tum ratio naturalis ita esse ostendunt; quoniam necesse est ut dicamus, unum esse primum, & unum rerum omnium esse principium; & est Deus qui non creavit homines in Mundo absque ullo fine: quare enim contulisset intellectum hominibus ultra omnia alia bruta, quô cognosceretur, amaretur & ejus intelligerentur Mandata? nisi vellet quòd homines cognoscerent ea, amarent & honorarent, per bonam obedientiam ipsi obedirent & per bonam Religionem.

Ex alia parte, ratio vult ut homo Deo suo subdatur, Domino & Creatori, omnibus modis, specialiter in suo intellectu, per Fidei obedientiam. Esset nimis magna superbia & stulta præsumptio, subjectum in nullo credere velle Domino suo; quando subjectus plenus est ignorantia, & Dominus omnia novit: quemadmodùm si puer suo non fidem adhiberet Doctori. Et quid tum? in nomine Dei: postquam humana creatura facta est ad Deo serviendum per cognitionem & bonum amorem, hoc est, per bonam Religionem, necesse est ut fateamur, finem hunc in quibusdam adimpleri hominibus, qui bonam habeant Religionem; & quòd Deus, qui est Judex justus, reddit unicuique justum præmium, bonis bonum, & malis damnationem. Manifestum est Justitiam quæ tam pulchra est virtus, in Deo esse; & quia nos videmus hanc remunerationem bonorum, & punitionem malorum in hoc non fieri Mundo, rationabile est eam post hanc vitam futuram esse, sicut anima est immortalis; alioquin Deus non esset justus distributor.

Ita Gersonius unâ & alterâ paginâ; cuncta ferè argumenta, quibus Christianæ Religionis veritas comprobatur, aliarum scilicet Religionum futilitatem, hujus sanctitatem, antiquitatem, Prophetarum oracula, veracitatem & probitatem eorum qui hanc homines docuerunt, miracula, martyria, miram prorsùs ejus promulgationem, Dei unius cultum ad quem instruit homines, finem quem docet, aliaque id genus in unum conglobat & summatim complectitur. Quibus adjicere non pigebit hæc Patrio sermone, licèt obsoleto, in idem argumentum, ex Sermone Gallico *In Nativitate S. Joannis*, in Appendice Tomi III. p. 1595. *Et n'estce pas chose bien à reprendre & comme intolerable, de vouloir maintenant ramener nôtre Foi à discussion, ou en argumens, comme s'elle feut toute nouvelle, quand nous avons eu tant de témoins jusqu' icy, Patriarches, Prophetes, Apostres, Martyrs, Confesseurs & Vierges, & tous les plus grands Clers & Docteurs qui oncques furent, qui ont témoigné cette verité jusqu'à la mort, C'étoit le gage qu'il y ont mys, sy doivent bien être crûes, car ils ne vouloient point rien mentir ou decevoir. Que leur eut profité ce mensonge, quand ils n'en rapportoient, voir quant au monde, fors tourmens, douleurs, fors povreté, fors moqueries, fors plaies & battures horribles, fors exil, & à la fin mort vilaine & tres crueuse? Gens ne seulent pas mentir qui tellement deprisent or, richesses & renommée, & leur propre vie en ce monde: mais aussi tels Saints & Saintes ne pouvoient être deçus, parce qu'ils en avoient revelation certaine . . . . . . Tels en avoient les lettres de Dieu, c'est à dire sa doctrine & ses Evangiles, ausquelles lettres etoient pendus les propres seaulx, & le propre signet de Dieu, qui est le Souverain Roy qui ne peut mentir, n'estre témoin de fausseté. Et qui sont ses beaux seaulx & ce signet? Ce sont les miracles sans nombre qui ont eté faits en attestation de cette verité, lesquels miracles ne pouvoient être faits, se par Dieu non.* Hæc de Religionis veritate benè cordatéque Gersonius.

§. 3.

De Symbolo, Dei Existentia, & Attributis, ac de Trinitate.

De Symbolo.

Licèt non omnia credenda explicitè, sint tradita in Symbolo Apostolorum: nullum tamen est credibile, quin sit reducibile ad aliquem ejus Articulum, aut ad plures. T. III. p. 315. B Hinc rectè definitur Symbolum ab Autore Compendii Theologiæ, quem tamen diversum à Gersonio existimamus: *Omnium credendorum ad salutem spectantium, compendiosa collectio.* Quoniam, ut ait Cassianus, libro sexto: *Quidquid per universum Divinorum voluminum corpus immensâ diffunditur copiâ, totum in Symbolo colligitur, brevitate perfecta.* Dicitur autem Symbolum, juxta illum

lum Autorem, à *syn*, quod est communio, & *bole*, quod est sententia, quasi collectio sententiarum. Vel ut alii volunt, à *syn*, quod est communio, & *bolum*, quod est frustum; quasi frustorum, idest capitulorum vel particularum Fidei collectio. Secundùm Papiam, Symbolum est collectio aut pactum, seu placitum quod fit homini cum Deo. Hæc Autor: cui concinens Gersonius, aït, Symbolum ad hoc conditum fuisse, ut ea quæ satis expressè in Sacris Litteris habentur, sub certis Articulis in publicum tradantur. *T.* I. *p.* 4 *A*.

De Dei Existentia & Natura.

Deum existere, Fide divina, & ratione naturali cognoscitur. *T.* I. 25. *A.* Nam homo ductu ratiocinationis naturalis ad hoc pertingit, ut sciat quòd sit unus Deus, Princeps & Rector omnium, qui dedit omnibus esse & vivere, his quidem clariùs, illis verò obscuriùs: *Invisibilia enim Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus & divinitas.* Rom. I. 20. Est quippe omnibus inditum, à multis naturali demonstratione conclusum, ut Deus sit, quò nihil melius cogitari potest, esse qui habeat quidquid melius ipsum quàm non ipsum. *T.* I. 91, *C.* Ingeniosè autem & solidè Dei existentiam & naturam, ex creaturarum, suique cognitione colligit Gersonius, in Sermone *De Trinitate.* *T.* III. *p.* 1270. 1271.

Anima inducitur ab eo, rationem interrogans, quid de Deo investigasset. Respondet ratio. Investigavi per mare, terram, aërem, & per cœlum. Terram autem interrogavi, si ipsa esset Deus meus: Respondit non. Interrogavi mare, quod eodem tenore respondit. Interrogavi aërem, cœlum, solem & stellas, si aliquid horum Deus meus esset: quæ omnia simul clamabant sonorâ quidem voce, Deus nos fecit, Idololatræ & Pagani errant, nos Dii non sumus, quærite eum alibi & supra nos. Hoc modo respondit mihi omnis sensibilis res & corporalis: omnes mihi affirmarunt, se Dei appellatione indignas esse; habent enim multas imperfectiones, partes habent magnas & parvas, suntque mutabiles: convenit autem Deum perfectum esse, immutabilem, & sine partibus, quoniam totum est perfectius suâ parte, sicque aliquid esset, Deus quod non esset, quod non omnem haberet perfectionem; ista videlicet pars non tantæ esset perfectionis, quanta esset suum totum. Inquit iterum anima.

Soror mea ratio, postquam extrâ me Deum nostrum reperire non potes; sed aliquid est quod omnes res illas fecit, redi ad me, & me contemplare, quæ spiritualis res sim & sine partibus, si forsitan nonnihil novi audieris.

Respondet ratio: Anima mea, ita priùs feci: consideravi prorsùs qualisnam sis, quanta sit memoria tua, clara intelligentia tua, voluntas tua, immortalis essentia tua, vita tua spiritualis: attamen Deus non es, nec pars Dei, secundùm Manichæorum mendacium. Mutabilis es de non esse tuo ad esse, de cognitione in alteram, de unâ affectione in alteram affectionem, & de velle in velle; & sic subjecta es mutationi: percipio tamen in te & supra te Deum nostrum in ænigmate & speculo. Verum est, aït (anima humana) me percipere suspensum quoddam lumen, bona soror mea ratio. Quæro à te, quomodo esse possit, & quid est quod cognoscis, cùm Deum nostrum cognoscis? Estne res colorata? Estne res illa illuminata? Estne sonus, estne odor, estne dulcor, estne sapor, estne res quæ tangi possit. Intratne per portam oculorum, aut aurium, aut per aliquem quinque sensuum corporis mei. Non, anima mea, Deus noster nihil talium est, quæ extra cognoscis. Nec mirum; nos enim ipsi non sumus talium conditionum; nec sumus ego & tu albæ & nigræ, nec calidæ nec frigidæ, nec sumus res quæ audiri possit, odorari, gustari aut tangi. Nihilominus cùm Deum nostrum cognosco, cognosco lumen aliquod omnino aliud ab eo quod cernunt oculi. Audio melodiam aliquam super omnes melodias. Noli ulteriùs quærere, aliter enim non possum declarare aut monstrare. Rectè dicebat Plato: Difficilimum esse Deum invenire: & Philosophus quidam tres petiit dies ad respondendum quid esset Deus; deinde decem; postea triginta: *Quantò enim*, inquit, *plùs cogito, minùs describere aut nominare ipsum valeo.* Hoc non est mirabile: scimus enim incomprehensibile comprehendi non posse, alioquin tale non esset.

Quærit deinde anima à ratione conditiones, secundùm quod eam cognoscere potest, sicut in ænigmate & speculo. Sic autem respondet ratio. Inprimis considero Deum nostrum rem esse immutabilem & perpetuam, sine fine & principio. Scis, anima mea, te ab alio quàm à te factam esse. Concludo ergo, quòd prima & summa causa per quam facta es, perpetua est & immutabilis; quia non est, nec posset esse per aliquam priorem causam & perfectiorem. Consimiliter ipsa destrui non posset; quia omnia ab ea dependent, & hanc primam causam, per quam facta es & creata, Deum voco.

Insuper, anima mea, te cognoscere nequeo, nisi esse tuum & essentiam tuam cognoscam. Sed cognoscere non possum esse aliquod imperfectum, quale tu es, absque cognitione esse alicujus perfecti. Certum ergo est, me nihil cognoscere posse absque hoc quod Deum nostrum cognoscam, saltem veluti in umbra &c. Sed quamvis nihil cognoscere possim, nisi per cognitionem divini esse; non tamen plenè cognoscere possum quale est ipsum Dei esse, nisi quòd scio ipsum esse; & de hoc minùs dubitare possem, quàm me simul esse & non esse.

Assentitur anima, & cum Damasceno ait: *Deum esse, vox est naturæ.* Sed quærit à ratione, ut probet unum solum Deum esse, non plures. Novisti, inquit ratio, Deum nostrum, omnem potentiam & omnem perfectionem habere debere; quia debet esse res perfectissima quæ cogitari possit aut inveniri, quo magis cogitari non potest.

Quapropter sequitur primò, Deum esse rem indivisibilem & spiritualem: id enim quod materiale est, divisibile ac corporale, non adeo perfectum est in suis partibus, sicut spirituale. Sequitur secundò, Deum esse summam vitam & cognitionem: id enim quod vitam habet & cognitionem, perfectius est & præstantius non viventibus & sine cognitione existentibus. Tertiò sequitur, Deum de novo nihil acquirere, aut deperdere posse: alioquin enim faceret se aliquando non omninò perfectum, & sic Deus non esset. Quartò sequitur, Deum esse sine principio & sine fine in æternitate omnino perfectum, in essentia, in vita, in cognitione, in bonitate & potestate, nihil amittendo, diminuendo, augendo, aut obliviscendo: alioquin enim non omnino perfectus

fectus esset. Quintò sequitur, Deum perfectissimè cognoscere omne quod est, fuit, & futurum est. Sextò sequitur, solum universalem Deum esse posse, qui perfectissimus sit & potentissimus.

Hæc de Existentia & Perfectionibus Dei Gersonius, hoc in loco.

De Simplicitate Dei: & contra Distinctionem Formalem.

Fides saluberrima, & omnis Metaphysica tradit nobis, quòd Deus est simplicissimus in supremo simplicitatis gradu. Hoc dato: quid opus est ipsam unitissimam essentiam per formas metaphysicales & quidditates, vel rationes ideales, vel alias mille imaginandi vias secernere, dividere, constituere, præscindere ex parte rei, ut dicunt, & non ex intellectus negatione circa eam? Deus sancte! quot ibi prioritates, quot instantia, quot signa, quot modeitates, quot rationes aliqui ultra Scotum distingunt. Concipere in divinis, quòd sit aliquod esse formale, ut putà esse formale Justitiæ, quod non sit perfectio finita vel infinita; istud parit in animo meo majorem difficultatem, quam sit illa, propter quam elucidandam ista talia ponuntur. Imò, nequeo non videre ista palam esse erronea.

Hæc & alia adversus hanc Scotistarum distinctionem, in Lectione secunda, *Contra vanam curiositatem, T. 1. p.* 100 *&* 101; nec non in epistola quæ habetur *ibid. p.* 117, ubi refert censuram sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis, quâ configuntur hæ propositiones ut erroneæ, *Quòd aliquid sit Deus realiter, quod non sit formaliter Deus. Quòd in divinis sint ponendæ prioritates & posterioritates alia quàm originis. Quòd personæ divinæ distinguantur per absoluta.* Cui censuræ hæc subjicit.

Quâ potest Fidei pietate Christianus asserere, quòd essentia divina sit ex parte rei, seu realiter distincta ab intellectu divino & voluntate; quasi possit essentia divina esse & non esse universaliter perfecta, nec intelligens nec volens. Quantò salubriùs est asserere, nec offendere pias aures etiam gentilium Philosophorum, quòd essentia divina unica & simplicissima, supereminenter continet omnem perfectionem; quàm dum quæritur separari & scindi à suis perfectionibus, ipsa remaneat monstrum quoddam informe, chaosque confusum.

Refert deinde dictum sibi adolescentulo à quodam celebri Magistro: Dum quæsiverit, inquiebat, aliquis, si præscindatur essentia divina ab intellectu divino, quid est illa essentia? Dic quòd est Deus, & quòd non est Deus. Est itaque Deus, quia nihil est in Deo quod non sit Deus; & tamen non est Deus, quia Deus est suus intellectus, nec esse potest sine ipso. Hoc est sententialiter argumentum B. Bernardi contra Gilbertum. Dic tamen, addebat ipse Doctor, quòd intelligi potest essentia divina, non intelligendo intellectum suum, sicut & de Attributis divinis.

De Dei Libertate & Voluntate.

Quamvis Deum esse primum movens & primam causam, & finem omnium, ratio inveniat; non invenit tamen quòd agat liberè libertate conditionis, sed magis naturali necessitate, & quadam proprietate illius quæ suiipsius diffusiva est bonitatis. Hæc est tota & præcipua radix errorum in istis Philosophantibus, qui ex immobilitate ordinis in universo, quantùm hactenus experti, causam hæc omnia regentem non solùm immobilem (hoc enim verè sapuissent) sed determinatam ad taliter agendum, cum impossibilitate aliter ordinandi concludere putaverunt. Hoc non ita debuerunt: cui enim venire in dubium potest; quin perfectius sit atque nobilius, suum effectum extrinsecum non commensuratum potentiæ suæ habere in libera potestate, quàm ipsum de necessitate producere. Quòd enim Spiritum Sanctum non possunt non producere Pater & Filius, provenit ex adæquatione termini producti ad agentis potentiam.

Ita rationem reddit Gersonius, cur Deus in operationibus, ut loquuntur, ad extra, liberè; in iis quæ ad intra, necessariò agat. *T.* 1. *p.* 92. Vide etiam *p.* 147, ubi idem argumentum tractat.

Divina, inquit, voluntas agit ad extra liberè & non contradictoriè, & ad utrumlibet; sicut historialis & propheticus Scripturæ decursus palam monstrat. Deus quippe non ideo vult res ad extra fieri, quia bonæ sunt; sed ideo contrà potiùs quòd res ad intra bonæ sunt, quia Deus vult eas tales esse, adeo quòd si vellet eas vel non esse, vel aliter esse, id quoque jam bonum esset. Secus in communicatione Divinarum Personarum ad intra, quæ in sua necessitate consistit; sicut in sua necessitate vult Deus.

An autem idem omninò sit recta ratio & dictamentum originaliter in Deo, ac ejus voluntas; pertinet ad difficultatem de formalitatibus; & remittit Gersonius ad Braduardinum: sed constare ait, quòd in praxibus moralibus recta ratio non est prior voluntate, ut; Non ideo Deus vult dare Leges suas creaturæ rationali, quia priùs recta ratio hoc judicet esse faciendum; sed potiùs è contra. Videtur igitur positio esse magis Catholica, & expedita, si dicamus, neutrum prius esse altero in Deo, sicut in simili; Non ideo quia sicut est in re, Deus sic judicat, nec propriè è contra; sed correlativa sunt & concomitantur quodammodò sese inferentia. *T.* 111. *p.* 26. Voluntas autem, de Deo, quinque modis accipitur, sumendo signato; & hæc sub hoc metro complexæ sunt.

Præcipit, & prohibet, permittit, consulit, implet. Ibid. 55.

Ex his principiis rejiciuntur propositiones damnatæ à Sacra Facultate Parisiensi; *Quòd Deus vult & facit nos peccare. Quòd in ordine ad Deum: omnia necessariò eveniunt, & ita necessariò peccamus. Quòd in eodem instanti temporis, licèt non naturæ, duo contraria simul possunt stare. Quòd multa sunt æterna præter Deum &c:*

De Prædestinatione & Reprobatione.

Deus Omnisciens & Supremus Judex, homines ex massa peccatrice prædestinavit. Prædestinavit quidem hos ab æterno, sempiternæ Beatitudinis fore participes; alios verò præscitos & reprobatos ad supplicium perpetuum: nec tamen ulla est apud ipsum acceptio, dum salvat istos, alios reprobat; nec sæva crudelitas, & indigna hujus summâ bonitate: neque enim personam accepisse,

neque injuriam fecisse dici potest, qui nulli debitor est: quod notavit Apostolus dicens: *O homo tu quis es qui respondeas Deo* &c. Et sicut nulla potest assignari ratio, cur, inter tot res possibiles fieri, ista, non illa facta est, nisi beneplacitum Dei; ita de recreatione, seu regeneratione ad vitam spiritualem, multò magis dici debet; neque confugiendum est ad illorum merita vel opera, quos ab æterno prædestinat Deus, quia *Si ex operibus, jam non ex gratia*, sed neque priorem æterna Dei voluntas causam habet, qui fecit omnia propter semetipsum, impium quoque in diem vindictæ. Nihilominus fatendum est, quòd nemo sine culpa damnabitur, sicut absque gratia salvabitur nullus. Hæc in Dialogo *De Consolatione Theologiæ. T. I. p.* 136. 137. Congruum igitur est & rationabile, Deum posse facere de omnibus nobis creaturis suis ad liberam suam voluntatem, absque ulla reprehensione, absque hoc quòd ei dicatur: Quare hoc agis? Et est contra stultam præsumptionem humanæ creaturæ, quæ alteram vult inquirere rationem & causam, quàm justam Dei voluntatem, murmurando quidem contra eam: Quare Deus salvet hos & non illos; quare potiùs gratiam & remissionem confert his quàm illis? Illorum qui generaliter de humano genere captivi sunt in carcere peccati, saltem peccati Originalis, nonne jus est, ut gratiam faciat quibus placet ei, nullam faciendo injuriam his quos dimittit in carcere in in quo sunt inclusi.

Hæc Augustini doctrinæ omnino consentanea Gersonius in Sermone *De Trinitate T.* III. *p.* 1273. & 1274.

De Trinitate Personarum in Divinis.

De Trinitate personarum in una essentia fusè disserit Gersonius in duobus *De Trinitate* Sermonibus. T. III Operum ejus: docetque præsertim, non esse quærendam rationem hujus Mysterii, sed Fide simplici credendum; Patrem, Filium & Spiritum Sanctum unum esse Deum: tres istas personas æquales esse & indivisas in una essentia: nullam inter eas prioritatem aut majoritatem, præterquàm originis agnoscit.

Addens, quòd si Doctores usi sint terminis prioritatem aut majoritatem sonantibus, protinus eos resolvere oporteat ad hanc unicam & stabilem Fidei regulam: Quòd Filius est à Patre, & Spiritus Sanctus est à Patre & Filio, & Pater à nullo; & quòd in divinis omnia sunt idem, ubi non obviat relationis oppositio.

Si, inquit, mille millia terminorum adduxeris, ad explicandum hoc Fidei secretum, nihil ampliùs, si non vis errare, cognosces, quàm istam unicam & paucissimis verbis explicatam veritatem. Augustinus, Damascenus, Richardus, nomen hoc *causa* in divinis admiserunt; *Pater est causa Filii.* Hilarius dicit, quòd *Pater major est autoritate.* Augustinus in Confessionibus, posuit in Deo gradus & ordinem: attamen Scotus; in inquisitione veritatis, ubi precisissima sobrietate loqui convenit, fas non est afferre hujusmodi terminos, prohibente hanc audaciam ratione, & Superioris auctorirate. Datur ergo regula generalis, quòd in divinis nullus terminus est admittendus, qui vel distinctionem importet, vel primævitatem; nisi solam distinctionem & prioritatem originis, & quòd hanc dicat absque importatione vel connotatione imperfectionis cujuscumque, vel dissimilitudinis, vel inæqualitatis ex suo correlativo. Exprimitur autem prioritas originis hoc modo; quòd hoc est ab illo: prioritas autem attributorum explicatur per hoc, quòd inter eas non convertitur subsistendi consequenria. Ex hac regula liquidum est, quòd pauci termini signantes prioritatem quamcumque in humanis, trahendi sunt ad divina, . . . Quid minus dici potest, quàm quòd Pater est Dominus Filii, quòd est Caput ejus, quòd est Rector ejus? & tamen si terminos istos, *Dominus, Caput, Rector, Magister* resolveremus, quòd signarent tantummodò primævitatem originis originativam quam habet respectu Filii seclusa imperfectione per correlativa istorum terminorum importata. T. I. 101. 102. 103. hinc reprobat eorum sententiam, qui dicunt, personas constitui & distingui per absoluta, non per relationes: contra quam sensit Petrus de Alliaco, cujus ea de re vide Dissertationem, in *Appendice T. I. p. 625 & sequentibus.*

Rejicit etiam Gersonius alias propositiones circa Trinitatem. p. 122 & 123. *A*, quales sunt hæ.

Spiritus Sanctus liberè, contradictoriè, contingenter producitur ex parte principii quo. In divinis est absolutè potentialitas ad non esse Spiritus Sancti. Producere Filium in divinis, ut sic, nihil est. Spiritus Sanctus priùs est productus, quàm sit summè perfectus. Pater & Spiritus Sanctus non sunt cognitio. Et Pater & Filius non sunt amor. Filius in divinis potest alium Filium producere: & alias innumerabiles, quibus Theologi quidam sui temporis, quos Phantasticos appellat, occupabantur, in grande Christianorum scandalum.

§. 4.

De Lapsu hominis; Incarnationis Mysterio; Morte Christi pro omnibus: & necessitate credendi in eum.

Lapsus hominis.

Fideï veritate credendum est, primos Parentes nostros Adam & Evam, qui ad tam nobilem finem consequendæ Beatitudinis creati fuerant, clausisse Paradisi januam, & Beatitudinis introitum toti suæ posteritati generis humani: quoniam per peccatum inobedientiæ donum Justitiæ Originalis, quadam hæreditaria possessione pro se & suis posteris acceptum à Deo, ipsi proditores perdiderunt: quo dono gratuito Originalis Justitiæ conservato, nos omnes à culpa fuissemus immunes, & ab omni miseria famis & sitis, aut infirmitatis absoluti, & ab alia qualibet pœnalitate liberi; adeo quòd omnis alia corporalis creatura nobis pacificè subjecta fuisset, & tandem absque mortis pœna in Paradisum fuissemus translati. Hoc autem dono per peccatum

tum primorum Parentum perdito, nos moriendi necessitatem, & universam quam patimur pœnam atque miseriam, incurrimus, qui nascimur in peccato originali, scilicet in prædictæ originalis Justitiæ carentia.

Incarnationis causa & ratio, & Mysterii Expositio.

Omnipotens autem Dominus ac piissimus Pater, nolens humanum genus tot & tantis subjectum miseris, in æternum perire, & à Regno Paradisi perpetuò exulare, occurrente justitia simul & misericordia, his remedium decrevit adhibere. Voluit siquidem idem piissimus Pater, Unigenitum Filium suum carnem sumere & hominem fieri intra intemeratæ Virginis immaculatum uterum. Tantaque & tam mirabilis unio facta est duarum naturarum, divinæ & humanæ in una persona Filii Dei, ut verè Deus homo diceretur & homo Deus. Ipse est Jesus Christus Salvator noster, pariter & Redemptor; qui anteà quidem à Patriarchis & Prophetis denuntiatus, novissimè in fine temporum, in hac ultima mundi ætate conceptus, natus &c. Legem divinam, Christianamque Religionem prædicavit & docuit &c. Ordinavit insuper septem Sacramenta, quæ sunt, Baptismus &c. Ipse postremò, ut nos redimeret & salvaret, sub Pontio Pilato supplicio Crucis acerbissimam sustinuit Passionem & Mortem: sepultus deindè, & tertia die resurgens &c. Cœlos ascendens sedet ad Patris dexteram in excelsis, venturus est postremò in fine mundi per ignem finiendi & immutandi, Judex generalis hominum cunctorum, in anima & corpore resuscitandorum; redditurus singulis præmia meritorum; bonis siquidem cœleste Regnum perennis beatitudinis; peccatoribus verò pœnale supplicium ignis æterni.

Ita totam Incarnationis œconomiam exponit Gersonius *in Opusculo Tripartito T.* I. *p.* 428. & 429.

Qui plura de Mysterio Incarnationis, Unione Hypostatica duarum naturarum in una persona; de Christi Passione, Resurrectione, Ascensione volet, consulat Sermones *De Nativitate, Incarnatione & Passione T.* III. 983. 1154. 1294. *& sequentibus.* Nec non *Compendium Theologiæ* Gersonio ascriptum, in quo Articuli omnes Symboli exponuntur *T.* I. *p.* 228 *& sequentibus.* Pauca tantùm de Scolasticis quæstionibus hìc adjiciemus.

Incarnationis finis, est humani generis per primi hominis peccatum lapsi redemptio. Constat enim quòd si Adam non peccasset, Christus non fuisset incarnatus, saltem ad moriendum. *T.* I. 190. *C.* Per illam verò susceptionem humanitatis à Verbo, habuit Christus ab instanti suæ conceptionis, animam rationalem perfectè beatam, secundùm portionem mentis superiorem: idque tanquam veritatem, quæ de necessitate salutis credi debeat, affirmat Gersonius; & ex ea corollaria deducit in Lib. *De susceptione humanitatis Christi multa. T.* I. *p.* 450, hæc nempe.

Ipsum cognovisse totum Ecclesiæ decursum, cum meritis & demeritis singulorum hominum; non sensisse dolorem pro peccatis hominum quorumcumque, nec pro pœnis alienis aut propriis in corpore suo: habuisse tamen summam de peccatis omnibus singulorum hominum displicentiam & detestationem. Licèt ab instanti suæ conceptionis habuerit clarissimam notitiam suæ Passionis futuræ; non habuisse tamen ejus dolorem experimentalem in corpore, qualem habuit cùm cœpit tædere & mœstus esse: noluisse eum ab instanti suæ conceptionis, quòd beatitudo suæ mentis redundaret in corpus, ut frueretur gloriâ sicut nunc in patria: verè eum doluisse & passum esse secundùm carnem, sed voluntariè, desideranter & consonè divinæ voluntati.

De dotibus corporis Christi post Resurrectionem, *vide T.* III. *p.* 1208 1209. Ibidem rejicit stultam Origenis opinionem, Christum in aëre passum esse ad diabolos salvandos. Hanc item agitat quæstionem: Utrùm Corpus Domini nostri Jesu Christi fuisset putrefactum, si diù permansisset in terra: & respondet negativè cum Gandensi. Hanc etiam: An resumpserit in Resurrectione omnem sanguinem; an pellem & umbilicum? De sanguine dubitat; de aliis partibus negat. Aliasque hujusmodi quæstiones proponit, quas curiositatis esse ait, & plerasque insolutas relinquit. Similis est illa, de physionomia Christi, quam putat talem fuisse, ut elucerct in eâ virtutum exemplar *T.* III. 1531, quibus junge alias, de Christi tentatione, *ibid:* 1057 *&* 1062.

De Morte Christi pro omnibus & necessitate, credendi in eum.

Christum pro omnibus mortuum esse verum: est sed mors hæc non proderit, ut Paradysus habeatur, nisi faciant Dei ordinationem, tenendo Legem ejus, & adimplendo ejus Mandata. *T.* III. 928 *A.*

Nulli Deus dedit gratiam, neque daturus est, nisi per medium Mediatoris Dei & hominum; quam gratiam pro omnibus meruit ad sufficientiam, sed non ad efficaciam, nisi incorporatis sibi per Fidem habitualem, ut in parvulis; vel actualem & habitualem, quæ per dilectionem perseveranter operatur. Quæ Fides minùs explicita fuit in Prophetis tempore Legis scriptæ, quàm in Apostolis tempore gratiæ & longè minùs in Philosophis & aliis Gentilibus in Lege naturæ. Quamvis enim omnes accedentes ad Deum oportet credere quòd Deus est, & quòd inquirentibus se remunerator sit; quis esset tamen modus, quo talis remuneratio consequeretur? per Mysterium videlicet Incarnationis Filii Dei, non explicita Fide revelatum, nec explicita Fide credendum. T. I. 139. 140. Quòd siquis dixerit, Ecclesiam incœpisse ab Abel justo, secundùm Gregorium, quo tempore nondum Christus erat incarnatus: respondet Joannes in Apocalypsi XIII. 8, Agnum fuisse occisum ab origine mundi, prævisivè scilicet & acceptativè à Deo; licèt nondum corporaliter exhibitivè, quia nec ipsis antiquis erat salus, nisi in Fide, multùm tamen implicita & generali Mediatoris & Capitis Ecclesiæ Christi tunc futuri, quibus erat necessarium tamen credere hoc Symbolum, quòd Deus est, & quòd remunerator est in se credentium. *T.* II. 210. *A. B.* Christus igitur est Caput essentiale Ecclesiæ, Sponsus ab ea non auferibilis *T.* II. 212 Summus ejus Pontifex. *T.* II. 59, & Papa perfectissimus *T.* II. 24. *A.*

§. 5.

De Beatæ Mariæ Virginis Prærogativis, Conceptione, Gratia, Assumptione: De Sanctorum Cultu, Invocatione, Intercessione, Reliquiis, & Miraculis; necnon De S. Josepho.

De Mariæ Virginis Donis & Excellentia.

DE Maria Virgine natus est Christus, sine fractione aut divisione, & absque Matris dolore aut corruptione, nec ei auferendo virginitatem. Hæc autem Virgo simul & Mater Dei, post partum Virgo permansit: in magnum enim errorem & turpem blasphemiam incidit hæreticus Helvidius, cùm ausus est asserere, Mariam virginem non permansisse; & certum est Fidei veritatem in contrarium esse. Exiit Christus ex utero Virginis Mariæ absque dolore, & sine læsione, aut carnis suæ propriæ corruptione: & hoc fuit singulare super omnes fœminas, Mariæ Virginis privilegium, quòd sine dolore peperit. Fabulosum igitur est, eam obstetricum usum esse officio.

Hæc Gersonius in Sermone *De Nativitate. T.* III. *p.* 940.

Matri suæ contulit Christus ab initio & consequenter, illas tantas gratias, quantas cognovit esse convenientes, secundùm ordinem suæ sapientiæ: licèt dare potuerit ei multas gratias quas actualiter & de facto non contulit. Potuit ei communicare in utero, quòd cum gloriosa & consummata felicitate nasceretur; potuit ei dare, ut statim atque nata est, usum perfectæ rationis haberet: sed quia hæc ex Scripturis Sanctis autoritatem non habent, eadem facilitate contemnuntur, quâ probantur. Potuit ei conferre cognitionem lucidissimam totius decursus vitæ suæ & Filii. Contrarium videtur Evangelicæ doctrinæ sic asserere, siquidem perditus fuit Jesus ignorante Maria & Joseph: ideo *dolentes, per triduum quæsierunt ipsum*, & non intellexerunt responsum pueri. Demum, in his Christus posuit terminos nostræ conquisitionis, ut non liceat alia, vel aliter de iis asserere, quàm quæ divinis Scripturis habentur.

De Conceptione Virginis absque peccato Originali.

Hæc sunt placita, secundùm quæ de Virginis Mariæ prærogativis statui vult Gersonius, in Libro *De Susceptione humanitatis Christi.* Tom. I. 451 452 453. Vult tamen illam absque peccato originali, juxta communem tum temporis multorum opinionem, conceptam esse: non proptereà illam à debito contrahendi peccati originalis, & à pœnalitatibus hujus vitæ immunem fuisse opinatur: sed à peccati originalis labe, speciali Dei gratiâ, & Christi Reparatoris redemptione eam fuisse præservatam; quam tamen sententiam tradit, ut probabilem tantùm & piam; mirumque esse ait, nonnullos volentes Virginem benedictam super limites honorare, prædicant nihilominus quòd contraxit originale peccatum *T.* I. *p.* 452 *D* 453 *A.* Sicut ergo rejicit doctrinam Joannis de Montesono, aliorumque, qui dicebant, de Fide esse, Mariam in peccato conceptam: ità non vult contrariam sententiam pro hæretica haberi. In exemplum enim propositionum quas non pertinet ad Episcopos hæreticare, quæque ex se, & penitùs, de Jure dubiæ sunt, an ad Fidem pertineant repugnanter, neque sunt scandalosæ, & potest veritas earum vel falsitas ignorari; in exemplum, inquam, hujusmodi propositionum hanc affert: *Virgo Maria fuit concepta in peccato originali* quæ, inquit, apud maximos Doctores in Theologia, non corruptos in affectu, vel intellectu, judicatur probabilis, neque scandalizat, neque oportet eam scire ad bene vivendum vel credendum, sicut dixit Hieronymus, in Sermone *De Assumptione. Virgo Maria assumpta est in cœlum cum corpore, quod melius est de ea piè credere, quàm aliquid temerè definire:* quod sine periculo sciri non potest. *T.* II. 286.

Verùm si Maria Virgo ab illa universali maledictione fuit exempta, quam Deus propter Ævæ peccatum dedit omnibus mulieribus, Gen. III. 16. *in dolore paries filios*; nihil obstare videtur, quominùs ab altera præservata fuerit, quæ multò pejor est, maledictione, scilicet à peccato originali. *T.* III. 941. *A.* Eamdem sententiam tuetur in Sermonibus, *De Conceptione Beatæ Virginis: eodem Tomo* III. *p.* 1317 *& sequentibus;* iisque respondet argumentis, quæ adversùs eam fieri solent. Fatetur nihilominus, eam esse de veritatibus illis, quæ noviter sunt revelatæ vel declaratæ, tam per miracula quæ leguntur, quàm per majorem partem Ecclesiæ Sanctæ, quæ hoc modo tenet, de qua dubiè locuti sunt Autores, & quæ elucidata est post tempora Sancti Bernardi; qui quidem in epistola *Ad Canonicos Lugdunenses*, eos redarguit, quia cum festinatione nimia celebrare volebant Festum hujus Conceptionis: ut si modò aliqui celebrare vellent Festum Sancti nondum canonizati, vel assueti, sine autoritate Romanæ Ecclesiæ. Aliud autem est modò, & celebratur hæc Solemnitas quasi per universalem Ecclesiam Romanam & alibi. Quare non est periculum conscientiæ, vel culpabilis erroris, vel præsumptionis, celebrare hanc Solemnitatem; multò majus est ipsam non celebrare. *T.* III. 1331. Mariam habuisse fomitem concupiscentiæ vel extinctum vel repressum oportuit, eamque post partum virginem permansisse; nec à Josepho cognitam, non ut dubium, sed un certa Fide tenendum nunc injungitur.

De immunitate B. Mariæ Virginis à peccatis: & Gratiæ plenitudine.

Ab omni peccato veniali immunem, secundùm Augustinum, profitetur Gersonius. Has nihilominus prærogativas non habuit ex justitia originali, quam non habuit; sed ex gratiæ plenitudine, quam habuit ad vincendum omne peccatum, & comprimendum omnem cupiditatis motum. *T.* II. 362. *T.* III. 1331. 1351. An autem habuerit summam pulchritudinem corporis, non ita certum; videtur tamen habuisse, sed ejus generis, ut non moveret ullo pacto aspectantes ad iniquam vel dissolutam tentationem. *ibid.* At summam habuit pulchritudinem spiritualem, & donis omnibus ac virtutibus fuit instructa. Vide Commentarium super *Magnificat* in quo præclaræ Mariæ virtutes prædicantur.

De

De Mariæ in morte Christi constantia & animi motibus, ejusque habitu, cùm ad Crucem staret, lege quæ habentur in *Expositione Passionis*, *T.* III. *p.* 1172 *& sequentibus.*

De Maria Virginis Assumptione.

Denique de Assumptione B. Mariæ Virginis in cœlum, corpore & anima, non dubitat Gersonius, etiamsi fateatur fuisse tempus in Ecclesia, quò nondum id tenebatur sicut nunc tenetur. *T.* III. 1330. Festum Nativitatis ejus post Festum Joannis ordinatum fuisse ait, ex revelatione unius fœminæ. 1330 1338 & 1358, & Festum Purificationis mense Februario, successisse superstioni Gentilium, quæ fiebat mense Februario n honorem Cereris. *T.* III. 54

Uno verbo, de Maria sic sentit: multò majus esse periculum errare, blasphemando hanc Virginem, quam ipsam laudando, quæ humanâ laude sufficienter laudari non potest. *T.* III. 1330. In hoc solo verbo, quòd sit Mater Christi, omnem Evangelistæ & Apostoli expresserunt excellentiam, & supereminentiam totius puritatis & sanctitatis super omnem creaturam corporalem & spiritualem. *T.* II. 714. Non tamen Christus eam omni genere possibilis perfectionis instruxit, sed secundùm sapientiæ suæ modum & ut voluit. Et paralogizant qui ita ratiocinantur. Christus potuit hoc facere in gratiam Mariæ, decuit ipsum id facere; ergo fecit. Quam conclusionem, non veretur Gersonius hæreticalem appellare. *T.* I. p. 452 453.

De S. Josepho Virginis Mariæ Sponso.

Singulari in Josephum Sponsum Mariæ fuit affectus pietate Joannes noster, cujus Festum, tam de ejus Morte quàm de Conjugio institui voluit; & in ejus honorem Officium & carmen composuit. Ejus ex Regali progenie ortus nobilitatem multis extollit. Perpetuam Virginitatem laudat. Sanctificatum in utero, non secus ac Joannem affirmat. Juvenem Mariæ desponsatum putat; & tamen operatione Spiritus Sancti repressum, vel extinctum in eo libidinis fomitem. Ante Christi Passionem mortuum. Cum mortuis, qui Christo moriente surrexerunt, apparuisse Virgini. Christo in cœlum ascendente, ascendisse simul & glorificatum fuisse, non dubium, in anima, sed an in corpore nescire se; aliaque multa id genus de Josephi laudibus legere est in Sermone *De Nativitate Mariæ*, *T.* III. 1345 *& sequentibus*; & aliàs *T.* IV. 729. 736 *&c.*

De Sanctorum Cultu, Invocatione, Intercessione.

Sanctis Cultum exhibere pietatis est: at eis gloriam Regni, & honorem qui soli Deo debetur tribuere, Idololatria est; sed tantùm eis Cultus competit, per imitationem & reductionem ad Deum. In Sermone *De S. Ludovico.* *T.* III. *p.* 1451. Hos invocandos & orandos esse, ac pro nobis apud Deum intercedere, non uno in loco docet Gersonius.

Et quidem, de Omnipotentis immensa liberalitate, cui proprium est misereri semper & parcere; qui Omnipotentiam suam parcendo maximè & miserando manifestat; cujus indulgentiam nulla peccatorum, nulla flagitiorum, nulla scelerum quantumcumque multiplicatorum enormitas superare valet, cuncta sperare optimum est. Cœterùm, quia mos humanus hoc habet, ut Mediatores & Intercessores quærat, dum potens aliquis rogandus est; converti oratio potest ad aliquem Sanctorum qui Deo proximior est in glorificatione; aut familiariori quadam devotione cognitus; aut qui pro necessitatibus sublevandis, vel pro impetranda speciali gratia donum recepisse memoratur à Deo, ut ait Gersonius, in libro *De oratione.* *T.* III. *p.* 249.

At sunt aliqui Cultus Sanctorum, qui plurimùm supestitionis habere videntur: ut quòd Novena fiat, & non Septimana, vel Quintana; quòd offeratur tale munus vel tale, gallus pro pueris, gallina pro puellis, Beato Christophoro vel Joanni Baptistæ; quòd ad Sanctum Hubertum pro morsu canis rabidi fiant innumeræ particulares observantiæ, quæ nullam videntur habere rationem institutionis; & ita talis ritus transit in superstitionem, quæ nihil aliud est quàm vana Religio: dicitur autem *vana*, quia caret ratione & effectu. Similiter est de hoc, quòd Sanctus Antonius habeat plus virtutis in curando sacrum (ut aiunt) ignem, quàm alii Sancti. Rursùs est hoc, quòd in hac Ecclesia dedicata Beatissimæ Virgini, ipsius virtus sit potentior, quàm in alia, ad faciendum miracula, & succurrendum invocantibus se; & hoc præsertim ratione talis Imaginis suæ, vel ratione solitæ peregrinationis illic continuatæ; & sic de similibus absque numero. Circa quas observationes de Cultu Sanctorum, animadvertendum est, quòd aliquæ sunt manifestè licitæ, imò & obligatoriæ; quas videlicet tradidit Eccesia: aliquæ sunt penitùs illicitæ & demeritoriæ, quas Ecclesia reprobat per expressum: aliæ autem sunt mediæ, quæ de genere suo nec bonæ sunt nec malæ, sed fiunt moraliter bonæ aut malæ, per appositionem circumstantiarum, præsertim intentionis & finis. Similter potest fieri distinctio de credendis, quòd aliqua sunt firmiter credenda, alia æquè firmiter discredenda; alia verò, quæ sine periculo possunt vel credi vel non credi. Cœterùm, de observantiis primi & secundi generis, potest & debet fieri securè prædicatio: de aliis verò tertii generis, cautissimè prædicandum est, ut nec nimis assertivè & absolutè approbentur, præsertim quasi cadant sub Præcepto, vel Fide certa; nec etiam reprobentur absolutè & simpliciter, quasi sint peccata, quæ non possunt bene fieri, & quæ obligent ad non credendum. Rursùs advertendum, quòd apud simplices, qui videntur bonæ fidei, & alios religiosè viventes observantes Ecclesiasticam disciplinam & doctrinam, agendum est potiùs ad rectificationem actionum suarum & ad bonam interpretationem, juxta intentionem bonam quam habere debent, quàm damnentur, vel arceantur deserere suas consuetudines; præsertim per illos qui non sunt tantæ autoritatis, quòd possint sine scandalo tales observationes extirpare: secùs fortè, ubi adveniret autoritas Prælatorum, vel Papæ, vel generalis Concilii. Unde & quando prædicatur nimis acriter contra observationes talium personarum, quæ devotæ sunt in multis aliis; potest consurgere quædam pusillanimitas, atque oriri ex hoc in perversis major arrogantia irrisiva bonorum & simplicium hujusmodi, aliarumque devotarum personarum.

 Adda-

Addatur adhuc circa dictas observationes, præsertim propter illos qui sunt depressi intellectus ac rudes ad capiendum subtiles resolutiones nostræ Fidei & Catholicæ Religionis, quòd in talibus ita temperatè se habeant, ut non reprobent eos qui talia non faciunt; quòd etiam in talibus non ponant firmam spem suam, taliter quòd existiment Deum, vel Sanctos non debere eis præbere auxilium, vel salutem, nisi observationes tales exercuerint, quasi sit in illis quædam necessitas, ut per eas & non aliter Deus inducatur & Sancti id facere quod petunt. Possunt tamen existimare cum pietate Fidei & Religionis Christianæ, quòd reverentia exhibita Deo & Sanctis per hujusmodi observationes, eis utiquè placeat.

Inveniet studiosus, doctus & pius animus in his observationibus, quæ de se non sunt malæ, quasdam rationes vel directiones cordis, quæ faciunt observationes hujusmodi nedum licitas, sed etiam meritorias. Et sicut necesse non est in observationibus per Ecclesiam datis, quòd simplices & laïci cognoscant talium rationes, quæ in aliquibus vix possunt aliter reddi, quàm quòd sic placuerit Legislatori, vel Ecclesiasticæ consuetudini: sic multò magis in proposito dicendum est, quòd sufficiant leves conjecturæ, si dicatur Novenaria potiùs quàm Duodenaria, ad honorem novem videlicet Ordinum Angelorum; & quòd fit peregrinatio ad istam Ecclesiam, magis quàm ad illam, ob majorem devotionem Fidelium; & quòd Deus vult in variis locis & diversis Sanctis variè & diversimodè coli, stante tamen semper in his Fidei soliditate & integritate. Rursùs ad elucidationem præmissorum ampliorem addendum est, quòd non passim quæratur tentari Deus per invocationem Sanctorum suorum, vel obligationem eis factas: quasi debeat semper facere miraculosè, illud quod petitur, præsertim quando bonum est temporale.

Contingit autem Deum tentari dupliciter. Uno modo, sine necessitate, vel absque magna utilitate; quæ tentatio dicitur curiositas: alio modo, dum dimittitur auxilium humanum quale posset habere, videlicet dùm fiat illud quod naturaliter vel humanitùs fieri potest; & hoc vocamus facere quod in se est.

Ad primum spectat, cùm homo vult per aliquas orationes vel jejunia acquirere scientiam aliquorum occultorum, vel eorum, quæ non sunt sibi vel statui suo competentia, vel ut habeat gratias aliquas gratis datas, quæ non sunt utiles ipsi petenti, sed magis inutiles fortè & noxiæ: ut quòd homo speret, dicendo hanc vel illam orationem, quòd non incurret tunc infirmitatem, vel quòd sic habebit divitias, vel prosperabitur in mercaturis, vel etiam in spiritualibus; exempli gratiâ, quòd videbit ante mortem oculis corporalibus Beatissimam Virginem, aut aliquem Sanctorum vel Sanctarum, & ita de reliquis, quæ omnia frivola sunt, nec habent quidquam roboris aut fundamenti.

Porro aliquibus nihilominus licitum est expectare aliqua, quasi per miraculum, cum recursu ad Deum & Sanctos ejus, qualia expectare sine cooperatione, aliàs nequaquam foret licitum, sive laudabile; & hoc in multis casibus est consideratione dignissimum. Unde si simplices homines non haberent prædicatores & instructores super credendis & agendis ad salutem pertinentibus, possunt rationabiliter instructionem sui postulare à Domino Deo per miraculum, utpote per infusionem divinitùs, præter naturæ operationem, illuminari: quia ubi deest naturale & humanum subsidium, potest, imò & debet spirituale & supernaturale rationabiliter expeti & expectari. Verumtamen Prælati & Doctores debent vigilantiores, & cautiores esse in præmissis, quàm simplices, ut provideant ne talis pietas Fidei, si plùs debito excesserit, & non secundùm scientiam, vergat tandem in detrimentum Fidei, ac superstitionem intolerandam. Debent itaque potiùs in publicis Prædicationibus & Exhortationibus talia restringere, quàm approbando dilatare; tum propter pronitatem hominum ad superstitiones; tum quia solemnis Prædicatio Doctorum talibus simplicibus, aliàs afferret fidem, & augeret in his, quasi vera sint, & de necessitate credenda, eò quòd à tam magnis hæc approbari quasi intellexissent; hinc tertiò, quia satis suppetunt exempla pietatis Fidei & Religionis Christianæ in Scripturis Sacris & Historiis autenthicis, sine multiplicatione hujusmodi novorum superfluorum, quæ nec solidum satis habent fundamentum, cui possit sic cum talibus quis inniti, quin immineat multiplicis casus periculum, cum deviatione à principali fundamento.

Hæc de orationibus & observationibus quibus coluntur Sancti ad hominibus, fusiùs Gersonius, in libro *De directione cordis.* T. III. p. 471. *D. & sequentibus.*

Nunc de Sanctorum felicitate & intrecessionibus quid sentiat, ex Sermonibus *In Festo omnium Sanctium*, qui eodem Tomo habentur, exponendum est.

Beatitudo Sanctorum est, clarè videre Deum facie ad faciem; eum summè amare, & de visione & amore ejus inæstimabiliter lætari; absque quacumque invidiâ habere perfectam securitatem sic perpetuò permanendi. p. 1550.

Lætitia non est eorum principalis beatitudo; sed beatitudinem consequitur, quæ in clara Dei cognitione, ut fruitiva ejus dilectione consistit; quibus positis in anima bene disposita, tanquam convenientissimis formis conjungentibus animæ potentias supremas cum objecto summè convenienti cum omni bono, lætitia & exultatio consequatur necesse est. 1508. *D.*

Delectationes hujusmodi & finitæ sunt & impares, minui vel augeri potest accidentalis lætitia; & licèt non sit ampliùs in iis dolor neque luctus, prout passiones sunt; possunt tamen intelligi de nostra impietate tristari, dùm gaudio illo carent quod de nostra sanctitate sentirent. Orant pro viatoribus, & sæpius bona gratiæ & fortunæ impetrant, quæ aliàs non haberemus, etiam pro damnandis; vel quia fortassis eos damnandos nondum sciunt, vel ut minùs mitiùsque damnentur. Cognoscunt preces omnes ad eos fusas, tantaque est inter eos charitas, ut uno orante alii similiter deprecentur. Pro nobis orantes semper exaudiuntur, dum petimus piè, hoc est pro utilibus ad salutem, & pro nobis, & perseveranter: secus non oportet, ut si postulemus temporalia nocitura, aut pro aliis non se præparantibus ad gratiam, aut si non sumus in gratia, vel si non perseveremus in eadem. Orantibus etiam Indulgentias largiuntur, non quidem autoritativè, ut in terra Summus Pontifex; sed impetrativè. Nihil prohibet quominùs Sancti pro suis amicis magis orent, &, eis salvatis, cumulatiùs glorientur; pro eis maximè

maximè, qui suæ salvationi verbo, vel exemplo, vel opere quolibet causam probuerunt. De vindicta damnatorum collætantur. Lætitia quidem eorum in resumptione corporum augebitur, saltem extensivè, sed an intensivè, problema est ad utrumque probabile, & habet pars utraque causas & Doctores. Principalis autem in corporibus glorificatis lætitia ab internis conscientiarum cubilibus emanabit. Fiet quoque ex redundantia beatitudinis animæ ad corpus, sua lata jucunditas, sua quadruplex dotatio. De sensationibus forinsecis nullam dicentibus indigentiam, ut sunt visio & auditio, nihil prohibet illas exerceri, ut in decoris & harmonicis corpus hilarescat. Secùs de tactu videtur & gustu, quos vel ad nutrionem vel generationem ipsi naturæ Deus viatoribus ingeneravit, quanquam, imperfectione seclusa, quis audeat determinare, quosdam proprios horum sensuum actus non ibidem reperiri. Deum corporaliter videbunt in carne assumpta; & quocumque se acies oculi corporalis converterit, videbitur Deus omnia in omnibus, oculo sanè spirituali non corporali.

Multæ aliæ quæstiones hujusmodi possent fieri, quas relinquit Gersonius: harum tantùm solutionem importunæ studiositati concedens. *p.* 1510. 1511. 1550 *&* 1551.

Antiquitùs Confessores, usque ad Sylvestrum Papam, publicè non colebantur ut Sancti; nec aliquis eorum in Canone Missæ est positus: & cùm primùm coli cœperunt, non canonizabantur, sed ex certissima vitæ sanctitate colebantur. Et ne passim populus in errorem iret, Ecclesiæ censura Canonizationis moderamen adhibuit. *T.* 11. 712. 713.

Non vult equidem Gersonius, alium virum, licet pium, nunc publicè coli, nisi canonizatum, aut assuetum ex veteri Ecclesiæ usu. *T.* 111. 1331.

Attamen in Canonizatione, Ecclesiam & fallere & falli posse non deffitetur. *T.* 1. p. 8, probatque sententiam Magistri Henrici de Hassia, qui comprimendam esse censuit tot hominum Canonizationem: cui astipulatur Petrus de Alliaco, in Tractatu, *De Reformatione Ecclesiæ. Cap.* 3. T. 11. p. 911; inter Reformationis capita, hocce proponens; ut non tot novi Sancti canonizarentur: quanquam, ut ait Gersonius, credendum sit, in infinitum esse plures mortuos Sanctos, quàm qui sunt canonizati.

In Sanctorum Canonizationibus operam Theologorum necessariam esse Gersonius autumat. *T.* 1. p. 40. *A. B.* Nihil autem impedire existimat, quominùs oratio nostra peculiariter, & secretâ quadam devotione, convertatur ad personas aliquas, sive mortuas sive viventes, quarum vitam probatam fuisse cognovimus, quamvis Ecclesia eas non canonizaverit; puerosque innocentes baptizatos, quos constat esse salvatos, hac Consideratione comprehendit. T. 111. p. 149. *C.*

De Sanctorum Reliquiis, earumque Cultu.

Sanctorum Reliquias, Loca Sancta & Beatorum Imagines debemus venerari, non pro ipsis, sed quia videndo eas, honorem impendimus rebus repræsentatis per eas, juxta ritum Sanctæ Matris Ecclesiæ; alioquin peccatum Idololatriæ committitur, Imaginem secundùm se adorando, credendo ipsam Imaginem pulchram sive turpem, novam aut veterem, plùs aliquid habere virtutis, & quidquam numinis includere vel divinitatis. T. 1. p. 431. *A.* In Reliquiis dijudicandis attendendum, si ad commodum temporale, vel quæstum exponantur, ut à Quæstoribus publicis, Miracula, vel Reliquias, vel Indulgentias confingentibus. T. 1. p. 17. *D.* Non rarò corpora multa Sanctorum eorumdem & membra conservantur in diversis locis pro Reliquiis: idemque corpus cum membris asseritur esse in multis locis, & tanquam tale colitur; prout dicitur De Capite *S. Joannis Baptistæ*; De Brachio *S. Antonii*: qui enim veneratur istud in loco illo, non credit esse in alio; alius autem è contra. Sed diversis respectibus utrumque credi potest cum Fidei pietate; dum tamen sit animus ab assertione pertinaci alienus. T. 1. p. 24. *A.* Nam malè iret ritus venerationis Reliquiarum apud multas Ecclesias, si quælibet varietas in hujusmodi cultu, error vocaretur intolerabilis, atque mendositas, dum id Reliquiarum quod habere se dicit una Ecclesia vel Religio, prætendit altera similiter; quemadmodùm de Capitibus Beatorum *Joannis Baptistæ*, *Benedicti*, *Magdalenæ*, *Lazari*, & talium hujusmodi Reliquiarum sine numero conspicimus. Nihil itaque prohibet utrumque contradictoriorum stare cum altero, & si non in veritate, tamen in tali rationum probabilitate; quæ sufficiat ponentes & laudabiles reddere, & eos defendere à mendacio & errore; cùm error in materia Religionis atque mendacium, culpæ notam denominet. T. IV. p. 722. In gestatione Reliquiarum, & bibitione ablutionis earum in pia fide factis, potest non minùs se immiscere bonus Angelus, quàm malus in impiâ & prohibitâ fide factis. T. 1. p. 197. *A.*

Hæc de Reliquiis. Nunc de Imaginibus Sanctorum.

De Imaginum usu & Cultu.

Imaginum seu sculptilium usum, in Lege omnino interdictum fuisse, observat Autor Compendii Theologici Gersonio ascripti. T. 1. p. 245, & propterea ante Incarnationem reprobatas Imagines fuisse; at permissas à Christo: quanquam alii dicant, prohibitam tantùm adorationem illarum in Veteri Lege. Nos autem non adoramus Imagines: sed refertur honor & ad adoratio ad imaginatum, scilicet ad Deum vel ad Sanctum ejus, cujus est Imago.

Hæc ille Scriptor; cui concinens Gersonius, tum loco citato T. 1. p. 431, tum in Sermone *De Nativitate Domini*. T. 111. p. 947, ait, Nos non adorare Imagines, quia propriè nihil adoramus nisi Deum. Si inclinor, inquit, ante Imaginem Crucifixi, non oportet propterea me adorare istud lignum ex quo est facta, potiùs quàm quodvis aliud: sed est ideo, quia solum Deum adoro, quem Crux illa repræsentat. Quantùm ad Sanctorum & Sanctarum Imagines, pariformiter eas non adoro, sed honoro Sanctos & Sanctas, qui per has repræsentantur Imagines. Et si mihi dicas; simplices homines non eò dirigere intentionem suum: dico quòd peccant, nisi excusentur, aut per ignorantiam invincibilem, aut per hoc quod habent intentionem facere quemadmodùm facit Ecclesia, in honorandis Imaginibus. Hoc dico vobis, non debere vos adorare

adorare Imagines potiùs quàm lapides: & quando osculabimini eas, aut prostrati estis coram eis, potiùs quàm coram aliis rebus; hoc solummodo est, ut per eas habeatis memoriam & Dei recordationem, quòd scilicet etiam ipsæ repræsentant Sanctos aut Sanctas. Non enim propter aliam causam factæ sunt Imagines, nisi ad ostendendum simplicibus hominibus, qui non norunt Scripturam, quid credere debeant. Et propterea cavendum est, ne falsa aliqua accipiatur, quemadmodùm esset perperam exponendo Scripturam. Hæc dico, partim propter quamdam Imaginem, quæ est in Carmelitis, & similes, quæ in ventribus earum unam habent Trinitatem, veluti si tota Trinitas in Virgine Maria carnem assumpsisset humanam. Et quod admirabilius est, depicti sunt Inferi, quorum nullus cernitur exitus. Nec video quare talia fiant opera

Eadem alibi habet, de directione intentionis, in colendis Imaginibus, & simplicitate Fidelium, quos Fides Ecclesiæ quam profitentur, ab Idololatria liberat. *T.* III. p. *66. C. 86. D. 87. A.* Abusus esse multos observat in cultu Imaginum, tum apud laïcos & sæculares, imò & nonnunquam apud litteratos & Religiosos, qui unam Imaginem potiùs adorant quàm aliam: & hoc solùm, quia vel venustior, vel pulchrior, aut ornatior, unde loquuntur ad illam velut si intelligat. Directio finalis consulenda & sæpiùs inculcanda est talibus in his & pluribus aliis, quòd habeant intentionem generalem faciendi in hujusmodi adorationibus, quod intendit facere Ecclesia. Hæc *T.* III. p. 471.

Imaginum & picturarum in Ecclesia varietatem & numerum improbat Petrus de Alliaco, in Tractatu *De Reformatione Ecclesiæ. T.* II. p. 911.

Adversùs lascivas imagines quæ etiam in Templis exponuntur, ex professo scripsit Gersonius, cujus lucubrationes vide *T.* III. p. 291. Et sequentibus.

Superstitiosas quoque imagines & signa detestatur in Scripto, *Adversùs Medicum de Monte-Pessulano*; & in Opere, *De erroribus circa artem Magicam. T.* I. p. 206. & 216.

De Miraculis.

Hic non abs re erit Gersonii de Miraculis observationes referre. Inprimis tenendum est, nullùm propriè & verè dictum Miraculum, ab alio quàm à Deo posse creari; quoniam solus est, qui super omnem causarum naturalium cursum & ordinem dominatur. Præterea scire convenit, quòd sicut apud homines, in attestatione litterarum, sigillum appenditur, vel apponitur signum proprium; non aliter Deus Miraculorum verorum operationem, veluti sigillum & signum proprium, inducit, in robur veritatis illius quam jubet credi; & nullâ unquam invocatione Miraculorum conditor sit vel erit in opere mendoso, quin reclamet, & quin per Scripturas Sacras, per Prophetas, per revelationem, vel aliter, illam falsitatem non esse credendam edoceat. Deus enim veritas est, se ipsum negare non potest. Multorum siquidem, & inter alios Augustini, ut opinor, sententia fuit, Deum per malos nonnumquam mirabilia operari; & hoc, non ut falsi testis sit; absit: sed in damnationem, tàm illius qui facit, quàm illorum qui seduci, & erroribus excæcari meruerunt, quemadmodùm dicunt de Antichristo, ad probationem Electorum. Hæc ita quamvis se haberent, quòd per mendaces Miraculi autor esset Deus; nunquam tamen sigillum proprium sic falsari, nunquam eo abuti in mendacio sineret, quin reclamaret & contradiceret. Hinc intelligitur, cur damnabuntur Antichristo adhærentes, & salvabuntur Christiani Christum confitentes miracula operantem. Affert & ostendit uterque signum Regis summi; sed illi tanquam falsario per Scripturas Sacras contradicitur; multiplex isti super additur Prophetarum approbatio.

Hæc in Sermone XIX *post Pentecostem. T.* III. p. 996. 997. 998, & in alio Opere *T.* I. p. *67. A.*

Possunt & multa mirabilia absque Miraculis salvari? non propterea negantur ex hoc esse Miracula: & ubi dubium incidit de Miraculo, videtur divina Omnipotentia magis honorari & Christiana Religio, piè attribuere ad Miraculum id quod evenit, quàm obstinatè à Miraculo defendere; supposito semper quòd doctrina veritatis maneat infracta: nam cum publicatione hæresum, esset mortui etiam suscitatio prorsùs suspecta, & execratione plena. *T.* I. p. 84. & 85. Cùm autem mali facere possint Miracula in attestationem veritatis, Miraculorum operatio non est signum certum Sanctitatis, nec in hominis alicujus Canonizationem, aut cujuspiam doctrinæ autorizationem sufficiens est per se Miraculorum ostensio, nisi in canonizando vitæ Sanctitas indicetur, nisi insuper doctrina approbanda, veræ Fidei nullatenus adversari censeatur. *T.* I. p. 45. 47. *T.* II. 67. *T.* III. 1298. Non tamen à malis fieri possunt Miracula in probationem Sanctitatis suæ, aut veritatis doctrinæ quam annuntiant; Deus enim nunquam testis potest esse falsitatis. *ibid.* Quæcumque autem Miracula, quæ piâ necessitate aut utilitate carent, suspecta esse debent. *T.* 54. *D.* Communiter verò fiunt, vel ad probandam Sanctitatem illius qui ea facit, de qua aliàs dubitatur; vel ad confirmandam & convincendam infidelitatem alicujus vel aliquorum: ubi autem per Scripturam Sacram, vel etiam aliam, constat de Sanctitate talis personæ, raró fiunt per illum Miracula; quia jam habet aliquod genus probationis suæ Sanctitatis. Sic & Juristæ dicunt, quòd *Ubi uno modo legitimè constat de intentione partis, non requiritur vel exigitur, imò esset superfluum aliud genus probationis.* c. I. Extra. De probat. Et ideò Martyres, de quorum Sanctitate nullus dubitat, raró fecerunt Miracula, respectu aliorum, præsertim in vita sua. Confessores verò plura in vita & post mortem. Ex quo dubio, antiquitùs, Confessores, usque ad Sylvestrum Papam, publicè non colebantur ut Sancti, nec aliquis eorum in Canone Missæ est positus: cùm tamen Virgines, imò & Mulieres, sed tamen Martyres sint positæ, sicut Perpetua & Felicitas. Inter ipsos Confessores Sanctos hæc fuit differentia: nam qui scripserant multa ad Fidei illuminationem, & magnâ sententiâ & doctrinâ pollebant, pauciora aut quasi nulla fecerunt Miracula, præcipuè in vita; quia habebant probationem Sanctitatis in eminentia doctrinæ. Alia quoque inter Confessores differentia fuit: nam aliqui vixerunt in eremo, in asperitate vitæ &c. Et ne in tam lata materia diù immorer, tam Martyres quàm Confessores, viri & mulieres, fecerunt & faciunt Miracula ob multas causas; ut scilicet prædicatio eorum, & nomen Jesu Christi, in quo tantùm est salus, probaretur . . .

Ali-

Aliquando ne Prædicatio propter Ministros contemnatur, eò quòd inter homines communiter vivant, Sanctitatisque alia testimonia non habent ex doctrinarum excellentia... Aliquando ad confirmationem Christianorum nondum plenè in Fide fixorum; quia forsitan de facili aliàs abscederent, vel saltem in Fide errarent. Aliquando in certis Mundi partibus majora & plura fiebant Miracula, tum propter loci vel hominum qualitatem, quia cœteris paganis & infidelibus erant propinqui, & sic, per consequens, difficiliùs inducendi ad Fidem, & procliviores ad recessum; aut quia ex paganis propagati, & sic paternas consuetudines difficillimè reliquissent, nisi crebris signis roborati essent; vel propter eorum stoliditatem & ruditatem, tam in moribus quàm ingeniis ac sensibus; vel alias innumeras conditiones Deo notas. Alii fecerunt signa in vita & faciunt, nec tamen ob hoc sanctiores, imò pejores etiam & damnabiliores sunt & fuerunt, sed ut Christus ostendat nominis sui virtutem, & Sacrorum verborum quæ illi proferunt efficaciam; vel ut devotarum precum in humilitate oblatarum exauditorem se monstret. Hæc fieri sic, vel ut Sanctorum suorum magnificet nomen & gloriam, in quorum Ecclesiis, vel coram quorum Reliquiis ista fiunt, vel aliis de causis sibi notis.

Non ergo appetenda sunt Miracula, quæ cum malis habentur communia. Miracula Sanctum ostendunt, non faciunt. Ubi ergo non est necesse ad confirmationem Fidei; vel ubi homines essent ingrati; vel ubi emendatio vitæ & Dei gloria non subsequitur; aut ubi Sancti, ex testimoniis Sacræ Scripturæ, austeritate vitæ cum sancta conversatione, temporalium abrenuntiatione, Christi imitatione, sive aliâ causâ, secundùm Deum eorum Sanctitas nota est; ibi Miracula per homines expetere superfluum videtur. Si verò Deus faciat Miracula absolutè, ipse novit quare, cùm etiam quotidie ejus mirabilibus plena sit terra.

Probatio autem Sanctitatis per Miracula, tamen plurimùm est suspecta, quia, ut supra dictum est, cùm malis sint communia, & multa non Christianæ Religionis, sed Magicæ artis ostentamenta sint, quæ à simplicibus quasi Sanctitatis Miracula acceptantur.... Innumerabilia sunt Miracula post creationem cœli & terræ, tam tempore Legis, quàm Prophetarum facta, sed illis temporibus erant apta, plurimaque eorum non solùm corporaliter exhibita, sed & magnis sacramentis obumbrata, sicut etiam Miracula Christi, quæ fecit in terris in persona propriâ. Hæc autem antiqua Miracula quotidiè renovantur in Ecclesia, quæ etiam tantò majora sunt, quantò non corporalia, sed spiritualia.

Virgo Maria nullum legitur in hac vita fecisse Miraculum: quærere ergo ejus Sanctitatem per Miracula, non esset sanæ Fidei; nec Miracula quæ quotidie per eam fiunt, ad probationem suæ Sanctitatis exhibentur, nec Sanctitati ejus aliquid addunt; sed ad manifestandam ejus erga nos immensam charitatem & pietatem quam habet ad devotè eam implorantes & venerantes.

Hæc Gersonius in Epistola, quâ causam reddit, *cur non fiant apud Carthusienses Miracula*. *T.* II. p. 712. 713 & 714.

Iis autem quibus non sufficiunt Miracula, quæ Deus & Sancti sui elapso tempore fecerunt, sed semper nova petunt, & dicunt, quare Deus non facit Miracula ut solebat, est hæc periculosissima tentatio. *T.* III. 1086. *A. B.* Terrena delectatio est sine fidelitate, quia credere non vult nisi quod sentit & videt, more bestiæ. *ibid.* p. 1121. Non tamen abbreviata est manus Domini, quin similia & majora quàm olim, nostris temporibus possit operari. *T.* I. p. 48. *B.* Si porrò ætas nostra Fidei & moris inops Miracula habeat, incredulitatis nostræ signa sunt & damnationis, nisi melioremur, indicia. *T.* I. p. 1298. *B.* Atque hæc de Miraculis.

§. 6.

De Creatione, Angelis, Dæmonibus, Anima humana, Libero Arbitrio, Gratia, Justificatione, Merito, Beatitudine, Limbo, Purgatorio, Judicio & Damnatione æterna.

De Creatione Creaturæ spiritualis & corporeæ.

CUm Deus qui est summa bonitas, illam eamdem bonitatem expendere, communicare, & monstrare ad extra voluit, Mundum formavit in tempore, quem in cognitione sua & cogitatione per æternitatem habuit. Et in principio duplicem formavit creaturam; unam quidem corporalem & materialem; alteram verò spiritualem. Unam quam videre possumus, aut per corpus sentire; alteram quam percipimus & cognoscimus per rationem: corporea enim natura, non eo pacto conservari posset & ordinari, absque aliquâ spirituali virtute; quemadmodùm videmus in corpore respectu animæ. Et etiam Scriptura Sancta à Deo revelata, talium creaturarum spiritualium nobis dat cognitionem, quæ bifariam partiuntur. Aliquæ enim sunt sine corporis communicatione aut conjunctione, & has Angelos appellamus: aliæ sunt conjunctæ corporibus, & illas animas nominamus.

De Angelis.

Angeli de quibus primò locuturi sumus, creati sunt primâ die, cùm Deus formaret cœlum & terram, sine tali dispositione & ornamento quod eis datum fuit sequentibus diebus: & fuit hæc Angelorum creatio, cùm dixit Deus, *Fiat lux, &* confestim *facta est lux.* Gen. 1. 3. Nam illa lux non solùm erat lux corporalis quam videmus in sole & stellis; sed etiam spiritualis & incorporalis; natura videlicet clara & pura, quam nos Angelicam naturam dicimus. Hoc est in figura & summa, qualiter & propter quid Angeli fuerunt creati, quia fuit ex pura & bona voluntate Dei, ad expandendum suam ad extra bonitatem, & ut creaturæ suæ laudarent Creatorem, utque bonitas Dei & potentia & sapientia sua mostrarentur ad extra in creaturis;

quemadmodùm cognoscitur ars & prudentia alicujus artificis per opus ejus: creatura tamen spiritualis & rationalis specialiùs & altiùs creata fuit ad cognoscendum Deum & amandum, ut imago quædam perfectior. Deus autem omnes Angelos fecit bonos & pulchros, liberos, donis gratuitis ornatos, in statu viæ & meriti, ut beatitudinem per strenuos actus infra certam temporis moram mererentur, vel non merentes illâ perpetuò privarentur, deditque eis tempus & spatium utendi liberâ voluntate suâ, & confirmationem in gloriam acquirendi. Sed ô nunquam securum penitùs viæ statum! O nunquam satis per se stabilem creaturam non à Deo specialiter stabilitam! Accidit ut quidam Angelorum, qui erat aliis perfectior, clarior & pulchrior; secundùm B. Gregorii, non autem Damasceni sententiam; supremus Angelorum, à perfectione sua decidit per superbiam, ambitionem, & impotentem dominandi libidinem, odio & invidia erga Deum motus, æqualitatem cum eo appetivit & aliquos secum in eamdem noxam traxit, cui restitêre Michaël aliique. Hinc factum, ut, de justo Dei Judicio, Lucifer & omnes ejus socii & adhærentes, de cœlo in terram lapsi, à tam sublimi loco in profundum demersi, facti sint ex Angelis diaboli, de bonis mali & inimici, de Dei amicis persecutores ejus.

Hæc de Angelorum creatione, statu & lapsu, fusiùs habet in Sermonibus primo & tertio *De Angelis*. T. III. p. 1468. *& sequentibus*.

Licet porrò quilibet Angelus sit immediatè formatus à Deo quoad naturam, gratiam & gloriam; nihilominus quoad exercitium actuum hierarchicorum, qui sunt purgare, illuminare, & perficere, tres primi Ordines hierarchizant non hierarchizati ab aliis; tres medii hierarchizantur & hierarchizant; tres infimi hierarchizantur & non alios hierarchizant. Hæc secundùm doctrinam libri *De cælesti Hierarchia*, quem Dionysio tribuit Gersonius. *T.* II. p. 239. Juxta quem, tres sunt Hierarchiæ, & novem Ordines Angelorum. *ibid.* 434. *B.*

Innumerà autem eorum multitudo *T.* III. p. 1167. De eorum scientia & cognitione, fusè disserit Alliacenus. *T.* I. p. 565. *& sequentibus*. Item quomodo illuminentur & loquantur; quæ facere possint vel non possint, inquirit Gersonius eodem Tomo, p. 194 *& sequentibus*. Creare non possunt animas, nec libertatem hominum cogere; liberi sunt; possunt mutare res corporeas, Deo permittente; per devotas potiùs preces, quàm per observationes superstitiosas conciliantur; cœlum regunt non animant; mediatè & inclinativè agunt in intellectum & voluntatem hominum, ex Dei permissione; in suis actionibus liberis, certis regulis coarctari, tradi, & cognosci non possunt. Passiones tamen spirituales ab Angelo Dei bono frequenter immitti credendum est: non illabendo quidem in spiritum nostrum, quod solius Dei est; sed per alios modos, quos explicare conatur Gersonius. *T.* III. p. 137. 138.

Negari non potest quin assumant aliquando corpoream figuram, ad exercendas quasdam operationes, ut Sanctus Raphaël apparuit in forma itinerantis vel nuncii; & inimicus sæpenumerò, in horribilibus apparuit figuris draconum aut serpentum.

De modo autem assumendi & formandi hujusmodi corpora, nihil dicere vult Cancellarius noster, *quia*, inquit, *materia ista est potiùs colenda, quàm prædicanda*. *T.* III. p. 1493. *D.*

Angelos hominum Doctores, Instructoresque instituit Deus, dans unicuique ab initio nativitatis, etiam in utero, secundùm Bonaventuram, Angelum sui Custodem; præficiens insuper singulis Regnis ac Provinciis certos Angelos; ut Michaëlem olim populo Judaïco, post hæc populo Christiano deputavit: imò unicuique bonus & malus Angelus deputatus est; bonus ad custodiendum; malus ad exercendum. Permittit enim Deus malum tentare & impellere ad malum; vultque bonum Angelum movere in contrarium, dando confortationem, auxilium & defensionem adversùs hanc crudelem bestiam. Propterea bonus Angelus servit Deo, &, secundùm aliquos, suam gloriam, & Paradysum lucratur, quamvis jam ipsum possideat: malus verò, justo Dei Judicio, gravissimam acquirit punitionem. Cæterùm bonos Angelos honorare debemus, non quidem ut Deos, sed ut Dei amicos. Hæc Gersonius, in Collationibus *De Angelis*. *T.* III. *p.* 1481 *& sequentibus*, *&* 1497: necnon eodem Tomo *p.* 739 553. Multa quoque habet de custodia Angelorum. *T.* IV. *p.* 359 *& sequentibus*: necnon *p.* 370 *& sequentibus*. 384 *& sequentibus*, quæ hìc referre nihil necesse est.

De Dæmonibus.

Certum est Fide divina esse Dæmones, & hoc etiam ratione naturali probabile efficitur. *T.* I. 211. *A.* Hi sunt Angeli, uti dictum est, cum Lucifero, ex damnatione voluntatis vel affectus per arrogantiam & superbam in eis complacentiam lapsi. T. I. p. 5. Hi post lapsum è Cœlo præcipitati, & in Tartarum detrusi, ac in perpetuum cruciandi, omnis virtutis inimici, hominibus insidiari non cessant, sive vexando eos corporaliter, sive ad malum variis modis impellendo, sive per fallaces Prophetias decipiendo. Non tamen possunt homini nocere sine nutu Dei; sed permittit homines a Dæmonibus lædi, vexari, tentari, propter correctionem, propter humiliationem, propter damnationem, quas causas aliasque similes fusè explicat in Sermone *Dominicæ* 3, *in Quadragesima*. T. III. *p.* 1084 *& sequentibus*. Vide etiam de Dæmonum artibus & operationibus Sermones *De Angelis* jam citatos; & Petri Alliaceni Tractatum, *De Falsis Prophetis* T. I. *p.* 554. *& sequentibus*. De pactis cum illis non ineundis, & omni eorum cultu fugiendo, vide Tractatum *Astrologia Theologizata*, aliosque adversùs Magicas artes & superstitiones. Nihilominus sine idololatria & superstitione aliquando coacti sunt, & possunt cogi à Sanctis ad hoc inspiratis, ad ministeria hominibus præstanda. At coactio Dæmonum aliter facta, falsa creditur & periculosa: non enim eos per Magicas artes cogi posse verisimile est.

Hæc & alia de Dæmonibus Gersonius locis citatis, & alibi.

De

De Anima humana.

Angelicæ naturæ proxima est anima hominis, spiritualis pariter & immortalis, nullas habens corporum proprietates; sed perfecta Deoque simillima. *T.* III. 1271 *& sequentibus* 1362 *& sequentibus.* Ea est forma hominis essentialis, cujus duo sunt principaliter actus, intelligere scilicet & animare. Propter primum dicitur spiritus; anima verò propter alterum. *T. IV.* 241. *A.* Errarunt Philosophi, qui putaverunt animas rationales actu esse infinitas numero, aut migrare de corporibus in corpora; ut Plato, Pythagoras, Virgilius, & alii plures: aut quòd generantur & corrumpuntur cum corporibus; ut Alexander & Epicurus: aut quòd unicus est intellectus in omnibus hominibus; ut Averroës imponit Aristoteli. *T.* I. 189. *D.* Hinc patet Gersonium idem sentire cum Autore *Compendii Theologici*, animas humanas à Deo creari, cùm corporibus infunduntur. *T.* I. 428. *A.*

De hujus animæ potentiis Philosophicè, Theologicè & Mysticè disputat in Tractatu eâ de re edito. *T.* III. 369.

De Libero Arbitrio.

In intellectuali animæ potentia radicatur libertas arbitrii, quæ facultas est rationis & voluntatis: quia nec voluntas sine ratione eligeret, nec ratio sine voluntate vellet. Libertas idcicò complectitur utramque vim. *T.* I. 151 *A.* At pauperculus & infelix viator, venundatus sub peccato, sentiens cum Apostolo *aliam legem in membris* suis, *repugnantem legi mentis* suæ, & *captivantem sub peccato*, qualem Philosophi experti sunt; quis enim vivens expers esse potest? sed originalis causa tantæ corruptionis fuit hominibus incognita, donec eam Theologia revelavit. Nonne dum conatur animus assurgere, illicò quasi paralysi dissolutus, aut debilitatus coluber, relabitur? Væ nobis viatoribus, quos fatigat, & sœpiùs interturbat voluntas inferioris rationis, enitens ad se trahere superiorem rectricem voluntatem, pondere gravi fomitis orginalis, graviori peccati actualis, gravissimo inveteratæ consuetudinis, & super modum ingenti mole obdurationis, qualiter in Christo nec fuit, nec esse potest, nec similiter est in Beatis. Exclamemus igitur cum Apostolo: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus!* Subinde respondeamus: *gratia Dei per Jesum Christum.* Dicamus eidem, fiat nobis, Domine, secundùm judicium & desiderium tuum, non inferioris, sed superioris rationis atque voluntatis. Porrò contra nitamur, ut possumus, retinentes saltem in suspenso quodam liberum arbitrium, ne præcipitanter eliciat actum suum: quoniam in hac vi suspensiva, sit velle, sit nolle, sit actus medius, salvatur præcipuè libertas arbitrii & sua in nobis utilitas. Alioquin sine suspensione tali vel renisu, voluntas inferior fortificatur assiduè, rebellior quoque & indomabilior efficitur; usque adeo quòd similis fit jumentis insipientibus, quæ carent arbitrii voluntate suprema. *T.* I. 151 152. Non potest voluntas ferri in malum sub ratione mali; cùm bonum, vel apparens bonum, sit proprium ejus objectum. Quinetiam minus bonum majori collatum incompossibili, potest sub hac præcisa collationis ratione, rationem habere mali; & ita nec poterit, ut sic, acceptari. At in nobis, facultas est suspensiva, quasi media inter velle & nolle; fugam & persecutionem; acceptionem & refutationem; cujus facultatis tanta virtus est in via, quòd propositis quibuscumque objectis bonis aut malis circa ultimum finem; imò secundùm plurimos, ipso etiam ultimo fine proposito, poterat se voluntas tenere in suspenso, ne neutrum acceptet vel refutet; sed se figat cum ratione, quasi plùs deliberatura. Nec oportet hìc quærere, quomodo potest id fieri: quoniam natura voluntatis sic à primo Conditore data est super agentia naturalia, ut non rapiatur, seu compellatur mox irruere; sed sistere se fas habeat, ac perinde spatium deliberationis ne fallatur. . . . . Sola voluntas sibi frequenter sufficiens, causa est vel ratio quòd istud eligit & illud non, nec exterior alia ratio quærenda est: quod vocant aliqui, experientiam propriæ libertatis, vel usum ejus. *T.* III. 443. 444. Hominum voluntates nec ab astris, nec à dæmonibus, nec ab alio quocumque exteriori agente cogi posse docet in libro *Astrologia Theologizata.*

Concordia Gratiæ & Liberi Arbitrii.

Sed nec per prædestinationem & gratiam tollitur in Electis libertas arbitrii, imò fortificatur magis & instituitur; at in Deo vivificante per gratiam, quæ est velut anima quædam, vitam habens in potentia ad vitam secundam, ad meritoriam videlicet operationum. Itaque sicut operatio animalis supponit esse naturæ; sic operatio spiritualis vitam gratiæ: Sed neque audiendus est Cicero, qui, ut libertatem in hominibus statueret, abstulit à Deo providentiam: neque rursùs, ex adverso, recipiendus alter, qui divinam providentiam sic instituere voluit, ut arbittro nostro necessitatem imponeret. Proh nefas! in peccatis, dicens, Deum velle & facere nos peccare in manifestationem gloriæ suæ. Porro viam mediam & Regiam tradit Theologia, revelatâ Fide subnixa, quâ gradiendum est; etiam ubi ratiocinationis contrariæ dissolutio plena non pateret. *T.* I. 142. *C.* Fatendum est planè, voluntatem per consensum spontaneum obedientem, coagere præmonitioni Spiritus Sancti: sed ut ita coagat & obediat, hoc jam non ex se est sine gratia, sed quia gratiâ præventum est, & per eam salubriter tractum. Neque tamen ideo minùs ad meritum deputatur animæ consensus hujusmodi, sicut acriter arguit Prosper contra Cassianum, dum est iste consensus vivificatus & formatus à gratia, quàm si per impossibile, consensum hunc ex puris naturalibus elicuisset sine gratia, imò placentior tantò est Deo consensus talis, quantò Deus in eo majus invenit munus suum quod acceptet. Anima proinde redditur humilior & Deo gratior ex eâ consideratione, quòd quidquid habet meriti, præventrix gratia donat. Quo contra, stultissima est præsumptio putantium se prævenire Deum, ipsumque velut obsequi serviliter ad hominis actionem. Error iste fuit Pelagianorum, & omnium qui sapientes sunt in oculis suis, qui terrena sapiunt, nec ista percipere quæ Dei sunt possunt. Scandalizantur aliunde homi-

nes quales prædiximus, carnales filii hujus sæculi; quia non sapiunt, quòd hujusmodi præventio non tollat libertatem atque necessitatem; aut quòd non in Deo sit invenire vicissitudinis obumbrationem, aut personarum acceptionem, vel inefficaciam operationis, dum à præventione resilit quis & peccat. Inducunt prætereà illud Augustini: *Deus non sic res administrat, ut eas proprios motus agere non sinat.* Liberum igitur arbitrium cur ab hac lege dicetur exemptum? Nec exemptum est, fatemur, quin sinat ipsum agere Deus proprios motus suæ libertatis; imò tantò liberiùs & efficaciùs sinit, quantò ipsum ampliori prævenit gratiâ, vivificat, corroborat, informat, & languidum erigit & sanat. Puto (exempli gratiâ) quòd cum homo ægrotus à Deo sanatur, non idcircò Deus eum proprios motus agere non sinit, sed ad eosdem aptiorem reddit. Addatur ad hæc consideratio saluberrima & alta, quòd in ordine & latitudine spiritualium charismatum, inveniuntur proprii motus singularum virtutum, suo modo diviniori, liberiori & excellentiori. Hæc de Gratiæ cum Libero arbitrio conciliatione Gersonius, in Sermone *De Spiritu Sancto. T.* III. *p.* 1239 & 1240.

De Gratia Dei.

Quantùm ad necessitatem gratiæ ab bene agendum, observat, gratiæ nomen dupliciter accipi. Sunt qui gratiam appellant, omne illud quod à Deo liberaliter datur sine meritis. Hoc sensu, esse nostrum & vivere, valetudo, divitiæ, virtus, sunt gratiæ. Alio modo gratia sumitur pro dono aliquo infuso, distincto ab anima, supra vires suas naturales & industrias: & hæc iterum distingui potest, in gratiam actualem ad opus aliquod bonum faciendum, ut ad dandum eleemosinam, ad orandum, ad vincendam aliquam tentationem; & gratiam gratum facientem, quæ dat animæ vitam integram & perfectam.

Hoc posito, ad bonum morale faciendum sufficere arbitratur, dona naturalia, & liberum arbritrium; nec magis necesse videri, gratias infusas ad opera moraliter bona peragenda, quàm ad cognoscendum verum circa naturalia, per intellectum. Rejicit eorum sententiam qui dicerent, animam morte peccati orginalis vel actualis pressam, non posse ad actus bonos morales assurgere, (quemadmodùm est celebris de ipsis dæmonibus & damnatis opinio, quòd benè moraliter neque velle possunt, neque agere) quia, inquiunt, tanta est incurvatio & corruptio, seu depravatio vitæ naturalis in animabus talium, ut potiùs trahantur in malum, quàm in bonum: nam violentior est in eis tractus mortis quàm vitæ. Prætereà dicunt, quòd omnia ad cupiditatem suam, quæ est mors sua, referunt; & ex consequenti, omnia mortua sunt, utpote à morte procedentia. Hæc verò, inquit, sententia, etsi talibus, aliisque plurimis apparentiis fulcita videatur, pridem repulsa est tanquam dura, & plùs ad desperationem, quàm ad ædificationem proficiens. Quis enim non obstupesceret, audiens quòd absque gratia honorare Parentes, eleemosinas dare, Ecclesiastica Præcepta de jejuniis facere; imò per Attritionem se ad gratiam disponere, est mortaliter delinquere? Non enim requiritur quòd in omni actu nostro agamus ex gratia, aut quòd gratiâ illum informemus, nisi pro quanto, & dum mereri tenemur per aliquem hujusmodi actum. Reliqui verò actus, si fiant circa materiam bonam de genere, & cum intentione debita finis immediati, ponendo alias circumstantias bonas moraliter, etsi non sint meritorii vitæ æternæ; sunt tamen boni moraliter, & bonorum temporalium meritorii, & ad gratiam, de congruo, præparatorii; quia per eos homo facit quod in se est: nam facere quod in se est, intelligitur, hoc facere quod homo potest secundùm vires quas actualiter habet.

Hoc tamen præsertim Gersonius intelligit, de iis quibus Deus gratias dedit actuales, ad bona quædam opera, licèt nondum sint charitate instructi, & Dei amici. Fieri, inquit, potest, ut Deus dederit Joanni gratiam liberaliter dandi eleemosinam pauperibus, vigilandi, aut orandi, qui gratiam sobriè, & castè & benignè vivendi non acceperit, nec charitate sit instructus. Hic locum habet istud axioma, *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam:* hoc est, bene utenti donis Dei jam habitis. Nec enim impletio Præceptorum, quantùm ad substantiam, semper exigit gratiam gratum facientem; quamvis intentio præcipientis non conservetur, si non fiant in gratia vel ex gratia: intentum quippe est, in omni Præcepto, ut per illud mereamur ad vitam ingredi. Sed hanc intentionem non semper ponimus esse obligatoriam simpliciter, ad peccatum, si non observetur; tantummodò conditionaliter obligat, ut ponit Durandus, si mereri volumus; aut dum mereri tenemur: quemadmodùm contingit in susceptione Sacramentorum, aut dum ad gratiam resurgere, vel ex eâ jam habita debemus operari. Antequam autem anima vivificetur per infusionem Spiritus Sancti, frequenter quædam sunt dispositiones longinquæ, quas Theologi appellant in adultis, operationes informes, quibus peccatrix anima, nitendo facere quod in se est, se disponit ad vitam: non quòd ista dispositio sufficiat, ut pote quæ longinqua sit, & nihil de vita spiritûs habeat in se; sed quia nihil interim anima majus habet quod faciat, quàm ut benè utatur suis naturalibus potentiis, & donis quibusdam gratuitis, licèt non vivificatis. Quo facto, sicut credis animam introduci in materiam naturalibus tantummodò actionibus qualificatam, non quidem in virtute hujus qualificationis; sed de sola liberalitate omnipotentissima Creatoris; non aliter existimes, in ipsa vitæ spiritûs infusione. Qualescumque enim & quotcumque præcesserint dispositiones ex ipso conatu animæ ad hanc vitam ex morte tendentis, nihil sunt, nihil attingunt, nisi miseratus ex alto Spiritus Sanctus, ultimatam complexionis harmonicæ spiritualis qualificationem infuderit, cum qua, & in qua ipse qui verus est animæ spiritus, ipsam vivificat suo illapsu & afflatu secreto; qui afflatus, Baptismus Flaminis dicitur, & Baptismus in Spiritu Sancto. Gratiam quippe gratum facientem influit in animam, velut dispositionem quamdam harmonicam, de lege necessariam. Verumtamen prævius est aut naturâ, aut tempore Baptismus aquæ vivæ & mundæ, tanquam qualitativa dispositio prærequisita ad vitæ hujus formalis introductionem. Illas autem gratias, quibus à peccato resurgamus, & per bona opera nos ad vitam disponamus, Deus semper paratus est dare, nec cessat nos ad bonum excitare, commovere, edocere, si gratiæ vocanti & exhortanti consentirre velimus: quod si facere recusaverimus, meritò ille nos puniet. Hinc manifestum esse aït Gersonius, damnandam esse quorumdam hominum præsumptionem, qui, in-

inquit, ore sacrilego dicere audent: Deum nolle generaliter omnes salvos fieri; & cùm quibusdam det gratiam suam, aliis non det, personarum acceptorem esse. Nam, inquiunt, si in ejus potestate est omnes generaliter convetere, ut aliquos reverà convertit; si uni tantam gratiam dare potest quantam alteri; Judæ sicut & Paulo aut Petro; cur non id præstitit? Hujusmodi quæstionibus, quas aut curiositas aut impietas parit, tres Propositiones opponit.

1. Considerandum esse summum Dei dominium in creaturas, quòd ejusmodi est, ut sine injustitia & crudelitate quæcumque voluerit in eas exercere possit, sive annihilare, sive in æternum plectere. Propter hoc, inquiebat Sapiens Salomon: *Quis tibi imputabit, Domine, si perierint omnes Nationes quas tu fecisti?* Et paulò post subdit: *Tu Domine cum sis justus, justè omnia disponis.* Sap. XII. ℣ 15.

2. Deum nullam creaturam rationalem punire, nisi ob peccatum & demeritum; nec cuiquam gratiam denegare, nisi quia ad Deum sese convertere respuit, & gratiæ divinæ non obtemperat, quâ perpetuò instigatur, promovetur & excitatur ad bonum, quantùm in Deo est.

3. Dei voluntatem summam esse & primam normam & legem quâ res omnes diriguntur & disponuntur. Hinc omnes actiones, leges, ordinationes quæ ipsi non sunt consentaneæ, sed contrariæ; neque bonæ sunt, neque justæ, neque rationabiles, neque exequendæ. Hinc patet quantùm à recta ratione aberrent nonnullorum quæstiones: Cur Deus voluerit animam condere, quam damnationi perpetuæ obnoxiam fore prævidit? Cur Beato Paulo gratiam dedit, & non Judæ, aliisque plurimis? Stultæ sunt hujusmodi quæstiones, quæ voluntatis divinæ causam inquirunt, cùm ipsa Dei voluntas sit prima & summa rerum causa. Quod quidem pluribus exemplis declarari posset: sed sufficit ad hoc exemplum Pauli Apostoli, *Rom.* IX, de figulo, qui de una massa terræ facit unum vas & non aliud; scilicet facit aliud de una massa terræ; cui fatuum esset petere; Cur de ista parte terræ facis istud vas, & de ista aliud?

Hæc est Gersonii doctrina, tum variis in locis, tum præsertim initio libri *De vita spirituali animæ. T.* III. p. 7. *& sequentibus.* In Dialogo cum sororibus, eodem Tomo. p. 808. In Sermone, *Initio Temporis Quadragesimalis. ibid. p.* 1585. *& sequentibus.*

De Merito & Justificatione.

Ibidem de Merito & Justificatione quid sentiat exponitur. Hominem scilicet non mereri vitam æternam, nisi sit justus & in gratia; at per bona opera præcedentia justitiam, mereri gratiam, saltem de congruo, justum fieri per ablutionem interiorem, & Spiritus Sancti præsentiam per charitatem. Nemo quidem certus esse potest, esse se in gratia, sed per conjecturas & signa unusquisque dignoscere potest, utrùm Fidem habeat & Charitatem; non tamen certò & evidenter, absque revelatione *T.* I. 53. *A* 56. *C.* 55 *A* 454. 455. *T.* III. 150 *B.* 160 *A.* Idem probabile esse censet, nullum actum creaturæ per se & intrinsecè esse bonum, bonitate moris aut meriti; aut similiter malum, nisi per respectum ad divinam rationem & voluntatem; quia videlicet divina voluntas & ratio dignificat hominem pro tali actu, & pro alio indignificat; imò dicimus, inquit, quòd sine actu quocumque posset dignificare creaturam. Utrùm verò eam posset similiter absque quacumque actione, aut omissione; aut pro quocumque actu cujuscumque generis indignificare, non ita est mihi perspicuum; quamvis, si attendatur dominantissima Dei virtus, respectu suæ creaturæ, qualitercumque se habentis, in agendo vel in omittendo; non videtur usquequaque evidens, quòd hoc non posset, sicut probare videtur exemplum Apostoli, de figulo *Rom.* IX. 21, qui ex eadem massa format vas aliud in honorem, aliud in contumeliam: si autem attenditur Dei sapientia & bonitas, istud dicere, non videtur congruum. Ideo nihil hìc pono vel assero. Magis tamen inclinat assentire secundo. *T.* III. 13. *AB.* Omnis autem meriti vitæ æternæ radix est Charitas. Possible quidem est hominem æternæ mortis esse reum, & tamen boni alicujus temporalis fieri à Deo gratis participem, de congruo, propter quamdam adæquationem operum suorum bonorum de genere, ad bonum aliquod temporale: quamvis enim peccator indignus sit etiam pane quò vescitur, dicente Augustino, & hoc de vigore severæ justitiæ; tamen justitia Dei misericordiæ tantæ conjuncta est, ut non sinat bonum etiam de genere, absque decore remunerationis, saltem transitoriè. Cœterùm nihil impedit, quin homo vivens vitâ gratiæ, quandoque bonos actus producat, non ex charitate, sed ex sola vitâ prima, scilicet naturæ: quo casu meretur homo justus non minùs quàm injustus; non tamen usque ad meritum Beatitudinis æternæ; quia non est suus actus à vitâ gratiæ radicaliter elicitus: meretur ergo solùm bonum temporale. *T.* III 58. *C. D.* Uno verbo, nullus vitam æternam meretur de condigno, sine Charitate *T.* III. 251. *B.*

De Vita Æterna & Beatorum Felicitate

Hæc æterna vita, summa hominis Beatitudo, pro objecto habet visionem Dei claram, cum fruitione consequente eam. In duobus his actibus Beatitudo ab Ecclesia ponitur. *Ibid.* Et ita est expressa determinatio Decretalis, Beatitudinem nostram consistere in duobus actibus, visione & fruitione, cum lumine gloriæ. Deus non est visio aut claritas nostra essentialis; sed tantùm objectiva. Non ignoro, inquit Gersonius, fuisse & esse quosdam ex Theologis, disputantes satis curiosè, si posset, de absoluta potentia, anima rationalis cognoscere, & formaliter beatificari per Divinam essentiam, absque medio alio, itáque, quòd Deus esset ipsi animæ sua cognitio & fruitio, non tantùm objectalis, sed quasi formalis; hoc est, Deus non solùm esset cognitio quæ cognosceretur ab anima, sed per quam anima ipsa cognosceretur: & pari modo de fruitione. Quidquid verò sit de possibili, nullus esse ita de facto præsumit, asserere; nam Ecclesiastica determinatio ad oppositum est. *T.* I. 60. 61. Qualis ergo Beatorum feli-

citas est? Sanctissima, jucundissima & dignissima, quæ in operatione optima optimæ potentiæ, respectu objecti optimi, quæ Deus est, reponitur. Quæ operatio optima est? Contemplatio Divinitatis intuitiva, cum quietativa ejus fruitione. *T.* III. 1315 *C.*

Hac Beatitudine donantur animæ justorum purgatæ, statim post & ante Judicii diem extremum, postquam Christus descendit ad inferos, ad dandam veram pacem gloriæ & Beatitudinis amicis suis Patriarchis, Prophetis, & aliis qui erant in Limbo Patrum; imò & omnibus qui tunc erant in Purgatorio, sicut & Latroni, qui verisimiliter nondum compleverat pœnitentiam pro omnibus peccatis suis, qui fuit illâ propriâ horâ beatificatus, & vidit Deum facie ad faciem, sicut Sancti ex Paradyso. *Hodiè*, inquit Christus, *mecum eris in Paradyso*, Luc. XXIII. 43. Atque hinc apparet falsitas Doctrinæ Papæ Joannis XXII, quæ damnata fuit cum sono buccinarum, coram Rege Philippo anunculo tuo, per Theologos Parisienses. T. III. p. 1204 & 1205.

Dei fruitionem & fruitivam dilectionem in quo consistit essentalis Beatitudo, sequitur lætitia & exultatio, seu voluptas & jucunditas adjuncta; quæ in Sanctis inæqualis est, minuique vel augeri potest, & augebitur, saltem extensivè ex resumptione corporum. *T.* III. 1509 1510. Quæ hujus erunt naturæ, ut possint penetrare quæ volent, & ubicumque, ut terram, cœlos, absque cœlorum aliarumve rerum divisione. *T.* III 943. Agilitati corporum nihil resistet, nihil obstabit, quod eorum visum latebit, erunt quasi specula, & libri lucidissimarum inscriptionum liberè sese præsentantes, & similia. *T.* III 30 & 31.

De Resurrectione hominum.

In Resurrectione generali, quæ in fine Mundi fiet, omnia hominum corpora qui unquam fuerunt, vitam resument, & reunientur cum animabus suis, nec unquam posteà sunt moritura. Magna autem differentia, & longa diversitas resurgentium est futura. Hi enim, boni videlicet & justi, resurgent in gloria, & de morte transibunt ad vitam perennem cum Angelis cœlestibus in Paradysum, ubi gaudium nanciscentur æternum: mali verò, corpora sua resument, & resurgent in Dei Judico, per quod mittentur in corpore & anima ad æternam damnationem. Benedicti sunt & erunt illi; glorificabuntur enim in corpore & anima. Corpus clarius erit sole, omnia plena erunt gloriâ; & per oppositum fiet malis; licèt enim resurgant ad vitam naturalem, non tamen ad vitam spiritualem. *T.* III. 1232 1233.

De Resurrectione sic sentit Auctor *Compendii Theologici, p.* 241. Credendum est in resurrectione idem corpus quod per mortem cecidit, ad eumdem spiritum, idest ad eamdem animam rediturum, sive cujuslibet membri materia ad idem membrum in quo erat redeat, ut exponunt aliqui; sive eadem materia tota corporis redeat ad totum corpus; non tamen necessariò materia cujuslibet membri ad idem membrum.

Quod spectat ad eos qui in die Judicii vivi reperientur, censet idem Scriptor, eos morituros, sed statim excitandos à morte, ut Judicium cum resuscitatis recipiant. p. 239.

Hanc etiam quæstionem agitat Alliacenus, in Appendice hujus Tomi. *p.* 685 686.

De Judicio Extremo.

Fieri possunt aliæ multæ de Judicio extremo quæstiones, quas breviter proponit, & breviùs solvit Gersonius, in Sermone *Dominica* II *Adventus. T.* III. p 912. & 913, his verbis:

Quando veniet Judicium, & si ipsum possit, aut debeat investigari? Respondeo quòd non, secundùm autoritatem Jesu Christi. *Act.* I. Et ad hoc est Augustinus. An in Hyeme, an in Æstate, an in nocte, an in die? Si Enoch & Elias & Anti-Christus venient ante finem; vel si post hoc, erit tempus mille annorum, ad pœnitentiam agendam? Si quindecim signa præcedent? Videtur quòd non, sed quòd subitò, bibendo & comedendo &c. Si Anti-Christus erit homo, aut diabolus corpore humano? Tenet quòd erit homo plenus inimico. An habiturus sit Angelum? Ita in initio. Quare non erit fides adhibenda suis miraculis? Quia priùs homines sufficienter sunt præmoniti per Scripturas. Si ignis Judicii est talis, qualis est ignis quem videmus, & si comburet mare? Et quare finietur Mundus per ignem, & quomodo loquuntur Seneca & Ovidius? Dicit ignem fore talem, quemadmodùm pertinebit ad executionem divinæ justitiæ. Hi qui morientur in gratia, non faciendo eorum pœnitentiam, annè sint damnandi, vel in Purgatorio, vel quomodo? Dicit quòd in Purgatorio: vel quomodo? Dicit quòd purgabuntur omnino de gratia speciali. Si mali videbunt Jesu Christi divinitatem? Dicit quòd non. Si tubæ Angelorum erunt materiales? Tenet quòd sonus unus erit sensibilis, & alter spiritualis? Si Sententia dabitur per vocem sensibilem? Tenet quòd sic, & per vocem intellectivam. Si unusquisque videbit sacreta cujuslibet, & præsertim, si unusquisque videbit peccata quæ fecerunt salvati, sed sunt absoluti? Dicit quòd Charitas & Pœnitentia cooperuerunt peccata salvatorum, nec apparebunt ad confusionem aut verecundiam. Ubi erit locus Judicii, & cujus magnitudinis, & quomodo Jesus Christus videri poterit ab omnibus? In aëre supra vallem Josaphat, & erunt ibi miracula multa? Si Apostoli in Judicio sedes habebunt? Si post Judicium cessabit omnis motus cœlestium? Dicit quòd sic, secundùm Doctores. Si posteà futuræ sunt & erunt bestiæ & aves? Dicit quòd non, & quòd in Inferno non sunt bestiæ hujusmodi. Si cœlum & terra deficient esse? Dicit quòd non, sed renovabuntur. Si damnàti resurgent in corpore immortali, cum his defectionibus quas habebant in Mundo, claudi, cæci, & hujusmodi? Dicit quòd corpus eorum deformius erit & abominabilius ipsi animæ, quàm cadaver quodcumque. Quid dicetur de his qui nati sunt mortui, de non baptizatis. Dicit nos non habere specialem revelationem &c. Si Sancti habebunt compassionem de damnatis? Dicit quòd non.

Sed omittamus, inquit in fine, has & alias curiosas quæstiones, quæ non spectant ad populum;

lum; imò verò nec ad Theologos, quoad multos eorum: quibus subjungit prudentem hanc admonitionem cedro dignam. *Hæc referenda sunt ad sapientem Dei ordinationem, quia nihil aliud scimus nos, nisi quod ei placuit revelare nobis; nec habemus revelationes per Scripturam vel aliter, de multis hujusmodi quæstionibus quæ possent formari.*

De statu parvulorum sine Baptismo decedentium.

De parvulorum sine Baptismo decedentium sorte, nihil hîc statuit Gersonius: ast alibi non dubitat affirmare, eos pœnis Inferni non torqueri: & Joachimum Abbatem reprehendit, quòd contra omnium Doctorum communem scholam, affirmare præsumpserit, quòd pueri, in Lymbo, non baptizati, acritèr puniantur pœnâ ignis sensuali; & ponere videatur quòd in afflictione carent omnino rationis judicio, & libertate arbitrii. T. I. *p.* 456.

Quinetiam quosdam ex iis in utero materno sanctificari posse autumat.

Constat, inquit, Deum misericordiam salvationis suæ non ita Legibus communibus Traditionis Christianæ, non ita Sacramentis alligasse, quin absque præjudicio Legis ejusdem, possit pueros nondum natos intùs sanctificare gratiæ suæ Baptismo, vel virtute Spiritus Sancti. Hinc prægnantibus mulieribus consulit & viris, per se, vel per alios preces fundere Deo, & ad Sanctos Angelos Custodes hominum, etiam puerorum in utero, & ad cæteros Sanctos Sanctasque confugere, quatenùs infans nondum natus, si fortè moriturus est priusquam ad Baptismi fluminis gratiam pervenire valeat, dignetur ipsum Dominus Jesus Summus Pontifex, Baptismo Spiritus Sancti misericorditer consecrare. Quis enim scit, si fortè exaudiat Deus; imò quis non devotiùs sperare valeat, quòd orationem humilium & in se sperantium nequaquam despiciat? Proficit, inquit, hæc consideratio, ad excitationem devotionis in parentibus, proficit ad leviandum eorum angustiam, dum sine Baptismo decedit puer: quia non omnis inde spes ablata est. Sed neque absque revelatione, fateor, datur certitudo.

Hæc coràm Patribus Constantiensis Concilii, pleno Concilio perorabat Gersonius, in Sermone, *De Nativitate. T.* III. p. 1350.

De Purgatorio, & statu animarum in eo existentium.

De Purgatorio varias quæstiones proponit idem in Sermone II. *De Defunctis. T.* III. p. 1562.

Prima. Ubi est Purgatorium, & qualis ibidem est afflictio? Responsio. Dico quòd, de communi cursu, Purgatorium est in quadam parte Inferni, prope Limbum, in quo fuerunt Antiquæ Legis Patres, ibique est pœna multò asperior & durior, quàm quæcumque pœna, quæ possit esse in hoc Mundo: & ibi affliguntur animæ plùs vel minùs, secundùm quod magis vel minùs punitionem meruerunt; & secundùm etiam quod magis vel minùs oratur pro eis. Interdum, per specialem Dei dispensationem, animæ purgantur in certis quibusdam locis, & in certis hujus Mundi spatiis, in quibus eorum fecerant peccata, propter quæ sunt in pœna: quemadmodùm S. Gregorius, in Dialogo suo de compluribus recitat; & hoc est pro pœnæ earum alleviatione.

Secunda quæstio. Si animæ Purgatorii benè sciant bona & preces quæ hîc fiunt pro eis. Responsio. Dico quòd sic; tam per Angelorum revelationem, qui ad eas confortandas sæpiùs descendunt, quàm etiam per hoc, quòd percipiunt eorum tormenta diminui.

Tertia quæstio. Quibus animabus proficiant Sanctæ Ecclesiæ Suffragia. Responsio. Dico, eò magis proficere illis, quæ magis meruerunt in hoc Mundo, pluraque bona egerunt, & meruerunt etiam ut fierent preces pro eis.

Quarta quæstio. Anne quicquam proficiat damnatis, aut salvatis, hoc quod dicitur, aut fit pro mortuis? Responsio. Dico quòd hoc solùm proficit his qui sunt in Purgatorio, & qui non in hoc Mundo eorum compleverunt pœnitentiam, quamvis mortui sint in statu gratiæ.

Quinta quæstio. Valentne pro mortuis opera facta à peccatoribus, & in peccato mortali? Responsio. Distinguo. Aut is qui est in peccato mortali, orat pro mortuis ex sua voluntate, & proprio motu, & persona privata; & in tali casu orationes ejus nec sibi prosunt, nec aliis. Aut orat ut Minister Dei & Ecclesiæ; quemadmodùm si malus Sacerdos Missam suam diceret, aut Obsequium alicujus mortui; & in hoc casu oratio proficeret illis pro quibus fieret. Aut si ille qui est in peccato mortali orando pro mortuis, oret nomine, & ut Minister alicujus personæ singularis & privatæ, tamen in gratia constitutæ, sive viva fuerit sive mortua; & in tali casu, oratio illius qui esset in peccato mortali, illi prodesset personæ. Nihilominus certum est, quòd, cœteris paribus, oratio bonæ alicujus personæ multò est utilior & mortuis & vivis, quàm oratio personæ injustæ.

Sexta quæstio. Si mortui ordinaverint res aliquas fieri pro pœnitentia eorum, aut salvatione; & Executores nihil faciant; sintne propterea mortuorum animæ à gloria impeditæ, aut reterdatæ? Responsio. Dico quòd sic.

Septima quæstio. An tantùm valeat oratio facta pro mortuis, illi qui eam facit, ac si pro seipso oraret. Responsio. Quoad habendam gloriam Paradysi, ipsa tantùm valet, & sæpiùs plùs, secundùm quod facta est ex majori Charitate. Sed quoad pœnitentiam quam debet homo pro peccatis suis; non tantùm valet ad diminutionem ejus.

Octava quæstio. Si expendam quatuor albos argenti pro Missa quadam, eritne totus profectus ille Missæ pro me? Responsio. Hîc intelligi debet donantis & recipientis intentio, & sufficere debet generalis intentio. Rogare debet Deum, quòd secundùm hoc in quo scit me esse obligatum pro altero, mea dividere velim suffragia, nec meam dimittere necessitatem.

Nona quæstio. Possuntne acquiri Indulgentiæ pro mortuis? Responsio. Teneo quod non; quia Indulgentiæ ordinatæ sunt pro his qui submittunt se Curiæ misericordiæ, quæ hic est, & durat usque ad mortem, non autem post mortem.

Decima quæstio. Si compleo pœnitentiam mihi in Confessione impositam, anne ero li-

liber? Responsio. Si ipsa ritè imposita fuerit & discretè, ita; & si facta est in statu gratiæ.

Undecima quæstio. Quod opus est melius ad aliquam animam juvandam? Responsio. Sacramentum deficere non potest. Item: quod pro & nomine Ecclesiæ fit, cùm defunctus non est excommunicatus. Eleemosina in tantum valet, in quantum obligat hunc qui eam recepit, ad orandum. Orationes etiam & jejunia & abstinentiæ in tantum proficiunt, in quantum opera sunt pœnalia; & propter gratiam & amorem quem facit Deus his, qui in devotione orant & charitate.

Duodecima quæstio. Quomodò & quare cantemus Missam pro defunctis, pro illis qui ante annos sexcentos defuncti sunt; & si mortui cognoscunt illos qui orant pro eis; & si possunt redire ad nos; & si postmodùm orent pro nobis in Paradyso? Quoad primum, dico, id prodesse aliis, & etiam illis qui orant, & orationes procurant; cum hoc, aliqui etiam damnati non sunt in tanta damnatione, propter aliquas Fundationes, & bona opera quæ fecerunt in vitâ. Quoad duo alia. Si bene sciant qui orant pro eis, & si redire possint ad nos. Dico illud esse in voluntate & ordinatione Dei, nec est aliqua super hoc data regula generalis. Quoad quartum, dico quòd in Paradyso orent pro eis præsertim, qui illis adjutorio fuerunt: & si quæras, si preces & alia Suffragia quæ fiunt pro mortuis, etiam prosint ad damnatorum liberationem. Dico quòd non: quia *in Inferno nulla est redemptio.* Cœterùm, ut ait Gersonius, *T.* 4 *p.* 516; dum Mundus finem habebit, cessabit Purgatorium, & ex consequenti, dies pœnarum. De Purgatorii igne non sentiunt Græci cum Latinis, & opposita S. Augustini opinioni sententia tenetur. *T.* 111. 1330.

De Damnatorum pœnis.

Damnati projicientur à facie Dei, quod horrendum; sed ad horroris cumulum inexcogitabilem, additur maledictio trudens in ignem, non qualemcumque, sed æternum; & cum diabolo & Angelis ejus, ubi ascendet fumus tormentorum, in stagno ignis ardentis & sulphuris, usque in sæcula sæculorum, ubi vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur, & erunt usque ad satietatem visionis omni carni. *T.* 1. 133 *D.* Deum odio habebunt, injustum, invidum & crudelem judicabunt, blasphemabunt ipsi, & Sanctis ejus rabido ore maledicent. 137. *D.* 140. *D.* Sed horrenda eorum tristitia augebitur per resumptionem corporum, utique fœtidissimorum, & omni cadavere viliorum. Atque ab intùs & ad extra erunt in omni acerbissimo cruciatuum genere; foris devorati ab igne; & ab intùs ut clibanum ignis positi. Turpissimis denique vitiorum habitibus fœdabuntur, torquebunturque; nam & vermis eorum non morietur, & superbia eorum ascendet semper, se furiosâ rabie in Omnipotentem erigens & impingens. *T.* 111. 1511 *B.*

§. 7.

De Sacramentis in genere & in specie: ubi de Excommunicatione, & Indulgentiis.

De Sacramentis in genere.

CHristus ordinavit septem Sacramenta Ecclesiastica, quæ sunt, Baptismus, Confirmatio, Ordo, Eucharistia, Pœnitentia, Matrimonium, Unctio-extrema. Ita Gersonius, *in Opusculo tripertito. T.* 1. *p.* 429. Neque schisma, neque hæresis, neque aliud quodcumque vitium Ministri obstat, quin Sacramentorum collatio habeat suam efficaciam; dummodò conficientes intendant id facere quod Christus & Ecclesia instituerunt, & recipiens illud recipere, sicut rationabiliter præsumi debet de omnibus. *T.* 11. *s. A.* 30. *D.* Nam in omni Sacramento si desit intentio actualis, vel habitualis faciendi illud quod Christus instituit & Ecclesia intendit, nihil agitur: similiter si forma omittitur aut corrumpitur, & si materia debita, aut si Minister idoneus defuerit. Sed in hoc præcisè quòd aliquis schismaticus est, vel hæreticus, vel præcisus & excommunicatus, vel degradatus, non redditur impotens ad conferendum Sacramenta; nisi desit aliunde vel potestas Ordinis, vel intentio debita, vel materia vel forma; quamvis exercendo talia in casibus prohibitis, gravis delicti reus teneatur. Fiat semper quod meius erit de possibilibus, dum circa Sacramentorum ministrationem dubitatio aliqua contigerit; aut suppleatur cautè id quod omissum fuerit; aut sub quadam conditione, si illud non erat iterandum. Ceremonialia, seu figurativa Legis antiquæ Sacramenta, ante Christi Passionem erant Judæis necessaria: postmodùm pro aliquo tempore licita; sed inutilia: tandem, ut nunc, observantibus & spem in eis ponentibus mortifera. Ea quæ sunt de decentia Sacramentorum notabili, instituta & promulgata ab Ecclesia, nec abolita sunt per non usum, etsi non sint de necessitate Sacramenti, ad faciendum id quod intenditur; sunt tamen de necessitate Præcepti, ad obligandum, ne scienter & negligenter, absque rationabili causâ dimittantur. Forma in omni Sacramento potest corrumpi, aut per additionem, aut per substractionem, aut variationem, aut interruptionem notabilem; quia modica non impedit; similiter additio, substractio & variatio, si neque trahant formam ad sensum alium, neque inintelligibilem reddant (licèt indiscretè & culpabiliter fiant) Sacramentum tamen non annullant. *In Regulis moralibus. T.* 11. *p.* 97. 98. Puniuntur verò severiùs defectus qui in administratione Sacramentorum fiunt, ut scandalum coërceatur severitate vindictæ. *T.* 111. 69. *D.* Non potest pabulum charitatis & gratiæ meliùs, efficacius-ve tradi gregi Christi, quàm per debitam collationem Sacramentorum.

Illic quippe gratia confertur in suscipiente, virtute operis operati, hoc est, ultra vel supra meritum suscipientis, in virtute meriti Christi instituentis Sacramentum, & illud spirituali privilegio ditantis, ut inde opus privilegiatum nominetur. Salutaris gratiæ pabulum confertur per

Sacramenta: Baptismus enim generat; Confirmatio roborat; Eucharistia complementum præstat; Sacramentum Pœnitentiæ lapsos reparat, mortuosque vivificat; Sacramenta quoque Ordinis, Matrimonii, & Extremæ-Unctionis gratiam sibi peculiarem habent & conferunt. *T.* II. *p.* 354.

De Baptismo.

Baptismus Christi Sacramentorum janua, differt à Baptismo Joannis, qui non habebat vim remittendi peccata, sed erat tantùm præparatorius ad vitam Spiritus Sancti complendam in suscipientibus. *T.* III. 5. *A.* *T.* IV. 218. *B.* Baptismus triplex distinguitur: Fluminis; Flaminis, & Sanguinis. Sed vitam animæ operatur Spiritus Sanctus per Baptismum Flaminis, qui per se efficax est, & sine quo nec Baptismus Fluminis nec Sanguinis prodest quidquam: Verumtamen prævius est aut naturâ aut tempore Baptismus aquæ vivæ & mundæ, tanquam qualitativa dispositio prærequisita ad vitæ hujus formalis introductionem. *T.* I. 5. Baptismum Sanguinis dat Martyrium; & Flaminis Contritio de peccati, aut Satisfactio gratuita. De Baptismi Fluminis Ministro, materia, forma, effectu, aliisque, vide quæ habentur in *Regulis Moralibus* *T.* III. *p.* 98. Ibidem, iterari Baptismum sub conditione, in casibus vehementer dubiis, probat. Jam observavimus, quàm bene speravit de puerorum quorumdam in utero materno sine Baptismo decedentium sanctificatione. Nihilominus in libro *De Vita Spirituali* *T.* III. *p.* 18, fatetur parvulos ita decedentes damnari, ob statutum divinum, quo non observato vel adepto, non redditur hæreditas in Adam amissa. Olim in nomine Jesu Baptismum validè collatum fuisse putat. *T.* II. *p.* 67. *C.*

De Sacramento Confirmationis.

De Sacramento Confirmationis hanc unam Gersonii observationem referemus. Attendatur quod De Confirmatione dicit Sanctus Thomas, eam committi posse à Papa simplici Sacerdoti, propter B. Gregorii quoddam dictum: pluribus tamen hoc non placet; & dicunt illos, de quibus loquitur Gregorius, non fuisse confirmatos, sed tolerati sunt sic manere, quia Confirmatio non est necessitatis Sacramentum. *T.* II. 230. *C.*

De Eucharistia Sacramento.

De Eucharistia, longè plura ex Operibus Gersonii colligi possent: sed summa tantùm doctrinæ hujus capita annotasse sufficiat. Ubique tenet, tanquam de Fide, Corpus Christi verè & realiter esse in Eucharistia; non tamen localiter, ita ut partes corporis respondeant diversis partibus loci: sed quia panis conversus est in Corpus Christi, ut in una quaque parte Hostiæ sit totum Corpus Domini, quod post fractionem integrum in singulis partibus remaneat. Fit autem hoc per conversionem panis in Corpus Christi, jam existens accidentibus remanentibus. Eorum verò positionem rejicit ut hæreticalem & damnatam per Ecclesiam, qui contendebant, panis substantiam remanere, quia tollit veram existentiam Corporis Christi in hoc Sacramento; nec putat ullam esse rationem salvandi veram præsentiam actualem Corporis Christi, nisi quia Transubstantiatio est panis in ipsum. Cùm autem dicamus, nos Corpus Christi videre, dum videmus accidentia panis illius qui in ipsum transubstantialiter conversus est; idem est ac cùm dicimus, nos Petrum videre, dum videmus accidentia ejus vel figuram.

Hæc quoad substantiam Mysterii passim, sed præsertim in Sermone *De Eucharistia.* *T.* III. *p.* 1285 *& sequentibus*; & in Tractatu *Super Magnificat.* *T.* IV. *p.* 404 & 405; necnon *in Exhortatione ad recipiendum Corpus Christi.* *T.* III. *p.* 315. *&* 316.

Sacramenti hujus materia, panis triticeus & vinum. Forma, *Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus.* Hæc sunt de necessitate Sacramenti, sicut persona Sacerdotis. Quòd verò offeratur in Templo, in Altari sacrato, cum talibus vestibus, lumine, orationibus; quòd jejuno stomacho, jejunio etiam naturæ, hoc est de Precepto humano & variabili. *T* I. 464. Cùm dicuntur ista verba: *Hoc est Corpus meum* super panem, panis tantùm convertitur in Corpus non in divinitatem, nec in sanguinem, nec in animam, quamvis nequaquàm sit sine istis: & ideo non solùm Corpus exangue; sed Sanguis, Anima & Divinitas Christi recipiuntur, & ibi sunt; non propter conversionem, sed propter inseparabilem conjunctionem. Sanguis enim est ibi ratione commixtionis, scilicet cum Corpore; Anima, ratione communicationis, eo quòd est unita corpori, nam vivus Christus sumitur, non mortuus; Divinitas, ratione unionis, quia nunquam deseruit Christi humanitatem: Similiter & de Sanguine sub specie vini. *T.* III 319.

Fuerunt qui dixerunt, ipsam Hostiam consecratam nullo modo in ventrem nostrum comedendo dimitti, sed statim in cœlum rapi, contra experientiam quotidianam, atque Catholicam veritatem, quæ ponit Corpus Christi verè comedi. Fefellit eos hujusmodi considerationis oblivio; dum putant indignum sentire, ut Corpus Christi, vel Hostia Sacra in fœtulentum stomachum nostrum deveniat, quasi videlicet polluatur, aut fœdetur, plusquam radius solis, aut spiritualium substantiarum aliqua. *T.* III. 333. *CD.* Utrùm autem dici possint Angeli, Beata Virgo, & omnes Sancti & Sanctæ associare Corpus Christi in Sacramento existens, consule Opusculum in hanc propositionem scriptum. *T.* I. p. 475 *& sequentibus*, in quo Ubiquitariorum dogma excutitur. Solutio ad hoc redit, quòd licèt ubicumque Christus est, associent eum omnes Sancti; imò licèt ubique Corpus Christi sit personaliter, quia personalitas & persona Christi Filius Divinus est ubique; non tamen omnes Sancti sunt sacramentaliter in qualibet parte hostiæ, nec Corpus Christi in singulis Orbis partibus. Sed Corpus Christi & Beatorum dimensionaliter, seu localiter, & commensurativè in una parte cœli; sacramentaliter verò in Eucharistia.

Fide Transubstantiationis suppositâ, non est Idololatria adorare Corpus Christi in Eucharistia, seu Hostiam consecratam; imò non est periculum idololatriæ, cùm adoratur non consecrata, quæ putatur esse consecrata. *T.* II. 5. *&* 7. 264. 265. *T.* III. 1098. 1299.

De Communione sub utraque specie, legendus est Tractatus integer eâ de re conscriptus. *T.* I. *p.* 460 *& sequentibus.*

De Communione danda ad mortem damnatis, vide Opusculum eâ de re conscriptum; nostramque ad illud admonitionem *T.* 11.*p.*429.

De Eucharistiæ fructu; de ejus digna vel indigna sumptione; de dispositionibus ad eam dignè suscipendam requisitis; de frequenti vel infrequenti Communione; quando ad eam accedere, vel ab ea recedere conveniat; aliaque ad mores & pietatem attinentia, quæ in Gersonii Operibus extant, hîc congerere infinitum foret. Consulantur citatus Sermo *De Eucharistia*; & Tractatus in *Magnificat*; *Collectanea*, *De Incitatione ad dignè suscipiendum Corpus Dominicum*. *T.* 111.*p.* 310; Tractatus sequentes, *De Præparatione ad Missam*, & *De Pollutione diurna*; aliaque passim Gersonii Pia Opera. Consule etiam, de Sacramento Eucharistiæ, *Regulas Morales* *T.* 111. *p.* 99. & 100.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Pœnitentiæ Sacramentum tres habet partes, Contritionem, Confessionem & Satisfactionem. Contritionem ex quatuor integram fieri ait Gersonius; quæ sunt 1. Motus liberi abitrii in Deum super omnia deligendum. 2. Motus ejusdem in detestationem peccati. 3 Infusio gratiæ gratum facientis. 4. Expulsio culpæ. Potest addi quintum: Præventio scilicet divina, quâ liberum arbitrium movet & excitat ad ea quæ dicta sunt. *T.* 1. 19. Fit autem per conversionem in Deum, Fide, Spe, Charitate subnixam: & sicut homo avertens se à Deo, & conversus ad creaturas sordes contrahit; sic è contra mundatur. Hoc est quod dicitur à Doctoribus: quia quatuor sunt requisita in Contritione; conversio ad Deum, aversio à creatura, infusio gratiæ & expulsio culpæ. Hunc calorem non habet aqua illorum qui dolent de peccatis solo timore pœnæ; vel qui cum suis lachrymis miscent propositum delinquendi; vel in voluntate peccati hujus vel istius manent; vel à manifestis peccati occasionibus non declinant. Hæc turbida aqua non mundans, sed inquinans. Sed quærit quis: Oportetne contritum credere quòd de cœtero non peccabit? Planè non oportet; imò formidandum est de ruina: alioquin temeritas esset qualis in Petro. Siquidem aliud est proponere, & velle non peccare pro futuro; aliud, de hoc ipso præsumere. Dixerunt in hac parte Doctores aliqui, quòd sufficit negativè se habere, hoc est, non habere actuale propositum peccandi, præsertim cùm additur Confessio; sicut dicunt de Baptismo, quando non ponitur obex. Aliorum rationabilior & Sanctis conformior est sententia; quòd oportet positivè detestari peccatum & de meliùs proponere. *T.* 11. 508. *T.* 111. 1089. Sed necesse non est ut dolor de peccatis sit in affectu sensuum; sufficit ut sit in sola ratione, quæ libero subjacet arbitrio, displicentia, vel odium, vel detestatio ex gratiâ elicita. *T.* 111. 651. Debet autem hæc displicentia haberi propter amorem Dei principaliter, & propter horrorem peccati quod displicet Deo, & nos facit ei displicentes. *T.* 1072.

Absolutio remittere quidem potest peccata quæ non sunt contrita, sed attrita. Nihilominus tamen verum est, absque Contritione peccata non deleri; sed homo sæpe viraciter conteritur; vel in ipsa Absolutione Contritio, virtute Sacramenti, infunditur. *T.* 11.*p.*406. 461. 482.

De Confessione Sacramentali; quæ secunda pœnitentiæ pars est, innumera passim occurrunt in Gersonii Operibus. Hanc Præcepto Divino & Evangelico ad peccatorum mortalium post Baptismum admissorum remissionem obtinendam, præscriptam & necessariam esse tradit *T.* 11. 404. 430. *T.* IV. 460. 218. Peccatorum antè Baptismum commissorum Confessionem minimè necessariam esse, imò nec hominem cogi ad eam posse affirmat *T.* IV.*p.* 218. Peccatorum venialium utilem, non omnino necessariam ostendit *T.* 11. 461. Semel in anno ad eam teneri ex Præcepto Ecclesiæ Christianos, sed frequentiorem multùm prodesse. *T.* 1. 440. 441. Non teneri nihilominus, sub pœna peccati, unumquemque confiteri statim post peccatum admissum. *T.* 111. *p.* 66. *A.* Circa Pascha fieri oportere, sed non usque ad Festum Paschæ differri. *T.* 1. 445. *T.* 111. 1059. 1060. Sunt qui teneant, hominem peccati mortalis reum, non confitentem datâ opportunitate, peccatum admittere. *T.* 1. 283. 284. Facienda est Confessio Sacerdoti, & potiùs proprio Parocho quàm Mendicantibus: non tamen necessariò iteranda ea quæ facta est Religiosis; quamvis utiliùs sit. *T.* 11. 446. *T.* 111. 1333. *T.* IV. 219. Debet esse pura & integra peccatorum omnium, nullo celato. *T.* 1. 446. In loco patenti & publico fieri satiùs est; non tamen publicè confiteri necesse. *T.* 1. 440. 446. *T.* 11. 404. De Confessionis conditionibus multa habes *T.* 111. p. 101. 238. 1059. & 1060. 1074. Varii circa Confessionem casus solvuntur *T.* 11, p. 1501. 1502. De secreto Confessionis ex parte Confessarii & Pœnitentis. *T.* 111. 102. De Confessarii muniis & dotibus. *T.* 111. 289. 1059, *& alibi passim*, præsertim in libro *De Arte audiendi Confessiones*. *T.* 11. 440. Formula Confessionis. *T.* 111. 1074. Præparatio ad Confessionem. *T.* 1. 442. Sacerdos cui declaratio peccatorum facta est à pœnitente, debet ipse Pœnitentiam, seu Satisfactionem imponere. Expedire censet Gersonius, ut consulatur Pœnitens circa Pœnitentiam imponendam, nec ei invito imponatur, aut quam verisimiliter non sit facturus. Vult tamen Pœnitentiam dari secundùm modum vitiorum & inclinationum: ut contra avaritiam, eleemosina; contra vitia carnis, jejunium; contra pigritiam, oratio, vel contra superbiam & invidiam. *T.* 1. 441. *T.* 111. 1075. Non debet injungi Pœnitentia publica pro peccato secreto. *T.* 1. 441. *T.* 111. 103. An ante absolutionem, vel post absolutionem injungenda sit Pœnitentia, quæ Confessionis individua comes est, diversæ sunt opiniones. Nihil interesse censet Gersonius, modò homini simplici, & contrito, seu dolenti, & ad Satisfactionem parato detur. T. 11. 405.

In Pœnitentiæ Sacramento Sacerdos Judicis vices fungens, absolvit à peccatis. Videtur autem ad hoc sufficere, ut explicet Sententiam suam quibuscumque verbis, dum tamen intendat absolvere primò per modum imprecationis, quæ de congruo præmittitur: *Dominus noster Jesus Christus te absolvat*: vel, *Parcat tibi Deus*: vel dum mora est major; *Misereatur tui Omnipotens Deus*, &c. deinde subjungit: cum interiori intentione absolvendi: *Quantum possum, & secundum autoritatem mihi commissam, Ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti. Amen.* Nec oportet aliud addere; nec istud pronomen *aliis*; vel *oblitis*; nec istud *contritis*. Prædicta forma Absolutionis sacramentalis, sufficit in quacumque Absolutione pro peccatis; sive fiat Confessio post unam Absolutionem jam datam, sive non; sed necessaria forma hæc est: *Ego te absolvo*. *T.* 11. 406. 407. 408. 482.

Quo-

Quoad absolutionem ab Excommunicatione & Irregularitate, forma non est certa. 407. Non potest absolvi defunctus. 412.

Sicut fieri potest Confessio conditionalis in multis casibus dubiis & scrupulosis; potest & dari absolutio conditionalis. 79 *C.* Quibus danda & deneganda sit absolutio, explicatur *T.* I. p. 445. 446. Ut Sacerdos absolvat, debet habere delegatam ab Episcopo potestatem. Si quis autem absolvat bonâ fide, credens habere potestatem absolvendi aliquem, & in veritate non habeat, non absolvitur pœnitens sacramentaliter: salvabitur tamen ex hoc quòd bona fide processit & est contritus, nisi postmodùm, dum venerit ad notitiam suam veritas, contempsit confiteri. *T.* II. 410.

Casus quidam reservati sunt Curatis, alii Episcopis, alii Papæ. At hujusmodi reservationes casuum coarctandas, quantùm fieri potest, censet Gersonius. *T.* II. 110. 184. 413. 461. In articulo mortis quilibet Sacerdos absolvere potest à casibus reservatis, etiam Papæ. An autem homo ita absolutus, teneatur iterùm confiteri & absolutionem recipere, involutissima est quæstio quam agitat Gersonius *T.* IV. p. 219, & videtur in negativam inclinare.

An & quomodo absolvi possit defunctus, vide Opusculum eâ de re conscriptum. *T.* II. p. 412.

De Excommunicatione.

Ad potestatem clavium Ecclesiæ, seu dimittendi retinendique peccata, pertinent etiam Excommunicatio, aliæque Censuræ, & Indulgentiarum largitio. Eæ claves datæ sunt Universæ Ecclesiæ universaliter & susceptivè; Petro, aliisque Ministris autoritativè, ut per eos exerceantur. *T.* II. p. 128. *D.* 216. 231. Excommunicationum tot sunt genera, quot communicationum. Communicationum alia naturalis; alia civilis. Naturalis, est hæc vita corporalis, cui mors opposita potest dici excommunicatio. Civilis, est multiplex; quædam secundùm Leges, spectantes ad communicationem temporalem præsentis vitæ, de qua spectat ad Dominos Legistas. Alia est Ecclesiastica, secundùm Canones & Instituta, quæ spectant ad animam, in ordine ad vitam æternam. Ecclesiastica communicatio, de qua magis ad propositum spectat, consideratur dupliciter. Uno modo ad Deum; alio modo ad proximum. Communicatio ad Deum, est status, seu vita gratiæ gratum facientis, cui opponitur generaliter omnis Excommunicatio, quæ contrahitur ex mortali peccato. Communicatio ad proximum, seu publica, tractatur & intenditur per Canonistas, dum loquuntur de Excommunicatione & Irregularitate. Hæc *T.* II. p. 403. 404.

Excommunicatio pœna est, non tantùm medecina. *T.* III. p. 45. *C.* Ab initio Ecclesiæ tradebantur excommunicati satanæ, corporaliter vexandi, ut spiritus salvus fieret. *T.* I. 212. *C.* Hac potestate excommunicandi, vel interdicendi ab Ecclesiasticis Sacramentis & communione Fidelium rebelles & inobedientes Ecclesiæ, usus est Apostolus, & idem hortatur, ad Titum III. 10, scribens: *Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem devita.* Et sicut Ecclesia habet potestatem condendi Leges; ita procedendi contra inobedientes, eosque coërcendi Excommunicationis pœnâ. Sunt qui dicunt, pœnam hanc esse ultimam quam infligere possit Ecclesiastica potestas Jurisdictionis, ex institutione Christi sola primaria.... quæ pœna vel censura, videtur primitùs instituta contra pertinaces, schismaticos, & hæreticos, & alios incorrigibiles vitiosos. *T.* II. p. 231. 232. At procedente tempore, innumeræ factæ sunt in Canonibus Excommunicationum, Suspensionum & Irregularitatum institutiones, quarum pleræque per non usum, vel per usum contrarium abrogatæ censeri debent, queis, si tenerentur, maxima pars Ecclesiæ damnaretur, & Charitas, quæ est finis totius Legis læderetur.

Quoniam autem materia ista de Excommunicationibus, perplexa est, confuséque tractata; sequentes Propositiones affert circa eas Gersonius, in libro *De Vita spirituali. T.* III. p. 48. *& sequentibus*: quibus probationes subjicit, quæ apud eum legi poterunt.

I. Propositio.

Expediens videretur, nullam Excommunicationis ferre Sententiam, nisi pro manifesta contumacia, quâ se monstrat aliquis audire Ecclesiam non paratum. Juxta hoc, videre est quomodò impossibilitas parendi Mandatis Ecclesiæ, facit ut quis apud Deum nulla sit Excommunicatione legatus, qui tamen in facie Ecclesiæ habetur Excommunicatus. Quod si talis impossibilitas notoria sit, impedit ne quis possit ab Ecclesia per Excommunicationis Sententiam justè separari. Et dum aliquis ex ignorantia, aut ex infirmitate, & passione vitiosa facit aliquem actum, pro quo statuta est Sententia Excommunicationis latæ Sententiæ ab aliquo Prælatorum; videant Juristæ & Judices, si talis possit dici Excommunicatus ipso facto, cum semper sit & fuerit promptus stare correctioni Ecclesiæ, prout supponitur.

II. Propositio.

Expediens videretur ut nullus teneretur alium vitare, quantumcumque Excommunicatum à Jure, nisi postquam denuntiatus fuerit esse talis à suo Judice. Quæreret aliquis: Quid operantur tunc Excommunicationes latæ Sententiæ per Canones? Respondet Gersonius, sicut se accepisse dicit à Præceptore suo; eas tantumdem operari, ut absque processu aliquo Judiciali, aut novâ Constitutione, possit Judex statim, probato facto, vel confessato, ferre Juris Sententiam & eamdem publicare. Non sic, ubi Canones essent solùm ferendæ Sententiæ; quoniam monitiones & processus, secundùm terminos Juris, prærequiruntur multiplices. Ex eadem radice videtur, quòd nullus parochianus debet evitare Curatum suum, à suis se Officiis Altaris publicè substrahendo, nisi prævià sui Superioris Sententiâ fuerit publicatus. Similia dicenda de Sententiis promulgatis generali modo loquendi, absque nominum expressione per Ecclesias; ut dicendo: Excommunicamus omnes sortilegos, omnes impedientes Justitiam Ecclesiasticam, omnes qui talem rem subripuerunt &c. Talis modus loquendi generalis confusus, non ligat, ut vide-

videtur, audientes, ad evitandum illos quos in particulari tales cognoverunt; nisi per Judicium tales esse nominatim promulgentur.

III. Propositio.

Expediens videretur ut omnes Sententiæ Excommunicationis, quarum usus nullus est, aut plùs obest quàm prosit, tam in Ecclesia Universali, quàm in Provinciis & Diœcesibus, expressâ revocatione cassarentur. Quippe, Excommunicatio quælibet medicinalis esse debet: sicut finis amaræ potionis est sanitas; ita finis Excommunicationis est emendatio, aut conservatio Charitatis & Unionis in subditis. Propterea quandocumque Excommunicatio verisimili conjecturâ non præsumitur utilis Reipublicæ, nec subditorum correctionem afferre, illa debet omitti. Tunc enim locum habet quod dicit Augustinus, *l.* 11. *contra Ep. Parm.* Cùm contagio peccandi multitudinem invaserit; consilia separationis, id est, Excommunicationis, & inania sunt, & perniciosa, atque sacrilega; quia impia & superba sunt, & plùs perturbant infirmos bonos, quàm corrigant animosos malos. Propterea dicit Augustinus, *Non potest esse salubris à multis correctio, nisi cùm ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem. Cùm verò idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud restat bonis, nisi dolor & gemitus.*

Prælati igitur non solùm possunt, sed etiam debent ab Excommunicationibus aut Irregularitatibus ferendis desistere, aut jam latas tacitè vel expressè revocare contra vitiosos, ut sunt fornicatores publici, vel schismatici, si vitium tale adeò in quibusdam partibus invaluerit, quòd per Excommunicationum vel Irregularitatum Sententias nullo modo præsumitur corrigi, sed deteriores effici delinquentes &c. Sed dicet aliquis: Peccata ergo vis remanere impunita; sic absque fræno pœnæ, corruent omnes in flagitia; sic omnis Ecclesiasticæ disciplinæ vigor abscedet? Absit ut hoc velim. Laudo medicinam; sed non eam quæ vulnus augeat, aut vitam tollat: fiat à radice morbi curatio; non eligantur ad Sacerdotium incorrigibiles, non indisciplinabiles: alioquin sibi deputent Prælati, qui tales elegerunt &c.

IV. Propositio.

Expediens videretur institutio, aut jam institutorum talis interpretatio, ut solus excommunicatus, aut suspensus à Judice, & non à solo Jure, incurreret Irregularitatem, immiscendo se Sacris; & talis solus judicialiter condemnatus, à potestate absolvendi in Foro conscientiæ spoliatus censeretur. Constat enim quòd Confessio est necessaria: si verò non potest absolvere Sacerdos excommunicatus à Jure aut suspensus, fit illusio talibus subditis; quoniam nec sacramentaliter absolvuntur, nec finaliter aliud reportant, quàm scrupulos; dum postmodùm audiunt, Sacerdotes suos potestate absolvendi caruisse.

V. Propositio.

Expediens videretur, ut nulla Sententia Excommunicationis ferretur, nisi pro contumacia facta in rebus purè spiritualibus; & ubi trangressio vergit manifestè in dissipationem Fidei & suæ libertatis; sicut est de hæreticis & schismaticis, eorumque fautoribus, sicut de Interdicto diceremus.

VI. Propositio.

Expedientius est in multis defectibus illos vel tolerare, vel ad bonum finem ordinare, quàm per fulminationes Sententiarum & condemnationum, aut per Prædicationes rigorosas eos conari funditùs extirpare.

Hæc prudenter & cautè Gersonius, de Excommunicationibus & Censuris hoc in loco. Eadem habet sparsa diversis aliis in locis, & quòd non nisi in contumaces ferenda sit Excommunicatio. *T.* II. *p.* 5. 265. *D. T.* III. 101. *A.* Quòd leviter non sit, & nonnisi gravibus de causis ferenda. *T.* II. p. 838. *A. T.* III. 1167. *A.* 1564. *D.* 1565. *A.* Adversùs multitudinem Excommunicationum. *T.* II. 63. 110. 903. 908. Quòd multæ per non usum abrogatæ sint. *T.* II. p. 110. Quòd ubi finis non est possibilis, omittenda sit. *T.* II. p. 122. Quòd Excommunicatio injustè lata timenda non sit, probat in peculiari Tractatu ea de re edito. *T.* II. p. 424. & p. 421. 422. 423.

Eadem est, de Excommunicationibus, Petri Alliaceni sententia, *in Appendice* I. *Tomi. p.* 658. *& sequentibus.* Utrùm ad peccata occulta & interiora extendatur, fusè tractat Almainus, *in Appendice. T.* II. p. 968.

De Absolutione ab Excommunicatione, *vide quæ diximus, & lege T.* II. p. 404. 406. 482.

De Irregularitate.

Cùm quis Excommunicatus, se immiscet in Divinis, recipiendo vel exercendo scienter & ex proposito, tunc incurritur Irregularitas reservata Papæ.

Alia est, quæ non ita reservatur, sed eam tollere potest Sacerdos simplex; sicut in Excommunicatione minori, quæ suspendit hominem à celebratione; quemadmodùm si quis participaverit scienter cum excommunicatis, non tamen in crimine, sed ex quadam verecunda pietate, & in casibus non concessis.

Casus autem hujusmodi Irregularitatum & Suspensionum particulares quærendi sunt à Juristis, & ab Institutis Religionum, seu Communitatum; quia consurgunt ex sola Constitutione positiva, & aliquando sine crimine, licèt non sine ratione: propterea condemnabilis est contemptus.

Tertium genus Irregularitatis est sine peccato existente, vel præsumpto; sicut bigamia; sicut Judicium latum in causa sanguinis, ex Officio; sicut servitus; sicut lepra; sicut mutilatio, & similia, quæ

quæ distrahunt, & impediunt ab exercitio divinarum Ministrationum, nec non & ab Ordinum susceptione repellunt. T. IV. p. 404. 405. De Irregularitate, quæ contrahitur per homicidium, aut mutilationem, explicato casu peculiari, p. 417. 418. & 419, hanc regulam statuit Gersonius p. 420. Quòd Irregularitas contrahitur ex homicidio vel mutilatione, & non aliter, quando occidens vel mutilans fecit actum, ex quo nata est de per se, vel ut communiter, seu probabiliter sequitur mors hominis vel mutilatio; sive talis actus sit licitus, prout in Judicibus & belligerantibus; sive sit illicitus, de genere, vel ex intentione.

De Indulgentiis.

In potestate Clavium Ecclesiæ fundatur potestas omnis Indulgentias conferendi. De quibus, quia varii varia tradiderunt, sequentes Considerationes statuit Gersonius, in Tractatu *De Indulgentiis*. T. II. p. 515, quas nos hîc compendiosè referemus.

1. Potestas clavium Ecclesiæ judicialis & forinseca, non se extendit simpliciter & directè ad remissionem culpæ.

2. Imò nec ad diminutionem pœnæ, nisi illius quam inflixit, aut infligere potuit; cujusmodi sunt pœnæ Excommunicationum, & quarumcumque Irregularitatum, Inhabilitationum circa legitimos actus Ecclesiasticos aut Civiles.

3. Potestas clavium Ecclesiæ super Indulgentiis concedendis, modis quibus consuevit uti Ecclesia, vel Ecclesiæ Prælati, à summo usque deorsum, per connotationem annorum, quadragesimarum, & dierum, præsupponit necessariò remissionem vel Indulgentiam in Foro secreto conscientiæ, seu Confessionis Sacramentalis de facto, vel in voto, seu proposito; & sæpius in facto, juxta tenorem Bullarum, quibus inseritur hæc clausula; *Verè pœnitentibus & confessis*; nisi Collator intendat hoc satis esse, quòd homo sit in Charitate, contritus scilicet, cum proposito, suo tempore & loco, faciendi Confessionem actualem. Est autem ista favorabilior interpretatio.

4. Potestas clavium Ecclesiæ Sacramentalis, & in Foro conscientiæ, eminentior est, utilior & eligibilior in collatione & consecutione Indulgentiarum, quàm potestas sola judicialis.

5. Solus Papa Supremus, scilicet Christus, cum Patre & Spiritu Sancto, potest dare plenariâ autoritate Indulgentiam, omnimodò à pœna & à culpa, quam dum confert, dat innumerabiles & infinitos Indulgentiarum dies.

6. Solus etiam facit commutationem pœnæ æternæ in pœnam temporalem.

7. Solus in justificatione impii, priùs infundit gratiam, quàm remittat culpam; & priùs remittit reatum pœnæ æternæ per infusionem gratiæ, quàm homo mereatur à peccato resurgere, vel ab hoc reatu liber esse.

8. Solus potest illam tot dierum & annorum mille millium Indulgentiam concedere, qualis posita reperitur in diversis Concessionibus Summorum Pontificum, vel aliorum, sub variis temporibus locis & causis. Et fortè talis enormitas concessionis, ab aliquibus Quæstuariis, aut aliter malè motis conficta est.

9. Indulgentiarum concessio rationalis supponit, primò, in conferente autoritatem; secundò, idoneitatem conditionis appositæ in Indulgentiis; Tertiò, causam concessionis seu distributionis hujusmodi Indulgentiarum legitimam, clave scilicet Ecclesiæ non errante, neque Christo reprobante.

10. Indulgentiarum concessio per tot millia nedum dierum sed & annorum, videtur difficulter salvabilis, post remissionem æternæ pœnæ, & commutationem in temporalem. Constat enim quòd nec homo singularis in hac vita, potest aut debet ad tot annos obligari pœnitentiam agere, cùm non victurus sit per millesimam partem tot annorum, & nemo ad impossibile teneatur.

11. Indulgentiarum concessio non se extendit ad pœnas ex corruptione naturæ contractas per peccatum originale. Certum est enim quòd Papa non absolvit à siti, à fame, ab infirmitatibus, & à morte. Extendit igitur se hujusmodi absolutio ad pœnas pœnitentiales supra dictas, & infligendas justo pænitentialis Satisfactionis Judicio, pro peccatis actualibus, vel hîc, vel in Purgatorio, quoniam in Inferno nulla redemptio. Utrùm verò claves Ecclesiæ extendere se possint non solùm super terram, sed sub terra in Purgatorio; maxime quoad remissionem pœnæ, aut venialis culpæ, aut Excommunicationis priùs latæ dum viveret reus, nunc existens in Purgatorio, sunt opiniones ad utramque partem probabiles. Et favorabile est dicere quòd sic, saltem per indirectum, propter communionem in Charitate. Sed non debet aliquis sic inniti Indulgentiis concessis, in toto vel in parte, à pœna & à culpa, quin studiosus sit satisfacere per se hîc in vita.

12. Indulgentiarum concessio non est parvipendenda, seu contemnenda, sed amplectenda devotè in Fide, Spe & Charitate Domini nostri Jesu Christi, qui potestatem talium clavium dedit hominibus. Studeat igitur homo pius tales acquirere, secundùm qualitatem suæ vocationis; pondus autem valoris illi relinquere, qui omnia facit & fecit in numero, pondere & mensura. Postremò, concedentes Indulgentias taliter & in intentione & in verbis & scriptis, moderentur suas concessiones, ut nec divinæ justitiæ cum misericordia derogetur, nec scandalum, maximè pusillis, præbeatur; vel ne facilis concessio majoris Indulgentiæ, pro minimis, vel exiguis causis, pariat in arduis & legitimis pro Ecclesia vel Republica negotiis, detrimentum.

13. Si quis petit pro se, & perseveranter, & piè, hoc est, ad salutem, & ex Charitate; efficax est ejus oratio.

14. Si quis petit Indulgentiam peccatorum sibi fieri in hac vita, potiùs quàm in Purgatorio, ritè petit & piè; quoniam pœna Purgatorii longè gravior est quàm præsens quælibet, & minùs habens de merito.

15. Si quis petit Indulgentiam peccatorum suorum fieri in hac vita ex Charitate, & perseveranter, obtinebit utique, & moriens statim evolabit ad cœlum; quia vel per Martyrium, vel aliis modis Deo cognitis, purgabitur in hac vita.

 16. Si

16. Si quis petit dilationem Satisfactionis suæ fieri, non in hac vita, sed in Purgatorio; potest hoc contingere culpabiliter, propter debilitatem Fidei de pœnis Purgatorii; aut quia nimis amat delicias, divitias & honores hujus vitæ præsentis; vel quia plùs debito asperitates exhorret. Si verò veniat hæc petitio ex consideratione fragilitatis suæ, & debilitate suæ patientiæ in adversis, ne succumbat & peccet; videtur tolerabilis timor esse, licèt imperfectus sit, & non omnino excusabilis; quia quodammodò diffidit de Deo, quòd non tolerabiliter secum ageret, neque quòd daret debitam patientiam.

Hæc est integra Gersonii Doctrina de Indulgentiis. Alibi observat potestatem Prælatorum, in concessione Indulgentiarum, non esse nisi potestatem dispensationis, quæ debet esse rationalis, & ad ædificationem: & ideò si dent has vel illas Indulgentias sine causa rationabili, utpote pro solo intuitu favoris humani, vel alio tali modo; non oportere ut tantùm valeant quantùm sonant: ac propterea fatuas esse & superstitiosas quasdam intitulationes de Indulgentiis viginti mille annorum. *T.* II. p. 408, ubi alias de Indulgentiis in articulo mortis quæstiones elucidatas vide.

Itidem alio loco dicit; Indulgentias dari debere discretè, pro pia utilitate, ad Ecclesiæ ædificationem, ac recipi cum verâ pœnitentia, prævià purâ Confessione, sicut placet aliquibus, aut saltem habitâ in proposito; alioquin credens aliter dare vel recipere, decipitur. *T.* II. 255.

De Sanctorum & mortuorum Indulgentiis quid sentiat Gersonius, dictum est alibi.

De Sacramento Extremæ-Unctionis.

De Sacramento Unctionis infirmorum, pauca occurrunt in genuinis Gersonii Operibus. Censet illud dari non debere, nisi in articulo mortis; & tamen repeti posse alterâ vice, si ægrotus non moriatur. Extremam-Unctionem ritè susceptam, delere venialia, imò & absolvere ab omni culpa, conjunctâ petitione recipientis, affirmatur in Regulis Moralibus. *T.* III. p. 106.

De Matrimonio.

Eodem in loco videbis multa de Matrimonii Sacramento. De Matrimonio Christiano plura etiam habes *T.* III. 969. Indissolubile esse, nec dirimi debere propter allegationes minùs probatas: & Sententiam Divortii expectandam, docet, *T.* II. p. 214 369. &c. & *T.* III. p. 1501. De conjugum mutuis officiis & fine Matrimonii, *vide T.* III. p. 916. 998. 999. Item de Matrimonio, curiosas & utiles quæstiones solutas reperies *T.* III. p. 999. *&* 1000. Et de Cælibatu Sacerdotum *ibid.* & p. 1001. & 1002. De Matrimonii incommodis, *vide T.* III. p. 829. *& sequentibus.*

De Sacramento Ordinis.

De Sacramento Ordinis nihil speciale est quod observemus in Operibus Gersonii, præter ea quæ in Regulis Moralibus habentur; & in Compendio Theologiæ, quæ duo Opera legi debent, ad pleniorem de Sacramentis intelligentiam. De Ordinationibus dicemus infra.

CAPUT II.

De iis quæ ad Disciplinam Ecclesiasticam pertinent.

§. I.

De Ecclesiastica πολιτεία & Hierarchia: ubi de Romani Pontificis, Conciliorum, & Episcoporum Autoritate; Cardinalium Dignitate; Curatorum Ordine, Institutione, & Potestate, Fratrum Mendicantium Privilegiis.

De Gersonis Operibus ad Politiam Ecclesiasticam spectantibus.

A Christo nato nullus est Scriptor, qui ea quæ ad Ecclesiasticam πολιτείαν spectant profundiùs rimatus sit, accuratiùs commentatus fuerit, uberiùs exposuerit & acriùs tutatus sit, Cancellario nostro Parisiensi: qui cùm in difficillima ac turbulentissima tempora incidisset, libertatis Ecclesiasticæ se vindicem acerrimum; Schismatum strenuum debellatorem; Conciliorum propugnatorem vehementissimum; Pontificiæ Potestatis cultorem integerrimum, sed absque fuco & adulatione, Curiæ Romanæ nunquam obnoxium; Sacræ Hierarchiæ militem fortissimum; Regiæ Majestatis defensorem impavidum; pacis ac tranquillitatis publicæ sequestrum optimum, constanter ac fideliter præstitit. Hæc omnia in Operibus ejus elucent, quæ legi necesse est ab iis omnibus, qui antiquam & optimam ac convenientissimam Ecclesiastici regiminis formam penitùs perspectam habere volunt. Hujus nos œconomiam ab illo latè descriptam, velut in minori tabella, tenuiori penicillo & brevioribus lineamentis exprimemus; ut uno velut intuitu, ac oculi ictu conspici possit.

De Christo Ecclesiæ Capite, & Potestate ab eo Ecclesiæ concessâ, & Sacra Hierarchia.

Christus Ecclesiæ Caput est & Monarcha supremus, à quo omnis Potestas Ecclesiastica derivatur. Hæc ab eo supernaturaliter collata est suis Apostolis & Discipulis, ac eorum successoribus legitimis, usque in finem sæculi, ad ædificationem Ecclesiæ Militantis, pro consecutione felicitatis æternæ. Hanc definitionem Potestatis Ecclesiasticæ tradit & explicat Gersonius *T.* II *p.* 227. Potestas illa duplex, Ordinis & Jurisdictionis, utraque est in Ecclesia tota univer-

niverfaliter & fufceptivè; & in ejus Miniftris autoritativè & executivè. Cœtus Ecclefiæ non habet vel habuit ex fe poteftatem feipfam ordinandi & conftituendi per gradus varios atque hierarchicos dignitatum & adminiftrationum, quales in ipfa reperiuntur, à fummo Præfulatu ufque ad infimum gradum: fupernaturalis eft enim ifta inftitutio, confurgens ex folo beneplacito liberaliffimi Conditoris. Hi gradus dignitatum & adminiftrationum permanentes funt, licèt perfonæ mutentur, & fibi invicem fuccedant, fecundùm Legem primitùs inditam & infitam corpori Ecclefiaftico; nec eft in poteftate Papæ, aut alterius cujufcumque ordinem hunc invertere; nec poffet, verbi gratià, inducere quod nulli effent Epifcopi, nec Curati, nec Cardinales, inquantum fucceffores Apoftolorum. Sunt enim gradus omnes feminati à Chrifto in Ecclefia Primitiva, quamquam parvula, in qua nondum erant fic explicati gradus Ecclefiafticæ Hierarchiæ, ut nunc infpicimus. *T.* II. *p.* 128. 129. Porro ftatus ille Hierarchicus, in Ecclefia debet effe certus & conftans. *Ibid.* 230.

De Summi Pontificis Primatu & Autoritate.

In illa Hierarchia primum tenet locum Summus Pontifex feu Papa, Romanæ Ecclefiæ Epifcopus, in quo plenitudo poteftatis eft fubjectivè & monarchicè; ficut eft in Ecclefia Synodaliter congregata, feu in Concilio generali, fuppletivè & ordinativè. Dehinc Patriarchæ, Archiepifcopi, & Sacerdotes & Miniftri: in ultimo gradu Populi, & fimplices Religiofi. *T.* II. 239. 259. Status Papalis inftitutus eft à Chrifto fupernaturaliter & immediatè, tanquam Primatum habens Monarchicum & Regalem in Ecclefiaftica Hierarchia, fecundùm quem ftatum unicum & fupremum, Ecclefia Militans dicitur una fub Chrifto; quem Primatum quifquis impugnare, vel diminuere, vel alicui Ecclefiaftico ftatui particulari coæquare præfumit, fi hoc pertinaciter faciat, hæreticus eft, fchifmaticus, impius, atque facrilegus: cadit enim in hærefim expreffè damnatam à principio nafcentis Ecclefiæ, ufque hodie, tam per inftitutionem Chrifti de Principatu Petri fuper alios Apoftolos, quàm per traditionem totius Ecclefiæ in Sacris Eloquiis fuis & generalibus Conciliis. *T.* II. 531. Habet à Chrifto Dominium fuperioritatis in tota Ecclefia, cum plenitudine poteftatis, in eis quæ fpirituale regimen Ecclefiæ, propriè dictum, refpiciunt. Habet prætereà fecundò, poteftatem Canonicam fuper res Ecclefiæ, quæ dicuntur impropriè fpirituales; quemadmodùm funt Collationes quædam Beneficiorum, & Jurifdictionum, quafi temporalium atque proventuum. Habet tertiò poteftatem, ex confenfu, à m Principum, præfertim Imperatorum, quàm aliorum, in quadam temporalium appropriatione, quam ei conftat Jure Divino nequaquam convenire, Habet quartò poteftatem qualem Jure naturali Superior habet erga fubditos.

De Poteftate Papæ in Spirituali Regimine Ecclefiæ

Prima Poteftas cognofcitur ex Evangelio & Actibus Apoftolorum, & ex iis quæ per fucceffivam relationem eorum ad nos, tantâ certitudine funt devoluta, ut meritò temerarius & fcandalofus, immò fchifmaticus judicetur, qui poteftatem hanc vel abolere, vel diminuere præfumpferit.

De hac poteftate funt, jus convocandi Concilia Univerfalia; jus determinandi cum Concilio quæftiones Fidei, per modum articulorum omnes generaliter obligantium: correctio infuper Prælatorum inferiorum, & eorum, fi demeruerint, totalis deftitutio; & fimilia, quæ vel univerfalem Ecclefiæ ftatum tangunt, vel finalem fupremamque determinationem refpiciunt. Et hæc poteftas in Ecclefia immobilis perfeverat, quantumcumque perfona Papæ per mortem naturalem vel civilem mutaretur; aut quantumcumque ufus talis poteftatis à Papa remanente tolleretur, in parte vel in toto. Textus Evangelicus, & Conciliorum generalium determinatio, Ecclefiæ Univerfalis confenfus tantus, & affertio; imò & ratio naturalis, præfuppofita Fide, pro hac fuperioritate tam aptè faciunt, ut contra eum qui fe pro Catholico gerit negantem hoc, magis fit deftitutione, quàm difputatione certandum. Hujufmodi funt qui dicunt, quemlibet, in fua Diœcefi effe Papam fupremum; aut quòd plures effe Papas licet, vel habere expedit; aut quòd non oportet quærere Papam unum pro Ecclefia, & fimiles. Hæc poteftas tam immediatè à Deo eft collata, ut tota Ecclefia illam neque deftruere poffit; neque noviter, fi tolleretur, ædificare valeret. *T.* III. 34. 35.

Is eft Summus Chrifti Vicarius, Ecclefiæ Paftor Univerfalis & Cuftos. In hoc Primatu, Petro, qui eum à Chrifto immediatè accepit, fuccefferunt Romani Epifcopi: ita ut qui Romanæ Ecclefiæ præfidet, fimul fit & Epifcopus Diœcefeos urbis Romæ quæ privata eft, & Summus Ecclefiæ Pontifex.

Sed quæreret fortè aliquis; quo pacto Ecclefia Romana dicatur Primatum habuiffe, cùm ab initio fuerit Petrus in Antiochia. Refpondet Gerfonius; abftractionem fieri debere à connotatione loci, & dicendum, Ecclefiam Romanam effe illam Diœcefim, Provinciam vel Sedem, quæ peculiariter habet regi per autoritatem Papalem, & eam complectitur: fic veram effe hanc vulgatam vocem, *Ubi Papa ibi Roma*; nec in dubium verti debere, quin ifto modo Romana Sedes, in Ecclefia fit Caput, Mater & Magiftra cœterarum, quia fupremam Petri poteftatem includit. *T.* II. *p.* 236.

Hæc & alia plurima de Primatu Petri, Romanique Pontificis, Gerfonius in libris fuis: quibus abundè refelluntur ii, qui ipfum ejus autoritati & poteftati derogaffe arbitrantur.

De Pontificiæ Poteftatis limitibus.

At quamvis tanta fit autoritas Papæ in Ecclefia quantam diximus; non tamen eft ea illimitata, & ab omni Lege immunis. Primùm enim, fubditus eft Legibus Divinis & Naturalibus; & fi contra eas peccet, ut peccare poteft, & errare, denuntiari poteft Ecclefiæ, ejufque Judicio & Concilio Univerfali eam repræfentanti fubjectus eft. Et fi Concilium congregare pertinaciter

citer recuset; eo invito congregari potest, ac in eo de Pontifice statui. Reverenter quidem in eum Sententia pronuntiari potest; & si sit hæreticus, schismaticus, aut notoriè scandalosus, juridicè deponi; imò etiamsi legitimus & sine culpa sua, sed non sine causa. Legibus Concilii generalis tenetur, nec potest eas infringere pro libito, licèt in quibusdam casibus dispensare possit. Ab eo appellari potest ad Concilium generale, & Concilii Judicium Papæ Judicio præponendum.

Hæc passim in Operibus Gersonii, præsertim Tomi secundi, & in Tractatu *De Vna spirituali*, initio Tomi III, ut nihil necesse sit loca singula indicare.

De Potestate Pontificis Romani in Beneficiorum distributione.

Secunda Potestas Romani Pontificis, per Canonicas Institutiones, quæ sunt humanæ & variabiles, robur habet. Hæ duæ potestates differunt, ut quidam, nominatim ipsi Græci, primam concedentes, secundam negent. Errant quoque illi, qui miscent hanc coæquationem cum præcedenti. Etenim quis nesciat, Christum & successores ejus multos, absque tali potestativo exercitio circa temporalitatem Ecclesiæ, in Papali culmine fuisse stabilitos? *T.* III. 35. *C.* Nam Papa, Jure Divino, non potest plura in Ecclesia ordinare & statuere, quàm ab ipso Christo primò, & post ab ipsa Universali Ecclesia est & fuerit ipsi concessum. Non enim legimus Christum ipsi contulisse potestatem Beneficia, Dignitates, Episcopatus, Villas dispensandi aut distribuendi; nec unquam legimus Petrum id fecisse. Verumtamen post, crescente modernorum Imperatorum & Regum, ac Christianorum Fidelium devotione, creverunt in diversis Mundi partibus Ecclesiæ, quæ diverso indigebant regimine. Quocircà, per Universalem Ecclesiam in diversis generalibus Conciliis certæ potestates dispensandi certa Beneficia sunt Papæ collatæ, ac faciendi alia: reliqua verò Beneficia dispensationi Ordinariorum sunt commissa; ut quòd Patriarchæ & Cardinales per Papam instituerentur; Primates verò per Patriarchas; Archiepiscopi per Primates; Episcopi per Archiepiscopos; Abbates verò & reliquæ Dignitates per Ordinarios. Crescente vero posteà intolerabili pompa, avaritia, & ambitione in Papa & Cardinalibus, incœperunt modicùm Beneficia reservare, & successivè omnia Mundi Beneficia reservarunt; Episcopos & Ordinarios suis potestatibus, & autoritatibus & Juribus sine causa privando: immemores illius, quòd non debeat inde procedere injuriarum occasio, unde jura nascuntur; & si sua Jura unicuique non serventur, quid aliud est, quàm ut Ordo Ecclesiasticus confundatur? *T.* II. 172. 191: uno verbo, cùm Papa sit dispensator bonorum Ecclesiæ Christi, & non Dominus, ad reddendum rationem villicationis suæ tenetur; nec debet aut potest Constitutiones in Camerâ sua, pro habendis pecuniis de provisionibus Episcopatuum & Abbatiarum, reservationes Beneficiorum, taxationes, aliaque hujusmodi statuere. *T.* II. 184. 240.

Habet Summus Pontifex potestatem Leges condendi; sed non nisi propter Ecclesiæ utilitatem, & juxta Canonicas Sanctiones; non autem pro libito. Habet potestatem dispensandi à Legibus Canonicis, at non sine causa, sed propter necessitatem tantùm, aut publicam utilitatem. Dispensatio enim, distributio est boni communis, quæ prudenter fieri debet. *T.* II. 242. *T.* III. 324.

Concessionis hujus ratio fuit, ut honoraretur in interpretandis Juribus, & emergentibus quotidie dubiis circa regimen Ecclesiarum: quia facilior est recursus ad Papam, quàm ad ipsum generale Concilium. Hanc autem distinctionem non attendentes aliqui, putaverunt omnia quæ nunc Summis Pontificibus conveniunt, competere ex primaria Christi institutione, & Jure Divino, quod falsum est. Contendunt nunc aliqui, quod post institutas per Concilia generalia regulas super electionibus faciendis, & Beneficiis per Ordinarios conferendis, juxta Fundatorum intentionem, quemadmodùm observatur de Jure Patronatus apud laïcos, nequaquam licitum fuit Papæ tales cassare regulas, præsertim generaliter & passim, per reservationes & aliter; & non licuit præterea facere tot & tales nonobstantias eorum quæ constituta sunt in generalibus Conciliis, quot & qualibus nonobstantiis uti solet passim in Bullis suis.

At respondent alii per unicum verbum; quòd semper intellexit Concilium generale, autoritatem Summi Pontificis exceptam esse in omni Constitutione sua qualicumque.

Benedictus autem Deus, qui per hoc Sacrosanctum Constantiense Concilium liberavit Ecclesiam suam ab hac pestifera perniciosissimaque doctrina. Declaratum nempe atque decretum est, quòd & sine Papa generale Concilium convocari, & à Concilio Papa judicari, certis casibus potest. Quòd insuper habet autoritatem generale Concilium præscribere Leges seu Regulas, secundùm quas plenitudo potestatis Papalis, non quidem in se, quæ semper eadem est, sed in usu suo, moderanda regulandaque est. Neque putandum est insuper, Concilia generalia sic excepisse Papalem autoritatem in Constitutionibus suis, ut eidem permitteretur effrænis libertas, ea destruendi levissimè, quæ tanta gravitate & digesta sapientum maturitate condita sunt. Intelligitur ergo Papalis autoritatis exceptio facta, prout occurrens necessitas, vel evidens utilitas postulabat, ubi pro tunc recursus ad Concilium generale non patebat. *T.* II. 240.

Denique potestas Ecclesiastica Papalis, non ita habet Dominium & Jura terreni simul & cœlestis Imperii, quòd possit ad libitum suum de bonis Clericorum, & multo minùs laïcorum disponere; quamvis concedi debeat, quòd habet in eis quoddam Dominium regitivum, directivum, & ordinativum.

Hìc inducit Gersonius Detractionem, Invidiam & Adulationem subdolam, secum colloquentes, multaque de dispensatione bonorum Ecclesiasticorum disputantes; & tandem ita concludit. Addamus Summum Pontificem cum Collegio suo, ita præsidere bonis Ecclesiasticis, ut de eis statum habere sufficientem & decentem oporteat; sed non ita ut caput gravidum reliqua obruat mole sua. . . . Concernit hoc Collationem Beneficiorum; multiplicitatem Exemptionum odiosissimam; reservationem præterea tot casuum, tot Excommunicationum in Foro conscientiæ; evocationem tam facilem omnium Causarum ab Ordinariis &c. *T.* II. 248.

De

De Potestate Papæ in Temporalia.

Tertia Potestas Papæ in temporalia quædam bona, ex autoritate Principum & Imperatorum, acquisitione, legitimâ præscriptione, aliisque titulis ipsi competit; non ex institutione Christi, & Jure Divino. Constantinus Imperator Romano Pontifici multa primùm contulit: tractu temporis Imperium Papa à Roma seclusit, ita ut nihil in eam juris ac potestatis reliquerit. *T.* II. 196. Demùm eò adulatio provecta est, ut diceretur Summus Pontifex, Summus Monarcha, nedùm in spiritualibus, sed & temporalibus; ita ut alii Reges & Principes suam recipiant Dominationem ab eo, & solùm mediatè à Deo. Contrà verò detractio lurida, omne omnino Dominium, omnia temporalia, omnem Jurisdictionem ab Ecclesia amandari vult. Utrumque errorem rejicit Gersonius, in lib. *De Potestate Ecclesiastica. Consideratione* XII. *T.* II. *p.* 246 247. *&* 248.

De Obedientia Papæ debita.

Quarta Potestas Naturali Jure Papæ conveniens, habet & requirit, ut tanquam Superior & tutor, atque conservator honoretur & juvetur ab omnibus; quam potestatem possit Ecclesia, si deesset, ordinare, aut aliter commutare, sicut alterius Politiæ mos habet. Cùm autem nec sit impeccabilis, nec confirmatus in gratia, subditus est Legibus Divinis, Naturalibus; & in quibusdam, ad Leges humanas obligatur: propterea si peccet, corripi potest Jure Divino, & fraternaliter moneri; & si nollet corripi, potest denuntiari Ecclesiæ, & à Concilio judicari, ac de Sede dejici. *T.* III. 36. Cùm ergo Papa & peccare, errare, & Ecclesiæ nocere possit; hinc statim apparet, multos casus esse possibiles, in quibus gerens se pro Papa, & talis habitus ab Ecclesia, poterit à subdito licitè occidi, vel incarcerari, vel per modum quemdam appellationis ab eo, vel substractionis à potestate suæ obedientiæ declinari. . . . Exempli gratiâ: Papa si viâ facti vellet ignes spargere per domos Christianorum, per se aut alios improbos, vel mulieres violare, non propter hoc desineret esse Papa: attamen nulli dubium esse debet, quin huic viæ facti Ecclesia, vel ejus pars posset viâ facti demolitioni suorum bonorum, violationi uxorum resistere, etiam per incarcerationem realem Papæ, ubi tunc aliter, neque viâ Juris, neque viâ facti obstare relictum est. Quantò magis hoc agere fas haberet Ecclesia, vel pars Ecclesiæ, ubi castitas sua spiritualis in Legis Divinæ observatione, aut sua unitas, in qua vita sua posita est, ab aliquo viâ facti certissimè violari quæreretur.

Quòd si quis in oppositum mille Decretales, vel Decreta produxerit, tanquam Papæ in nullo casu dicere liceret, *Cur ita facis?* tanquam insuper Superior sit toti Ecclesiæ, vel à nemine possit judicari. Respondemus, quòd potestas Superioris nihil potest statuere adversùs veritatem Legis Naturalis & Divinæ; quòd insuper potestas eorum data est, non in destructionem, sed in ædificationem; quibus improbè agentibus, modis similibus ad prætactos, si resistitur; non potestati, sed eorum improbitati resistitur. Scimus tamen quòd cum modestia magna & timore, & nonnisi cogente manifesta necessitate, talia attentare securum est. *T.* III. 33. 34. Si fiat hæreticus, aut schismaticus Papa, quocumque Catholico inferior est & Ecclesiæ subest. *T.* II. 19. *B* 42. *A.* Potest destitui sine sua culpa, quamvis non sine causa. *T.* II. 222. Nec dubium quin possit excommunicationem incurrere, & in simoniam labi. *T.* III. 50. 168.

Huc usque de varia potestate Jurisdictionis in Pontifice: nunc pauca de potestate Ordinis. Ea par est in omnibus Episcopis, ab infimo ad supremum, qui Papa dicitur; nec est aliquis actus Ordinis, in quem possit Papalis autoritas, quin in illum possit de factò potestas Episcopalis. 219. *A. C.* Juxta probabilem valde sententiam de statu Hierarchico Ecclesiæ, non sunt propriè nisi duo status; Prælatorum majorum videlicet, qui succedunt Apostolis, & sunt Episcopi, Archiepiscopi &c: ita rursùm & minorum, qui successores sunt septuaginta duorum Discipulorum, & dicuntur Prælati secundi Ordinis, dignitatis, vel honoris, quales sunt Curati.

De Electione Romani Pontificis.

Pontificis Romani electio olim ad Clerum & totum cœtum Fidelium Romanorum pertinebat. Item Carolo Magno datum fuit aliquando illud Jus. Posterioribus temporibus Cardinalibus istud Jus assignatum est. Committi tamen potest aliis ab Ecclesia, certis in casibus; ut si Sede vacante, Cardinales omnes fierent hæretici, aut si occiderentur, aut aliter morerentur &c. *T.* II. *p.* 12: aut si Concilium generale aliam viam eligendi præferret. 244. Non potest ex Jure ordinario, Summus Pontifex sibi successorem eligere. *T.* II. 10, quamquam id non repugnet Juri Divino. *T.* II. 76. *C.* Potest abdicare dignitatem suam; non tamen sine causa debet id facere. *T.* III. 36. In casu schismatis, quando Ecclesiæ pax aliter procurari non potest, tenetur renuntiare Pontificatui; potest pervicax à Concilio generali destitui. Hæc passim ex secundo Tomo, de Summi Pontificis destitutione Gersonius, cujus ea de re sententia & Acta fusiùs exposita sunt in Historia Schismatis.

De Concilii Generalis Autoritate & Jurisdictione.

Concillum generale à Gersonio describitur: Aggregatio legitimâ autoritate facta, ad aliquem locum, ex omni statu Hierarchico totius Ecclesiæ Catholicæ, nullâ Fideli personâ, quæ audiri requirat exclusâ, ad salubriter tractandum & ordinandum ea, quæ debitum regimen Ecclesiæ in Fide & moribus respiciunt. *T.* II. *p.* 205. 270. Dum tamen dicitur; nullum qui audiri voluerit, excludi debere; hoc est, ut doceatur vel doceat. Nam quoad Sententiam definitivam, ea solis Prælatis competit, non solùm Superioribus, seu Episcopis, de quibus non est dubium; sed etiam inferioribus, qui curam animarum habent; non ex Privilegio, sed ex statu & ordinario Jure, suntque Hierarchæ; quales Curati, Abbates, Decani, Præpositi. *T.* II. 250.

Concilio generali quilibet Fidelis, cujuſcumque conditionis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire, tenetur, in iis quæ pertinent ad Fidem & reformationem Eccleſiæ in Capite & in membris, juxta Decretum Concilii Conſtantienſis, quod ſæpe laudat Gerſonius. Nec ſolùm in Fide Concilium generale ſupremum eſt Eccleſiæ Judicium; ſed etiam in iis quæ ad regimen Eccleſiæ pertinent: dumque Eccleſia, vel generale Concilium dictat aliqua regimen Eccleſiæ concernentia, Papa non eſt ſupra Jura poſitiva, ut poſſit pro libito, diſſolvere talia dictata per Eccleſiam, eo modo & intentione quo dictata ſunt: & quamvis non poſſit tollere plenitudinem poteſtatis Papalis à Chriſto collatæ; poteſt tamen uſum ejus limitare, ſub certis Regulis ac Legibus, in ædificationem Eccleſiæ, propter quam Papalis autoritas collata eſt: & in hoc eſt totius reformationis ſtabile fundamentum. Licèt Concilium generale, ex conſuetudine, à Summo Pontifice convocandum ſit; tamen Concilium Nicænum, & quatuor priora Concilia generalia ab Imperatoribus convocata ſunt. Poteſt etiam tunc, multis in caſibus, congregari, ſive ab Imperatore, ſive à Cardinalibus & Epiſcopis, ſine expreſſo conſenſu Papæ, etiam ritè electi & viventis, in multis caſibus. Unus caſus; Si Papa ipſe ſit accuſatus & evocatus, ut audiat Eccleſiam, & ipſe renuat contumaciter Eccleſiam convocare. Alius caſus; Ubi materiæ grandes, concernentes regimen Eccleſiæ, veniunt terminandæ per generale Concilium, & Papa renuit contumaciter illud evocare. Alius; Si jam dictatum ſit per generale Concilium, quòd debeat tali vel tali tempore convocari. Alter; Ubi probabilis eſt dubitatio inter plures de Papatu contendentes. Hoc in caſu, ſi viam aliquam concluſerit ſeu dictaverit acceptandam eſſe pro terminatione ſchiſmatis, ipſe tenetur illam acceptare. Quinetiam, non ſolùm declarativè, dictativè ſeu conſiliativè poteſt auferri Papæ Juriſdictio & autoritas à Concilio, verùm & juridicè & deſtitutivè; etiam ſine culpa ſua, quamvis non ſine cauſa.

Hoc præcipuè urget Gerſonius in Libro *De Auferibilitate Papæ*, ubi caſus aſſignat, in quibus deſtitui poteſt Summus Pontifex ſine ſua culpa. *T.* 11. *p.* 222. Quamquam Summum Pontificem legitimè electum Concilio præeſſe conveniat: tamen ubi plures de Papatu contendunt, aut cùm de Papa agitur, aut eo invito Concilium celebratur, eum præeſſe Concilio non oportet. *T.* 11. 292. 293. Papâ mortuo vel ejecto, Concilium poteſt vel per ſeipſum, vel per organum aliquod, vice omnium judicare de Cauſis ad regimen pertinentibus & de perſonis, & coërcitivam Juriſdictionem exercere Excommunicationibus, Interdicto, relaxatione, abſolutione; & de poteſtate Juriſdictionis, quomodocumque fiat ſermo, videtur quòd Concilium poſſit illam concedere in defectu Papæ, ut in ſubjiciendo alicui Epiſcopo tales populos quales voluerit, pro Sacramentorum licita & rata miniſtratione. *T.* 11. 244. De Indulgentiarum conceſſione dubitatur. 245.

Poteſt Concilium generale Bullas, & Proceſſus omnes, vel Ordinationes & Statuta Papæ irritare, Leges vel à Pontificibus, vel etiam à Conciliis latas interpretari, mutare, tollere, quamcumque perſonam coërcere, & pœnis ſpiritualibus afficere. Vide Orationem *De Viagio Regis Romanorum. T.*, 11. *p.* 273. Conciliorum generalium, ad reformationem Eccleſiæ, extinctionem ſchiſmatis, & extirpationem errorum, ſumma aliquando neceſſitas. Hinc Concilium potuit & debuit conſtituere crebriorem generalium Conciliorum celebrationem, quam retroactis temporibus fuerint celebrata, ut de decennio in decennium, *Ibid.* Nec enim Eccleſia habet efficacius medium ad generalem ſui ipſius reformationem, quàm ſi ſtatuatur Conciliorum generalium continuatio; celebrationem Provincialium (quorum ſcilicet maxima eſt in Eccleſia utilitas & autoritas) non omittendo. *T.* 11. *p.* 206.

De Epiſcoporum Autoritate.

Epiſcopi à Chriſto inſtituti poteſtatem Ordinis habent, à Preſbyterorum poteſtate diſtinctam: nam ſimplex Sacerdos, juxta communem Doctorum ſententiam, non poteſt Ordines conferre, neque Sacramentum Confirmationis dare, neque conſecrare Virgines &c. etiam de facto; ſic quòd ſi tale aliquid tentet agere, nihil tamen efficit, quia neque confirmat, neque ordinat. Epiſcopus autem, ſi volentem confirmari, & prætereà ad Ordines promoveri, qui ſit eorum ſuſceptibilis (quod dicitur propter ſexum muliebrem) tentaverit vel confirmare vel ordinare, ordinat utique vel confirmat de facto, licèt Excommnnicatus, licèt Irregularis, licèt degradatus extiterit; & in hoc par eſt in omnibus Epiſcopis, ab infimo uſque ad ſupremum, qui Papa dicitur, poteſtas Ordinis. Non autem in Sacerdotibus minoribus eſt hæc poteſtas, ut dictum eſt, ſaltem in plenitudine, ſeu perfectione, quòd hoc poſſit: licèt concedatur, cum majori parte Doctorum, quòd ſupra Sacerdotium ſimplex nulla eſt altera poteſtas Ordinis, neque in Epiſcopis, neque in Papa. Sed aliter eſt in Epiſcopis & Papa, aliter in ſimplicibus Presbyteris. Quoad conſecrationem Corporis Chriſti veri, eamdem habent Sacerdotes omnes poteſtatem. Quantùm verò ad Sacramentorum miniſtrationem, diſpar eſt in Epiſcopis & ſimplicibus Presbyteris poteſtas ſeu facultas, tam de Jure quàm de facto. Similiter in Miniſtrorum Eccleſiaſticorum inſtitutione, quæ eſt poteſtas competens primis Hierarchis de primo Ordine & ſecundo; non autem inferioribus, quemadmodùm ſunt Curati, qui licèt purgare, illuminare & perficere poſſint plebem ſuam; nihilominus eorum poteſtas non extenditur ad Hierarcharum ſpecialem inſtitutionem, de Jure communi.

Attendat lector, circa Conſiderationem iſtam de Epiſcopatu, ſi ſit Ordo vel Sacerdotium, quòd apud Theologos & Juriſtas eſt concordia in re, benè concipiendo; ſed explicatio diverſa eſt: quia Juriſtæ volunt, Epiſcopatum eſſe Ordinem, quoniam poteſt ultra Sacerdotium; Theologi verò concedunt ſecundum, ſcilicet quòd Epiſcopatus eſt poteſtas Hierarchica ſupra Sacerdotium; ſed quia nihil addit poteſtatis ſupra Corpus Chriſti verum; propterea non dicunt quòd ſit novus Ordo, ſed bene nova poteſtas, & hoc redit in idem. *T.* 11. 229 230. Sacerdos à non Sacerdote, & Epiſcopus à non Epiſcopo, nequit inſtitui; imò nec à tota multitudine laïcorum aut multorum, ſimul congregata, ſi, per caſum, mortui eſſent omnes Sacerdotes. *T.* 11. 213.

Quemadmodùm ad Epiſcopos Fidei quæſtiones definire pertineat, & quomodò congregati in Conciliis, pronuntiare valeant, dictum eſt ſupra.

De eorum institutione, erga Papam subjectione, autoritate in inferiores Prælatos; & destitutione, lege Considerationes quatuordecim libri *De Statibus Ecclesiasticis. T.* 11. p. 532. 533. De desiderio & fuga Episcopatus, vide *Sermonem. p.* 565: de Muniis & moribus, Visitatione, castitate, temperantiâ, vestitu, aliisque virtutibus, plures ejusdem Tomi Partisque Tractatus, è quibus multa excerpere longum foret.

De Cardinalium Dignitate.

De Cardinalibus Ecclesiæ Romanæ magnificè loquitur Cancellarius noster, in eodem libro *De Statibus Ecclesiasticis.* Eorum originem ad Christum ipsum refert, & multa in eorum gratiam dicit. *T.* 11. *p,* 531 & 532. Alibi tamen fatetur fuisse tempus, cùm non erant; nec semper ad eos electionem Romani Pontificis pertinuisse affirmat. *ibid. p.* 12. Nec probat eos tot Commendas habere sine causa, destruentes tot Ecclesias & Monasteria; & iis inhibendum esse, ne unquam Monasteriorum aut Parochialium Ecclesiarum curam haberent.

De Inquisitoribus.

Erant tempore Gersonii Inquisitores in Gallia, qui de hæresi, sortilegio & sortilegiis cognoscere poterant: erant hi Vicarii Episcoporum, & unà cum iis Judicium ferebant, ut factum est in negotio Joannis Parvi. *T.* 1. 9. *D. T.* 11. *p.* 109. *B.* 289. *B.* Theologos seu Canonicos qui Theologiam docerent in singulis Ecclesiis institui voluit. *T.* 1. 122. De Cancellarii Ecclesiæ Parisiensis Muneribus, amplè differit in libello, *Cur Cancellariam dimittere volebat. T.* IV. p. 725.

De Curatorum Ordine & Potestate.

Curatos, uti jam observatum est, minores Prælatos, ad Hierarchiam Ecclesiasticam pertinere, & Juris esse Divini, ex institutione, censet Gersonius, juxta Decretum Facultatis Thelogiæ Parisiensis: imò, non veretur dicere, eorum statum esse de ordinatione essentiali & stabili Sanctæ Ecclesiæ, æquè ac statum Episcoporum, Archiepiscoporum, imò & ipsius Papæ; nec posse ab hoc destrui aut abrogari. Hinc sequitur, eorum statum perfectiorem esse statu simplicium Religiosorum; simplicium dicit, quia sunt in Religionibus, veluti Curati & Priores, Abbates, Præpositi & tales. Sequitur, eos Ecclesiæ Sponsos esse, sicuti Prælatos, quamvis imperfectiores; nec licere eis facilè Curam suam deserere absque causa. Sequitur, ad statum eorum spectare, ex Jure aut facultate, concionari; nec Papam, aut alium quemvis Jus hoc Curatis impedire debere. Ideo nulli in eorum Ecclesia concionari licitum esse, absque eorum facultate; sed tenentur ipsi prædicare, licèt non ita exquisito modo, nec tam frequenter ac fit Parisiis in Quadragesima. Ad eos etiam spectat Jus audiendi Confessiones, & providendi ut audiantur, ac committendi. Ex quo sequitur, Papam, aut alterum Prælatum, non debere auferre istam potestatem aut Jus ipsis Curatis, absque eorum beneplacito & voluntate; nec quemquam Privilegiatum Confessiones audire debere in loco Parochialis Ecclesiæ, absque consensu & facultate Curati. Hinc, cœteris paribus, perfectiùs est confiteri suo Curato, quàm alteri Privilegiato, tum propter obedientiæ virtutem, tum propter majorem securitatem & alias complures rationes.

Nota quòd Decretalis *Omnis utriusque sexus*, in Concilio generali edita, vult unumquemque confiteri peccata sua semel in anno proprio suo Presbytero, aut de sua facultate: alioquin enim Parochianus absolvi non posset. Et fuit opinio antiquorum & Glossatorum & Doctorum, per proprium Presbyterum, Curatum intelligi.

Curati Jus habent Sacramenta administrandi. Sequitur Religiosum, quantumvis Privilegiatum, Matrimonium celebrare non posse, nec Sacramenta ministrare, nisi in casu necessitatis. Ad Curatos spectat, Jus dandi sepulturas. Ad eosdem spectat Decimas recipere, & res quæ ad eorum valeant sustentationem, & hoc Jure divino. Possunt & oblationes ordinatas licenter exigere; non tamen possunt denegare Spiritualia, si non præbeatur eis pecunia: & Curatus qui nollet, nisi datâ sibi pecuniâ, peccaret mortaliter. Vitiosi Pastores non sunt vitandi, nisi prævià Sententiâ Superioris in eos nominatim pronuntiatâ.

Hæc in gratiam Curatorum, aliorumque Prælatorum Hierarchicorum Gersonius, tum in Sermone. *Contra Bullam Mendicantium. Tom.* 11. *p.* 436: tum in Libro, *De Statibus Ecclesiasticis*, eodem Tomo, *pag.* 534: *tum Tom.* 111. *p.* 49. 50. *&* 90. 441. *&* 1333. 1334.

De Mendicantium Fratrum Privilegiis.

Nec tamen Mendicantibus Religiosis propterea iniquior fuit Gersonius, quamvis quorumdam fastum & conatus injustos repressèrit. Nam & ut Dominicani, in Universitatem Parisiensem, unde ejecti fuerant, admitterentur, primus consuluit in Epistola *Ad Studentes Collegii Navarræ. T.* 1. *pag.* 112. 113; & bonam & utilem esse asserit Ordinationem, dandi Privilegia Fratribus, prædicandi, & Confessiones audiendi, dummodò certis quibusdam bonis teneretur limitibus, rectâque Ordnatione, sine alterius præjudicio & sine abusu, quemadmodùm supponendum est Papam velle, secundùm Naturale Jus, Divinum & Scriptum. Monet eos à Curatis suscipiendos cum bona gratia, tanquàm Coadjutores missos, habentes à Superioribus licentiam prædicandi & Confessiones audiendi; si non appareat rationabilis causa aliquem talem repellendi. Nec diffitetur quin Status eorum, ad prædicandum & Confessiones audiendum institutus sit, post primariam Ecclesiarum institutionem; & rationabiliter ordinatus, ad sublevamen eorum qui Hierarchicos in Ecclesia status habent; eosque debere illo cum bona charitate uti. Ad hoc autem, ut prædicandi & Confessiones audiendi Jus habeant, debent Diœcesano Episcopo præsentari; & illud exercere cum licentia Parochorum, nec teneri eos, qui Privilegiatis ita approbatis confessi sunt, ad Confessionem iterandam Curatis, saltem ex parte efficaciæ Sacramenti.

At notandum esse ait modum præsentandi Fratres, & quales esse debeant, & in quo numero; & quomodò Prælatus refutare potest eum qui videbitur indignus: præsentandos esse idoneos & in vita probatos, discretos, temperatos, peritos, & sapientes; numerum debere esse congruum, secundùm Clerum & loci populum. *T.* 11. 440.

Ordinis Fratrum Mendicantium à SS. Dominico & Francisco factam Institutionem laudat, à quibus edocti sunt, nihil agendum invitis Dominis suis, hoc est, Episcopis & Curatis; ita enim eos appellabant. Nihil in eorum præjudicium attentandum dixerunt & jusserunt: alioquin non Coadjutores humiles Prælatorum & plebis, sed fures & latrones, qui non intrant per ostium, in ovile Dominicum induxisset; neque enim tantummodò furtum est in auro & argento; est & in usurpatione Dignitatis, Juris, Officii vel honoris alieni. Jubet Decretalis, personas eligendas esse inter eos, sufficientes, idoneas, vitâ probatas, & discretas, modestas atque peritas; quales utique nos non repellendos, sed evocandos, fovendos, remunerandos, infra sinum Prælationis judicamus. Neque enim propter malos abjicimus bonos; sicut nec Apostolos Christus, propter Judam ejecit. *T.* 11 445.

Verùm ad Mendicantes non spectat prædicare, aut Confessiones audire, nisi accidentaliter, & ob Privilegium, scilicet per Commissionem & Prælatorum consensum. Non habent in Hierarchia statum, nisi ut alii Religiosi, aut alii Ecclesiastici, vel Christiani. Non obligantur concionari & Confessiones audire, nisi velint; sed neque concionari, neque Confessiones audire possunt, nisi probati & examinati ab Episcopis, & de consensu Curatorum.

Matrimonium solemnizare non possunt, nec Sacramenta ministare, imò nec Baptismum conferre, nisi in casu necessitatis.

Ex Privilegio, conceduntur eis Sepulturæ, sed eâ conditione, ut non inducant Christianos promissis aut juramentis, ad eligendam Sepulturam apud se; & eâ lege, ut Ecclesia Parochialis suam habeat portionem, videlicet ad minùs quartam partem totius quod relictum est.

Confessus Fratribus, tempore Paschæ, posset teneri denuò confiteri, virtute Canonis *Omnis utriusque sexus*: aliàs, major erit fructus ei qui confitetur Fratribus, si denuò confiteatur Curato.

Quamvis mendicitas eorum laudabilis esse possit; non tamen propterea præferendi sunt Prælatis, qui reditus habent: nam, in multis casibus, habere divitias, & bene uti eis, majoris est perfectionis, quàm nihil habere & mendicare. Nec obligantur Prælati, aut Curati, aut eis subjecti, quærere victum Mendicantibus, si non posuerint eos ad opus.

Hæc & alia Gersonius, T. 11, in citato Sermone, *Contra Bullam Mendicantium*; & Theologi Parisienses in subjecta Censura, T. 11. *p.* 439 *& sequentibus*: vide etiam Tractatum *De Statibus Fidelium*, Tomo eodem. p. 536.

Hîc autem observa quod ait, de necessitate Confessionis Paschalis faciendæ Curato; nisi causam aut exceptionem justam pœnitens habeat: & in hoc casu petere posset facultatem, quam si dare noluerit, adire debet Superiorem, aut facere veluti si in casu illo non haberet Curatum. Addit Gersonius, *p.* 441, Curatum negare posse Sacramentum Altaris in Paschate, aut aliàs, alicui suo parochiano, qui peccatum aliquod commisisset publicum, quod ipsimet confessus non fuisset, aut per suam facultatem, nisi ostenderit testimonium sufficiens, se absolutum esse ab eo qui potestatem habet. Et licèt in casibus peccatorum occultorum atque secretorum, parochiano Sacramentum Altaris publicè & instanter in Ecclesia petenti denegare non possit: attamen secretè eum potest admonere; & denuntiare publicè, ne quis ad Mensam Domini accedat, nisi se illi præsentarit, aut commissis ab illo.

Parochialem item Ecclesiam esse advertit locum congruum & ordinarium ad Ecclesiastica Sacramenta recipienda. Unde infert, meliùs esse, cœteris paribus, diebus Dominicis & Festis præceptis audire Missam, vel Sermonem, aut recipere Dominum nostrum in Parochia propria, quàm ubicumque alibi, præsertim in locis Privilegiatis; quia est Mater quam porochianus filius meritò honorare debet. Ibi fiunt Præcepta; ibi Pater est suus spiritualis; ibi porta est quâ itur ad Deum. Ideò sunt Decreta, quæ volunt, in una Parochia non recipiendos esse alterius Parochiæ extraneos. Et hoc dici debet, sive proclamari publicè qualibet die Dominica, in Missa, aut ante. Meliùs & honestiùs est ibi Confessiones audire, quàm in locis non Sanctis, aut secretis; & Matrimonia religiosiùs est celebrare in Ecclesia, quàm in domibus; & similiter Missas celebrare, aut Dominum nostrum recipere.

Denique Gersonius hortatur Parochos & Mendicantes, ut studeant utrique, alteri alterius onera portare, sine contentione & æmulatione de rebus prædictis: nè se invicem, more cornicum mordeant & consumantur &c.

Hæc & alia vide tum in prædicto Sermone, & Censurâ *Adversùs Bullam Mendicantium*; tum in libro *De Statibus Ecclesiasticis*.

De Ecclesiasticorum omnium Vita & Moribus.

De Cœlibatu Sacerdotum; & quatenus ad illum observandum teneantur, lege Tractatum eade re conscriptum. *T.* II. *p.* 631. *& sequentibus*; & *T.* III. *p.* 438, ubi Sacerdotes iisdem, servatâ proportione, votis teneri ostendit, quibus astringuntur Monachi.

Quoad omnium Ecclesiasticorum Munia, Officia, virtutes & vitam, egregia passim occurunt in Operibus Gersonii Præcepta & monita, præsertim in hoc libro *De Statibus Ecclesiasticis*; in Sermone *De Vita Clericorum*, eodem Tomo p. 476; in alio Sermone *De Sollicitudine Ecclesiasticorum* eodem Tom p. 597; in Opusculo, *De Defectibus Ecclesiasticorum p.* 314. *&* 318; & alibi passim. Speciali notâ dignum est, quòd non vult eos studere Medicinæ, nec mundanis rebus occupari. *T.* III. *p.* 43.

§. II

§. II.

De Reditibus Ecclesiasticis, Beneficiorum pluralitate, & Simonia.

De Ecclesiasticorum Reditibus.

ECclesiasticis Jure Divino & Naturali debetur sustentatio. *T.* II. 264. Decimæ debentur Curatis Jure Divino. *T.* II. 438. III. 93, & secundùm locorum consuetudinem exigi possunt; nec debent applicari Ecclesiis Canonicorum aut Monachorum. Imò lites de Decimis, ad Ecclesiasticum Tribunal pertinere censet Gersonius. Notat prætereà obligationes, subventiones, reditus, & consuetudines capiendi in Baptismo, in Sepulturis, Extrema-Unctione, Matrimonio, Confessionibus, Communicatione, aut Relevatione post puerperium, rationem habere Decimarum, quia hæc dantur pro sustentatione ipsorum Ministrorum qui ordinati sunt. *T.* II. 439. Sequitur hinc, Prælatos, Curatos & alios Ecclesiasticos, qui reditus habent, proprios eos facere posse, & de Jure ipsorum eorum esse, & nonmodò simplicem eleemosinam. Ideò, si abutantur in aliquo casu, non tenentur in quolibet ad restitutionem, quamvis peccent; imò & sacrilegè, si bonis Ecclesiasticis luxuriosè abutantur. Non tamen placet Gersonio eorum opinio, qui existimant, Ecclesiasticum nihil habere debere præter simplicem victum & simplicem vestitum; & residuum omne esse pauperum, sub pœna committendi sacrilegium: vult iis licitum esse de propriis eorum bonis Testamento legare, & eleemosinam impendere, exceptis nihilominus Religiosis Prælatis. Distinguendum nihilominus inter bona commissa fidelitati Ecclesiasticorum, ad certos pios usus ordinata & limitata à Jure vel à Fundationibus; ut quòd unus Episcopus debet præesse Hospitali; quo casu non est dubium, quin omissio culpabilis istorum, obliget ad restitutionem. Si autem bona talia data sint generaliter & indistinctè alicui Ecclesiastico, tàm pro sustentatione sua, quàm pro exercitio pietatis; tunc potest hujusmodi Ecclesiasticus mediocriter uti bonis, secundùm decentiam sui status, etiam ubi nihil residui superesset. Qualiter verò æstimanda sit decentia status, non potest sub universali regula definiri, sed æstimabitur in certa latitudine, prout sapiens judicabit. Et quoniam nimis afficimur ad nometipsos, & ad extollentiam oculorum nostrorum, tutius est pauca sibi quærere, quæ videlicèt satis esse debeant.

Hæc de Bonorum Ecclesiasticorum usu Gersonius. *T.* II. *p.* 441. 442. 639. *T.* III. 89. *& alibi.*

De Pluralitate Beneficiorum.

Quorumdam in cöacervandis Beneficiis & reditibus Ecclesiasticis studium, non uno in loco impugnat Gersonius, præcipuè *T.* II. *p.* 138. *T.* III. *p.* 206. *& p.* 1437. Imò pluralitatem Beneficiorum omnium, sine causa rationabili, rejicit. *T.* I. *p.* 435. *T.* III. *p.* 190. *& alibi passim.* Attamen fatetur obtineri posse duo vel tria Beneficia, si sine scandalo sit, atque attentâ personæ obtinentis qualitate, & ipsius ad Ecclesiam utilitate. *T.* III. *p.* 55. *A.* Beneficium datur propter Officium, quod est exercitium aliquod impensum ad utilitatem alterius, vel aliorum, pro consecutione salutis æternæ, & damnationis evitatione. *T.* II. 645. Hinc nonnisi dignis dari debent, imò si notabile sit discrimen inter duos aut plures, digniori dari debent. Nihil vetat, secundùm Gregorium, quin possit haberi respectus ad obsequia licita; dum tamen intentio principalior & finis sit Deus, & utilitas vitæ æternæ. *T.* III. 90. *A. B.* Non possunt autem vendi *T.* II. 193.

De Simonia.

Hoc vitium à Simone, Simonia dicitur, quæ est studiosa voluntas emendi aliquod spirituale, vel annexum spirituali, quæ de genere suo est mortalis, plùs vel minùs, juxta naturam ejus quod dicitur spirituale. Temporalitates enim Ecclesiæ quamvis ei dicatæ sint, propriè tamen spirituales non existunt, nec Simoniæ nomen, nisi positivo Jure recipiunt. In actibus autem qui sunt simoniaci Jure positivo, cadit præscriptio, ut in receptione moderatâ pro sigillo, aut littera, aut sustentatione Ministrorum, aut in collatione Ordinum: in aliis non ita. Faciens aliquod opus spirituale, & inde mercedem expectans temporalem, aut è contra, quasi unum sit rationabile pretium alterius, simoniacus est, au Gesita, corde, vel ore, vel opere; non autem qui sustentationem suam moderatam expectat ex opere spirituali. Caveatur tamen turpis quæstus, & scandalosus, & intentionis oculus conservetur incorruptus. Simoniaco ex pacto vel opere, nullum Jus acquiritur in Beneficio, vel fructibus ejus, quin restituere teneatur: secus si steterit in sola voluntate; quia jam non diceretur studiosa. *T.* III. 89. *B.* In his quæ simoniaca sunt de Jure Divino, potest Papa committere Simoniam; nec potest sine Simonia exigi ab ipso Papa prompta pecunia, titulo primorum fructuum, pro Beneficio collato, aut conferendo. *T.* II. 645. *& sequentibus*: & in Tractatu *De Simonia*, ubi multi circa Simoniam casus elucidantur; & ad ejus extirpationem remedia producuntur. Vide etiam circa Simoniam, *T.* I. *p.* 162. *T.* II. *p.* 193. 910. *T.* III. *p.* 477 *&* 478: quô postremò in loco, de pecunia quæ propter orationes vel Missas datur, fusè differit; & quâ intentione id fieri debeat, ut illicitum non sit, fusè exponit.

§. 3.

De Potestate Ecclesiastica, Ecclesiæ in temporalia Jurisdictione, & Regum Autoritate ac Majestate.

De Potestate Ecclesiastica.

POtestas Ecclesiastica debet ab Ecclesiasticis quid & qualis sit & quanta agnosci, ut & honoretur cognita, & in suis terminis honorata servetur, nè plùs debito eam falsæ opiniones vel deprimant vel exaltent: quoniam primum, est sacrilegæ impietatis; alterum, de adulatione pestifera suspectum est.

Hæc ratio Gersonium movit, ut de Potestate Ecclesiastica, speciali Opere, sub certis Considerationibus dissereret. *T.* II. *p.* 225. *& sequentibus.*

Jam definitionem potestatis Ecclesiasticæ à Gersonio traditam, ejusque divisionem in potestatem Ordinis & potestatem Jurisdictionis retulimus. In explicatione definitionis observat, eos solos capaces credi potestatis Ecclesiasticæ, qui caracterem habent Baptismalem: at non pariter exigi gratiam gratum facientem, seu Charitatem. Potestatem autem Ecclesiasticam, tum Ordinis, tum Jurisdictionis sic subdividit.

Potestas Ordinis duplicem habet respectum: unus est super Corpus Christi verum, quoad confectionem ejus; aliud super Corpus Christi Mysticum, seu membra ejus. Et hoc dupliciter; vel quoad ministrationem Corporis Christi veri; vel exhibitionem alterius Sacramenti, sicut est Ordo, vel Confirmatio, vel Pœnitentialis Absolutio.

Potestas Jurisdictionis duplex est; una in Foro exteriori; alia in Foro conscientiæ. Rursùs potestas Jurisdictionis in Foro exteriori dupliciter consideratur; uno modo, prout immediatè à Christo tradita est, secundùm legem Evangelicam; alio modo, prout superaddita est ex humana Constitutione, vel dono, per Principes sæculares: aut aliter subdividitur. Potestas Jurisdictionis in Foro exteriori, consurgit ex duplici radice: uno modo, ex parte hominis se ultro subjicientis tali potestati, sicut confitens subjicit se spontè Presbytero, & ordinandus Episcopo: alius subjectionis modus consurgit ex autoritate Superioris, hunc vel illum tali vel tali subjicientis; quod fieri potest, non ad arbitrium illius cui subjicitur; & sic inter duplicem hanc subjectionem differentia patet.

De singulis hujus divisionis membris agit deinceps Gersonius.

De Potestate Ordinis in Episcopis & Sacerdotibus jam dictum.

De Potestate Jurisdictionis nonnulla omissa resumenda sunt. Potestatem Ecclesiasticam Jurisdictionis in Foro interiori sic definit: Potestas est Ecclesiastica coërcitiva, quæ valet exerceri in alterum etiam invitum, ad dirigendum subditos in finem Beatitudinis æternæ, velut in finem proximum & principaliter intentum. Jurisdictio, dicitur facultas, seu potestas propinqua dicendi vel sententiandi Jus in alterum; & hæc duplex est, temporalis & spiritualis. Temporalis exercetur secundùm Leges Civiles, ad finem quietæ conversationis humanæ pro hac vita: spiritualis autem exercetur secundùm Leges Canonicas, ad finem principalem æternæ Beatitudinis consequendæ. Pro inobedientium coërcitione, addita est pœnalis Excommunicatio: & sunt qui dicunt, pœnam hanc esse ultimam quam infligere possit Ecclesiastica potestas Jurisdictionis, ex institutione Christi sola primaria; & quòd non extenditur ad incarcerationem; nec ut aliquis adjudicetur morti vel flagello corporali: sed facit hoc Ecclesiasticus, dum facit, ex concessione Principum; quemadmodùm multam, ob eorum donationem, Jurisdictionis temporalis autoritatem Clerus accepit; quæ nihilominùs Jurisdictio vel Censura dicitur spiritualis, sicut & Ecclesiasticorum bona temporalia, propter dedicationem & applicationem ad eos qui ministrant Ecclesiæ; sicut Panes Propositionis, Primitiæ & Decimæ, vasa insuper Templi, vestes & similia dicebantur in Lege, sic & nova Lex retinet.

Ad defensionem bonorum Ecclesiæ coërcitivam, adhibita est Censura Ecclesiastica, per Excommunicationes & Interdicta, quæ priùs erat tantùm contra pertinaces, schismaticos & hæreticos. Utrùm autem hæc applicatio gladii spiritualis ad defensionem temporalium, confusionem magnam in Ecclesia, vilipensionem & contemptum Evangelicæ hujus Censuræ suæ, & laqueos animabus multorum, magis quàm salutem induxerit, vel inducat, experientiam testem appellat Gersonius, & videri posse aït; sicut temporalitas addita est Ecclesiæ pro dote sua, similiter addendam tantùm fuisse adversùs impeditores pœnam vel censuram temporalem, ut est mulctatio pecuniaria, vel corporalis detentio, vel arrestatio bonorum. Cœtera quæ de potestatis Ecclesiasticæ usu, subjecto, Legibus, & Jure habentur, vel ex dictis intelliguntur, vel exponentur aliàs: quæ si quis volet uno decursu legere, apprimè faciet.

De Jurisdictione Ecclesiæ in Temporalia.

Sed ex modò relatis satis intelligitur, Gersonium nullam in Ecclesia Jurisdictionem temporalem agnoscere, nisi ex concessione Principum. Nam tempore Christi, ut observat, & Apostolorum, Ecclesia nullum habuit exercitium, nullam executionem juridicam super temporalia *T.* II. 23. *B.* Nec probat Excommunicationis gladium adhiberi, ad defensionem temporalium, tum suprà, tum in libro, *De vita Spirituali T.* III. *p.* 53. Ibidem incertum esse ait, an Jus Divinum concesserit Prælatis Jurisdictionem temporalem immediatè, aut saltem ejus exercitium, quod Christus à se abdicavit; & si hoc constare posset, remanere tamen incertum, utrùm Jurisdictionem sæcularem ex consuetudine vel dono Principum concessam sibi, possit Ecclesia per Jurisdictionem suam purè spiritualem exercere, prosequi, & defendere. Rem etiam fusè tractat in fine Sermonis *De Justitia, coram Rege.* T. IV. p. 649: ubi

ubi observat 1. Ecclesiam sanctam in principio non fuisse magnis possessionibus & reditibus onustam; quoniam Legislator Jesus Christus eam fundare voluit per se & suos Discipulos & Apostolos, in omni humilitate & spiritualitate, per Evangelii sui prædicationem: unde habemus, ipsum fugisse, cùm turbæ eum vellent Regem constituere; & mandasse ut Apostoli sui & Discipuli contenti essent his quæ elargiebantur ab illis quibus prædicabant. Dicit quoque S. Lucas; hos qui crediderunt in principio omnia in commune habuisse. 2. Politia, inquit, spiritualis (quam nos Ecclesiasticam aut Evangelicam nominamus) tunc præcipuè Evangelio regebatur. 3. Deinceps concessa fuisse Ecclesiæ bona, & iis administrandis Evangelicam Legem non suffecisse, sed aliæ Leges sunt inventæ, quæ dictæ sunt Canonicæ, quæ ordinant hominem ad vitam spiritualem principaliter; sed hoc est medio humanæ Institutionis, & voluntariæ atque positivæ, & veluti per medium vitæ hujus temporalis, quæ spiritualis nominatur. 4. Spiritualis Jurisdictio juncta Ecclesiastico statui, principaliter utitur & proximè Legibus Divina, Naturali, Canonica. 5. Jurisdictio temporalis militiæ juncta regitur Naturali & Civili Lege. 6. Duæ hæ Jurisdictiones duobus illis junctæ statibus, sunt veluti duo ipsa brachia politiæ Christianæ, & pacem habere debent atque unionem ad Justitiæ divinæ Thronum sustinendum. 7. Licèt Ecclesiasticus nullam habeat Jurisdictionem temporalem, nisi dono terrenorum Principum; non tamen legitimè & justè potest Ecclesiæ auferri.

De Regum Suprema Autoritate, nulli Potestati Ecclesiasticæ obnoxia.

Ex his patet quàm longè abfuerit Gersonius ab eorum mente, qui Reges, Principes & Dominos temporales Regnis, Terris, fundis & bonis, vel à Summo Pontifice, vel ab Ecclesia, pro peccatis spoliari posse autumant. Nam inde negat, Ecclesiasticam potestatem, prout à Christo instituta est, ullam habere Jurisdictionem temporalem, ullum Dominium in terrena; negat item Romanum Pontificem Dominium habere in temporalibus seu potestatem. T. II. 23.

Aliundè verò affirmat, Dominium temporale sine Charitate exerceri posse & retineri, nec per peccata in Deum amitti, & tamdiù remanere, quousque per Leges Civiles, secundùm quas illa Dominia regulantur & robur assumunt, subsistunt. Vide quæ de Dominiis habet, in libro *De Vita spirituali. T.* III. p. 31. 32 33.

Tertiò Excommunicationem, Inteductum, aliasque ejusmodi Censuras, uti multoties observatum est, spirituales prorsùs esse, & nonnisi pro spiritualibus rebus ferendas, & per eas spiritualibus tantùm bonis Christianos privari arbitratur. Quæ tria, illorum sententiam penitùs diruunt, qui Reges directè vel indirectè à Summis Pontificibus, aut ab Ecclesia posse Regnis de Jure vel de facto spoliari, asserere ausi sunt.

Gersonii adversùs Regum & Tyrannorum Occisores Sententia.

Quidam Gersonium calumniati sunt, quasi Majestati & securitati Regum minùs consuluerit, in Sermone qui incipit: *Vivat Rex*, quem habes II Parte Tomi III, ubi, Veritate tertia, postquam observavit Tyrannos morte naturali raro mori, hæc addit: *Nec fermè adeò parvus est, quin si vitam suam periculo exponere vellet ut Tyranno vitam adimat, inveniat modum ipsum occidendi & pacem restituendi.* Unde inferunt eum existimasse, Tyrannum jure meritò occidi posse: idque ipsi ab Episcopo Atrebatensi objectum est in Concilio Constantiensi.

Verùm hanc à se calumniam ipse tam apertè tunc depulit, ut ei jam objici nequaquam possit. Nam in Responsione, sensum hujus propositionis omninò diversum ostendit, ab eo qui ipsi affingebatur: ejus verba hìc apposuisse sufficiet.

Hæc propositio vera est in forma, sicut & aliæ septem per Episcopum Atrebatensem malè tracta pro suo proposito: in quibus honorificâ contumeliâ actorem afficit, juxta verbum Hieronymi, de Rufino. Unde propositio hæc clarè loquitur de posse facti, non Juris, sicut Sanctus Thomas scribit similiter, libro I. De regimine Principum. Cap XI. *qui non favet huic errori.* Quilibet Tyrannus *&c.* Scilicet in loco allegato rationem reddit hujus dicti, cur, ut ait Poeta ad generum Cereris, pauci sine cæde & sanguine descendant Tyranni, & hanc affert; quòd cùm odio ab hominibus habeantur, plures in eorum caput conjurent. Sed hujusmodi conjurationes nedùm licitas, ut è contra, Juri Divino & Humano ita contrarias esse semper censuit, ut Joannis Parvi assertionem; quòd in aliquo casu, Tyrannus licitè posset occidi, hæreticam esse censuerit, & ejus proscriptionem in Concilio Constantiensi totis viribus prosecutus sit, ac propter ejus defensionem in exilium abierit, uti à nobis fusè narratum est. Cùmque ei ab eodem Atrebatensi Episcopo hæc propositio fuisset exprobrata, ex Tractatu *Venient autem dies*; & *Asserere mortem alicujus Principis esse factam pro bono Regis* & *Regni, sapit hæresim*: reponit; *Assertionem esse veram, & eum qui illam reprobat, indicare se nescire quid sit sapere hæresim.* Item hanc propositionem: *Ab hoc Præcepto* Non occides, *non excipitur Tyrannus, qui in Republica non jure principatur aut principari conatur*, veram esse declarat, & oppositam hæreticam, damnatam per Concilium Constantiense, *Quilibet Tyrannus* &c. Hæc habes T. V. p. 446. 447. 448. *A.*

Quin & Tomus ille integer, præstantissima & amplissima est Gersonii adversùs istam criminationem Apologia; cùm innumera contineat Gersonii Scripta, quibus id unum molitur, ut propositiones Joannis Parvi, quæ Tyrannorum cædi favebant, tanquam hæreticæ proscribantur.

Quantâ verò in Christianissimos Reges Franciæ charitate affectus fuerit; quantùm pro illis sollicitus; quàm fidus subditus; quàm sine adultatione utilis ac prudens Consiliarius; quantùm pacis amans, & belli civilis ac omnis rebellionis turbarumque inimicus; quanto in Patriam ac Regnum studio flagrans, abundè ejus & gesta & Scripta demonstrant. De gestis, Vitam consule. Inter Scripta, hæc potissimùm lege: Tom. III. p. 226; Tractatum *De Considerationibus quas habere debet Princeps*; Instructiones *Ad Joannem Majorem p.* 235; Sermonem *De Spiritu Sancto p.* 1350; Sermones *De S. Ludovico* 1440; & Tomo IV. *Orationes ad Regem habitas. p.* 566.

566. 583. 622. 625. 642. Præclara etiam habet de tribus Regni Statibus, eorumque Officiis, Tom. III. *p* 1050. *&* 1051, & Tomo IV. *p.* 663, *& sequentibus.*

§. 4.

De Monachorum Instituto.

De Monachorum Statu.

MOnachorum Status, non est Status perfectionis acquisitæ, sed acquirendæ; quippe perfectio vitæ Christianæ essentialis & intrinseca, sita est in Charitate & observatione Mandatorum, quæ perfectum faciunt, in quantum ad Charitatem ordinantur: Consilia verò Evangelica, ad perfectionem vitæ Christianæ conducere quidem possunt; non tamen essentialiter hominem perficiunt in vita Christiana: plures absque illorum observatione perfecti fuerunt, & solùm instrumentaliter ad perfectionem faciunt & concurrunt. Hinc jejunium, abstinentia, paupertas, vigiliæ, inedia, nuditas, privatio omnium facultatum; non sunt dicendæ propriè virtutes, sed voluntariæ quædam pœnalitates, quæ ad perfectionem conducunt, aut saltem impedientia removent: non tamen necessariò requiruntur ad eam. Unde infertur, obligationem Præceptorum majorem esse & efficaciorem quàm Votorum.

Hinc tempore Concilii Constantiensis, meritò damnatus est quidam Frater, asserens, Nullum esse in statu perfectionis, nisi tria vota emitteret. Non ita desipiendum est, ut observationi Consiliorum detrahatur; quamvis enim non obligent, cœteris paribus, discreta eorum observatio est perfectior, quàm tantummodò Præceptorum. Sed numquid perfectius est ista tria habere, obedientiam, castitatem, paupertatem sub voto, sicut habent Religiones (quas Anselmus nominat factitias, quia factæ videntur post constitutionem legis Evangelicæ)? Habet hoc omnis Doctorum sententia, quòd opus bonum factum cum voto, circumstantiam accipit, quæ de se meliorat ipsum; & quòd Religio factitia consistit essentialiter in hoc triplici voto; quamvis in Regulis & Institutionibus aliis varia sit & lata differentia. Sed semper status ille Religionis, perfectionis est adipiscendæ status, profitens eam acquirere per tria vota, cum annexis Regulis & Institutis.

Prælati autem sunt in statu perfectionis & habitæ & exercendæ in alios; qualis est status Episcoporum & Curatorum. Hinc non possunt Curati & Episcopi, sine causâ & dispensatione è Curatis aut Episcopis, fieri Monachi.

Movet autem ex diverso nonnullos, illa quæ fit de Monachis in Episcopos translatio, propter observationem votorum paupertatis & obedientiæ. Sed respondetur quoad divitias, eas non haberi ab Episcopo in proprietatem possessionis, sed in officium dispensationis: & ita Monachi, Prælati facti, divitias quibus renuntiaverunt non accipiunt pro solatio proprio magis quàm antea; sed ad dispensationis obsequiosum in pauperes officium.

Quoad obedientiam, ab eâ ipsos non absolvi; sed mutare illam sub Summo Pontifice; quantùm & qualiter priorem vitam viderint Regularem non posse cum Prælationis executione servari.

De Mendicantibus difficultas major videtur, qui jam utiquè nequeant dici verè Mendicantes, cùm suppetat eis Jus plenum, Divinum, Naturale & Positivum, recipiendi temporalia à subditis, ita ut ipsi jam non solo titulo naturalis accipiant necessitatis necessaria; qui titulus, solus propriè reddit Mendicantem esse, simul & dici.

Dicerent aliqui, Mendicantes idcircò remanere, quia titulo posesserio renuntiant, & solo quo contenti sunt titulo paupertatis aut naturalis necessitatis, petunt gratis, nec urgent si negentur; nec titulo Juris Divini vel Naturalis impellunt, & hoc pro causâ suâ; sed de pauperibus curant, certant & disceptant. Fateor, inquit, ita vel dici, vel fingi posse; sed veritas nec illuditur nec cassatur.

Hæc fusiùs Gersonius, de Statu Religiosorum, in Tractatu *De Consiliis Evangelicis.* *T.* II. *p.* 469: in libro *De Religionis Moderamine* p. 682: in Dialogo *De Perfectione cordis.* *T.* III. *p.* 436. Legantur etiam Propositiones & Censura Assertionum *Matthæi Grabon* ad finem Tomi I. *p.* 667. Religiones illæ factitiæ, impropriè dicuntur Religiones, & non necessariæ sunt. *T.* I. 468, licèt utiles. *T.* III. 68. In Ecclesia Primitivâ, imò jam multos annos ad ultra, non requirebatur ut confirmarentur & approbarentur à Sede Apostolica. Sed tandem videns Ecclesia confusionem in Religionum multiplicatione, reprobavit omnes Religiones Mendicantium, exceptis quatuor; vetuit que nè ampliùs aliqua Religio institueretur, nisi approbante Sede Apostolica.

De Monachorum Exercitiis.

De Studio Monachorum quæ sit Gersonii sententia, intelligitur ex procemio libri *De Studio Monachorum.* *T.* II. *p.* 693. Qui libri legendi sint à Monacho, & quæ in scribendis libris iis utilitas accedat, latè docet in duabus lucubrationibus hujus argumenti *T.* II. 704. 705. &c.

De nimiis austeritatibus in Religione vitandis, & relaxando pro caritate, rigore, vide citatum Tractatum *De Religionis perfectione* *T.* II. *p.* 687. *& sequentibus*; & in Epistola *Contra Professum inobedientem* eodem Tomo *p.* 770. *p.* 694. 704.

Ingressus in Religionem potest aliquando dissuaderi *T.* III. 84.

Gravatus debitis ab ea debet arceri donec satisfecerit. *T.* II. *p.* 730.

Nec emittenda Professio, nisi ut major acquiratur perfectio. Expediens est, ut qui incipere vult, bonum sequatur exemplum, bona consilia, & aliorum Regulas. Attamen si persona Religionem ingredi volens, ætatem habeat & discretionem, & est ei bona voluntas talem assumendi statum, malè esse ipsum retrahere, aut dehortari ingressum; nisi, aliâ ex parte, impedimentum esset legitimum, propter quod nec posset ingredi nec deberet. Potest equidem

ei

ei qui Religionem vult ingredi, ostendi magnitudo, & talis status difficultas, etiam fragilitas humana, & periculum non servandi Religionis vota; sed ut instruatur, non ut avertatur. In Sermone *De S. Antonio T.* III. *p.* 1387.

Novitius in constantia propositi confirmandus, ut & confirmat eum Gersonius *in Epistola T.* II. *p.* 741. Religiosus non toties mortaliter peccat, quoties aliquid agit suæ Regulæ contrarium: alioquin Religio periculosa nimis fieret humanæ fragilitati. *T.* III. 1388. Imò Leges & Constitutiones Religiosæ non obligant sub pœna peccati mortalis; quia non est existimandum, earum Autores voluisse eas habere robur par ad Legem Dei, sed accipi, vel ut monitiones, vel ut consilia, vel ut mandata temporaliter solùm pœnalia, quorum trangressio aut nullius, vel brevis tantùm disciplinæ obnoxia esset. Id vehementiùs prosequitur Gersonius, in libro *De Vita spirituali. T.* III. *p.* 67. *&* 68, quem lege.

Sed ne quis existimet velle eum culpare disciplinam, laudando libertatem, addit, hanc Regularem Institutionem multùm proficere per omnem modum.

Primò: quia ad pœnam ab Ordine aut Superiore taxatam cogi potest Religiosus, etiam invitus; non ita sæculares. Secundò: quia si Religiosus contempserit Regulam suam, & sui Superioris autoritatem, etiam in his quæ appellamus monitoria, & pro quibus sola disciplina Ordinis statuta est, aut Superiorum arbitrio derelicta, ille peccat graviter, quia & monitum contemnit, ait Bernardus, & remedium. Rursùs tertiò: Religiosus, quia non sibi soli vivit, sed cœteris, tam Benefactoribus vivis & mortuis, quàm consortibus & coadjutoribus suis, reliquum est ut ipse reguläriùs vivat, sub voto quodam, eum obligante cum cœteris; alioquin scandalizaret suos. Hæc ibi.

In præfato Sermone *De Sancto Antonio*, agnoscit majus esse meritum benè agere cum voto, quàm absque voto; quia bonum opus per votum factum, procedit ex firma voluntate. Quærit ibidem, an majus sit peccatum in Religioso, quàm in sæculari: & respondet; quantùm est de se, conditionem personæ non trahere peccatum extra speciem suam, si non sit alia causa; hoc est, in Religioso verba otiosa, dissolutionem, mendacia jocosa absque fraude, quantùm est de se, non esse peccata mortalia, ubi etiam essent venialia uni sæculari, nisi fortassis hoc esset accidentaliter, scilicet propter scandalum, quod majus esset, videre hæc in Religioso, quàm in sæculari. *T.* II. *p.* 1387. Similiter, etsi plùs mereatur quis per opus aliquod factum ex voto, quàm per illud sine voto; votum tamen non mutat genus aut substantiam operis; plùs meretur, quoniam per votum dat plùs Deo, scilicet opus ipsum & potentiam. At non propterea mutatur genus & substantia operis; quoniam votum non addit, nisi rationem voluntariæ obligationis: istud autem non mutat genus aut substantiam operis. Ex quo patet, quòd multa opera sine voto perfectiora sunt & meliora, quàm aliqua alia ex voto.

Papam in omni voto dispensare posse censet etiam Gersonius, quoniam in omni emissione voti, subintelligi debet voluntas Principis, aut Summi Pontificis. Adde quòd solemnizatio voti est de institutione Ecclesiæ, & ita de Jure humano, in quo dispensare potest Papa. *De Consiliis Evangelicis. T.* II. *p.* 678.

Esum carnium in multis Religionibus Sancti Benedicti licitum & convenientem esse suadet: *T.* II. p. 739 & 740: quod ait, non in approbationem gulosæ voracitatis, non in condemnationem abstinentis devotionis; sed pro testimonio veritatis. E contrà probat Institutum Carthusiensium de non edendis unquam carnibus, in libro ea de re conscripto quem habes *T.* II. *p.* 715. Ita tamen ut alio in loco (*De Vita spirituali. T.* III. p. *69. C.*) fateatur, fortè Carthusiensem absque peccato mortali in casibus multis, posse uti carnibus, si se solo sciente facere hoc valeret, & si paratum esset cor ejus disciplinæ Ordinis subjacere: quamvis hunc rationabiliter debeat compescere, & scandali formido, & aliorum prospectus.

Circa orginem Ordinis Carthusiensium, vulgatam de mortuo suscitato, ut se Judicatum, Damnatumque declararet, narrat historiam. *T.* III. *p.* 466. *C. D.*

Carthusienses inprimis sanè coluit, laudavit, & eorum Ordinem, ac vitam speciali Opusculo vindicavit. *T.* II. *p.* 711.

Reclusum in Monte-Valeriani speciali Epistola hortatus est, eique Regulam conscripsit. *T.* II. *p.* 773.

Uno verbo, Cœlestinos, aliosque Monachos, variis Operibus, ad pietatem & spiritualitatem, ab iis consultus, instruxit; & vitam ipse Monasticæ simillimam egit.

Cœterùm, Monachorum statum, qui de proprio in communi vivunt, præsupposito peccato, & modo rerum se habendi in Politia Ecclesiastica, salubriorem, ac securiorem esse censuit, quàm statum abdicationis cujuslibet proprietatis, tam in proprio, quàm in communi: quamquam hunc perfectiorem esse, & statui innocentiæ ac patriæ similiorem fateatur. In libro *De Vita spirituali.* T. III. *p.* 36. *&* 37.

Non magnam ait se habere fiduciam in quibusdam sui temporis Eremitis, qui dicebant magnum afferre profectum sibi ipsis: idemque judicium fert de fœminis in Reclusoriis positis. *T.* III. 558. *A.*

Laborem manuum Religiosis non modò utilem, sed & planè necessarium esse tradit. *T.* III. *p.* 614. 615.

CAPUT III.

De Morum Disciplina.

§. I.

De Lege & Conscientia:

In quo Legum Definitiones traduntur;
De Legis Divinæ, Humanarumque Obligatione differitur;
Quid sit Legum Abrogatio, επιεικεία, *Interpretatio & Dispensatio inquiritur;*
De Voti & Juramenti Obligatione agitur;
Necnon de Ignorantia, Directione intentionis, Probabilitate, Scrupulis & Tentationibus disputatur.

Regula de Morum Disciplina tradenda.

IN tradenda morum Disciplina, circa quam innumera Scripta edidit, hanc quam ipse tradit regulam sequutus est Gersonius, ut nec austerior esset nec remissior, sed viâ Regiâ ambularet, ut nec strictius fieret Dei Mandatum, nec latius quàm ipse mandavit; quamvis inde sumere possint aliqui, aut malitiæ velamen & libertatem; aut è contra, in desperationem corruere. Non tamen propterea censet omnibus, pro omni tempore & loco, prædicandam quamlibet veritatem. *In Regulis Moralibus.* T. III. p. 79. At quædam sunt veritates, quæ taceri non possint à Prælatis & Doctoribus, & sine periculo ignorari à Fidelibus. Sunt quidam in morum doctrina errores, non tantùm periculosi, sed qui inter hæreses numerari possunt; quia Fidei principiis & dictaminibus practicis sunt contrarii: ut quòd *Est Deus diligendus super omnia, & proximus sicut nos, in quibus duobus tota Lex pendet & Propheta.* Quæ utique Lex est Fides nostra, vel de Fide. *T.* II. p. 339. Hinc Præcepta Decalogi, aliaque ad mores pertinentia, quæ in Sacris Litteris extant, ad Fidem haud dubiè pertinent; & contrarium dicere, hæreticum, impium & blasphemum est. *ibid. & T.* I. *p.* 25.

De Legibus.

Morum norma duplex, Lex & Conscientia. Lex Juris emanatio est. Jus, à Gersonio, in libro *De Vita spirituali T.* III. p. 26, definitur, *Facultas seu potestas propinqua, conveniens alicui, secundùm dictamen rectæ rationis*: quæ recta ratio & dictamen suum, est originaliter & essentialiter in Deo; consequenter & participativè solùm in rationalibus creaturis. Dividitur Jus, secundùm eumdem, in Divinum, Naturale & Politicum, seu Positivum aut Humanum. Jus Humanum, est Canonicum vel Civile. *T.* III. p. 167. *T.* IV. p. 704. Lex definitur: *Signum aliquod, aut significantia, quâ homo id cognoscit ad quod est obligatus, per Divinum, aut Naturale Judicium Superioris.* Tria sunt signa hujusmodi, mentale, vocale, & scriptum. Lex divina ordinat hominem principaliter & proximè ad spiritualem finem & perpetuum, & in Evangelio continetur; vel in eo quod necessariò sequitur ad Evangelii veritatem; aut in illo quod Deus specialiter voluit revelare ad dictum finem propinquum; vel in illo quod tenet Ecclesia & determinat per Apostolorum Traditiones in diversis huc usque successionibus. Nota hîc quatuor gradus Legis Divinæ vel Evangelicæ.

Lex Naturalis ordinat hominem ad finem naturalem proximè & principaliter, & sunt hæ duæ Leges immutabiles, in quas nulla cadit dispensatio, nisi à Ligislatore, à Deo videlicet solo.

Lex Canonica hominem ordinat ad vitam spiritualem principaliter. sed hoc est medio humanæ institutionis voluntariæ atque positivæ, & veluti per medium vitæ hujus temporalis, quæ spiritualis nominatur.

Lex Civilis proximè ordinat ad vitam suam: quia Deo est dedicatus, mediantibus institutionibus humanis positivis & voluntariis: quamvis demùm hæc vita ordinare debeat ad spiritualem vitam & perpetuam, sed non est immediatè in quantum est talis vita. In Sermone *De Justitia, T.* III. *p.* 650.

In statu naturæ Innocentis, Deus indiderat homini pro Lege, rationem integram & puram, tanquam regitivum sui ipsius, & quoad Deum & quoad proximum: nec opus fuisset Canonistis & Legistis in illo statu; sicut nec opus erit in statu naturæ glorificatæ. Sed obscurato per hominis lapsum libro cordis ejus interiori, & velut oblitterato ac malè contracto per diversos affectus, vix ab homine discerni poterat, quid rectum ab obliquo, quid bonum à malo, quid justum ab injusto: dari ergo debuit liber extrinsecus, continens Leges & Præcepta, per Traditionem Dei & hominum sapientiorum. Ultra Legem Naturæ, Deus dedit Legem Antiquam, deinde Legem Evangelicam. *T.* IV. 689. 690.

De Lege Divina.

Lex Divina præceptoria, est *Signum verum revelatum creaturæ rationali, quod est notificativum rectæ rationis divinæ, volentis teneri illam creaturam, seu ligari ad aliquid agendum vel non agendum, pro dignificatione ejus ad æternam vitam consequendam, & damnationem evitandam.*

Hanc definitionem tradit & explicat Gersonius, in libro *De Vita spirituali. T.* III. *p.* 17. 18. 19; & in ejus expositione observat primò, creaturam rationalem propriè non obligari, nisi per notificationem rationis divinæ ita dictantis & volentis.

2. Nullam creaturam rationalem propriè peccatricem dici posse, absque commissione vel omissione libera rei illicitæ.

3. Ignorantiam invincibilem Legis Positivæ excusare à peccato.

4. Solam creaturam rationalem Lege teneri: hinc infantes & fatuos non obligari Lege Divina.

5. Legem Naturalem, seu rectam rationem, nunquam repugnare Legi Divinæ.

6. Reji-

6. Rejicit opinionem Durandi, dicentis, quòd si nulla facta fuisset homini revelatio de sua beatificatione supernaturali aut damnatione, non incurrisset peccatum, faciens seipsum reum damnationis æternæ: & ita nullum fuisset peccatum mortale: (quod peccati Philosophici fundamentum est.)

7. Legem Divinam apud viatores ad vitam æternam consequendam dari: sed hoc sensu, non sunt Leges præceptivæ apud Beatos & damnatos, ad quas scilicet voluntas divina velit teneri Salvatos & damnatos, sub novis præmiis aut pœnis: quia in Salvatis non est necesse, & in damnatis inutile.

Ex his placitis sequentia elicit Corollaria.

1. Non ideo dicitur aliqua Lex appropriatè vel purè de Jure Divino, quia ad illam obligat Deus: sicut enim, quamvis omnis bonitas & veritas sit à Deo; non tamen omnis veritas pertinet ad Fidem; nec omnis bonitas ad adorationem: sic non omnis obligatio à Deo, pertinet ad Legem Divinam.

2. Non ideò præcisè dicitur aliqua Lex Divina, quia illam creatura per revelationem accepit: potest enim fieri, sicut in Antiqua Lege in pluribus factum tenet, quòd Deus revelet & tradat immediatè aliquas Leges pro solo regimine Politico & Civili; quemadmodùm de ordinatione Regis Israël; de taxatione pœnarum civilium & hujusmodi rerum, & tales appellantur Leges Judiciales: quia tamen Leges tales non immediatè & directa intentione ordinant in finem ultimum & supernaturalem, deficit una conditio descriptionis antedictæ.

3. Non omnes Canones Summorum Pontificum vel Decreta sunt de Lege Divina: sunt enim plures hujusmodi Canones ad politicam solùm conversationem accommodati.

4. Lex aliqua non ideo dicitur Divina propriè, quia ex principiis Juris Divini deducitur. Primò, quia sicut omne verum omni vero consonat; sic omnis Lex quantumcumque positiva & humana, consonat divinæ Legi; imò ex ea deducitur: & nulla Lex est, quæ non innitatur principiis istis: Deo jubenti obediendum est; Autorizatis à Deo parendum est; Superioribus suis, in eo quod Superiores sunt non est inobediendum: & ita nulla esset Lex purè humana contra id quod veritas habet & usus communis.

5. Eadem Lex potest esse de Jure Divino & Naturali, & Humano seu Positivo; sed aliâ & aliâ ratione, respectu diversorum. Patet in ista Lege: *Non furtum facies*; quæ à Deo revelata est, ad consequendum finem ultimum, & insita cuilibet homini, ad consequendum finem naturalem; ab hominibus lata, ad conservationem societatis civilis.

6. Non absurdè concedi potest, omnia principia Juris Naturalis esse de Lege Divina propriè dicta, licèt diversâ ratione. Hoc perspicuum erit, si attendimus, quemadmodùm omnia principia Juris Naturalis, Deo revelante ac jubente, continet Lex, tam Antiqua, quàm Nova, ad finem beatitudinis æternæ. Et aliunde forsan illud suadere possumus, ex hoc quòd talium principiorum indita est notificatio creaturæ rationali, per immediatam divinæ lucis irradiationem.

7. Aliqua est Lex purè Divina; alia pertinens ad Divinam; alia impertinens.

In Lege purè Divina potest quadruplex signari gradus. In primo reperiuntur Leges immediatè revelatæ à Deo, pro totâ Communitate hominum, aut principaliori parte, & præsertim in Evangeliis à Chisto latis, ad consequendum beatitudinem. In secundo gradu reperiuntur Leges Divinæ, quæ ex præcedentibus solis, in consequentia evidenti, aut saltem revelata & propriè credenda deducuntur. In tertio gradu reponentur Leges Divinæ immediatè à Christo traditæ, aut ab eis dicto modo deductæ, quæ per successivam relationem Apostolorum, & aliorum ad nos æquivalentem, Scripturæ Canonicæ notificatæ sunt. In quarto gradu sunt Leges specialiter inspiratæ & revelatæ quibusdam singularibus personis, pro se aut pro paucis ad hoc electis. Lex ad Divinam pertinens ea est, quæ etsi deduci non possit à veritatibus solis Legis purè Divinæ; deducitur tamen ex iis, coassumptis aliquibus veris probabilibus, quæ piè & rationabiliter negari non possunt. Impertinens Lex erit ad Legem purè Divinam, quæ non plus ex eadem deduci potest, quàm opposita. Hæc de Lege Divina fusiùs exposita invenies in libro *De Vita spirituali.* Lectione 11. *à p.* 18. *ad p.* 25.

De Lege Naturali.

Lex Naturalis, *ibidem* p. 21, definitur *Signum inditum cuilibet homini non impedito in usu debito rationis, notificativum voluntatis divinæ, volentis creaturam rationalem humanam teneri, seu obligari ad aliquid agendum vel non agendum, pro consecutione finis sui naturalis, qui finis est felicitas humana, & in multis debita conversatio domestica, & etiam politica; homo enim naturâ animal civile est.* Hæc innititur dictamini rationis, quod est insitum cuilibet homini non impedito in usu rationis, quod impedimentum fit, aut in sensualitate nimia, aut per læsionem virium naturalium sensitivarum, aut per depravationem radicatorum in anima vitiorum, & consuetudinem perversam.

De Lege Humana, Canonica & Civili.

Lex Humana, sive Positiva præceptiva purè & appropriatè describitur: *Signum verum humana Traditione & autoritate immediatè constitutum, aut quod non infertur necessaria deductione ex Lege Divina, & Naturali, ligans ad aliquid agendum vel non agendum, pro consecutione finis alicujus humani.* Duplex autem est finis humanus Legibus intentus; finis quietæ conversationis humanæ, pro hac vita; & finis ejusdem conversationis, in ordine ad alteram. Primus est societatis politicæ, quæ Legibus Civilibus regitur; alter est societatis Ecclesiasticæ, quæ Canonicis.

Lex Canonica describitur: *Signum habitum per humanam Traditionem, notificativum recta rationis Divinæ, volentis creaturam rationalem humanam teneri seu ligari ad aliquid agendum vel non agendum, principaliter pro consecutione felicitatis æternæ.* Per hanc ultimam clausulam, convenit Lex Canonica cum Divina, & differt à Naturali, & per primam ab utraque, sub certa ratione, quæ est, ut habeatur ejus cognitio & robur per humanam traditionem, magis quàm per puram revelationem, vel naturalem evidentiam.

Lex Civilis describitur: *Signum habitum per humanam Traditionem positivam, volentem quòd homo teneatur seu ligetur aliquid agere vel non agere, pro consecutione finis sui naturalis, quæ est humana felicitas, vel monastica, vel œconomica, vel politica.* Hæc ex Tractatu *De Vita spirituali*, & in Tractatu *De Potestate Ecclesiasticâ*.

In omni Lege Positiva quantumcumque bene instituta, aliquid est de Jure Naturali & Divino; ut quòd expedit homines Legibus regulari, quòd *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*: in *Regulis Moralibus*. *T.* III. p. 81. Aliundè verò paucissimæ inveniuntur Leges, quæ non se mutuò participent, sed eas ratio distinguit & secernit. *T.* II. p. 252 *C.*

De Legis obligatione. An sola Lex Divina obliget sub pœnâ peccati.

Lex omnis hoc habet de se, ut obliget: Lex enim à ligando dicitur: sed non omnis Lex pari ratione obligat, nec sub eadem pœna. Censet, latéque in libro *De Vita spirituali* probat Gersonius, Deum solum posse dare Præcepta affirmativa aut negativa, sub pœna mortis æternæ; quia solus eam infligere potest: & nullum perdere gratiam, nullum incurrere reatum damnationis æternæ, nisi pro quanto Divinæ Legis præceptivæ transgressor extiterit. Hoc probat ex àutoritate S. Augustini, describentis peccatum, *Dictum, factum, vel concupitum, contra Legem Dei æternam.*

Hinc infert 1. Nullam transgressionem Legis Naturalis aut Humanæ, ut Naturalis est vel Humana, esse de facto peccatum mortale. Notat autem à se peccatum mortale appellari hîc, quod pœnæ æternæ reatum operatur, secundùm cursum à Deo jam institutum, non qui posset institui. Addere se prætereà monet, *ut est Naturalis vel Humana*; quia tandem Lex talis sæpe communicat cum Divinâ.

2. Præceptum non posse imponi per Prælatos aut Principes, de actibus intrinsecis & occultis; quia videlicet transgressores traducere non possunt ad Forum Judicii sui, quod nonnisi publicum est & de manifestis. Secus agere velle, inquit, esset hominum proprium officium transgredientium, vel frustra conantium, imò & Divinum Judicium temeritate culpabili damnabiliter usurpantium. Inde sequitur, actum Confessionis Sacramentalis non posse cadere sub Præcepto Ecclesiæ, directè, sed indirectè, dum jubet aliquid, ad quod dignè exequendum, requiritur Confessio, de Lege Divina, cujusmodi est susceptio Corporis Christi semel in anno. Idem dicendum de quolibet actu interiori, aut de exteriori, qui ita occultus & secretus est, ut publicari non possit per testimonia duorum aut trium.

3. Nullum Legislatorem Ecclesiasticum vel Civilem, habere directè autoritatem præceptivam super istud, ut interiori actu diligatur Deus super omnia, aut quòd in eum speretur, aut credatur; & quantumcumque intendant per suas Leges suos subditos fieri meliores interiùs, & sanctiores, quoad Divinum Forum occultum; tales tamen intentiones eorum non cadunt sub eorum Præcepto. Et si fiant actus exteriores suorum Mandatorum, etiam cum perversissimis intentiouibus & finibus occultis, non erit ibi transgressio Humanæ Legis, ut humana est, sed Divinæ. Hoc exemplis illustrat. Inde sequitur.

4. Aliquem Præceptum observare aliquando Humanum, peccando mortaliter; sicut aliquis merendo apud Deum, poterit ut Humani Præcepti violator àccusari.

5. Omissionem Horarum Canonicarum, transgressionem jejuniorum Ecclesiasticorum, & generaliter omnium Statutorum & Regularum & Canonum, nunquam esse peccatum mortale, nisi pro quanto Divinæ Legi præceptivæ difformans invenitur. Et ita in Lege aliqua, quantùm habet admixtum de Lege Divinà præceptiva, tantumdem, & non ampliùs ejus transgressionem mortaliter esse vitiosam.

6. Ex hoc quòd aliquis peccaret mortaliter, transgrediendo Constitutiones aliquas humanarum Traditionum, non sufficienter concluditur, quòd illæ Constitutiones obligent ad mortale delictum. Exemplo id declarare facile est: Sit Medicus, qui alicui Leges ferat, quas nisi ægrotus observet, vel morietur, vel in furiam incidet, idque denunciet ægroto; tenebitur ægrotus, sub pœna peccati mortalis Legem Medici observare; non quòd facultatem habeat Medicus condendi Legem sub pœna peccati mortalis; sed quia is cui Legem hanc fixit, prævaricator est Divinorum Præceptorum, quibus vetitum est seipsum occidere, aut in furiam agere. Ita in proposito: quamvis Leges Humanæ & Civiles, ut tales sunt, sint solùm pro ordinatione Politiæ Humanæ, Ecclesiasticæ, vel Civilis, in ea quæ corpus respiciunt; & ita solùm mereantur punitionem temporalem violatores earumdem, & observatores præmio temporali donentur: nihilominus, ex consequenti, & mutuâ colligatione, ac mixtione, quam ad Leges Divinas habent, resultat crimen faciens reos æternæ damnationis ipsos contemptores.

7. Si Lex Humana, vel Canonica vel Civilis, non possit concludi ex Lege Divina, nisi assumendo propositionem vel consequentiam Legi Divinæ impertinentem, consequenter impertinens est, nec sub peccati mortalis pœna obligat.

Verùm hîc notandum est, pro resolutione materiæ (secundùm quam resolutionem omnia dicta & dicenda Gersonius vult intelligi) quòd Præcepta affirmativa Dei obligant ad semper, non tamen pro semper; sed pro isto, vel illo tempore, prout casus incidit, & sapiens judicabit. Et quoniam in Communitate Christianorum, pauci sunt, qui scirent judicare de tempore certo, quando Præcepta affirmativa facienda sunt; propterea Prælati, qui sapientes sunt, limitant illa Præcepta, tanquam sub quadam disjunctione, obligantia ad certa opera & tempora determinata. Exempli gratiâ; Lex Divina vult ut aliquando cultus latriæ exterior Deo persolvatur: ne igitur peccarent homines, aut per desidiam & inadvertentiam, limitavit Ecclesia certum tempus & certum modum exequendi Præceptum, scilicet Diem Dominicum, & cessationem ab operibus servilibus, & Missæ auditionem, quô adimpleto, impletum est illud Præceptum affirmativum: quòd si peccat quis mortaliter, transgrediendo limitationem istam Ecclesiæ; hoc non est propriè ex hoc, quòd Ecclesia sic præcepit; sed quia sic limitare expediebat pro Communitate, & jam homo fit contemptor Divini Præcepti: quamvis adhuc in talibus limitationibus quædam adducantur, magis ad quamdam dicentiam, quàm ad Præcepti necessitatem.

8. Nul-

8. Nullam Legem appellandam esse, neque ferendam, tanquam necessariam ad salutem æternam, quæ non est de Jure Divino in aliquo quatuor graduum superiùs assignatorum. Oppositum sentientes aut facientes, Gersonius ait, moliri jugum imponere gravissimum super cervices hominum, & spargere laqueos pedibus eorum; & ideo Prælatos Ecclesiasticos imprimis, dare operam debere, ne vel obsint Præceptis Dei, propter multitudinem onerosam Constitutionum, & ne credantur ligare ad pœnam æternam, ubi pœna Civilis sola reperitur.

9. Veritates omnes universales, in quibus fundatur Legislatorum hominum potestas, sonantes quòd parem habent autoritatem Traditiones suæ cum Lege Divina, & quòd qui eos spernit, Deum spernit & Deo resistit, necessariò intelligere debere; si, & quando potestate sua non abutuntur, & dum Legibus Divinis sufficienter innituntur: autoritates quoque Sanctorum, & Canones Summorum Pontificum, quotquot allegentur, & absque numero possunt induci, nihil aliud posse confirmare vel concludere.

Hinc statuit hanc regulam, quòd sicut ad Fidem non potest Prælatus quidquam adjicere, quod non esset priùs de Fide; ita nec ad Legem præceptivam, quod non sit de Lege Divina, quamvis non esset hoc autoritativè declaratum, aut Humano Præcepto sancitum.

Mittimus alia Corollaria hujus Lectionis quartæ libri *De Vita Spirituali*, quia vel aliàs relata sunt, vel infra referenda.

Denique in fine sextæ Lectionis, occurrit Gersonius quorumdam querelis, quas in se excitatum iri prospiciebat. Tu totam, inquient, Superiorum autoritatem in subditos enervas; eis super alios quid relinquis? Tu subinde magnam & liberam inobedientiæ viam pandis, quam in tanta pronitate prævaricationum arctare debueras. Quibus ita respondet: Audiant qui tales sunt in Ecclesia, Pastorem Ecclesiæ: *Non dominantes*, ait, *in Clero*, *sed forma facti gregis*. 1. Pet. III: & illud Domini, per Ezechielem improperium. c. III. 24. *Vos cum austeritate imperabatis eis*: illud quoque Christi; *Imponunt onera gravia & importabilia* &c. Matt. XXIII. 4. Intelligant tandem, esse præceptum omnibus, ut nihil addatur aut diminuatur ex verbis Dei: se si velint audiri, audiant primò Dominum in Lege sua; & id quod audierint, tanquam præcones & interpretes, aliis minùs instructis denuntient, non suâ sed Dei autoritate. Ita demum, qui eos spernet, Deum spernet, æternæque mortis se reum faciet. Verùm in cœteris, quæ Christi Lege nequaquam firmata sunt, quæ prætereà magis ad civilitatem hujus vitæ proficiunt, statuant ipsi quæ statuenda utiliter agnoverint: ita quòd statuta hæc, in quantum sua sunt, haberi velim quasi monita & consilia, quorum infirmi transgressores, temporali, non æterna mulctatione plectendi sunt.

Cœterùm paralogizant, qui sic argumentantur: Non est potestas nisi à Deo, & quidquid præcipimus, vice Dei præcipimus; & quidquid jubemus in terris, illud approbat Deus in cœlis: omnia igitur Præcepta nostra Divina sunt, & paris ad Evangelium autoritatis. Planè sic concluderet quicumque Princeps etiam Paganus, seipsum habere autoritatem æternæ vitæ & mortis; sic concluderet omnis Licentiatus in Theologia & Decretis, se habere potestatem interpretandi Scripturam Sacram & Jura, non solùm scholasticè, sed etiam doctrinaliter, & id quidem Apostolica autoritate: sic libri omnes ab Ecclesia approbati, essent Articuli Fidei, sicut Biblia. . . . .

Prælati & Principes habent autoritatem à Deo, regendi populum suum per Leges & Instituta, etiam ultra Leges divinitùs inspiratas ad id quod rectum est arctandi; non quòd Leges suæ & Institutiones censendæ sint Divinæ, sed recipiendæ sunt ut salubria monita, nec leviter contemnendæ; alioquin transgressio pœnam habet, non qualemlibet, sed qualem possibile, fasque est homines infligere. Propterea concludimus, majorem deberi obedientiam Prælatis & Principibus, in eis in quibus sunt velut præcones & nuntii, quàm in iis quæ suo relicta sunt arbitrio statuenda.. Novissimè quod inculpant, nos tanquam dilatemus viam obedientiæ, mirum nihil accidit; quid enim vel dici vel scribi vel fieri potest â calumniis hominum pravorum alienum? Scimus quòd reprobis etiam omnia cooperantur in malum, omnibus abutuntur, omnia in laqueos & decipulas pedibus suis vertunt. Planè *Malus tam laxo quàm stricto fune laborat*, juxtà verbum Flacci: hoc est, in malum finem trahit doctrinam tam laxam quàm strictam in moribus.

Hæc & alia in fine hujus Operis Gersonius, ad criminatores doctrinæ suæ retundendos; quam quidem ideo præcipuè commendatam esse vult, quòd existimet, se dicta Sanctorum, & doctrinam quæ communis est in ore & cordibus hominum, suis verbis explicuerit, & veritatis lucidam sententiam, quasi de quodam involucro fumoso discordium verborum, fecerit splendescere, aut saltem, ut dicat modestiùs, facere conatus sit. Utrùm autem perfecerit, perspicacioribus, ac præcipuè inclyto Patri & Præceptori suo Petro Alliaceno judicandum relinquit.

Eadem fuit hujus ac Gersonii sententia, quòd sola Lex Divina sine peccato violari non possit. Sic enim in quæstione prima. *Utrùm Petri Ecclesia Lege reguletur*, in Appendice Tomi I. *p.* 663. *AB*, explicans varias Legis significationes: quandoque sumitur Lex, pro prima Lege, quæ est Lex increata; & sic definit Augustinus Legem, libro primo, De libero arbitrio: *Lex æterna, est summa ratio, cui semper obtemperandum est &c.* Et XXII contra Faustum: *Lex æterna, est divina mens, seu voluntas ordinans, Naturalem servari jubens, turbari vetans.* Unde patet, quòd sicut prima voluntas Divina, est simpliciter prima causa in genere causæ efficientis; sic ipsa est Lex simpliciter prima, in genere Legis obligantis. Quare, sicut nulla causa secunda potest agere, ipsâ non agente; sic nulla Lex potest obligare, ipsa non obligante, pro ut aliàs declaravi: eadem quoque fuit mens Durandi. Rem in utramque partem versat Almaïnus, in expositione circa decisiones Okami Cap. XI. *In Appendice T.* II. *p.* 1048 *&* 1049; & adductis rationibus Gersonii, oppositam tamen opinionem probabiliorem esse censet: sed rationem affert de pœna imposita à Sacerdote, quam tenetur sub pœna peccati pœnitens adimplere; quam hypothesim Gersonius agnosceret, cùm non agatur hîc de Lege purè Humana, sed de Lege Evangelica, quâ statutum est Pœnitentiæ Sacramentum. Unde pœnitens, hoc in casu, non tenetur sub pœna peccati, pœnitentiam sibi impositam adimplere, vi Humani Præcepti, sed Divini.

Alia etiam exempla Legum adducit, quæ admixtum habent aliquid de Jure Divino; & ideò minimè militant adversùs hypothesim Gersonii.

Nec verò tam latum est ac vulgò creditur, inter Gersonii opinionem, vulgaremque discrimen; & si rem ex æquo & bono æstimare velimus, in idem ferè recident. Nam qui Leges Humanas sub pœna peccati mortalis obligare censent, non omnes Leges Humanas ejus generis esse arbitrantur; fatenturque aliquas ferri tum à Prælatis, tum à Principibus, circa res leves, putà circa cœremonias, aliaque hujusmodi, quæ ad decentiam tantùm pertinent; quas qui trangrediuntur, non statim peccati mortalis rei fiunt & damnationi obnoxii: atque hujusmodi multas esse nemo dubitat. Certum est à Prælatis & Principibus, quantumvis legitimis, ferri posse Leges injustas, Divinæ & Naturali repugnantes. His homines non teneri, nemo est qui non credat. Nullus etiam, ut puto, bene cordatus, tenebit Constitutiones & Leges ab iis pro libito de rebus planè indifferentibus latas, Reipublicæ & Ecclesiæ omnino inutiles, sub pœna peccati quemcumque privatum, in quolibet casu obligare.

Restat ut id dicatur de Legibus, quæ Legi Divinæ & rationi consentaneæ sunt; & hæ plerumque admixtum habent aliquid de Lege Divina, ut observat Gersonius: atque ita iis tenebitur homo sub pœna peccati, secundùm Gersonii mentem, non ut sunt Leges Humanæ, sed quatenùs in Lege Divina fundantur. Ad hoc autem sufficit, ut id quod præcipitur in genere, aliquo Præcepto Dei affirmativo comprehendatur. Nam quotiescumque aliquid Præcepto Divino mandatum est, licèt tempus aut modus exequendi Mandati non sint in Lege Divinâ præscripta, toties Ecclesiæ est, tempus & modum præscribere; & Mandatum Ecclesiæ, hoc in casu, censeri debet Divinum, ejusque vi, omissio talis aut talis operis, hoc vel illo tempore (quæ si solùm Præceptum Divinum fuisset, mortalis non fuisset) accedente Ecclesiæ, vel Prælatorum Mandato, mortalis fit.

Exempla multa afferri possent, De Communione, de Sanctificatione Sabbathi, de oratione &c. quæ Præcepta sunt Juris Divini, sed affirmativa, quæ obligant ad semper, sed non pro semper; sed obligant eo tempore, quo Ecclesia ea obligare declaravit, & eâ ratione sunt exequenda quâ præcepit.

Hæc est resolutio, secundùm quam Gersonius omnia dicta sua vult intelligi: ex qua intelligitur, secundùm hujus opinionem, vix ac ne vix quidem ullam esse Ecclesiæ Legem antiquam & universalem, quæ non obliget sub peccato. Aliud etiam observandum, Leges Humanas licèt non obligent sub peccato, vi Præcepti Humani, obligare sæpe sæpius vi alterius cujusdam Præcepti Divini, puta istorum; quòd nulli sit licitum Politiam, sive Ecclesiasticam sive sæcularem interturbare; quòd Superiores tam Ecclesiasticos quàm sæculares contemnere, grande malum sit; quod occurrente dubio probabili de aliqua Lege, utrùm Divina sit, aut Divinæ connexa, seu pertinens, pro Divina suscipienda est; quia exponens se discrimini peccati mortalis, peccat mortaliter; quòd scandalum fratribus infirmis dare, peccatum sit; aliaque hujusmodi, quibus opinio Gersonii cum vulgari opinione facilè conciliari potest, ita ut in praxi utraque in unum recidat.

Vide prætereà *Regulas Morales*, in quibus doctrina Gersonii breviter & methodicè exponitur. *T.* III. p. 80. & 81: vide etiam *Orationem ad Licentiandos in Jure Canonico*. *T.* IV. p. 688.

An omis Lex Divina obliget.

Quæritur insuper, utrùm sit aliqua Lex Divina, quæ non sit obligatoria: nam de obligatoria sermo duntaxat habitus est. Videtur nempe Lex, Divina totidem modis dici, quot modis Divina voluntas nominatur. Dicit autem Magister primo *Sententiarum*, quòd quinque sunt Dei voluntates, sumendo signum pro signato, & hæ sub hoc metro complexæ sunt.

Præcipit, & prohibet, permittit, consulit, implet.

De voluntate præceptiva & prohibitva, multa jam sunt dicta. De permissiva verò, distinguendi sunt modi diversi, quibus dicitur Deus aliquid permittere.

Primò, quia non vult prohibere, aut præcipere oppositum. Hoc modo permisit Libellum repudii, & uxorum pluralitatem in Antiqua Lege.

Secundò, permittit, quia non punit pœnâ temporali. Hoc modo permittit fieri mala, quæ non punit in injustis.

Deinde tertiò, aliqua permittere dicitur, non quia non puniat, sed quia non impediat ea fieri, cùm utique posset, quanquam hoc justissimè faciat, eliciendo ex his malis bona.

Denique quartò, potest aliquid permitti, non quia judicetur faciendum, aut quòd denuntietur per Leges & Statuta puniendum; sed quia de facto non executioni mandantur Leges punitivæ contra delinquentes tales, ne deteriorem exitum res habeat. Hoc modo tolerantur quandoque hæretici & schismatici, & alii hujusmodi inter Christianos, dum scissura deterior, ex eorumdem exterminatione verisimiliter timeretur.

De hac igitur Lege permissiva, similiter & de impletiva, quæ dicitur efficax operatio Dei, & quæ non est de per se obligativa, in tantum dicta sint.

Superest dicere de Consilio, quod Lex appellatur, non quòd liget ad observationem sui, eam quippe deserens pœnam non incurrit; impletio tamen ejus præmium meretur & coronam. Eam prætereà Legem Consiliorum Divinorum nihil pendere, velut inutilem; & tanquam observatores eorum non inde perfectiores fiant improbare, damnationem non evadit.

Lex insuper adjici potest media inter Consilium & Præceptum; quæ monitio, vel mandatum, vel ordinatio, aut alio nomine absque controversia nominetur.

In Lege porrò Antiqua & Nova, multæ sunt Traditiones, quæ quandoque Præcepta, quandoque Mandata, quandoque Justificationes, quandoque Leges Divinæ nominantur; quarum aliquæ sunt Præcepta strictò modo, aliæ monitiones, aliæ consilia, aliæ consummata justitia: non est autem par transgressio in primis, & in tribus reliquis. Hinc etiam erant in Veteri Testamento Leges Judiciales purè pœnales, quæ non obligabant nisi ad pœnam.

Sunt

Sunt denique multæ Leges Cœremoniales & Positivæ ad tempus latæ, quæ quamquam Divinæ sint, quia Deum autorem habebant; non tamen æternæ sunt ac invariabiles, ut eæ quæ Juris sunt Naturalis.

In Novo Testamento multa sunt Consilia Evangelica, quæ non sunt Præcepta propriè dicta. Ita qui se astringit ad observationem Christianæ Religionis, non intendit se obligare, nisi ad illa quæ cadunt sub Præcepto propriè dicto; reliqua verò observabit prout mandantur, Monitiones scilicet ut Monitiones, Consilia ut Consilia, & ita de consummata justitia. Hæc Gersonius in toties laudato libro *De Vita Spirituali. Lectione* 5. T. III. p. 55, *& Lectione* 6. p. 64.

De Legum justitia vel injustitia.

Lex Divina & Naturalis semper & infallibiliter justæ & veræ sunt, cùm æternæ veritati & justitiæ necessariò consentaneæ sint. Non ita de Legibus Humanis se res habet. Cùm enim homines fallere possint & falli, Leges etiam ferre possunt iniquas & damnosas. Igitur Lex Humana ut bona sit, honesta esse debet, justa, possibilis, juxta naturam & consuetudinem Patriæ, loco temporique conveniens, necessaria, utilis & manifesta, ut habetur ex dictis Isidori. Ex his liquidò constat, quàm temerarium sit & iniquum, velle omnia Decreta, sive Ecclesiastica sive Civila, ad omne tempus, ad omnem Gentem & Patriam extendere: quoniam Lex quæ pro uno tempore & loco, aut personis esset utilis; esset in aliis tempore, & loco & personis impossibilis aut damnosa; imò velle sic omnia Statuta stabilire, hominum est delirantium, & quasi contendentium, ut oppositæ Leges simul observentur. Prætereà positum est in Decretis quòd *Leges instituuntur cùm promulgantur, firmantur cum moribus utentium approbantur.* Igitur per argumentum à contrario sensu, si moribus utentium nequaquam approbantur, illæ nullum habent firmamentum; & ita populus habet multùm in sua potestate, dare robur Legibus, aut tollere, præsertim ab initio. Sicut autem pœnæ restingendæ sunt; ita Leges Humanæ non sunt sine manifesta utilitate multiplicandæ. Hoc animadvertant, qui ad omnem motum capitis, ad omne quod bonum agi phantasiatum fuerit, condere satagunt novas Leges, pœnas pœnis adjicere; quasi super omni re quæ bona est, si fieret, bonum sit & expediens Legem pœnalem addere. *T.* II. p. 242. *D.*

Lex Divina & Naturalis, cùm æterna sit, neque abrogari potest, neque in desuetudinem abire; adversùs eam nihil valet præscriptio, nec epikiam patitur, nec dispensationem admittit. Contrà in Legibus Positivis accidit, adversùs quas præscribi potest, quæ multis modis abrogari possunt, in desuetudinem abire, aut contraria consuetudine convelli; quæque prudenti epikia molliuntur, quarum onera dispensatione alleviantur.

De his omnibus pauca ex Gersonio hîc referenda sunt.

De Abrogatione Legis.

Omnis Lex Humana vel Positiva potest abrogari, in eo quòd non necessariò participat cum Naturali & Divinâ. Hæc autem abrogatio fit per consuetudinem oppositam; juxta quod dicunt Juristæ, & verum est, quòd Consuetudo est optima Legum interpres; nec unquam dicenda est corruptela, nisi ubi Legem Divinam aut Naturalem lædere convincitur: nam sicut consuetudo dicit alteram naturam; sic Lex consuetudinis, quasi Lex Naturalis habenda est. Fit etiam abrogatio, per expressam, aut interpretativam revocationem factam ab illo, qui condendi habuit potestatem. Fit denique abrogatio, causâ manifestæ damnositatis, si Lex illa servaretur.

Sunt autem hîc quæstiones difficiles; qualis, scilicet, debet esse consuetudo, ad abrogandam Legem aliquam, & quanti temporis, & si possit consuetudo introduci contra Legem illam, quam cum renovatione juramenti quilibet intrans aliquam Politiam, profitetur; & quid sit interpretativè revocare. Dicimus autem, quòd ubi non est taxatum tempus à Legibus aliis, debet fieri abrogatio, prout sapiens judicabit, nunc tardiùs, nunc citiùs, juxta necessitatis aut utilitatis qualitatem. Per peccatum etiam potest aliqua Lex abrogari: quo in casu locum habet id quod vulgò dicitur: *Communis error facit Jus*; ad hunc sensum intellectum vel similes, quòd Prælati & Principes aliqua faciunt, aut permittunt justissimè, ob errorem subditorum communem, quæ aliàs, si fierent aut committerentur, ad culpam eosdem obligarent. Hinc communis inobedientiæ culpa quandoque absolvit, per accidens, ab obedientia, & à culpa, pro futuro; & hoc in Legibus Positivis, ut tales sunt. Consuetudo quippe optima Legum interpres, si de Positivis sermo fiat. Et cùm consuetudo sit altera natura, Leges assuetæ, & quasi jam in naturales versæ, non debent absque manifesta utilitate vel necessitate tolli vel mutari. Fundatur enim in hac radice stabilitas Legum quòd *Consuetudo est optima Legum Positivarum interpres*: atque si neque Juri Divino, neque Naturali Juri fuerit contraria. Nec dandum est præmium, secundùm Aristotelem, invenientibus novas Leges; quoniam mutatio Legum frequens, causat instabilitatem; neque permittit eas in consuetudinis fixa radice roborari. Consentire verè censendi sunt Superiores in abolitione Legum suarum Positivarum, quando passim eas diù non observari scire possunt, & nec verbo nec facto reclamant. Hæc in libro *De Vita Spirituali. T.* III. p 46. *& in Regulis. ibid.* p. 81, & in libro *De Potestate Eccl. T.* II. p. 242.

Per consuetudinem igitur contrariam, vel etiam per desuetudinem, contra Leges Humanas acquiritur præscripto. Non solùm adversùs Leges Pontificias, sed etiam erga Leges & Statuta Conciliorum generalium, quæ ad disciplinam pertinent: quamvis quælibet Ecclesiasticæ Leges explicari, & tolli & abrogari possint per Concilium generale, quod statuendi supremam in Ecclesia potestatem habet. *T.* II. 276.

In Legibus Humanis locum habent exceptio, interpretatio & *extensio* & dispensatio: quod ut intelligatur, sequentes attendantur Regulæ.

De

De Epikeia, Dispensatione, Interpretatione & Exceptione Legis.

Prima. Leges Humanæ dantur secundùm illa quæ in pluribus accidunt; quoniam omnes casus particulares enumerare, & remedium specialis Legis apponere, neque possibile est humano Legislatori; cùm sint in infinitum variabiles; sed nec expedit, propter confusionem fastidiosissimam, imò & perplexam, quæ ex illa multiplicitate consurgeret.

Altera Regula. Leges Humanæ, quæ feruntur generaliter, debent exceptionem recipere, dum deficit ratio Legis; quando videlicet, Legislator, si adesset, vel alius prudens interrogatus, exciperet à generali Constitutione casum particularem, qui taliter aut taliter occurreret. Hæc autem exceptio multipliciter nominatur; quandoque ἐπιεικεία, sicut ab Aristotele; quandoque Juris interpretatio, sicut à Legistis; quandoque dispensatio, sicut à Canonistis; quandoque bona fides, sicut à Politicis; quandoque æquitas dicitur.

Tertia Regula. Triplex invenitur Juris interpretatio vel exceptio. Quædam est judicialis potestatis, spectans ad Legislatorem & Judices, quemadmodùm dici solet; *Cujus est condere, ejus est interpretari.* Quædam est doctrinalis autoritatis, spectans ad illos quibus data est, autoritate Summi Pontificis, licentia interpretandi scholasticè Jura; vel iis qui super his interpretandi scientiâ pollent, arte vel experientia; juxta illud: *Cuilibet experto in sua scientia credendum est*: & iterùm, *Unusquisque bene judicat de quibus novit.* Quædam interpretatio est inevitabilis necessitatis, quæ potest cadere circa quemlibet, dum certò videt imminens periculum suum, nisi vim vi repulerit, & egerit contra verba generalia Legis; quo casu est sine culpa apud Deum, quamvis dolere debeat quòd incidit in hanc necessitatem: & si docere potest legitimis testimoniis, apud Judicem humanum absolutus erit, aliter non; quia apud illum idem est de iis quæ non sunt, & quæ non apparent.

Quarta Regula. Juris interpretatio, seu dispensatio, vel exceptio, quæ est judicialis potestatis, hoc operatur, quòd agens contra verba Legis, non punitur apud homines in exteriori Foro; sed apud Deum in Foro conscientiæ peccabit uterque, scilicet dispensans, & cum quo dispensatur, si talis non fuerit qui dispensat, qualem descripsit Christus, *Luc.* 12. 42. *Fidelis & prudens. Fidelis*, ne commodum proprium, favorem, vel honorem quæsiverit, derelicto Divino, vel communi bono. *Prudens*, ut circumspiciatur undique, ratio Legis, & Legislatoris intentio. Est enim dispensatio, commensuratio, seu distributio boni communis, quale est Lex ad singulos, secundùm Legis intentionem, prout circumstantiarum varietas occurrerit; quæ dispensatio, si non fideliter & prudenter fiat, eam appellat Bernardus, *Dissipationem, non Dispensationem*, intellige, quoad Deum & conscientiam, si hoc constiterit aut constare debuerit. Tenet verò frequenter apud homines secundùm exteriora judicantes, hæc dispensatio, si non contineat errorem apertum, aut nisi fuerit superiori Lege prohibita.

Quinta Regula. Juris interpretatio vel exceptio, quæ est Doctoralis autoritatis, relevat plurimùm non obedientes nudo Legis verbo, tam quoad Judicia Forensia, sicut est ab expensis relevatio, quàm in Foro conscientiæ & divino Judicio, præsertim dum sunt Doctores famati plures & experti in arte sua, & morum honestate probati.

Sexta Regula. Juris interpretatio, exceptio, vel dispensatio, similiter exigit, dum fit aliquo prædictorum modorum, judicialiter vel doctrinaliter, quòd babeatur duplex intuitus; unus ad bonum Divinum & publicum; alter ad particulare commodum illius, pro quo fit Juris interpretatio, vel dispensatio. Evenit itaque sæpiùs, quòd dum passim laxatur rigor Legis (ex quadam, ut fingitur, compassione, & misericordi condescensione ad aliquos particulares positos sub Lege) deperit ex altera parte stabilitas & vigor disciplinæ, qui vigor est præcipuè in omni Lege servandus.... Quid modò dicendum putabimus, de tam facili, ut appellant, dispensatione, per Papam & Prælatos super juramentis licitis? Super votis rationabilibus? Super immensa Beneficiorum pluralitate? Super generalium Conciliorum non obstantia? Super Privilegiorum & Exemptionum commune Jus privantium concessione? Quis omnia dinumeraret, per quæ nunc vigor Ecclesiasticæ, imò & Evangelicæ disciplinæ totus verè languit, emarcuit, evanuit.

Hæc Gersonius in libro *De Potestate Ecclesiastica*: quibus quid sit *abrogatio, præscriptio, epikia, interpretatio, exceptio & dispensatio Legis*, quam vim habeant, quando & quomodo iis utendum sit, egregiè exponit.

Principia Juris quibus hæc nituntur exponit Tom. II. p. 119: sunt autem hæc.

1. Non debet reprehensibile judicari, si secùndùm varietatem temporum, Statuta quoque varientur humana; præsertim cùm urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit: quoniam ipse Deus, ex his quæ in Veteri Testamento statuerat, nonnulla mutavit in Novo. Hæc Innocentius III, in Concilio generali, & habentur in Decretali *Non debet*: & hoc principio fundatur abrogatio Legis, & mutatio per consuetudinem.

2. Quoniam nulla Juris Sanctio, quantumcumque perpenso digesta consilio, ad humanæ naturæ varietatem, & mutationes ejus inopinabiles, sufficit; nec ad decisionem lucidam suæ nodosæ ambiguitatis attingit; eò præsertim quòd nihil adeò certum clarumque statuitur, quin ex causis emergentibus, quibus Jura prædicta mederi non possunt, in dubium revocetur &c. Hæc Joannes XXII, in *Proœmio Clement.* Hoc principio fundatur interpretatio Legis.

3. Non possunt omnes casus seu Juris Articuli, Legibus comprehendi, sed cùm, aliquo casu, sententia Legum manifesta est, is qui Jurisdictioni præest, ad similia procedere, atque Jus dicere debet. Hoc fundatur exceptio Legis.

4. Certum est quòd is committit in Legem, qui Legis verba complectens, contra Legis nititur voluntatem. Hoc habetur in Regula Juris, *Certum*: *in sexto.* Contra facit, qui id facit quod Lex prohibet. In fraudem Legis facit, qui salvis verbis Legis, sententiam ejus circumvenit. Hoc placito probatur interpretatio Legis.

5. Nulla Juris ratio aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos, interpretatione duriore, contra ipsorum commoda perducamus. Hæc habentur in Lege *Nulla*: §. *De Legibus*: cum quo concordat Regula Juris Canonici; *Quod ob gra-*

tiam

tiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. Item; *Ipsæ Leges cupiunt ut Jure regantur.* Item ait Scipio Nasica: *Consul dum Juris ordinem sequitur, id agit, ut cum Legibus suis Romanum corruat Imperium.* Ideò Juris ordo est, in casu, ut Juris ordo non servetur.

Inde locum habent *ἐπιείκεια*, & dispensatio Legis. Summoperè tamen cavendum est Judicibus, ne usus epikeiæ passim & absque manifesta ratione fiat, transmutando Legem scriptam; alioquin tolleretur protinùs à Legibus sua stabilitas; quibus nutantibus, totam Reipublicæ disciplinam innitentem collabi, & ex consequenti, Rempublicam corruere, vel conturbari necesse est *T.* II. *p.* 121 *B.*

Ita fugienda sunt extrema duo. Nam invenire est aliquos, suis ita Constitutionibus Positivis inhærentes, ut nullam epikeiæ virtutem admittere velint, sciant, aut possint; apud quos *Summum Jus*, sæpe *summa injustitia fit.* Alios passim hac epikeiæ, seu æquitatis regula sic abuti, quòd nihil in Legibus, nihil in Constitutionibus & Regulis suis manet stabile. *T.* I. *p.* 160. Quapropter epikeia uti non oportet, nisi ex consilio Theologorum & prudentum *T.* III. 115. 120. Interpretatio, limitatio vel expositio Prælatorum, in Lege Divina, suscipienda est reverenter, sed quamdiù non cognoscantur abuti sua potestate.

De Dispensatione Legis.

Dispensatio, est Juris Communis relaxatio quædam, seu mitigatio, quæ locum habet præcipuè circa particulares casus & singulares personas; quoniam aliqua statuta sunt pro Communitate, quæ huic vel illi personæ, & in isto casu vel illo, non ita sicut sunt posita congruere dignoscuntur. *T.* III. 81. Nec debet sine causa rationabili concedi. Duplex autem est hujusmodi causa: una, justa necessitas; altera, patens & publica utilitas. Sed quis de rationabilitate judicabit, nisi dispensans? legitimè tamen priùs informatus, & utens potestate sua, in ædificationem non in scandalum; non in alterius præjudicium; non in acceptionem personarum. *T.* III. 224. *A.*

His adjici potest permissio, seu potiùs tolerantia malorum aliquorum per Legem prohibitorum; non quòd approbentur, sed nè punita, ruant in deterius. *T.* II. 243. *A.* Nam in omni Republica tolerari possunt, & interdùm debent vitia, quæ absque deteriori periculo neque corrigi, neque extirpari valerent. Quando autem illud est & quando non, difficile est & sæpe impossibile, & generaliter definiri non potest, nisi prout, circumstantiis particularibus, inspectis, Prælati, Superiores & sapientes determinabunt. Denique pœnæ sunt restringendæ, sic quòd absque utilitate Reipublicæ, vel ejus cui infliguntur, neque institui deberent, neque institutæ exequendæ essent: & peccant oppositum facientes, vel eas, cùm resciverint, non tollentes. *T.* III. 81. *B.* Vide etiam de his quæ pertinent ad abrogationem, interpretationem, præscriptionem &c, Legum Tractatum, *De Contractibus. T.* III. 181. 182. 183.

De Voti Obligatione.

Sicut ex Lege exurgit obligatio Communitati; ita ex juramento & voto, incumbit eorum quæ jurarunt aut voverunt, observandi necessitas. Sed sicut in Præceptis, ita & in votis & juramentis & obedientia, quadruplicem latitudinem rectitudinis fas est assignare: & proinde aliqua impletio erit de necessitate, aliqua de congruitate, aliqua de consilio, aliqua de perfectione. Consequenter dicitur; non omnem juramenti, aut voti, aut obedentiæ transgressionem esse mortaliter, imò nec venialiter culpabilem, licèt semper imperfectam: sicut è regione dicimus, nihil esse adeo Consilium, quin in casu, cadat in Præceptum. Imò ad animi præparationem semper ligat. Prætereà, juramentum & votum nunquam ita proferuntur absolutè, quin interpretationes, conditiones, glossas, & civiles intelligentias suscipiant, ut sapiens epikeies judicabit. Ita juramenta, quæ fiunt de observandis Statutis Collegiorum, Universitatum & Capitulorum, civiliter interpretanda sunt.

Est autem interpretatio hæc, aut similis, quòd jurans servabit ea, sicut à Legislatoribus ordinata sunt, aut ordinari debuerunt, utputà, Præcepta propriè dicta ut Præcepta; Monitiones sicut Monitiones; Consilia sicut Consilia; quòd insuper obediat in omnibus licitis & honestis Superiori suo: verbi causâ; sit ille Rector, obediat, inquam, in eis quæ ad Officium Rectoris spectant, & quæ utilitate manifesta Politiæ cui præest sibi præcepit, secundùm Institutiones & Constitutiones laudabiles ejusdem Politiæ, & nisi valeat legitimâ excusatione vel exceptione se tueri. Cœterùm, de votis particularibus sæcularium, dissimilitudinem habet ad vota vel juramenta Communitatum: quoniam vota, in Communitatibus, interpretanda sunt magis ad intentionem communem, quæ illic habetur aut haberi debet, quàm ad particularem intentionem voventis. Vovens autem particulariter, in re propria, sicut est autor sui juramenti, ita est suus interpretator, ex intentione propria; quamvis intentio, si sit palam erronea aut stulta, peccat quidem sic vovens, nec ad voti ligatur impletionem, imò potiùs ad contrarium: unde & Superioris autoritati horum semper discussio, ac dispositio reservatur: alioquin nunquam præsumeret vota subditorum sic mutare, dispensare, relaxare; *T.* III. 64. 65. 66.

De Juramenti obligatione.

In genere, Juramenta de rebus illicitis non modò tenenda non sunt, sed sine scelere observari nequeunt. Juramenta de Constitutionibus observandis, inter quas sunt aliquæ, quæ non observantur, non obligant. *T.* III. 46. At juramentum de re licita expressè factum, ligat, non secus ac votum solemne, etiam in præjudicium mortis. *T.* II. 344. Sed in omni juramento ut conditiones multæ subintelligantur necesse est.

Primò. In omni Constitutione per Superiorem edita, reservatur semper ejus autoritas; imò nec potest excludi, quantumcumque aliquis juret se nolle inposterùm uti dispensatione, seu relaxatione per Superiorem facienda; quin Superioris autoritas sit in hoc superior. Quamvis au-

tem videretur esse tutiùs explicare suam intentionem in principio juramenti; istud tamen non exigitur, ad evitationem perjurii: nam à Lege sufficienter explicatur. Rursùs, juramentum sicut & votum non obligant, ubi vergunt palam ad deteriorem exitum: idcircò recipiunt dispentationem, aut relaxationem, aut commutationem, ut sapiens Superior judicabit. Ampliùs, non debet juramentum plùs obligare, quàm voluerit, aut rationabiliter velle debuerit obligare Ordinator talis juramenti; & in ejus favorem fit: & subintelligenda semper, etsi non explicetur, hæc aut similis additio; si & quantùm rationabiliter talia cadunt sub juramento, juxta consuetudinem & utilitatem Politiæ.

Hæc de voti & juramenti obligatione Gersonius, in libro *De Vita spirituali*. T. III. p. 46. 47.

De Conscientia.

Hactenùs de Lege, quatenùs norma est actionum humanarum, satis superque disputatum est; nunc de Conscientia.

De ea latè disputat Autor *Compendii Theologiæ* T. I. p. 398 *& sequentibus*, qui consuli poterit: sed quæ ab eo dicta sunt omittimus, ut Gersonianam doctrinam non nisi ex genuinis fontibus eruamus.

Omnis contra conscientiam agens peccat, quantumcumque res illa quam agit mala non sit; vel mortaliter, si conscientia sit fixa, & quod agitur sit mortale; vel venialiter solùm, quantùm est ex parte hujus circumstantiæ, quod contra conscientiam agat, si conscientia judicet esse solùm veniale. Intelligendum tamen istud quod dicitur de conscientia firma: quia propter quasdam faciles dubitationes quæ habentur, & quas non est facile auferre, quandoque non oportet quòd hoc quod dictum est habeat locum, ex quo habetur fortior conscientia ad contrarium. Sed tales falsæ conscientiæ refutari debent & auferri, ad judicium magis sapientum. *T.* II 498. III. 79. Multùm obest, generare conscientias erroneas ad populum; & justo strictior conscientia quandoque nocet ampliùs, quàm laxior. Quod autem Gregorius ait: *Bonarum mentium esse, illic agnoscere culpam, ubi non est*; Glossatur: *agnoscere*, idest, *formidare*.

De conscientia erronea, lucubrationem Petri de Alliaco edidimus in Appendice Tomi I. *p.* 636, in qua quærit: *Utrùm conscientia erronea excuset a culpa.* Conscientiam erroneam definit: *Judicium quò rationabilis creatura dictat se ad aliquid teneri, ad quod non tenetur; vel ad aliquid non teneri, ad quod tenetur.* Duplicem distinguit conscientiæ erroneæ speciem. Quædam enim est, quam rationalis creatura debet deponere, de necessitate salutis; ut si quis judicaret se non teneri ad credendam Legem Christi. Alia conscientia est erronea, quam non sic tenemur deponere; ut si quis judicaret, se teneri ad credendum Legem Christi sub tanto gradu, vel tanto assensu. Credit autem Alliacenus, nullam conscientiam erroneam, esse Legem vel regulam obligatoriam; & neminem teneri se ei conformare, quamvis non possit ei se difformare; hoc est, neminem teneri ad id faciendum quod dictat conscientia erronea, posito quòd eam deponat: sed si conscientiam erroneam deponere non teneatur, tenetur secundùm eam agere; quò in casu, licèt peccatum admittat, non tamen peccat. Unde conscientia erronea demeritoria non est, nisi sit voluntaria.

Hæc & alia subtiliter, pro more, hac de quæstione agitat Alliacenus; sed non satis luculenter, & minùs ad praxim.

Ut autem hoc argumentum penitiùs scrutemur, secundùm Gersonii Doctrinam & principia, inquirendum est quid ille senserit de ignorantia, quæ conscientiam erroneam parit; de intentionis directione; de probabilitate & scrupulis, quibus de rebus multa sparsim utilia in ejus Operibus extant.

De Ignorantia.

Non omnis ignorantia excusat, tam apud Deum, quàm apud homines. Fundatur hoc super illud Evangelii: *Ecce venit hora & nunc est, ut omnis qui vos interficit, arbitretur se obsequium præstare Deo.* Joan. XVI. 2. Sic Apostolus priùs errans in Christianorum persecutione, judicabat de seipso. Sic ad Judæos loquens Petrus dicit: *Et nunc scio fratres, quia per ignorantiam fecistis.* Act. III. 17, quos tamen non excusabat de nece Christi; dum alibi dicit: *Ignorans ignorabitur.* I. Cor. XIV. 38. *T.* I. 32. *A.*

Culpabilis est haud dubiè ignorantia voluntaria, crassa vel supina, quæ provenit ex negligentia sciendi vel faciendi quod in se est.

Ignorantia invincibilis in rebus Facti & Constitutionibus Juris humani excusat. Dicitur autem invincibilis; non quin vinci possit, aut quòd ex ea necesse sit operari; sed quia operans, sufficienter (secundùm casûs eventum) diligentiam apposuit sciendi illud quod nescit.

Verùm ignorantia Juris humani sufficienter promulgati, non liberat subditos à pœna in Foro exteriori, licèt frequenter, quoad Deum, excuset à culpa quosdam ignorantes. *T.* III. 77. Sæpe enim non est obligatio sciendi, in Legibus purè Positivis, apud maximam hominum multitudinem, ubi ignorantia excusat, præsertim apud Deum; nec est contemptus, ubi non est obligatio sciendi. *T.* II. 421. Nullus equidem, qui potest ignorantiam invincibilem sufficienter allegare, potest transgressor Legis appellari, neque quoad Deum, neque quoad homines: plerumque tamen præsumitur apud homines aliquis esse sciens; quia non potest juridicè per testes justam ignorantiæ suæ causam assignare; propterea condemnatur aliquando per homines, qui verè innocens est apud Deum.

Sequitur statim ex his, quòd apud facientem quod in se est, nulla est ignorantia invincibilis, neque Juris neque Facti in Lege divina; vel agens ex ignorantia tali, nunquam peccat.

Primam partem observat Gersonius tenuisse Doctores excellentes; ut Guilielmum Parisiensem, contra quos ait validas esse rationes, præsertim de ignorantia Facti: at pro parte altera stare alios, ut Guilielmum Autisiodorensem, qui talem ignorantiam, præsertim Facti, aut Juris, dicunt posse contingere, & eam insuper carere peccato; & eas similiter actiones non esse culpabiles, quæ proveniunt ex ipsa; & hoc fit, quando, si non esset ignorantia talis, non fierent

rent hujusmodi actiones: secùs, ubi agens, non minùs efficeret id quod agit, ignorantiâ tali non extante. *T.* III. 18. *B.*

Sed quoad Legem Divinam, concors est omnium sententia, nullam in his quæ Legis Divinæ sunt, cadere ignorantiam invincibilem; quoniam facienti quod in se est, Deus semper assistit, paratus illustrare mentem quantùm oportebit ad salutem, & erroris evitationem. *T.* III. 40. *A.* 77. *A.*

Ex his intelligitur, in quibus & quando conscientia erronea excuset, vel non excuset à peccato.

De Directione Intentionis.

Sicut ignorantia quædam excusat à peccato, & alia non excusat; ita directio intentionis aliquando vitiat actum, aliquando à peccato liberat. Ne quis autem hac doctrina abutatur, observandum est cum Gersonio, in libro *De Directione cordis. T.* III. *p.* 472, aliquas esse observationes manifestè licitas; alias penitùs illicitas; alias medias, quæ de genere suo nec sunt bonæ nec malæ, sed fiunt moraliter bonæ aut malæ, per appositionem circumstantiarum, præsertim intentionis & finis. Hoc modo, inquit in libro *De Vita spirituali*, docendi sunt omnes habere oculum simplicem, oculum intentionis rectum: quo habito, merebuntur in multis; ubi alii gravi se delicto constingerent. Exempli gratiâ, de celebrantibus Missam sumptâ pecuniâ; de euntibus ad Horas Dominicas in Ecclesiis, & ad Obitus, spe distributionum; de dantibus & accipientibus Curas & Beneficia ad censum annum; de recipientibus pecunias in collatione Ordinum; de prædicantibus pro mercede; de quærentibus placere in suis Actibus, & Sermonibus publicis, & artificialiter ad hoc ordinatis; de habentibus plura Beneficia; & similibus, in quibus peccant multi, ob defectum doctrinæ, & rectificationem suæ intentionis; quibus alioquin merces deberetur. Tangamus hîc perfunctoriè modum rectificandi aliqua, ex præmissis.

Si quis celebrat Missam, aut aliud quodcumque opus spirituale peragit, & inde sperat mercedem temporalem, constituat ipse sibi mercedem illam, non tanquam pretium spiritualis illius operis; non enim esset æqua commutatio; sed accipiatur illud temporale tanquam pro sustentatione Ministri; hoc titulo salvatur omnis receptio moderata rerum temporalium pro spiritualibus. Hæc autem sustentatio qualis aut quanta esse possit, non cadit sub arte generaliter definire: sed hoc loco, sicut & in omnis virtute, medium sumi debet, prout sapiens judicabit, attentis circumstantiis omnibus, aut prout hominem unctio divina docebit. Hanc eamdem sententiam dicunt alii sub aliis verbis; quòd omnis res spiritualis propter temporale lucrum, tanquam propter motivum minùs principale, aut propter finem Deo subordinatum, qui dici potest finis consecutivus, licitè quæri, diligi, vel exerceri potest.

Hactenus Gersonius, loco supra citato.

De Probabilitate.

Dum falsitas, vel veritas ignota est (hoc est, non certò nota) tunc ex apparentiâ seu probabilitate judicandum, & hoc utique non est periculosum, cùm constat de probabilitate. Quodlibet contradictoriorum potest esse probabile, & unum stat cum altero, non in veritate, sed in probabilitate. *T.* I. 24. *A.* In moralibus sanè, sumenda certitudo ex his, quæ, ut in pluribus, secundùm verisimiles & probabiles conjecturas, eveniunt. *T.* II. 31. *D.* Et certitudo probabilis in his sufficit, ut non exponat se quis. *T.* III. 181. *A.* Utque aliquis sit securus in agendo, debet quidem esse certus, illud esse bonum, neque virtuti contrarium: sed refert quâ certitudine; sufficit enim certitudo moralis; ut vel non sis in peccato, dum facis quod in te est, aut saltem peccatum non incurris novum, per temeritatem.

Cœterùm, moralis hæc certitudo per doctrinam colligitur altero trium modorum. Unus provenit ex alterius autoritate; alter ex propria eruditione; tertius ab experimentali consuetudine. Pauci per seipsos docentur, scripturas intelligentes; multi ab aliis erudiuntur, recipientes ab eis intelligentiam scripturarum, aut si nequeunt, saltem docentibus se obediunt. Tertium genus desperatum est ad doctrinam, qui neque docere possunt, neque docentibus assentiri volunt. Superest tertius doctrinæ modus, unde sumitur in agendis sufficiens & moralis certitudo ex studiosa prescrutatione Divinorum Mandatorum, qualem suadet Sapiens: *Quæ tibi præcepit Deus, illa cogita semper.*

Sunt aliqui minùs culpabiliter (nescio si minùs tolerabiliter) errantes, quos ex doctrina, dum moralem quærunt certitudinem, nullum lumen rationis movet ad assensum cujusvis agibilis; tantummodò satis est, si dicere potuerint; hoc scriptum est; hoc talis Doctor in lectura sua sensit; hoc alius ita posuit; similes aspicientibus versò ad Solem dorsò splendorem ejus in montibus, quos ad aspectum Solis aspicere oporteret: sed neque lumen veritatis accipiunt isti, nisi circumvolutum quadam veluti caligine Traditionis humanæ. *T.* I. 175. 176. 177. Signum sanè erroris est, præponere judicium novorum, priscis Sanctorum Patrum institutis; quasi non habuerint notitiam talem, qualem habet novitius: & hoc signum maximè fallit in moralibus, seu agibilibus, in quibus sancti Patres diligentissimè laborarunt, quorum sententiæ magis imitandæ sunt, etiam ubi non apparet manifesta ratio; imò ubi videtur oppositum faciendum ex quibusdam conjecturis, quàm sint novitates præsumendæ ex zelo non secundùm scientiam. *T.* III. 158. *B.*

Ita Gersonius, non quamlibet probabilitatem sequi licitum esse duxit; nec Autoris cujuscumque, ut loquuntur, gravis autoritate, probabilitatem alicui opinioni conciliari existimavit. In dubiis autem, non solùm probabiliorem partem, sed etiam tutiorem eligendam esse docuit, cùm contraria non est moraliter certa. Sic enim apertè rem definit, in libro *De Vita spirituali. T.* III, Lectionis 4 *Corollario* 8. *p.* 42. Occurrente dubio probabili de aliqua Lege, utrùm Divina sit, aut Divinæ connexa, seu pertinens, tutius est Legem illam pro Divina suf-

suscipere, quàm Humanam negligere. *Tene certum* (consulit Augustinus) *& dimitte incertum.*

Est itaque regula Magistralis, quòd exponens se discrimini peccati mortalis, peccat mortaliter: & hanc fundat dictum Sapientis, *Qui amat periculum, peribit in illo* Eccli. III. 27. Non tamen in omni dubio, sed probabili & vehementi hoc verum est. Idem habet *in Regulis. T.* III. p. 79. Exponere se periculo peccati mortalis, est peccatum mortale: vel sic; Agere incertum & dimittere certum in materia morali, est peccatum mortale; si tale sit incertum, quòd sit mortale, non solùm per conjecturas leves, aut ex suspicione trepida & scrupulosa, proveniente ex nimio timore cadendi in via Dei: sed intelligitur, dum tale est vehementer & probabiliter incertum, æquè sicut oppositum, vel magis; tunc enim illud quod agitur non carebit mortali culpa. Hinc argumentum sumptum ex consilio vel dubio unius Doctoris, non existimat esse efficax. Opus enim est, incertitudinem esse non tantummodò scrupulosam, levem & formidolosam; sed valdè probabilem, priusquam agere, ea stante, peccatum mortale judicetur, juxta dictum Sapientis: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Itaque non quodlibet dubium facti sufficit ad causandum peccatum mortale, si quid agatur illo dubio stante; ergo nec quodlibet dubium Juris. Denique in moralibus sumenda certitudo grossè & figuraliter; quæ certitudo non removet in una parte omnem probabilitatem, vel opinionem alterius partis, licèt magis declinet ad istam vel aliam. *T.* III. 180. 181. Non omnis scrupulus aut dubitatio de peccato mortali, reddit agentem culpabilem. Et si quis opposuerit, quòd dubitans de aliquo, an sit illicitum, & stante dubio illud agens, peccat, quia se discrimini scienter objicit. Respondeo cum Domino Guilielmo Antisiodorensi: Regulam hanc Magistralem intelligendam esse, de dubio tali quod est vehemens, & magis, aut saltem æquè inducit mentem credere quod est mortaliter illicitum, sicut quod est licitum. Secus est, ubi mens plus inclinatur, & judicat quod est licitum, quàm illicitum, quamvis non habeat usquequaque certitudinem evidentem, aut fixam, quia nec hoc ipsum requiritur. *T.* III. 325.

Ita eadem, de probabilitate, placita, sæpe sæpius inculcat Gersonius; quibus insistens, de scrupulis etiam judicium tulit.

De Scrupulis.

Est autem scrupulus, juxta hujus definitionem *T.* I. *p.* 173. *Vacillatio quadam, dubitatio vel formido consurgens ex aliquibus conjecturis debilibus & incertis.* Alioquin, inquit, si ex vehementibus argumentis & probabilioribus pro hac parte quàm pro altera, dubitatio consurgeret, jam non scrupulus solus, vel levis trepidatio dici deberet; sed moralis de transgressione certitudo. Mirum verò, neque cautum videretur, si propter hujusmodi scrupulos, conscientia testificationem vel damnationem ferret certam.

De remediis ad scrupulos sanandos, consule Scriptum *Contra scrupulosam conscientiam. T.* III. p. 241. & *Contra Pusillanimitatem.* Ibid. p. 585.

De Tentationibus.

Huc usque de iis, quæ ad mentem pertinent: nunc de illis, quæ in parte inferiori hominis contingunt, hoc est, de tentationibus, quæ sive ex carnis motibus, sensuumque affectibus, sive diaboli artibus, in nobis excitantur. Nulla Tentatio noxium hominem reddit, nisi accedat consensus voluntatis. Non enim judicatur homo, inquit Gersonius, *T.* III. *p.* 580, secundùm sensum vel sentimentum carnis; sed secundùm sensum rationis, & voluntatis animæ. Duplex est enim voluntas in homine, sive duplex lex, sicut dicit Apostolus. Galat. V. 17. *Lex Carnis* scilicet, *& Lex spiritus.* Unde & idem Apostolus dicit, se concupiscere secundùm legem carnis, & carnaliter delectari contra spiritus voluntatem. *Rom.* VII. 23. Sed quia illud quod concupiscebat nolebat, & contra voluntatem hoc faciebat; imò, ut magis propriè loquamur, non faciebat illud, sed magis patiebatur; ideò dicebat: *Ego non operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Itaque, quicumque tentaris carnali concupiscentia, desperatione, ira, rancore, invidia, aut alio quocumque peccato, quamdiù ratio tua non vult hujusmodi, sed, ut potest reluctatur, & libenter exonerari vellet ab impugnatione tam pestifera, non tu agis illud, sed magis videris pati: unde nec judicaberis secundùm hujusmodi peccati sensum, sed secundùm rationis & voluntatis consensum, si advenerit. Insuper (p. 587) advertendum est, inquit, & pro regula generali tenendum, ut omnia ad quæ voluntas, ... cum quodam impetu & vehementia, sine prævia deliberatione, inclinatur, quantumcumque appareant bona, habeantur suspecta; quia communiter sunt motus sensualitatis, quibus hostis antiquus persæpe se immiscet. Si non poteris sensualitatem ita subigere; semper tamen ei resiste, nec unquam cedas ei; & sic hujusmodi rixa & pugna, coram Deo tibi reputabitur pro victoria. Siquidem non solùm vicisse malum, bonum est, sed & pro viribus malo restitisse; imò nonnunquam meliùs est diutiùs pugnam exercere, quàm citò prævalere. Attendit namque prudentissimus & æquissimus Rex noster Deus, militum suorum velle potiùs, quàm posse; & sicut posse vincere suum est; ita vincere velle nostrum est: & quanquam in utroque gratia Dei necesse est concurrat; in velle tamen magis quàm in posse, liberum arbitrium hominis sibi locum vindicat.

De vario tentationum genere; de remediis quibus sanantur; & de armis quibus vincantur, latè disserit pluribus in locis Gersonius, præsertim in hocce libello *De remediis contra Pusillanimitatem. T.* III. *p.* 579. In Tractatu sequenti: *De diversis diaboli tentationibus.* Ibid. *p.* 589. In Tractatu *Contra fœdam tentationem Blasphemiæ.* Ibid p. 243. In Sermonibus, *De S. Antonio.* Ibid. 1372. In Sermone, *de S. Michaële & Angelis.* Ibid. 1492. In *Dialogo cum sororibus.* Ibid 806. In Sermone *De tentatione.* Ibid: 1062 & in *Collecterio super* Magnificat. *T.* IV. *p.* 359. *& sequentibus*; & p. 370. *& sequentibus.*

§ II.

§. II.

De Peccatis.

De Peccato, variisque ejus speciebus, gravitate & levitate.

PEccatum ab Augustino definitur; *Dictum, factum, vel concupitum contra Legem æternam.* T. III. 38. Ex eodem; *Peccatum adeò voluntarium est, quòd si non esset voluntarium, non esset peccatum.* T. III. 327. C. Nec potest ulla creatura propriè peccatrix dici, absque commissione vel omissione libera rei illicitæ, ad cujus oppositum erat obligata. T. III. 18. A. Statuit Gersonius, omne peccatum, in quantum est offensa Dei, & contra Legem æternam, esse de sua conditione & indignitate mortiferum, secundùm rigorem justitiæ, & à vita Gloriæ separativum; nullamque esse venialem offensam, nisi tantummodò per respectum ad divinam misericordiam, quæ non vult de facto, quamlibet offensam imputare ad mortem, cùm tamen id posset justissimè. Inde concludit, peccatum mortale & veniale in esse tali non distingui intrinsecè & essentialiter; sed solùm per respectum ad divinam gratiam, quæ peccatum istud imputat ad pœnam mortis æternam, & aliud non.

Quod ut intelligatur, considerandum est, in omni peccato actuali tria esse, saltem ratione distincta, scilicet, aversio à Deo bono incommutabili, & ista vocatur offensa ejus, ad quod sequitur necessariò imputabilitas ad pœnam, quæ vocatur indignitas, quamvis posset non imputari, & dum imputatur, vocatur reatus. Tertium, est conversio ad bonum commutabile, quod secum importat maculam & obscuritatem. Peccatum quodlibet, sicut est finitus actus; sic est finita conversio, & finita talis macula, seu tenebrositas: sed si consideretur secundùm primam & secundam rationes; constat quòd peccatum quodlibet mortale avertit à summo bono, & est objectivè infinitum: similiter etiam, de lege, imputatur ad pœnam æternam & infinitam durativè. Essent ita omnia peccata æqualia hoc sensu, si non infinitum, vel infinitè tale, posset altero esse minus. Pœna verò licèt æterna, non tamen est ad condignum, si per hoc intelligamus, eum ita punire, quòd non possit ampliùs. Si autem dicamus, punire ad condignum, quia punit quantùm recta ratio & justitia exigunt, & taxant de facto tale peccatum esse puniendum; tunc omne peccatum punitur, aut punietur ad condignum, quia tantùm punitur, quantùm vult Deus & ordinat rectissimâ Juris ratione. Hoc autem de quovis peccato generaliter dici potest; illud esse ad pœnam infinitam imputabile; & quòd non imputetur, hoc provenire à misericordia copiosissima Salvatoris. Hinc obligamur Deo ad gratificationem & gratiarum actionem, ex hoc quòd peccata nostra venialia non imputat ad mortem post remissionem, sicut tenemur ex remissione mortalium; quoniam utrobique occurrit misericordia Dei, non imputans peccata, nisi ad pœnam temporalem, quæ de sua indignitate imputabilia sunt ad mortem: unum de possibili, aliud de lege statuta. Imò fortè ita diceretur de omnibus justitiis nostris, quæ, quantùm de se, *sunt sicut pannus menstruata.* Isai. 64. 6, præsertim post peccatum, aut absente gratia. Nullum peccatum potest remitti, nisi per hoc quòd Deus non imputat liberaliter illud ad peccatum. Qualiter verò fiat ista imputatio, variant Doctores: quidam dicunt, nihil aliud esse, Deum non imputare peccatum, quàm illud non imputare ad pœnam: Aliorum expositio; quòd si etiam nulla unquam pœna statuta fuisset à Deo pro peccatis; nihilominus posset adhuc committi peccatum, & posset etiam remitti; non quidem ex mutabilitate Dei, sed quia in æternitate ita decrevit pro tali tunc, talem sic agentem esse indignum suo amore & sua justificatione, & dignum punitione quantalibet, etiam posito quòd nullam vellet infligere.

De peccato veniali, an propriè debeat dici offensa, stante lege, quia non privat hominem amore Dei, licèt ipsum quodammodò lædat; an etiam de facto imputetur ad pœnam æternam, secundùm Forum justitiæ infernalis; an si non remissum, punietur se solo, vel cum mortali puniatur nunc pœnâ æternâ, variant Autores. Sed hæc levia & subtilia.

Illa quæstio gravior: Utrùm peccatum veniale sit contra Præceptum Divinum. Loquuntur nonnulli Sanctorum de peccato veniali, tanquam sit contra Præceptum Divinum; ut Bernardus, in Libello suo *De Præcepto & Dispensatione*, & Gandensis idem ponit, ex autoritate Augustini, in suo *Quodlibet.* III. q. 21. Aliorum opinio contraria, ut Thomæ, & communis Scholæ, dicentium: Veniale non est contra, sed præter Præceptum. Allatis utrorumque rationibus, Gersonius ambas opiniones conciliare nititur; & post aliquas Conclusiones, quibus statuit, peccato veniali non amitti vitam gratiæ gratum facientis, sed animam infici, meritorium opus excludi, & confirmationi animæ in vita gratiæ obsisti, concludit quòd sicut sola vita gratiæ gratum facientis cadit sub Præcepto; ita peccatum solùm mortale dicetur isto modo contrariari Præcepto.

Postquam multis deinde exemplis explicuit discrimen peccati venialis à mortali, statuit quadruplicem Præcepti latitudinem. Primam magnam; in qua consistit justitia, qualem à nobis requirit Deus, sub pœna incurrendi odium suum, cum reatu mortis æternæ. Secundam: infra cujus limites consistit justitia, seu rectitudo, qualem Deus à nobis exigit, si volumus evitare, non tantummodò odium suum cum reatu pœnæ æternæ, secundùm Legem; sed etiam offensam ejus qualemlibet, aut non retardari à pœna æterna, aut temporaliter non puniri. Tertia latitudo complectitur non solùm duplicem priorem rectitudinem justitiæ, sed pariter finis consecutionem, aut meriti rationem. Quarta omnium strictissima assignatur, quæ non solùm observationem, sed etiam observationis exigit perfectionem.

Contra primam latitudinem Præcepti pugnat solùm peccatum mortale; contra secundam, peccatum omne, etiam veniale; contra tertiam, non solùm peccatum, sed & actus omnis bonus, sola bonitate qui æternæ vitæ meritorius non est.

Hæc Gersonius de peccato veniali & mortali, in libro *De Vita spirituali*: Tom. III. *Lect.* I. & V, quibus concinunt *Regulæ Morales* XII. XIII. XXII. XXIII.

Verùm præterea observandum est, dupliciter posse dici peccatum veniale. Nam aliud est veniale solùm ex genere, sicut verbum otiosum, aut mendacium jocosum; aliud est veniale, ex hoc quòd non fit cum deliberatione perfecta; vel in primo motu, vel quadam subreptione: quemadmodùm nullum est peccatum adeò mortale, quin per defectum perfecti consensus, possit remanere intra metas solius venialis. Et quoad ista peccata venialia, verissima est regula B. Augustini, videlicet, quod *Nullum est adeò veniale, quin mortale fiat, dùm places.* Sed de primis venialibus non oportet; imò Sanctus Thomas dat pro regula, quòd *Consensus in actum venialem, scilicet de genere, non est nisi venialis; sicut mentiri jocosè ex deliberatione; vel frangere silentium, quod solum impositum est per modum disciplinæ; & delectari in istis, non est nisi veniale.* Si autem delectatio fundaretur super hoc, quod peccatum est, id est, quòd quis delectaretur in hoc actu, sub hac ratione, quâ prohibetur & displicet Deo, tunc ipsa delectatio peccatum mortale esset.

Hæc in lucubratione, *De duplici peccato veniali T.* II. p. 479. De distinctione peccatorum mortalium ac venialium, circa quam generalem regulam statui non posse ait T. III. p. 59, specialem edidit Tractatum, qui extat T. II. p. 489, ubi speciales de singulis septem vitiis capitalibus tradit regulas, quando mortalia & quando venialia sint. In genere verò monet Doctores, ne sint faciles ad asserendum aliquas actiones, aut omissiones esse peccata mortalia, præsertim sub verbo universali, inter prædicandum. T. III. 44. *D.* Attamen adhortatur omnes Christianos, ut caveant à peccatis etiam venialibus. T. II. p. 502.

De septem peccatis Capitalibus, eorumque ramis ac gravitate, & remediis, ad ea vitanda, lege præter superiorem Tractatum, *De differentia peccatorum*; partem secundam *Opusculi Tripertiti. T.* I. p. 442. *Regulas Morales T.* III. p. 83. *& sequentibus.* Vide etiam *Compendium Theologiæ.*

§. 3.

De Præceptis Decalogi & Virtutibus, præcipuè Theologicis; Fide, Spe & Charitate & de Amore Dei & Proximi.

De Præceptis Decalogi.

DEus Optimus atque Justissimus Legis æternæ Præcepta, quorum observatio ad salutem necessaria, Decalogo comprehendi voluit. Hujus Mandata non tantùm lumine naturali evidentia sunt; sed & propriè de Fide; ut asserit pluribus in locis Gersonius, præsertim verò in Sermonibus *Contra Assertiones Joannis Parvi. T.* II. p. 334. & 339. Ex his Mandatis, alia sunt affirmativa, quæ jubent aliquid; alia negativa, quæ prohibent: hæc semper & pro semper obligant; illa semper quidem, sed non pro semper; at sub quadam disjunctione ad illud faciendum vel non faciendum, pro isto vel illo tempore, prout casus incidit, & sapiens determinabit. T. III. 41. & 80. Qua ratione singula exposuerit Gersonius, nihil necesse est ex pluribus ejus Scriptis hîc colligere, cùm præstò sit integra, & plana Decalogi expositio, in prima Parte *Operis Tripartiti. T.* I. 430, quam breviùs etiam complectitur in *Regulis Moralibus. T.* III. p. 95, ad quæ remitto. Consuli etiam poterit Tractatus secundus Compendii Theologici, *De Præceptis. T.* I. p. 242.

De Virtutibus.

De virtutibus moralibus Philosophorum, Christianorum more disputatur in fine libri *De Definitionibus vocum ad Theologiam Moralem pertinentium. T.* III. 113. & in Compendio Theologiæ. *T.* I. p. 254. *De passionibus*, item ea de re duos Tractatus composuit Gersonius, qui habentur *Tomo* III. p. 123. & 128.

De tribus virtutibus Theologalibus, Fide, Spe & Charitate, vitiisque eis oppositis, loquitur idem in Sermone Gallico circa finem Tomi III. p. 1596. Verùm de iisdem, quas *Tomo* I. p. 137, pennas volucris vocat, quæ conscendunt celsa poli, nihil cum terra commune gerentes, sed totæ cœlestes sunt, multa ac varia habet diversis in locis.

De Fide.

Fides habitualis definitur ab eo: *Habitus verus & certus per auditum verbi Christi acquisitus; sicut dicit Apostolus, quòd Fides ex auditu, & auditus per verbum Christi.* Fides pro actu, describitur ab eodem: *Assensus verus & certus Catholicæ veritatis ex infusa Fide proveniens. T.* I. p. 27. *T.* II. 339. *B.* Ad assentiendum Catholicæ cuicumque veritati, quantumcumque sciatur per experientiam, vel demonstrationem, requiritur Fides infusa, quæ monstrat & ostendit rationem objectalem credendi, quòd Deus talem veritatem tradidit, aut jussit per se immediatè, vel per Ecclesiam, aut Scripturam Sacram. *T.* III. p. 337. *B.*

Tres modi Fidei reperiuntur: Fides viva, Fides mortua, Fides ficta. Fides viva, est credere Dei veritatem, & cum hoc eum amare & timere per affectionem; & absque tali Fide nullum est opus meritorium. *Ad Gal* V. 6. Hæc Fides est, quæ per dilectionem operatur. Dicitur viva, quia operari facit per dilectionem Dei.

Fides mortua, est credere veritatem Evangelii Dei, sine hoc quòd quis faciat opera; & dicitur mortua, quia non movet creaturam ad bona opera exercenda. Jac. II. 17. *Fides, Si non habet opera, mortua est*, & si non habet opera amoris & timoris Dei mortua est.

Fides ficta, est debilis quædam credulitas, & quæ firma non est, quia in tempore tentationis recedit, *Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Luc.* VIII. 13. *T.* III. p. 1106. & 1107. Hæc de triplici illa Fide: nunc de Spe.

De

De Spe.

Rerum ista conditio est, ut in suos fines tendant, quibus adeptis, quiescunt adhærentes eis: est autem humani cordis desiderium & pondus in Deum, sicut in locum suum & centrum supremum, post quod non relinquitur aliud humanæ peregrinationis refugium; nec superest aliquid, infra quod vel ultra quod possit humanum se cor deflectere vel fugere, dum pondere suo se constituit adhærere Deo; nunc interim per Spem, Fidem & Amorem, neque enim sibi dat aliter status præsens. Porrò, sicut aliquis dicitur adhærere certitudinaliter loco alicui, vel baculo, dum totis viribus ita stare vult; non aliter Spem dicimus certam, per deliberatam voluntatis adhærentiam: neque enim Spes est in assensu & vi rationali; sed desiderio & expectatione virtutis irascibilis tendentis in ardua, quod desiderium, tendentia, vel expectatio reperitur in virtute Spei, cum tanta certitudine, per adhærentiam voluntatis, quòd per nullius tentationis vel recogitationis insultum, vult ab ea semet evellere. *T.* II. p. 138. *C.* 139. *A.* Spei adversæ sunt desperatio & pusillanimitas, de quibus vide *T.* III. p. 1377 & 1378, & Tractatum *De Remediis contra pusillanimitatem & nimiam scrupulositatem.*

Fidem & Spem comitari debet Charitas, sine qua aliæ informes sunt. Hæc est virtus supernaturalis & infusa quâ diligitur Deus super omnia, & proximus sicut seipsum: non refutat quidem motiva naturalia ad amandum, sicut Fides non refutat rationes & congruentias naturales. Hoc tamen observare convenit, ne fidelis Dei amicus utatur talibus rationibus & observationibus, tanquam principalibus & cogentibus motivis ad credendum Deo, sibique per Charitatem inhærendum *T.* I. p. 175. *A.* 190. *D.* & 191. *D.* Charitas est vita animæ; per eam subsistit spiritualis; sine ea nemo mereri potest vitam æternam, nec Deo gratus esse.

Hæc fusè Gersonius exponit, in libro *De Vita spirituali. T.* III, *præsertim* p. 15. & p. 57. 58. 59, quæ supra latiùs à nobis relata sunt, ubi de Justificatione.

De Charitate, & Amoris Dei Præcepto.

Charitatis præcipuus effectus est amor Dei, primo Præcepto imperatus. *T.* I. 430. Qui quidem amor non in affectibus quibusdam sensibilibus, quæ sentimenta vocant, situs est; sed in dilectione voluntaria Dei, quâ Fide & Spe nixus animus, per Charitatem fertur in Deum, & inter fluctuationes ac tentationes Mundi hujus manet firmus in amore, saltem in habitu, quod sufficit, si non penitùs ejecerit ipsum homo. T. I. 174. *D.* 175. *A.* Deum diligere super omnia, ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute, quantùm sufficit viatori ad salutem, est taliter affici ad Deum actu vel habitu, quòd Dei amicitiam, cujuslibet alterius rei dilectioni anteponat; sic quòd pro nulla dilectione sui, vel alterius, Charitatem Dei vellet deserere per transgressionem cujuscumque Præcepti Divini. *T.* III. 95. *B.*

Triplex autem statui potest perfectionis gradus in amore Dei.

Alius, est supremus, in Beatis, ubi cor fertur actualiter & assiduè, secundùm Charitatis metionem, in Dei dilectionem & amorem; ita ut nihil est quod retardet, aut interpolet, aut rumpat, aut impediat hujusmodi continuam in Deum lationem.

Secundus est & medius, qui secum peccata venialia actualiter admittit, nec solùm perficitur in ipsum cor per Charitatis habitum, sed frequenter per actum, quantùm humanæ vitæ fragilitas agi sinit, quamvis ad Beatitudinis perfectionem non attingat.

Tertius & infimus, eorum qui etsi non actualiter, tamen habitualiter cor habent junctum Deo, ut pueri baptizati; dormientes etiam adulti, cùm sunt in gratia; imò vigilantes, dum venialiter peccant, cor spargentes per varia creaturarum oblectamenta, salvâ tamen Charitate. *T.* III. 437.

Triplex etiam Deum actu diligentium genus.

Sunt à quibus non tam desideratur præmium, quàm æternum supplicium formidatur, quale profectò formidare cautum & licitum est.

Invenies alios, quos mercenarios dicimus, quia mercedem pro obsequio cœlestem expetunt à Deo tanquam Rege liberalissimo, aut tanquam à Patre misericordiarum & Deo totius consolationis. Et hi quidem rectè agunt, tanquam filii sibi malè conscii; sed non usquequaque ad perfectum.

Sunt alii, rariores, qui animo, neque servili, neque mercenario, & plusquam filiali rapiuntur in Deum, velut obliti suæ servitutis, suæ mercedis, suæ paternalis autoritatis, sociantur ei velut amicus ad amicum; imò suaviori conjunguntur ei familiaritate, sicut sponsus ad sponsam. *T.* III. 401. 402. Diligi potest Deus propter finem mercedis qui ipse est; vel prout *ly propter* diceret finem subordinatum, sub ultimo fine; aut prout causam motivam minùs principalem denotaret, aliàs non. Similiter de evasione damnationis dicendum. *T.* III. 82. *B.* Ad Mandatum de dilectione Dei in hac vita implendum, necesse non est statum perfectiorem eligere; sed qui minùs perfectum amplexi sunt, dicuntur ex toto corde diligere Deum, dum cavent inprimis offendere criminaliter eum; dum prætereà suscipiunt cum gratiarum actione gratiam bonitatis suæ, quæ noluit eos obligare, ut semper illud agere tenerentur, quod esset ex se melius.

Vana curiositas est eorum, qui volunt in omnibus scire quid melius est, quasi non satis sit Christiano, si se sciat in statu salutis esse. Neque tamen ad sublimiora quandoque prohibemur progredi: sed neque ad hoc teneri sentimus, neque semper expedire pronuntiamus, propter instabilitatis detrimentum. Quò fit, ut minora tenere fortiter sæpe sit consultiùs, quàm assidua vacillatione ad prærupta niti. *T.* III. 446.

Consonat his distinctio de dilectione Dei, quam non oportet semper esse maximam in sensu, per intentionem vel extensionem; sed in mente, per appretiationem, & per ponderationem, quâ citiùs eligitur omnis amor alius, propriæ etiam vitæ deseri, quàm Dei jubeatur offensa. *T.* III. 652. *D.* Amor Dei habitualis, seu Charitas diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, ita necessarius est homini, ut sine eo vita spiritualis animæ haberi non possit; nec quisquam Deo

Deo gratus, aut Beatitudinem mereri; ut latè docet Gersonius pluribus in locis, præcipuè verò initio libri *De Vita spirituali*. Ad actum autem amoris Dei super omnia eliciendum tenetur omnis adultus, cùm primùm rationis fit particeps, *T.* IV. 224. *B.* Deinde quisque Christianus adultus, dum mereri vult, aut dum mereri tenetur, quemadmodùm contingit in sumptione Sacramentorum, aut dum ad gratiam resurgere, vel ex ea jam habita tenetur operari. *T.* III. 9. *A.*

De Timore Dei.

Timor Dei aliquando præcedit amorem, ei conjunctus aliquando, pro diverso timoris genere. Dividitur autem timor, in initialem, mercenarium & filialem. Initialis pœnam incurrere; mercenarius perdere præmium; filialis separationem tantùm à dilecto refugit. *T.* III. 418. A timore servili concipitur filialis. Quinetiam timor servilis, radicaliter aliquando est filialis, ex voto primo, quod ex Charitate supponitur præcessisse. Ob hoc non absurdum videtur, si dicantur actus inde pullulantes, etiam dum, pro hora, solo timore disciplinæ complentur, laudabiles esse, & suo præmio non carere. Vulneratus adest aliquis, horret manum Medici, timet cedere doloribus, postulat ut ligetur; & si ipse ligatus reclamet, & nexus excutere satagit, sanatur tamen & laudatur, sibi quoque sua necessitas, in jucunditatem ultroneam commutatur. *T.* III. 70. *B.*

Amor Proximi.

Amorem Dei super omnia sequitur dilectio proximi sicut seipsum. Diligere autem proximum sicut seipsum, est velle proximo ea omnia, quæ secundùm rectam rationem vellet similiter proximum suum sibi velle. Hæc autem sunt indispensabiliter bona Charitatis & Gloriæ. Quia bonis fortunæ & naturæ & gratiæ gratis datæ possunt homines abuti, in perniciem sui vel aliorum. Non quilibet tenetur velle illa cuicumque proximo suo, sed aliquando non velle; quia & secundùm rectam rationem, ita deberet homo velle de seipso. Sic Judex, cum amore proximi, necat ipsum, aut bonis spoliat. Sic ingenium & scientia & divitiæ, possunt desiderari isti vel illi proximo non adesse, dum nocitura creduntur. Quantò autem plures dilectionis causæ concurrunt circa aliquem proximum, ut est habitudo Prælationis & subjectionis ad invicem; bonitas & ratio cognationis, beneficentiæ, consortii, patriæ, & similium; tantò, cœteris paribus, ille debet amari & præferri; tamen obligatio Legibus cauta præferenda est: ab inimico parato totaliter satisfacere de injuria, tenetur quilibet privatus satisfactionem suscipere vel indulgere: tamen verbum, aut societatem solitam, aut alia dilectionis signa possunt interdici, ad sui cautelam & non ad rancorem Inimicus non paratus corrigi, diligitur, quantùm sufficit ad salutem, si ei quis non vult malum damnationis, aut damni temporalis per injusta media; sed optare fas, ut sic sit in anima vel in rebus, ut neque privato, sicut neque Reipublicæ injustum damnum possit inferre. Hæc in *Regulis Moralibus.* *T.* III. p. 96. & 97.

§. 4.

De Eleemosina, Homicidio, Contractibus, Usura, Luxuria, Jejunio.

De Eleemosina.

CHaritas fraterna obligat pascere egentem in casu necessitatis, & imminente periculo mortis corporalis; ita ut retentio panis esset hoc in casu mortifera. *T.* II. 261. *C.* Contra primum Præceptum Decalogi peccant, operum misericordiæ corporalium, seu eleemosinarum retentores; veluti pauperibus indigentibus, cùm facultas adest, occurrente evidenti necessitate, non subvenientes; & specialiter, Parentes proprios, quod pudendum est, mendicare, aut deservientes esurire, aut egere permittentes. *T.* I. 238. Extat in regulis moralibus, de Præcepto dandæ ex necessariis & superfluis eleemosinæ, hæc regula, *Numero* LXXII. *T.* III. p. 92. Nemo de necessariis suis simpliciter tenetur elargiri, imò nec de necessariis secundùm statum suum; nec de superfluis suis, ut sua sunt, sub pœna peccati mortalis; nisi ubi gravis necessitas circa alterum (ipso præsumere debente, quòd alius non succurret) immineret. Necessitas enim extrema proximi, præferenda est soli decentiæ proprii status, quantò magis superfluitati.

De Homicidio.

Omne homicidium privatâ, non judiciariâ & legitimâ autoritate factum, tanquam grande crimen damnat Gersonius, & unum tantùm excipit necessitatis inevitabilis casum, qui tamen non semper excusat. Vide hujus Orationem, *De Erroribus circa Preceptum* Non occides. *T.* II. p. 340, aliaque ejus Scripta adversùs Assertiones Joannis Parvi.

In casu autem inevitabilis necessitatis, quando aliter vita defendi non potest, licitum quidem est vim vi repellere; nunquam tamen pro salvatione vitæ, aut cujuscumque rei suæ, licet alicui mortem alterius, de per se, scienter, viâ facti procurare; quamquam, si in defensione vitæ suæ contingat aggressorem occidi, à peccato immunis est occisor.

Quinetiam tenet Gersonius, à muliere posse licitè occidi virum, qui vult eam violenter opprimere, ut suam tueatur castitatem, si aliud remedium non suppetat. *T.* III. 917. *D.* At nunquam, ad salvandam vitam suam temporalem, innoxios viâ facti occidi posse statuit. Verbi gratiâ, si non aliter evadere quis possit persequentem se, quàm conterendo parvulos viam obsidentes, mors potiùs est expectanda. Ita etiam, dum quis est in extrema famis necessitate, non debet ab alio similiter famelico panem necessarium extorquere. *T.* III. 97. Sed nec in ullo casu seipsum occidere licet. *T.* II. 963. Bella, quæ malis innumeris plena sunt, nunc ad istos innocentes, nunc ad illos, sola utilitas Reipublicæ excusat à peccato, quæ utilitas est unio civium cum

Prin-

Principe & ad invicem, & conservatio Patriæ, aut evitatio damni publici notabiliter pejoris. *T.* III. 91. *C.*

De Contractibus.

De Contractibus, eorumque justitia vel injustitia, ex professo disputat Gersonius *T.* III p. 167. *& sequentibus.* Contractum definit: *Commutationem civilem legitimam.* Commutationis has species assignat, singulas bimembres & correllativas; venditionem & emptionem; locationem & conductionem; donationem & receptionem.

Contractus, ut sit legitimus, debet Legibus esse conformis. Per Contractum transfertur usus, aut dominium, mediante pretio, & est emptio vel venditio; vel sine pretio, & est mutuum.

Additur tertia species, quæ propriè non est Contractus, sed eleemosina.

Est & quarta, quæ dicitur camptio seu cambium, ubi fit translatio dominii de aliqua re ad aliam rem, remanentibus ambabus in sua essentia, ut vini ad frumentum &c; vel pecuniæ ad pecuniam; quamvis hæc species reducatur ad emptionem vel venditionem; vel si solus transfertur usus, redit ad locationem, vel conductionem; commodationem vel accommodationem. Si autem Contratus sit talis, virtute cujus transfertur usus rei, retento dominio, hoc contingit dupliciter: quia vel fit sine pretio mediante, & sic sunt duæ species correlativæ, commodatio & accommodatio; aut fit mediante pretio; sic sunt duæ species correlativæ, locatio & conductio. Potest addi tertia species, quæ dicitur censualis pensio, vel Emphytheosis, vel datio ad firmam. Adderetur quarta species, quæ est oppigneratio, nisi quòd ibi non est propriè translatio; sed tantummodò depositio, pro securitate mutui, vel commodati, vel crediti. Denique notari potest quòd in aliquibus rebus non est dominium separatum ab usu, ut in pecunia numerata, cujus dominium est usus: alioquin frustra esset; & insuper è converso in cibo, cujus usus est ipsa rei consumptio: & ita propriè non separatur usus hic à dominio. Unde consurgit non parva turbatio apud aliquos, nihil habere dicentes in proprio vel in communi.

Ex his facile est horum omnium Contractuum definitiones exculpere; quas tamen sigillatim tradit Gersonius.

Quod spectat ad justitiam & injustitiam horum Contractuum; observat venditionis & emptionis Contractum non ideò præcisè dici illegitimum, quia sit utilior uni parti quàm alteri, ut vendenti quàm ementi, vel è contra.

2. Non esse illegitimum, ex eo quòd res vendita potest ad tempus certum redimi, seu retrahi; Lege super hoc constituta.

3. Nec ex pacto potestatis datæ redimendi rem venditam ad certum vel incertum tempus.

4. Non esse illicitum ob hanc libertatem, rem pretio minori vendi vel emi.

Hæc secundùm Jus naturale. Sed præterea arbitrio Legislatoris subjacet Contractuum modificatio, limitatio vel amplificatio; eique fas est, quando expedit & decet, Contractus aliquos nunc confirmare, nunc irritare, pro temporum, locorum, personarum, & aliarum circumstantiarum variata qualitate. Non tamen fieri potest, ut quoslibet Contractus ita suis Legibus moderetur, quin subsequi possit multiplex abusus; non tamen propterea frustra conatur Legislator ad moderationem Contractuum. Denique arbitrio Legislatoris convenit, nedum Leges in Contractibus ponere, sed positas interpretari; non tantùm doctrinaliter, ut Jurisperiti possunt; sed authoritativè & judicialiter. Est enim Legislator tanquam Lex viva, director & epikeïes, dum & ubi provenit circa Leges difficultas, ex circumstantiarum varietate, quæ sunt innumerabiles, nec cadere possunt sub arte vel Lege. Ex quo elicitur altera veritas; quòd ubi super bonitate vel malitia quorumdam Contractuum difficultas talis exoritur, recurrendum est ad arbitrium vel interpretationem Legislatoris.

De Usura.

His de Contractibus generatim præmissis: de Usurario Contractu speciatim quid sentiat exponit Gersonius propositionibus sequentibus 1. Usurarius Contractus repugnat Legi Divinæ & Naturali, sic quòd ex suo genere malus est, nec potest benè fieri. Ad id probandum de Jure naturali, tres adducit rationes. 1. Contra naturam esse, ut nummus nummum pariat. 2. Contra naturam esse, ut sine labore velit quis vivere. 3. Quia recipientes ad usuram, dum pecuniam promptam inveniunt, faciliùs consumunt & exponunt, & otio vacant; & tandem gravi pauperie per æs alienum consumuntur. Fatetur tamen istas & consimiles rationes deducentes ad inconvenientia, non satis convincere volentem protervire: quia poneret ex adverso multos casus, in quibus magna utilitas & quasi necessaria sequeretur, tam in dante quàm in recipiente, sicut allegant aliqui de mendacio officioso; & alii, de simplici fornicatione.

Quoad Præceptum Divinum, allegat istud Christi: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Luc. VI. 35. Sed ab iisdem usuram Lege Divina prohibitam negantibus, dici posse ait; hoc verbum Christi non esse Præceptum, sed consilium. Similiter ad ea quæ subjungit & præmittit. Nihilominus asserit Gersonius, veritatem istam tenendam tanquam de Fide, & ex Ecclesiasticâ determinatione; sicut & de mendacio, quod non possit bene fieri. Ita tamen rem temperat, ut recipientem ad usuram, ob necessitatem, excuset à peccato; quia non censetur ejus actio voluntaria, sicut nec mercatoris projicientis merces suas in mare, imminente naufragio. Addit, Contractum usurarium, sicut in Antiqua Lege toleratus est, ita posse in Novâ permitti, sub certis modificationibus, non quidem ut esset licitus, sed ne deterius eveniret.

Quærit deinde, an ex hujusmodi tolerantia, sequeretur usurarium non teneri ad restitutionem illius quod supra sortem accepit; sicut non videntur teneri meretrices, in locis ubi tolerantur, ad restitutionem pecuniæ lucratæ per traditionem fœdi usus sui corporis. Cui quæstioni responsionem fortè dandam esse ait, secundùm duplex Forum Ecclesiæ, & Secularis Politiæ. Usurarius Contractus præcipuè fit in mutuo pecuniæ; dicitur enim usurarius, quasi usus æris: mutuum verò dicitur, quia de meo facio tuum. Et hoc præcipuè, inquit Gersonius, contingit in pecu-

nia, in qua dominium & usus pecuniæ, est ejus consumptio; & ita dominium transit cum usu. Propterea manifestatur iniquitas usurarii; quia de pecunia, quæ non est sua, sed alterius, facta per mutuationem, suscipit incrementum pecuniæ, quam exigit ultra sortem, vel aliud emolumentum ex pacto. Utrùm autem sine pacto committeretur usura, saltem in Foro conscientiæ, distinguendum esset, pro varietate casuum & intentionum: constat enim quòd recipiens mutuum, tenetur per legem amicitiæ & benevolentiæ suo mutuanti, ad quamdam amicabilem benevolentiam, quam potest intendere & expectare qui mutuum dat.

Secundùm has regulas, tum casum sibi propositum hoc in loco, tum alios varios usuræ casus resolvit in fine Sermonis I. *post Oct. Epiphaniæ. Eodem T.* III. *p.* 1010. 1011. *&* 1012. Et hic in genere, statuit omnes Contractus claudicantes, de se malos esse. Quo nomine Contractus eos intelligit, in quibus una pars est in securitate lucrandi quidquid eveniat, non autem alia. Ibidem, de venditione & emptione in mercimonias Leges æquas & necessarias invenies.

De Luxuria.

Adversùs omnes luxuriæ species intonavit Gersonius, & quantùm in se fuit, earum horrorem omnium mentibus incutiit, sanandorumque libidinosorum affectuum, & fœdarum tentationum vincendarum modos proposuit; tum in *Opusculo Tripartito*, tum in libro, *De Confessione mollitiei;* tum alibi sæpius. Fornicationem peccatum mortale esse, nec unquam fieri posse licitum, asseruit *T.* III. p. 172 *C D.* p. 250. 915. 927. 928. Choreas, ludos, Romantios, aliosque libros, necnon picturas & imagines, quibus ad luxuriam excitari possunt homines, à Christianorum auribus & aspectibus prorsùs amandari voluit, in libro *De Innocentia puerili*, ejusque definitione, & in libro *Contra Romantium de Rosa*, & alibi. De pollutionibus quæ dormientibus & vigilantibus accidere solent, aliisque motibus concupiscentiæ involuntariis, latè disseruit duplici in Opusculo. *T.* III. p. 323 *& sequentibus:* in quibus hæc statuit placita, sedandis quorumdam meticulosis nimiùm conscientiis aptissima; necnon Sacerdotibus qui à Confessionibus sunt, utilia.

1. Nulla pollutio inchoata & perfecta in somno, peccatum est.

2. Omnis pollutio, vel commotio libidinosa involuntaria, cui non accedit consensus voluntatis, sive directus & formalis, sive indirectus & interpretativus, peccatum non est. Utrumque probatur ex hoc Augustini effato: *Peccatum adeo est voluntarium, quòd si non esset voluntarium, non esset peccatum.* Quod quidem præsenti negotio adaptat, in lib. I. *De Civitate Dei. C.* 25; ubi loquens de violenta corruptione virginis alicujus: *Quantò magis*, inquit, *absque culpa est, in corpore non consentientis, quàm in corpore dormientis.* Dicentes oppositum, contradicunt non solùm Theologicæ, sed etiam Philosophicæ determinationi; nec habent quid respondeant, si fiat eis argumentum, de furiosis & infantibus, & aliis non utentibus ratione; quos pro tunc non peccare novâ transgressione, concors est omnium sapientium sententia.

3. Commotio libidinosa consurgit, pro statu naturæ corruptæ, nobis etiam invitis; & sæpissimè etiam prævenit judicium rationis; neque per consequens subest arbitrio, aut consensui libero; juxta Augustinum dicentem: *Non est in potestate nostra quibus visis tangamur: sed est in potestate nostra respuere vel acceptare.*

4. Voluntas erga hos motus affici potest multipliciter. Uno modo purè privativè, tam directè quàm indirectè, hoc est, absque omni actu suo volitivo, pro omni differentia temporis, quòd nec ante voluit quòd illa commotio fieret, nec aliquid disponens per se ad illam voluerit, dum fit; aut postquam facta est non advertit, & ob hoc circa eam nec consentit, nec dissentit. Alio modo, se habet purè positivè, tam directè quàm indirectè, hoc est, cum actu volitivo, vel notitivo; sic quod anteà voluit deliberatè vel noluit quòd illa commotio fieret; aut dum fit vel facta est, placet sibi vel displicet, deliberatè; sic quòd habet consensum vel dissensum liberum in tali commotione, acceptando illam vel deacceptando cum advertentia quòd ita vult vel ita non vult. Voluntas aliter se habet circa commotionem illam libidinosam quasi medio modo, sic quòd neque se habet purè privativè, nec volendo scilicet illam, nec nolendo; & similiter se non habet purè positivè, volendo deliberativè illam vel nolendo & ad eam actualiter se convertendo; sed habet se, quasi dissimulando, vel dormiendo, vel non curando, ita quòd nec expresse nec actualiter consentit in illam commotionem libidinosam, nec dissentit expresse, sed dissimulat & dormitat, dum attendere & vigil esse teneretur; aut dum advertit periculum, nec tamen obviare vel resistere conatur.

5. Duplex est voluntatis consensus; unus completus, deliberatus, & directus, dum voluntas attendens & advertens, vult nihilominùs sic agere. Alter incompletus, interpretativus, vel indirectus, dum voluntas omittit, negligit.

6. Homo præcisè dici debet contentire hisce motibus, quia illos sentit, iisque delectatur; nisi aliquo prædictorum modorum consentiat.

7. Pollutio corporalis tam nocturna quàm diurna, contingere potest non solùm absque peccato mortali præcedente; sed ex merito, ut ex arcta abstinentia, ex operibus charitatis, *&c.* plerumque ex temperamento eveniunt.

8. Cogitationes carnales, & fluxus inde sequentes absque consensu voluntario, vincuntur plerumque salubriùs, tutiùs & efficaciùs, si ratio se habet circa illas per modum non curantis, vel divertentis voluntatem ad alia, quàm si sollicitetur, tristetur, turbetur, & conetur tales expellere. Nam auget cogitatio vehemens, vel imaginatio, conatum, ac proinde nutrit cogitationes hujusmodi, multiplicat, & efficaciores reddit ad fluxum consequendum.

9. Absque revelatione, certò omnino sciri non potest, an non pollutio proveniat ex consensu vero, vel interpretativo: at certitudo moralis haberi potest, quæ ut in aliis, sufficit ad conscientiæ tranquillitatem.

10. Cùm quis in dubio est, expedit confiteri Sacerdoti discreto, prudenti vel experto, qui noverit qualitatem morbi discernere, & consilium salubre confitenti tribuere, secundùm conditiones ejus, & particulares alias circumstantias, & cui merito fides adhibeatur omnimodâ à confitente. At post consilium acceptum, dimittat homo timores & scrupulos nimios; alioquin caderet in superbiam, ac pusillanimitatem spiritus.

11. Pollu-

11. Pollutio vel fluxus, qui nihil habuerunt de consensu, nec per consequens de peccato, non impediunt hominem per se à Celebratione: dicitur, *per se*, qui per accidens aliter est; sive ob circumstantias, sive ob fœdas cogitationes consequentes, quæ turbant animam, & impediunt quominùs suæ potestatis sit, sese que ad recipiendum Corpus Dominicum, aut celebrandam Missam rectè præparare valeat.

12. Præcipuè ex divino munere, & non ex nostra industria seu præparatione, reddimur digni participatione Sacramentorum. Nemo confidat in multitudine virtutis suæ, & in repetitione Confessionum; aut devotionis, aut recollectionis serenitate (potest enim fieri, ut Confessio crebra super venialibus obsit per accidens.) Denique evenit aliquando, ut turbationes, pugnæ, deordinationtes, & fœditates inferiùs sensualiter agitatæ, succrescere faciant superiùs meritum nostrum; sicut è contra magna utrobique serenitas, superbiæ ventum omnia funditùs evertentem, repentè nonnumquam inducit. Tantummodò exinaniat se anima, quantùm poterit; nec ob aliud contemplationi, vel studio, aut quieti quilibet insistat, nisi ut apud se exaltetur Deus; ac perinde magis ac magis humilietur, & in suam parvitatem, imò nihileïtatem resiliat, & resiliens cadat, & Deus suscipiet eam. Hæc via lata est & regia.

De Jejunio.

Ad domandam carnem utilia sunt jejunia à Deo commendata: ut autem homines eis vacarent certis temporibus, aliqua observanda præcepit Ecclesia; ut in Vigiliis Festorum, in Quadragesima &c. *T.* III. 1057 & 1065. Ea frangere sine causa, & per superbam inobedientiam, grande peccatum esse monet. *Ibid. p. &* 433. Quando autem sine culpa solvi possint, ex sequenti regula judicari vult. Nullam personam obligari ad jejunandum, si benè videat & sciat, jejunium esse in notabile & magnum præjudicium vitæ suæ corporalis, aut usus rationis, per evacuationem cerebri, aut alio quovis modo; imò qui faceret, aut facienda consuleret hujusmodi jejunia, talis peccaret. A jejunio, juxta hanc regulam, immunes decernit pueros ordinariò, usque ad vigesimum primum annum; mulieres prægnantes, nutrices, infirmos; pauperes ex labore lucrantes vitam; ex necessitate peregrinantes, mendicantes; aut quos jejunium dormire penitùs non sinit. Sed in casibus dubiis, consulit, ut qui vult solvere jejunium, id faciat apertè, & per facultatem Prælati sui, vel Confessoris. Nonnunquam etiam jejunium solvi posse aït, ob societatem; ut ad consolandum infirmos, vel propter uxorem, vel propter amicum suum peregrinum, vel ob aliquam bonam intentionem charitativam: sed cavendum diligenter, ne loco charitatis, se immisceat carnalitas. Has statuit Gersonius regulas circa dispensationem jejunii, in Sermonibus *Dominica* I. *in Quadragesima. T,* III. *p.* 1057 *&* 1058. 1065 *&* 1066 & *Regulis Moralibus. p.* 94. Immodica verò jejunia vituperat multis in locis: & minus malum esse ait, excedere nimis nutriendo corpus suum, quàm non satis; quia difficiliùs potest afferri remedium, cùm corpus est læsum per nimiam abstinentiam. Nequit equidem determinari per certam regulam quantitas abstinentiæ vel cibi: sed experientia propria, & longa; vel discretio humilis credens sapientiorum consilio, id docebit. Idem de vigiliis, aliisque exercitationibus dicendum. *T.* III. *p.* 241. *C.* 416. 417. 609. *A.*

Demùm, ut finem, de moribus, loquendi faciamus hac Ecclesiastæ sententia, quam alicubi sic exponit Gersonius; *Deum time*, de te desperans, in se fidens, *& Mandata ejus observa*, quod in te est non omittens, *hoc est omnis homo* Eccle. XII. 13.

CAPUT IV.

De Theologia Mystica.

§. I.

De Doctrina Mysticæ Theologiæ; Amore Extatico & Oratione Perfecta.

Theologia Mystica Doctrina.

TRactaturus de Theologia Mystica Gersonius, observat in Prologo libri *De Theologia Mystica. T.* III. *p.* 362: Nullam sublimiorem esse materiam, nullam diviniorem; sed nec ullam esse, quæ difficilior sit ad inquisitionem; sicut nulla potest salubrior inveniri, utpote in qua nostræ felicitatis cardo figitur. De ea multi multa scripserunt & dixerunt; fueruntque plures elevati in doctrina Theologiæ Mysticæ, nitentes principaliter exemplo nostro Jesu Christo; sed inventum est, quòd aliqui per errorem & insipientiam; aliqui per cordis elationem & superbiam; multi per carnalitatem & flagitiosam concupiscentiam submersi sunt. *T.* I. 115. 116. Sicut autem ex carentia pii affectus, & magis ex infectione ejus per vitia, errant nonnunquam peritissimi in Sacris Litteris: ita ex parvulo lumine intellectûs & parvâ Logicâ, prolabuntur quandoque in errores periculosissimos, illi qui magnorum sunt erga virtutes affectuum, quales Apostolus novit habere *zelum, sed non secundùm scientiam.* Rom. x. 2. Adeo ut si non humiliter sapiant, & nisi se contrahant intra metas suæ cognitionis, nulli pertinaciùs inveniutur, neque absurdiùs errores confingere. Propterea non leviter scribere debent vel docere; sed nec absque cautela magna adhærendum est eis, non prævia discussione diligenti & Doctorum examinatione. Ubi enim de veritate Fidei quæritur, traditâ in Sacris Scripturis, magis interrogandi, consulendique sunt Theologi; vigentes in contemplatione secunda, quàm idiotæ pollentes in prima, secluso in eis patenti revelationis miraculo. *T.* I. 62. 63. Theologia Mystica præcipuè consistit in affectibus, & spitituálibus, ut loquuntur, sentimentis, circa quæ non est

fas homini magisterium assumere sibi in omnibus: sed Spiritui Sancto debet hæc gratia relinqui; quia *Ubi vult spirat, & vocem ejus audis, & nescis unde veniat aut quò vadat.* Proptereà non debet ejus inspiratio sub certis regulis aut terminis comprehendi. *T.* I. 20. *D.* Innititur ergo Theologia Mystica, ad sui doctrinam, experientiis habitis ad intra, in cordibus animarum devotarum; sicut alia duplex Theologia (symbolica & propria) ex his procedit, quæ extrinsecùs ostenduntur. Has verò cognitiones experimentales de Deo interiùs, vocant Sancti variis nominibus, sicut, pro rei varietate, multiplicatæ sunt super numerum. Vocant autem Contemplationem, extasim, raptum, liquefactionem, transformationem, unionem, exultationem, jubilum &c.

Cùm itaque Theologia Mystica innitatur experientiis perfectiori certitudine cognitis; ita perfectior atque certior debet judicari. At quamvis nullus eam attingat perfectè, ignoratis ejus principiis, quæ per experientiam interiorem accipiuntur; non est tamen ab ejus doctrina danda, vel accipienda desistendùm. Nequaquam verò Mysticæ Theologiæ auditores idonei sunt, qui nolunt credere, ut tandem intelligant: quippe multa possunt cognosci per aliorum traditionem, si fides præstetur iis quæ Sancti Viri talium experti, tam in sermone, quàm scriptura tradiderunt, quibus in nullo credere quàm in civile, quàm discolum, quàm impium; quos fallere velle cœteros, nullo pacto suspicari patitur eorum veracissima sanctissimaque probitas, nulli lucro, nullique honori inhians; nec odio, vel alia passione vitiosa laborans. Falli autem eos posse in experientia taliter certa, qualiter prædiximus, quis putaret? Adde quòd non unus, aut alter ista dicunt, sed mille; immò innumeræ assertiones talium concordissimè dicentium. Operationes quidem interiores, præsertim in affectu, non ita clarè proferuntur, nec ita possunt scriptis tradi sicut sentiuntur; & possibile est hominem minùs expertum devotorum affectuum, in eorum disputatione magis eruditum inveniri: fieri enim potest, ut homo parum aut nihil devotus, possit aliorum devotorum scripta legere, conferre ad invicem, unum ex altero concludere, vel elicere; impugnare vel fulcire. Hinc expedit, scholasticos viros, etiam devotionis expertes, in scripturis devotis Theologiæ Mysticæ diligenter exerceri, dummodò credant eis. Primùm, quia quis novit, si tandem in ipsis, ex hujusmodi familiari collocutione, generabitur, ut solet, quidam amor & ardor experiendi ea quæ sola interim Fide tenent, & quæ docta ratiocinatione conferunt ad invicem. Rursùs: Alius fructus est, quòd prædicatio sumpta ab hujusmodi doctrina, poterit accendere ad amorem Dei jam præconceptum, remanente etiam frigido pectore ejus qui loquitur. Denique: Compertum est multos habere devotionem; sed non secundùm scientiam, quales, procul dubio, pronissimi sunt ad errores, etiam supra indevotos, si non regulaverint affectus suos ad normam Legis Christi: si prætereà capiti proprio, propriæ scilicet prudentiæ, inhæserint, spreto aliorum consilio.

Hæc de præambulis ad Theologiam Mysticam Gersonius, in novem primis Considerationibus libri, *De Theologia Mystica. T.* III. *p.* 365. *& sequentibus, usque ad* 370.

In secunda & tertia hujus Operis Parte, de potentiis animæ, earumque, ut appellat, luminositate disserit: ubi tres distinguit in genere virtutes cognoscitivas, totidemque affectivas in homine: cognoscitivas quidem, imaginationem, rationem, intelligentiam: affectivas, appetitum sensitivum, volitivum seu voluntatem, & appetitum quemdam superiorem, qui synderesis dicitur.

In tertia, agit de tribus actibus intellectivæ potentiæ, qui tribus terminis generalibus exprimi solent ab iis qui de contemplatione scripserunt: sunt autem cogitatio, meditatio, contemplatio; & sic eas post Richardum definit.

Cogitatio, est improvidus animæ obtuitus circa sensibilia, ad evagationem pronus. Meditatio, est providus animæ obtuitus in veritatis cognitione vel inquisitione vehementer occupatus. Contemplatio, est perspicax & liber, id est, expeditus animi contuitus in res spirituales perspiciendas, usquequaque diffusus, & in divina specula* suspensus.

Cogitatio facilis est, quia formatur immediatè, vel ex sensationibus actualibus, vel ex phantasmatibus passim occurrentibus; & ultra non nititur. Meditatio difficultatem sortitur, ex eo quòd ultra sensationes actuales, vel phantasmata passim occurrentia, ipsa nititur ultra pertingere, vel in aliquo fixa stare: experitur in se crebrò quilibet studiosus difficultatem, quæ est in sistendo ad aliquid attentè considerandum, cogitationem, sine diverticulis ad alia. Contemplatio facilitatem habet, tum ex habitibus per meditationem acquisitis, tum propter abstractionem & separationem intelligentiæ à sensibilibus; tum sæpiùs propter Divinæ gratiæ collustrationem in divina spectacula sublevantem. Meditatio nimirùm, si debitè fiat, transit in contemplationem; sicut cogitatio in meditationem. Contemplatio haberi nequit per solam imaginationem, nec per solam rationem, quamvis utraque adjuvet; sed per sublimen intelligentiam.

* *Forsan leg. spectacula*

Tribus præfatis cognoscendi modis tres affectus respondent; qui sunt primò cupido, vel libido, seu concupiscentia; secundò, devotio, vel contritio, seu compunctio, aut oratio; tertiò, dilectio non quæcumque, sed extatica & anagogica sursùm rapiens in divina, quæ ultra devotionem addit facilitatem & jocunditatem inæstimabilem, & inexpressibilem, & exuperantem omnem sensum.

Hæc est Mystica Theologia quæ quæritur. Differt autem à speculativa; quia hæc est in potentia intellictiva, cujus objectum est verum; illa in affectiva, cujus objectum est bonum. Una ratiocinationibus acquiritur; alia per affectus, & per exercitium moralium virtutum.

Theologia Mystica, scientia est propriè fidelium & humilium, ac rudibus & illiteratis convenire potest; cùm speculativa servire possit vitiis, & in perversis ac superbis inveneri. Speculativa, si sola est, nunquam quietat: per Mysticam verò sumus in Deo, hoc est, in eo stabilimur, & à mari turbido sensualium desideriorum, ad littus solidum æternitatis adducimur.

De Amoris proprietatibus, & Animæ transformatione in Deum.

Amoris illius, qui contemplationis finis est, tres sunt proprietates; rapere, unire, satisfacere. Primò enim rapit ad amatum, & inde extasim facit; secundò, jungit cum amato; tertiò, sibi solus sufficit, nec aliud præterea amare quærit.

Raptus, vocatur elevatio potentiæ alicujus supra inferiores potentias, & ex actuatione ejus in sua operatione cessantibus, vel debilitatis actibus inferiorum potentiarum. Extasim dicimus quamdam speciem raptus, dum mens ita suo actu suspensa est, ut potentiæ inferiores cessent ab actibus suis, sic quòd nec ratio, nec imaginatio, nec sensus exteriores possint elicere suas proprias operationes. Utriusque radix est amor, quo veluti pondere trahitur ac rapitur anima.

Per amorem etiam spiritus noster fit unus cum Deo, per voluntatis conformitatem, qui affectus, transformatio nominatur: sed transformationem illam variè intelligunt. Fuerunt enim qui dicerent, spiritum rationalem, dum perfecto amore fertur in Deum, deficere penitùs à se, ac reverti in ideam propriam, quam habuit immutabiliter ac æternaliter in Deo; quodque anima talis perdit se & esse suum, & accipit verum esse divinum; sic quòd jam non est creatura, nec per creaturam videt aut amat Deum, sed est ipse Deus qui videtur & amatur.

Hanc insaniam hìc & alibi rejicit Gersonius velut errorem; aïtque, Animam semper remanere in suo esse proprio quod habet in suo genere, & dici tantùm similitudinariè transformari, sicut amatorum dicimus cor unum & animam unam.

Fuerunt alii, ponentes quòd amor creaturæ ad Deum, nihil est aliud quàm Deus, & ita, quòd spiritus rationalis formaliter amat Deum per Spiritum Sanctum. Quæ opinio imponitur Magistro Sententiarum & à Doctoribus non tenetur.

Fuerunt alii, qui per similitudines repertas in corporalibus, voluerunt hanc unionem, seu spiritualem transformationem reddere clariorem. Dixerunt enim, quòd anima sic unitur Deo, & in ipsum transformatur, sicut si gutta aquæ mittatur in dolium fortis vini: illa namque gutta tunc perdit esse proprium, converti turque totaliter in vinum; velut etiam si cibus convertatur in cibatum, juxta illud quod Augustinus loquitur: ***Cibus sum grandium, crede & manducasti; nec tu me mutabis in te, sicut cibus carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.*** Hac occasione meminit Gersonius se legisse, quòd ad prædicationem præfatæ similitudinis animæ ad Deum, devota quædam mulier sic exæstuavit, sic exarsit intrinsecùs, quòd concepto spiritu sese non capiens, ipsa velut mustum novum absque spiraculo, ruptis venarum & nervorum vinculis, vitam cum sanguine tradiderit.

Traducunt aliqui verbum devoti Bernardi, quòd ***veriùs est anima ubi amat, quàm ubi animat:*** quasi videlicet amando se, & corpus deserat, ac in Deum suum tota transeat. Verùm hæc similitudo deficit, habetque plurimùm de dissimilitudine: alioquin rediremus ad errorem priùs commemoratum; non enim perdit anima in hac unione suum esse proprium, sicut gutta aquæ.

Rursùs, propter eamdem rationem, similitudo Transsubstantiationis quæ fit in Sacramento, non satis est idonea ad explicandam transformationem amantis in Deum amatum.

Adducunt autem alii similitudinem ferri candentis, seu carbonis igniti, ubi ferrum & carbo remanent sub esse proprio; induunt tamen quasdam proprietates ignis & proprias perdunt.

Dant alii similitudinem de unione materiæ ad formam.

His relatis opinionibus ac similitudinibus, censet Gersonius, amore hominem uniri cum Deo, quia quidquid in homine reperitur spiritale vel divinum, segregatur quodam modo per amorem vivificum, ab omni eo quod terrestre est atque corporeum: sicque fit ibi divisio spiritus & animæ, idest spiritualitatis & animalitatis & sensualitatis; & separatur pretiosum à vili: & quia Deus Spiritus est, & similitudo est causa unionis, perspicuum est cur spiritus rationalis sic depuratus & defæcatus, unitur Spiritui Divino: quia scilicet similis efficitur cum Deo; & spiritus ita assimilatus Deo, afficit consequenter corpus proprium; quod ita affectum, gerit quasdam proprietates ipsius spiritus. Per hanc amorosam unionem quietatur anima, satiatur, stabilitur.

De Oratione Perfecta.

Proprietates & conditiones supradictæ, orationi perfectæ convenienter ascribi possunt; imò in anima contemplativa idem sunt amor, Mystica Theologia, & oratio perfecta. Quid enim est aliud oratio perfecta, quàm hujusmodi experimentalis & affectualis cognitionis notitia? Oratio quidem describitur; Elevatio mentis in Deum, per pium & humilem affectum; at nullus est affectus mentali & intellectuali superior: oratio enim solùm in voce & imaginatione versata, caret suo perfectionis complemento; transeat necesse est ad mentem & cor. Et in hac oratione perfecta, potius quàm in contemplatione intellectiva, felicitas animæ rationalis in hac vita ponitur. Ea oratio soli Deo dat gloriam, adorationem, gratiarum actionem & honorem, eum sibi amicum concilians. Ac inde per legem amicitiæ, quæ est idem velle & nolle, ipsa quod petit accipit, & quod quærit invenit, sibique pulsanti aperitur.

Hæc sunt Gersonii de Mystica Theologia principia speculativa, in libro de hoc argumento. *T.* III. *p.* 362.

§. II.

De Praxi Theologiæ Mysticæ, Meditatione & Contemplatione.

De Praxi Theologiæ Mysticæ.

DE Theologiæ Mysticæ praxi agit in altera Parte, quæ longè differt ab eorum vanis cogitationibus, qui illam in nuda ac sterili contemplatione Essentiæ Divinæ, sine Attributis, sitam esse volunt. Nam ad practicam Mysticæ Theologiæ has præscribit Considerationes.

1. Dei voluntatem attendere, seu vocationem. 2. Propriam complexionem agnoscere. 3. Proprium Officium vel statum aspicere. 4. Semetipsum ad perfectionem exercere. 5. Occupationes fugere. 6. Curiositatem deponere. 7. Longanimitatem assumere. 8. Passionum vel affectionum origines advertere. 9. Tempus idoneum & locum inquirere. 10. Somno & cibo moderanter indulgere. 11. Meditationibus piis generativis affectuum silenter insistere. 12. Spiritum à phantasmatibus avertere.

Utrùm autem apex mentis ferri possit in Deum per amorem extaticum absque prævia, vel concomitante cognitione, disputat in Opusculo *De Elucidatione Mysticæ Theologiæ*: ubi post alia concludit; stare non posse in hominis mente, sine qualicumque Dei cognitione; quia omnis apprehensio vel motio intellectualis, sive de Deo, vel de aliis, dici potest cognitio & visio; per illum loquendi modum, quô utimur de sensibus exterioribus, ubi omnis sensatio, visio nominatur.

De Meditatione.

Ad Mysticam illam Theologiam, seu perfectissimum Dei amorem, meditatione & contemplatione pervenitur. Meditatio definitur à Gersonio: Vehemens cordis applicatio ad aliquid investigandum & inveniendum fructuosè. Additur, fructuosè, ne meditatio vergat, aut in curiositatem, aut in melancholicam stoliditatem. Hanc comitari debet affectus & devotio. De ratione meditandi leges præscribere difficilimum censuit, cùm pro diversitate hominum, varietas in meditando sequatur. Multi in meditatione possunt abusus irrepere, nisi adsit discretio moderatrix in omnibus, & assiduo usu. Meditatio quæ primùm difficilis est, fit facilior nihilominus exercitatis, qui & in ea laborem sentiunt. Qui nondùm pargati sunt, interdum graves tentationes sentiunt, cùm cogitationes eorum per fœda & sordida vagantur. Tyrones in hac arte, debent Directoris opera uti, & ejus consilium sequi. In meditationibus, à visibilibus ad invisibilia ascendere oportet.

Hæc & alia de meditatione Gersonius, in Opere ea de re edito. *T.* III. *p.* 449.

De Contemplatione.

Absque meditationis exercitio, nullus, secluso miraculo Dei speciali, ad perfectionem contemplationis dirigitur, aut pervenit: transit enim meditatio in contemplationem, nec ab ea differt, nisi penes facile & difficile. Describitur autem contemplatio; Liber & expeditus mentis intuitus in res respiciendas, usquequaque diffusus, & hoc quoad contemplationem, quæ respicit intellectum. Nam quoad contemplationem, quæ consistit in affectu vel praxi, describit eam Hugo: Sublevatæ mentis jubilus; mors quædam carnalium desideriorum, hoc est, gustare quàm suavis est Dominus. Quem gustum sequitur longè alia cognitio, quàm fuerit intellectualis solùm visio, seu quædam auditio per Fidem aut Scripturas. Quamvis autem copia scientiæ & litteratura, eruditioque Legis Divinæ ac Sacræ Scripturæ, non modicum ad apicem contemplationis volare cupientibus, præstet adminiculum: id ipsum tamen interdùm obest multùm pluribus, non quidem ex se, sed occasione inflationis ex scientia provenientis & acceptæ. Impossibile est autem ad veram contemplationem alio itinere, quàm per humilitatem pervenire. Quidam vel à natura, vel ab indole, vel à consuetudine ad exteriora inclinati, ad contemplationem se elevare nequeunt, & ad vitam activam multò aptiores reperiuntur; & si ad oppositum niterentur, in magnos inciderent errores & blasphemationes; ideoque tales in activa seipsos exercitare debent. Alii contemplationi sunt aptiores; & exterioribus occupati, plùs deficerent quàm proficerent. Alii modò se uni, modò se alteri vitæ tradere valent, quales decet esse Prælatos.

Duo sunt contemplationis modi. Sunt qui per rationes fundatas in vera Fide, Dei naturam & essentiam, & ejus opera inquirunt. Aliud contemplationis genus est, quæ principaliter trahit ad Dei amorem, & ad sapiendam suam bonitatem, sine magna inquisitione clarioris cognitionis, quàm est talis de vera Fide, quæ data est eis, aut certè inspirata; & ad hanc contemplationem possunt pertingere simplices: sapientia illa est, non scientia. Nam sapientia pertinet ad affectum; scientia ad intellectum. Sufficit autem ad perveniendum ad talem sapientiam, scientia, quæ habetur de Deo per Fidem, per amorem Dei, servitium & honorem. Radix & finis vitæ contemplativæ, est amor Dei, quo omnes curæ & occupationes, ob ejus dilectionem dimittuntur. De terrenis præsertim intellige, & de iis quæ contemplationem notabiliter impedirent. Nam modica & temperata occupatio aliquando necessaria est, & valdè proficua ad vitam contemplativam, ad pigritiam aut etiam malam tristitiam depellendam. Licèt vita contemplativa sit activâ perfectior; verum est tamen quòd aliquis potest in vita sua activa plus Deum amare, quàm alius facit in vita sua contemplativa, & talis est magis perfectus. Ex quo patet, illos decipi, qui putant vitæ contemplativæ finem esse, solùm scire vel acquirere novas veritates; cùm finis principalis ejus sit, Deum diligere, & degustare quàm bonus sit ipse. Quamvis iste sapor, seu gustus, vel attractus, aut spirituale illud sentimentum, potest dici modus cognoscendi; quia amor ipse cognitio est, sicut Augustinus testatur.

Ut

Ut illuc perveniatur, primùm amor mundi, rerumque mundanarum penitus removendus, & è pectore eliminandus. Quibus modis removeri queat docet Gersonius.

Primus deinde ad vitam contemplativam gradus, est humilis Confessio, Pœnitentia mediante & carnis castigatione; quod fit per jejunium, vigilias, & abstinentiam, afflictiones, lachrymas, gemitus & suspiria crebra, ac etiam per laborem: qui enim ante Pœnitentiam talem repentè vellet uti perfecta vita contemplativa, hic seduceretur. Postquam persona devota in vita activa usitata fuerit, & corpus suum in servitutem spiritus redegerit, ad minùs saltem in maxima parte, si non in toto, ac amor mundanus ei displicuerit; talis persona tunc erit quasi languida. Non enim vult recipere complacentias, seu delectationes & consolationes, quas habere posset ipsius Mundi: nihilominùs tamen adhuc non habet spirituales placentias, seu delectationes, quas desiderat: & ita sustinet feroces insultus sæpiùs duros & graves, causantes sibi pœnam mirabilem ad vincendum, & modicum, vel nihil recipit consolationis. Post hoc duellum & hunc languorem, incipit meliùs se habere & convalescere: & in tali statu potest ascendere in secundo gradu scalæ contemplationis, quæ dicitur secretum & silentium, quod præcipuè haberi debet ad intra in anima, magis quàm ad extra; hoc est, quòd anima excludat à se & habitatione sua omnem curam humanam mundanam, omnemque cogitationem vanam vel nocivam, & quæcumque ea impedire possunt, ad illuc perveniendum quò tendit. Ibi Gersonius de loco ad contemplationem aptissimo eligendo, & de corporis statu disserit. Deinde de contemplationis utilitate & excellentia: inde progreditur ad tertium contemplationis gradum, quem fortem perseverantiam appellat. Cum adjutorio enim gratiæ, inquit, divinæ, perseverantia fortis ponit atque collocat in altitudine perfectæ contemplationis, ordinatque hominem in statu perfecto, in quo potest dici vivere amore. Tunc enim sentit consolationes amoris, non sentiendo tribulationes: de nulla enim re alia cura est, nisi Deum amare, de ipso meditari atque loqui; & pro ejus amore, fugit fatuas delectationes hujus Mundi, atque ejusdem Mundi adversitates cum gaudio suscipit. Et in statu isto anima devota ardet dulciter, suaviter atque purè, igne spirituali succensa. Sed tamen non est quòd, quamdiu in hac mortali vita vivitur, sine dono ac privelegio gratiæ specialis, aliquis in tali perfectionis statu posset permanere, sine sui mutatione; quin potiùs dico, usque ad mortem, de statu in statum, variationem sæpe & mutationem fieri. Sed qui jam ad talem statum perfectionis pervenit, talis diutiùs in eo permanet, & sæpius quàm alii immoratur: & quando excidere contingit & labi, ex eo citiùs relevatur in aliquem de duobus primis statibus.

His observatis, Gersonius impedimenta plura quæ in montem contemplationis tendentibus se objiciunt enumerat: deinde varia contemplationum argumenta & exempla subjicit.

Hæc in libro *De Monte Contemplationis. T.* III. *p.* 545. *& sequentibus.*

De Simplificatione & Directione Cordis.

Ad contemplationem pervenitur per simplificationem & directionem cordis. De utraque, peculiari Opusculo Gersonius. *Ibidem p.* 457. & *p.* 468. In primo Tractatu docet modum abstrahendi intellectum & cor à rebus sensibilibus & corporeis, & convertendum illa ad bonum in genere, ad Deum, ut Patrem cœlestem, Benefactorem, Redemptorem, Salvatorem, Judicem, Dominum; imò sponsum & amicum suum: in altero, quo pacto voluntatem Justitiæ Dei, Legibus, ejusque voluntati conformare debeamus: in explicanda autem illa cordis rectitudine, observat quosdam fuisse, qui dicerent; hanc rectitudinem cordis ad Deum, esse ut vellet homo quidquid vellet Deus, & non aliud, vel aliter. Aliis visum esse, quòd voluntas Dei non obligat voluntatem creaturæ ad imitationem sui & conformitatem, & per consequens, nec ad suam rectitudinem; nisi primò sit cognita voluntas Dei ipsa; & denique quòd ad ejus imitationem obligetur sub Præcepto affirmativo, vel negativo; quod aliqui sic explicant, ut cor hominis teneatur velle illud quod scit quod Deus vult ipsum velle, & hoc non solùm consultivè vel permissivè, sed præceptivè, ut dictum est. Reducitur ergo, secundùm istos, tota cordis rectitudo, ad rectitudinem impletionis Divinorum Præceptorum, quæ sunt Judicia, seu dictamina Divinæ Justitiæ. Fuisse & alios, quibus hoc non satis amplè dictum videbatur, qui distinxerunt triplicem in homine voluntatem; appetitum sensualem; rationem inferioris partis; & rationem superioris, quæ conformatur ad Leges æternas; & idcircò dicitur voluntas rationis. Hìc dicunt consequenter, quòd voluntas consequens judicium rationis superioris & directionem ejus, debet semper esse ita conformis Divinæ voluntati, quòd in nullo unquam remurmuret, nec de damnatione hominum, nec de permissione peccatorum, nec de gratiæ substractione; imò nec de sua futura damnatione, si illam Deus disposuerit justo suo Judicio venturam; sed dicat humili corde, sine murmure, *Justus es Domine, & rectum Judicium tuum.* Non quòd homo simpliciter & absolutè debeat consentire in damnationem suam, sicut nec in peccatum, vel desperationem: sed hæc ita sub conditione proponuntur.

Quamvis, inquit prudentissimè Gersonius, non expediat apud multos, tales interrogationes particulares sibi formare, vel in eis deliberando diù stare; hoc tamen potest fieri, ut secundùm judicium rationis superioris nolit in aliquo remurmurare Divinis dispositionibus, quod facilius est, quàm positivè eas laudare, & approbando, in ratione ejus gaudere.

Hæc pauca de multis, quæ de Mystica Theologia tradidit Gersonius. Autorum qui de illa scripserunt Opera enumerat, & commendat. *T.* III. 369. 434. 545. 571. Inprimis Bonaventuram laudat, *T.* I. *p.* 21. 91. 115. 116.

§. 3.

§. 3.

De Erroribus Mysticorum.

VErùm si inde Mysticos sanos & sobrios magni fecit Cancellarius noster: aliundè, vel delirantium, vel minùs cautè loquentium erroribus non pepercit.

Primùm enim, eos improbavit, qui in Theologia Mystica nituntur involvere sententias sermonibus imperitis & inusitatis; vel qui eos volunt laudare atque defendere, & defendendo, seipsos magis involvere. Et ad id probandum, adducit particulam cujusdam Sermonis facti in Capitulo Carthusiensium, ubi sic habetur. Quartam verò devotionem falsam, id est, vanam & curiosam illi exercent, qui sine mortificatione propriæ voluntatis, & zelo Domino serviendi, vitam spiritualem consistere credunt in ruminatione, vel potiùs phantasiatione rerum spiritualium; æstimantes hanc ipsam phantasiationem, vel delectationem inde consequentem, devotionem esse: unde hi, ad hanc ipsam consequendam, non contenti modis loquendi Sacræ Scripturæ, adinveniunt sibi, vel fingunt de rebus spiritualibus modos abstractiores, eò quòd tales majorem eis delectationem generent. Plerumque etiam ob hoc, materias satis faciles obscuris modis & abstractis, in quibus delectantur, obvolventes; aut vocantes humiliationem, vel fortassis etiam altam contemplationem, submersionem in abyssali profundo, divinum amorem, annihilationem, vel in nihilum redactionem, charitativum motum mentis in Deum, influxum in Deum, effluxum à Deo; & sic de aliis consimilibus: quamvis tamen Christus, Prophetæ & Apostoli, & omnes Doctores Scripturæ Sanctæ tractatores, quantùm poterant & expediebat, ea quæ difficilia fuerunt, per modos loquendi fecerunt facilia.

Secundò. Eos damnat, qui Mysticam Theologiam omnes passim ediscere volunt & cunctos sine delectu, sine præparatione ad vitam contemplativam invitant. Fatetur enim aliquos ejus esse indolis, quæ ad contemplationem idonea nequaquam sit. Hos periculosum, imò damnabile esse aït, contemplationi vacare; sed oportere eos continuè occupari vitæ activæ laboribus. Alios ex Officio teneri vitam activam ducere, ut sunt Prælati, Officiales, mulieres maritatæ pueros habentes, & familiam gubernantes, aut qui tenentur servire suis parentibus. Hos, si cùm operi instare debent, ex Officio, contemplationi vacarent, magno in errore versari nemo dubitaret. *T.* III. 556. 562. Nec cuiquam consulit ad vitam contemplativam tendere, nisi per activam. 555.

Tertiò. Vitam contemplativam non ita amplexandam esse, ut vitæ omnis activæ opera (quod nonnullis Mysticorum placuit) negligantur & abjiciantur. Utraque enim vita conjungenda est, præsertim in Prælatis, imò in ipsis Religiosis, quibus ait, expedire laborare etiam interdùm manibus suis: quod negligentes quidam, non quidem ob corporis debilitatem, sed ex desidia, & carnis voluptate, deveniunt ad magna pericula suarum animarum; non solùm in malis cogitationibus, sed etiam quandoque in gravioribus. Hinc prudenter & rectissimè Religionum Institutores suis deputasse observat filiis, certas horas, non solùm ad cantandum, orandum, ad meditandum &c. verum etiam ad labores manuum exteriores faciendum, prout clarè patet in Regula S. Benedicti, & aliorum approbatorum Ordinum Institutionibus. Et si cui hæc exempla non sufficiunt; attendat, inquit, etiam quòd ipsi Fratres Carthusienses, qui plùs cœteris Religiosis, quieti, contemplationi, & spiritualibus exercitiis deputari videntur, habent certas horas, quibus corporalibus intenti operibus, secretè, & sine strepitu in suis cellis exerceantur. Quippe considerantes quòd spiritualibus semper intendere, non sinit humana fragilitas, Religiosi quandoque corporalia exercent, ut vitetur periculosa otiositas.

Addatur præmissis, quòd sicut quasi omnibus periculosum est simpliciter velle intendere contemplationis quieti, & non labori quandoque manuali; specialiter tamen videtur hoc pernitiosum juvenibus personis, & si non omnibus, tamen multis. *T.* III. 614. 615. Uno verbo, non debet quisquam ita se dare uni vitæ, ut non se occupet aliquando in alia, vel plùs vel minùs, secundùm tempus, & secundùm hoc quod ei prodesse poterit. Non enim debet se ita dare ad vitam activam, quin interdùm cogitare habebit ad Deum, suamque conscientiam emendandam, ad confitendum, & ad pœnitentiam agendam: & ex parte altera, non ita deditus sit contemplationi, quin aliquando etiam ei opus sit laborare, *T.* III. 556. *B.*

Quartò. Jubet Gersonius, contemplativæ vitæ sese tradentes, consilium prudentum sequi, non autem suas imaginationes & adinventiones cordis sui, Legem Christi meditari, à Fidei principiis non discedere, humilia de se sentire, & sapere ad sobrietatem: alioquin nulli pertinaciùs aut absurdiùs errores confingere noscuntur, quàm Mystici: pronissimi quippè sunt ad errores, etiam supra indevotos, si non direxerint affectus suos ad normam Legis Christi; & si propriæ prudentiæ inhæserint, spreto aliorum consilio. *T.* I 81. *T.* III. 369.

Quintò. Begardorum & Turlupinorum, aliorumque errorem redarguit, qui dùm sequebantur affectus suos sine regula & ordine, postpositâ Lege Christi, eò devenerunt, ut dicerent; hominem, postquam ad pacem tranquillam spiritûs pervenisset, absolutum esse Legibus Divinorum Præceptorum. *T.* III. 369.

Hæc sanè falsa devotio, est Religiosis periculosissima; quoniam multos videre est, ut quotidiana nos docet & docuit experientia, qui spirituales apparebant, quos decepit, infatuavit, vel penitùs excæcavit; ita ut fierent in observantiis Regularibus quas despexerant, desides, Superioribus quos rudes reputabant rebelles; etiam aliqui fugerent & apostatarent; aliqui etiam hæreticarent, vel ante tempus prophetarent; dicentes, *Hæc dicit Dominus, cùm Dominus non esset locutus*: sed superba, vel salem phantastica capita eorum hæc confinxerunt. Aliqui quoque mirabiles fatuitates extrinsecùs, in prætensis jubilationibus, tripudiis, saltationibus, & hujusmodi ostenderunt.

Sextò. Plurimos fallere observat nimiam sentimentorum conquisitionem, seu cupidinem, ut in quibusdam

busdam devotis, non secundùm scientiam, expertum est, qui deliramenta cordis sui, pro Dei sentimentis amplexantes, turpiter erraverunt. Alii frustra conati sunt ad nihil passionabiliter affici, cum sentiret Apostolus aliam Legem repugnantem. Alii ita Deo se voluerunt tradere, quòd omnia Deus ageret in eis, passivè se habentibus. Alii per unionem apicis mentalis cum Spiritu Sancto, tradunt habere se Mysticam scientiam de Deo. Sed ab istis & à prioribus inquiratur, ubi meritum erit, si dilectionis voluntariæ nullus habeatur actus. *T.* I. *p.* 174.

Septimò. Nonnulli è Mysticis contemplationem supremam in solis abnegationibus ponunt, nihil relinquentes in eâ de Deo positivè cognitum vel expertum. Deum apprehendi negant sub ratione Entis veri & boni; amari sine ulla cognitione; Christi Passionem, Judiciorum Dei considerationem, virtutum meditationem, vitæ sanctæ propositum ab illa contemplatione sublimi eliminant. Hos omnes errores rejicit Gersonius, docens, stare non posse contemplationem sine cognitione Dei & Mysteriorum, per Fidem: hujus objectum esse Deum, conceptum sub ratione summi boni, ut Patrem, Benefactorem, Redemptorem, Salvatorem, Judicem; Christi vitam & Passionem meditationis fundamentum esse; Judicia Dei ante oculos sæpè revocanda; Fidem, Spem, Charitatem, aliasque virtutes animo revolvi oportere; uno verbo, contemplationis semper comitem esse orationem, quâ tanquam mendici, infirmitates nostras Deo exponimus.

Hæc in Opere *De Monte Contemplationis* *T.* III. *p.* 571 *& sequentibus:* item eodem Tomo *p.* 365. *C.* 463. *A. T.* I. *p* 174 *D.*

Octavò. Hunc in Joanne de Ruisbroech errorem reprehendit, qui Mysticis Scriptoribus familiaris est, quòd anima perfectè contemplans Deum, non solùm videt eum per claritatem, quæ est divina essentia, sed est ipsamet claritas divina; ita ut anima amittat esse in illa existentia, quam priùs habuit, & convertatur, seu transformetur & absorbeatur in esse Divinum; perdaturque in illo abyssali Divino, ita ut reperibilis non sit ab ulla creatura, fiatque unum cum Deo. *T.* I. *p* 60.

Denique Gersonius, amoris Mysticorum quorumdam figmenta, insanias, amentiam, retundit pluribus in locis: ut in libro *De Distinctione verarum Visionum à falsis*, in fine Responsi ad Defensionem Joannis de Schoenhavia, in libro *De Simplificatione cordis*, & alibi. Nec vult hominem ita se Deo permittere, ut de salute sua nihil curet, eam non optet, non desideret, imò damnationi suæ consentiat. *T.* III. 470.

Atque hæc de Doctrina Gersonii, non sine acri & improbo labore, ex ejus Operibus, ipsissimis ejus verbis excepta, ad suos quæque locos revocata, digesta, & in unum collecta sint, quæ Theologis ea legentibus multùm utilia fore non dubitamus. Quis enim Scriptor, aut solidiora Doctrinæ Christianæ fundamenta statuit, aut πολιτείαν Ecclesiasticam uberiùs exposuit; aut morum saniora præcepta tradidit; aut ad sublimiorem pietatem informavit? Nolim equidem eorum omnium vadem me præstare, nec eorum sequendorum ulli legem imponere; sed omnia potiùs, non solùm Ecclesiæ, & Præsulum Judicio; sed & cujusvis pii ac sapientis Theologi arbitrio permitto.

Finis Gersonianorum.

EPISTOLA DEDICATORIA

Præfixa Editioni Parisiensi Operum GERSONII Anni 1421.

In fronte habet Insignia, cum hac Inscriptione:

Hæc DE LENONCOURT *generosæ Insignia stirpis*
Heroum summa nobilitate vigent.

Reverendissimo ac Illustrissi. Heroï, atque Antistiti D. Roberto DE LENONCOURT, Remensium Archi-Episcopo, cùm Sapientissimo, tùm Dignissimo, *Joannes*, Cognomento *Campanus*, sub omni observantia, S,

SI non solùm (quod Maro divinus ille Vates in Georgicis cecinit) divisæ arboribus terræ; verùm etiam, & multò quidem evidentiùs, cùm cœterarum rerum naturis, tum hominum ingeniis, usque adeo ut ob loci genium, gignendique peculiarem virtutem, Porphirius haud oscitabundus Philosophus, definierit, locum esse rerum in eo genitarum & genus & principium: gratulari possumus, & id non modicè, tuæ, Præsul Dignissime, Dioecesi, in quam tanta siderum benignitas semper influxit atque incubuit; ut non Bœotia, aut Arcadica, sed preclarissima illinc prodirent ingenia, ingeniorumque monimenta; inter quæ, ut sol quidam inter minora sidera, præfulget Venerandus Academiæ Parrhisiensis Cancellarius, & Doctor Theologus, Joannes Charlerius, vulgo Gerson dictus, quod agnomentum à pago ejusdem nominis in Territorio tuo, Patria sua, sortitus est; vir sanctitatis specimine mirabili, ut qui præcordia & pectoris intima semper sursùm & ad Dominum habuerit; & postquam in Constantiensi Concilio viriliter à Fide Catholica stetisset, Emulorum furori sic cesserit, ut peregrinus ad Lugdunensem confluentem, vitam longissimo stamine dignam, anno Ætatis sexto & sexagesimo clauserit; ac apud Ædem Divi Pauli Mausoleum ejus non ignobile conspicitur: doctrinâ verò tam excellenti tamque absoluta, ut omnes, non equales modò suos, sed quot quot aut sunt, aut futuri sunt, in admirationem traxerit. Neque verò id abs re, aut citra maturum verumque judicium; quandoquidem, ab alio (quod norim) nemine tam graphicè, luculentè, doctè, concinniter, disertè, definitur Conciliorum generalium supra Pontificem authoritas, neque tam fortiter reprimitur nonnullorum Mendicantium (quorum malleus habitus est) arrogantia, neque tam graviter ac prudenter præscribitur aut commendatur Anacoritarum, Solitariorum que vita; neque tam solidè atque integrè declarantur ab aliis, Ecclesiastica Sacramenta, & eorum, presertim Confessionis, commoda, ac piè vivendi, sanctéque moriendi rudimenta. Sed cùm in manibus sint ejus Opera rerum omnigenarum farrago, ad quid ego singula? Id solum dixero; omnia hujus Viri & Scripta & Dicta, Christianam redolere pietatem & doctrinam. Quocircà prudenter & è re sua egisse mihi videntur Bibliopolæ Parrhisienses, qui tanti Viri, tamque Christiani, tam aureas ac divinas lucubrationes, toties Alemanis formulis excusas, tandem suis, hoc est, Magistri Petri Gromorsi, Viri sanéque litterati typis excudendas castigatiores, elimatioresque curaverint; hac presertim tempestate, quâ propter bella, ad Germaniam difficilis ac periculosus est accessus, neque facilior aut tutior illinc receptus; & propter ingruentem, cùm diræ pestis, tùm execrandæ abominandæque famis calamitatem, maximo usui futuras auguror. Nam & consolationis, & ad fortitudinem exhortationis sunt plenissimæ, quas si identidem accuratéque, ut facies, Præsul Consultissime, legeris; non dubito fore, quin qui ad pietatis Catholicæ, misericordiarumque opera es propensissimus (ut norunt omnes) ad eadem evadas non paulò propensior.

Neque tamen hoc tui inflammandi (nam spontè currenti non sunt admovenda calcaria) aut exhortandi gratiâ, Antistes Munificentissime, à me dictum autumes. Tanta enim est beneficiorum tuorum in mortales omnes, tamque manifestaria evidentia, ut nullam accessionem videatur admissura. Nam, ut cætera taceam, hoc anno, in summa annonæ caritate, supra trecentos quotidie pauperes magnificè educasti; & tamen æra aliena (presertim Fisco tuo debita) omnibus qui solvendo non essent, humanissimè remisisti; nihilo segnior in reparandis veteribus Fanis, aut edificandis novis effectus. Sed palmarum instar, contra pondus obnitens, fluidas vitæ spes, & Fortunæ volubilitatem attentiùs considerans, sic pupillis, orphanis, viduis, omnibus denique egenis, consolationem, opemque tulisti, lapsis Religionibus instaurandis ac reformandis vigilantissimè intentus, ut & verus Pastor & Archiepiscopus meritò habearis: quæ si à novo quovis homine facta prædicarem, vix esset qui fidem haberet integram.

Verùm ea est *Lenoncuriæ* stirpis Nobilitas, ea Stemmatumque generositas, & avitæ virtutis & beneficentiæ, ex Lotharingorum Aula profectæ fama, ut cùm plurima facias, quæ alius à generositate ista nemo; novi tamen nihil, sed auctius & splendidius, facere existimeris omnia.

Cujus nominis splendore, Christianissimus semperque Invictus & Augustus Francorum Rex Franciscus primus, à te Sacris Regalibus, oleoque cœltitùs demisso delibutus atque unctus, nuper istac in hostem copias incomparabiles ducens, invitatus; sic amœnissimam comitatem tuam amplexus est, ut egerrimè divelli pateretur.


Hæc itaque omnia, & longè majora, cùm tuopte, Presul Optime, ingenio, Generisque indo-

indole perficias; quid facies, ubi tanti Viri, tibi multis rationibus cariſſimi, incitamenta perlegeris? Quæ te lecturum facilè credo; vel quæ fauſtiſſimo nomini tuo dicata, vel quæ à nobis etiam tantillis commendata; ſiquidem non ignoro, Mœcenatum Beneficentiſſime, quantum pondus penes eſtimationem de me tuam ſuſtineam: quippe quem, primo loco, cariſſimis & indulgentiſſimis ex frare tuo nepotibus R. & H. in re literaria Præceptorem, & in moribus Pædonomum conſtituiſti: deinde Muſæi tui Remenſis apud Parhiſios, Procuratorem; ac nunc demùm litium, diſceptationumque tuarum (quas, non niſi improbitate partium coactus, admitteres) Sollicitatorem; decreviſtique, ut audio, planéque confido, in ſanctiſſimum iſtud & honoratiſſimum Canonicorum tuorum optare atque accipere Collegium; quæ res eò mihi acceptior, jucundior, gratiorque contingat, majoremque fructum afferat, quòd per eam mihi liberiùs frui detur exoptatiſſima conſuetudine Joannis Cenamii, iſtius Ordinis Canonici & à ſecretis tuis. Bone Deus qualis animæ, qualiſque amici! ſimulque præſentia rerum (ut ſors vorterit ferendarum) monitus, plangam Patroni mei Venerabilis Patris Joannis Willemerti Cœnobitarum Divi Nicaſii apud Remos Antiſtitis, inſperatum quidem mihi, ſed illi forſitan optandum obitum nuperrimum. Qui, ſed reprimam dicendi impetum, jamdudum enim longiuſculè evagatus ſum. Tua Archiepiſcope Magnificentiſſime, eximia clementia & humanitas, quicquid hujuſcemodi rerum ſit, boni conſulet, & tanti in vinea Domini Sabaoth operarii primitias, in agro tuo natas, magnifico animo protegendas ſuſcipiet, noſtræque præparationi (nam vix erat horum utcumque ſcribendi locus) ſi non tam diſertè, ut res ipſa poſtulat; aut tam accuratè, ut majeſtate tua dignum eſt, hæc aut dictaverim aut ſcripſerim, veniam dabit, humaniterque ignoſcet: non quòd minùs fucatè ſcripſerim, nam fucum non amas, neque farrago hæc patitur; ſed quæ ſomnolenter, & ad te volantique ſcribenti ſimilius. Non enim (ut ad iſtorum ineptias alludam) placendum duxi antiquariis iſtis, penſiculantibus, geſtientibus, avidéque prurientibus Carmentalem aut Cumeam quampiam exanelationem, & vix Aurumcis ſenibus notam, quâ proba ingenia obtundant; cùm ſint ipſi piſtillis, mortariis, aut podice ſimiano obtuſiores, pluris Smynderidem Sardanapalo parem eſtimantes, quàm Phæbeam lampadem, aut Palladiam Egida. Eos enim, cùm ſint tribulis Arcadicis inamœniores, planéque ruſtici, amuſi, invenuſti, & ab omni lepore extremè retorridi, ficuliſque gerris vaniores, miſſos facio: non enim dignos cenſerem, quorum in hoc albo meminiſſem, niſi ut quorumdam invidentiæ ſignificarem, me iſtis abſoletis & ignotis voculis nequequam non poſſe uti, ſed nolle.

Vale Pontificum decus: Pariſiis è Remenſi Gymnaſio tuo ad xiv. Kal. Novembres, Anno à Sacro-ſanctæ Virginis partu ſeſquimilleſimo ac vigeſimo primo.

VITA
JOANNIS GERSONII,
Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

Ex ejusdem Operibus collecta; præfixa Editioni Anni M. DC. VI.



OANNES CHARLIERUS, patrem Arnulphum optimum & Catholicum virum, habuit Gersonii, quod pagus est agri Rhemensis, non longè à Rhetelio: illum Elizabeta pientissima mater, post lachrymas & assiduas orationes Deo fusas, die XIV Decembris, anno M. CCC. LXIII à Domino impetravit, omnemque operam cum marito, ut piè & liberaliter filius erudiretur, usque adeo certè impendit; ut ne quidem anilibus fabellis, aut ludicris (quibus puerilis ætas ineptè solet adlactari) illum unquam recreari passa sit. Uterque verò parens, nihil quotidie filio tantoperè frequentabant, quam *Omne datum optimum, & omne donum perfectum à Patre luminum descendere*: unde quoties Charlierus, poma, ficus, nuces, aut crepundia aliqua habere desiderabat, ea priùs orando Deum, ab optimis parentibus emere cogebatur, qui interim filiolo (ipso orationis æstu abrepto) de fenestra aliqua, solario, vel camino, quæ petebat, abundè largiri atque effundere, hisque insuper verbis illum magis ac magis ad pietatem incendere solebant: *Vides dilecte fili! quàm bonum sit orare Dominum Deum, qui talia confert orantibus.*

Quamprimùm adolescentiam attigit, Lutetiam Parisiorum profectus, liberalibus Artibus, Philosophiæ, & Theologiæ operam dedit in Collegio Campaniæ, seu Navarræ; ubi Petrum de Alliaco, virum & doctissimum & illustrissimum (nam ex nobilissima Alliacorum familia Picardiæ oriundus erat) Præceptorem habuit; qui tum magnus erat Collegii Navarræ Moderator, Academiæ Parisiensis Cancellarius, & postmodùm Caroli V Regis Francorum Confessarius; Sacrosancti Sacelli Pariensis Thesaurarius; Cameracensis Episcopus, & demum Sanctæ R. E. Cardinalis fuit. Sed ubi, ex Scholæ Parisiensis consuetudine, nomen & patriam suam in acta Academiæ referre procuravit Charlierus, ei ex natali solo agnomen (sicut ante Roberto de Sorbona, Henrico de Gandavo, & multis aliis viris illustribus) inditum fuit à contribulibus; qui deinceps illum *Joannem de Gerson*, aut *de Gersonio*, semper vocitarunt. At quàm laboris, frigoris, & inediæ patiens, tam somni impatientissimus fuit: adeò ut, sine valetudinis & mentis periculo, vix insomnem noctem transire posset; quod ad capitis & cerebri illius amplitudinem referri necne debeat, Medici viderint: nunquam porrò minùs solus, quàm cùm solus; neque magis actuosus, quàm cùm otiosus erat, ut ipse testatur. Stylum neglectum potiùs; quàm horridum aut asperum habuisse, ejus Opera & Carmina monstrant: siquidem humanioribus literis, plusquàm seculi in quo vivebat infantia pateretur, studuerat; & se inter scribendum, ornatum omnem contempsisse, plúsque prodesse, quàm delectare voluisse narrat: prudenter quidem, meo judicio; quia si aliter, rigido illo seculo scripsisset, à paucis; imò à nullis fuisset intellectus. Cæterùm, facilè ex sequenti poëmatio (quod diebus aliquot antequam mortem obiret conscripsit; justa autem est Apologia, quam pro defensione carminum, quæ in extrema vitæ periodo uberrimè & piissimè cecinit) lector conijciet quid ampliùs potuerit Gersonius.

Vidit livor edax, ut mea carmina,
Despexit: nitida veste carent, ait;
Nec pulchris facies picta coloribus,
Vox est rauca, sonans parum.
Ornatus varios si meretricula
Nil virtutis habens, nec solidum bonum
Quærit, quis stupor est? sat sibi perplacet
Fallax, alliciens procos:
Fucatos oculos hæc sibi ogerit,
Comit cæsariem, lubrica conspici,
Assuescit placidis, blanda, procax, vaga,
Et quos prostituit necat.
Ast matrona gravis, casta, pudicaque;
Cui nativus adest, & color, & decus,
Ut prosit satagit, seria moribus,
Sponso quod placeat studet,
Totam composuit cincta modestia;
Cultum nec proprium, nec famula simul,
Linum non lanas neque petit hæc extra,
Solers artifica manu:
Non nequam, petulans, subdola, fractaque
Vox; sed suave sonat, cui rigidus tonus:
Vivax ex oculis cælica lux micat,
Sancta prole beatior:
Frugi mensa sibi splendida, sobria,
In qua Psalterio rex David insonat
Hymnos, imparibus quos numeris ligat
Metris, carmen amicius:
Carmen tale cano, sit procul ethnica
Mendax Musa, strepat his quibus est Venus,
Aut Mars delicia, vanaque numina:
Noster solus amor Jesus.

Tanta autem prudentiæ, virtutis, gravitatis, atque eruditionis Gersonii opinio Academiam universam pervaserat, ut vix dum, in secundis Ordinibus Baccalaureorum Theologiæ consistens, nonnullis cum Doctoribus, à Rege Christianissimo, & Academiâ Parisiensi, ad unionem & pacem Ecclesiæ promovendam, Romam legatus fuerit. Et post navatam egregiè operam Theologiæ; primùm Licentiæ suæ gradum adeptus, Laureâ Doctorali M. CCC. XCIV. circa XXXI. æta-

ætatis, cohonestatus; & paulò post, ad Academiæ Cancellariatum, & Ecclesiæ Parisiensis Canonicatum, favorabili ejuratione Petri de Alliaco Præceptoris sui, evectus fuit: tum demum in Ecclesiæ Brugensis Decanatum, Duce Burgundiæ auctore, adoptatus est.

Verùm, in Munere Cancellariatus, *ab omnibus vinculis mundanæ necessitudinis liber esse voluit; quatenùs pro veritate*, ut ait, *præparato animo amplius certamen habere posset*: unde nihil reliqui fecit, quò privatim & publicè Scholæ Parisiensis disciplinam meliùs regeret, & omnem ἐθελοθρησκείαν, errorumque & novitatum monstra, quasi in horto irriguo succrescentia, debellaret. Qua de re priusquàm dicere aggredior, venit mihi in mentem mirari, quonam Auctore vir doctissimus, fol. 184. sacri sui Apparatus, isthæc scripserit, *Joannes Gerson dictus Carlerius, Gallus, Monachus Ordinis Cælestinorum, & deinceps eorumdem Lugdunensis Monasterii Prior; demùm verò Parisiensis Academiæ Cancellarius, &c.* Nam præterquàm Ecclesiæ, & Scholæ Parisiensis consuetudo, indispensabili Lege, omnes Regulares, Decanatu & Cancellariatu Academiæ *(quæ Clerica, non Regularis est)* semper exclusit; ipsemet Gersonius, passim vitæ suæ institutum satis declarat, præsertim in fratris Nicolai (Monachi Ordinis Cælestinorum) Epicedio, quod fratri Joanni, ejusdem Ordinis Monacho, misit,

Monice, quem mihi dat fratrem natura sequendum,
Nostri sunt generis quæ monumenta vides.
Arnulpho Charlier, cui nupsit Elizabeth olim,
Gerson origo fuit, aduena voce sonans:
Dotavit Deus hos bissena prole; puellæ
Septena numero; quinque fuere mares,
Primus Theologus, Monachi tres, mortuus alter
Infans, & nupsit filia sola viro.
Frater Petre rapit te mors, & te soror Agnes
Infantes; vivit purus vterque Deo:
Ægra Jabina soror vivens, mala sustinuisti
Jugiter; hinc moriens reddita dona capis.
Chara soror Raulina vale, quæ commeruisti
Consors esse Jesu, cujus eras famula.
Hospita pauperibus & mystica Martha fuisti,
Te vocat inde Jesus, tu Benedicta veni.
Tempora complesti consummatus citò multa,
Frater cordis amor tu Nicolae mei:
Cælos credo equidem tu Cælestinus adisti,
Cælica semper amans, dum peregrinus eras.
Sors lugenda manet nobis, quos vita superstes
Septem servat adhuc, torquet & exilio.

Hos versus habes in II. Parte Operum Gersonii, quibus docemur; Cancellarium fuisse maximum natu, & septem sorores, cum quatuor fratribus habuisse; quorum unus in cunis obiit, tres reliqui Monachi; Joannes quidem & Nicolaus Cælestini fuerunt; tertius Rhemis professus est, ut ex quadam Gersonis Epistola innotescit, qui quidem omnibus sororibus, ut cœlibem vitam agerent, auctor fuit: hoc porrò carmine, quinque sorores tantùm de nomine compellat, Agnetam, Jabinam, Raulinam, Martham, Benedictam; duarum autem aliarum nomina silentio obruit.

Ut autem ad ejus Cancellariatum revertamur; sæpe de illo abdicando cogitavit, tum quòd indignos atque ineptos promovere, tum quòd provinciâ hac implicatissimâ, orationem, meditationem, & studia sæpe deserere cogeretur: veruntamen, quò minùs id faceret, Burgundiæ Dux (cui se quadam in Epistola omnia post Deum Optim. Max. debere profitetur) semper impedimento fuit.

Quàm salutis, atque eruditionis omnium, & præsertim scholasticorum, sitiens fuerit, varia ejus Opera Moralia, & præsertim libellus *De parvulis ad Christum trahendis; De Arte audiendi Confessiones; De Arte moriendi, condendi Testamentum; De methodo consolandi eos qui sunt in agonia*, & plures alii Tractatus, *De Absolutione & reservatione casuum* demonstrant; qui Richardo Hallo, Doctori Lovaniensi, incentivum fuerunt, ut Opus perutile *De Quinquepartita, recta, erronea, dubia, opinabili, & scrupulosa conscientia*, edendum curaret; quod quidem, se ex Gersonii Opusculis excerpsisse ingenuè fatetur, doletque maximè, tanti viri lucubrationes, magno piorum & Religionis Catholicæ detrimento, tamdiu in tenebris exolescere. Frequens autem habebat in ore Gersonius, Theologum, *neque monoculum, neque morosum nimis, aut scrupulosum esse debere*; quia cùm Magistri in Theologia, lux & regula aliorum habeantur; non populari, sed Juris, præsertim Divini & Naturalis trutina, (cui Lex Canonica famulatur) examinare debent: ut ille reverà omnia ad hanc incudem revocare consueverat; cujus rei, varias lucubratiunculas, de omium hominum statu & officio, obsides habemus; in quibus, tanquam omnium debitor factus, omnibus opitulari conatur, & id quidem benignè, constanter, absque assentatione, spe, aut desiderio lucri; imò absque cujusquam Doctoris aut hominis contemptu: quæque morosè nimis, obscurè, aut universim ab aliis scripta sunt, hic facilè, planè, & compendiosè perstringit; & axiomata universalia ad casus particulares ita deducit, ut ex hominum animis omnes scrupulos & aculeos evellat: neque enim hominibus facilè cœlos claudit, neque cæcam nutrit arrogantiam; sed ubique mediâ viâ, quæ tutior & certior est, incedit. Nam

Pueros affectu paterno amplectitur.
Adolescentes sanctioribus Præceptis imbuit.
Gymnasiorum Moderatores, & Pædagogos omnes erudit.
Principes, Nobiles, & filios Regum, melioribus documentis instruit.
Triplicem Statum, Ecclesiasticum, Civilem, & Militarem, Reipublicæ pernecessarium esse monstrat.
Census & vectigalia moderatur.
De legitima Pontificis, Prælatorum, & Principum potestate disputat.
Christianam & Ecclesiasticam libertatem, sanctissimè propugnat.
Parrochorum & Privilegiatorum jura temperat.
Canonum & Legum fontes reserat.
Conciliorum celebrandorum necessitatem declarat.
Modum optimum Ecclesiæ regendæ monstrat.
Hæreses & schismata debellat.
Religiosos pio zelo inflammat.
Confessionum secretarum arbitris, optima tradit Præcepta.
Modum doctrinæ & spirituum probandorum designat.
Theologiam Scholasticam ex disputationum tricis, ad usum salutarem & mysticum primus erexit.
Quid cuique ætati, sexui, & vitæ instituto conducat explanavit.
Dominicanorum Ordinem Academiæ Parisiensi probavit, & reconciliavit.
Artem bene moriendi aperuit.

Itaque, qui vitæ humanæ finem cum Gersonii Operibus compararit (nunquam enim studia

sua à pietate & bene vivendi ratione, quod caput est artis, segregabat) valdè addubitabit, an cuiquam veterum aut recentiorum sit hac in parte posthabendus; maximè verò, quòd *Christi jugum levissimum atque mitissimum, & Evangelium, regalem & perfectæ libertatis Legem esse* pronunciet: unde etiam Institutionum & Traditionum humanarum impedimentis (quàm minimè fieri potest) Christianos gravandos esse publicat; ne Constitutionum diversitas, pro decipula sit: quia ut patris-familias, sic etiam sapientis est Legislatoris, id omne vitare, quod suis ad peccandum occasionem aliquam præbere potest. *Nam si Adam vir talis & tantus*, inquit, *unicum disciplinæ Præceptum habens, in illo corruit; nos inter innumerabilia positi, qualiter evademus? Vix potest imbecillitas nostra Divinas Leges, ad numerum parvum gratuita Dei benignitate reductas, implere: viam igitur obsitam tot spinis Constitutionum semet involventium & obumbrantium, quis inoffenso pede transiliet? Scimus quòd dixerit Petrus Apostolus, Actuum* xv. Quid tentatis Deum? imponere jugum super cervicem discipulorum, quod neque nos, neque Patres nostri portare potuimus? *Hoc animadvertens, & pia compassione deplorans egregius Doctor Augustinus, ad inquisitionem Januarii; Ipsam* inquit, *Religionem nostram, quàm manifestissimis & paucissimis celebrationum Sacramentis, Dei voluit misericordia esse liberam; servilibus nos premunt oneribus, ut tolerabilior sit conditio Judæorum, qui Legalibus Sacramentis, non humanis præsumptionibus subjiciuntur. Si tuo tempore sic dolebas, ô sapiens Augustine; quid nostra tempestate dixisses! ubi pro varietate & motu capitum, incredibilis est varietas, & dissona multiplicitas onerum hujusmodi servilium, & humanarum, prout loqueris, præsumptionum. Hæc est querela, qualem olim apud devotum Bernardum, detulerunt quidam ex Monachis, & propter quam compescendam, sicut modò nitimur agere, scripsit volumen pulcherrimum*, De Præcepto & dispensatione; *qui liber, huic Operi nostro pro fundamento supponatur.* Hactenùs Gersonius, lectione 4. libri *De Vita spirituali*: cujus ratio docendi effecit, ut apud omnes doctos sui seculi, nomen Evangelici, & Christianissimi Doctoris propterea mereretur, quòd Christianos humanis institutis quàm minimè premendos esse doceret.

Quoties autem de re aliqua consulebatur, scriptò quàm verbò, & meditatò quàm ex tempore respondere malebat; atque ubi Divinam, Naturalem, Canonicam Legem, aut Patres antiquos Auctores & vindices desiderabat, *non tam determinativè*, ut ait, *quàm inquisitivè & dubitativè* respondebat. Totisque insuper animi & corporis nervis in id studium incumbebat, ut Theologiæ studiosos, pruritu novitatis ad prava & inutilia abreptos, ad Auctorum veterum lectionem revocaret: quia Patres antiqui, quò propiùs à Christi & Apostolorum seculo distant, eò perturbationum animi magis sunt expertes, déque veritate acriùs & candidiùs, quàm nos motibus animi præpediti, sentiunt atque judicant.

At virtutis & Patriæ acerrimum fuisse propugnatorem, hoc unum demonstrabit exemplum. Siquidem Burgundiæ Ducem Mœcenatem suum, tum justissimè deseruit, quamprimùm novis rebus studere, & Galliam factionibus conturbare prespexit. Joannes Juvenalis Ursinus refert, anno M. CCCC. XIII, quo sex plebeculæ Parisiensis sæviebat in Armeniacos (sic enim perditi, bonos cives vocitabant) Joannem Gersonium (qui propter vitæ sanctimoniam, & crebras Conciones, quas frequenter habebat Lutetiæ, magnæ erat auctoritatis apud populum) inter concionandum valdè ingemuisse; dixisseque, istiusmodi scelera, quibus se multi certatim nobilitare studebant, hominis, etiam in extrema barbaria educati, esse indignissima; & tandem aliquando, illorum auctores, severissimam & justissimam Dei manum, publico exemplo experturos. Quæ Cancellarii Concio, statim atque ad seditiosorum aures pervenit, consilio habito, siccarios ad virum sanctissimum ablegant, qui in carcerem teterrimum illum compingerent: cujus incœpti nefarii certior à nonnullis factus Gersonius, vitæ suæ fugâ consulere, & (domo cum tota suppellectile, prædæ & expilationibus latronum relictâ) sese intra superiores Ædis Beatæ Mariæ fornices, per aliquot dies abdere, coactus est: & dehinc, Carolo VI delirii inducias patiente, vitam exilio mandare, quàm inter Anglos & Burgundiones, Parisiis vivere maluit.

De zelo & pietate, nihil, quàm pauca dicere præstat, quippe cùm germanis omnibus, ut Religionem Monasticam profiterentur; sororibus verò ut cœlibem vitam ducerent persuaserit; nullaque re alia tantoperè lætaretur, quàm si ab aliquo fraternè, &, ut ait, *charitativè* redargueretur: id enim lucro, & mendicitati spirituali deputare, proque assiduo docendi, concionandi, & secretas Confessiones audiendi labore, præter spiritualem fructum, & orationes populi atque scholasticorum, nihil quicquam aliud stipendii aut quæstus exposcebat. Hercle quidem, *tota ejus conversatio in cœlis esse videbatur, quia instar Angeli alicujus, nec benedictione nec maledictione movebatur, neque ex ministerio occupationis suæ inferioris, superna unquam deseruit, aut sordes pestiferas contraxit, non enim formis corporum alliciebatur aut stimulabatur, sed abstractus in sublimi arce rationis, in sola animarum perspicaci qualitate perpetuò versabatur: & sicut pravis suspicionibus non inquietabatur, aut minis terrebatur; sic neque gloriâ turgescere, neque infamiâ ullâ contrahi aut deprimi solebat*: quæ hominis verè mystici & spiritualis signa esse monstrat, divino illo in Opere *De Parvis ad Christum trahendis.*

Quid hîc Mysticam commemorem Theologiam, quam qui attentè revolverit, certè, Gersonium Viris Apostolicis, Divo præsertim Bernardo (quem unum sibi privatim ad imitandum delegisse videtur) conferendum existimabit: Enimverò, quemadmodùm diligens pater-familias, obvia quæque ad certos usus colligit & seponit; itidem Cancellarius, sic vitam instituerat suam, ut quicquid etiam inter deambulandum haberet obvium, ad meditandum, & animum meliùs erudiendum abriperet. Cujus diligentiæ exempla, passim in ejus Operibus, & nominatim *in Donato, De octo partibus orationis*, occurrunt: quem libellum puerilem, ad mysticam scholasticorum institutionem, quam deperibat, in sensum transformavit moralem. Quâ porrò methodo singulos hebdomadæ dies, orando & meditando, ad pensum vitæ spiritualis exigeret, una epistola ad sorores, Deus immortalis! omni genere pietatis refertissima, abundè & planè demonstrat: quique varia ejus Opera Mystica, ad amussim examinarit; recentiorum molitiones, de vita spirituali, non valdè desiderabit: imò doctissimis & sanctissimis Gersonii libris, ideò postponendas duxerit; quòd præ istis, illæ omnino inanes & vacuæ sint: siquidem Scholasticam Theologiam, Mysticæ subservire voluit; & nihil non gravibus sententiis, & axiomatis Theologicis, undequaque egregiè munitum protulit: idque in causa fuit, ut Laurentius Surius, & cæteri,

cæteri; qui Rusbroechii defensionem susceperunt, summam eruditionem Cancellarii, contra quem faciunt, semper impensè laudare & admirari conentur.

Sed hîc mihi aliquos videor subaudire & objicere, libros *De Potestate Ecclesiastica*, non levem maculam Gersonii pietati inurere. Bona verba obsecro: certè qui Auctoris institutum non malignè detorserit, vel oscitanter perpenderit, contrarium facilè reputabit. An rogo, Pontificiæ Auctoritati infestus est, qui sanctam S. A. Monarchicam, & ita quidem Monarchicam esse asserit, ut neque ab Ecclesia unquam tolli, neque in puram Aristocratiam, Oligarchiam, aut Democratiam mutari possit? atque insuper, Pontificem Maximum (tanquam doctrinæ atque unitatis Fidei Symbolum) sic à Christo Domino institutum probat, ut Ecclesiam, solo Principatu Monarchico, ab hæreticorum Conventiculis, & Synagogis Sathanæ, dignosci & secerni; atque solum Pontificem, Conciliorum generalium convocandorum & comprobandorum, auctoritatem habere demonstret?

At inquies; librum *De Auferibilitate Papæ* edidit: verum id quidem est, sed attende ad schisma, quo bacchante lucubratum fuit, tum omnia bene concordabis. Enimverò Parisiensis Academia, cum duos Antipapas de Ecclesiæ auctoritate sic inter sese colludentes cerneret, ut neque actu neque habitu, uniendæ & concordandæ Ecclesiæ rationem retinerent; postquam ex usitata Scholæ consuetudine, multas Supplicationes, & Sacra de Spiritu sancto, pro Ecclesiæ pace, & schismatum extirpatione, solemniter habuit, duce Gersonio, frequentia coëgit Comitia, quibus primò disputatum fuit,

Omnem Politiam, rebus necessariis ad sui conservationem, fuisse à Deo instructam: & Christum Dominum Ecclesiæ sponsæ charissimæ, non minus bene, quam Civili Politiæ consultum; Divumque Petrum, quamquam Ecclesiæ Principem, Concilio Oecumenico, & fraternæ correctioni, propterea subjici voluisse (Matth. XVIII.) *quòd Juri Divino & Naturali repugnet, aliquem propriâ in Causa testem esse aut Judicem: unde* Galatarum II. *Petrus a Paulo redarguitur, eo quod ad veritatem Evangelii non ambulet; hoc est, Decretum Concilii Hierosolymitani super Legalium abrogatione, minimè observet.*

Secundo conclusum fuit, auctoritatem, sanctitatem, & unitatem Ecclesiæ Catholicæ, isthoc Symboli articulo obsignatam, CREDO UNAM SANCTAM ECCLESIAM CATHOLICAM, *&c. non penes Antipapas (qui manibus atque pedibus Ecclesiæ unitatem & concordiam impedire conabantur) sed tantùm penes eos, qui consilio, re, & operâ, pacem atque unionem procurarent, residere: & proinde, istis invitis atque reclamantibus, Concilium unius obedientiæ, ut Gersonius appellat, indici & cogi posse (ut reverà habitum fuit) quò & unitas sarciretur, & Ecclesiæ Catholicæ auctoritas, in pristinam libertatem assereretur: quia alioquin, Christum Ecclesiæ defuisse in necessariis; & Antipapas, statum Monarchicum Ecclesiæ à Christo institutum, posse destruere oporteret, quod impossibile est.*

Cæterùm, qui libellum *De Auferibilitate*, cum titulo compararit, omniaque benignè examinarit, animadvertet, Tractatum hunc eruditissimum, non id velle, quod hæretici cavillantur; aut invidiosum illud lemma præ se fert: quoniam Ecclesiæ auctoritatem, *non absolutè & formaliter; sed casualiter tantùm, quo ad abusum, & exercitium,* auctoritati Pontificiæ antecellere demonstrat Gersonius.

At forsan dicet aliquis; Pontificem nihilò magis ab Ecclesia, quàm patremfamilias à familia propria, suam mutuari facultatem; & proinde Papam nec coërceri, nec abdicari posse ab Ecclesia, ut Petrus de Luna causabatur. Sed quis nescit patremfamilias, moribus & institutis patriis obsequi debere, & si furiosus sit, rectè ad agnatos deduci; imò verò à propria quoque familia vinciri, & exarmari posse? Haud certè aliter, quàm caput & oculus meus (quæ non à me, sed à natura & à parente meo sunt) si fortè fini & instituto naturæ adversentur, à me aut per me uri, vinciri, ferroque secari possunt. Nam Pontifex Maximus caput est ministeriale & analogicum, cui in ordine ad regimen Aristocraticum, facultas pascendi commissa est; & idcircò, nihil suâ privatâ, sed communi Ecclesiæ utilitate statuere, Ecclesiamque inauditam, inconsultam, invitam, aut repugnantem obligare potest: quoniam, ut ait Apostolus, potestas *data est ei in ædificationem corporis Christi, quod est Ecclesia:* qua de re videndus est libellus articulorum Theologicorum contra Petrum de Luna.

Martinus Azpilcueta Navarrus, Tractatu *De Potestate Laïca & Ecclesiastica*, refert Thomam à Vio Caïetanum, omnium doctissimè & sublimissimè contra Gersonium & Scholam Parisiensem scripsisse, cujus verba hîc lubet adscribere. *Non est*, ait, *consilium, in præsentia definire, cui principaliùs potestas Ecclesiæ fuerit à Christo collata, An Ecclesiæ toti, an verò ipsi Petro, propter illam maximam discordiam Romanorum & Parisiensium: Illi enim tenent Petro & successoribus datam esse hanc potestatem, atque ideo Papam, Concilio esse superiorem; ii verò quibus Gerson adhæret, totam datam esse toti Ecclesiæ, licet exercendam per unum, atque adeo in aliquot saltem casibus Concilium esse suprà Papam: quarum illa, scilicet Romanorum, videtur placuisse sancto Thomæ, & Thomæ à Vio, ubi altiùs omnibus & profundiùs hoc demonstrare conatur. Altera verò, placuit Panormitano, qui pro Parisiensibus est, quem frequentiùs nostri sequuntur, ut tradit Decius,* Consilio 151. *quàm mordicùs tuetur Jacobus Almaïnus è Sorbona Theologus, qui respondit Thomæ à Vio, libello justo; & Joannes Major* capite 18. in Matthæum, *qui idem facit, aiens Romæ neminem permitti tenere Parisiensium & Panormitani sententiam; nec rursus Academiam illam Parisiensem pati, ut contraria opinio asseratur in eâ; quorum utrique videtur replicasse prædictus Thomas à Vio in dicta Apologia.* Hæc Navarrus, *cap. novit. de Judiciis*: ubi non obscurè designat, se Parisiensium placita, velut probabiliora, amplecti: quod fuit in causa, ut justum (brevissimum tamen) Almaïni libellum, & Joannis Majoris disputationem *De Ecclesiæ Auctoritate*, cum Gersonii Operibus edendum curaremus; ut lector videre posset, justè necne Caïetanus, Constantiense & Basileense Concilium criminetur, & Decreta Scholæ Parisiensis, *pura puta somnia, & imaginationes Gersonii vocitet*, cùm Divina, Naturali, & Canonicâ Lege (quæ veteris Ecclesiæ praxim indicat) ita nitantur, ut nullis Caïetani argutiis convelli unquam possint.

Sed ut unde digressa est eò redeat nostra oratio; cùm Cancellarius Parisiensis Antipapas, mutuam sponsionem quam de ejuranda auctoritate Pontificia (pro pace & concordia Ecclesiæ) horribilibus sacramentis firmaverant, nolle implere videret; tantùm apud Regem Christianissimum effecit atque profecit, ut Imperatorem, omnesque alios Principes Catholicos, ad schisma communi

muni studio opprimendum, solicitaret: cujus rei testem Froissardum, cum innumeris Gersonii actionibus, pro Concilio unius obedientiæ, & Synodi Constantiensis celebratione, laudare, & sine ulla ostentatione prædicare possumus, unionem Ecclesiæ, post Deum Optim. Maxim. Academiæ Parisiensi, duce Cancellario, potissimùm deberi, ut hac Gersonis icone adumbratur,

Quid Sorbona potest, monstras doctissime Gerso,
Gerso Sacro-sancti luxque decusque chori.

Enimverò, quàm egregium est ac laudabile facinus, Mundum universum, diuturna schismatum consuetudine infatuatum, palamque & publicè docentem, *nihil de unico Pontifice in terris curandum esse (modò unus Papa in cœlo Jesus Christus crederetur)* ad unionem & salutarem concordiam revocasse?

Mitto insuper labores ab Hercule Gallico exantlatos, pro formidabilis hydræ Fratris Joannis Parvi expugnatione, quem Ducis Burgundiæ beneficiis corruptum, voce & scriptis publicare non puduit, ô perditos hominum mores, *Tyrannum quemcumque, per nocturnas insidias; etiam à quocumque privato homine, justè & laudabiliter trucidari posse*: quâ scelerata & furiosa Assertione, ille nequitiæ Magister (cùm Ducis Aurelianensis necem, à Duce Burgundiæ patratam, excusare moliretur) *quaque hominum retrimenta, in sacro-sanctos Principes armabat; Regum omnium vitam, sicariorum libidini impunè prostituebat; & unà, totum ordinem politicum (in quo bonum & totius Reipublicæ tranquillitas consistit) funditus convellebat.* Hanc pestiferam opinionem, omnium Doctorum secularium Scholæ Parisiensis hortatu, Episcopus Parisinus (quamquam invitis Mendicantibus) *velut hæreticam, & Politiæ omnis turbatricem damnavit*: & dehinc Gersonius (qui pro Rege Christianissimo, Academia Parisiensi, & Senonensi Provincia, in Concilio Constantiensi Legationem obivit) ut ab universali Synodo xv Sessione condemnaretur, non sine vitæ discrimine effecit; quâ de re legendus est Dialogus Apologeticus, quem pro Actis Constantiensis Concilii composuit.

Scio quidem non deesse aliquos, qui hujus Constitutionis fidem ideò enervare moliantur; quia Decretum illud (inquiunt) *Romano Pontifici Martino* v *probatum non inveniant, non Eugenio aut successoribus, quorum consensu, Conciliorum Ecclesiasticorum sanctitas stat, præsertim quòd non sine Ecclesiæ motu triplici Pontificum, de summo Pontificatu contendentium, Concilium Constantiense celebratum fuerit, &c.* Quibus verbis designare volunt, Decretum memorabile *De Tyrannis minimè tollendis*, solummodò sancitum fuisse à Prælatis, qui Joanni xxiii favebant, & Pisano interfuerant Concilio; & propterea vim Oecumenici Decreti non posse obtinere, cum Benedictus xiii & Gregorius xii, manibus atque pedibus Constantiensi semper obstiterint Concilio.

Sed homines docti non vident, auctoritatem & unitatem Ecclesiæ, nihilò magis apud duos Antipapas, quàm hodie apud Lutheranos aut Calvinistas, habitare potuisse; quia illi Antipapæ, præter Regulos Apuliæ, Arragoniæ, Scotiæ, & Comitem Armeniaci, nullos erroris sui fautores habuerunt, & à propriis etiam Cardinalibus, tanquam perfidi & infames, tandem derelicti sunt, ut historiæ omnes, & Platina ipse testatur in Gregorio xii. Unde si quinquepartito universalem Ecclesiam distribuerimus, vix quintam partem duobus illis Antipapis hærere, & reliquas quatuor partes Ecclesiæ Catholicæ Pisanum & Constantiense Concilium, omni ope atque studio auctorasse comperiemus: quod ad universalis Synodi constitutionem plus satis esse, Divina, Naturalis, & Canonica Lex comprobat.

Præterea, quo paralogismo primas Sessiones Synodi Constantiensis labefactare; eodem quoque, & hæresim Joannis Wiclef, viii Sessione damnatam, redivivam ab inferis excitare, & Martini v electionem confutare conantur: quia, ut de priore priùs dicamus, nebulo ille multos errores ab Lutheri, Calevini, & Joannis Hus erroribus differentes, fovebat, qui alibi damnati non leguntur. Deinde, nihil Ecclesia ampliùs juris habuit, quo Martinum v eligeret, quàm ut Sessiones, & de Tyrannis non tollendis, & de Ecclesiæ auctoritate supra Pontificem Maximum erigenda, sanciret: maximè autem, quòd Lex Divina & Naturalis ostendant, Monarchiam Ecclesiæ, Concilio Oecumenico, velut quodam temperamento & regimine Aristocratico, moderari: quod in causa fuit, ut D. Jacobus, de omnibus Apostolis, non de solo Petro ita loqueretur, Actuum xv. *Visum est Spiritui-sancto & nobis*: ex quo fit, ut Martinus v nisi inito, subducto, & ponderato suffragiorum numero, *synodicè & conciliariter concludere non potuerit*: quoniam solus Papa, nihilo magis Decretum Synodale, quàm solus Dux Venetiarum, Senatusconsultum evertere, aut constituere potest.

Addamus insuper, ante argutissimam Caïetani Scriptionem, nullum extitisse, ne Eugenium quidem iv, Pium aut Julium ii, qui Constantiensis & Basileensis Concilii auctoritati derogare auderet, ut ex Bulla Julii, super Synodi Lateranensis convocatione edita, apertè colligi potest.

Verùm, ut ad incredibiles Cancellarii labores redeamus: condemnatio Propositionum Fratris Joannis Parvi tantùm Gersonio, à Duce Burgundiæ odium, & periculum creavit, ut Synodo Constantiensi exacta, instar alterius Athanasiii aut Chrysostomi, in spontaneum exilium secedere, & vitam potiùs mendicitate sustentare, quàm veritati deesse; aut Lutetiam Parisiorum, cruentis Anglorum & Burgundionum molitionibus discerptam, redire elegerit: cujus suæ peregrinationis picturam, Prosâ & Versibus adumbrare voluit. *Hæc habes supra..*

Primo autem exilii sui vestibulo, ad montana Bavariæ, in oppido Rhatembergensi divertit, ubi ad imitationem Boëtii, quatuor libros *De Consolatione Theologiæ, cum Dialogo Apologetico*, actorum à se in Synodo Constantiensi, egens, angustiatus, & afflictus composuit; anno m. cccc. xviii. Nec multò post (nam Pater misericordiarum divinam illius virtutem diutius latere noluit) in Ducis Austriæ notitiam venit, qui omnia necessaria humaniter Cancellario suppeditavit. Sed post aliquod temporis intervallum, Lugdunum (quod Domino Delphino contra Burgundionum factiones favebat) sese (ut Fratris Joannis Monachi Ordinis Cælestinorum consuetudine uteretur) contulit; ubi omne suum tempus orando, meditando, concionando, componendo, & præsertim parvulos in Fidei Christianæ rudimentis quotidie informando, impendit: quorum salutem atque eruditionem, qua arte moderaretur, libellus ille *De parvulis ad Christum trahendis*, nunquam satis laudatus, apprimè indicat, cujus Epilogum hic adscribere lubet.

Usque-

Usquequo parvuli diligitis infantiam, ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? Venite fidenter, nulla viarum insidia, nullus latet anguis in herba: communicabimus mutuò bona spiritualia, quia temporalia vestra nulla requiro. Ego vobis doctrinam, vos mihi orationem impendetis; imo orabimus pro invicem ut salvemur: sic Angelos nostros vicissim lætificabimus, in quorum Solemnitate hæc scribo: sic fortè, nec jam fortè, sed certa spe, misericordiam inveniemus apud Patrem nostrum, dum obediemus voci suæ, in accessu nostro ad eum; ego provocando, vos exequendo: nec deerunt piæ gratiæ, & devotionis amplexus in præsenti miseria consolatorii; postmodùm gloriæ consummatæ perpetua unitas subsequetur: ad quam nos omnes, qui spiritu parvuli esse debemus, invitat ipse Jesus, spirituali collocutione & afflatu jugiter inspirans; & dicens, Sinite parvulos venire ad me.

Hæc pia & religiosa consuetudo, quam cum parvulis toto vitæ suæ decursu habuit Cancellarius, effecit, ut cùm sibi mortem imminere præsentisceret, omnes parvulos, quos de more in Ædem Divi Pauli Lugdunensis quotidie ad catechizandum cogere solebat, Deum Optimum Max. pro se in hæc verba orare, & coram Sacro-Sancto Altaris Sacramento, sæpius iterare & exclamare induxerit: *Mon Dieu mon Createur, ayez pitié de vostre pauvre serviteur Jean Gerson!* quod Latinè redditur, *Deus meus, Creator meus, miserere pauperrimi famuli tui Joannis Gersonii!* Hoc ipso quoque tempore, sibi Anniversarium fundari & institui procuravit, in æde Divi Pauli Lugdunensis.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, primitùs invocato. Notum sit omnibus quorum interesse poterit, quòd anno Domini M. ID. XXVIII, *die* XXI. *Octobris, Nos P. Camerarius, & Capitulum Ecclesiæ Sancti & gloriosissimi Pauli Lugdunensis concessimus & concedimus, per præsentes, ex certis & legitimis causis, Venerabili Magistro & Domino Joanni de Gerson, sacræ Theologiæ Professori, & Cancellario Parisiensi & Sacerdoti Rhemensis Diœcesis, Anniversarium panis & vini perpetuum, more solito, per nos annuatim in dicta Ecclesia faciendum & celebrandum, die* XIV. *Decembris, in crastina Sanctæ Luciæ; qua die, Festum est celebre Sancti Nicasii Rhemens. Episcopi; & in tali natus est Mundo, & renatus Christo prædictus Joannes, ut dicit, anno* M. CCC. LXIII. *Concessimus præterea eidem Joanni liberaliter locum sepulturæ (in nostris locis ad hoc deputatis, nec jam occupatis) eligendi pro se facultatem: in cujus rei testimonium, Sigillum nostrum duximus præsentibus apponendum, anno & die quibus supra,* BENEDICTUS DEUS, *fiat fiat.*

In hoc etiam tempus, Gersonii Testamentum (perpetuum pietatis Cancellarii monimentum) incidit.

TESTAMENTUM QUOTIDIANUM PEREGRINI.

Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives. Esai. XXXVIII. *Sicut homo peregrè profecturus in longinquam regionem, solet condere Testamentum, & copiam secum ferre; sic agere nos convenit, qui non habemus hîc civitatem permanentem, sed futuram inquirimus: sit igitur sub orationis typo quotidianum Peregrini Testamentum.*

Pater ecce positus sum hîc & nunc, velut in articulo mortis; quoniam media vita in morte sumus. Compareo coram Curia Misericordiæ tuæ, cui me submitto jugiter, & adeo cum fiducia Thronum gratiæ, ut misericordiam consequar, & gratiam inveniam in auxilio opportuno, dum tempus est miserendi, & hora comparendi.

Da continuè mentem sanam; da Pœnitentiam veram; da, saltem in affectu, Communionem Sacram; da similiter Unctionem sanctam; da remissionem plenam; da Sanctorum, contra potestates contrarias, consolationem; da in exitu vitam æternam.

Et quoniam nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc, temporalia temporalibus relinquo, prout specificavero: & revertatur pulvis in terram suam unde erat, precor ad Ecclesiasticam sepulturam: & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Domine Jesu suscipe spiritum meum.

Isthuc quoque sequens referri debet epistola super librorum suorum Testamento, quam ad Cœlestinos Avinionenses misit.

Venerabilibus Patribus & Fratribus Cœlestinis, Joannes de Gerson Sacerdos, Sacræ Theologiæ Professor, gratia & pax.

Thesaurizate vobis thesauros in cælo, dicit cælestis noster Doctor Christus: est autem sapientia thesaurus infinitus hominibus, quo qui usi sunt, participes effecti sunt amicitiæ illius. Repræsentant hanc sapientiam, & docent instrumentaliter Libri Sacri.

Propterea, disposui in senectute mea thesaurizare, juxta paupertaculam meam de libris salutaribus. Visum est autem mihi commodiùs in Cælestinis, velut in quibusdam cælis, aut cælestibus habitaculis, thesaurum hunc reponere: maximè, quia duos in illa Religione germanos habui Professos.

Suscipiat igitur propositum meum cum bona gratia, devotio vestra (Patres & Fratres charissimi, reveceque cælestes): Sit thesaurus iste perexiguus (dum venerit ad manus vestras) custodiendus in sacro Conventu vestro apud Avinionem, non quidem alienandus, sed nec prorsus abscondendus; imò communicandus hinc & inde, prout Superioris industria judicabit: ita tamen quod semper tandem recolligatur sub propria clave, vel armariolo ad hoc ipsum specialiter instituto.

Denique, nomina Librorum & Tractatuum, tam ab aliis quàm à me compositorum disposui colligere in speciali schedula, Domino concedente, ad quem effundite preces pro mea finali salute, in gratia & gloria sempiterna.

Scriptum Lugduni, anno gratiæ, M. ID. XXVIII, *in Novembri, anno ætatis dierum vitæ peregrinationis meæ (qui parvi sunt & mali)* LXV; *& incipiet* LXVI *annus, die* XIV. *Decembris, in Festo Sancti Nicasii Rhemens. qua natus sum, & renatus in Domino Jesu Christo, in quo det idem ipse nos omnes benè mori. Amen.*

Hæc epistola, duo nos sigillatim docet. Primum, antè Typographiam inventam, Bibliothecas fidei & integritati veterum Monachorum commendatas fuisse, qui summâ Dei providentiâ, libros omnes antiquos, integros, intemeratos & minimè castratos ad hæc tempora transmiserunt: qua de re, legendus est eruditissimus liber *De Laude Scriptorum*, quem, velut servum atri-

atriensem, cæteris Operibus Gersonii, veteres meritò præmittendum censuerunt. Secundum est, D. Gersonem, diem sui exitus certò præsensisse, ut sequentia apertiùs adhuc declarant: Nam paulò antequam è vivis excederet, Carthusianis, quibuscum maximam semper habuit necessitudinem, scripsit, ut quæ illi Suffragia post obitum suum pollicebantur, se adhuc in vivis agente, sic anticiparent, quatenùs (ut in gratia Dei moreretur) à Deo impetrare valeret.

Facite vobis amicos, docet hoc amator hominum Jesus, subdens causam finalem, ut, inquit, recipiant vos in æterna tabernacula: Causam verò materialem tangit, esse mammona iniquitatis, non quin illa causa sit potior, quæ de materia venit æquitatis, qualis est charitas gratuita, qualem vos, honorandi Patres & Domini, concedere placuit pridem mihi villico inutili, qui fodere non valeo, sed certè mendicare non erubesco, cum illo qui dicit, Ego autem mendicus sum & pauper. Est itaque mihi pro copia, pro divitiis, & opibus, spiritualis mendicas, prout dudum sororibus scribens latè satis exposui. Et quoniam posuit in mendicitatis meæ sacculo, imo sacco permaximo & inani, largitionem liberalem, & grandem (de participatione bonorum spiritualium preciosi perdivitisque Ordinis vestri) benevolentissima charitas vestra; venit in cor meum fiducia petendi qualemcumque accelerationem, me vivente, Suffragiorum illorum, quæ post obitum sunt oblata.

Movet me consideratio præcipua, quatenus impetrent spirituales amici, vivere & mori me in gratia Dei, non quin oretur Deus, ut transeat à me calix purgatoriæ pœnalitatis (si possibile est, secundùm ordinem Divinæ voluntatis) sed quòd planè mihi gratia Dei adsit, & comitetur vitam, & obitum meum, quâ deficiente, nulla esset ulteriùs redemptio.

Movet altera consideratio, quia videtur facilior pro Patribus & Dominis; paulativa quasi per tempus & tempora distributio suffragiorum, quam statim post obitum continuata solutio. Denique justorum assidua deprecatio proderit, spero, mihi ad meritum proprium cumulandum in via, qualiter esse non poterit extra viam, quæ meriti nullius statum habet.

Rogo igitur, Patres in Christo, & Fratres charissimi, ut charitas vestra in me magis ac magis abundet, ut in æterna tabernacula vobiscum recipiar. Fiat fiat. Scriptum Lugd. Vester alumnus in Christo, Joannes de Gerson Theologiæ Professor indignus, & Parisiens. Cancellarius.

Cæterùm, die XII Julii, anno M. ID. XXIX. ætatis LXVI. tribus diebus postquam manum extremam Commentariis in Cantica Canticorum imposuit (quod ipsum etiam Bernardo, Thomæ Aquinati, & multis aliis viris sanctissimis antè contigerat) viam universæ carnis, inter orandum, ingressus est, idque cum aliquot ante mensibus innumera Cantica & carmina spiritualia, instar divini alicujus Vatis, sanctissimè cecinisset.

Sepultus fuit in Æde Divi Pauli Lugdunensis, hocque divinum Christi proloquium, *Pœnitemini & credite Evangelio*, quod inter concionandum frequenter in ore habebat (summam enim omnium quæ sunt ad salutem necessaria complectitur) ejus Tumulo, cum sequenti Epigrammamate inscriptum est.

EPITAPHIUM

in circumferentia Sepulchri, & in Tabula muro appensa, juxta Arma Gersonii, exsculptum.

Magnum parva tenet virtutibus urna Joannem,
Præcelsum meritis, Gerson cognomine dictum,
Parisiis sacræ Professor Theologiæ:

Claruit Ecclesiæ, qui Cancellarius; anno
Milleno Domini, centum quater atque vigeno
Nono, luce petit Superos Julii duodena.

Ab eo autem die quo mortem obiit, pro Divo semper & cultus & habitus est ab omnibus, uti epistolæ sequentes declarant.

Venerabili Patri, Fratri Joanni de Gerson, priori Cælestinorum Lugdunensium, in omnibus singularissimo.

*Venerabilis Pater: Recommendatione præmissa, in eo qui abstergit omnem lacrymam ab oculis suorum. Margaritam hîc nuper in Ecclesia eminentiùs rutilantem, in vigilia Margaretæ virginis, ejus gloriosæ hospitis, describitis migrasse: Margareta esse concupierat, dum adhuc tenera & juvenili carne tegeretur: & margaritam inveniens, vendidit omnia quæ in carnis desideriis habuit, vel habere potuit, ut emeret agrum illum, cujus jam piè credimus eum beatum esse possessorem. Altera, si non fallor, repromissio Patriarchæ nostro Abrahæ facta à Deo (Venerabilis Pater) vobis concessa est; ille namque Deo Patri carnem suam in unico Filio immolans, Angelum, ne jugulare filium admitteret, invenit. Vos verò, Deo similiter Patri Omnipotenti carnem propriam in unico germano * (committo te, inquit, Omnipotenti Deo charissime frater) ne jugulum sathanæ inveniret, Angelum, ut piè credo, Dei invenit. Et cum altera Margareta virgine, ejus Patrona & hospita, lucidas sedes accepit: conveniebat namque mens ejus devota, Margaretæ virginis votis: illa draconem vicit, & crepuit victus; iste similiter vicit tortuosum serpentem, & ab eo superatus remansit confusus: illa crudelitatem Oblibrii superavit; iste Olibrias vestes, ut legalem sequar sapientiam, omnino despexit: noverat enim plenè noster pius Pater, quòd qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt; dixisseque libeat, post tantos seculi hujus honores, ubi primus Pater almæ Universitatis Parisiensis, re & nomine ac merito existebat) quæ inter cæteras Universitates sicut sydus radiat matutinum) ubi tantis rerum copiis, & beneficiorum valoribus abundabat, pro veritate longum passus exilium, etiam interdum in lingua quam non noverat, Apostolica fretus doctrina, scivit simul abundare & indigere; vicissque vitia & servasse virtutes; confutasse hæreses, & exaltasse veritates, in Christique gloriosa confessione, & sua peregrinatione devotè obiisse; Martyrio non carere videtur: multos namque Sanctos legimus, & in Catalogo Martyrum describimus, qui soli passi sunt exilia. Quòd si lucidas sedes accipiens, concivis cælestis effectus est (quia gaudium est Angelis de loco prævaricationum animas ex carne assumi suæ civitatis consortes) vos Pater venerande, qui re & nomine Cælestinus estis, & cujus conversatio in cælis est, non dicam gaudii panem, quod corroborat & confirmat cor hominis, cum fletu miscere, sed fletus in gaudia & risus omnino commutare debetis. Nec illud vos moveat, semper colende Pater,*

* Aliqua hic desunt.

ter, quòd nodosas dissolvebat quæstiones: & in hoc vobiscum conveniam, quòd post se non reliquit similem sibi; sed in agro semper proficiens Dominico, incessabili calamo scribens, posteris ambiguitates plurimas submovit; & scripta sua revolventium, mentes elevavit; & per acumen sui eminentis ingenii, tenebras fugavit: suus utique eram, & quoad vivam vobis placebo, ipso auctore, qui omnium est salus, in quo bene diù vos valere perovto. Scriptum Ternandi, die XVII *Julii.*

A. ARCHIEPISCOPUS LUGDUNENSIS.

Christophorus, Dei Gratiâ Basileensis Episcopus: Venerabilibus & Circumspectis Dominis, Decano, totique Capitulo insignis Ecclesiæ Lugdunensis, amicis nobis plurimùm dilectis.

AMicabili salutatione præmissâ, Venerandi Viri, Amicique charissimi. Quoniam à multis annis, doctrina & scriptis Magistri Joannis Gerson, singulariter affecti fuimus; in eisdemque legendis, usque hodie plurimùm delectamur (quòd nobis solidus, Ecclesiæ utilis, & omni statui consolatorius visus est) desideramus vehementer certiores reddi, de quodam rumore, qui apud nos pridem, haud ex futili auctore, personuit; eumdem Joannem Gerson, apud vos, in Ecclesia divi Pauli Lugdunensis sepultum, multis & magnis clarescere miraculis, populique concursu cum celebritate frequentari. Rogamus in Domino, ut quicquid de hacre vestris humanitatibus certò constat, id ad nos fideliter rescribatis, ut cùm ad famam ipsam, vestræ quoque fidei & auctoritatis testimonium accesserit, non solùm nos ipsi, ingenti gaudio repleri, sed & cæteris multis hujus sapientissimi & integerrimi Patris amatoribus, solatium & voluptatem afferre possimus, qui & unà nobiscum Dominum Deum glorificaturi sunt, quòd vitam & doctrinam tanti tamque digni viri, signis & miraculis illustrare tandem dignatus est. Facietis nobis rem gratissimam, nostris obsequiis, oblata opportunitate, compensandam. Relatum est etiam ad nos, quemdam Doctorem Ordinis Carmelitarum, Confessorem Regis Franciæ, carmina in laudem Joannis Gerson edidisse, & ea ad ejus sepulchrum appensa esse, eundemque Carmelitam, anteà hujus Joannis Gerson contemptorem, quadam quasi miraculosa muli (cui insedit) rebellione, in crure & lateribus attritum, divinam sensisse vindictam. Item quòd depingatur Imago Joannis Gerson, instar Alberti Magni, cum radiis solaribus in capite, sine tamen diademate, in cappa Doctorali, & corde in manu sinistra; quodque dexteram levet dicens, SURSUM CORDA. *De his certificemur, & metra nobis rescribantur, atque ipsa Imago depingatur. Valete in Domino, ex civitate nostra Basileensi, Anno* M. D. IIII.

Reverendissimo in Christo Patri ac Domino Christophoro, Dei Gratia Basileensi Episcopo: vestræ Paternitatis servitores, quanti sunt Canonici & Capitulum Ecclesiæ Lugdunensis, reverentiam & debitam & devotam, cum salute plurima dicunt & optant.

REverendissimæ Dominationis vestræ epistolam, magna devotione, & tersa facundia refertam accepimus: vidimus & legimus quòd Divi Joannis Gerson doctrinam, solidam, omni statui consentaneam, affectu maximo complectimini; in eaque hactenus legenda, sancta voluptate tenemini, dignissimi & optimi Antistitis (& qui de literaria Doctoris Sancti sapientia bene sentiat) officium habetis: Est profectò ejus doctrina, sana, clara, salubris, & devota; & inter cæteras, ad pellendos animi morbos aptissima, usque adeò, ut jam Christianissimus Doctor Divus Gerson passim nominetur. Erectum est in Ecclesia sancti Pauli Lugdunensis, in Divi Joannis Gerson decus & laudem, devotum Sacellum, ubi super Altare ejus Imago depicta est, magnusque populi concursus, pro obtinenda ope divina affluit, & plurimi se adjuvari Beati Joannis Gerson precibus prædicant & fatentur. Ista est quæ apud nos vulgatur de Divo Gerson clara & celebris fama. Scribit insuper Reverendissima Dominatio vestra, quòd Frater Laurentius Theologus Doctor Parisiensis, Ordinis Carmelitarum, aliqua carmina in Beati Joannis Gerson laudem scripsit, quæ Altari suo juncta sunt: hoc habete, dignissime Pontifex, quòd præfatus Frater, nunc Episcopus Sistariensis, Regis Confessor, per sex Quadragesimas, & annos plurimos, coram Regibus, & Clero, & populo, Lugduni prædicavit; nomenque & virtutum præstantiam. dotes, & doctrinam olim Joannis Gerson semper commendavit; & Regem Carolum, ut Capellam ædificaret, suo suasu impulit, nec doctrinæ, nec vitæ illius contemptor fuit unquam: quinimò, omni ingenio, studio, industria, & labore, apud Christianissimum Regem dat operam, ut habita sufficienti informatione de vita, moribus, patientia, & doctrina, inter Divos canonizatus ascribatur. Is ad vestram Reverendissimam Dominationem, literas. um suis carminibus, humilis & devotus, & vestræ Reverendissimæ Dominationi deditissimus, destinabit: nec cervice, nec latere attritus est, sed è mulo lapsus, illæsus permansit, invocato priùs Divi Joannis Gerson auxilio Imaginem ejus, & cætera, quæ vestræ Reverendissimæ Dominationi devotionem augeant, mittimus: facturi ea omnia, quæ vestra Reverendissima Dominatio asserit, auspice Jesu Christo, qui ad utilitatem Ecclesiæ, vestram Reverendissimam Dominationem conservet, tueatur, augeat, & protegat. Amen. Ex Lugduno XXII *Februarii, Anno Christi,* M. D. IIII.

Quantùm ad Gersonii Opera attinet, magnam profectò gratiam habere debemus Germaniæ, quæ Typographia nascente, in perquirendis, recognoscendis, colligendis, & quinquies aut sexies edendis Operibus Cancellarii, suam prima impendit operam; effecitque, ut Conciones, quas vir sanctissimus Gallicè habuerat, Latinè verterentur. Verùm, qui in primam Partem Operum, illa quæ ad Fidem spectant; in secundam, quæ ad Mores; in tertiam, quæ ad Theologiam Mysticam; in quartam demum, Conciones se conjecisse arbitrantur; non parùm, si quid in me est judicii, falluntur: qui enim istanc divisionem, cum tribus Tomis Operum Gersonii (ut hodie compacta sunt) contulerit, hæc instar foliorum Sybillæ, confusa & dissipata esse, atque isti tripartitæ distributioni nullomodò quadrare comperiet. Mihi autem, si posthac unquam prelis committantur, in sex Partes commodiùs ita posse dividi videntur: in Miscellanea; Hierarchica; Moralia; Mystica; Dogmatica in Sacram Scripturam; & Concionalia ad populum.

Miscellanea Opera, Epistolas, Poëmatia, & quædam alia Opuscula complectentur, quæ ad nullum reliquorum quinque membrorum, appositè revocari queunt.

Hierarchica, omnia continebunt, quæ pro extinguendis schismatibus, Hierarchia Ecclesiæ sarcienda & vindicanda, bonus scripsit Gersonius; qua in collectione, servandus erit ordo temporum. Enimverò illa sic hodie conturbata atque dissipata sunt, ut id sæpe præponatur quod sequi debet: istis autem, Opuscula Petri de Alliaco Cardinalis & Gersonii Magistri; Jacobi Almaini; Joannis Majoris Doctorum Parisiensium, adglutinanda erunt; & Hierarchica cum Miscellaneis, primum, istumque volumen Operum Gersonii component.

Moralia, omnes comprehendent Tractatus de Officio & statu hominum, & cætera quæ ad mores meliùs, & sanctiùs informandos pertinent: quamquam verò plurima ejusmodi, in secundam Partem Operum Cancellarii, hodie congesta sint; attamen, plura per alias Partes huc & illuc, quasi in rutuba obruuntur.

Mystica autem, Morales sequentur quæstiones, ut finis media (ut vocant) subsequi solet: unde hæc illis adsuta, secundum efficient volumen.

Dogmatica, Harmoniam in quatuor Evangelia, cum aliis Tractatibus in Sacram Scripturam, capient.

Concionalia demum, omnes Conciones ad populum complectentur, quæ juxta Tempus & Festa Ecclesiæ, in certum ordinem & methodum sic erunt digerenda, ut legentibus statim ad manum occurrant.

Præter isthæc, quædam hodie servantur in Bibliotheca Sancti Victoris, quæ per otium exscribere, & recognoscere non licuit, ut hac Editione prelis committerentur.

JOANNIS DE GERSON,

Cancellarii Parisiensis

Compendiosa laus, à Petro Schotto Argentoracensi, hortatu Joannis Geileri Keisersperg ii, illic Concionatoris, elucubrata, anno M. ID. XXCIX.

JOANNEM de Gerson, Parisiensis quondam Studii Cancellarium, si quis *Doctorem Christianissimum* vocet, is certè videbitur ejus merito ac dignitati, non impertinens nomen, indecentemve titulum attribuisse. Si enim Author Christiani nominis Christus, finem & consummationem Legis suæ, dilectionem constituit; si lene, & Sacramentis paucis astrictum jugum, posteris suis imposuit; si Pharisaïcum illud Paternarum Traditionum onus, à suorum humeris excussit; quis obsecro inter Doctores Legis hujus, Christiani agnominationem justiùs sortietur Joanne de Gerson? qui operosâ & piâ industriâ, per omnem ætatem in Literis Sacris versatus, omne studium in id contulit, ei soli operam impendit, ut Christianis (qui succedentibus subinde, multiplicatisque Præceptis hominum, ac innumera vivendi varietate proposita, inextricabili fermè conscientiæ labyrintho circumerrare viderentur) egrediendi ex hoc, callem, nutumque faceret, & planam, securam, ac regiam dilectionis Christianæ viam luculentissimè demonstraret? Planè si quis fortè dubitantior de hoc fuerit; huic nulla probatio certiùs persuadebit, ut quæ præmissa sunt credat, quàm si sæpe & attentè legat, quæ plurima post se reliquit Cancellarius ingenii ac doctrinæ suæ monimenta: inveniet etenim non hærentem in curiosis ambagibus, non vanâ subtilium ostentatione solicitum, neque affectatione exquisitæ novitatis turgentem; sed his insistentem tantummodò, quæ cognitu necessaria, & opere salubria in priscis Doctoribus deprehendebat. Quæ profectò ad usum nostrorum temporum, & ad mores, in quibus Christiana versatur Respublica, tam scitè applicuit & accommodavit, ut nihil clarius, nihil certius homines nostri legere possint, per quod ab hac misera perplexitate, tum in multis aliis, tum præsertim in varietate Legum humanarum (quæ nunc obligantes, nunc abolitæ asseruntur, nonnunquam vertuntur in dubium) sese tutò queant evolvere. Unde factum est, ut qui soli utilitati proximi scribendo studeret, nulla affectione privata alicujus è Doctoribus, qui eum præcesserant, singulariter duceretur. Quamvis enim ex his qui celebres erant, neminem ignoraverit; eorum tamen quos non respuit Ecclesia, nec aliquem usquequaque refutavit, nec cuiquam sese ubilibet obnoxium constituit imitatorem; sed velut apis argumentosa, singulorum depastus dulcorem, ex eo potissimè sapiebat, qui Naturalem aut Divinam Legem synceriùs redoleret, & favum perspicuum, ornatissimum, suavissimumque inde contexebat. Longè profectò alienus ab eorum sensu, qui Doctorem favore probant, & quibus non tam perspecta veritas, quàm ejusdem professionis conjunctio, sectandi alicujus necessitatem imponit: hæc quidem in Scholastica Theologia. In Mystica verò, quæ ita est Christianorum, ut (Auctore Dionysio) solis sit Christianis concessa, quantus fuerit Joannes de Gerson, quàm clarus, quàm copiosus, quàm justè Christiani agnomen promeruerit, ex scriptis suis adverti manifestissimè potest. Studiosè siquidem curavit, quemadmodùm de seipso pluribus in locis testatur, Theologiam Mysticam cum Scholastica concordare; vel quòd ostenderet scholasticis doctrinis illam non esse adversam; vel quòd omnes, qui crudis solummodò speculationibus Deum investigant, ad experimentalem ejus gustum invitaret, ad quem scilicet, tanquam ad margaritam pretiosam, & futuræ beatitudinis prælibationem, omnes Christianæ perfectionis avidos anhelare docebat; eò certè efficaciùs, quò & ipse nonmodò doctus verbo, sed & usu peritus in ea re fuerat. Nisi enim gustasset quàm suavis est Dominus, nunquam tale aliquid (quod meliùs percipi quàm dici potest) tam dilucidè, tam signatè, tamque copiosè, declarare potuisset. Nec mirum sanè. Nam ut de vita quoque sua nonnihil afferatur; ab ineunte ætate per parentes ad Dei amorem allectus extitit, quos ipsos, pietate in Deum non mediocri arsisse indicio sunt liberi ferè omnes Deo dicati. Mòx traditus bonis Artibus, in Parisiensi Gymnasio, ita se exercuit, ut proficiente cum tempore peritia & integritate, omnium illic Theologiam

giam profitentium, tempore suo longè eminentissimus haberetur & esset. Singularis profectò gloria, vicisse Parisienses in eo, in quo ipsi cæteris Studiis omnibus semper præstitissent. Verùm multò laus amplior, & immensum ferè præconium ejus ab his consurgit, quorum adhuc ne meminimus quidem: quæ quia illustriorem dicendi ornatum deposcunt, aliis, & alii loco duximus reservanda. Quis enim brevibus complecti posset accuratissimam prudentiam, laborem fortissimum, modestissima consilia, ferventissimum zelum, quem indefessus adhibuit, pro sedando & uniendo illo turbulentissimo schismate, quô ætas illa quatiebatur? Quis Legationes suas, mira gravitate & peritia obitas, satis dignè commemorare posset, quas pro Francorum Rege, Ecclesia Gallicana, & Universitate Parisiensi, tum plerumque aliàs, tum præcipuè apud celeberrimum illud Christiani populi generale Concilium Constantiense, graviter administravit? Illic etenim diligentiâ incredibili, sanissimâ doctrinâ, & vehementissimâ vi dicendi, quibus Patres movit, confirmavit, & quid facto opus esset, apertissimè monstravit, tantùm effecit pro communi pacis (quæ à tota Christiana Replublica exulabat) reconciliatione, ut non minùs necessarius fuisse videatur, illi suæ calamitosæ tempestati, quàm olim gloriosissimus Doctor Augustinus ætati suæ, Pelagianorum hæresi contaminatæ. Extant & Tractatus, & Orationes ejus in eam rem plurimæ, quò minùs necesse sit adducere multa ad hæc comprobanda. Quare silentio prætereantur reliqua, si uno verbo persuasum fuerit, Joannem de Gerson, evidentissimo intuitu veritatem perspexisse, & non minori constantiâ ac fortitudine perspectam, tutatum fuisse. Ad eam siquidem sensuum puritatem, & simplificationem cordis devenerat, ut velut è sereno pacatoque aëre, despicere & contueri valeret omnia, quæ sub se turbida passionibus, & ignorantiæ nube obducta, in cæteris agebantur. Itaque expeditissimus & resolutissimus erat in vero cognoscendo: in defendendo autem quàm firmus, quàm imperterritus fuerit, vel hoc unum argumento nobis sit, quòd post gravissimas altercationes, quibus contra impugnatores veritatem Fidei, & Præceptorum Dei, coram Sacro-Sancto Concilio certaverat; Principis etiam potentissimi odium non veritus, velut alter Chrysostomus, aut Athanasius, ipsum tandem exilium molestissimum perpeti non detrectavit. O Virum verè Christianum? O temporum nostrorum perditissimorum singulare sydus? Tu eam, quam à se pellunt cæteri, veritatem, etiam in exilio perquiris! Tu teipsum injuriâ, & contemptu mavis affici, quàm veritatem exulare! Tu verè secundùm nomen tuum, laudem tibi paras! Gerson enim advenam significat! Tu ipsius Christi, qui ut veritati testimonium daret, nullum tormentorum genus expavit, cum re & facto fueris imitator; cur non merito tuo maximo, ejus cognominationem adipiscaris? Quamobrem honorentur Doctores alii, quisque epitheto suo: dicatur hic Sanctus, ille Seraphicus, magnus iste, irrefragabilis alter, subtilis, solemnis, illuminatus, vel quidquid tale pro merito suo quisque vocitetur. Justè quidem & benè, sunt etenim: liceat obsecro Joannem quoque de Gerson non fraudari laude sua, liceat Christianus Doctor appelletur, is cujus primò doctrina ad Christi meras traditiones, omnem nostram assertionem contendit metiri: cujus deinde studium, primariæ Christi operationi (propter quam in Mundum venerat, testimonio scilicet veritatis) intentissimè fuit addictum: cujus postrema vitæ conclusio, tanta Anagogicæ, & veræ Christianæ contemplationis dulcedine, & amore flagravit, ut velut cygnus, modulato canticorum carmine, mortem suscipiens, in fœlicem familiam Christi (quem docuerat, pro quo certaverat, & quem totis visceribus desideraverat) non immeritò, in æterna Beatitudine receptus esse credatur.

Plura possent alia in laudem hujus Christiani Doctoris annecti, quorum aliqua ex epistolis Archiepiscopi Lugdunensis, & Fratris sui Prioris Cælestinorum concipi possunt, quæ ad finem hujus Operis habentur. Verùm passim plurima sese objicient, laude & honore digna, studiosis Scriptorum ejus, è quibus & hæc pauca quæ præmissa sunt, clariùs intelligi possunt. Hujus itaque utilissimi Doctoris Tractatus & Opera, quotquot colligi potuerunt, etiam non sine singulari labore, in hoc volumine castigatè admodùm impressa fuerunt. Quod tribus sanè Partibus, si cui libuerit, poterit secerni. Earum prima, continet ea quæ & Fidem & Ecclesiæ regimen, & errores circa illa concernunt. Secunda, complectitur ea quæ ad Morales Traditiones pertinent. Tertia, Mysticæ Theologiæ accommodata subjungit. Hunc autem Partium ordinem, non esse incongruum, sed Scripturæ Sacræ prorsùs convenientem, apertè intelliget, si quis Bonaventuram, in libello *De Reductione artium ad Theologiam*, in quarto volumine, leget. Inter hæc autem Opera, licèt nonnulla sint, quæ Joannis de Gerson non esse verisimiliùs sit, ut est *Tractatus, Contra Proprietarios Sancti Augustini*; *Compendium Theolgiæ*; *Sermo De Conceptione*, & si plures reperiantur; tamen quia Author alius non patebat, ideo loco suo perstiterunt. Alii autem Tractatus, qui Gersonio nonnunquam tribuuntur, & tamen Auctorem certum habent (ut est libellus *De Contemptu mundi*, quem constat à quodam Thoma, Canonico Regulari, editum, & alii plures) non his sunt Operibus inserti: Verùm, nonnulli ad finem Operis, propter conformitatem materiarum subjuncti.

EPITOMA VITÆ

JOANNIS GERSON.

ANNO salutis M. CCC. LXIII, natus est Joannes Gerson, in pago ejusdem nominis, Diœcesis Remensis, ex honestissimis devotissimisque parentibus, patre Arnulpho Charlier, & matre Elizabeth, qui ab ineunte ætate, ad Dei amorem illum solicitè induxerunt, moxque tradiderunt bonis Artibus in Parisiensi Gymnasio instituendum. Deinde, ipse convolavit ad studium Legis Divinæ, Sacrarumque Literarum, in quibus ita seipsum exercuit, ut brevi tempore, omnes illic Theologiam profitentes, longè superaret, servatâ semper morum integritate: in laboribus enim fortis, in consilio prudens & modestus, in zelo ferventissimus erat; quotiens Legationis Munus in Causis Fidei & Christianæ Legis obibat, mirâ peritiâ usus est & gravitate. Incremen-

mentum & decorem Regni Franciæ, sicut alter Leodegarius, apprimè dilexit. Contra schisma periculosissimum, utilissima multa non solùm scripsit, sed etiam diligentia incredibili & vehementissima vi dicendi, ad communem Ecclesiæ pacem Reverendissimos & Amplissimos Patres in Concilio Constantiensi movit & induxit. In cognoscendo verò expeditissimus erat, in defendendo firmus & imperterritus, adeout, pro ipsa sancta & Christiana veritate tutanda, potentissimum Principem non metuerit: tandemque in Germaniam pulsus, exilium, velut alter Chrysostomus aut Athanasius, patientissimè perpessus sit. Et quia sciebat jugum Domini suave esse, onusque ejus leve, conatus est omnia Præcepta, omnesque Constitutiones humanas, quantumvis graves & numerosas (quò tolerabiliores essent) ad Christi Legem referre: unde & non indignè Christianissimi Doctoris meruit habere cognomen. Neque enim inhærebat curiosis speculationum ambagibus, nec circa vanam subtilitatum ostentationem solicitus, nec in novitatibus adinveniendis turgidus fuit. Versabatur autem in his studiis, quæ ad Dei laudem, ad Fidei robur, ad plantandam Ecclesiam, ad conscientiæ pacem, ad consolandos pusillanimes, ad morum ædificationem, ad animarum salutem, utilia & necessaria esse videbantur: & quia utilitati proximorum ex toto corde inserviebat, nullius privati commodi affectione ductus, absque assentatione, & absque contemptu cujuscumque Doctoris, qui eum præcesserat, veritatem docuit: verùm non adulterans verbum Dei, sed ex synceritate prædicavit, & in monumentis post se plurima reliquit, quæ omnium statuum hominibus, quæ Confessoribus, quæ seminiverbiis, quæ Ecclesiarum Curatis, quæ viris quoque contemplativis, vehementer conducunt. Nam & in Mysticæ Theologiæ & Affectivæ Traditione, clarus fuit & copiosus. Theologos etiam speculativos, qui crudis solummodò speculationibus, & clamosis quæstionum disputationibus, vel Deum investigant, vel de Deo disceptant, ad experimentalem ejus gustum invitabat; quippe qui priùs gustaverat, quàm suavis sit Dominus. Atque ita in Christianæ contemplationis dulcedine, meditando, & super Cantica Salomonis scribendo, in vitæ suæ finem persistens, post multos labores Ecclesiæ Dei utilissimos, post ferventissimum animarum zelum, postque exilium, in fœlicem familiam Christi, quem docuerat, pro quo certaverat, quem totis visceribus desideraverat, in æterna beatitudine creditur esse receptus. Obiit autem anno Christi M. CCCC. XXIX. die Julii XII. Sepultus Lugduni in Ecclesia Sancti Pauli; inque lapide ipsius membris suprapposito, hæc verba leguntur. *Pœnitemini & credite Evangelio.* Ubi hodie magnis miraculorum beneficiis, Dominus noster Jesus Christus suum famulum illustrare, ejusque Sanctitati clementer attestari dignatur; cui sit honor, & gloria, in secula seculorum. Amen.

Hæc Epitoma Vitæ Cancellarii, excerpta est ex Tomo primo Operum Gersonii, Basileæ edito, Anno M. D. XVIII.

EPISTOLA FRATRIS JOANNIS DE GERSON

Ordinis Cælestinorum, Directa Fratri Anselmo ejusdem Ordinis, super Opusculis Joannis Gerson Cancellarii Parisiensis.

POSTULASTI sæpiùs, amantissime mi frater in Christo, ut ea tibi communicarem Opuscula, quæ à germano meo Domino Parisiensi Cancellario, compilata cognoscimus, asserens te ferventissimo amoris desiderio illorum studio incumbere. Parco libens petitioni tuæ; tum quia nihil tibi denegare queo, tum quia mira complacentia, sicuti creberrimè sum expertus, eadem amplecteris; adeò ut tanta importunitate densissimarum occupationum quibus arctaris, non potueris abduci, quin plurima ex his propria manu transcripseris, & avidè ruminando, ventri memoriæ tenaciter commendaveris. Crudele ergo mi frater existimarem, si doctrinam hanc saluberrimam, similagineum panem, quem in diversis Tractatulis, veluti quibusdam cophinis aut sportellis reconditum largiter habeo, esurienti tibi & tam avidè postulanti, non commnnicarem. Proinde nonne sacrilegii convincerer, si hunc doctrinæ thesaurum (quem mihi indignissimo ejus fratri pro mea eruditione grandi zelo commendavit) humo defossum & absconditum retinerem? *Scientia enim invisa, & thesaurus absconditus, quæ utilitas in utrisque?* Qua insuper ratione lucernam accensam absconderem sub modio, quæ ponenda potiùs erat suprà candelabrum, ut luceret omnibus qui in domo sunt? Nonne etiam Salvator noster admonuit, *Sic luceant opera vestra bona coram hominibus, ut glorificent Patrem vestrum qui in cælis est?* Addo quòd sicut mihi crebriùs, absque ulla palpantis adulationis nota testatus es, & alij quamplurimi, vix aliquid studendo reperis, quod non ampliùs, secundùm subjectam materiam, tuum delectet animum, illuminet, perficiatque: hoc idem certissimè confirmarem in memet agi, si non continuò fraternalis amor suspectum reddere testimonium diceretur. Quid ergo? Nonne præferre volumus hunc novissimum vel sui similes, antiquissimis & sanctissimis Divinæ Scripturæ Doctoribus, qui abyssalis sapientiæ & scientiæ fontes scaturientes, & in maximos fluvios excrescentes, Ecclesiam universam irrigarunt, atque salubriùs verbis docuerunt, vitæ confirmaverunt exemplo, miraculis creberrimis coruscantes? Quorum equidem in elucidatione divinæ Legis tantus fuit labor, ut incredibili studio pene plures ediderint libros, quàm exiguitas ingenii sequentium, vel legere, vel apprehendere potuerit. Patuit hoc in Augustino, in Ambrosio, in Origene, cujus tot milia voluminum Hieronymus se legisse testatur. Absit hoc, absit, ut hos relinquamus, horum obliviscamur, ut novis advenientibus, veteres Doctores projiciamus: eos potiùs immensis honoribus attollimus, novis præferimus. Nam ipsi proculdubiò sunt qui laboraverunt, & hi novissimi in labores eorum introierunt; illi dentium robore masticaverunt, quod in meatus faucium leniter hi transglutiunt; illi acumine naturalis inge-

genii & toto mentis annisu, cum gratia Dei radiante, veritates altissimas & absconditas valdè perscrutantes, acerrimè oretenus eructaverunt; velut si quis ex abysso terræ profundissima (suffossis & egestis ingenti conamine ruderibus) preciosissima auri vel argenti pondera sustollat. Hi autem sua quævis Opuscula, non aliunde quàm ex illorum sententiis sapienter contexentes (quia fortè clariùs seu politiùs locuti sunt) non aliud egisse videntur horum plurimi, quàm si quis rudem, & informem, seu scabram metalli massam noviter è minera productam, in splendentem & gratiorem diverso limaturæ genere formam artificialiter educat: nemo ergo novissimorum, præsumat se prioribus comparare, nemo illos vetustate sua contemnere.

Quemadmodùm ab hac temeritate longè esse non dubito; frater unanimis, germanum nostrum de quò loquimur, sicut & dicta & facta ejus omnia testimonium perhibent. Qui licèt inter cæteros hujus infœlicissimi nostri temporis (pace omnium dixerim) veluti vas electissimum, repletus esset spiritu sapientiæ & intellectus, & ob hoc à me, meisque similibus sæpius interpellatus fuerit, ut secundùm talentum sibi creditum, de Scripturis Sanctis ad informationem morum nobis aliqua saltem suo modo dissereré vellet; vix tandem ad hoc adduci potuit, ut extra ea quæ vel ex injuncto Cancellariatus Officio, vel ratione Scholastici exercitii compilare coactus est, pauca Opuscula inferiùs annexa, sub nomine proprio voluerit conscribere. Nam mox ut inde sibi sermo fiebat, aut velut obsurdescebat, aut in aliud citiùs rem ducebat, aut duris sententiis nos increpitans dicebat: Nescitis quid petatis: quanta qualiave suppetunt ad manum pro devotionis exercitio insignia, probatissimaque Sanctorum Doctorum volumina, quæ omnem vitæ perfectionem, salubriter & sufficientissimè perdocent, nec intendimus? Ecce in promptu sunt Augustinus *Super Psalterium*; Gregorius *Super Job*; Cassianus, *in Collationibus & Institutionibus* Patrum; Bernardus super *Cantica*; Richardus, *De Duodecim Patriarchis* & *De Arca Mystica*; Bernardus iterùm *Ad Fratres de monte Dei*; Hugo *De Oratione*; Anselmus *in Meditationibus*; Augustinus iterum in *Confessionibus* & *Soliloquiis*, Auctor prætereà *Summæ de virtutibus & vitiis*; Auctor *De Spiritu & anima*, & reliqui quamplurimi. Quid ampliùs quæritis? quid veteribus novellos fastidiosi cumulatis? Faciendi plures libros non est finis: in his immoremini, in his exerceatur spiritus vester, horum in studio vestrum desudet ingenium; non in curiosis & supervacuis, subtilitatem quandam mentientibus, quæ non implent animum aut satiant, sed potiùs pruritum accendunt auribus, & à veritate tandem abducunt.

Talia nobis dicere solitus erat: ob quod etiam, quasdam Lectiones contra studentium curiositatem inferiùs annotatas disseruit. Ita semper modestissimi fuit ingenii, majoribus cedens, non sua quævis procaciter ingerens, quemadmodùm de simia turpi refert Fabula, quam non puduit præ cæteris terræ bestiis, fœtum proprium veluti pulchriorem, ante conspectum Jovis inferre.

Ad hoc argumentatur, quòd plurima per eum dictata ita neglexit, uti nisi piâ quorumdam curâ fuissent diligentiùs recollecta & transcripta, nescio si usque modò comparerent. Patuit hoc in illis primis Opusculis exercitii sui scholastici, in Studio Theologiæ Parisiensi, *De Nuptiis sapientiæ*, quæ miro jucundoque artificio, quantùm ex aliquibus concipi potest, studio florenti peregit, sumpto themate: *Quæsivi sponsam mihi eam assumere*, quæ tamen vel malâ, ut aiunt, custodiâ, vel quorumdam avidâ rapinâ, perdita sunt omnia. Sic nihil est in humanis operibus stabile, nihil durativum. Itaque *debemus morti nos nostraque*, ait Horatius. Sed nec mirandum, ut ait Augustinus, si caduca cadunt, & mortalia moriuntur: & quod dixisse, quod scripsisse credendus est Apostolus Paulus cælestium conscius secretorum, qui ab Hierusalem usque Illiricum mare, totum replevit evangelio, & tamen ex omnibus vix supersunt quatuordecim epistolæ. Sileo reliquos, quorum non est numerus. Defleant alij ruinas palatiorum, laqueatas domos erutas, depopulationes civitatum, abrupta castra fortissima, mortes si vis hominum: ego summè plangendam duco jacturam vel modicam civitatis novæ Hierusalem deperditæ, videlicet præclarissimorum virorum Commentaria, continentia verba vitæ doctrinæque saluberrimæ, quibus Fides Catholica gigni poterat & nutriri; quibus insuper roborari velut arx firmissima, ædificata cum propugnaculis, contra quælibet inimici sævientis machinamenta; & ex talibus vivacissimis efficacissimisque sententiis, penetrabilioribus omni gladio ancipiti, confodi valebat hostis, & enecari: quapropter non absque illius subdola procutatione hoc aliquando contigisse credendum est, sicut è contrario librorum inutilium & curiosorum atque perniciosorum multiplicatio; quæquidem, contra Fidei nostræ traditionem, tantâ semper prorupit invidiâ, ut per se suosque satellites eam funditùs de terra tollere, aut saltem diversarum hæresεum, velut zizaniorum superseminatione confundere voluerit. Sed ô plene omni dolo & nequitia, nequaquam ita erit ut existimasti; nunquam obturare poteris *fontem aquæ vivæ salientis in vitam æternam*, si illam interdùm turbidam reddideris. Nam licèt *caduca sint omnia quæ sunt sub sole*, ut ait Ecclesiastes, *verbum tamen Domini*, quod super solem est, *manet in æternum*, quod assiduè perspicuas atque suavissimas emanat aquas sapientiæ salutatis, quarum impetus lætificat civitatem Dei.

Quòd si quis interroget, quid prodest tanta librorum ad libros accumulatio, & novellorum conscriptio, cùm iam totus Orbis plenus esse videatur? Patet responsio. Primùm quidem honesta occupatio est: Scriptura quippe Divina puteus altus est, cujus nunquam deficiunt aquæ, & quò plus exhauseris, inde scaturiendo continuè largiùs tibi refluet. Est insuper, velut ager uberrimus, à quo quantumvis extrahas, eò feracior redibit. Regiones, (ut ait Effrem) uno tempore habent vindemiam; Scriptura autem Sacra, semper affluit doctrina vivificante. Regio quando metitur, amittit gaudium; & vinea postquam vindemiata fuerit, humiliatur: Scriptura Sacra quotidie metitur, & spicæ interpretationum non deficiunt; quotidie vindemiatur, & botrorum spes non desinit: ergo in hac vinea Domini laborandum est assiduè, proposita spe mercedis immensæ: *nam qui elucidant me*, ait Sapientia, *vitam æternam possidebunt*. Demùm, ponenda est veritas præcipuè Legis Divinæ in medio, tanquam pulchrum aliquid, tanquam videlicet præfulgidum quoddam lumen, bonis amicum & delectabile; malis autem odiosum semper; quo radiante, si quid in domo Dei decorum probatumque est, manifestum fiat; si quid autem turpe venenosumque, ve-

velut in angulo delitescit, palam fiat & arguatur: *Omnia enim à luce manifestantur*, ait Salvator.

Ampliùs, sicut in hominum corporibus videre est innumeras & diversissimas complexiones aut conditiones; sic in animabus prospicere est. Ecce in corporali refectione (ut de cæteris ad præsens sileam, conveniens sumatur exemplum) cernere est aliquos, quos rusticos & aggrestes vocamus; cibis grossissimis uti continuè, & in his delicias computare, qui tamen ætatem provectissimam trahunt. Videbis alios tanta accuratione delicatiora quæque perquirere, & in diversa curiosè ferri, ut vix inveniatur qui desiderium illorum, vel semel libitum, explere perficereque valeat. Sunt rursùs alii cunctis onerosissimi, qui veluti mortifera peste languentes, ad omne quod apponitur nauseant, & omnia reprobantes, (ut dici assolet) nesciunt quid volunt. At alii temperiem bonam ubique retinentes, etsi alternationibus interdum gaudeant, omnia tamen apposita cum gratiarum actione recipientes, de omnibus edunt, & dùm esuriem fugent, & ventrem (ut aiunt) impleant, qualibus non curant. Simile aliquid reperire est in alimento spirituali verbi Dei, quod non æqualiter omnibus convenit, nec uno modo pascit omnes & vivificat. Ea propter summus pater-familias, mensam Sacræ Scripturæ omnis generis dapibus refertissimam nobis apposuit, in qua sic cælestium deliciarum copia salutaris exuberat, ut ibi sit quod perfectus comedat; ibi quod parvulus sugat; ibi lacteus potus; quô tenera adhuc Fidelium nutriatur infantia; ibi solidus cibus, quo robustorum perfecta juventus, spiritualia sanctæ virtutis accipiat incrementa.

Postremò, non ignorantur astutiæ diaboli, cui mille nocendi artes insunt, qui in hujus ætatis senio delirare multos cogit; & ubi palam sævire non valeat, insidiatur interdum perniciosiùs in abscondito, quasi leo in spelunca sua. Inde raptor attrahit pauperem, & adeò à laqueo suo humiliat & involvit, ut vix inveniatur quantumvis eruditus & ingeniosus, qui sciat evolvere. Propterea, sicut novis morborum generibus novis remediis occurrendum est; ita perversis adinventionibus inimici, salutaribus assiduè doctrinarum studiis obviandum.

Hac pia consideratione permoti sunt novissimè nonnulli, inter quos germanum hunc numero, quosdam Tractatus novellos cudere, in quibus materias aliquas ab aliis etiam ventilatas, particulariùs vel enucleatiùs, pro circumstantiarum varietate, dilucidare conati sunt. Non enim omnia à prioribus, modis omnibus tradi vel determinari potuerunt, propter immensum chaos circumstantiarum particularium, quas multiplicari super numerum, & diversissimè variari nullus ignorat. Et quemadmodùm non omnibus ægris æqualiter complacet in Medicis; sicut nec inest omnibus æqualis gratia curationum: sed illi præcipuè pro sanitate capescenda consulendi sunt, qui morborum qualitates undecumque perscrutantes, longâ artis experientiâ bene de omnibus noverint judicare: ita apud Medicos spirituales proportionabiliter reperire est, ut aliquorum etiam novellorum traditio vel doctrina, plerisque placidior, securior, & pro circumstantiarum qualitate accommodatior inveniatur. Hinc apparet cur hac ætate nostra plusquam antea, veritates aliquæ clariùs & jocundiùs elucescunt: ut verificetur Danielis sententia, *Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia.* Dum enim conferuntur antiquorum dicta cum sequentibus, & applicantur invicem ordine congruo; tunc velut in quodam suffosorio, per fervens & acutum ingenium conflatur, & erumpit veritas purissima, eliquanda in cordibus piorum.

Nemo ergo parvipendendo dicat; nihil à modernis recipio, quorum auctoritas non præponderat, qui dictis facta non compensant, nec moribus suæ professioni congruuis adornantur, vel miraculis clarent, scilicet in pluribus vita sordet & horrida est. Nam licèt, proh dolor! multos lugeat Ecclesia tales, tanquam degeneres & perditionis filios; sunt nihilominùs alii *potentes opere & sermone*, quos aliquibus donis gratiæ suæ dotavit Deus, *ut luceant* in domo Dei, *sicut splendor firmamenti & sicut stella in perpetuas æternitates.* In quorum numero & ordine, si germanum de quo loquimur deputavero, nulli injuriosus ero. Ejus traditio & doctrina (fidenter affirmo) luculentissima atque probatissima semper extitit, nec ullius erroris aspergine fœdata, quam gratiorem & efficaciorem reddit morum semper experta probitas, & honestissima vitæ conversatio. Assecutus doctrinam, & moribus piis adornatus, bonos jure coluit, toleravit malos, veritatem promovit, errores est persecutus, & bonum commune grandi zelo prosecutus; quæ pacis sunt requirens, pacem in principio & in fine semper optans. Patuit hoc novissimè in sacro Constantiensi Concilio, in quo quidem, tum nomine Caroli Francorum Regis Illustrissimi, & Universitatis Parisiensis, quorum solemnis Ambassiator erat; tum nomine proprio, totis viribus laboravit, ne idipsum Concilium (quod pro pacis adeptione & hæreseum extirpatione adunatum erat) subdolâ hostis malitiâ dissolutum iri contingeret, & infructuosum abiret, fuissetque novissimus error pejor priore. De hoc exstant egregia ipsius Opuscula, illic palam concionata.

Postremò adversùs pestiferas hæreses, quantos latratus, more fidelissimi & vigilantissimi canis ediderit, vel hæc sola res indicium est, quod veritatis tuendæ causâ, domo, patria, civitate, cognatis, amicis, dignitatibus, rebusque propriis privatus est, & ex illis propulsus, ac innumeris insidiis expetitus. Propterea refugium aliquod ad tempus sibi coaptavit in hac præclara Lugdunensi civitate, in qua jam ferè per quadriennium demoratus est, vitam quietissimam ducens, & tam solitariam, ut unum ex heremicolis crederes, nisi quod deserti recessus nondum petiit, sed habitat in medio populi sui, mirantibus multis & inquirentibus: Quid hic agit tam solitarius? cur ad publicum non procedit? cur non it sedatum hominum jurgia, quæ tam acriter ubique debacchantur, ut quid perditio hæc? Sed quid agit, inquiunt? Multùm aio, per omnem modum. Primò quidem intranti ad se in domum suam præoccurrit illico lætâ decorâque facie sapientia, quam à juventute quæsivit sibi sponsam assumere; ibi cum ea requiescit & sermocinatur tota die; quæ si viderit eum, vel ad modicum tristem & anxium, non cessat blanditiis delinire, donec consolatum relinquat. *Non enim habet amaritudinem conversatio ejus, nec tædium convictus illius, sed lætitiam & gaudium.* Dehinc ne putes ipsum ita parietibus angustæ cellæ coarctari, ut foras egredi non liceat; extendit sæpius dum licet, affectiones in omnes fines terræ & in mari longè; & peragratis tantis regionibus, ac conspectis oculo rationis variis hominum statibus, nunc prosperis, nunc adversis, coaptat animum unicuique, prout exiguitas valet,

valet, omnibus omnia factus; modò per gratiarum actiones, illis applaudendo; modò piis orationibus, illos adjuvando, hos exhortando, illis compatiendo.

Inter hæc, non crederes quantis lachrymarum profluviis ab intimo cordis prouentibus, deflet miserabilem cladem, nunquam dignis planctibus adæquandam, præclarissimi Franciæ Regni, quod intestinis & civilibus bellis disrumpitur atrociter & vastatur, & præda hostibus patet; quod quidem invictissimum perdurasset, si concordiæ fœdus in eo mansisset illibatum. Ibi proh dolor! tumultuatur, puer contra senem, & ignobilis contra nobilem; illic vulgus indoctum varios Rectores sequens, miseram in vertiginem rotatur assiduè. Gemit insuper amarissimè, ut alter Hieremias, videns contritionem populi sui, & laborem & contradictionem in Regali Parisiensi civitate, quæ nuper erat urbs perfecti decoris, gaudium universæ terræ. Talibus suspiriis & singultibus tumidum cor exonerans, sedet solitarius & tacet, quoniam dies mali sunt, & præstolatur cum silentio salutare Dei, si fortè sit spes, si veniat tempus miserendi ejus, & pulchra pax longiùs effugata, redeat aliquandò jocundior. Ob hoc juge Sacrificium nostræ Redemptionis in Altari non cessat offerre; rogans in spiritu humilitatis & animo contrito, ut in servis suis iterum propitietur Dominus, & populum suis continuis tribulationibus laborantem, benignus respirare concedat. Ampliùs, dum libero mentis volatu, in superiora domûs placet ascendere, levat se supra se, unde conspicit eminùs latè patentes ætheris plagas, arctumque terrarum situm: ibi videt cælos cælorum opera digitorum Dei, lunam & stellas quæ fundavit sapientiâ, pulchrum equidem spectaculum. Quòd si persenserit auram vel tenuem humanæ vanitatis alicumde perflare, & ruinam minari; mox ab alto desiliens, sese in ima recipit & in tuto locat; aut si, moliente sævissimi hostis nequitia, contra se quicquam adversi viderit intentari, illico, more spiritualis erinacii, totum se in se curvando recolligit, & ponit petram refugium suum; ibi absconditur in abscondito faciei Dei, à turbatione hominum & tempestate, securo munitus vallo, quo grassanti stultitiæ, aspirare fas non sit. Tunc sobriâ mentis lætitiâ decantare cum Propheta licet: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* Et iterum: *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper, Domine Adjutor meus & Redemptor meus.* Non igitur putes illum datam quietem malè exequi, & inerti otio tota die torpescere; quandoquidem nec ipsius diei decursus interdum sufficit, ad explenda quæ salubriter suggerit animus: etiam nocti sæpius detrahendum est, & intempestâ noctis horâ, nunc primâ, nunc secundâ aut tertiâ vigiliâ noctis, nonnunquam media nocte surgendum ad confitendum nomini Domini. Inter hæc, necesse est edulium corpori ministrare: deinde somno moderanter indulgere.

Artus solutos, ut quies
Reddat laboris usui,
Mentemque fessam allevet.

Num tibi videtur sapienter vitam instituisse? I nunc, & ipsum maris hujus procellosi periculis rursum expone. Nonne consultius est delectari in Domino, & vacare bonæ menti, totisque conatibus adipiscendæ vitæ perpetuæ operam dare, quàm quotidie frustra niti, & nitendo nisi odium quærere, quando *perversi difficile corriguntur, & stultorum infinitus est numerus?* Addo quòd, sicut ipse mihi sæpius testatus est, nunquam, quantùm meminit, tanta pace & cordis alacritate perfruitus est, quàm hoc aliquanto temporis intervallo, quô plus acriter in eum jam sexagenarium desævit inimicus, & variis tribulationibus est ventilatus. Sic veraciter enuntiavit qui ait: *Mala quæ nos hîc premunt, ad Deum ire compellunt.* Et Propheta testatur, in tribulatione sibi multipliciter à Deo dilatatum esse cor. Hoc modo exilium, persecutiones, ingensque furia Mundi hunc longiùs propellentes, &(ut sic dicam) intra se restringentes, quadam antiperistasi spirituali, ferventiùs eum in amorem Dei & odium sæculi intenderunt, & vice cotis, pulchriorem & splendidiorem reddiderunt. Quapropter etiam gloriabundus in Domino mihi dixit aliquando, sentire ingenium clariùs & vivacius inesse nunc sibi, quàm unquam antea. Nec mirum, cùm dicit Sapiens: *Scribe sapientiam in tempore otii, & qui minoratur actu, percipiet eam.* Ob hoc etiam egregia scripsit Opuscula, quæ dum mihi nuper communicavit, tam avidè perlegi, ut illorum doctrinâ veluti vino meracissimo ebriatus fuerim. Optoque sæpius, amantissime mi frater Anselme, tibi quasi amico meo rivali, poculum ex his tribuere: sed longa Regionum distantia, quâ corpore, non animo separamur, hoc ad tempus vetat. Propterea annui tibi, ut hæc ipsa quæ novissimè vel antea composuit idem germanus, in tabula quadam annotare curarem; per quam possis vel quæ jam acceperis, vel quæ tibi adhuc desunt agnoscere. Simul & in hoc obsequi cordialiter volens Venerabilibus ac Devotissimis Patribus meis, Fratribus Majoris Carthusiæ, Annotationem hanc affectu grandi postulantibus, quibus propositum mihi semper est totis viribus complacere, sperans illorum suffragiis apud Deum non modicè sublevari. Non autem eo tempore, vel ordine quo peracta sunt, ordinavi omnia; sed prout occurrerunt memoriæ. Cæterùm, qualitas materiarum, poterit vel ex themate, vel ex tenore Rubricæ, & maximè Opus ipsum, si affuerit, legendo cognosci. Vale in Christo Jesu frater unanimis, mei memor. Et circumvagantes maris hujus tempestuosi procellas aspiciens, æquanimi mente cum patientia sustine, in qua sola possidemus animas. Scriptum Lugduni in Monasterio nostro Cælestinorum. Anno Domini, M. CCCC. XXIII mensis Maii, &c.

ANNOTATIO

Opusculorum Joannis Gersonis Cancellarii Parisiensis; quorum multa deperierunt; de multis incertum est, si & ubi supersint, &c.

Collatio in primo Cursu Theologiæ Parisiis in Regali Collegio Navarræ; & consequenter in secundo, ac deinceps in Quadripartito libro Sententiarum; & tandem in Magisterio, anno ætatis ejus circiter XXII, sumpto super hoc themate: *Quæsivi sponsam mihi eam assumere,* sub metaphora nuptiarum Theologi cum Sapientia, in modum Dialogi, per prosas & metra, more Boëtii *De Consolatione*, mixtim procedendo.

Lectiones Magistrales super Evangelium secundum Marcum; *Egrediebantur ad eum Hierosolimitæ universi.*

Lectio una *De duplici Logica*, quarum una est pro speculativis scientiis; alia pro moralibus, quæ Rethorica nominatur; ubi de duplici vi locutionis agitur: *Et erat Joannes vestitus de pilis camelorum.*

Duæ Lectiones; una, *De non esu carnium*, quam ad Fratres Carthusienses destinavit, & incipit: *Egregio viro Joanni.* Altera, *De Distinctione verarum revelationum à falsis*, quam fratribus Cælestinis transmisit, & incipit: *Nuper unam.*

Item potest convenienter annecti huic Lectioni Opusculum aliud ab eodem compilatum, *De Probatione spirituum*, & incipit: *Probate spiritus.*

Multæ Lectiones, specialiter sex, quæ redactæ sunt in modum Tractatus, cujus titulus est; *De Vita spirituali animæ*; *Reverendo in Christo Patri*, &c. *Ego vos baptizavi.*

Multæ Lectiones de variis materiis, inter quas una est, *De Theologia Mystica* speculativè tradita, & incipit: *Pœnitemini & credite.* Altera *De Theologia practicè tradita*, incipit: *Tractantes.*

Item, si his duabus Lectionibus addatur unus Tractatus *De Passionibus* quem posteà edidit, & incipit: *Passionum origines*, *prodest*, erit Opus completum, & unus Libellus de tribus.

Item, super eadem particula, *Pœnitemini*, duæ Lectiones *Contra Curiositatem studentium.*

Item quædam epistolæ de hac materia, *Ad Magistros studentes in Theologia*, *in Collegio Navarræ.*

Opusculum *De Perfectione & moderamine Religionis*, ad Carthusienses: *Gratia vobis & pax.*

Ad Fratres Cælestinos Opusculum *De Sollicitudine Ecclesiasticorum*: *Nolite solliciti esse.*

Opusculum ad Fratres Cælestinos & Carthusienses, *De Laude Scriptorum*: *Scrutamini Scripturas.*

Libellus *De Corde*, continens plures Partes. *De Meditatione cordis.* *De Simplificatione cordis.* *De Perfectione cordis.* Meditatio cordis mei.

Libellus de tenore nostræ Legis, vel *De Decem Præceptis*, translatus in Latinum: *Reverende in Christo Pater.*

Item, *Regula Mandatorum*: Agamus nunc interim.

Opusculum ad Rectores puerorum: *Sinite parvulos venire ad me.*

Item, Liber qui dicitur *Monotessaron*, *quasi unum ex quatuor*, in quo egregiè fit adunatio & concordia quatuor Evangeliorum, & incipit: *Unum ex quatuor componere.*

Libellus qui dicitur *Josephina*, metricè compilatus, in quo etiam continetur Opusculum *De Virginali Conjugio justi Joseph & Mariæ*, in prosa: *Fontem sueverunt.*

Opusculum *De Præparatione ad Missam*: Dubitavi frequenter.

Item, aliud *De Cognitione castitatis*, qui potest convenienter prædicto annecti: *Scripsi super &c.*

Item Libellus, *De gradibus veritatum Sacræ Scripturæ*, Declaratio compendiosa.

Item, *De Probatione Doctrinarum.*

Item, egregius Liber *De Consolatione Theologiæ* per modum Dialogi, metro & prosa constans. *Quæcumque scripta sunt.*

Item: *Dialogus Apologeticus*: ejus collocutores sunt Volucer & Monicus, prout in præcedenti servatum est, & convenienter adjungi potest prædicto Libro ut sit unus: *Rem inquiris.*

Item, *Triloquium Astrologiæ theologizatæ*: *Sapientia à Domino Deo est.*

Item, Opusculum *ad Confessorem Regis*, *pro instructione ejus*: Charo & erudito Viro.

Item, Opusculum *De quibusdam scrupulis*, *tempore schismatis Ecclesiæ*: Ad tollendum quorumdam.

Item, *Trilogus in materia Ecclesiæ*: Sæpenumerò.

Item, Propositio facta coram Petro de Luna ex parte Universitatis Parisiensis, *Pro restitutione obedientiæ*: Benedic hæreditati tuæ.

Sermo coram eo, *in die Circuncisionis*: Apparuit gratia Dei.

Opusculum *De Unitate Ecclesiæ*, compositum tempore quo celebrandum erat Concilium Pisanum: *Unitatis Ecclesiasticæ tractatoribus.*

Propositio coram Anglicis ex parte Universitatis Parisiensis, instanti prædicto Concilio Pisano: *Congregabuntur filii Israël & Juda pariter.*

Egregius Liber *De Potestate Ecclesiastica.*

Libellus *De Auferibilitate sponsi ab Ecclesia*: Venient autem dies cùm auferetur sponsus.

Item, *De Statu Papæ & minorum Prælatorum*: Pax quam omnes.

Opusculum *De concupiscendo Prælaturam*, cui annectitur aliud *Contra Statum pompaticum Prælatorum.*

Epistola ad Magistrum Vincentium Ordinis Prædicatorum, *Contra Sectam Flagellantium.* Tanta de virtutibus tuis.

Determinatio rationis, *An liceat à Papa appellare*: ubi ponuntur etiam articuli Theologicè compositi contra Petrum de Luna. *Quæritur utrùm hæc Assertio sit Catholica.*

Volumen, in quo continentur plures Sermones ejus in Concilio Constantiensi: *Ambulate dum lucem habetis.*

Volumen, in quo continentur multa Scripta ejus contra Propositionem Magistri Joannis Parvi, occasione erroris contra illud Præceptum: *Non occides.*

Opusculum *Contra errorem de communicando laïcos sub utraque specie*: Oblaturus juxta.

Libellus qui dicitur *De Canticis*: Beati qui audiunt.

Item, Tractatus utilis *De Contractibus.*

Volumen, in quo continentur multi Sermones ejus ad Clerum, specialiter in Universitate Parisiensi.

Volumen, in quo recolliguntur multa brevia per ipsum edita de diversis materiis, ut patet in Tabula, & potest intitulari, *Multa brevia & utilia à Cancellario Parisiensi.*

Opusculum, quod dicitur *Cantica Peregrini*, *in metro.* Incipit: *Eheu pergent*, in quo continetur breve Testamentum Peregrini in prosa, incipiens: *Sicut homo qui.*

Item, Dialogus *De qualibet.*

Sequitur

Sequitur Annotatio Opusculorum ejus in Gallico.

VOlumen, in quo continentur *Sermones ejus ad Populum.*
Tractatus *De Monte Contemplationis*, ad quinque sorores ejus, in cœlibatu conviventes apud Rhemos Metropolim Galliæ.
Item, *De Decem Præceptis.*
Alius Tractatus *De Mendicitate spirituali*, sub duplici Tractatu, & in morem Dialogi, secundùm speculativam & practicam, cujus initium est: *Ma pauvre ame miserable.*
Item, ad easdem sorores, *De Tentationibus.*
Item ad easdem, *De Distinctione peccatorum mortalium à venialibus*: Qui bien considere.
Sermo *De Passione Domini*: Ad Deum vadit.
Opusculum *Contra Romantium de Rosa.*
Propositio coram Rege: *Vivat Rex*: & alia, *Veniet pax.*
Libellus, in quo recollecta sunt multa brevia & utilia, ab eodem composita, ut patet in Tabula.

PROLOGUS

JACOBI VYMPFELENGII, *in Opera* JOANNIS GERSON.

JOannis Gerson Consolatorii Christianissimique Doctoris lucubratiunculas puras, solidas, veraces, devotas, & animi penetrativas esse, nemo inficiabitur, qui observatè, & syncerè, absque cæco ac effœminato alterius viæ aut disciplinæ affectu, illas lectitaverit. Invenerit enim pientissimum Dominum Joannem, ea quæ ad Charitatem Dei & proximi; ad Ecclesiasticam reformationem, & ad animarum salutem attinent, non modò suavi & non abjiciendo stylo; sed etiam ferventi affectu, ex obscuris & involutis quorumdam scholasticorum Scriptis (tanquam nucleum ex testa, & granum ex paleis decerpere, & ansam ad manum porrigere conaretur) salubriter collegisse. Verùm, usu evenire potest, ut dæmon nostræ salutis adversarius, quibusdam (sicut libidinoso amore captis, qui ranam quam diligunt, vel Dianæ præferunt) suggerat, ut à lectione tam pii, tamque devoti Patris (qui sempiternâ Parisiensium gloriâ, Constantiensis Concilii columna fuit) abhorreant, magis quàm Verpi & Hæbrei, Christi, Matrisque ejus convictum & conversationem execrantur. Quid verò mirum, si impellente sathana, Gerson à stolidis contemnitur, aut calumnias patitur? cùm vel in primæva Ecclesia, indocti quidam & instabiles, Scripta Sanctissimi Pauli depravaverint, sicut D. Petrus conqueritur; & Aquila Joannes, in Epistola III narrat, quòd Diotrepes, verbis malignis in sese garriat? cùm denique adversùs inexpugnabilia illustrissimi Principis Augustini Scripta (præsertim contra primos quinque *De Civitate Dei* libros) nonnulli factiosi responsionem scribendo præpararint? At quid est loquacius vanitate? quæ non ideo potest quod veritas, & si noluerit tacere, etiam plus potest clamare quàm veritas. Sed considerent æmuli diligenter, (sine studio partium, sectarum, aut viarum, nec dicam factionum, judicantes) & si esse talia in Gersone perspexerint, quæ convelli non possint; ab impudentissima garrulitate, & quasi satyrica vel mimica levitate abstineant, & cohibeant suas nugas. Tum si libertate judicii abuti cessaverint, discent & assuescent, honestè, graviter, liberè (quod priùs Evangelicus Magister comportavit) legere, & audire: neque tamen prævalebit Pluto aut Cerberus usque adeò, quin propediem (disseminatis Parisiensis Cancellarii doctrinis, purissimaque veritate perspecta) facilè contingat, omnibus sapientiæ & Christianæ Theologiæ studiosis, persuasum iri, nihil esse prorsùs in Operibus ejus, quod non vel Christianam pietatem, vel sanctissimam priscorum Patrum, & ipsius Ecclesiæ columnarum vestigia, redolere videatur: indignè profectò ferent à quibusdam, etiam Religiosis Fratribus, lacerari doctrinam tanti Magistri, quorum propria conscientia, id iniquum esse judicabit, si unquam lecturi sunt, quàm fideliter, quàm strenuè pro suo Ordine (jampridem à Facultate Theologica Parisiensi excluso) ad eandem perscripserit, obsecrans & vehementer obtestans, ut (posito forsitan non injusto rigore) in gratiam & veniam clementer reassumerentur: sicque, vix tandem, studiosum Ordinem exasperatæ Universitati fideliter reconciliavit. Quare impium esse videtur, si dulcissimus Joannes Gerson, pro charitate odium, pro beneficio maledictum, pro defensione detractionem, ab iis qui singularem Religionem præ se ferunt, Sacrisque Literis invigilant, sustinere videatur.

Fuere jampridem plurima nostri Joannis Gerson monumenta, in tres Partes ordinatissimè divisa, impressioni tradita. His verò diebus, novissimâ & multâ solicitudine atque impensis ejus, qui Opera priora trifariam distinxit, imprimique fecit, alia quædam in intimis Parisiensis Gymnasii penetralibus, ac diversis Galliæ locis quæsita, & nutu summæ Majestatis inventa sunt; quorum nonnulla, cum Gerson Gallicâ linguâ scripsisset, aut in Concionibus popularibus disseminasset, operæprecium fuit, in Latinam, utcumque interpretari, atque transferre. Ea itaque magno labore à Germano quodam (qui apud Parisios Philosophiam & Sacras Literas audiens, Gallicum quoque sermonem didicerat) si non eleganter, tamen fideliter traducta sunt: meliùs enim visum est, optimas Christianissimi Doctoris sententias, vel barbarè, aut inconcinnè translatas, in manus venire studiosorum, quàm prorsùs eas obliterari, perpetuóque manere sepultas. Vide Lector, quid hæc contineant: fructum eis percipies, & profectò lætabere. Ex Heremitorio divi Gulielmi, in Suburbano Argentinensi.

Jacobus Vympfelingius, ad Lectorem Christianum exhortatio.

O Vos omnes Christi cultores, veræque sapientiæ studiosi, legitote Gersonem, qui obscura & impensa per alios quosdam scripta planè & breviter perstrinxit, qui universales aliorum verita-

veritates ad particulares casus exactissimè resolvit, qui conscientiam tranquillam & pacificam reddit: neque enim claudit hominibus facilè coelos, neque caecam nutrit praesumptionem; at mediâ viâ, quae tutior est, incedit.

Jugum Domini leve esse contendit.
Papae & Praelatorum Potestatem ostendit.
Ecclesiae reformandae modum demonstrat.
Canonum & Legum fontem, necessitatemque aperit.
Religiosos pium zelum docet.
Adolescentes instruit.
Pueros paterno affectu complectitur.
Praeceptores Gymnasiorum particularium, & Privilegiatorum informat.
Orationes ad Clerum, & in laudem quatuor Facultatum sententiosissimas excudit.
Sermones optimos fecit.
Theologos speculativos ad materias utiles excitat.
Haereses eliminat.
Schisma persequitur.
Regum & Principum filiis Praecepta tradit.
Triplicem Statutum, scilicet Ecclesiasticum, Militarem, & Civilem, in Repub. necessarium esse demonstrat.
Censuum & redditum benignus est Moderator & Judex.
Curatorum Jura defendit.
Religiosis contemplativis dulcissimas doctrinas infundit.
Praedicatorum Ordinem Universitati Parisiensi reconciliavit.
Confessoribus bona Praecepta largitur.
Astantes agonizantibus, salubriter erudit.

Legant ergo eum Episcopi, & Cardinales.
Legant Jurisconsulti.
Legant Religiosi.
Legant adolescentes.
Legant vel audiant pueri.
Legant Gymnosophistae & Praeceptores.
Legant ad Clerum oraturi, & Universitatum Vice-Cancellarii.
Legant populo praedicaturi.
Legant Theologi Scholastici.
Legant haereticae pravitatis Inquisitores.
Legant Bohemi.
Legant filiorum Magnatum & Principum Paedagogi.
Legant vel audiant Cleri & civium persecutores.
Legant qui censibus fruuntur.
Legant Curati.
Legant Contemplativi.
Legant Fratres Praedicatores, pro quibus se murum opposuit.
Legant Confessores.
Legant hi qui ex hoc seculo migrantes admonent.

Quisque inventurus est, quod Officio suo, aetati suae, statui & affectioni conducet. Ipse enim Gerson, tanquam omnium debitor factus, omni homini, omni sexui, omni statui (ut salvus fiat) opem ferre conatur, & id quidem benignè, constanter, absque assentatione, absque omni spe quaestûs, absque contemptu cujuscumque Doctoris.

SCRIPTORUM

DE

GERSONIO TESTIMONIA

Joannes Gerso à diversis Authoribus & per varias Nationes commendatus.

Franciscus Zabarella Florentinus-Cardinalis, magnae Vir & doctrinae & autoritatis, dixit Hussitis, qui Gersonis Judicium declinabant: *Dicitis, ô Hussita, Parisiensem Cancellarium suspectum vobis existere, qui tamen usque adeo superexcellens Doctor est, qualis in tota Christianitate vix reperiri queat.* Haec apud Joannem Cochlaeum, in libro 1. *Hist. Hussitarum.*

Deinde in Appendice ejusdem Synodi: *Venerabilis & Circumspectus Vir, Joannes Jarsonis, Cancellarius Parisiensis Studii.* Infra: *Sedebat in primo loco egregius & famosus Vir Dominus Joannes de Gersonio, Cancellarius Ecclesiae Parisiensis, Sacrae Theologiae Professor & Ambassiator praedicti Regis Francorum.*

Pisana Synodus, in literis quas ad Parisiensem Academiam an. M. D. XII. scripsit, hoc modo: *Sacrosancta generalis Synodus Pisana in Spiritu Sancto legitimè congregata, Universalem Ecclesiam repraesentans, & per continuationem Mediolanum ad tempus translata: Dilectis filiis Rectori, Doctoribus, Magistris & Regentibus almae Universitatis Studii Parisiensis, Salutem, & Omnipotentis Dei benedictionem. Dilectus filius Gaufredus Boussard, Cancellarius Parisiensis, jussu nostro tradet vobis Libellum quemdam suspectum, & plenum injuriis contra Concilium Constantiense & Basileense ac nostrum; & contra Joannem*

Joannem Gersonem optimum Ecclesiæ Defensorem, *compositum per quemdam Fratrem Cajetanum*, *hominem audacem & periculosum*, *quem consideramus pro suo demerito castigari. Ideò hortamur vos in Domino*, *ut Libellum diligenter examinetis & discutiatis*, *& mittatis ad nos celeriter Determinationem vestram Doctrinalem*, *quâ possimus juxta ejus audaciam*, *cum vestris prudentissimis consiliis procedere &c. Datum Mediolani*, *in generali Congregatione nostra*: X. *Janu.* MDXII, . . . Sic Pisana Synodus Gersonem optimum Ecclesiæ Defensorem appellat, quâ vix ulla dari potest commendatio illustrior.

Senonensis Synodus Provincialis An. MD XXVIII habita, in cap. XI. *In Ecclesiis Parochialibus per singulos dies Dominicos*, *Presbyteri Parochiales Curati*, *per se aut Vicarios eorum clara voce & intelligibili*, *ac verbis maternis*, *annuntient decem Præcepta Decalogi & Articulos Fidei*; *& si qui fuerint Presbyteri quibus non suppetat doctrina*, *aut prædicandi gratia*, *legant & declarent prædicta die Dominica unum Capitulum* Joannis de Gerson, in Opere suo *Tripartito*.

Diæcesanæ Synodi sunt numero tres; Parisiensis, an. MDVI; Claromontensis, an. MDVII & Carnotensis, an. MDIX quæ Gersonem ita commendant, ut nihil ferè supra esse possit. Verba sunt eorum qui Præsides fuerunt. *Consilio virorum spiritualium ac peritorum ordinavimus & ordinamus*, *tam pro instructione simplicium*, *seu illiteratorum Curatorum*, *aliorumque similium curam animarum habentium*; *quàm etiam pro informatione simplicis populi*, *fructuosas Prædicationes & salutares Exhortationes ut plurimùm non audientis*, *publicare*, *seu publicari facere & diligenter exponi per totam Diœcesim nostram*, *tenorem nostræ Fidei Catholicæ*; *Mandata Dei & Ecclesiæ*, *modum examinandi conscientiam*, *& se accusandi per conscientiam ad dignos fructus Pœnitentiæ faciendos*, *& scientiam bene moriendi*; *quorum ignorantia neminem excusat*, *& eorum cognitio est omnibus Christianis pernecessaria*, *& supra modum salutaris*, *prout descripta est ad finem intentum*, *per Venerabilem illum Doctorem Theologum Magistrum Joannem de Gersono*, *olim Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis*, *magnum ac prudentem animarum zelatorem*, *& singularem conscientiarum serenatorem*, *in suo* Opere Tripartito, *quod ad utriusque status ædificationem Latinè & Gallicè scripsit.*

Diæcesanæ Synodi Meldenses duæ: una anni circiter MDIX; altera anni MDXI idem statuunt per suos Præsides, quorum alter ita loquitur: *Omnes Sacerdotes Meldensis Diœcesis habeant*, *ad Mandatum Prædecessoris nostri*, Opus Tripartitum *Venerabilis Cancellarii Parisiensis*, *Domini Joannis de Gersono*, *quod vulgo dicitur* Instructio Curatorum, *tam Latinè quàm Gallicè*; *& de hujusmodi Instructione legant & exponant omni die Dominico*, *tam in Missa matutinali*, *quàm Parochiali*, *suis parochianis unum capitulum*, *vel quantùm eis videbitur expedire*, *pro ædificatione eorum*, *juxta formam contentam in Prologo ejusdem libri.*

Diæcesanæ Synodi Senonenses duæ: una anni MDXXIV; altera anni MDXXXIV idem statuunt, *De vita & conversatione Clericorum*: *Ut omnes sciant*, *quæ sint Officii sui*, *Clericos præcipuè in Sacris constitutos hortamur*, *ut cum Breviario ad usum Senonensem*, *habeant libros* Ecclesiasticos, *præsertim Psalterii*, *Evangeliorum*, *& Epistolarum totius anni*, *Hymnorum & Prosarum*, *ac Canonis Missæ probatas expositiones*, Tripartitum Opus Joannis de Gerson.

Diæcesanæ Synodi Carnotenses, tres: una anni MDXXIV; altera anni MDL; tertia anni MDLXXV idem statuunt per Episcopos qui eis præfuerunt.

Sic loquitur prima Synodus. *Porrò inter cæteros* (*Auctores*) *qui hujusmodi doctrinam*, *sanctæ Fidei liam cujusvis status & conditionis institutioni accommodam*, *scriptis tradiderunt*, *eximius Pater & Doctor Theologus Joannes de Gersono*, *quondam Cancellarius Parisiensis*, *librum unum edidit tum Latinâ quàm Gallicâ linguâ*, *salubri Christianorum omnium ædificationi apprimè necessarium & utilem*, *quem* Opus Tripartitum *inscripsit.*

Sic loquitur secunda Synodus. *Sed ut ipsi* (*Sacerdotes*) *sciant quæ sint Officii sui*, *potentesque sint alios instruere & otiositatem*, *malorum omnium matrem*, *evitare*; *hortamur omnes Clericos*, *& maximè Sacerdotes*, *& in Sacris constitutos Ordinibus*, *quatenùs ipsi cum summa diligentia dent operam lectioni & intelligentiæ Sacrarum Litterarum*; *habeantque libros Ecclesiasticos*, *præsertim Psalterii*, *Evangeliorum totius anni* . . . Tripartitum Gersonis Opus.

Sic loquitur tertia Synodus: *Quid de numero*, *usu*, *& efficacia Sacramentorum constituerit Ecclesia*, *discant è Venerabilis Joannis a Gersonio*, *dudum Parisiensis Academiæ Cancellarii*, *Libello*, *quem ad animarum salutem hisce Synodalibus monitis adjici curavimus.* Deinde Synodi Præses Nicolaus Thuanus, ad Diæcesis suæ Curiones ita scribit: *Etsi nostris Synodalibus monitis potueritis pleniùs informari de iis*, *quæ ad vestri Ministerii executionem pertinent*; *tamen ut satisfiat eorum votis*, *qui in Sacrarum Litterarum*, *studiis non eò profecerunt*, *ut Ecclesiasticis functionibus incumbant*, Tripartitum Opus Venerabilis Doctoris Magistri Joannis de Gersonio dudum Cancellarii Academiæ Parisiensis, *adjici curavimus*, *præcipientes ut illud per capita singula diebus Dominicis in Missa matutinali*, *prout occurrerit*, *exponatis.*

Diæcesana Synodus Tolosanensis, quæ ad annum MDXXVI celebrata est: *Libellum*, inquit, *per Venerabilem Virum Magistrum Joannem de Gersonio*, *olim Ecclesiæ Parisiensis Cancellarium*, *compositum*, *& communiter*, Opusculum Tripartitum, *intitulatum*, *Mandato nostro in Vulgarem sermonem translatum*, *ac impressioni mandatum*, *una cum Tractatulo ei adjuncto de Sacramentis*, *omnibus & singulis Rectoribus*, *Vicariis*, *& omnibus aliis curam & regimen animarum in nostra Civitate & Diœcesi Tolosana habentibus*, *perlegi*, *& quàm commodè fieri frequentiùs poterit*, *parochianis suis publicari & declarari volumus & mandamus.*

Diæcesanæ Synodi Bellovacenses duæ: quarum altera alterius meminit, ad ann. MDLIV, quo habita est: in Tractatu *De Pœnitentia*: *Interrogent de septem peccatis mortalibus*, *conformiter ad examen Magistri Joannis Gerson*, in Opere suo Tripartito. Deinde in Tractatu *De Extrema-unctione. Secundo loco dicendum esset de decem Præceptis Divinis*, *quorum cognitio Curatis & eorum Vicariis est maximè necessaria*, *ut ea familiariùs populo sibi commisso explanent*; *nisi Christianissimus & resolutissimus Doctor Joannes Gerson*, in Opere suo Tripartito *dictorum Præceptorum expositionem esset clarè & abundè prosecutus. Propterea omnes dictos Curatos & eorum Vicarios ad illud Opusculum*, *brevitatis causâ*, *remittimus.*

Diæcesana Synodus Rutenensis quæ an. MDLII celebrata est, *De Sacramento Extrema-unctionis. Adhibeatur*, inquit, *quædam exhortatio præparationis ad mortem*, *juxta formam*, *quam Dominus de Gersonio docet in libello sumptibus nostris*, *annis superioribus*, *typis excuso*, *& omnibus Rectoribus & eorum Vicariis gratis communicato.*

Diæcesana Synodus Parisiensis an. MDLVII celebrata. *Quibus*, inquit, *Statutis*, *Gersonis Doctoris eximium libellum*, *quo Cathechesis Christiana continetur*, *adjici curavimus*, *qui quod in eisdem Sanctionibus & Statutis desiderari forsan poterit*, *abundè suppeditabit.*

Diæcesana Synodus Catalaunensis, quæ habita quoque est MDVII: in eo libro qui nuncupatur, *Breve de Fidei Ortodoxæ rudimentis Compendium*, *in septem Tractatus digestum*, *atque à sacra Romensi Theologiæ Facultate approbatum.*

His autem Diæcesanis Synodis Rituales libros adjicio viginti.

Ritualis liber Tullensis Ecclesiæ, qui anno MDXXIV & anno MDLIX editus est, inter instructiones infirmi. *Sequuntur*, inquit, *interrogationes & exhortationes quæ fieri debent morientibus. Hæc reperiuntur ex* Tripartito Opere Gersonii.

Ritualis liber Sylvanectensis Ecclesiæ, qui ann. MDXXVI editus est, ex *Opere Tripartito*, modum interrogandi ægrotum præscribit.

Ritualis liber Trecensis Ecclesiæ, qui anno MDXLI editus est, repetit ex *Opere Tripartito* magnam partem eorum de quibus à Presbytero moribundus interrogatur.

Ritualis liber Tolosanæ Ecclesiæ, qui anno MDXXXVIII editus, est ex *Opere Tripartito* modum interrogandi ægrotum præscribit.

Ritualis liber Lugdunensis Ecclesiæ, qui anno MDXLII editus est, in Tractatu &c. *Sequuntur Joannis Gersonii Doctoris Theologi & Parisiensis Cancellarii egregiæ exhortationes quatuor*, *quibus homo in extremis constitutus*, *ad bene moriendum excitetur.*

Ritualis liber Metensis Ecclesiæ, qui eodem anno editus est, post datum infirmo Viaticum, sequuntur exhortationes & interrogationes quæ fieri debent morientibus seu infirmis agonizantibus, quæ ex *Opere Tripartito* depromuntur

Ritualis liber Rotomagensis Ecclesiæ, qui anno MDXLIV editus est, sub finem. *Sequitur brevis & utilis monitio in Vulgari*, *juxta doctrinam Magistri Joannis Gerson Doctoris*; *quæ quidem monitio fieri debet omnibus Christianis in articulo mortis positis*, *& continet quatuor Partes*, *videlicet exhortationes*, *interrogationes*, *orationes*. *& obsecrationes.*

Ritualis liber idem, anno MDCXI editus, eo in loco ubi traditur modus juvandi morientes: *Parochus igitur vel alius Sacerdos infirmum exhortari poterit his brevibus & efficacibus verbis*, *quæ deprompta sunt ex Joanne Gerson.*

Ritualis liber Meldensis Ecclesiæ, qui anno MDXLVI editus est, modum juvandi morientes ex *Opere Tripartito* desumit.

Ritualis liber Virdunensis Ecclesiæ, qui anno MDLIV evulgatus est, *De Extrema-unctione*: *Sequitur alia Presbyteri ad ægrotum exhortatio*, *quæ ex* Opere Tripartito *paratur.*

Ritualis liber Redonensis Ecclesiæ, qui anno MDLVII prodiit. *De Sacramento Extremæ-unctionis*; *Sequuntur nonnullæ exhortationes bonæ*, *ex doctrina Joannis Gersonis solemnis in Theologia Magistri*, *deprompta*, *quibus homo ad bene moriendum eruditur.*

Ritualis liber Noviomensis Ecclesiæ, qui anno MDLX prodiit, ad calcem: *Sequuntur Joannis Gersonii Doctoris Theologi & Parisiensis Cancellarii Tractatus* De arte bene moriendi, *utilissimus & necessarius Christianis omnibus*, *& maximè Sacerdotibus curam animarum habentibus*, *ut illius ope homines in articulo mortis positos ad bene moriendum hortentur.*

Ritualis liber Viennensis Ecclesiæ, qui anno MDLXXVII in lucem emissus est: in visitatione infirmi in agonia constituti: *Sequuntur Joannis Gersonis Parisiensis Cancellarii exhortationes quatuor*, *quibus Presbyter erga ægrotum in mortis periculo versantem uti poterit.*

Ritualis liber Parisiensis Ecclesiæ, qui anno MDLXXXI. MDCI. MDCXV. & MDCXLVI, editus est, ex *Opere Tripartito* repetit magnam partem eorum de quibus à Presbytero moribundus interrogetur. Hic explicantur pluribus, quæ Gerso tradidit paucioribus.

Ritualis liber Mechliniensis Ecclesiæ, qui anno MDXCVIII editus est, describit in ordine juvandi morientes, quidquid habet Gersonii *Opus Tripartitum.*

Ritualis liber Gebennensis Ecclesiæ, qui jussu Sancti Francisci Salesii Episcopi, anno MDCXII editus est, sic statuit: *Quo in loco*, *quomodò Parochus ægrotos ad bene in Domino moriendum disponere debeat. Sequuntur Joannis Gersonii*, *Parisiensis Cancellarii exhortationes quatuor*, *quibus Presbyter erga infirmum uti poterit*

Ritualis liber Burdegalensis Ecclesiæ, qui anno MDCXI ad usum Provinciæ emissus est, *In Sacramento Extremæ-unctionis. Ordo juvandi morientes*, *ex Joanne Gerson* in Tripartito.

Ritualis liber Iprensis Ecclesiæ, qui anno MDCXXXIX editus est, cùm tradit ordinem juvandi morientes, quidquid est *in Opere Tripartito*, transcribit.

Sequuntur Generalia Episcoporum de Gersone testimonia.

Petrus Alliacus, Cameracensis Episcopus, & Cardinalis, in Synodo Cameracensi: *Joannes Gerso Venerabilis & carissimus socius meus.*

Amedeus, Lugdunensis Archiepiscopus, in epistola ad Joannem Gersonem Lugdunensium Cælestinorum Priorem, consolatoria; *Noverat plenè pius noster Pater*, *quòd qui mollibus vestiuntur*, *in Domibus Regum sunt*: *dixisseque libeat post tantos sæculi hujus honores*; *ubi primus Pater Almæ Universitatis Parisiensis re & merito existebat* (*quæ inter cæteras Universitates*, *sicut radius radiat matutinum*) *ubi tantis rerum copiis & beneficiorum valoribus abundabat*, *pro veritate longum passus exilium*, *etiam interdum in lingua quam non noverat*, *Apostolicâ fretus doctrinâ*, *scivit simul abundare*, *& indigere*, *vicissenque vitia & servasse virtutes*, *confutasse hæreses & exaltasse veritates*, *in Christique gloriosa confessione & sua peregrinatione devotè obiisse*, *Martyrio carere non videtur*: *multos namque Sanctos legimus*, *& in catalogo Martyrum describimus*, *qui solùm passi sunt exilia. Nec illud vos moveat*, *colende Pater*, *quòd nodosas dissolvebat difficultates*; *& in hoc vobiscum conveniam*, *quòd post se non reliquit similem sibi*; *sed in agro semper proficiens Dominico*, *incessabili calamo scribens*, *posteris ambiguitates plurimas submovit*, *& Scripta sua revolventium mentes elevavit*, *& per acumen eminentis sui ingenii*, *tenebras fugavit.*

Gerardus

Gerardus Machetus, Castrensis Episcopus, Carolo VII Regi à Confessionibus, in epistola XXIII ad Joannem Bussiacum Archidiaconum Briæ, in Parisiensi Ecclesia: *Post diuturnam animi deliberationem, statui & consensi conferre vobis locum Bursarum Theologorum Collegii Regalis Campaniæ, super quo ministravi Litteras Regias Provisori memorati Collegii deferendas & manualiter exhibendas. Recipe igitur pro primitiis donum istud gratuitum; ingredere domum illam sacratam meritis Patrum; in qua noster Joannes de Gersono felicis recordationis, cujus nomen retines, Gradus & famam domus ampliavit; qua in re admoneo te, ut resuscites famam ejus, imitator factus tanti Patris, Viri exemplaris & famatissimi.*

Deinde in epistola CCXXVII. ad Jacobum de Ciresio: *Memini Domine & Frater, nonnulla olim communicasse vestræ devotioni, super hac re devotissima; quæ compilavit devotissimus ille ad Beatum Joseph, dignè memorandus Cancellarius Parisiensis.*

Tum in epistola CCCXIX, ad Hervæum Novavillam: *O utinam liberet interesse vos, videlicet cum illis, qui supersunt, Deo miserante, nomine Theologicæ Facultatis, quam vivens & moriens dolebat ita deficere, sacratæ memoriæ Dominus meus, olim Cancellarius Parisiensis, Dominus Joannes de Gersono, Pater multorum viventium & mortuorum, quem Beatum spero, & felicem in deliciis cælestium gaudiorum, cum illis qui ad justitiam multos erudierunt, effulgent sicut sol in perpetuas æternitates.*

Denique in epistola CCCXXVI ad Priorem Majoris Ecclesiæ Castrensis: *Ut apertè confabuler vicariis litteris, quia voce-tenùs nequeo, disposui omnem doctrinam elevatissimam illius Viri, (J. Gerson) cujus memoria in benedictione est, duobus in locis, velut super candelabrum exponere; in Collegio scilicet Regali, ubi alitus & magistratus fuit; & in Libraria Ecclesiæ Parisiensis, in qua beneficiatus & honoratus.*

Christophorus Basileensis Episcopus, in epistola ad Lugdunenses Canonicos: *Quoniam à multis annis Doctrinæ & Scriptis Magistri Joannis Gerson singulariter affecti fuimus, in eisque legendis usque hodiè plurimùm delectamur, quòd nobis solidùt, Ecclesiæ utilis, & omni statui consolatorius, visus est. Desideramus reddi certiores de quodam rumore, qui apud nos pridem, haud ex futili autore, personuit, eundem Joannem Gerson apud vos in Ecclesia D. Pauli Lugdunensis sepultum, multis & magnis clarescere miraculis, populique concursu ac celebritate frequentari.*

Joannes Marræus, Condomiensis Episcopus, *in Sacerdotali Enchiridio*: *Ille*, inquit, *bonus Cancellarius Parisiensis Magister Joannes Gerson, definiendo virtutem dicit; quòd est amor habendi se ad omnia, ut debetur, scilicet ad Deum, ad seipsum, & ad proximum.*

Deinde huic Enchiridio attexit *Regulas morales* Gersonis, quâ de re sic præfatur: *Pro tanto, ultra jam dicta, vides apertè, ut discernere valeam inter veniale & mortale, de multo mihi servire, & valdè utile esse, habere notitiam de Regulis Moralibus, præcipuè insequendo quemdam egregium Virum Magistrum Joannem Gerson: quarum quidem Regularum illius tenor sequitur, & est talis.*

Thomas Campegius, Feltrensis Episcopus, in libri *De Potestate Romani Pontificis*, cap. XXIV Object. XXXVI. *Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis, Vir acerrimi ingenii, & summæ eruditionis.*

Claudius Sanctesius, Ebroïcensis Episcopus, in libro *De Eucharistia*, Repetit. X. cap. IV. *Inter Doctores Concilii Constantiensis, quasi lumen, Vir insignis Joannes Gerson; quem propter eruditionem & animi candorem ac fervorem erga puritatem Ecclesiæ, nemo non laudat adversariorum.*

Franciscus Salesius Gebennensis Episcopus, in Præfatione Tractatus *De Amore Dei*, ubi recenset eos, qui argumenti genus hoc tractarunt. Nos Latinè reddimus quod Gallicè scripsit. *Ad Joannem Gersonem Parisiensem Cancellarium quod attinet; de eo Sixtus Senensis sic loquitur: Cùm de quinquaginta proprietatibus Divini Amoris universo in Cantici Canticorum Opere dispersis egit, altissimè omnes Divini Amoris affectus habuisse, & quod ex Domino hauserat, eructasse videtur. Hic vir fuit acerrimi judicii, admodum doctus & pius.*

Nicolaus Coeffetæus, Parisiensis, ex Ordine Prædicatorum Theologus, & Massiliensis Episcopus, in Responsione ad *Mysterium iniquitatis*: *Quo tempore in his dissidiis versabatur Ecclesia, florebat Cancellarius noster Joannes Gerson, unus è Viris sui sæculi doctissimis.*

Henricus Spondanus Apamiensis Episcopus, in Tomo II Annalium Ecclesiasticorum, ad annum MCCCCXXVIII. *Joannes Gerson post mortem pro Beato habitus, miraculis etiam claruisse dicitur. Extant multiplicia ejus Opera, pietatis ejus, Fidei, ac Doctrinæ testes.*

Andræas Saussæus, Tullensis Episcopus, in Gallicano Martyrologio; ad quartum Idus Julii: *Piæ memoriæ tramitem hodiè implevit Venerabilis Memoriæ Joannes Charlerius, cognomento de Gerson, Theologus suo ævo præcipuus, Parisiensis Ecclesiæ, ac Universitatis Cancellarius, in quo nescias plus raram sapientiam ac indefessum in procuranda Ecclesiæ unitate studium, an pietatis eximiæ decus, & vitæ purissimæ nitidam seriem magis debeas admirari: ob quæ, & ab eo præclara in Christianæ Reipublicæ ornatum ac commodum edita volumina, non modò Doctoris Christianissimi elogium, piique Gersonis cognomen meritò adeptus est; sed & Beatitudinis famam ac Cultum, Lugduni præsertim, ubi pium afflavit animum, communi ferè omnium suffragio obtinuit: adeò ut in monimentum Sanctitatis & Gloriæ, erectum illi pridem fuerit, in Sancti Laurentii Ecclesia, ubi inhumatus fuit, Sacellum; cujus Altari Imago ejus depicta appensa erat, ad cujus venerationem multi confluentes, pro impetranda sub ejus præsidio, divina ope, votorum compotes se factos, Beati, ut aiebant, Joannis Gersonii precibus, & meritis, seriò contestati sunt.*

Gaspar Casalius Lusitanus, Episcopus Leiriensis, Serenissimi Lusitaniæ & Algarbiorum Regis &c. Consiliarius, Confessarius, & Regii Senatus, de conscientia appellati, olim Præfectus, & unus ex Patribus Tridentinis. L. *De Quadripertita Justitia*, Tridentinæ Synodo dicato: an. 1562. lib. 3. c. 17. *Doctor ille vero lumine præditus, Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis.*

Nunc referendum est publicum Facultatis Theologiæ Parisiensis Judicium, quod anno M. DXXI de Gersone tulit, cùm certam quamdam Ærasmi Propositionem, quam habet epistola Paraphrasi in Joannem præfixa, condemnavit. *Nullis*, inquit Ærasmus, *sæculis defuerunt homines, apud quos Evangelio suus constiterit honos: sed tamen his annis CCCC, vigor illius apud plerosque refrixerat.*

CENSURA.

Hæc Propositio, quantùm ad posteriorem partem: sed his annis CCCC &c, *significans his annis* CCCC *viros defuisse, quibus Evangelio suus constiterit honos; temeritate asseritur: cùm his annis* CCCC *fuerunt*

non

non pauci Sanctitate & Conditione conspicui, quales fuerunt Bernardus; Hugo & Riccardus de Sancto Victore; Petrus Lombardus; Gratianus; Thomas Aquinas; Bonaventura; Alexander de Hales; Guilielmus Parisiensis; Nicolaus de Lira; Gerson; Thomas Waldensis; & quamplurimi alii.

Ecce tibi Facultatis Theologicæ Judicio, Sanctitate & conditione conspicuus Gerson.

VIRI ILLUSTRES,

qui de Gersone egregiè senserunt.

His prælucebit Parisiensis Ecclesia in suis ad annum MCCCCXIX Commentariis: *Joannes*, ait, *de Gersono, Vir veneranda & circumspecta scientia.*

Joannes Monstreletus, in Hist. Caroli VI. cap. CXXXIII. *Magister Joannes Gerson, Doctor celeberrimus, & porfundissimus.*

Nicolaus Clamengius, in epistola XXXII ad Stephanum Comblacium: *Ille Præceptor, inter ceteros Præceptor meus, pio animarum zelo magnoperè accensus, cælestisque itineris dux, atque præmonstrator optimus, Cancellarius Parisiensis.*

J. Juvenalis Ursinus, in Historia Caroli VI, ad annum MCCCCXIII. *Erat ibi insignis Doctor in Theologia, & Vir magnæ existimationis Joannes Gerso, Cancellarius Parisiensis, & Sancti Joannis in Gravia Pastor.*

Dionysius Carthusianus, lib. 3. *De Autoritate Papæ & generalium Conciliorum*; art. 3. *Disputationem hanc à profundissimis Sacræ Theologiæ Doctoribus, qui ante paucos annos fuerunt, suisque temporibus habuisse majores non æstimantur, ut putà à Petro præfato (Alliaco) deinde ab exercitatissimo in Scolasticis Viro Magistro Joa. Gersone Cancellario Parisiensi, qui ambo in Constantiensi Concilio inclitè floruisse sciuntur.* Tum art. VI. *Per Cancellarium Parisiensem, in isto Opusculo, intelligo egregium illum Doctorem Joannem de Gersono, quem communiter Gersonem vocamus, qui tempore Concilii Constantiensis floruit.*

Denique in libro *De Regimine Episcoporum*; art. XXXVI. *Zelo domus Dei accensus Venerabilis ille Cancellarius Parisiensis, Dominus Joannes de Gerson, in libro* De Reformatione Ecclesiæ, *multas tangit abusiones, ad quarum reformationem & eradicationem tenentur Pontifices.*

Vernetus Roleuvinkius, Coloniensis Carthusianus, *In Fasciculo temporum*: ætate VI. Ad annum MCCCCIV. *Joannes Gerson, Petri de Alliaco discipulus, claret Parisiis.*

Petrus Schottus, Ecclesiæ Sancti Petri Argentinensis Canonicus, in compendiosa laude Joannis Gersonis: *Parisiensis quondam Studii Cancellarium, si quis* Christianissimum Doctorem *vocet, is certè videbitur ejus merito ac dignitati non impertinens nomen, indecememque titulum attribuisse.* Et post alia. *Mox traditus bonis Artibus in Parisiensi Gymnasio, ita se exercuit, ut proficiente cum tempore peritiâ & integritate, omnium illic Theologiam profitentium, suo tempore longè eminentissimus haberetur & esset. Singularis profectò gloria, vicisse Parisienses, in eo, in quo ipsi cæteris Studiis omnibus præstitissent.* Et post alia. *Itaque expeditissimus & resolutissimus erat in vero cognoscendo. In definiendo autem quam firmus, quàm imperterritus fuerit, vel hoc unum nobis argumento sit, quod post gravissimas altercationes, quibus contra impugnatores veritatum Fidei, & Præceptorum Dei, coram Sacrosancto Concilio certaverat, Principis etiam potentissimi odium non veritus, velut alter Chrysostomus, aut Athanasius, ipsum tandem exilium molestissimum perpeti non detrectavit; O virum vere Christianum.* Et post alia. *Honorentur alii Doctores, quisque epitheto suo; dicatur hic Sanctus, ille Seraphicus, Magnus iste, Irrefragabilis alter, Subtilis, Solemnis, Illuminatus; justè quidem & bene. Liceat obsecro Joannem quoque sua laude non fraudari; liceat, Christianus Doctor appelletur is cujus primò doctrina ad meras Christi Traditiones omnem nostram Assertionem contendit metiri; cujus deinde studium primariæ Christi operationi, propter quam in Mundum venerat, testimonio scilicet veritatis, intentissimè fuit addictum; cujus postremò vita conclusio tantò anagonica, & verè Christianæ contemplationis dulcedine & amore flagravit, ut velut cygnus modulato canticorum carmine mortem suscipiens, in felicem familiam Christi, quem docuerat, pro quo certaverat, & quem totis viribus desideraverat, in æterna Beatitudine receptus credatur.*

Hartmannus Schedel, Pataviensis Doctor, in ætate VI Mundi; *Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis denominatus, hac tempestate, anno MCCCCXVI, floruit, & in Concilio Constantiensi nonnulla pro Rege Francorum & aliis absolvit, Vir admodùm doctus, Theologus summus, Parisius Sacrarum Litterarum Christianissimus Doctor, qui Scripta varia, & Libros a se editos, Ecclesiæ profuturos post se reliquit.*

Jo. Franciscus Picus, Mirandulæ, & Concordiæ Princeps, in Vita Hieronymi Savanarolæ, Tom. II. cap. XXI. *Quod Joannes Gerson Theologus, cognomento Christianissimus, affirmat.* Deinde cap. XXIX *meminit etiam in Revelationum discerniculo, Gerson, titulo Christianissimi Doctoris honestatus.*

Joannes Trithemius, in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis. Joannes Gerson Natione Gallus, Cancellarius Parisiensis, Vir in divinis Scripturis eruditissimus; sæcularis Philosophiæ non ignarus; ingenio subtilis; sermone scholasticus; scientiâ certus ac stabilis; consilio cautus; & dubiorum clarissimus interpres; scripsit metro & prosâ multa præstantissima Opuscula, quibus nomen suum apud posteros immortalitatem semper obtinebit; quorum lectio devotis & Religiosis non minùs utilis, quàm jucunda est.*

Joannes Raulinus, Parisiensis Theologus, Concionatorum sui temporis facilè Princeps, in Sermonibus suis, Gersonem, perinde ac unum ex antiquis Patribus passim laudat.

Canonici Lugdunenses, in epistola ad Chrystophorum Basileensem Episco. *Reverendissimæ Dominationis vestræ epistolam magna devotione & tersâ facundiâ refertam accepimus.* Et quibusdam interpositis, *Est profectò ejus* (Joannis Gersonis) *Doctrina sana, clara, salubris, & devota, & inter cæteras ad pellendos animi morbos aptissima, usqueadeò, ut jam Christianissimus Doctor, Divus Gerson passim nominetur. Erectum est in Divi Joannis Gerson decus & laudem, devotum Sacellum, ubi super Altare ejus Imago depicta est, magnusque populi concursus, pro obtinenda Divina ope affluit; & plurimi se adjuvari B. Joannis Gerson precibus prædicant & fatentur. Ista est quæ apud nos vulgatur de Divo Joanne Gerson clara & celebris fama.*

Philippus Bergomensis, in *Supplemento Chronicorum*, ad annum M. CCCCXVII. *Joannes Gerson Parisiensis Cancellarius, suis temporibus Theologorum Princeps est habitus, qui cùm multos Tractatus edidisset utiles, ad Constan. Synodum perrexit, ubi ad utilitatem Ecclesiæ promovendam, & ad hæreses, maximè Bohemorum extirpandas indefessè laboravit, propter quod, dissoluto Concilio, ab iis hæreticis pertulit insidias.*

Guilielmus Jalignius, & Andræas Vinensis, sub finem histo. Lud. XII. *Hunc (Joannem Parvum) subornasse Burgundum credibile est*, quo J. Gerson integerrimi Viri & Theologiæ Professoris acutissimi fidem

fidem elevaret, qui publicè, adstante ad verba Rege, in atrocius Joannis nefas invectus fuerat.

Joannes Sangelasius, in historia ejusdem Regis, ad annum MCCCCVII *Hac Propositio facta est celeberrimè & elegantissimè, à quodam sanctæ Theologiæ Magistro Joanne Gersone, qui omnium, à tempore Thomæ Aquinatis, Theologorum Princeps habitus est.*

Jacobus Wimphelingius, Ecclesiæ Spirensis Presbyter, in Præfatione quartæ Partis Operum Gersonis. *Joannes Gerson Consolatorius & Christianissimus Doctor, sempiterna Parisiensium gloria, Concilii Constantiensis columna.*

Idem Wimphelingius. *O vos omnes Christi cultores, veræque sapientiæ studiosi, legitote Gersonem, qui obscura & impensa per alios quosdam scripta, planè & breviter perstrinxit; qui universales aliorum veritates, ad particulares casus exactissimè resolvit; qui conscientiam tranquillam & pacificam reddit. Neque enim claudit hominibus facilè cœlos, neque cæcam nutrit præsumptionem: at mediâ viâ quæ tutior est incedit . . . Jugum Domini leve esse contendit. Papæ & Prælatorum potestatem ostendit. Ecclesiæ reformandæ modum demonstrat. Canonum & Legum fontem, necessitatemque aperit. Religiosos pium zelum docet. Adolescentes instruit. Pueros paterno affectu complectitur. Præceptores Gymnaziorum particularium & Privilegiatorum informat. Orationes ad Clerum & in laudem quatuor Facultatum sententiosissimas excudit. Sermones optimos fecit. Theologos speculativos ad materias utiles excitat. Hæreses eliminat. Schisma persequitur. Regum & Principum filiis Præcepta tradit. Triplicem Statum, scilicet Ecclesiasticum, Militarem & Civilem in Republica necessarium esse demonstrat. Censuum & redituum benignus est Moderator & Judex. Curatorum jura defendit. Religiosis contemplativis dulcissimas doctrinas infundit. Prædicatorum Ordinem Universitati Parisiensi reconciliavit. Confessoribus bona Præcepta largitur. Astantes agonizantibus salubriter erudit.*

Legant ergo eum Episcopi & Cardinales; legant Jurisconsulti; legant Religiosi; legant adolescentes; legant & audiant pueri; legant Gymnozophistæ & Præceptores; legant ad Clerum oraturi, & Universitatum Vice-Cancellarii; legant populo prædicaturi; legant Theologi scholastici; legant hæreticæ pravitatis Inquisitores; legant Bohemi; legant filiorum Magnatum & Principum Pædagogi; legant vel audiant Cleri & civium persecutores; legant qui censibus fruuntur; legant Curati; legant contemplativi; legant Fratres Prædicatores, pro quibus se murum opposuit; legant Confessores, legant hi, qui ex hoc sæculo migrantes admonent. Quisquis inventurus est, quod officio suo, ætati suæ, statui & affectioni conducet. Ipse enim Gerson tanquam omnium debitor factus, omni homini, omni sexui, omni statui (ut salvus fiat) opem ferre conatur, & id quidem benignè, constanter, absque ostentatione, absque omni spe quæstûs, absque omni contemptu cujuscumque Doctoris.

Paulus Langius Monachus, in Chronico Citizensi: *Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis, Legatus pro tunc Gallorum Regis, qui suâ sapientiâ prædictum valde promovit Concilium, scilicet Constantiense.*

J. Merlinus, Paris. Theologus, in Dedicatione I[a]. editionis Durandi. *J. Gerson totius Orbis lampas.*

Godescalcus Rosemundus, Lovaniensis Theologus in suo Confessionali. *Joannes Gerson Doctor, inter cæteros valdè pius, pro peccatoribus valdè consolatorius.*

Joannes Major, Parisiensis Theologus, in Commentario super Matthæum illud; *Si peccaverit in te frater tuus. Joannes Gerson, Vir famatissimus in Concilio Constantiensi.*

Joannes Ravisius Textor, in libro *De Claris mulieribus*, in Elogio Joannæ Reginæ, Fundatricis Collegii Navarrici. *Joannes Gerson non Galliam modò, at universum terrarum Orbem radiis virtutum speciosissimis illustravit.*

Amedeus Maërinus Parisiensis, ex Ordine Prædicatorum Theologus, in epistola ad Senatum Gratianopolitanum: *Hæc est sententia Joannis à Gersono Viri celebratissimi, & cui hodiè Parisienses primas in divinis Litteris tribuunt.*

Richardus Valleburgius, Virdunensis Archidiaconus, in libro 7 Antiquitatum Galliæ Belgicæ. *Cum Ludovico Barensi Cardinale & Virdunensium Episcopo, ad Constantiense Concilium iverunt doctissimi duo Parisienses Magistri, Petrus Alliacus, & Joannes Gerso Parisiensis Cancellarius.*

Ludovicus Lastereus in vita S. Hieronymi, cap. L. *Magister Joannes Gerso à plerisque Sanctus habetur, quamvis in Sanctorum Catalogum relatus non sit: vir erat vitâ sanctissimâ.*

Albertus Pighius in lib. 5 *Hierarchiæ Ecclesiasticæ*, cap. II. *Joannes Gerso Cancellarius Parisiensis, Vir in divinis Scriptis eruditissimus.*

Alfonsus Castrensis, celeberrimus ex Ordine Minorum Theologus, lib. I. *De potestate Legis pœnalis*, cap. IV. *Joannes Gerso, Cancellarius Parisiensis, Vir pius perinde ac doctus.*

Sixtus Senensis, ex Ordine Prædicatorum Theologus, in lib. IV Bibliothecæ Sanctæ. *Joannes Gerso Natione Gallus, florentissimæ Parisiorum Academiæ Cancellarius, Theologiæ Scolasticæ peritissimus, Poeta & Orator suo tempore insignis, Caroli Francorum Regis in Concilio Constantiensi Legatus, multa nobilia volumina in Divinas Litteras, stylo quidem scolastico, sed non injucundo conscripsit; in quibus scolasticæ Theologiæ subtilitates dulcibus Theologiæ Mysticæ affectibus miscuit, temperavitque, ut addubitandum sit, an eruditione pietatem, an pietatem eruditione superaverit.*

Claudius Espencæus, Parisiensis Theologus, in lib. IV *Apologiæ*, cap. VII. *Audio Joannem Gersonem fuisse virum summum atque eminentissimum; quin etiam magnum Ecclesiæ Latinæ radium, Facultatis Theologiæ Parisiensis, & hujus Regni decus & ornamentum.*

Oratores Regis Christianissimi, in expostulatione ad Legatos & Patres Tridentini Concilii: *Quæ fuerunt in iis Synodis Regis Christianissimi petitiones, testatur imprimis Doctissimus Theologus Joannes Gerson Regis Christianissimi Orator in Concilio Constantiensi*

Martinus Aspilcueta Navarrus, in cap. *novit. notab.* III. num. XXIV. *De Judiciis. Non est consilium in præsentia definire, cui principalis potestas Ecclesiastica fuerit à Christo collata; an toti Ecclesiæ, an verò ipsi Petro, propter illam maximam discordiam Romanorum & Parisiensium. Illi enim tenent, Petro & successoribus ejus hanc potestatem fuisse traditam, atque adeò Papam esse Concilio superiorem: si vero quibus Gerson adhæret, totam datam esse toti Ecclesiæ, licèt exercendam per unum; atque ideo in aliquibus saltem casibus, Concilium esse supra Papam.*

Petrus Canisius è Societate Jesu Theologus, in lib. I. *De Maria Deipara.* cap, V. *Et qui ætate sua floruit doctissimus Theologus Gerson, in fine libri* De Oratione *sapienter docere.* &c.

Papirius Massonus, in lib. IV Annalium Francorum in Carolo VII. *Vixit hoc Rege Joannes Gerson magni inter Theologos nominis.*

Stephanus Paschasius, in lib. III *Disquisitionum Franciarum.* cap. XXXIV. *Dum Avenionense*

schisma Romanam lacerabat Ecclesiam, Parisiensis Academia peraque in omnibus florebat: & si quando magnam nominis sui existimationem sortita est, tum vel maximè, cùm in his factionibus nunquam a recto deerraverit; sed bonis semper, ad Ecclesia decus atque adificationem studiis contenderit: alebat nempe & suo fovebat sinu prastantissimos quatuor Theologos, Joannem Gersonem; Joannem Parvum; Ægidium Campensem; Nicolaum Clamengium, hujus calamitatis publica hostes capitales, ut nihil supra esse possit.

Antonius Loisellus, celebris in Parisiensi Senatu Causidicus, in Oratione pro Parisiensi Academia. *Joannes Gerso Universitatis Cancellarius, hujus Schola Magister excellentissimus, cujus memoria in Orbe toto Christiano viget.*

Jacobus Guellæus, Generalis in Senatu Parisiensi Cognitor Regius, ea in Oratione, quæ Senatus-Consulto inserta est apud Laurentium Bochellum; lib. V *Decretorum Gallicana Ecclesia.* cap. VIII. De requirendis terminis, quos Christus inter utramque potestatem pepigit, Ecclesiasticam & Civilem, ad nostrum Gersonem remittit. *Hac*, inquit, *Schola Theologia eâ de re praclaras habet observationes in Operibus Gersonis.*

Joannes Bohemus, in libro *De Ritibus Gentium*; & eum secutus Jacobus Middendorpius, Coloniensis Academiæ Pro-Cancellarius, in lib. VI *De Academiis omnium qua nunc in terris sunt* (*Universitatum*) celeberrimam hanc Parisiensem esse affirmant: *quippe ubi prastantissimi semper in omni Artium genere Professores extiterunt, qui partim probationibus, partim eruditissimis scriptis, totum Mundum illustrarunt, in quibus Joannes Gerson.*

Antonius Possevinus, è Societate Jesu Theologus, *in Apparatu Sacro. Joannes Gerson, dictus etiam Charlerius, Parisiensis Academia Cancellarius, Vir ingentis doctrina atque pietatis. De prastantia tanti Theologi nemini dubium est, quin fuerit insignis. Eò autem insignior, quòd in plurimis difficilè possit agnosci, utra fuerit in eo major, pietas-ve, an eruditio: sanè cum varia in Divinam Scripturam elaboraverit. Commentarii quos sub finem vita conscripsit in* Canticum Canticorum, *ejusmodi sunt; ut cùm de quinquaginta proprietatibus Divini Amoris, universo in Cantici Opere dispersis egerit, altissimè omnes Divini Amoris affectus habuisse, & quod ex Domino hauserat, eructasse videatur. Secuta verò mors triduo post illud Opus expletum, adhuc hoc magis probavit: postrema enim ejus Cantici verba*, Fortis est ut mors dilectio, *idem moriens magna animi vultusque constantia iterans, animum Divina bonitati reddidit.*

Joannes Hardalius, Juris utriusque Professor, in *Aurelianensis Puella historia. Gerson quidem sapientissimus illa atate, gravissimusque alma Universitatis Parisiensis Doctor & Cancellarius, Confessario Caroli* VII *Tractatum inscripsit* De Considerationibus quas debet habere Princeps.

Et post alia: *Scribebat Gerson antequam reipsa hac evenissent: vidit tamen vir in rebus humanis earumque adeo conversione exercitatus.*

Jacobus Gretserus, è Societate Jesu Theologus, in *Examine Mysterii Plessaani.* cap. LXII. *Invectus quidem est Gerson, non uno loco, in vitia Cleri, & turbulentum Ecclesia statum: pacisque osores, ac seditionum incentores meritò acriter perstrinxit. An ideo cum Luthero & Calvino sensit? An ideo inter Lutherina veritatis testes jure a Flaccio collocatur? A Plessao prudenter in mysterium iniquitatis antichristiana intenditur, nec cuivis litteratori licet, quod Gersoni licuit, qui sua atate vir & eruditione, & vita innocentia conspicuus fuit.*

Abrahamus Bzovius, ex Ordine Prædicatorum Theologus, ad annum MCCCCXXIII dicit. *Joannes Gerson, Vir pius & doctus multis Operibus in lucem editis, clarissimus.*

Martinus Carillus Montaragonensis, in Annalibus Chronologicis, ad an. MCCCCXIII. *Florebat hoc tempore, litteris, sanctitate & virtutibus Joannes Gerso, Universitatis Parisiensis Cancellarius.*

Dionysius Petavius è Societate Jesu Theologus in *Rationario temporum.* lib. IX. p. I. cap. VIII. *Hoc Imperatore* (*Sigismundo*) *prastantis ingenii famâ vixit Joannes Gerson Parisiensis Academia Cancellarius, ad Constantiensem Synodum Legatus a Rege Francia missus.*

Hermannus Loemelius, seu potiùs Joannes Floidus, è Societate Jesu Theologus, in *Spongia*, pag. XL. *Ausim dicere Gersonem Parisiensium Cancellarium, nunquam veriorem sententiam protulisse, prudentiaque magis conformem vel digniorem, qua litteris aurei caracteris in ipsis Schola cujuslibet Theologica foribus incudatur, quàm istam examinationem doctrinarum Theologica Facultati committi posse; si tamen Theologia illic habuerit suos Doctores non venales, non seductos, non fastuosos, non invidos, non potestati saculari vel spirituali, plusquàm veritati faventes: alioquin tolerabilius esset, nullos habere, quàm tales habere.*

Claudius Hemeræus, Parisiensis Theologus, in libro *De Parisiensi Academia. Prater ejus* (*Gersonis*) *admirabilem eruditionem, quam Patres Concilii Constantiensis summoperè laudaverunt, flagranti in Deum pietate; caritate in homines; verè Christiana & candida morum simplicitate plurimum commendandus fuit; rigidus antiqua disciplina vindex, quod hausit à Magistro Alliacensi.*

Ludovicus Cellotius, è Societate Jesu Theologus, in libro III. *De Hierarchia Ecclesiastica.* cap. XVII. num. III. *Evangelica tempora & Evangelicos Doctores consulo. Inter omnes satis constat, tres eximios Doctores de Hierarchia Ecclesiastica strictè sumpta, in qua versamur, scripsisse, Paulum Apostolum, Dionysium Magnum, & Gersonem Theologum.*

Petrus Suares, in libro IV. *Hist. Trid. Concilii, refert Joannem Gersonem ibi tam pium & Catholicum Scriptorem vocatum esse.*

Odoricus Raynaldus, in Tomo XVII Ecclesiasticorum Annalium, tribus in locis utitur Gersonis autoritate. Primus est ad ann. MCCCCVIII. *Quem errorem* (*Hieronymi Pragensis*) *cum Turlupinis communem fuisse, Joannes Gerson narrat, refellitque in Sermone facto in Comitio Remensi.*

Secundus est, ad an. MCCCCXVIII. Hæc ille, *Non aliter illusus à dæmone, quàm ii qui ambitione Pontificalis consequendi fastigii fascinati, illud se omnino adepturos finxerunt: de quibus hac tradit Jo. Gerson, in Commentario* De distinctione visionum falsarum à veris. Tertius paulò post. *At infelix Petrus è Luna, redeuntibus penè omnibus ad Ecclesiam, seipsum ab ejusdem Ecclesia gremio exclusit, dum se more hareticorum, cum paucissimis sectatoribus Ecclesiam esse gloriabatur, quem ita arguit Gerson.*

Theophilus Raynaudus, è Societate Jesu Theologus, in *Mantissa*, ad indiculum Sanctorum Lugdunensium: in Vita Joannis Gersonis. *Joannes Gerson sui saculi rarum lumen fuit, omnium judicio.* Infra: *Religiosus cultus illi aliquando fuit publicè impensus.*

Robertus Cardinalis Bellarminus, in libro, *De Scriptoribus Ecclesiasticis*: *Joannes Gerson Gallus, Cancellarius Parisiensis, Vir doctus & pius.*

PRIVI-

PRIVILEGIUM

Regis Christianissimi

Ad mandandum Typis Opus *De Imitatione Christi*, sub nomine GERSONII.

LOUIS PAR LA GRACE de Dieu &c. A nos amez & feaux &c. Salut. Notre cher & bien aymé Charles Labbe ancien Advocat en nostre Cour de Parlement de Paris, nous a remonstré qu'il a travaillé pour restituer le livre, *De Imitatione Christi*, en sa premiere integrité, pureté, & splendeur, ainsy qu'à son vray Autheur; & que par le moyen de la conference qu'il a faite des modernes & dernieres Editions de ce livre, avec des Manuscrits & des premieres & plus anciennes Impressions, il a restitué plusieurs lieux & passages, qui estoient corrompus ez Impressions modernes & dernieres : & mesmes a restabli des termes & periodes qui y deffailloient; comme aussi a-t-il trouvé preuve entiere par ces mesmes Manuscrits & premieres & plus anciennes Impressions, au grand honneur de la France, que ce livre a esté composé par un François nommé *M. Jean de Gerson* Cancellier de l'Eglise & Université de Paris, & Curé de St. Jean en Greve. • Et encores a trouvé preuve aussi tres-certaine & entiere, par les livres propres de ceux qui attribuent ce livre *De Imitatione Christi* à Thomas de Kempis, qu'icellui Thomas de Kempis l'a seulement transcrit & coppié, ainsi qu'il a transcrit & coppié *le Pentateuque* de la Bible. Et aussi il a trouvé preuve par les livres de ceux qui le donnent *à Jean Gersen*, Abbé de Vercelles, qu'il a esté mis en escrit en leurs Manuscrits de ce livre, *Gersen* pour *Gerson*, ainsi que *Consolarius* pour *Cancellarius*, en l'Epitaphe de l'Autheur de ce livre, qui se trouve dans le plus ancien de leurs Manuscrits, & qui sans doute ne peut convenir à autre qu'à *Gerson* Chancellier de l'Eglise & Université de Paris, & Professeur en Theologie. Comme encores a trouvé & observé, que tant au comencement qu'à la fin des Manuscrits, & des plus anciennes & dernieres Impressions de ce livre, est le nom de *Gerson*, & tousjours avec la qualité de Chancellier de Paris, comme estant l'Autheur de ce livre. Et encores a t-il trouvé & observé, qu'en suitte, & à la fin de ce livre *De Imitatione Christi*, est mis & joint le Traité *De Meditatione cordis*, avec le mesme nom de Gerson, comme en estant aussi l'Autheur; & que cette jonction, est conforme à ce qui se trouve escrit au commancement du premier chapitre de son premier livre, *De Imitatione Christi* : que *mediter en la Vie de Jes. Christ*, *soit nostre souverain soin, nostre plus grande estude* : & que ce Traitté *De Meditatione cordis*, n'a esté disjoint d'avec le livre, *De Imitatione Christi*, ny le nom de *Gerson* changé en celui de *Kempis*, que depuis que l'Abbé *Mauburne* & l'Imprimeur nomme *Iodocus Badius Ascensius*, Flamens de Nation, ainsi que *Thomas de Kempis*, ont pris habitude en nostre ville de Paris, & ont entrepris d'attribuer ce livre, *De Imitatione Christi* à Thomas à Kempis, leur Compatriotte, & de mesme Ordre, & de mesme Maison de Religieux qu'icellui *Mauburne*, ainsi que de mesme Nation; l'un & l'autre estant de l'Ordre des Chanoines Reguliers de St. Augustin; & ayant demeuré en mesme Monastere à Windesem en Flandres; & Flamens, ainsi que *Iodocus Badius* : Et de-fait, que la premiere Impression de ce livre en Latin, qui ait porté cette disjonction, a esté celle que *Iodocus Badius* à faite en 1523 des Oeuvres *de Thomas de Kempis*, en laquelle il n'a pas mis à la suitte du livre *De Imitatione Christi*, ce Traitté *De Meditatione cordis*, comm' il estoit en l'Impression des mesmes Oeuvres de *Thomas de Kempis*, faite à Nuremberg en 1494; mais l'a mis à la fin du mesme volume sous un Tiltre separé; & encores y est il dit au commancement, en l'Indice des chapitres du premier livre, que anciennement ce livre *De Imitatione Christi*, estoit attribué au Chancellier de Paris, à *Maitre Jean Gerson*. Et cette recognoissance, est au commancement, ou au Tiltre des Impressions qu'ils ont fait faire jusqu'en 1606; y en ayant une faite à Cologne en cette année mesme 1606 par Brickman, qui porte que vulgairement ce livre est attribué *à Gerson* Chancellier de Paris. Et la plus ancienne de celles par lesquelles il ait esté revoqué en doute, n'est qu'une traduction en François, imprimée en 1494. Et il en a veu & manié des Latines faites en la seule ville de Paris, en moins de sept ans, jusques au nombre de six, dattées de 1489. 1492. 1493. 1494.; & deux d'une mesme année 1492; & une plus ancienne que toutes les susdittes, ayant esté faite, ainsi qu'il appert pas icelle, des-lors que l'Art d'imprimer a esté invanté & mis en usage, qui a esté en 1442, ou 1459 : toutes portans le nom de Gerson au commancement & à la fin de ce livre *De Imitatione Christi*; & après & ensuitte le Traitté *De Meditatione cordis*, aussi avec le nom *de Gerson*. Et encores a-t il trouvé & decouvert, que ceux qui ont entrepris d'abolir & aneantir cette verité, ont fait plusieurs autres mutations & mutilations, lesquelles il a indiquées, & en les indiquant refutées & destruites; ainsi que celles faites d'autre part, pour attribuer ce mesme livre *De Imitatione Christi*, à un autre qu'ils ont nommé & qualiffié *Jean Gersen* Abbé de Vercelles, Italien, de l'Ordre des Benedictins. Et que sur ce il a composé des livres, l'un d'iceux intitulé, suivant les Manuscrits & les premieres & plus anciennes Editions : *Gerson Cancellarius Parisiensis* De Imitatione Christi, & contemptu vanitatum Mundi, & de Meditatione cordis; *Autor suis libris restitutus*; *libri suo Autori & nitori redditi*; *pluribus in locis auctiores & correctiores quàm antehac editi, ex duobus Manuscriptis, & duodecim antiquis Exemplaribus, Parisiis ante ducentos aut circiter annos impressis, operâ Caroli Labbai.* Et l'autre de ces livres intitulé; *De vero Autore librorum IV* De Imitatione Christi, *observationum Caroli Labbai, specimen seu summarium. His probatur evidenter & liquidò ex duobus Manuscriptis Codicibus, & ex duodecim antiquis Exemplaribus ante ducentos annos aut circiter impressis Lutetiæ Parisiorum, aliisque probationibus certissimis; & etiam ex Libris à Kempensibus, & Gersensibus editis, verum Autorem horum IV Librorum, esse Magistrum Joannem Gerson, seu de Gersono Cancellarium Parisiensem, non Thomam de Kempis, nec Joannem Gersen Abbatem Vercellensem.* Et en François : *Sinopse ou Sommaire des observations de Charles Labbe, pour la restitution du Livre,* De Imitatione Christi *en son entiere splendeur & à son vray Autheur M. Jean Gerson Chancellier de l'Eglise & Université de Paris* : lesquels Livres il desireroit faire imprimer : mais craignant &c.

A CES CAUSES, nous avons permis audit Labbe de faire imprimer lesdits livres en tel volume & autant de fois que bon luy semblera, pendant le temps de quinze ans &c. *Car Tel est nostre plaisir &c.*

Donné à Paris le douse jour de Septembre. L'an de Grace 1654. & de nostre Regne le 12e. Par le Roy en son Conseil, signé *Boucot* & scellé du Grand Seau de cire jaulne &c.

JOANNES CHARLIERUS
DE
G E R S O N
IN TUMULO GLORIOSUS.
SEU

Narratio eorum, quæ contigerunt, aperto Tumulo Gersoniano, Anno 1643.

Juxta exemplar Lugduni editum.

STEPHANI VERNEY LUGDUNENSIS,

Qui sequentem Narrationem conscripsit,

Ad Collegiatam D. Pauli Ecclesiam, Anagramma Gersonianum Gratulatorium.

JOANNES CHARLIERIUS DE GERSON.
ORES SANE: NIL GERIS CHARIUS DEO.

PLAUDE manu, cane voce, animo pia jubila pande,
  Ædes insolito munere sacra Deo.
Ecce SACERDOTEM præfert tua fabrica DIVUM:
  Quemque PIUM tenuit terra sacrata refert.
Hunc ORES SANE: NIL CHARIUS hoc GERIS almo
  Munere, sive DEO, sive tibi, atque aliis.

TUMULUS GERSONIANUS

LECTORI.

HIC DO RARA GERENS: SOL, INVENIES.

Ab obscuro si rara prodeant,
Sanctioris vitæ claritate num emicat

JOANNES CHARLIERIUS DE GERSON?

ΤΥΠΟΓΡΑΦΟΣ ΛΟΥΓΔΟΥΝΑΙΟΣ

ἐυσεβεῖ, καὶ ἐυσυνέτῳ Α'υθέντῃ,

ΕΠΙΓΓΡΑΜΜΑ.

ΓΕΡΣΟ'ΝΙΟΙ, λαμπρῶς ἀγορέυεις ὗς, ΣΤΕ'ΦΑΝ', αἶνοι,
Ζωννῦσ' ἀθανάθῳ σὴν κεφαλὴν ςεφάνῳ.

Μ. ΓΑΥΘΕΡΕῖΝ.

JOAN.

JOANNES CHARLIERUS DE GERSON IN TUMULO GLORIOSUS.

FAMA nuperrimè nuda satis, & velox emanavit, quæ JOANNEM olim dictum GERSONIUM, à pueritia deductum per gradus virtutis & honoris, ad diversa, tum negotia, tum etiam loca Galliarum, post labores publicos, privatosque, confectum tandem, Lugduni reliquerat in Tumulo.

Quia tamen vacuum GERSONIS Tumulum plerique scripserant, omnes ferè crediderant visum est nunc eductum illum de Tumulo proferre in medium, ut novâ famâ succedente veteri, gloriosior appareat JOANNES, qui huc usque delituit, verè GERSON.

Unum monet, qui famæ Tumulum, & Tumulo JOANNEM gloriosum adhibet; nimirum, adulterata se nulla proferre; neque celare, aut addere quicquam circa Tumulum JOANNIS, & JOANNEM in tumulo: sed quæcunque visa, vel audita, sive etiam lecta refert, omnia donare *Patri luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

Extat igitur, etiam nunc, in Æde Sacra B. Laurentii Martyris, Collegiali Divi Pauli Apostoli contigua, Parœciali Nobilium Fratrum Mascranny pietate ac liberalitate reædificata nuper, atque in augustiorem statum restaurata, locus Sepulturæ, JOANNI DE GERSON liberaliter concessus à P. Camerario, & Capitulo Ecclesiæ S. Pauli, anno Domini 1428, die 28 Octobris, cum Anniversario panis, & faciendo ex more tunc servato & solito: locus, inquam, ab ipso vivente JOANNE, Sacerdote, atque Cancellario Parisiensi meditatus aliquoties inter circundantes se pueros catechizatos; occupatus ab eodem vita functo novem post mensibus; nemini posthac, quantumvis claro, & postulanti, non ita pridem, concessus, ex reverentia ejus cui datus fuerat; ideò servatus inter Ecclesiæ labentis ruinas, ut ipsa per egregios Fratres JOANNIS amantissimos tandem restituta, thesaurum aperiret, quem credebant omnes asportatum, margaritam proderet agri cœlestis possessorem annis ampliùs ducentis.

Hunc Tumulum, jam olim celebrem & frequentatum, ex fama beneficiorum, quæ Deus præstabat illic devotis civibus, in gratiam Christianissimi Doctoris *JOANNIS*, cognomento, Pii *GERSONII*, à die obitus pro Beato, ac Divo habiti, cultique communi ferè omnium suffragio; ut post veteres, non impar illis Andreas du Saussay, scripsit in suo Martyrologio: Christianissimus etiam Gallorum Rex Carolus VIII, decoraverat, *erecto in ipsius Divi JOANNIS decus, & laudem* (ait epistola Canonicorum, & Capituli Ecclesiæ Lugdunensis ad Christophorum Episcopum Basileensem, initio Operum ipsius GERSONIS inserta) *devoto Sacello, & Altari supra quod Imago ejus depicta erat* (nimirum, eo modo, quem requisierat ab hocce Capitulo Reverendissimus idem Episcopus) *ad instar Alberti Magni, cum radiis solaribus in capite, sine diademate tamen, in Cappa doctorali; Cor tenens in manu sinistra, quod ad Cœlum dirigebat, elevatâ dexterâ dicens: SURSUM CORDA.*

Laurentius quoque Burellus, Regis Confessor, atque Eleemosynarius, & Doctor ex Ordine Carmelitarum, deinceps Episcopus Sistariensis, hujus Capellæ Author, addiderat Altari quædam à se conscripta carmina in laudem Beati JOANNIS: *Cujus* (addunt Canonici Lugdunenses) *nomen, & virtutum præstantiam, dotes, atque doctrinam commendabat in urbe prædicans coram Regibus, Clero, & populo: cujus invocato, cùm è mulo caderet, auxilio, cervice nec latere attritus, illæsus permanserat: cui non minore studio, industria, & labore, dabat operam apud Christianissimum Regem, ut habita sufficienti formatione de vita, moribus, patientia, & doctrina ipsius, inter Divos canonizatus adscriberetur JOANNES. Quem suum famulum magnis miraculorum beneficiis* (narrat Bibliotheca Collegii Navarræ, in Epitome Vitæ ipsius JOANNIS) *Dominus noster JESUS CHRISTUS illustrare, cujus Sanctitati clementer attestari dignabatur. Ad cujus venerationem* (subjungit epistolis superioribus jam citatus du Saussay) *multi confluentes pro obtinenda ope Divina, votorum compotes se factos Beati GERSONII precibus, & meritis, seriò contestabantur.*

Sed venerandum, adeoque tremendum præbuerat hunc locum ab initio posterioris sæculi quinti supra decimum, Laurentius alter, nomine Cataigne, civis, &, ut scribitur, Apothecarius Lugdunensis, qui *pia, & laudabili devotione motus, cupiens Divinum cultum augmentari,* (verba sunt in Contractu expressa,) *pro salute animæ suæ, & suorum; de voluntate, licentia, & consensu Camerarii, & Capituli Ecclesiæ S. Pauli, fundavit in Ecclesia S. Laurentii, dictæ Ecclesiæ S. Pauli contigua & adjacente, atque in Altari de novo in eadem Ecclesia ad honorem Dei, Beatæ MARIÆ VIRGINIS, & commemorationem, bonæ, recolendæ, dignaque memoriæ Magistri JOANNIS JARSONIS* (ita scribitur) *quondam dictæ Ecclesiæ S. Pauli Canonici, ac sacræ Theologiæ Doctoris, ibidem sepulti, erecto & constructo de Mandato Christianissimi Francorum Regis Caroli, hujus nominis Octavi; unam* primùm *Missam Eucharistialem singulis diebus Martis celebrandam;* tum & duobus post Mensibus, *aliam qualibet Jovis die per unum Presbyterum de gremio, & habitu supradictæ Ecclesiæ S. Pauli.*

Hunc, inquam, locum Sepulcralem lapis adhuc superpositus arguebat esse ipsius JOANNIS DE GERSON, in hæc verba, duplici lineâ Gothicâ circunducta, quæ nunc, ut pridem, visuntur in tabula muro affixa, aureo charactere Romano inscripta, studio piorum Mascranny, his versibus:

Magnum parva tenet virtutibus urna JOANNEM,
Præcelsum meritis, GERSON cognomine dictum:
Parisiis sacræ Professor Theologiæ,
Claruit Ecclesiæ qui Cancellarius, anno
Milleno Domini centum quater atque vigeno
Nono, luce petit Superos Julii duodenâ.

Erat etiam insculptum parti superiori hujus lapidis, hoc Divinum Christi proloquium: *Pœnitemini, & credite Evangelio*: quod frequenter in ore habebat inter concionandum, ut legitur in Vita ejus, præmissa Operibus: atque in inferiori parte ejusdem lapidis parma quædam tesseraria, in qua nihil apparebat præter Symbolum, *Sursum corda*, superiùs allatum, quod aream ambiebat.

Pietas quoque studiosorum Gersonitarum, unius, vel plurium, hoc in loco Tumulum posuerat charo suo JOANNI GERSONIO, fortè ab urbe superiori sæculo reddita. Quem Tumulum à se visum refert Claudius Pratus, in Præfectura Lugdunensi Regius olim Consiliarius, Prati sui pagina 134, in hæc verba:

JOANNI GERSON,

Canonico Parisiensi, Universitatis Cancellario, Theologo insigni & Doctori, Universitatis & Libertatis Catholicæ Vindici & Propugnatori acerrimo & integerrimo: Cujus gesta, & scripta memoriæ æternæ debent consecrari.

SED, quia nullus erat hoc tempore, qui hanc Tabulam, aut illam antiquiorem vidisset; nullus, qui pro lapide Timulo superinducto sponderet, ut ei, longum jam tempus diviso, nunc quoque fracto, etiam & deperdito ex parte, fides adhiberetur: & Altare cum Sacello Regio disjectum, suadebat JOANNEM GERSONIUM, cum ejus Imagine, à furentibus Calvinitis flammis, aut vicino fluvio traditum: Deus, qui Resurrectionis Christi denunciatrices voluit esse mulieres; concessam nobis in JOANNE Gratiam revelavit per mulierem de Grassia vocatam, eamque (mirum dictu!) vitâ functam; ut exanime corpus servatam in mortuo vitam proderet, cunctis viventibus pariter ac morituris, profuturam. Res ita se habet.

Ad decimum octavum Calendas Maii anni currentis 1643. (quæ tertia feria erat post Dominicam in Albis) horâ vespertinâ, cùm Libitinarii Ecclesiæ Parœcialis & Collegiatæ D. Pauli sepulcralem fossam in adjunctâ Æde S. Laurentii pararent egregiæ mulieri de Grassi, juxta prædictum Tumuli Gersonici lapidem; obtulit se casu, muralis operis lateritii pars quædam, impedimentum faciens: ad cujus aliquoties icti apertionem, cùm unus ex fossoribus, misso in patentem aditum manubrio ligonis, pulsasset interius lignum; exorta videndi cupiditas ampliorem sibi viam fecit, per quam intromissa manus, cum lumine addito, videndum præbuit Libitinariis primùm, deinde nobis Clercis; tum etiam promiscuis pluribus, feretrum ligneum, transversis repagulis ex ferro cinctum ad pedes, ad medium corpus, & ad caput, muris (ut videbatur) lateritiis conclusum, quo super, non arcuata structura, ut jam solet fieri, sed planus erat lapis appositus. Cujus quidem feretri superiores tabulæ, quæ ad ictum ligonis ferè omnes desederant, invisum faciebant quod in eo continebatur: aliis indistincta quædam proferentibus; aliis, præter tabulas & repagula, nihil aliud videntibus. Nam, quia procul satis erat prospiciendum, vix quisquam discernere quid poterat. Nulli tamen graveolens locus fuit; quin potiùs, jucundum, suavemque illic halitum odorati sunt sagaciores non pauci.

Subito rumor exoritur de Tumulo GERSONIANO; fama volat per ubem; inventum dicitur Sancti cujusdam corpus in Ecclesia D. Pauli; cientur utriusque sexus promiscui absque numero; repletur iterum atque iterum viventibus aperta mortuis tantùm fossa sepulcralis; omnes introspicere cupiunt, interrogant, sermonem habent, mirantur hilares, auditis fidem adhibent, & gratias agunt; maximè post visam effracti ad pedes feretri portionem, quæ divisa propinquioribus, alios faciebat ad quærendum audaciores; ita ut prohibito jam lumine, sermo fieret de obstruendo foribus ostio Templi, aut saltem de complenda fossa vicina, quæ adventantibus undique curiosis ansam præbebat. Interim, horâ datâ, traditur sepulturæ corpus defunctæ de Grassi; redditæ sibi terræ lapis superimponitur; incitantur omnes ad propria; pulsato ære campano, portæ valvis obducuntur. Attamen (quis credat?) succedunt recedentibus nocturni ferè adventantes; queruntur de aditu prohibito; &, quod intueri sibi non licebat, protestantur genibus advoluti pro foribus; vota secretò concipiuntur, de quibus erit nobis sermo deinceps.

Postridie, benè manè, concedunt ad locum vigilantiores quidam, tum etiam alii successivè plures, devoti pariter & cupidi. Quos inter honesta vidua Margarita *le Roux*, altero crure dolens adhuc à nocte diei Sanctis Innocentibus sacri, quâ, conflagrante domo apud Montem-Pessulum, minus, ut videbatur, discrimen elegerat, dejectâ per fenestram; cùm venisset tandem spei Christianæ magis, quàm manibus opem ferentium innixa, & fidelis orasset ad Tumulum per semi-horam; sensit paulò pòst mitigatum valdè cruris dolorem, initio vehementem: posteà erecta in pedes, ac stans, imò & protensum, aut curvum à casu pedem corrigens, iterum atque iterum genua submittens, (quod ei non licuerat à quatuor Mensibus,) iisque positis adorans, atque voti compos; tot habuit secum Divinæ bonitatis præcones, quot deinceps fecit hujus integræ, ac subitæ valetudinis auditores.

Subsecutæ sunt autem hanc primam curationem aliæ statim tres; quas inter, non ignobilis illa, pueri quinque annos nati, qui scambis ab initio cruribus nusquam steterat in pedes. Mater ejus, & Avia convenerant invicem in voto; hæc jejunium, illa Sacrificium promiserat. Mirum dictu! nondum persoluto voto, redux à Parœciali Supplicatione publica, Mater stantem cernit

cernit in pedes puerum, miratur incedentem, ducit ad Ecclesiam, votum solvit, plerique accurrunt, ambulantem vident, non rectis equidem adhuc cruribus, omnes Deum collaudant, & Beatum prædicant JOANNEM GERSONIUM.

Quæ fuit causa posterior, ut, insequenti die Dominica, ex arbitrio Eminentissimi Cardinalis, ALPHONSI LUDOVICI DUPLESSIS DE RICHELIEU, Archiepiscopi & Comitis Lugdunensis, convenirent de nocte quidam ex Dominis Canonicis Ecclesiæ S. Pauli, me, uno incorporatorum secum assumpto; scilicet, ut amoto superiori lapide Tumuli Gersonici, viderent quid haberet inferior capulo superinductus. Nam dubitari poterat de superiore, quantumvis noto, ne hinc inde asportatus, illic tandem relictus esset, aut aliud quid etiam suspicari. Veruntamen, concurrentibus undique parœcis utriusque sexus, & conditionis, atque adeò impedimentum facientibus, ita ut vix posset notari quorundam in parte lapidis apparentium elementorum forma, dilata est res in crastinum.

Qua die, nondum excitatis à somno curiosis, cùm defoderetur humus reliqua, ablato jam priùs lapide superiori, apparuêre quatuor laterum ordines, intrito arenario juncti, æquali ab invicem intervallo positi super totidem divisi lapidis partes unitas, atque compositas: quibus remotis lateribus, quilibet adstantium hæc verba quatuor lineis more Gothico insculpta lapidi sic, ut suprà, diviso, legit semel & iterum, non sine gaudio:

JOANNES DE GERSON
CANCELLARIUS PARISIENSIS.
JOANNES DE GERSON
CANCELLARIUS PARISIENSIS.

Erat autem lapis iste quadripartitus, inferior superiore, duobus saltem pedibus, intermediâ terrâ nulli visus adhuc, ne quidem Hagiomachis, quorum rabies, etsi magna, cesserat majori piorum Lugdunensium studio erga Virum hunc talem ac tantum, quatuor annis de se benè meritum.

Quia verò fractus erat divisis ex lapidibus unus, per quem via fiebat oculis, manibusque ad videndum pariter & tractandum feretrum, & quæ continebat operta superioribus tabulis, quæ, ut jam dixi, subsederant: placuit adstantibus nomine Capituli, ut, deprehenso, quod per rimas venerat ad manum visitantis, aliquo panno serico, & divisâ parte capuli modica, reliqui sibi temperarent omnes, & clauderetur hujusmodi aditus, strepentibus ad januam curiosis ex plebe, cæterisque omnibus deinceps venturis. Nimirum ita caverat Eminentissimus Cardinalis, cui primùm conveniebat hujusmodi thesauri plena lustratio. Unde, reposito super humum sibi redditam lapide superiori, recessêre qui venerant sex, aut septem numero Clerici, læti admodùm, sed implicati satis in media turba conquerentium pariter & flagitanium plura multò quàm fuerant asservata.

Vix credi potest, quantus fuerit exinde concursus; quod, & quale incrementum sensit piorum in Divum suum animus; viso potissimùm, atque tractato, missoque invicem, tum capulo, tum etiam vestimento GERSONIS, quem tanta sollicitudine conditum illic à majoribus, tanto cultum à Regibus honore, audiebant servatum posteris integrum, atque in eo statu, quo fuerat positus. Jam fiebant Missæ privatæ gratiarum actionis, laudis, & honoris Deo debiti super Altare cum Ecclesia restitutum ad parietem, eo sanè in loco, ubi posuerat illud olim Christianissimus Rex Carolus VIII, etsi non sub eodem omninò titulo. Quam privatorum pietatem, ut communis fieret, & nota, positæ sunt ad decimum diem ephemeræ tabulæ in commodum offerentium, simul & aliorum; vocatique ad codicem, cum Clericis de gremio Ecclesiæ, adventitii non pauci, qui numerum æquarent donorum; qui concepta piorum desideria, votaque cum precibus offerrent Summo Parenti, *A quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit.*

Ut autem vidit Eminentissimus Cardinalis, eximiè rem cedere, modumque tenere, quem prudens exspectaverat, singularem; venit ad quintum Calendas Maïas ipse, cum paucis, non dubius, non curiosus, sed sapiens & consultus, quippe qui dubitantes & credulos audierat priùs; venit, inquam, hos laudaturus, illos confirmaturus, omnibus facturus satis in hac causa, quemadmodùm & in publica urbis non semel omnia factus est omnibus. Idcircò testes habuit ex utroque Ordine, Clericali, & Religioso, Viros non levioris notæ, doctrina pariter, & pietate claros: quibuscum ingressus Templum horâ vespertinâ, imò & Tumulum ipsemet solus; obtulit se primùm illi, cæterisque desuper aspicientibus, lapis ille planus inferior, quatuor in partes simul junctas divisus; quem diligentiùs attendentes singuli, legerunt scripta quatuor lineis Gothicis verba jam suprà posita, mira voluptate animi. Tum erecto lapide per adhibitos juvenes, apparuit intra muros lateritios illa ex quercu sandapila, ferreis ac transversantibus cincta repagulis. Cujus remotis tabulis superioribus, & absterso pulvere, qui, vel ex ipsis tabulis imminutis, aut etiam per rimas divisi, fractique lapidis venerat, objecit se oculis intuentium humani corporis moles quædam, calci diutiùs maceratæ similis, undique tecta triplici (ut par est credere) vestimento Sacerdotali; laneo primo; & secundo, quod vix apparebat, lineo; tertio quoque, & superiore, serico Damasceno, austeri satis coloris, quem dicunt, frondis emortuæ.

Quibus diligenter notatis; ut jussus est, qui inspector erat, Sacerdos, & Canonicus, & Officialis Lugdunensis, intima rimari corporis; ecce, apparuêre pili capitis prolixiores satis, alterius quàm germani coloris: quorum pars, quæ occipitii fuerat, adhærebat supposito sibi scamillo ligneo; reliqua circum, superque posita defluxerat à capite; quod, sive quassatum infelici casu tabularum, adeoque subductum; sive etiam audaciore manu asportatum (proh nefas!) aliquam tantùm occipitii speciem, aut figuram præbebat in scamillo supposito. Manus quoque subactæ, quem tenuerant olim caliculum admotum pectori, dimiserant, nisi fortè cadentes ut supra, tabulæ demisissent illum ad latus; ubi & repertus est, oblisus, & quâ par-

parte terram attigerat, ſqualidus, reliquâ penè omni terſus; ita ut nulli, niſi aurifici, perſpecta fieret ejus materia, non aurea, non argentea, ſed ſtannea. Cujuſmodi erat etiam attrita uſu patena, quæ contractam extremis digitis manum habebat in medio ſculptam, tribus primis extentis, velut benedicentem.

Quia verò tibiarum unam deprehendebant adhibiti juvenes; acceſſit qui inſpiciebat, relicta corporis parte media, ut levatum os hujuſmodi traderet in manus Eminentiſſimi Cardinalis. Qui exoſculatum, pro innata ſibi pietate; juſſit reſtitui, claudique Sepulcrum, ſatis eſſe dicens, & ſibi, & cæteris, imò & omnibus, ubi nullus erat locus dubitandi de ſervato his temporibus JOANNE GERSONIO. Fuêre tunc etiam attrectati ejus calceoli bubuli, longiores quidem, ſed ſimplarii, tectique, nec elaborati, quales videmus hoc ſæculo; non ideò tamen minùs pretioſi charique omnibus, quandoquidem unius ex eis pars à Libitinario ſubducta, diviſâque rogantibus importunis, vix tandem ejus fuit.

His ita peractis, diviſaque inter præſentes, ex beneplacito ejuſdem Domini Cardinalis, aliqua parte veſtium, etiam & capillorum, atque capuli, receſſerunt omnes pari cum alacritate fiduciâ in Deum, qui, ne capillum quidem de capite ſuorum perire ſinit; affirmantes ubique, rem ita ſe habere quam viderant oculis, palpandam præbebant manibus amicorum.

Statim, reſeratis Templi foribus, ingrediuntur catervatim, qui obſervabant ad januas, & quod videre ſibi non licuerat, audire cupiunt; obteſtantur Libitinarios; procumbunt in genua ſuper foſſam, oppletionem ejus prohibentes; ſumunt ſibi ex ea; fidem adhibent, & *mirabilem in Sanctis ſuis Deum* prædicant: planè, ut non ſufficeret dies pietati convolantium ad noctem uſque virorum ac mulierum, etiam & Clericorum ex utroque Ordine.

Sufficerent hæc curioſis, niſi etiam ipſi Sancti eſſe vellent.

Audiant igitur, quæ patrata ſunt in gratiam devotorum JOANNIS DE GERSON, poſt ea, quæ ſuprà, ſive Miracula, ſive beneficia, de quibus non ipſi, non ego, non quilibet; ſed is, cui competit, Judex eſto.

Primùm, à receſſu Eminentiſſimi Cardinalis, impenſum à ſe Divo huic laborem gratum, acceptumque refudit, in quos ille teſtes adhibuerat ſuæ viſitationis per urbem. Nam, licèt ea ipſa nocte, qua caliculum JOANNIS probaverat aurifex, puer ejus parvulus, febrili commotione ſubita tentatus, opus haberet dilato in craſtinum ſolatio medico: tamen ut cogitavit mater ejus de vovendo illo GERSONI, cujus fragmenta caliculi duo collegerat, quæ manum viri probantis evaſerant; ut implevit ſummo mane votum quod conceperat, in Templo ſuper Tumulum Gerſonianum, ſanatus eſt omninò puer in reditu, nec opus habuit ad valetudinem, eorum, quæ Pharmacopola præparaverat.

Alius triennis, ilium procidentiam paſſus a tertio nativitatis menſe, convaluit ſtatim à reddito voto parentum ipſis Calendis Maii.

Tertius, etiam triennis, uſu pedum, atque oculorum prohibitus per annum, invocato à parentibus Divo GERSONIO, reſtitutus eſt priſtino ſuo ſtatui.

Quartus, ætate major, interdictum ſibi lumen oculorum ex morbo puerilium puſularum, poſt undecim menſes, recepit ſtatim à voto parentum.

Quintus, octo annorum, febrili calore ſubitò affectus, inter oblatas de more preces ante Tumulum Gerſonianum pro ſalute publica, privataque Regis, (de qua ſuo loco,) liber evaſit in Fide parentum adhibita Beato GERSONIO, cujus calcei particulam ideò appenderant collo pueri.

Etiam & puellæ quædam febre laborantes convaluerunt ipsâ voti nuncupati horâ. Aliæ ſubitò ſteterunt in pedes, quos nunquam fixerant.

Cæteri plures parvuli, quantumvis ignoti, non ideò minora percepêre beneficia. Convenit enim huic puſillorum ſtudioſo, ut quorum olim mentes enutriebat verbo, corpora jam ſanet, quæſtu duplicato.

Sed, non in pueros tantùm beneficus eſt JOANNES DE GERSON: ille, qui grandævus lac potum dabat parvulis, etiam grandiores paſcebat cibo ſolidiore; unde & nunc quoque cura eſt ei de omnibus.

Diximus ſuprà, ſanatam omninò mulierem, quæ à caſu quodammodò ſibi neceſſario claudicaverat extra ſpem remedii humanam. Addamus hìc alios non paucos utriuſque ſexus. Inter eos ille tricenario major, puſtulis ex motu atque itinere malè multùm habens, nullo adhibito remedio periculum evaſit inviſibili Dei manu, quamprimùm in GERSONIS clientelam ſeſe dedit. A quo tempore ſatis infeſto urbi, quamplures eum ſibi, ac civibus Patronum in cauſa ſuis adſciverunt.

Alius quadraginta quinque annos natus; quem non valuerant Medici lenire dolorem totius corporis, & maximè ſtomachi, à Feſtivitate omnium Sanctorum, ampliùs non ſenſit in tertio novendialis comprecationis die.

Mercator & civis non ignobilis, quartana febre laborans quinto jam menſe, adhibitis in caſſum humanis, divina petivit remedia, per oblatum ſibi recèns JOANNEM GERSONIUM: & expleto novem dierum ſpatio, ſenſit, dixit, ſcripſitque manu propria ſe liberatum omninò.

Ruſticus etiam quidam, viginti circiter annorum, ita debilitatus oculis à tempore Adventus, ut nihil tandem videret, (unde & neceſſe habuit, aſino vehi, ducique in urbem facie velata,) dum novendiale penſum obit, paulatim aperit oculos: & jam videt.

Alius, urbis incola, quem alta jam nocte gravior ſtatus apprehenderat totius corporis, linguâ exceptâ, quam cor movebat, ut Deum ſibi faceret propitium; addidit ad Beatam Virginem Dei Matrem, ipſum etiam JOANNEM GERSONIUM; & ſtatim convaluit, miſſo, quem ſui adſciverant, Medico.

Ex mulieribus quoque, præter eam, quæ ſuprà, & aliam, ſive etiam plures, quibus licuit aquam ex caliculo, quantumvis fracto, manantem colligere, ut malè affectis potum darent: una villatica, triginta annos nata, quæ ſignum Chriſtiani hominis, in corde ſervatum, fronti minimè impreſſerat viginti jam annis, brachia movere cœpit, & digitos extendere, non expleto adhuc novendiali.

Alia

Alia, paulò minor ætate, quam aurium stupor tenuerat annis quinque; statim à persoluto voto, quod fecerat, levatum à se hujusmodi impedimentum asseruit.

Novissimè honesta vidua quinquaginta & ampliùs annorum, adhibitis ægro femori, genu tibiæque, fragmentis capuli Gersonici, fructum Fidei suæ statim retulit; acceptam, scilicet, hoc solo remedio sanitatem.

Alia, quadraginta annos nata, brachium quindecim jam diebus tensum ex nervo malè affecto contraxit, invocato cum Fide JOANNE GERSONIO.

Clara etiam in Delphinatu fœmina, quæ tribus ferè mensibus malè habuerat ex adventitio colli, atque alterius genæ tumore non modico; ut sensit se derelictam à Medicis, votum vovit Joanni: statimque levato paulisper dolore, convaluit tandem aliquot post diebus: unde & venit in urbem, accessit ad Tumulum Gersonianum, ut voto defungeretur, & hæc narraret nobis.

Longior essem, si alios proculdubiò plures hìc apponerem, quorum, aut non data nomina; vel etiam nondum expletæ preces novendiales.

Unum tandem addam, quod & Fidem in Gersonem, & animum Gallorum erga Regem suum probat. Periclitabatur his diebus Christianissimus Rex Ludovicus XIII: unde & in Missis adhibebantur omnibus ferè Templis & Aris, privatæ, imò & publicæ comprecationes, in tanti salutem Principis. Hanc ut promoverent devoti quidam cives, (ille potissimùm, qui Psalmum, *Miserere mei, Deus*, pro se suisque recitans super Tumulum Gersonianum, affectu quodam subito verterat animum ad rem Galliæ publicam,) in privata Missa ideò facta super Altare ante dictum Tumulum, sacram Eucharistiam, expiatione prævia, sumpserunt non semel.

Alius, & ille quidem sanguine, ac virtute clarus, ex familia gentis Grossanæ, Regius Eques Torquatus, continuato novem deibus Sacrificio Eucharistico, cum adjuncto Psalmo, *Exaudiat*, quem cum celebrante recitabat ad Altare suprà nominatum, religiosè pariter, ac publicè obsecravit pro hujusmodi salute Regia.

Quam etsi nec ille, nec alter, nec alii ferè omnes impetrare valuerunt, (non enim convenit semper,) quid vetat dicere? quod piè credi potest, ægrotanti Ludovico meliùs factum esse pluries operâ Joannis, etiam nunc Oratoris Regum nostrorum; aut saltem prorogatos illi vitæ dies, intuitu ejus, cui chara fuit semper Gallorum, & maximè Regiorum Principum vita: nimirùm, ut qualis vixerat exemplo Gersonis Ludovicus, talis etiam post eum decederet *Rex pius, fortis, ac justus.*

Adeste nunc igitur, Lugdunenses; adeste, Galli; venite & vos, Advenæ; properate, quotquot estis in Orbe Gersonitæ. Videte superstitem in Tumulo Joannem Charlierum, contra spem in spem servatum: & quem latentem vocabatis, quasi non esset; jam visum, ut diximus, & *Gloriosum*, credite *Beatum*; *Divum* colite, quem *Pium*, & *venerabilis memoriæ* Gersonem dixistis cum veteribus.

Sed nuntiate visum filiis, prædicate posteris beneficum, etiam nunc. Dicite omnibus, & singulis, Virum hunc talem ac tantum, esse illum puerum Rhemensem, precibus datum parentum; precibus assuetum, quia sic educatum; precibus fratres ac sorores Christo lucratum; precibus formantem filios patrum; precibus eorum inter docendum, orandum, ministrandum contentum; precibus etiam suis (dicam & meritis) revelatum his temporibus, ad majorem Dei gloriam, & vestrum speciale commodum.

Nimirùm, ut filii Parentem ament; Magistrum audiant discipuli; clientes Patronum habeant; omnes restitutum sibi Divum frequentent; colant beneficum; etiam & relevent, implentes opere, quod Majores mente conceperant.

Suspiciant juvenes benè natum JOANNEM, traditum Gymnasio Parisiensi bonis Artibus instituendum, ac deinde convolantem ad studium Legis divinæ, sacrarumque Literarum: sed mirentur, quem Trithemius dixit, *Ingenio subtilem, vitâ & conversatione insignem*: quem Collegium Navarræ scripsit, *Fortem in laboribus*, atque *in zelo ferventissimum*; *alios* quoque *brevi tempore longè superantem* æmulentur; sed *modestum & humilem, servata semper*, & ubique *morum integritate.*

Legant tyrones *Oratorem, atque Poëtam*, juxta Sixtum Senensem, *suo tempore insignem: qui*, ex eodem Thrithemio, *metro, & prosâ scripsit Opuscula multa præstantissima, quibus nomen suum apud posteros immortalitatem semper obtinebit; quorum lectio devotis, & religiosis Viris non minùs est utilis, quàm jucunda: præter alia minora quidem, sed valdè utilia, etiam Gallicè scripta*, dicit JOANNIS frater Joannes in Epistola ad Fr. Anselmum, *quæ ad notitiam nostram non pervenerunt, & alia multa, quæ deperierunt.*

Versent eruditi *Virum*, addit Trithemius, *sæcularis Philosophiæ non ignarum; in divinis Scripturis eruditissimum; Theologum, sermone quidem Scholasticum, sed affectu Mysticum; sententiâ certum, & stabilem; ac dubiorum clarissimum interpretem. Qui multa nobilia volumina*, subjungit Sixtus Senensis, *in divinas Literas, stylo non injucundo conscripsit, in quibus ita scholasticas subtilitates dulcibus Mysticæ Theologiæ affectibus miscuit, temperavitque, ut addubitandum sit, an eruditione pietatem, vel pietate eruditionem superaverit.*

Audiant omnes *Doctorem* à coævis dictum *Evangelicum, Christianum*, propter ejus docendi rationem. *Neque enim*, pergit in dicendo Navarrense Collegium, *inhærebat curiosis speculationum ambagibus, neque circa vanam subtilitatum ostentationem sollicitus, aut in novitatibus adinveniendis turgidus fuit. Versabatur autem in his studiis, quæ ad Dei laudem, ad Fidei robur, ad plantandam Ecclesiam, ad conscientiæ pacem, ad morum ædificationem, ad animarum salutem utilia & necessaria esse videbantur. Et quia utilitati proximorum ex toto corde inserviebat; nullius privati commodi affectione ductus, absque assentatione, & absque contemptu cujuscumque Doctoris, qui eum præcesserat, veritatem docuit, non adulterans verbum Dei; sed ex syncer itate prædicans: plurima quoque in monumentis post se reliquit, quæ omnium statuum hominibus, quæ Semini-verbiis, quæ Ecclesiarum Curatis, quæ Viris etiam contemplativis vehementer conducunt.*

Felix es quidem titulo multiplici, GALLIA; sed maximè solo natali tot Sanctorum, Beatorum, ac Piorum, vitâ, factis, dictis, atque scriptis illustrium.

Felix & tu, CIVITAS RHEMENSIS, quæ JOANNEM CHARLIERUM, Gersoni natum, advenam simul & indigenam habuisti.

Felices parentes Gersoniani, quibus hoc datum est ex gratia, ut GERSONEM in Dei gratia & amore sollicitè educatum, gratiosum ex nomine daretis, & vestris, & Gallis, & advenis.

Felix Gymnasium Parisiense, in quo formatus, atque excultus CHARLIERUS; adeptâ primùm Laureâ Doctorali, Cancellarius evasit, atque Canonicus, ejuratione favorabili Magistri sui Petri de Alliaco; sive potiùs Dei providentiâ ineffabili: dignus planè, qui huic etiam Cardinali succederet.

Felix tu quoque, CIVITAS PARISIENSIS, que GERSONEM, etiam Plebanum audisti; BRUGENSIS, quæ suspexisti *Decanum*; ROMANA, quæ *Legatum à Rege Christianissimo, & Academia*, ut refertur in ejus Vita, suscepisti, *ad promovendam unionem, ac pacem Ecclesiæ*; TARASCONENSIS, & MASSILIANA, quæ Concionantem coram Summis Pontificibus audistis; PISANA, quæ huic *Oratori Galliarum* locum dedisti in Concilio tuo generali; cujus tu vocem audisti dicentis (ex Annalibus Minorum) *convenisse*, non quidem ad Conventiculum, sed *ad Concilium generale, Patres Dei nutu, Sanctique Spiritus instinctu ductos.*

Et tu, CONSTANTIENSIS CIVITAS, etiam felix, in qua *contra schisma periculosissimum*, ait Bibliotheca Collegii Navarrensis, *utilissima multa, non solùm scripsit JOANNES; sed etiam diligentiâ incredibili, & vehementissimâ vi dicendi ad communem Ecclesiæ pacem Reverendissimos & Amplissimos Patres movit, & induxit.* In cujus Concilio generali *damnatas paulò antè ab Episcopo Parisiensi propositiones*, addunt citati suprà Annales, *recensuit, ex parte Caroli VI Franciæ Regis, cujus fratrem Ludovicum, Ducem Aurelianensem occiderat Dux Burgundionum; recensuit*, inquam, *& instituit, ut* Joannis Parvi (qui responderat ex parte Burgundi homicidæ) *libellus famosissimus, mortifer, hæreticalis*, verba sunt ipsius GERSONIS, *eraderetur è memoria populi Christiani.*

Decebant hæc talem Virum, *Pacis amantem; virtutis, ac Patriæ propugnatorem acerrimum*, qualis dicitur in memorata Vita; *pro extirpatione hæresum gloriosè laborantem*, ait Trithemius; *firmum, ac imperterritum; adeo ut pro ipsa sancta & Christiana veritate tuenda*, subjungit Collegium Navarræ, *potentissimum Principem, Mecœnatem suum non metuerit*, imò, *tum justissimè deseruerit*, additur in contextu Vitæ, *quamprimùm novis rebus studere, & Galliam factionibus conturbare perspexit.*

Sed longè felicior es; CIVITAS LUGDUNENSIS, quæ Domino Delphino contra factiones Burgundionum tunc favens, JOANNEM CHARLIERUM, *post aliquot dierum latebras pulsum in Germaniam, occasione quærentium se ad necem perditorum*, ut legitur in citata toties Epitome Vitæ; *dissoluto* quoque *Concilio Constantiensi, domo, patriâ, cognatis, amicis, dignitatibus, rebusque propriis, pro veritate tuenda privatum*, addit Trithemius, *atque multis insidiis expetitum; necessitate compulsum, & ad te confugientem, post petita montana Bavariæ*; tunc verè GERSONEM, quia peregrinum & exulem, suscepisti læta, sinu fovisti mater; pavisti benefica; civem & Doctorem habuisti quatuor (& utinam pluribus) annis; Patrem & Magistrum coluisti; mirata solitarium in magna populi tui frequentia, vidisti *coaptantem animum suum quietum*, verba sunt Joannis fratris, *variis hominum statibus, nunc prosperis, nunc adversis, omnibus omnia factum:* flevisti quoque cum deflente miserabilem cladem Regni Gallici, quod intestinis, & civilibus bellis tunc dirumpebatur, (ait ipse JOANNIS frater;) hominem tandem in ipso quietis tempore minimè quietum, præmisisti Patronum ad loca quietis; & non tam planxisti mortuum, quàm viventem in Beata Sanctorum Regione credidisti; nunc quoque sentis, imò & præbes exteris eum, *cui soli*, viventi adhuc, à te amato pariter atque amanti te, *omnes divini amoris affectus*, ut optimè Sixtus Senensis, *in numerato fuisse videbantur.*

Quid verò de te dicam, COLLEGIATA D. PAULI ECCLESIA, GERSONIS amans? Tu eum corpori Curialium tuorum additum, etiam adoptasti in Canonicum. Tu Cathedram cum Sede, Mensam cum Altari, cætera quoque necessaria, sine dubio, præbuisti ei. Tu concionantem audisti; Catechistam, & Ministrum Sacramentorum dedisti Parœcis. Tu communibus in Templo precibus tuorum eum aggregasti. Tu pompâ funebri comitatum, mœsta simul, & pia posuisti in tradito gratis ei Tumulo, quem deinceps omni petenti denegasti; præscia scilicet futuri quandoque cultus ejus.

Non fuisset tibi satis, authorem habere fabricæ tuæ materialis D. Sacerdotem Archiepiscopum, nisi etiam pium Sacerdotem JOANNEM GERSONIUM habuisses ædificii spiritualis institutorem. Et quæ gloriaris inauguratione mirabili Templi D. Paulo dicati, nunc quoque gaudes depositione (dicam & illustratione) chari tibi JOANNIS in conjuncta Apostolo Æde S. Laurentii Martyris. Nimirùm, ita disponente Deo, ut sicut illa Pauli, suæ Divinitatis est Domus; ita hæc Laurentii foret Sanctitatis suorum, per quam via esset ad illam: & utraque Domus hæc terrena, dilecta Davidi, Paulo, Laurentio, Joanni, Tabernacula æterna concupienda nobis proponeret.

Ergo GERSONEM suscipite Cancellarium, Doctores; *Regium in Causis Fidei, Legisque Christianæ Legatum*, Oratores: habete *Curionem*, Parœci; *Magistrum, & Archipresbyterum*, Curiones. Sequimini hunc *Sacerdotem*, Ecclesiæ Ministri; suscipite *Decanum*, Canonici; attendite, Clerici, *Canonicum.* Omnes credite *Virum verè Christianum*; &, quem miramini *temporum suorum perditissimorum singulare sydus*, ex Vita ejus, dicite deinceps æterni Solis radium, & quasi stellam matutinam in medio nebularum.

O utinam tales habeat Ecclesia Clericos; Academia Doctores & Cancellarios; Gallia Legatos & Oratores; *qui pari cum peritia utantur gravitate, mirâ*, scilicet, qualis illa JOANNIS, ex Vita ejus; *qui incrementum, & decorem utriusque status apprimè diligant; qui justitiam, & veritatem ament*, exemplo GERSONIS, in Epitome Collegii Navarrensis. *In quibus*, quod etiam de ipso dixit suprà memoratus Du Saussay, *nescias plus raram sapientiam, ac indefessum in procuranda Ecclesiæ unitate studium; an pietatis eximiæ decus, & vitæ purissimæ nitidam seriem debeas admirari.*

Finio tandem, & dico vobis Lugdunensibus, dico Gallis, dico advenis, omnibus dico, majorem his omnibus JOANNEM, majori quoque dignum esse honore, cùm honorificet eum Deus, etiam nunc. Unde, & post superiora collata Patribus, hæc, aliaque plura beneficia præstantur vobis, ut religiosum Avorum in nepotibus renovent, foveant, imò & augeant animum

mum erga concessum nobis pariter, atque illis, CHARLIERUM GERSONEM. Cujus expetita spolia, etiam minima, non minore cura servari debent à possidentibus hodiernis, quàm fuerunt à piis parentibus recondita. Quem pietate, dum viveret, ac Miraculis post mortem olim celebrem habitum, scriptumque; nunc etiam, & in posterum sentietis beneficum, si, quod ille vivens monuit, impleveritis morituri: *Pœnitemini*, aiebat post Christum, *& credite Evangelio*; si credentes, & cum fiducia petentes amaveritis; si sobriè, & justè, & piè vixeritis exemplo GERSONIS.

In quo laudandus iterum, & æternùm Deus, *Justus in viis suis omnibus, & Sanctus in operibus*; qui, cæterorum Reliquiis Sanctorum (quibus ferax erat Lugdunensis Ecclesia,) vel asportatis, vel deperditis, JOANNEM servavit hucusque GERSONEM, advenam Gallis, Gallum advenis, oppidanum Lugdunensibus, Clericis Canonicum & Sacerdotem, Parochum Curialibus, Academiæ Cancellarium, Oratorem Regibus, Ecclesiæ Legatum; uno verbo dicam, Cleri lumen, Galiæ columen, ubique Pium, deinceps Beatum, ac Divum, nunc quoque Gloriosum. Ideò, nempe, ut Gallorum, ut civium pariter & advenarum, ut Curialium, ut Clericorum, ut Doctorum, ut Regum & Principum, ut omnium CORDA SURSUM trahat, quæ direxit vivens; mentes & corpora sanet, quorum curam egit priùs; rem augeat temporalem; spiritalem obtineat Urbi, Orbi, Regique Gallico, Ecclesiæ.

F I N I S.

AD ZOILUM
GERSONIANUM,
ANAGRAMMA DUPLEX,
uno conclusum EPIGRAMMATE.

JOANNES CHARLIERUS DE GERSON.
ERRAS: EN SONUS CHARI GEDEONIS.
INHORRENS HÆRESEON GLADIUS.

ERRAS, *ô Amalech; Madian, tu somnia narras;*
Jam fuge: quid Sanctis impia castra moves?
EN SONUS, & lampas CHARI GEDEONIS INHORRENS
Vitâ, voce, actis, HÆRESEON GLADIUS.

ERRATA

ERRATA

Tomi I. Operum Gersonii.

Pagina 10. Linea 55. Potetestate *lege* Potestate
p. 11. l. 42. que *lege* quæ
p. 17. l. 44. Augeltini *lege* Augustini
p. 24. l. 6. probiliora *lege* probabiliora
p. 30. l. 61. justos *lege* istos
p. 48. l. 7. vederis *lege* videris
p. 61. l. 39. arte *lege* mente
p. 63. l. 50. censit *lege* censet
p. 66. l. 45. convertunt *lege* conveniunt
p. 68. l. 10. exnaniri *lege* exinaniri
ibid. l. 34. proprinatur *lege* propinatur
p. 73. l. *antepenult.* predidit *lege* perdidit
p. 88. l. 57. morali *lege* mortali.
p. 93. l. 26. non sufficiente *lege* vel non sufficiente
p. 97. l. 51. Lanctantius *lege* Lactantius
p. 98. l. 21. singularitatis *lege* singularitas
p. 99. l. 51. consulatorio *lege* colatorio
p. 100. l. 54. in est *lege* inest
Ibid. 63. quam quod *lege* quomodo
p. 101. l. 38. *post* suum esse *adde* formale
p. 102. l. 21. *dele hac verba* qui scilicet usus vel
p. 108. l. 66. Morabilus *lege* Moralibus
p. 138. l. *antepenult.* ferri *lege* quo ferri. *vel* ad quod ferri

In Appendice, corruptos locos sic emenda.

p. 502. l. 52. *in hiatu supple* cum donis
p. 593. l. 56. *in hiatu supple* cœlestium
p. 623. l. 39. *in hiatu supple.* Extra
Ibid. l. 56. *hiatum tolle* & Mo.
Ibid. l. 57. *lege* Monologii
Ibid 67. Mon. *lege* in Monologio
p. 777. l. 4. Ray... *lege* Raymundum
Ibid. l. 35. Altissimus *lege* Altisiodorensis
p. 824. l. 8.* quemcunque *lege* quandocumque
Ibid. l. 38. quia sicut maximè *lege* qua esset maximè
p. 829. l. 29. Sortes *Hic & alibi lege* Socrates. *Sic enim scribitur in MS.*
Ibid. l. 30. Phinno *lege* Polemo
p. 836. l. 67. cum illud *lege* capitulum. Ibid. *dele* **. p. 68. *dele* &c.
p. 838. l. 44. unum *lege* hinc
Ibid. l. 47. dele **
Ibid. 68. ista *lege* an
p. 850. l. 47. amoris *lege* amica
p. 861. l. 12. dicta **. *lege* dicta conclusio
p. 865. l. 60. *nihil est corruptum*
p. 866. l. 7. sacrificati *lege* sanctificati
Ibid. l. 51. Unum *lege* Unde. *Sequentia sic lege* l. 53. quando si quis esset, notandum quòd iste Doctor maximus, qui suum Evangelium recepit à Christo, ut ipse scribit *ad Galat* 1. dilectum discipulum suum Timotheum ita de eo instruxisset &c.
p. 867. l. 63. Puta *lege* prætereà
p. 868. l. 40. perficere *lege* perfectæ.
p. 898. l. 25. factura *lege* statuta
p. 905. l. *penult.* in Fide sonent Papam *lege* in Fide malè sonent contra Papam
p. 906. l. 33. pro mortali *lege* prædicarunt
Ibid. l. 34. * propterea eorum *lege* propterea tenuerunt
p. 915. l. 36. & 37. ad humilitatis gratiam *lege* per humilitatis affectum ad gratiam
p. 916. l. 9. deducta *lege* deducam

JOAN.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

OPERUM

TOMI PRIMI

PARS PRIMA,

COMPLECTENS

SCRIPTA

Quæ ad Theologiæ tractandæ Methodum, Regulas & Fundamenta pertinent.



JOANNIS GERSONII


Doctoris & Cancellarii Parisiensis

PROPOSITIONES

DE

SENSU LITTERALI
SACRÆ SCRIPTURÆ
ET DE CAUSIS ERRANTIUM.

In capite lucubrationum Cancellarii visum est hanc apponere, in qua investigandi litteralis Scripturæ sensus & vitandorum errorum leges præscribit. Nullum habuimus manuscriptum codicem ad quem conferretur, & tamen emendata sunt nonnulla quæ irrepserant errata.



Q*UI autem blasphemaverit in Spiritum-sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.* Marci 3. 29. Quædam sunt in aliis lectionibus super hac particula textûs Marc. 3. quæsita & exposita. Expositæ sunt, inter cætera, species peccati in Spiritum sanctum, quæ à Doctoribus communiter assignantur esse sex; & declarata est ratio. Inter illas verò species peccati quod textus noster appellat *æternum delictum*, numeratur impugnatio veritatis agnitæ, non quod veritas sub ratione quâ veritas, possit à quoquam impugnari plus quam nequit ipsa bonitas in esse tali à quoquam odiri: neque enim haberet veritas hoc modo rationem aliquam malitiæ vel impugnabilitatis.

Contingit nihilominus veritatem etiam cognitam impugnari sub alia ratione: ut ratione dicentis qui habetur odio; vel ratione effectus ex veritate consequentis: ut quia per eam fit homini damnum aliquod temporale vel inhonoratio. Sic Judæi veritatem de Christo priùs cognitam impugnaverunt postmodum, propter odium ejus vehemens & radicatam invidiam; & quia veritas per eum prædicata, culpabat avaritiam eorum atque superbiam. *Audiebant* (inquit Evangelistarum unus) *hæc omnia Pharisæi & deridebant eum, quia avari erant*: erant similiter arrogantes & superbi. Et quoniam nostris, proh dolor! temporibus videtur invaluisse species hæc *æterni delicti*, quæ scilicet est impugnatio veritatis agnitæ, nedum in Anglia, nedum in Scotia, nedum in Studio Pragensi & Alemania; sed etiam, quod dolet & pudet, in Francia: proposui
A quædam adducere valentia ad impugnationem doctrinalem, & consequenter ad eradicationem judicialem peccati hujus tam enormis, quod non habet remissionem in æternum. Ampliùs, quia seminatores hæresum talium & impugnatores veritatis quam agnoscunt vel agnoscere deberent, cum se Catholicos profiteantur, dicunt fundari dicta sua in Scriptura sacra, & ejus sensu vero litterali, quam solam Scripturam dicunt se velle insequi & admittere, rejectis & pro nihilo habitis quibuscumque Constitutionibus aliis vel scripturis Decretorum vel Decretalium, quas appellant apocryphas & Christo adversas: considerandum erit imprimis quis dicendus sit sensus litteralis Scripturæ sacræ, & qualiter est investigandus & tenendus: considerandum erit
B proinde magis in particulari de ipsis erroribus, nostro tempore, vel inventis vel renovatis, & de caussis vel cautelis eorumdem. Sint igitur pro prima consideratione nostra principali propositiones quæ sequuntur. Propositio prima. Sensus litteralis sacræ Scripturæ semper est verus. Patet, quia ex illo solo sumi potest efficax argumentum secundum Augustinum & Hieronymum & hoc non habent negare etiam adversarii cum quibus agendum est. Oppositum hujus est nuper Parisiis condemnatum: & reputata est expositio vel allegatio distorta, quæ inducit ad hoc, illud Apostoli: 2 Cor. 3. 6. *Littera occidit* &c.

Secunda. Sensus litteralis sacræ Scripturæ accipiendus est non secundum vim Logicæ, seu Dialecticæ, sed potius juxtà locutiones in Rhetoricis sermonibus usitatas, & juxtà tropos & figuratas locutiones, quas communis usus committit, cum consideratione circumstantiarum litteræ ex præcedentibus & posterius appositis. Habet enim Scriptura sacra sicut moralis & historialis scientia suam Logicam propriam, quam Rhetoricam appellamus. Unde Augustinus super hac re librum perutilem & elegantem composuit quem intitulavit de Doctrina Christiana, & in quatuor volumina condistinxit. Enumeravit inter alia septem regulas Tichonii, quas appellavit claves ad elucidationem & expositionem sacræ Scripturæ necessarias. De his etiam loquitur Nicolaus de Lyra in principio Postillæ suæ super Bibliam. Tractavit insuper de hoc sensu litterali Magister H. de Heuta in una quæstione Prologi super Sententias. Tertia. Sensus Scripturæ litteralis judicandus est, prout Ecclesia Spiritu-sancto inspirata & gubernata determinavit, & non ad cujuslibet arbitrium vel interpretationem. Unde Augustinus contra Epistolam Fundamenti: *Evangelio non crederem*, &c. Nota quod resolutio finalis saltem declarativa est ad Ecclesiam & ad Concilium eam repræsentans, quia quod Evangelium Marci sit Evangelium Christi plus quam Evangelium S. Thomæ vel Nicodemi, credimus ex Traditione Ecclesiæ. Unde & Apostolus: Galat. 1. 8. *Si quis aliud evangelizaverit, etiam Angelus de cœlo, anathema sit* &c. Quarta. Sensus litteralis Scripturæ, præsertim in sermonibus moralibus utitur plerumque indefinitâ pro universali, juxta communem modum accipiendi. Utitur insuper aliis locutionibus figuratis prout modo dicebatur: propterea talis indefinita locutio non excusat semper asserentem à falsitate, supposito quod sit in aliquo particulari casu verum, illud quod indefinitè positum est. Quinta. Sensus logicalis verus in assertione theologica, non excusat asserentem quin talem assertionem debeat revocare, si falsa sit in sensu theologico litterali, aut si sit scandalosa, vel piarum aurium offensiva, aut aliter malè sonans: hæc sequitur ex prædictis. Sexta. Sensus litteralis sacræ Scripturæ fuit primò per Christum & Apostolos revelatus & miraculis elucidatus, deinde fuit per sanguinem Martyrum confirmatus; postmodum sacri Doctores per rationes suas diligentes contra hæreticos diffusius elicuerunt prædictum sensum litteralem & conclusiones ex illo clarius vel probabilius consequentes; posteà successit determinatio sacrorum Conciliorum, ut quod erat doctrinaliter discussum per Doctores, fieret per Ecclesiam sententialiter definitum. Appositæ sunt tandem pœnæ per Judices tam Ecclesiasticos quam Seculares, contra eos qui proterva temeritate nollent Ecclesiasticæ determinationi subjacere. Et hoc necessaria provisione factum est, quoniam in ratiocinando & altercando adversus veritatem non est apud multos finis. Septima. Sensus litteralis si & dum expugnatur temporibus nostris, in his quæ sunt jam apertè per Ecclesiam determinata ac recepta; non oportet agere curiosis ratiocinationibus adversus impugnatores; sed statutis punitionibus uti, ut patet ex ultima particula propositionis præcedentis. Octava. Sensus litteralis sacræ Scripturæ si reperitur determinatus & decisus in Decretis & Decretalibus & codicibus Conciliorum, judicandus est ad Theologiam & sacram Scripturam non minus pertinere quam Symbolum Apostolorum: propterea non est spernendus tanquam humana seu positiva constitutione fundatus. Et in hoc errant penè omnes hæretici, qui post compilationem Decretorum & Decretalium invaluerunt: videntes enim quod errores sui sufficienter coarguuntur per sententias Doctorum & Summorum Pontificum & Conciliorum generalium, dicunt omnes tales Scripturas apocryphas esse vel falsas, nisi ostendatur quod sint expressè in Scriptura sacra: & ita consequenter negant quatuor Doctores & Concilia, putantes quod ex sacra Scriptura convinci non possint. Verum est quod ex adverso quidam inveniuntur, nolentes vel nescientes distinguere in ipsis Decretalibus & Decretis, ea quæ sunt de Jure divino propriè dicto, ab his quæ sunt de Jure purè positivo, vel de Jure propriè naturali, vel de mixto

A Jure ex pluribus. Super qua re, tam in lectionibus quam in collationibus, pro commendatione Dominorum Juristarum sæpe locutus sum, quantum mihi datum erat & utile videbatur. Siquidem ignorantia hujus rei turbationem in Ecclesia induxit plusquam dici possit. Nona. Sensus litteralis quamvis sit in multis, præsertim in his quæ sunt necessaria ad salutem, satis expressus in libris sacræ Scripturæ, vel ex illis evidenter consequatur apud eruditos in eisdem libris: nihilominus expedivit tales sensus sub certis articulis compendiosè in publicum tradere, quemadmodum de Symbolo Apostolorum & Athanasii factum fuisse cognovimus. Exigit hoc maxime communitas rudis hominum, & capitum seu judiciorum varietas, prout deducit sanctus Thomas in principio Summæ contra Gentiles. Decima. Sensus litteralis sacræ Scripturæ rationabiliter explicatur apud

B Studia generalia, & in cæteris Diœcesibus nedum per totam Ecclesiam, sed per Diœcesanorum sententiam cum consilio Doctorum Theologorum in eisdem Studiis degentium. Quæ ratio, quâ scilicet effrenis quorundam libertas in loquendo & docendo taliter compescatur, quoniam apud Theologos debet esse præscripta loquendi forma, sicut tradit Augustinus: ***Liberis**, inquit, **verbis utuntur Philosophi, & in rebus ad intelligendum difficilibus offensionem piarum aurium non pertimescunt**, **nobis autem ad certam regulam loqui fas est.*** Nota de Studio Parisiensi & articulis ejus. Nota de Anglia, Scotia & Praga. Nota de Godfrido de fontibus & de quæstione quam tractat, & qualiter argumenta sua non concludunt. Undecima. Sensus litteralis quorumdam articulorum ut præcisè declaratus per unum Episcopum etiam cum consilio Doctorum, si negetur esse Scripturæ, non redditur ex hoc præcisè ipse negans hæreticus;

C sed pœnas appositas talis incurrit si sit diœcesanus, & ad revocandum rationabiliter condemnatur. Probatur prima pars, quia potest ad Papam appellare ex causis rationabilibus in casu, immo & à Papa ad Concilium generale. Ratio est, quoniam nec Papa nec Episcopus aliquis est sic confirmatus in Fide de lege communi, quin possit errare. Duodecima. Sensus litteralis sacræ Scripturæ si negetur esse verus, & impugnetur tam verbo quam facto, per illos præsertim qui subsunt Prælatis & Inquisitoribus qui sensum talem declaraverant esse de sacra Scriptura; consurgit, ut frequenter, vehemens suspicio contra tales, quod sint hæretici, scilicet quod habent depravationem in intellectu per errorem, & in affectu per incorrigibilitatem vel pertinaciam. Ratio est; primò, quia præferunt sensum suum judicio prudentiorum & sapientiorum. Transgrediuntur etiam terminos quos ponunt Patres eorum. Altera ratio est;

D dum ea quæ determinata vel declarata sunt per Judices & Concilium Fidei, sunt talia quæ debent explicitè credi per illos & ab illis qui contradicunt. Exempla sunt manifesta in articulis Parisiis condemnatis, quorum plurimi sunt de articulis Fidei quos quilibet adultus & capax rationis conversans inter Christianos tenetur explicitè credere; sicut quod Deus est trinus & unus, quod resurrectio mortuorum erit, quod fornicatio est peccatum mortale, quod mundus fuit creatus & non ab æterno, & ita de plurimis. Sic etiam temporibus nostris condemnatæ sunt assertiones aliquæ, quarum oppositas quilibet capax rationis, & conversans inter Christianos, ut communiter explicitè credere constringitur;

tur; sicut quod juramentum licitum est tenendum, quando non vergit in detrimentum salutis æternæ: quod homicidium non est licitum nec approbandum, quando fit absque judiciaria & legitima auctoritate: quod Rex non debet remunerare homicidia & perjuria, & ita de similibus.

TRANSEAMUS consequenter ad dicendum aliqua de causis errorum & cautelis errantium. Et dicamus summatim & velut ab alto, quod omnium errantium primaria radix & principalis origo fuit & est, inordinata affectio, vel voluntatis depravatio. Hoc vidit Augustinus dicens: *Approbare falsa pro veris non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.* Declaramus præterea istud, quod nunc diximus & intendimus, & hoc narrando potiùs quam disputando vel conclusivè loquendo. Ecce primò, quod error omnis in Lucifero & complicibus Angelis provenit ex damnatione voluntatis vel affectûs per arrogantiam, & superbam in seipsis complacentiam, prout declarat Augustinus in suo de Civit. & docent communiter in 2. Sententiarum. Ecce quod Eva idcirco erravit, quia curiosè concupivit *fructum pulchrum visu & ad vescendum suavem*, Gen. 2. 9. ita ut consequenter delapsa sit in hunc errorem, ut crederet fieri *sicut Deus sciens bonum & malum* &c. ibid. 3. 22. ut etiam revocaret in dubium divinam sententiam quam absolutè tenebatur credere, *Ne fortè*, inquit, *moriamur.* Ecce Adam qui etsi non seductus sit sicut mulier, prout dicit Apostolus; seductus tamen in hoc fuit secundum Doctores, quod nolens contristari delicias suas, scilicet conjugem, credidit veniale & quasi pro nihilo esse illud quod erat mortale. Sic habemus quod superbia & quædam sensualis complacentia inducunt errores. Consideremus invidiam & iram ipsius Cain adversus Abel, & inveniemus quod propter eam Cain cecidit in hunc errorem & alios multos, quod credidit peccatum suum majus esse quam divinam misericordiam. Sic post eum erraverunt plurimi, tam ex Judæis quam ex vocatis Christianis, qui dicebant non esse pœnitentiam vel salutem post certum numerum vel vices peccandi; sicut Augustinus & Nicolaus de Lyra notant. Et sicut aliqui exposuerunt illud Apostoli ad Hebræos: *Impossibile est eos qui semel lapsi sunt* &c. Heb. 6. 4. Consideremus præterea (sicut jam tactum est) quod propter invidiam Judæi priùs habentes notitiam de adventu Christi, corruerunt in oppositos errores de Christo, dicentes quod erat *Samaritanus dæmonium habens*, Joan. 8. 48. *vorax & potator vini, & publicanorum amicus.* Matth. 11. 19. Similiter posterioribus & etiam modernis temporibus, quidam reputantes se justos, & considerantes vitam Prælatorum & Sacerdotum subjectam esse multis vitiis & pravis moribus, aperuerunt viam suis erroribus, sicut experientia docuit mille modis. Et ad ostensionem hujus & confirmationem eorum quæ diximus, inseramus hic verba formalia quæ auctor Summæ de vitiis & virtutibus, posuit in Tractatu de Fide. Prima causa erroris est ignorantia capacitatis intellectus humani: quidam enim non attendentes limitatum esse intellectum humanuth, credunt eum capacem esse omnium, & ideo credunt illud non esse quod ab eo non capitur: sicut si aliquis crederet circulum solis omnia continere, ipse crederet illa non esse quæ infra circulum illum non continentur. Simills error est in illis qui credunt non posse esse scientiam de magnitudine solis & lunæ & stellarum, quia ipsi non habent eam. Secunda, est aversio intellectûs à credendis, & ab his quæ possunt hominem inducere ad credendum, & conversio ad errores. Quidam enim sic amant errores suos; ut contraria eis non velint cogitare vel audire. Prov. 18. *Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde ejus.* Non est datum homini videre post tergum suum, nec videre sine intuitu, sic nec intelligere ea, à quibus intellectus se avertit. Nolunt audire, qui sunt in erroribus, aliquid de miraculis, nec sacra eloquia, nec rationes Doctorum quibus possunt ad veram Fidem induci; ideo non est mirum si remanent in erroribus suis. Tertia, est rerum subtilitas & intellectûs grossities. Qui turbidum habet visum, pilum qui ab aliis videtur non videt, non ideo contendere debet eum ibi non esse. Non videt visus humanus quicquid videt aquilinus. Quarta, est distantia à credendis, quidam enim commorantur in sensibilibus, qui longè sunt à credendis quæ sunt invisibilia, non appropinquantes ad illa, nec studio, nec exercitatione; ideo non est mirum si illa non vident, ipsi sensum volunt habere ducem ad credenda, qui cæcus est, quantum ad ea. Unde sic disputant de spiritualibus, sicut cæci de coloribus. Bernardus super Cantica. *Quomodo lux in cassum circumfundit oculos clausos vel cæcos, sic animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.* Augustinus. *Deus lux est non corporum, sed mentium, hanc lucem qui non videt, est quasi cæcus in sole.* Quinta, est negligentia quærendi Dei adjutorium ad ea credenda. Fides non est naturalis, immò est in electione divinæ bonitatis & donum gratuitum. Si esset naturalis, eadem esset apud omnes, nec esset tanta dissensio de ipsa quanta est, ideo à Deo petenda est. Marci 9. *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.* Eph. 2. *Gratia estis salvati per Fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est.* & 1. Joan. 5. *Dedit nobis sensum ut cognoscamus Deum verum.* Sicut sol non videtur nisi ex lumine suo: sic Deus ex luce gratiæ quam infundit. Sed aliqui sunt ut vespertiliones solem non videntes de nocte quando volant, quia tunc sol non lucet super terram; de luce verò cum non vident quia tunc dormiunt. Sic isti solem intelligentiæ ideo non vident, quia in nocte sunt, cum ipse eis non luceat lucem gratiæ infundendo, non propter hoc affirmare debent eum non esse. Sexta, est obstaculum peccati; quidam enim immunditiâ operum suorum quasi objectu manuum lumen Solis intelligentiæ à se repellunt. Job. 24. *Ipsi rebelles fuerunt lumini.* Septima, est superbia, quæ est velut inflatio faciei interioris. Augustinus 7. Confess. *Tumore meo separabar à te, & nimis inflata facies claudebat oculos meos.* Bernardus super Cantica. *Superbo oculo veritas non videtur, syncero patet.* Et super illud Jeremiæ 49. *Arrogantia tua & superbia cordis tui decepit te*; dicit glossa; *Omnis hæreticus arrogans, quia superbia facit hæreticum, non ignorantia.* Augustinus *Superbia meretur illudi.* Habacuc 2. *Quomodo vinum potantem decipit, sic erit superbus.* Unde Gregorius. de superbia. *Tantò*, inquit, *a Dei luce longè sunt, quantò apud se humiles non sunt.* Octava, est affectio inordinata intellectum, trahens ad contraria Fidei, ut timor inordinatus, vel amor, vel odium. Affectio inordinata est velut lippitudo respectu oculi interioris. Augustinus: Si quis alicui digito solem ostenderit & videre non poterit, culpet potius oculi lippitudinem quam digiti ostensionem. Hanc lippitudinem purgari oportebat. Augustinus. *Purgandus est animas ut prospicere illam lucem valeat.* Timor multos retraxit ne crederent in Christum; qui enim credebant in Christum despiciebantur ab aliis & extra Synagogam fiebant: ideo qui gloriam amabant, & contemptum istum timebant, nolebant ad Christum converti. Joan. 5. *Quomodo credere potestis qui gloriam ab invicem recipitis, & gloriam quæ à solo Deo est non quæritis?* Amor etiam divitiarum & timor amittendi locum & gentem, Judæos impedivit ne in Christum crederent. Amor divitiarum oculus est avarorum, & amor delitiarum est oculus voluptuosorum. Zacha-

chariæ 5. dicitur de impietate. *Hæc est oculus eorum in universa terra.* Prov. 21. *Lucerna impiorum peccatum*; ideo avaro videtur aliquid licitum quod aliis non videtur, quia avaritia est lucerna ei; secundum eam enim judicat: luxurioso enim videtur illa quam nimis amat pulchra, cum sit deformis: quia amor facit eum errare in judicio illo. Odium etiam intellectum multorum à Fide avertit, multi Waldenses odientes prælationem Clericorum dicunt Deo A obediendum esse & non homini. Aliqui etiam ex eis dicunt solis Prælatis bonis esse obediendum. Dicunt etiam Ordinem non esse necessarium ad hoc quod aliquis liget vel solvat: & quod non est necesse ut aliquis confiteatur peccata sua Sacerdoti: & quod relaxationes quas Episcopi consueverunt facere non valent, nec suffragia Ecclesiæ prosunt mortuis. Item timentes errores suos per juramenta propalari, dicunt in nullo casu esse jurandum. Item timentes se occidi, dicunt in nullo casu esse hominem occidendum. Sic transierunt hæretici in affectum cordis &c. Tales corrumpunt omnem Ordinem hierarchicum, nedum in Ecclesia, sed etiam in seculari politia. Tales nihilominus protestantur se Fidem Catholicam tenere, & cum evocantur, quærunt subterfugia sophistica, & captiosas responsiones & linguis loquuntur. Tales infecerunt Regnum Angliæ, destruxerunt Studium Pragense, & usque ad Scotiam venerunt. B Et, proh dolor! experimur in hoc Regno qualiter multiplicati sunt super numerum qui ad seditiones & rebelliones contra omnem dominationem eriguntur, & nolunt quod infima per media reducantur in Deum, sed constituunt se judices & supremos.

TRACTATUS

Joannis Gersonii Doctoris & Cancellarii Parisiensis. De examinatione doctrinarum.

Collat. ad MSS. Codd. Victor. 699. Colbert. 99. & M. Targny.

In Colbertino Codice ascriptus est annus Lugduni 1413. *in Maio. sed cum in hoc Tractatu mentio fiat Decreti Constantiensis hoc anno posterioris, fortasse legendum erit* 1423.

ATTENDITE *à falsis Prophetis*, clamat Christus summus Doctor noster Matth. 7. 15. Cui consonat Apostolus suus Doctor in veritate. Hebr. 13. 9. *Doctrinis* inquit, *variis & peregrinis nolite abduci*, Patres & Fratres, qui habet aures audiendi audiat: quia nulla monitio salubrior: nulla, si negligatur, periculosior esse potest; quia sicut venenum corpus enecat, sic Prophetiæ falsæ, sic doctrinæ variæ & peregrinæ trahunt animas ad interitum, non qualemcunque sed æternum: turbant insuper Ecclesiam, politias demum omnes, temporales & spirituales evertunt. Quapropter occasionibus intrà extràque susceptis, proposuit nostra sedulitas opusculum componere quadruplici modo, *De Examinatione doctrinarum.* Primò theologicaliter, secundò exemplariter, tertiò physicaliter, quartò practicaliter. Primus modus qui præsentis est opusculi, sex considerationes de examinatoribus idoneis doctrinarum, & totidem de examinationis arte perstringet, quæ notantur in his versibus,

Concilium, Papa, Præsul, Doctor benè doctus,
Discretor quoque spirituum de dogmate censent.
Qualis sit doctrina, docens quis, quique sodales,
Si finis sit fastus, quæstusque, sive libido.

Protestamur imprimis, nihil nos in docendo vel narrando esse dicturos, intentione corrupta, favore vel odio; sed tanquam in articulo mortis positi, coram Judice Deo, volumus cautelas insinuare contra falsas Prophetias, suspectasque doctrinas; maximè diebus istis malis, quando studium Theologiæ refriguit, quoniam magna ex parte dissipatum est, ubi potissimè florere solebat. Fiet insuper sermo præsens talibus & pro talibus, qualis fuisse laudatur Job, qui sunt simplices & recti ac timentes Deum, & recedentes à malo; ne diabolus, cujus ignoramus astutias, improvisos fortè reperiat seducatque. Tales alloquimur Venerandos Patres Carthusienses & Cœlestinos, quos afflictos ut Job, oportet esse in terra Hus, quæ sonat consilium. Convenit & Orientales esse, pro susceptione luminis gloriosi, quibus testimonium perhibendum est de lumine. Anima denique justi annuntiat aliquando vera, plusquam septem speculatores constituti in excelsum ad speculandum. Quibus ante locutis, discurramus per unamquamque considerationem, duodecim veritates aliquasque cautelas miscendo.

Consideratio Prima.

Examinator authenticus & finalis Judex doctrinarum Fidem tangentium, est generale Concilium. Deducitur hæc consideratio primitùs auctoritate generalis Concilii Constantiensis, cui fortè par in duratione nullum fuit. Forma Decreti sui satis habetur, & posita est in tractatu *de Potestate Ecclesiastica*, & in opusculo, *An liceat appellare a Papa?* Sumitur insuper ab Evangelio cum ratione talis confirmatio; Christus fuit supremus & optimus institutor Ecclesiæ, non deficiens in necessariis, qui & dixit. Matth. 28. 20. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Oportuit igitur in Ecclesia relinquere regulam infallibilem pro Fide servanda, & dubiis emergentibus terminandis; non autem reperitur in terris altera talis infallibilis regula, nisi generale Concilium legitimè congregatum. Nam persona quælibet singularis de Ecclesia, cujuscunque dignitatis, etiam Papalis, circumdata est infirmitate, & deviabilis est, ut fallere possit & falli. Propterea non imparem posuit Augustinus auctoritatem in Ecclesia & in Evangelio dicens: *Non crederem evangelio, nisi me auctoritas Ecclesiæ commoveret.* Opponet aliquis, quod in agibilibus & constitutionibus humanis vel sententiis, vel Sanctorum Canonizationibus, Ecclesia falli potest & fallere, secundum jura & experimenta plurima? Respondetur, secus esse in his quæ sunt facti vel C Juris humani, & in his quæ sunt Juris divini de necessitate salutis agnoscendi; cujusmodi sunt veritates Fidei, præcipuè articulorum: propterea Deus assistit specialiùs, ubi non sufficit humanum auxilium, sicut in determinatione veritatum Fidei, quam in aliis, in quibus non necessariò stat salus. Nihilominus attendendum est multiplicem esse doctrinarum (per Ecclesiam seu Concilium vice sua) approbationem. Quædam approbantur, ut certitudinaliter, verè, necessarioque credendæ: quædam, ut utiles ad moralem, religiosamque doctrinam, sine mixtione falsitatis noxiæ; non tamen sunt sic, ut credantur obligatoriæ; sed dicuntur de pietate Fidei; quædam verò solum permittuntur ut legantur, non quin sint mixtæ falsitates, sed habent aliundè plurimas utiles doctrinas, sicut sunt scripta multorum Doctorum: & ita Augustinus sua scripta recipi volebat: D *Noli*, inquit, *meis litteris quasi Canonicis Scripturis deservire:* Et iterum, *Negare non possum, nec debeo (sicut in ipsis majoribus) ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possunt justo judicio, & nulla temeritate culpari.*

Sumitur hic duplex veritas. Canonizatio personæ non compellit firmiter adhærere cuilibet doctrinæ suæ: Patet etiam in Martyribus, ut in Beato Cypriano: Patet de pluribus Canonizatis, quorum quotidie positiones à scholasticis non tenentur, sed palam negantur, aut cum reverentia, si fieri potest, exponuntur. Altera veritas; debet cum maturitate maxima & non sine grandi necessitate Reipublicæ determinatio fieri in materiis Fidei, maximè

mè condendo articulum univerſaliter obligantem: alioquin formidandum eſt de ſcandalo, vel ſchiſmate non faciliter exterminabili, ſi qui diſſenſerint. Doceat nos de hoc, ſchiſma Græcorum. Hac ratione ſacra Theologiæ Facultas Pariſienſis, frequenter (dum quæruntur ab eadem deciſiones dubiorum quaſi neutrorum) ſolet non per ſe totam & per ſingula ſuppoſita ſua dare determinationem; ſed deputatos ſuos pro conſilio dando committere. Quantò amplius A hæc autoritatis gravitas eſt in generali Concilio, nec non in ſummo Pontifice conſervanda? Neque tamen ita declinandum eſt ad nihil determinandum, ut apertum inde in Fide & moribus ſcandalum radicetur &c.

Conſideratio ſecunda.

Examinator Juridicus doctrinarum Fidem tangentium, Papa ſupremus eſt in terris, poſt generale Concilium, vel cum ipſo. Deducitur auctoritate Canonum cum ratione morali, præſuppoſita Fide: Quoniam ſupremus in omni politia Judex habet dubia circà politiam emergentia determinare, vel interpretari, vel declarare, cum appoſitione pœnarum in rebelles, hoc autem eſt judicium auctoritativum. Diceret aliquis non oportet ita fieri, cum Papa ſit deviabilis; non enim eſt magis confirmatus quam Petrus erat dum reprehenſus eſt à Paulo, eò quod non B rectè ambularet ad veritatem Evangelii; Confirmat hæc objectio conſiderationem præcedentem, ſed plus infert quam oportet: neque enim poteſt aſſiduè Concilium generale haberi præſentialiter pro deciſione dubiorum, nec expediret paſſim ita fieri: Supremus autem in Eccleſia faciliter aditur; qui ſi nollet omnino pertinaciter ea quæ ſunt Fidei declarare, vel erraret declarando, ſupereſt judicium Concilii. Porrò non ſequitur, Papa poteſt in definiendo fallere vel falli, igitur non eſt Judex idoneus, ſicut in aliis patet inſtantia. Concluditur tamen ex hac radice duplex veritas: prima, quod determinatio ſolius Papæ in his quæ ſunt Fidei, non obligat, ut præciſè eſt talis, ad credendum; alioquin ſtaret in caſu, quod quis obligaretur ad contradictoria, vel ad falſum contra Fidem. Secunda veritas eſt, quod ſententia Papæ ligat omnes fideles ad non dogmatizandum contrarium, niſi per illos, aut apud illos C qui manifeſtum contra Fidem deprehendunt errorem & ſcandalum grande Fidei ſuo ſilentio fieri, ſi non opponerent ſe, cognoſcunt. Quod ſi fieret proſecutio ſententiarum & pœnarum contra eos, ſciant *beatos eſſe qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.* Matth. 5. 10. Supereſt quoque remedium Concilii generalis, cujus finalis, auctoritativa, judicialiſque poteſtas, fundata eſt indeſtructibiliter in illo verbo Chriſti de correctione fraterna, *quod ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Matth. 18. 17. Cui legi haud dubiè ſubeſt Papa, licet hactenus multis hæc veritas non placeret, propter inordinatum favorem ad Summum Pontificem, vel ſcripta ejus malè ſuſcepta, plus quam ad Chriſtum & Evangelia. Nunc autem oppoſita falſitas eſt hæreſis expreſsè damnata per Concilium Conſtantienſe, cum aliis multis, in magnam utilitatem totius politiæ Chriſtianæ.

Conſideratio tertia.

Examinator Juridicus & ordinarius doctrinarum hujuſmodi, eſt Prælatus in ſua Juriſdictione, cui communicat Inquiſitor. Deducitur hæc conſideratio per Canonicas monitiones, & Cenſuras Prælatorum exhortativas, ut Diœceſes ſuas extirpare ſtudeant ab hæreticis de hæreſibus pernicioſiſque doctrinis. Sumitur præterea ratio proportionalis ad auctoritatem Papæ, nec non per Ordinem hierarchicum figuratum in conſilio dato Moyſi per Jethro ſocerum ſuum.

Sed notetur hic duplex veritas: Prima, quod nullus Epiſcopus inferior poteſt condere articulum Fidei Catholicæ, qui videlicet ad totam Eccleſiam ſe extendat: non enim poteſt in eos obligationem ferre, quos non habet in Juriſdictione ſubjectos. Differt igitur determinatio Papæ, quoniam generalis, eſt, & ad omnes Catholicos ſe extendit quoad pœnam. Sic intelligere debent dicentes, nullum præter Papam condere poſſe articulum, alioquin fallerentur; quoniam in ſuis Diœceſibus Prælati jus habent cum appoſitione cauti conſilii. Pro quo ſit ſecunda veritas, diſtinctione præmiſſa, quod aliquæ ſunt doctrinæ palam hæreticales apud omnes: aliæ dubiæ ſimplicibus, ſed manifeſtæ ſapientibus & peritis: Tertiæ veluti neutræ, habentes pro ſe Doctores, cum rationibus ad utramque partem probabilibus; nec in una tantum Diœceſi vel paucis, ſed apud omnes Chriſtianos, aut longè plurimos. Eſt ergo veritas, quod in primis & ſecundis, autoritas inferiorum Prælatorum ſe extendit & ad ſuos tantummodo: in tertiis verò nequaquam; quoniam meritò dicuntur majores cauſæ Fidei, propter difficultatem deciſionis cum periculo ſcandali, ideo ſunt ad Sedem Eccleſiæ, vel ad ſedentem in ea Summum Pontificem referendæ; juxta illud, *ſi quid ambiguum vel difficile &c.* Deut. 17. 8. vocans cauſam grandem, non ratione materiæ, ſed ambiguæ difficultatis in terminatione: cujus diſtinctionis ignorantia vel deſſimulatio culpabilis, non paucos depulit in errores, ſcandaloſaque judicia contra ordinariam & doctrinalem poteſtatem, noſtra tempeſtate.

Conſideratio quarta.

Examinator partim authenticus, partim doctrinalis hujuſmodi doctrinarum, eſt quilibet in ſacra Theologiæ Facultate Licentiatus aut Doctor. Deducitur hæc conſideratio per formam verborum, quibus datur Licentia Magiſtralis. *Ego auctoritate Apoſtolica* (dicit Cancellarius) *do tibi licentiam legendi, regendi, diſputandi, docendi in ſacra Theologiæ Facultate hic & ubique terrarum, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.*

Ex hoc abſque ulteriori deductione, ſumitur duplex veritas. Prima, quod Doctores Theologici non ſunt arcendi ſine cauſa rationali ab exercitio prædictorum actuum, quoniam Papalis auctoritas licentiam confert eis: non ita tamen quin Diœceſani, ſeu locorum Ordinarii, poſſint obſiſtere vel non conſentire pro rationabili voluntate. Exemplum de poteſtate Sacerdotali, quæ æqualis eſt in quolibet quo ad corpus Chriſti verum, ſed diverſificatur quoad myſticum, quod Juriſdictionis reſpicit poteſtatem. Exemplum in Magiſtris in Artibus qui non legunt ſemper Artes ubi volunt, niſi ſcholaſticorum conſenſus habeatur. At verò ſumitur ex hac declaratione veritas altera, quod Doctores Theologici non obligantur præciſè ex poteteſtate ſibi tradita prædictos actus legendi, prædicandi &c. paſſim exercere. Secus de Prælatis ordinariis, quorum officio Paſtorali annexum eſt debitum, vel obligatio prædicandi, &c. ſubdito ſibi gregi, ſicut jungit Apoſtolus hæc duo, *Paſtores & Doctores*, quod ratio manifeſta convincit. D Oportet enim quoſdam eſſe in Eccleſia, qui ſint ex officio inſtituti tales actus exercere; alioquin non fuiſſet inſtituta perfectè; contra illud: *Dei perfecta ſunt opera.* Non autem ſunt alii ſic obligati per officium quantum Paſtores ſimul & Doctores, nempe ſoli Doctores. Poſſent conſequenter inferri veritates multæ ſalubres de neceſſitate ſtudii Theologici, niſi ſilentium brevitas indiceret. Dictum eſt præciſè & paſſim, quoniam aliundè poteſt Doctor Theologus obligari prædicare vel docere, vel Scripturas interpretari verbo vel ſcripto, dum neceſſitas imminet hæreticos & hæreſes repellendi;

aut quia videretur ingratus donis Dei: quemadmodum loquuntur, quærentes si Sacerdos non Beneficiatus, possit sine peccato, ab omni Celebratione cessare. Additur tertia causa, dum specialiter mittitur per Ordinarium suum, quo casu tenetur ei de sustentatione sua sufficienter providere; quâ data, jam contrahitur obligatio quasi Pastoralis in præfato Doctore; neque enim dicere potest in velamen, sui otii *Nemo me conduxit.*

Consideratio quinta.

Examinator hujusmodi doctrinarum est per modum doctrinæ quilibet in sacris litteris sufficienter eruditus. Deducitur hæc consideratio per illam maximam à sapiente Philosopho positam: *Quod eorum quæ quisque novit est judex bonus:* Iterum, quia nullis existentibus quibus conferretur gradus Licentiæ, quia vel nollent recipere, vel nemo conferret; possent nihilominus Prælati secum assumere (pro plebis eruditione & Fidei consilio) sufficienter in sacris litteris eruditos. Hoc tamen observato, quod *dignus est mercenarius mercede sua*, contra illos qui pretiis & magnis pensionibus conducunt Procuratores, & Advocatos, vel sollicitatores causarum prophanarum; Theologos verò vix vel gratis dignantur assumere. Adeò terram sapit animalis homo, adeò quærit non quæ Dei sunt sed sua, nec tam sua, frequenter ex abusu.

Jungatur huic considerationi cum sua declaratione duplex veritas. Prima, staret quod aliquis simplex non auctorisatus, esset tam excellenter in sacris litteris eruditus, quod plus esset credendum in casu doctrinali suæ assertioni, quam Papæ declarationi; constat enim plus esse credendum Evangelio quam Papæ: si doceat igitur talis eruditus veritatem aliquam in Evangelio contineri, ubi & Papa nesciret, vel ultro erraret; patet cujus præferendum sit judicium. Altera veritas, talis eruditus deberet in casu, si & dum celebraretur generale Concilium, cui & ipse præsens esset, illi se opponere, si sentiret majorem partem ad oppositum Evangelii, malitia, vel ignorantia declinare: Exemplum Beatissimus dedit Hilarius. Unde quamvis ab initio militantis Ecclesiæ [quæ componebatur ex Apostolis & immediatis successoribus noviter & certitudinaliter à Christo doctis de multis quæ non sunt scripta] plus esset credendum auctoritati talis Ecclesiæ quam Evangelio cuicumque, priusquam esset ab ea receptum, vel autorisatum: nihilominus post approbationem & autorisationem quatuor Evangeliorum per dictam Ecclesiam, plus esset credendum Evangelio, quam alteri cuicumque humanæ auctoritati, non dicitur quam totius Ecclesiæ, quoniam illa est auctoritas Dei & Evangelii, nec potest errare in Fide, lege stante.

Consideratio sexta.

Examinator hujusmodi doctrinarum, est omnis habens discretionem spirituum, quantum hoc donum Spiritus Sancti in eo vult extendi. Deducitur ex terminis, quoniam Spiritus Sanctus in manifestatione veritatis intima, nec fallere nec falli potest: Quemadmodum Theologi fundant; quod nec Fidei, nec sensui litterali Scripturæ subesse potest falsum, alioquin nihil autoritatis ad credendum, nihil roboris ad persuadendum sibi subsisteret. Est autem sensus litteralis, non solum grammaticalis, sed nec strictè logicalis; verum ille quem Spiritus sanctus principaliter intendebat, qui ex circumstantia litteræ, cum causis dicendi & modis exponendi, magis patet. Unde generaliter in parabolicis locutionibus sensus litteralis est, non qui per verba, sed per res & facta designatur, ut de lignis constituentibus sibi Regem &c. Porrò donum discretionis spirituum, quandoque datur ad privatam instructionem recipientis, quasi privata lex: de qua Canon tradit *eos qui privata lege ducuntur, generali non teneri.* Est autem operatio sua, facere quodam intimo sapore cum illustratione certa, cognitam esse veritatem: exemplum de Monica matre sancti Augustini, secundum relationem ejus in Confessionibus. Datur aliquando discretio spirituum principaliter ad ædificationem Ecclesiæ, A sicut & donum Prophetiæ vel linguarum, vel gratia sanitatum, cum similibus; & hoc reperitur in reprobis, secundum Apostolum & Evangelium: quibus si semper, & quomodo credere debeant fideles, grandis quæstio est, quam videtur summatim absolvere Canon dicens, *Nemini dicenti se missum desuper oportere credi, nisi de sua doceat missione*: Exemplo Joannis Baptistæ: Juxta quod sumitur prima veritas, quod habendi sunt suspecti vel non statim admittendi in doctrinis suis, maximè si sint extranei, tales qui se dicunt discretionem & visionem spirituum, dono S. Spiritus, possidere: alioquin qui citò credunt, leves sunt corde & faciles ad errorem. Quid fiet igitur? Certè judicium expectabitur, secundum præmissos quinque gradus examinandi doctrinas, ab infimo usque tandem ad supremum. Quod est consilium si res apparuerit prioribus ambigua & urgens decisio reputetur. Altera veritas, Nemo facile debet æstimare B se privata lege moveri, quin humano se paratus sit subdere parereque judicio; quoniam non est dissensionis Deus. Neque formidet qui hujusmodi est, si cum vera humilitate consilium quærit alienum, se propterea decipiendum, vel à Spiritu sancto deserendum; exemplo Prædicatoris nostræ ætatis egregii Magistri Vincentii. Concludit Dominus Bonaventura pro præmissis, ubi quærit, si quis possit excusari adorando diabolum ostendentem se vice Christi, quod nequaquam. Ratio, quia superest tali casu triplex remedium, videlicet suspensio judicii proprii, petitio alieni consilii, aut tandem imploratio divini auxilii, quod non deerit faciendo quod in se est primis duobus modis. Exemplo beatissimi Martini & aliorum plurimorum. Objicit idem Bonaventura de adoratione Hostiæ quandoque non consecratæ in manibus Sacerdotis. Et respondet casum istum communem esse, qui semper implicitam ha- C bet conditionem, vel præsumptionem, quod Sacerdos fecerit secundum debitum Ecclesiæ ritum, quæ licet conditio non debeat exprimi in adoratione; salvatur tamen adoratio ne peccatum sit propter morem fidelium. Exemplum de adoratione imaginum. Non sic de adoratione panis in mensa, etiam si conditio poneretur dicendo, *adoro te si tu sis consecratus*: non enim sunt tales circumstantiæ prout in Altari. Sumitur inde consequenter cautela pro laïcis circumstantibus Altari, quod hostiam non adorent, quantumcunque videatur in manibus Sacerdotis, nisi cum elevatur, & postmodum: Sed nec Sacerdos cautè facit, non abscondendo visionem à populo dum consecrat. Aut cortinarum usus deberet apponi, aut à circuitu Altaris arcendi essent alii, maximè laïci & D populares.

SECUNDA PARS PRINCIPALIS.

Consideratio prima.

ATTENDENDUM in examinatione doctrinarum primò & principaliter, si doctrina sit conformis sacræ Scripturæ, tam in se, quam in modi traditione. Declaratur ex auctoritate beati Dionysii dicentis in sententia. *Nihil audendum dicere de divinis, nisi quæ nobis à Scriptura sacra tradita sunt.* Cujus ratio est, quoniam Scriptura nobis tradita est tanquam regula sufficiens & infallibilis, pro regimine totius Ecclesiastici corporis & membrorum, usque in finem sæculi. Est igitur talis ars, talis regula, vel exem-

exemplar, cui se non conformans alia doctrina vel abjicienda est ut hæreticalis, aut suspecta, aut impertinens ad Religionem prorsus est habenda. Hinc glossa quædam super illud, Matth. 17. 3. *Apparuerunt Moyses & Helias loquentes cum eo* scilicet Jesu in Transfiguratione: *Suspecta est omnis revelatio, quam non confirmat Lex & Prophetæ cum Evangelio*: quæ tria significant Moyses, Helias & Christus; alioquin delusiones dæmonum, aut potius proprii capitis phantasiationes quàm revelationes habeantur. Talibus idiotis objiciatur illud Christi, *erratis nescientes Scripturas*. Matth. 22. 29. At verò dicet aliquis, ecce quot à principio & usque nunc doctrinæ salubres tam verbis quam scriptis insertæ sunt, quas Scriptura sacra non continet. Immò continet respondemus secundum aliquem gradum veritatum Catholicarum; quos gradus, quoniam alibi explicavimus, brevitas hic non apponit. Quæret aliquis, quid sibi vult finis hujus considerationis, loquens de modo Traditionis Scripturæ, numquid potest alia salubris doctrina taliter tradi, quod redderetur inepta & nociva? Potest utique. Ponitur ad præsens exemplum de doctrina Raymundi Lullii, quæ quidem & vera & copiosa multa continet, non tamen in multis absque ponibili calumnia, de quibus nihil ad præsens. Hoc unum placet inserere temporibus nostris in sacra Theologiæ Facultate Parisiis institutum. Habet ipse Lullius, modum Traditionis specialem sub magnis voluminibus ad certa nomina, ad characteres, & figuras: sensit eadem Facultas nonnullos de suis suppositis, ut proni sumus ad novitates, velle Traditionem hujusmodi multiplicare per studium: nam in Arragonia dicitur edoceri. Constituit protinus Statutum [quod Patribus Cartusiensibus, prope Parisios significavit per litteram, habent enim copiam librorum dicti Lullii,] quo Statuto prohibebantur omnibus suppositis suis, ne derelinquentes modum doctrinalem Sanctorum Doctorum per Ecclesiam approbatorum, & qui tentus est hactenus in sacra Theologiæ Facultate, transirent ad novam hanc phantasiandi curiositatem.

Elicitur ex his cum præcedentibus, duplex cautela, nedum pro examinatoribus, sed receptoribus doctrinarum, maxime Religiosis, quos sua sancta, non dicam rusticitas cum Hieronymo, sed humilis & Deo amabilis simplicitas commendat. Nam *qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter*. Prov. 28. 18. Simpliciter intellige non ignoranter, non infantili sensu, non negligenti vel hebeti intellectu; sed absque plica dolositatis, versutiæ, aut curiositatis superbiæ. Alioquin qui ignorat ignorabitur. Prima cautela sit eis, nullam recipere Doctrinam absoluto judicio, nisi altero sex modorum primæ partis approbatam, & eò magis, si sermo vel modus sit extraneus à communi sermone Doctorum; quamvis sententiæ graves apparerent Morales vel Philosophicæ. Theologizat aliquando dæmon, ait Climacus; & patet in Evangeliis, etiam coram Jesu, quem tentare præsumpsit & dicere, *Scriptum est, Angelis suis mandavit de te, &c.* Ps. 90. 11. nihilominus prohibuit Christus: Cui Paulus & alii se conformant, ne testimonium quantumlibet in superficie verum, acciperetur a dæmoniacis vel Pythonibus, vel simulacris, & Prophetis insanientibus, ut Sibyllæ sunt & ventriloqui, cum cæteris magicis maledictis. *Nam quæ communicatio lucis ad tenebras, & Christi ad Belial?* 2 Cor. 6. 15. Ratio prima, quia sunt excommunicati; secunda, quia nullum verum, bono fine dicunt: tertia, quia continuò aut tandem falsitatem ingerunt, etsi mille præmiserint veritates: non est enim Doctrina fallens, quæ vera non misceat, secundum Bedam. Altera cautela est, conferre protinus doctrinam, quæ terminos habet extraneos, vel sententias novas & peregrinas, ad terminos Doctorum communium, & sententias eorum. Hoc Christus contrà diabolum egit; hoc magnus Antonius docuit; hoc Paulus intellexit, cum diceret ad discipulum, *profanas vocum novitates devita*. 1. Timoth. 6. 20. Hoc Augustinus *nobis* inquit *ad certam regulam loqui fas est*. Hoc Hieronymus, *Ex verbis*, inquit, *inordinatè prolatis, oritur hæresis*. Hoc serenissimè custodivit sacra Theologiæ Facultas Parisiensis, cujus unum è multis sit hoc exemplum. Unus Licentiatus posuit in Vesperiis, *quod Pater erat causa Filii*, id est Pater generat Filium: confestim oppressum est os ejus, neque sibi permissum est talibus uti terminis, licet ostenderet exponendo, se verum tenere sensum. Sic Augustinus loquens de Fato juxta quorumdam Philosophorum veram sententiam, *quod Deus erat Fatum: Tene*, inquit, *sententiam, sed corrige linguam*.

Consideratio secunda.

Attendendum est in examinatione doctrinarum, cujus sit conditionis docens, seu publicans, sive scribens. Declaratur: quia non modicum refert inter doctum rei de qua loquitur, & inter indoctum; inter senem & juvenem; inter morigeratum & dissolutum; inter hominem boni naturalis judicii & patientem in cerebro vel imprudentem: demum inter virum & mulierem. Fuit Galenus in arte sua peritissimus Medicinæ: memini dum puerulus studerem in Artibus, ipsum irrisum, quia posuit quartam figuram in syllogismis: mittit, inquiunt, falcem suam in messem alienam, quia non Logicus, sed Medicus est. Loquitur adversus eundem Rabbi Moyses Medicus; quia præsumens de scientia Medicinæ, presumpsit consequenter de multis, tanquam illa sicut Medecinam cognosceret, in quibus turpiter ipsum errasse notavit: & hic error familiaris est admodum sapientibus hujus sæculi, qui dum se vident honorari pro aliqua scientia, sit Legum, sit Canonum, sit industriæ mundialis; laxant faciliter ora de sermonibus quos nesciunt, ut de Theologia; quasi verecundarentur aliquid ignorare: aut aliquando majori dementia, quæ non cognoscunt in se, despiciunt in aliis, tanquam supervacua & noxia, ne videantur ea quæ sunt utilia nequaquam cognoscere. Quantò consultiùs jubet sapiens: Prov. 23. 4. *Prudentiæ tuæ pone modum, quoniam magna pars scientiæ est*, dicit Hieronymus *scire quid nescis: magnæ demum modestiæ taliter agnoscere*. Porrò differentiæ patent reliquæ, de senibus expertis quibus ideo est sapientia; de benè morigeratis quasi humilibus; de naturaliter prudentibus respectu juvenum, quos ait Aristoteles, *nullus eligit, cum constet eos non esse prudentes propter inexperientiam*: respectu quoque malevolorum quos excæcat malitia: respectu denique melancholicorum, qui seipsos regere vel propriam domum nesciunt, desipientes in manifestis. Postremò sexus muliebris ab Apostolica prohibetur auctoritate, ne palam doceat: doctrinam intellige, seu verbo seu scripto, nomine suo publicatam, maximè si fuerit ad viros, nec qualescumque, sed sapientes, & eruditos, sed status in devotione vel Religione præcellentis. Sententia est Gregorii *præsumptionem esse, velle docere sanctiorem doctioremque*. Culpat Hieronymus eos qui discunt (proh pudor!) à fœminis quod viros doceant. Quid si talis sexus apposuerit ambulare in magnis & mirabilibus super se, visiones quotidie super visiones addere, læsiones quoque cerebri per epilepsiam vel congelationem, aut aliam melancholiæ speciem ad miraculum referre, nihil denique dicere nisi vice Dei, sine medio revelantis: appellare Sacerdotes Dei filios suos; docere eos professionem suam in qua nutriuntur assiduè, qualiter obedire Superioribus deberent, etiam ubi diabolus esset incarnatus: quod si dolent in adversis pro sensualitatis amore, sunt imperfecti; cum nec Paulus nec Maria, nec Christus (haud dubiè perfectissimi) fuerint

rint doloris expertes; immò, si desunt penè sensus, qualis erit patientiæ virtus? Dicit altera se annihilatam fuisse pro morula temporis: altera quod mirabiliori unione Deus uniebatur sibi, quam humanitati susceptæ Christus jungebatur, cum talibus sine numero, quæ nec magnis voluminibus, plenè referrentur, aut relata continerentur per singula. Dictum est graviter à Poëta, *Varium & mutabile semper* A *fœmina*: quales describens Apostolus, vitare docuit curiosas, & verbosas, ductas variis desideriis. Et væ parenti nostræ primæ, quæ primo verbo, super relatione divini præcepti, bis mentita est. *Præcepit*, inquit, *Deus ne comederemus, & ne tangeremus*, hoc addit, *ne tangeremus*, sequitur, *ne forte moriamur*. Gen. 3. 3. Ecce incertum retulit quod erat certissimum. Neque tamen ista dicentes, derogemus gratiæ Dei, neque mulierum quas elegit privilegiatæ sanctitati; sed vigilandum est adversus astutias diaboli jam ab initio cœptas, & cautela duplex inter alia sumenda est. Prima, omnis doctrina mulierum maximè solemnis verbo vel scripto, reputanda est suspecta, nisi priùs fuerit altero sex modorum (quos prima pars refert) diligenter examinata, & multò amplius quam in doctrina virorum. Cur ita? Patet ratio, quia lex communis nec qualiscumque, sed divina tales arcet. Quare? quia levius subductibiles, quia pertinacius subductrices, quia B non constat eas esse sapientiæ divinæ cognitrices. Aliud quoque est, garrire quæ venerint ad phantasiam; aliud, de Scripturis sanctis proferre sermonem; istud cum artis stabilitate subsistit; aliud dilabitur sine firmitate. Ubi sunt scripta tot devotissimarum eruditissimarum fœminarum, sicut Paulæ sicut Eustochium: certè nulla supersunt, quia nulla præsumpserunt. Secunda cautela quæ tacta est; conferatur statim doctrina per singulas sententias & verba, si sit conformis ad Doctores approbatos; & si sic; quid addit ad illos in pondere sententiarum, vel Religionis ædificatione pensetur: sunt enim doctrinæ quædam habentes folia verborum quasi speciosissima, quæ si discutiantur, inveniuntur similes ficulneæ cui maledixit Dominus; quia sunt sine fructu, aut pro fructu reddunt instar pomorum Sodomæ solum cinerem, quo turbatur sensus, non reficitur affectus, nec tandem illuminatur intellectus.

Notetur ad extremum quod sancti Prophetæ & C Doctores jam universaliter approbati, recipiunt in suis verbis obscuris & ambiguis interpretationem, qualis non debetur novellis prophetantibus de corde suo, aut priusquam constiterit quasi de suo, quamvis divino.

Consideratio tertia.

Attendendum est in examinatione doctrinarum, cujus conditionis sunt hujusmodi doctrinas vel audientes, vel conducentes, vel recipientes. Dixit Sapiens de Principe, id quod ad omnes trahi potest: *Qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios*. Prov. 29. 12 Quid nempe est efficacius ad corrumpendam omnem doctrinam, quàm adulatio subdola vel consulentium, vel conscribentium, vel audientium, vel recipientium cum indiscreta laude, nec examinata gloria simul cum admiratione? O quoties videmus impletum illud Comici de adulatore! *Hic profecto ex stultis insanos facit*. Quod in *de Amicitia* vetuit Cicero, dicens homines adulationis impletos vento, sibi sumere species improbissimas, in errore suo fundatas; unde nihil superest ipsis nisi discrimen & perditio; dum tales hi se reputant, quales audiunt, doctos, sapientes, devotos, eloquentes. Quo contrà nihil est optabilius ad virtutem humilem, quam libenter, nedum audire, sed inquirere diligenter, qui dicat ei cum omni libertate veritatem. Sint in exemplum nobis Lucifer cum Angelis suis, quos quid aliud quam propria fefellit adulatio? Sint homines qui se tanquam deos, hac tracti vesania, coli jusserunt extorseruntque. At verò quid ad rem spectat quæ nunc agitur, quæret aliquis? Multum certè per omnem modum, quod sub cautela duplici notabimus. Sicut nullum habet vir vel mulier efficacius apud se remedium pro delusionibus evitandis, quàm eas cum humilitate sedula fugere, nec quærere per miracula vel revelationes regi, spreto humano sapientium consilio; sic aliorum respectu, nihil fugibilius habere debet, quàm adulationem indoctorum vel pravorum; nihil quoque desiderabilius, quàm hærere comitibus (sint Confessores, sint alii) qui sine plica dolositatis, ingerunt assiduè simpliciter & humiliter sapere. Talem habuisse beatum Bernardum fratrem suum Gerardum referunt, qui nec in manifestis signis applaudebat beato Bernardo; sed cum aspernationis cachinno rejiciebat, non ad nequitiam protervam, sed humilitatem piam agens. Sunt Confessores, qui de nonnullis quos vel quas audiunt, verba faciunt in bonum: ô quam pura mens, quam integra, quam sine mortali delicto, essem talis utinam cum mei similibus! non advertentes qui taliter agunt, se per indirectum, culpare reliquos confitentes eis, quos non ita prædicant; simul & occasionem dant suis laudibus, non qualitercumque, sed in Confessione mentiendi. Esset hic habendus sermo latior, præsertim in materia canonizationis & testificationis sumptæ per Confessores. Sed super his & aliis particularior erit inquisitio facienda, dum modus exemplaris, id est per narrationes exemplorum tractabitur. Sequitur altera cautela pro Prælatis & specialiter Doctoribus, apud inferiores præsertim idiotas, ac sine litteris mulierculas. Caveant cui dati sunt in regimen & exemplum, ne leviter suis verbis aut factis approbent doctrinas earum, vel miracula seu visiones insolitas, ipsis maximè scientibus, seu coram eis: nulla planè posset altera dari talibus ad fingendum fortior occasio. Experti pluries loquimur, & Gregor. XI. testis fuit idoneus, sed tardus nimis: hic positus in extremis, habens in manibus sacrum Christi corpus, protestatus est coram omnibus, ut caverent ab hominibus, sive viris sive mulieribus, sub specie religionis loquentibus visiones sui capitis: quia per tales ipse seductus, dimisso suorum rationabili consilio, se traxerat & Ecclesiam ad discrimen schismatis imminentis, nisi misericors provideret sponsus Jesus, quod horrendus usque adhuc nimis heu patefecit eventus.

Hic Papa cum esset in Avenione, per Catharinam de Senis inductus est qualiter se Romam transferret, Cardinalibus & cæteris dissuadentibus: quò cum venisset, circa dimidium annum obiit. Ex tunc cœpit schisma, quod circa annos 40. duravit. Urbano VI. *& suis successoribus in Roma videlicet Bonifacio* IX. *Innocentio* VII. *Gregorio* XII. *Alexandro* V. *Joanne* XXIII. *Martino* V. *usque ad Concilium Constantiense. In Avenione vero Clemente* VII. *& Benedicto* XIII. *qui & Petrus de Luna, electis.*

Hoc Cancellarius non ponit, nec usquam Catharinam illam nominat: Sed Dominus Stephanus olim Prior Carthusiæ in Senis, postea Papiæ, asserit propria manu ex Catharinæ proprio ore, easdem litteras scripsisse ad Papam, &c. D

Consideratio quarta.

Attendendum est, quis finis sit hujusmodi publicationis doctrinarum, secundum alterum trium finium; qui sunt bonum honorabile, utile, delectabile. Et primò de honorabili, ut de fastu describens Augustinus hæreticum, dicit eum esse, qui alicujus temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatûsque sui gratia, falsas & novas opiniones, vel gignit vel sequitur. Notat Summa de vitiis & virtutibus, in Tra-

Tractatu de Fide causas octo confectionis hæresum. Remittamus ad illam quam libenter hic & alibi commemoramus Summam; quoniam ex optimis undecunque collecta est: cujus auctor contemporaneus satis fuit Guillelmo Parisiensi, & sancto Thomæ, vir sine gradu, de conventu Prædicatorum Lugdunensium. Hic nihil in compilatione de phantasia proprii capitis, sed de communi acervo Scripturarum doctrinam nectit; cui si comparentur novellæ visiones nostrarum vel nostrorum, ô sapientissime Deus, quantum solidiores, non umbratiles invenirentur! Ab eis tamen, quibus adversus Sapientis consilium, non est persuasum, quod aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconsus suavior, quique magis ea mirantur, quæ vel non intelligunt, vel insolita sunt; separatum volentes habere convivium, similes Atheniensibus, volentes semper audire aliquid novi, prurientes auribus. Quo contra sit cautela duplex: ruminet assiduè docens, vel scribens vel studens, quis suus sit finis intentus: Pauci sunt admodum qui non respondeant, *ut tandem salvus fiam*: Sed sæpè sub generalitate mentitur iniquitas sibi, dum ad particulares & proximos venitur fines, & *sub negotio charitatis, agitur negotium vanitatis.* Tentationem superbiæ reputavit Augustinus ideo difficile cognoscibilem, quia non habet homo fas experiri, quemadmodum paratus est gloriam contemnere; sicut non est fas homini male vivere ne laudetur. Accipiebat autem sibi quidam nostri temporis signum tale: Quærebat à seipso coram Deo, de doctrinis propriis, quas vel ex officio, vel pro laudabili (contra otium iners) exercitio, vel pro quæsiti distributione talenti, pro temporis necessitate scribebat. Ecce servatur integra tibi merces [ait] à Domino conservetur, & aliundè sua proximis tuis ædificatio per alienam doctrinam, seu per tuam velut alienam, quasi mortuus sis à corde, quid respondes? Numquid non adhuc in publicum prodire tua cuperes scripta? Si tandem inveniebat in conscientiæ serenitate, quod æquo animo celari scripta sua tali casu vellet, gratias agebat Deo, tanquam excussus à palea vanitatis. Quæsiti fuerunt à beato Gregorio libri sui, remisit ad libros Augistini, suadens in illis potiùs exerceri. Altera cautela suadet habere promptitudinem, quod doctrinæ quas aliquis legit, aut studet, aut scribit, publicum subeant examen, & potiùs in vita quam post mortem; ut si quid erroris deprehensum fuerit corrigat vivens. Sonant hanc promptitudinem protestationes fieri solitæ in actibus sacræ Theologiæ publicis. Hoc intendebat qui dixit. *Hæreticare potero, sed hæreticus non ero* quare? quia nemo nisi pertinax hæreticus est: nemo quoque paratus corrigi, pertinax est. Respicit hæc cautela Venerabilem & Deo sacratum patrem, cujus occasione sumptum est præsens opusculum, qui libros alios sui temporis novellos voluit examen habere. Respicit & omnes in communi Doctores, quatenùs ea studiositate doctrinas componant suas, tanquam protinùs interrogandas ab hominibus. Fuit iste, ut arbitror, non parvus stimulus beato Hieronymo, qui se tot aspiciebat habere observatores & æmulos, ut quam optimè scriberet vel transferret.

Consideratio quinta.

Attendendum est in examinatione doctrinarum de fine; si sit ad commodum temporale, vel quæstum. Dici non potest quam mendax est cupiditas, nec divinis parcit nec humanis. Hoc in Advocatis pluribus eruditis ad mendacium qualibet in causa: hoc in doctrinis usurariorum & simoniacorum: hoc in quæstoribus publicis, super confictione miraculorum, vel Reliquiarum, vel Indulgentiarum: hæc heu! dolorosius quò perniciosius & indignius in prædicatoribus nonnullis ad populum suas ultra modum concessiones & Privilegia, dignitates, præjudicialiter amplificantibus; ubi quoque crebrò videre miserabiliter est, quemadmodum Sathanas in se divisus est; habent doctrinas suas suorumque mutuò præferunt, exaltant, per fas nefasque defendunt. Ac proinde quot in Fide, quot in bonis moribus scandala, quot errores etiam circa nobis naturaliter impressa prima Legis principia viderit ætas nostra? Plangere nunc magis quam in medium reducere libet, duplicemque notare cautelam. Prima consulit simplicitati devotorum, quorum non interest curiosos esse super intensionibus occultis scribentium, quatenùs expeditam regiamque viam incedant legendo scripturas, quas sciunt ab Ecclesia tota receptas, quales utique sufficiunt. Aut si pro dubiorum decisione nonnunquam occurrentium habendum sit consilium, quærantur ab illis tales, quos minus est probabile favore vel odio, quæstu vel fastu trahi; quales sunt jam mortui, viventes in scriptis suis, si materiam quæ quæritur attigerint; si præterea fuerint in illa tam intenti quam experti. Multi nimirum multa scribunt velut in transcursu; multa quandoque non satis ad suam spectantia facultatem, ut si Theologus purus, vellet de punctis exquisitis Canonum purè positivorum; aut purus Canonista de apicibus Theologiæ declarandis, ferre sententiam. Cuilibet in arte sua potior est danda fides, si non alia ratione pactum, ut ajunt, reformetur, *quod Medicorum est promittunt Medici, tractant fabrilia fabri*, refert ab Horatio Hieronymus. Grandis autem conquisitio caderet hic de Doctrinarum hæreticalium cognitoribus atque Judicibus, quis sit aptior scientia; numquid Theologica vel Canonica; sed distinctio concordiam facit, quæ suum cuilibet tribuit officium; Theologo de veritate Catholica, aut opposita hæresi; Juristæ de pœnis & modo judicii confert partes suas; Cujus declarationem alibi traditam hic non inserimus, secundam ilicò componentes cautelam.

Providendum est sedulò per rectores Christianitatis, ne studium Theologicæ veritatis depereat, sed alicubi resideat velut in fonte. Alioquin, timendum est ne superseminentur hæreseum zizania, propter varietatem tot capitum, tot insuper passionum diversarum, unde multiplicatio sequitur judiciorum; ubi si desit recursus ad Theologos non depravatos, & in unum collectos, quis oro providebit? Si dixerit aliquis, fiet recursus ad Sedem & Curiam summi Pontificis. Non negabimus hoc, si Theologia illic habuerit suos Doctores non partiales, non seductos, non fastuosos, quæstuosos, aut invidos, non potestati seculari, non spirituali, plus quam veritati faventes: alioquin tolerabilius esset nullos habere quam tales pati. Acclamantes hic & deridentes novimus aliquos de Satrapis Ecclesiarum. Quid nobis & Ecclesiæ de Theologis? nam per quos alios, hæreses oriuntur & ortæ sunt? certè per eos similes quotidie, & si non in prædicatione, saltem in verbis domesticis & operatione? Sed esto proveniant hæreses per Theologos depravatos non enim Theologia, sicut nec Canonica scientia confirmat hominem in veritate. Nunquid eo casu plus eniti convenit suscitare contra tales reprobos & noxios, plures alios potentes obsistere suis hæresibus palliatis, quas soli Theologi vel deprehendere, vel convincere sufficiunt? Illi vero culpantur rationabiliter hæreses introducere, qui ex officio resistere debentes, facti sunt speculatores cæci, canes muti, nautæ stulti, navem Ecclesiæ naufragiis omnibus exponentes, quam regere nec sciunt nec volunt; scientibus denique volentibusque succurrere, viam claudunt, ipsos abjiciunt, infamant, spernunt.

Consideratio sexta.

Attendendum est in examinatione doctrinarum de

de fine, si sit bonum delectabile ut carnalis luxus seu spiritualis. Et sicut manifestum est, quod omnis excellens affectio trahit ad se judicium rationis: veruntamen sicut nulla est vehementior quam luxuriosa libido, sic ad errandum falsumque docendum nulla perniciosior. Patuit in sectis Turelupinorum, quorum sequaces non desunt usque hodie, quando & ubi latere putaverint serpunt ubilibet. Epicurei sub tunica Christi, qui mulierculis primò devotionem fingentes specie tenus, paulatim eis Fidem, tanquam lumen & oculos tollere quærunt, quatenus eas licentius ad desideria sua maligna prostituant. Non est nostrum fœditates horrendas detegere, considerantes illud Apostoli: *Quæ in occulto fiunt ab eis, turpe est dicere.* Porrò luxus spiritualis accipitur omnis curiositas improba sciendi quæ non oportet, vel plusquam oportet, juxta personæ qualitatem. Sit igitur prima cautela, non plus sapere velle quam oportet; sed ad sobrietatem, quia non omnibus omnes doctrinæ conveniunt: sed studentibns alia jubentur cognosci, quæ vel à Religionum professoribus, vel ab hominibus parum idoneis ad apices doctrinarum sublimium, prohibentur, quibus lacte opus est, non solido cibo, qui diligentius ad inflammationem affectûs piam & devotam nutriendi sunt, quàm intellectûs eruditionem, Non quod spernenda sit intellectus seu rationis illuminatio, sine quâ præceps in seductionis baratrum cœcus iret affectus, sed curiositas inconcessa sciendi superba videtur. Undè generalem finalemque statuimus cautelam, præpositum Apostoli verbum. *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci*, quod ut prudentius observari valeat, non minimam dabunt præmissæ considerationes occasionem juncta sedulitate solertiaque Superioris in omni Collegio vel Universitate vel Monasterio, sed providerint non minori sollicitudine, quales apud suos doctrinæ frequentantur ad animæ fomentum, quam panis qualis apponatur ad corporis nutrimentum. Supersunt alia plurima eò fortassis accommodatiora quò sermo de moralibus particulariter seu practicabiliter traditus & citiùs accipitur in æstimatione & plus hæret in recordativa seu memorativa; sed ad præsens ista cursim dicta sufficiant.

Exemplum Quoddam de seductione mulieris, quod accidit anno Domini 1424.

Deest in MSS. Codd. Vict. & Colbert.

Recitatus est nuper Lugduni Galliæ coram Clero processus cujusdam mulieris delatæ & detentæ Burgi in Bressia, quæ est notabilis villa Ducis Sabaudiæ, circa quam est domus Sellionis Ordinis Carthusiensis. Hæc mulier sub pallio devotionis & revelationum fingebat mirabilia. Astruebat enim se esse unam de quinque fœminabus missis à Deo, compassivè pro redimendis innumeris animabus de inferno. Et jam sua collusione subdola deceperat in Religione illa quamplurimas simplices mulierculas. Sciebat videndo frontem peccata quæ fecerat unusquisque; hoc enim secundum Augustinum etiam diaboli malitia scire potest & suis revelare; non autem ea quæ futura absolutè, sive quæ in secreto cordis latent, & nullo exteriori motu aut signo sese produnt: habebat etiam supradicta mulier duos carbones in pede, qui eam afflixerant quotiescunque aliqua anima ad infernum descendisset. Quotidiè tres animas ab inferno liberavit, unam vel duas sine difficultate, aliam seu alias cum pœna majori ut dicebat. Mentis quoque excessus seu extaticos frequenter habebat, in quibus mirabilia per revelationem didicerat. Erat que miræ abstinentiæ, singularissimæ etiam vitæ. Plura verò alia de ea scribenda forent. Nuper autem cum spiritus almus Sanctæ suæ Ecclesiæ Rector verus (ut creditur) hunc spiritum falsum detegere vellet; hæc mulier capta & pœnis ut torqueretur est addicta, quæ omnem veritatem confessa est, qualiter prædicta cupiditatis occasione finxisset, ut hoc modo se nutriret & suæ paupertati subveniret; aut fortasse pro hujusmodi, diabolo se miseram in famulam dedicavit. Inventa est insuper morbum caducum habere, ac eumdem sub extaticis excessibus quos finxerat palliare. De qua cum varia opinio esset an tanquam hæretica condemnaretur, judicatum est à doctis ad pœnitentiam eam admittendam, nec esse hæreticam, quia illa quæ fecerat dimisit, nec obstinata permansit.

Finis tractatus DE EXAMINATIONE DOCTRINARUM.

Sequuntur aliquæ considerationes quoad tres modos reliquos.

Hæc desunt in Victorino Codice MS. sed reperiuntur in Colbertino.

Supererat ex quatuor modis examinandi doctrinas propositis prosequi de tribus. Sed cur illud non fit ad notitiam deductum, tangunt considerationes quæ sequuntur. Prima consideratio, quod in examinatione doctrinarum non semper expedit notificare particulares defectus qui reperti sunt apud eos qui se alios docere jactabant. Primò, ne secretum datum à viventibus & notis violetur. Secundò, ne veris doctrinis & canonicis miraculis seu Prophetis apud simplices aut malignos calumniæ locus detur. Tertiò, ne particularis enumeratio paucorum sufficiens pro singulis æstimetur. Rursus in examinatione doctrinarum consulendi sunt experti circa particulares casus & eventus, quos suis temporibus invenerunt. Primò, quia certiùs secundum Aristotelem judicat experientia quam ars, & expertus quam artifex. Secundò, quia non sunt actiones humanæ circa generalia, sed in individuis, sicut Medicus non sanat hominem, sed hunc hominem; ita moraliter agens non dicitur facere opus in genere, sed hoc opus in singulari, scilicet cum circumstantiis debitis omnibus istis & illis. Tertiò, quia prudentia quæ doctrix est operum humanorum præsupponit experientiam tam ex præteritis quam ex præsentibus, ex quibus futura conjecturat. Ampliùs in examinatione doctrinarum cavendum est ne decipiatur examinans vel examinanti credens propter relationes insolitas nunc ab illis nunc ab istis perceptas vel auditas, præsertim à fœminis aut à laicis usurpantibus sibi nomen sanctitatis & docentis. Primò, juxta vulgatum auctorem. Rara fides, ideo quia multi multa loquuntur, & hoc fit sæpe sine consequentia, sine ratione: sed ex fantasia capitis perturbati. Secundò, quia multi sunt qui dicipiuntur, quamvis se decipi nesciant, nec decipere vellent. Tertiò, quia sunt alii multi qui se decipi non credunt, alios tamen decipere volunt fingendo mirabilia & illa quæ sciunt esse falsa, & istorum infinitus est numerus, & à me qui loquor frequenter expertus, ita quod ex istorum relatione si credere, si referre, si scribere voluissem, grandis effectus fuisset liber atque mirabilis apud curiosos. Benedictus Deus qui per talium irrisionem & contemptum me totiens à seductione servavit. Fui pridem, fateor, per relationes aliquorum magnæ meritò reputationis, proximus seductioni de quodam Eremita Remensi, nisi modum responsionis propriæ, Deo volente, temperassem. Circa quod tempus opusculum compilavi, seu lectionem unam de distinctione revelationum verarum à falsis. Subinde in examinatione doctrinarum maximè circa doctrinam Theologiæ mysticæ, quæ consistit in affectibus & spiritualibus sentimentis, non est fas homini magisterium assumere sibi in omnibus; sed Spiritui sancto debet hæc gratia præcipuè relinqui.

qui. Primo, *quia ſpiritus ubi vult ſpirat, & vocem ejus audis, & neſcis unde veniat aut quò vadat*, propterea non debet ejus inſpiratio ſub certis regulis aut terminis comprehendi, ſicut nec gratuita viſitatio; quæ ideo gratuita dicitur, quia purè gratis datur, quamvis ut plurimum non conferatur niſi præparatis & facientibus quod in ſe eſt; quales ſunt qui exemplo mulieris fortis conſiderant ſemitas domus ſuæ. Secundò, quia diviſiones gratiarum ſunt, & unicuique dedit Deus menſuram Fidei ſolitariis aliter, aliter ſcholaſticis, & ita de reliquis. Tertiò, quia ſemel loquitur Deus & idipſum non repetit: dedit itaque Deus per Scripturam ſuam ſacram & expoſitores ſuos habere ſufficienter intellectum in omnibus, juxta vocationem unius cuiuſque. Cæterum vocatio Solitariorum & Monachorum iſta eſt, ut plus ſtudeant affectui devotionis, quam intellectûs eruditioni, nihilominus quia dedit Deus mundum diſputationi hominum tanquam occupationem peſſimam, ſaltem malitiâ pœnæ, ne per otium deterius homines torpeſcerent, ne præterea præ faſtidio deficerent abominantes manna Cœlicum, condeſcendendum eſt humanæ fragilitati: permittendum eſt idcircò religioſis aliquibus inquirere de doctrinis ſcholaſticorum, quæ tractari ſolent circa libros ſententiarum. Porrò ſi quæratur à me, quis inter cæteros Doctores plus videatur idoneus? Reſpondeo ſine præjudicio, quod Dominus Bonaventura, quoniam in docendo ſolidus eſt & ſecurus, pius & juſtus & devotus. Prætereà recedit à curioſitate quantum poteſt, non immiſcens poſitiones extraneas vel doctrinas ſæculares Dialecticas aut Phyſicas, terminis Theologicis obumbratas more multorum, ſed dum ſtudet illuminationi intellectûs, totum refert ad pietatem & Religioſitatem affectûs. Unde factum eſt ut ab indevotis ſcholaſticis quorum proh dolor! major eſt numerus, ipſe minus extiterit frequentatus, cum tamen nulla ſublimior, nulla divinior, nulla ſalubrior atque ſuavior pro Theologis ſit doctrina. Quantò denique diligentius in ſenectute mea ſum revolutus ad ſtudium ipſius, tantò facta eſt ampliùs confuſa garrulitas mea. Dixique mecum, ſufficit hæc doctrina, ut quid ſtulto labore conſumeris, quid dictas, quid ſcribis? Multiplicentur protius & transſcribantur opera Doctoris iſtius, de quo verè dicitur illud Chriſti de Joanne: *Erat lucerna ardens & lucens.* Joann. 5. 35. Præterea ſicut apud Grammaticos Donatus de partibus orationis, & apud Logicos ſummulæ Petri Hyſpani traduntur ab initio novis diſcipulis ad memoriter recolendum, & ſi non ſtatim intelligant; ſic apud Theologicos diſcipulos Breviloquium Bonaventuræ, quod incipit. *Flecto genua*: videretur valde ſalubriter imponendum juncto itinerario ſuo mentis in Deum, quod incipit. *In principio primum principium*: Itaque laus omnis inferior eſt his duobus opuſculis, quorum vim agnoſcere etiam ſola credulitate non parvus eſt profectus. Denique ſermo de ſentimentis ſpiritualibus in contemplatione, in devotione receptis, nullatenus intelligitur, ſi non experiatur, & ſi non intelligitur, & ſi non amatur; non libenter auditur, ſed negligitur vel ſpernitur, niſi quis ita fuerit inſtitutus quod firmiter & piè credat, ſe præparans ut ſapiat & non intelligat, neque ſequatur phantaſias proprii capitis vel alieni. Sed Doctores approbatos & eruditos in utraque Theologia, ſcholaſtica & myſtica pro ducibus amplectatur. Sunt induſtriæ quædam notatæ ſuper hujuſmodi negotio Theologiæ myſticæ, quamvis ſæpe maxima ſit induſtria delerere quamlibet induſtriam, & quod homo ſecum habitans magiſterio Spiritu Sancti tota Fide, tota Spe, tota Charitate, tota ſe demum devotione committat. Sunt aliqua ſcripta de impulſibus & de conceptibus & de concordia Theologiæ myſticæ cum ſcholaſtica, & ſimilia multa quæ proficiunt ad examinationem doctrinarum. Sed hæc interim ſufficerit ad conſummationem hujus opuſculi ſubnotaſſe.

Finis *de examinatione doctrinarum* à Joanne de Gerſon Cancellario Pariſienſi.

DECLARATIO VERITATUM

Quæ credendæ ſunt de neceſſitate ſalutis, edita per eundem Dominum Joannem Gerſonium Doctorem & Cancellarium Pariſienſem.

Collat. ad Codd. MSS. Victorin. 698. Colbert. 99. & 5972. & M. Targny.

Scriptus paulò poſt annum 1416.

DECLARATIO compendioſa quæ veritates ſint de neceſſitate ſalutis credendæ, quæ de ſola probabilitate tenendæ, quæ de pietate Fidei reputandæ, & quæ ſint impertinentes judicandæ, & hoc ſub diſtinctione vel gradu ſextuplici, qui ad quaternarium reducitur. Pro ſolutione dubitationis quæ nuper movebatur in ſermone de nativitate Virginis Mariæ conſideratione ſecunda. anno 1416.

Primus gradus veritatum credendarum eſt Canon totius Scripturæ ſacræ & ſingulorum quæ in ea litteraliter aſſerta ſunt, ſic videlicet quod non ſtat cum Fide ut aliquis diſſentiat pertinaciter alicui contento in eadem Scriptura ad intellectum Spiritus ſancti, qui eſt verè & propriè ſenſus litteralis. Si allegatio quæritur, ſufficit illud Mat. 5. 18. *Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cœlum & terra; iota unum aut unus apex non præteribit a lege donec omnia fiunt.* Sequitur. *Amen dico vobis, cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Ibid. 24. 35. Conſtat autem quod Canon Bibliæ Lex eſt Dei per revelationem habita, cujus aſſertiones litterales innituntur huic unico litterali principio. Omne revelatum à Deo eſt verum, & quod Scriptura ſacra divinitus eſt à Deo revelata, ſic quod in omni ſua parte eſt Verbum Dei, quod tranſire non poteſt. Facit ad hoc diſt. 9. Decreti; Capitulis. *Ego ſolis. Si ad ſacras & Quis neſciat.*

Secundus gradus eſt veritatum ab Eccleſia determinatarum, quæ ab indubitata relatione Apoſtolorum per ſucceſſionem continuam devenerunt. Eſt autem hæc Eccleſiæ auctoritas tanta ut dicere Auguſtinus: *Evangelio non crederem niſi me auctoritas Eccleſiæ Catholicæ compelleret*, quamquam viciſſim dici poſſit, Eccleſiæ non crederem, ſi non auctoritas ſacræ Scripturæ impelleret. Et ita diverſis reſpectibus auctoritas utraque mutua ſe confirmat.

Attendendum tamen eſt quod non omnia quæ tradit vel tolerat Eccleſia publicè legenda, ſunt de neceſſitate ſalutis credenda, ſicut patebit ex quinto & ſexto gradibus veritatum; ſed dumtaxat illa quæ ſub definitione judiciali tradit eſſe credenda, vel oppoſita reprobanda, concurrente univerſali totius Eccleſiæ conſenſu implicitè, vel explicitè, verè vel interpretativè. Tertius gradus eſt veritatum ſpecialiter aliquibus revelatarum quæ ab illis quibus revelatio facta eſt, abſque ulla dubitatione credendæ ſunt, alioquin non eſſent revelatæ, de cujus ratione eſt ut ſit certa. Cæteri verò quibus non eſt hujuſmodi revelatio facta, non obligantur credere niſi per miraculum evidens vel Scripturam ſacram, & præcipuè per Eccleſiam detur certitudo. Sic enim Joannes Baptiſta miſſionem ſuam oſtendit per Scripturam propheticam. Et Apoſtolus propterea contulit Evangelium ſuum quod habuerat per revelationem cum Petro, & aliis de Eccleſia; non quod dubitaret de illo Evangelio: peccaſſet enim, nec dixiſſet, *etiam ſi Angelus de cœlo aliud vobis Evangelizaverit, anathema ſit.* Galat. 1. 9. Sed ideo contulit Evangelium ſuum quod habuerat per revelationem ut approbaretur per Eccleſiam ad credulitatem aliorum & non ad ſuam, quia dixit quod nihil ſibi contulerunt Petrus & cæteri, ſed *dextras dederunt*,

derunt, cum cognovissent gratiam Dei quæ data erat sibi. Galat. 2. 9. Demum triplex hujusmodi gradus veritatum reducitur ad unum, scilicet ad veritates quæ credi debent immediatè & explicitè à Deo revelatæ esse. Quartus gradus, continet veritates omnes & singulas quæ concluduntur ex præmissis veritatibus in consequentia certa in lumine Fidei, vel in evidenti lumine naturali, quamvis non in propria forma verborum illic habeantur. Quemadmodum ista veritas A est de necessitate salutis credenda: Christus habuit nervos & venas, ossa & reliqua humana membra, quamvis in scriptura sacra non habeatur in propria verborum forma. Et ita de similibus sine numero, quoniam ista est evidens consequentia nedum in lumine Fidei, sed in lumine naturali apud Philosophos: Christus fuit verus homo, ergo Christus habuit nervos & venas. Propterea sine temeritate Fidei vel discrimine fuerunt aliquando quæstiones Fidei ad Philosophos paganos per Christianos deductæ, quia videre poterant acuti Philosophi, quid ex præsupposita lege nostra, licet ab eis non credita, consequenter esset dicendum in bona & evidenti consequentia. Et hic est secundus gradus principalis, primis tribus ad unum reductis. Quintus gradus. Rursus in quinto gradu qui tertius est modo dicto, reponuntur veritates illæ quæ ex veritatibus quadruplicis gradus antedicti vel aliquibus earum deducuntur in consequentia tantummodo probabili vel topica; vel dum B in antecedente ponitur propositio quæ ad Fidem est impertinens, quamvis supponatur esse vera. Dicit autem Aristoteles *id esse probabile quod omnibus & maximè sapientibus verum apparet, non autem illud quod indoctis videtur esse verum;* dicitur probabile, quia *stultorum infinitus est numerus.* Veritas autem omnino impertinens ad Fidem, illa sola dicitur quæ nec in consequentia evidenti, nec in consequentia probabili, neque certa sequitur vel repugnat. Porrò dum propositionibus Fidei apponitur aliqua quæ non est de Fide, tunc totum quod est una copulativa non potest simpliciter dici de Fide, quia sequitur debiliorem partem, ut si in ea esset una contingens, tota esset contingens; quamvis essent multæ necessariæ. Dicitur nihilominus talis propositio, ad cujus verificationem requiritur una propositio non pertinens ad Fidem, quod sapit Fidem si sit vera, vel quod sapit hæresim si sit falsa. Et sic potest de- C scribi propositio sapiens hæresim, quod est propositio ex cujus concessione coassumpto aliquo quod non potest rationabiliter negari, sequitur hæresis in Fide, ut si quis diceret, quod beatus Gregorius non fuisset Papa quia supposito quod non possint rationabiliter negari historiæ dicentes ipsum fuisse ritè electum & susceptum in Papam, licet non sint de Fide, sequitur ista hæresis, quod ritè electus in Papam non est nec fuit Papa. Unde non est ista propositio Catholica, si sibi jungatur aliquid impertinens ad Fidem, quin totum hoc complexum remaneat ad Fidem impertinens. Exemplum, ut ista propositio, Biblia est falsa, est hæreticalis, & si adderetur quod Biblia quam habet Joannes est falsa, non esset hæreticalis de se, licet dici posset sapere hæresim, supponendo quod Joannes non haberet Bibliam nisi correctam. Postremò in casibus hujus quinti gradus & sexti sequentis, verum est quod causæ Fidei referendæ sunt ad sacrum Concilium D vel ad Papam illius defectu si super eas fieri debeat determinatio vel articulus arctans omnes, secus in aliis causis quæ tres primos gradus & quartum respiciunt, nisi fortè per appellationem.

Sextus gradus. Demum in sexto gradu qui quartus est modo dicto, collocantur veritates illæ quæ tantummodo faciunt ad nutriendam vel fovendam devotionem religiosamque pietatem, quæ scilicet magis inducuntur ad inflammandum affectum, quàm ad instruendum intellectum, ubi pietas devota magis aspicitur quàm veritas certa, ubi hoc unum reprobatur, si adesset assertionis temeritas, priusquam elucidaretur alio modo per Ecclesiam vel rationem certam ipsa veritas, aut si superstitionem, hoc est religionem superfluam aut noxiam, aut vanam induceret. Unde sicut dicit Aristot. *Nihil refert quædam falsa probiliora esse quibusdam veris, ita nihil refert quædam falsa piè credi,* non quidem ea ratione qua falsa sunt, vel si sciuntur esse falsa, credi possunt, procul sit hoc à pietate fidelium. Sed cadit existimatio vel pia credulitas non super veritate vel falsitate, sed tantummodo super apparentia vel probabilitate; & hoc utique non est periculosum vel falsum, quia constat de apparentia & probabilitate, dum falsitas vel veritas ignota est. Propterea sapientissimè dixit Hieronymus *quod de talibus eligibilius est piè dubitare quàm temerè definire.* Sicut stat quodlibet contradictoriorum esse probabile, & unum stat cum altero non in veritate sed probabilitate. Exemplificari potest de corporibus sanctorum aut membris, quæ conservantur pro Reliquiis: nam idem corpus cum membris asseritur esse in multis locis & tanquam tale veneratur pro ut dicitur de capite Sancti Joannis Baptistæ, de brachio S. Antonii, qui enim veneratur istud in loco illo non credit esse in alio; alius autem è contrà. Sic diversis respectibus utrumque contradictoriorum credi potest cum Fidei pietate, dum tamen sit animus ab assertione pertinaci alienus. Respicit autem iste gradus Legendas & miracula Sanctorum, vitas patrum, visiones nec non phantasias religiosorum & devotarum personarum, recitationes & opiniones sacrorum Doctorum quæ omnia suscipit Ecclesia & legi permittit, non quod determinet talia de necessitate salutis esse credenda, sed quia proficiunt ad commovendos affectus pios fidelium & in ædificationem ipsorum; dum in talibus nihil de certitudine scitur esse falsum, quamvis etiam nesciatur illud certitudinaliter esse verum, quod nec oportet, nec ut tale credendum proponitur, ita quod magis hic atttenditur id quod pia recogitatione fieri potuit, quam illud quod factum est. Et hoc apud Oratores creberrimè reperitur, qui ex aliorum personis dicunt ea non quæ personæ dixerunt, sed quæ dicere potuerunt sicut in Legenda beatæ Agnetis & beati Sebastiani & Silvestri continetur.

Sequuntur aliquæ Propositiones Corollariæ quæ particulariùs materiam elucidant.

Corollarium Primum.

FALSUM, blasphemum & hæreticum est asserere quod sensus litteralis Sacræ scripturæ sit aliquando falsus. Patet ex dictis in primo gradu; & quoniam secundum Augustinum solummodo potest ex sensu litterali sacræ Scripturæ efficax argumentum sumi. Non autem esset efficax argumentum, si sensus litteralis nedum in dubium, sed in falsum verteretur. At verò propter concordantiam aliquorum si videantur aliter dixisse, dicimus quod aliud est littera, aliud est sensus litteralis, vel quod de sensu litterali Scripturæ sacræ impropriissimè locuti sunt. Est enim sensus litteralis verè & propriè dictus ille, quem Spiritus sanctus principaliter intendebat, & qui ex circumstantiis litteræ Scripturæ sacræ trahi potest & debet, sicut expositores sacri fecerunt atque docuerunt. Alioquin periret omnis soliditas probationis à Scriptura sacra, sicut arguit Augustinus ad Hieronymum & habetur distinct. 9. si in aliquo sensu suo litterali esset falsa, quia perspicuum est quod falsum nihil probat, & respondens poterit semper dicere ad antecedens sumptum de sensu litterali Scripturæ, quod sensus litteralis bene est falsus, & ita nihil probat quia regula non traditur

ditur ab adverſariis quando eſt falſus ſed quando eſt verus.

Corollarium Secundum. Falſum, blaſphemum & hæreticum eſt aſſerere quod de notis per experientiam vel de evidentibus per rationem naturalem non ſit Fides etiam propriè dicta. Licet non ſub eadem ratione experientiæ, vel evidentiæ rationis, naturalis fides habeatur, ſed alio reſpectu, innitendo ſcilicet divinæ revelationi, prout *Fides eſt ex auditu per verbum Chriſti*, ad Rom. 10. Patet quoniam præcepta Decalogi evidentia ſunt in lumine naturali, & iſta, *Deus eſt*. Similiter quod Roma fuerit vel Hieruſalem fuit, notum eſt per experientiam. Hæc nihilominus prout nobis in Scriptura ſacra traduntur tanquam approbata per Eccleſiam ſunt certa fide tenenda, quoniam credulitas omnium traditorum in ſacra Scriptura innititur huic principio ſolum credito & naturaliter in evidenti, quod tota ſacra Scriptura à Deo revelata eſt, remanet igitur inevidens totum ſub hac credulitatis ratione. Undè conſequenter inferri poſſet quod tot ſunt articuli Fidei quot ſunt veritates contentæ in Scriptura ſacra, niſi fortè fiat reſtrictior acceptio articulorum Fidei, pro illis tantummodò veritatibus quæ continentur in Symbolo Apoſtolorum, quæ ſcilicet de directo & immediatè reſpiciunt myſterium glorioſæ Trinitatis & Incarnationis benedictæ, quamvis eadem ſit utrobique generalis ratio credendi, ſcilicet divina revelatio: In tantum quod ſub hac ratione non minus alia credenda ſint firmiter, hoc eſt abſque formidine de oppoſito, tàm propoſitiones contingentes de futuro, quàm propoſitiones neceſſariæ. Sicut apparet de iſta, Reſurrectio mortuorum erit. Poſſent conſequenter inferri plurima, qualis ſit vel non ſit auctoritas condendi articulos Fidei, & ſi poſſit fieri novus articulus. Si præterea poſſit fieri propoſitio hæretica de non hæretica, ſi denique poſſit eſſe aliquis neſcienter hæreticus: & ita de pluribus aliis quæ brevitas jubet omittere.

Corollarium tertium. Falſum, blaſphemum & hæreticum eſſe aſſerere, quod præcepta Decalogi non ſint de Fide etiam propriè dicta, quamvis reputari debeant evidentia in lumine naturali, patet ex declaratione præmiſſorum. Unde Matth. 5. 19. *Qui igitur ſolverit unum de mandatis iſtis minimis & docuerit ſic homines minimus vocabitur in regno Cœlorum.* Et accipitur ly *minimus* negativè id eſt nullus, & ita ſeparatus à Regno Cœlorum quod eſt Eccleſia, & hæreticus judicandus, ſi ſe nolit corrigere.

Corollarium quartum. Falſum, blaſphemum & hæreticum eſt aſſerere quod & aſſertiones oppoſitæ Præceptis Decalogi non ſpectant ad Fidem tanquam repugnantes Fidei, aut quod non ſint judicio Fidei reprobandæ. Et quod Judices Ordinarii non habeant ſuper his reprobandi & condemnandi facultatem ubi notoriè ſcandalizant, patet ex præmiſſis. Addito quod aſſertio propoſitionis ad unam partem notat fixam adhæſionem cum remotione probabilitatis alterius partis. Et hoc in falſis propoſitionibus ſine manifeſta temeritate & pertinacia nequaquam fieri poteſt.

Primum corollarium ſequens ex quarto gradu qui ſecundus eſt, ſi tres primi reducuntur ad unum.

Corollarium primum.

Obligatur aliquis certa & explicita Fide tenere & nullatenus dubitare ſub pœna hæreſis quod aliqua propoſitio vera eſt, de quo alius poteſt ad tempus ſine culpa dubitare. Et hoc ſpicialiter in exemplo triplici poteſt oſtendi, ſicut in triplici propoſitione corollaria ſubſequitur.

Corollarium ſecundum. Obligatur aliquis ut putà Theologus exercitatus in Scripturis ſacris legendo & conſiderando eas certa & explicita Fide tenere, & nullatenus dubitare multa, de quibus ſimplex & idiota requiſitus rationabiliter ſi non pertinaciter dubitaret, ut quod Tobias habuerit canem, vel Aaron barbam, vel Arca Teſtamenti de pilis caprarum coopertam. Datur enim circa hæc regula, quod dubius in Fide, infidelis eſt; quod intelligitur ubi dubitat aliquis illa quæ tenetur explicita Fide credere, ſicut oportet in multis, præſertim in Doctoribus & Prælatis.

Corollarium tertium. Obligatur aliquis, utputà Canoniſta exercitatus in determinationibus ſanctæ Eccleſiæ legendo & conſiderando eas certa & explicita Fide tenere, & nullatenùs dubitare multa, de quibus ſimplex & idiota imò & Theologus aliquis in caſu requiſitus rationabiliter ſi non pertinaciter dubitaret, patet ut præcedens. Et ſic diceretur de exercitatis in prædicationibus & narrationibus publicis noſtræ Fidei, quamvis etiam eſſent laici, quoniam ad plura explicitè tenenda & credenda tenentur cæteris paribus, quam taliter vel totaliter non inſtructi.

Corollarium quartum. Obligatur aliquis, utputà doctus & exercitatus in logicalibus, moralibus & prudentialibus ſcientiis certa & explicita Fide tenere, & nullatenùs dubitare multa, de quibus ſimplex & idiota vel ſic non exercitatus rationabiliter, dum tamen ſine pertinacia dubitaret. Ratio autem præcedentium omnium una eſt, quia cui plus committitur, ab eodem plus exigitur. Unde reputari debet una conſequentia deducta ex Scripturis ſacris uni magno Logico vel Philoſopho vel Theologo evidens vel certa eſſe, quam alius idiota vel in exercitatus poterit ad tempus vel falſam vel ſolum probabilem & incertam reputare. Denique ſequitur ex his omnibus quod judicium & quæſtiones Fidei licet auctoritativè ſpectent ad Prælatos & Doctores, ſpectare tamen non poteſt ad alios quam Theologos deliberatio, ſicut & cognitio ſuper his quæ Fidem reſpiciunt, ita etiam ut ad laïcos multos hoc poſſet extendi, & plus aliquando quam ad multos Clericorum.

Aliud Corollarium.

Rurſus corollarium unum ſequitur ex præcedentibus. Ex officio dignitatis Epiſcopalis tenetur Prælatus cognoſcere tenorem Præceptorum Decalogi, nedum implicitè ſed explicite, præſertim cum in conſecratione ſua profiteatur utrumque Teſtamentum ſe ſcire, Vetus & Novum. Quod ſi neſciat vel dubitat ubi non eſt dubitandum, proinde reddetur inexcuſabilis, attento quod de talibus princeps Apoſtolorum dixit, *Parati dare ſatisfactionem, omni poſcenti rationem de ea quæ in nobis eſt fide & ſpe.* 1. Pet. 3. 15. Unde etiam ſecundum jura humana non admittitur aliquis allegans ignorantiam de illis quæ ex officio ſuo, ſtatu vel gradu tenetur ſcire. Ex officio Doctoralis auctoritatis & dignitatis in Theologia tenetur Doctor cognoſcere tenorem Præceptorum Decalogi, nedum implicitè ſed explicitè, & paratus eſſe debet reddere ſaltem doctrinaliter rationem, juxta intellectum communem Doctorum, nec in contrarium excuſatio ignorantiæ proficere tali debet. Stat aliquem poſſe reputari vehementer & rationabiliter ſuſpectum de hæreſi dum dogmatizat doctrinam aliquam, vel de ipſa dubitat, ubi vel quando alius ſimilia faciens vel dogmatizans vel dubitans ſuſpectus in Fide nequaquam haberi deberet. Patet in eruditis Profeſſoribus ſacræ Scripturæ & ſacrorum Canonum, & in habentibus revelationem ſpecialem reſpectu non eruditorum rudium atque ſimplicium, & in Prælatis quibus annexa eſt obligatio iſta ſciendi, nedum implicitè ſed explicitè. Stat in hoc ſacro Concilio Conſtantienſi reperiri quoſdam qui circa delationem reprobationis novem aſſer-

assertionum denunciatarum in materia homicidii, perjurii, & insidiarum mortalium nequaquam culpandi sunt, quoniam aliorum expectabant judicium, ubi tamen non possunt alii de fautoria & suspicione pravitatis hæreticæ vehementi ullatenus excusari, quoniam ad eos spectabat provisionis modus & pondus hujus negotii.

A Auctoritates pro primo gradu Augustinus ad Hieronymum epistola 8. distinct. 9. Decreti. *Ego solis illis libris, Scripturæ qui Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque referre, ut nullum eorum scribendo errasse audeam credere.* Idem in epistola ad Hieronymum. *Si ad sacras Scripturas vel causas admissa fuerint vel officiosa mendacia, quid in eis remanebit auctoritatis?* Quæ tandem de Scripturis illis sententia proferetur, cujus pondere id est scripturæ auctoritate contentiosæ falsitatis conteretur improbitas. Idem eadem distinct. *de unico baptismate* lib. 2. Quis nesciat sanctam Scripturam canonicam tam Veteris quam Novi Testamenti certis terminis suis contineri, eamque posterioribus omnibus Episcoporum litteris ita præponi; ut de illa omnino dubitari & disceptari non possit utrum verum, vel utrum rectum sit quicquid in ea scriptum constiterit esse. Episcoporum autem litteras quæ post confirmatum Canonem vel scriptæ sunt vel scribuntur, & per sermonem forte sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris & per aliorum Episcoporum graviorem auctoritatem doctorumque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi si quid in eis forte à veritate deviatum est.

Nota descriptiones aliquas quæ sequuntur ex præmissis.

Veritas Catholica potest describi, quod est veritas habita per divinam revelationem immediatè vel mediatè, explicitè in propria forma verborum vel implicitè in bona & certa consequentia. Fides pro habitu infuso describitur, quod est habitus supernaturaliter infusus inclinans ad credendum Catholicis veritatibus. Fides pro actu describitur, quod est assensus verus & certus Catholicæ veritatis ex infusa Fide proveniens. Fides pro habitu acquisito sic describitur conformiter ad descriptiones quas dat Philosophus de scientia, arte & sapientia, quod est habitus verus & certus per auditum verbi Christi acquisitus, sicut dicit Apostolus *quod Fides est ex auditu, & auditus per verbum Christi.* Et Augustinus dicit quod *per Scripturam sacram Fides saluberrima gignitur.* Dicitur *verus* ad differentiam errorum. *Certus*, ad differentiam opinionum. *Acquisitus* per auditum verbi Christi, ad differentiam scientiæ, artis, sapientiæ & intellectûs. Fides pro objecto quandoque dicitur ipsa propositio credita, vel aggregatio multorum credibilium seu veritatum Catholicarum, ut hic, *Hæc est fides Catholica* &c. Quandoque dicitur ipsa res significata per propositionem creditam seu Catholicam. Et ita nulla res est quin possit cadere sub Fide. Quandoque dicitur ipsa ratio credendi, & hæc est una omnium credibilium scilicet auctoritas primæ veritatis revelantis quæ nunc videtur in ænigmate. Et sub hac ratione dicitur Fides, *argumentum non apparentium* Heb. 11. 1. secus erit dum videbimus facie ad faciem. Veritas impertinens ad fidem, est quæ nec sequitur nec repugnat ad Catholicas veritates. Veritas sapiens Fidem, est veritas continens aliquod vel aliqua quæ sunt propriè de Fide, cum aliquo vel aliquibus adjunctis quæ non pertinent ad Fidem seu Catholicam veritatem. Et opposita falsitas dicitur sapiens hæresim si id quod adjunctum est sit tale quod non possit vel debeat rationabiliter negari, quamvis non sit de Fide.

Determinatio in Concilio Constantiensi.

Ecclesia vel generale Concilium dum dictat aliqua regitiva Ecclesiam concernentia, Papa non est sic supra Jura positiva quod possit sic pro libito disponere, dissolvere talia dictata per Ecclesiam, eo modo & intentione quibus dictata conclusaque sunt. Ecclesia vel generale Concilium quamvis non possit tollere plenitudinem potestatis Papalis à Christo supernaturaliter & misericorditer collatæ, potest tamen usum ejus limitare sub certis regulis ac legibus in ædificationem Ecclesiæ. Et in hoc est totius Ecclesiasticæ reformationis stabile fundamentum.

TRACTATUS

Joannis Gersonii, Doctoris & Cancellarii Parisiensis de protestatione circa materiam Fidei contra hæreses diversas.

Prologus.

Protestatio seu revocatio generalis aut conditionalis, quia queritur nonnumquam assumi tanquam velamen iniquitatis & ad excusandas excusationes in peccatis, præsertim ab hæreticis; proposuimus declarare sub aliquibus considerationibus quid protestatio generalis, quid conditionalis revocatio juvant vel important, maximè dum in hoc sacro Constantiensi Concilio sentimus quod hæreses ut cancer serpunt, & sub hujusmodi protelationibus delitescere quærunt junctis protelationibus quæ sub terminis Juris positivi velut in causis prophanis sedulo procurantur, ut non protinùs in lucem prodeat veritatis Catholicæ species atque decus.

Consideratio prima.

Protestatio circa materiam Fidei de qua sola nunc intendimus, est quædam professio seu confessio facta exteriùs, ad ostendendum quid de Fide protestans sentiat interiùs, juxta illud, Apostoli ad Rom. 10. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et sic ad salutem, ut dixerit Christus Luc. 9. 26. *Qui me erubuerit & sermones meos, filius hominis hunc erubescet coram Angelis Dei.* Quo contra Matthæo teste dicebat. Matt. 10. 22. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Ex quibus elicitur quod sicut credere cadit sub præcepto, sic cadit Fidem exteriùs profiteri, semper quidem, sed non ad semper, cum sit affirmativum Præceptum. Obligat autem semper & ad semper dum ex omissione confessionis libera dispendium Fidei vel salutis detrimentum probabiliter immineret, ut, coram tyrannis, coram hæreticis, coram judicibus coram populis, Fides est diversimodè palam confitenda, defendenda, testificanda, & ex officio prædicanda. Notetur Augustinus super illud Apostoli. *Oportet hæreses esse.* 1. ad Cor. 11. 19. Et recitatur. 24. q. ult. c. *Ideò* Faciunt pro hoc dicta Scripturæ Joan. 10. 2. Petri 3. Malachiæ. 2. Ezech. 3. & 23. & alibi sine numero.

Consideratio secunda.

Protestatio generalis vel specialis de ipsa Fide non infert quod protestans erraverit, similiter nec revocatio conditionalis. Hoc est itaque perspicuum, quoniam homo quantumcunque fidelis dicere potest, protestor quod nihil intendo dicere nec puto dixisse contra Fidem, & si oppositum contingeret vel contigisset, illud ex nunc revoco vel retracto. Sic inveniuntur Doctores Catholici quandoque dixisse, immò & quotidianus mos apud exercitantes se in actibus Theologiæ scholasticis sic se habet, in quibus frequenter nullus est aut fuit de

errore

errore notatus qui sic protestatur aut revocat. Nihilominùs advertendum est quod refert protestari vel conditionaliter revocare circa ea quæ clarissimè & explicitè sunt de Fide, sicut quod Deus est omnipotens quod proximus est diligendus. Aliter verò circa ea quæ disputabilitatem vel difficultatem habent aliquam. In primò siquidem casu fas est dicere cum Apostolo ad Galat. 1. 9. *Si quis vobis aliud evangelizaverit, etiam Angelus de cœlo, anathema sit.* Quo circa veniunt irridendi quandoque, immò & corripiendi nonnulli qui conclusiones Theologicas posituri, dicunt. Protestor quod nihil volo vel intendo asserere, sed tantummodo disputativè loqui. Deinde ponunt talem aliquam conclusionem. *Deus est omnipotens, Deus est trinus & unus*, quasi videlicet conclusiones tales non in certissima credulitate, sed sub probilitate tradi possint. Denique sic est judicandum de omnibus ad quæ profitens Fidem suam obligatur explicitè credere, vel ex officio vel ex eruditione, vel ex divina revelatione, vel ex aliquo tali modo. Alioquin sicut dubius in Fide infidelis est, sic & dubiè profitens certam Fidem. Neque tamen negandum est quin protestatio seu submissio reverentialis fieri possit sicut egit Apostolus conferendo Evangelium suum, de quo per revelationem certus erat, cum Petro & aliis Apostolis, quibus tamen oppositum si fieri potuisset, dicentibus nequaquam credidisset.

Consideratio tertia.

Protestatio generalis de Fide stat cum errore particulari circa eam, & similiter conditionalis revocatio. Vidimus hoc & videmus in ipsis hæreticis qui errant videlicet pertinaciter contra Fidem circa ea quæ tenentur explicita Fide tenere, exterius profiteri, quorum nihilominùs vox ista est, protestor quod esse volo bonus Catholicus; & si scirem aliquid esse contra Fidem, illud statim vellem revocare. Sic Arrius, sic Sabellius, sic hæretici nostri temporis plerumque dixerunt, quos tamen damnatio judicialis interimit vel perdidit. Datur ad considerationem hanc ratio talis, quia stat quod aliquis credat aliquid in generali, ut quod Fides Catholica vera est, & pro hac mori vellet, qui nihilominùs in speciali credit de aliqua veritate Catholica, quod non sit de Fide, errans pertinaciter circa illam. Simile dicit Aristoteles, *quod contingit aliquid scire in generali, & illud vel nescire vel de illo dubitare in particulari.* Exemplum est de illa. Omnis mula est sterilis, hoc animal non est sterile demonstratâ mulâ; quam aliquis putat esse prægnantem ob turgidum ventrem; & nescit vel non advertit eam esse mulam, & ita sicut in hoc casu iste nescienter errat, sic & alii de quibus loquimur, dicuntur nescienter hæretici, prout infra docebimus.

Consideratio quarta.

Protestatio generalis de Fide non sufficit ad purgationem errantis pertinaciter, sic nec conditionalis revocatio. Sequitur hoc ex præcedenti. Cujus etiam ratio talis est quia debet errans particulariter & explicitè circa ea quæ sunt Fidei quærere cauta sollicitudine veritatem Fidei, & obedire quæsitæ ac sufficienter edoctæ, tàm credendo interiùs quàm exteriùs profitendo, alioquin ostendit se non paratum corrigi. Ostendit quoque se non credere sacræ Scripturæ Catholicæ, dum non credit eis quæ sufficienter contineri monstrantur in eadem Scriptura formaliter, vel in consequentia evidenti seu certa, quoniam si non corrigitur per hanc regulam Scripturæ, nihil reliquum est per quod ad viam veritatis reducatur, secluso miraculo. Denique talis protestans seu conditionaliter revocans, dum facit vel dicit oppositum suæ protestationis ac revocationis, patet ipsum non inde justificari; sed magis infici cum sit ipse sibimet contrarius. Rursus talis alios per hujusmodi protestationes & revocationes ab errore non revocat, neque scandalum datum tollit, neque captivat intellectum sub Deo in obsequium Fidei. Stat enim talis protestatio cum infidelitate, cum scandalo, cum tumore & arrogantia. Propterea statutum invenitur A in sacris Canonibus quod errantes dum correcti recipiebantur dabant libellum suæ Confessionis absolutè de Fide, & abjurationis de errore. Rectè quidem sicut & in foro pœnitentiali non sufficit sub conditione facta Confessio, dum aliquis scit vel scire debet absolutè quod peccavit; secùs ubi non habetur certitudo, sed scrupulus aliquis timidus & vacillans nesciens si hoc fecit, vel malo modo fecit; quemadmodum circa cogitationes carnis, quas incontinens sensit, trepidat vel ignorat si consensit, quo casu sufficit conditionalis Confessio & salva veritate doctrinæ. Gregorius *Bonarum mentium est*, inquit, *agnoscere culpam ubi culpa non est*, hoc est pœnitentiam quasi pro culpa recipere quasi reus esset. Sed opponitur contra considerationem de nescienter hæretico qui mentiretur contra conscientiam si revocaret. Responsio plana est, quia tenetur conscientiam deponere ex quo supponitur quod pertinax est, secus B ubi quis errat non imputabiliter, quia pro tunc non tenetur conscientiam dimittere, sed benè postmodum dum movetur legitimè. Facit pro consideratione Calixtus, sicut habetur extra de pe. & re. c. 1. *Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda, nec sub conditione.*

Consideratio quinta.

Protestatio generalis & conditionalis revocatio veraciter factæ sufficiunt ad excusationem aut purgationem dum protestans & conditionaliter revocans errant circa ea quæ non tenentur explicitè credere vel absolutè confiteri. Declaratur hoc in illis qui promptum habent animum statim obediendi veritati cognitæ; ut si Theologus aliquis vel non Theologus erraret circa unam propositionem in Biblia positam. Exempli gratia, quod Samuel unxit in Regem ipsum Saul, vel quod David fuit pastor ovium, C non ideo diceretur statim hæreticus: quia fortè nunquam vidit vel audivit textum illius Scripturæ; sed postquam ostenditur in textu sic haberi, continuò credit & assentit, & ita protestatio & conditionalis revocatio salvant eum ne pertinax esse vel fuisse condemnetur; præsertim dum de ignorantia sua potest afferre sufficiens documentum, alioquin fortè judicaretur apud homines pertinax fuisse; apud Deum verò maneret innoxius: propterea positum est in consideratione hoc adverbium veraciter, per quod excluduntur qui non ex animo, sed fictè & inaniter protestantur diffidentes in semetipsis corde, voce & opere.

Consideratio sexta.

Protestatio generalis de Fide qua dicunt aliqui, sufficit mihi Fides Ecclesiæ, sufficit quod salver in D Fide parentum, sufficit mihi dicere, *Credo in Deum*, non salvat semper hujusmodi protestantes, etiam si non errant. Deducitur hoc, quia non sufficit sola Fides generalis & implicita, sed explicita requiritur, apud justos quidem minùs, apud alios ampliùs. Unde Symbolum generale apud omnes capaces rationis, est illud quod posuit Apostolus ad Heb. 11. 6. *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Porrò apud Christianos quibus facta est apertior revelatio de credendis, non sufficit hoc Symbolum; sed debent explicitè credere Symbolum Apostolorum, & illud addiscere pro-

tinùs

tinùs ut veniunt ad annos discretionis, sicut ab initio dum baptizabantur adulti, fiebant priùs Cathecumini, profitentes explicitè Fidem suam, quemadmodum pro parvulis Patrini nunc respondent. Deinde sunt multa de Fide per universos penè Christianos promulgata in prædicationibus, in picturis, in mutuis relationibus seu collationibus, in observationibus authenticis celebritatum Sanctorum, & ita de reliquis. Hæc autem talia quæ publicè fiunt, A non est licitum (sicut dicit Canon) ignorare. Non enim excusarentur laïci, si non crederent infernum esse, si non bonos Angelos, si non malos, si non Sanctos & Sanctas; si non prætereà decem præcepta Legis, juxta planum & textualem eorum intellectum; ut quod non est idolatrandum, quod non perjurandum quod non occidendum, quod non furandum, quod non mœchandum, & ita de reliquis primis impressionibus, legibus ac inscriptionibus naturæ, quas nemo capax rationis, maximè postquam sibi traditæ sunt per doctrinam, permittitur ignorare. Ampliùs verò sunt alii quos ultra simplices & commune vulgus hominum necesse est habere Fidem explicitam de plurimis multipliciter & specialiter, quadruplici ratione. Primò propter Officium Pastorale super alios, ut pascant eos in Fide & doctrina, & ab hæreticorum argutiis sapienter defendant. Constat enim quod aliqui sunt in B Ecclesia ad hoc obligati ex Officio, alioquin non essent sufficienter instituta. Isti autem sunt Prælati, juxta quod profitentur utrumqne se Testamentum scire, quod & Apostolus sæpius explicuit, dum Tymotheum & Tytum charissimos discipulos instrueret & alios. Act. 20. 28. dicens. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo posuit vos Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei*, &c. Deindè secundò sunt Doctores in sacris litteris professores, quos ignorantia non potest excusare, quin sciant explicitè plurimas veritates contentas in Biblia, & alias ex eis deductas. Alioquin Doctoris nomen & gradum damnabiliter & inexcusabiliter usurparent. Proindè sunt alii de statu etiam laïcali, quos oportet multa scire de legibus Divinis Præceptornm moralium, de articulatim & explicitè propter susceptum ab eis officium, utputà rectores populorum, quia judices eorum, quia consiliarii vel assessores sunt eorumdem rectorum & judicum, in causis variis criminalibus C atque civilibus. Quod animadvertens Salomon petivit à Domino *cor docile & intelligens ad Sciendum justitiam & ad faciendum judicium*. 3. Reg. 3. 9. Est itaque regula quod nullus ea quæ sunt Officii sui permittitur ignorare; quæ regula respicit nedum Prælatos majores aut Principes superiores, sed minores & inferiores in utroque statu Clericali; ut sunt Curati & Confessores in foro pœnitentiali, & in statu laïcali ut Præpositi & Ballivi. Postremò consurgit quartò generalis obligatio ad credulitatem aliquorum explicitam, non ex solo gradu hierarchico, scilicet ex aliis donis gratuitis, ut sunt vivacitas ingenii naturalis, ut judicium solers, ut vis gnomica, vel epyeikes, ut particularis eruditio, ut vehemens applicatio ad Scripturas, sacras, canonicas vel civiles. Hic enim veritatem habet illud Gregorii: *Tantum ab uno quoque Dominus exigit quantum dedit*. Quo fit ut perspicua sit consideratio quæ dicta est adversus reprobam nonnullorum desidiam D vel taciturnitatem, qui dum Fides confitenda venit explicitè, se in implicita latere tutos putant; aut qui talentum multiplicis doni naturalis vel gratuiti, quod multiplicandum susceperant à Domino spiritualibus incrementis, defodiunt in terram supervacuæ vel noxiæ curiositatis temporalis, sibi blandientes quod in Fide non errent, quippe de ea nihil sciunt, curant vel interrogant. Notetur pro consideratione sanctus Thomas secunda secundæ. q. 2. art. 6. *Explicatio*, inquit, *fidei ad inferiores homines, oportet quod veniat per majores*: quod probat auctoritate Dionysii concludens quod oportet eos pleniorem habere notitiam de credendis, & magis explicitè credere

Consideratio septima.

Protestatio generalis seu conditionalis revocatio quæ dicitur ab aliquibus pertinaciter errantibus. Si hæc veritas mihi nota esset, scit Deus quod libenter eam corde crederem ad justitiam, & ore confiterer ad salutem, Joan. 5. non excusat tales apud Deum vel homines. Fundatur hoc super illud Evangelii. *Ecce venit hora & nunc est, ut omnis qui vos interficit, arbitretur se obsequium præstare Deo*, Joan. 16. 2. Sic Apostolus priùs errans in Christianorum persecutione judicabat de seipso; sic ad Judæos loquens dicit: *Et nunc scio fratres, quod hæc per ignorantiam fecistis*, Act. 3. 17. quos tamen non excusabat de nece Christi, dum alibi dicit. *Ignorans ignorabitur*. 1. Cor. 14. 38. Erat quippè juris ignorantia affectata crassa vel supina. Sic hæretici dum se morti tradunt pro defendendis erroribus suis arbitrantur se Catholicos & mereri; habent quippe zelum, prout dat aliquibus testimonium Paulus, *sed non secundum scientiam*; Rom. 10. 2. quare non secundum scientiam? Nimirum quia scientiæ Dei (quæ est Scriptura sacra) suam sophisticam scientiam sic præponunt, quod eidem nolunt esse subjecti, quamvis aliter sint sibimet conscii, non tamen in hoc justificati, quia mentitur iniquitas sibi.

Consideratio octava.

Protestatio generalis seu conditionalis revocatio, quandoque sufficiunt excusare protestantem apud Forum exterius, quem non excusat in interiori Foro Deus, & è contra. Consurgit hæc varietas, quoniam aliter judicat Deus, aliter homo. Deus inspicit corda & scit quid intus agatur, conformiter ad protestationem seu revocationem aut difformiter ad eam. Humanum vero judicium id spectat quod foris est, & unde certificari potest per signa, testes, voces & opera. Quò fit ut verè credens interius & explicitè quandoque non possit hoc ostendere contra testes & signa: aliquando autem fit è contra, ut qui veraciter est hæreticus in corde, ille humano testimonio per allegationem ignorantiæ vel aliter, Catholicus censeatur & absolvatur. Qualiter autem debeat aliquis probare quod non fuit pertinax per allegationem ignorantiæ vel simplicitatis, hoc magis Juribus positivis cautum est, quibus inter cætera dicitur quod *allegans ignorantiam probare debet illam*. Tradunt similiter quibus argumentis, testibus & judiciis possunt & debent Judices Ecclesiastici pertinaciam convincere præsentem vel præteritam in errante.

Consideratio nona.

Protestatio specialis de Fide sicut & absoluta revocatio de errore requiruntur ad justificationem illius qui particularem errorem absolutè tenuit in verbis & in factis: quod si legitimè monitus facere renuit, ipse pertinax censendus est. Ostenditur prima pars tali ratione. Nulla protestatio seu revocatio quæ communis est omnibus Catholicis sufficit ad justificationem errantis in Fide particulariter & explicitè, dum hoc scit aut scire debet; quoniam non est idem judicium de Catholico & errante, sicut nec de innocente atque peccatore respectu Confessionis Sacramentalis. Constat autem protestationem generalem cum revocatione conditionali ab omnibus Catholicis sine mendacio, sine diffamatione fieri posse. Requiritur igitur pro errantibus specialior re-

revocatio. Altera pars manifesta est, quia talis non ostendit se quærere cauta sollicitudine veritatem; sed fortè quadam dissimulatione palliata velamine revocationis hujusmodi conditionalis quæ ad veritatem non est nisi quædam protestatio Fidei generalis & non propriè revocatio, quia conditionalis nihil ponit. Facit pro hoc quod dictum est superius consideratione quarta circa finem.

Consideratio decima.

Protestatio Catholica de Fide cum revocatione particulari & absoluta de errore, licet justificet errantem quòd modo non sit habenbus pertinax aut hæreticus; non absolvit tamen quin talis extiterit. Præsupposita notorietate primæ partis in utroque foro Dei & hominis, quia talis corrigitur & obedit veritati, neque tenet plus errorem quem deserit per absolutam revocationem, deducitur altera pars. Constat itaque hoc solo privari Deum, facere scilicet præteritum non fuisse, ut notat Hieronymus & Salomon. Quisquis igitur fuerit de præterito sic adhærens errori suo, cujus oppositum tenebatur explicita fide tenere aliquo modorum prædicto, quod persistebat in illo errore monitus etiam legitimè vel edoctus seu fraternaliter, seu doctrinaliter, seu judicialiter per Scripturam sacram, per rationem evidentem aut aliter, talis verè fuit pertinax in errore, & ex consequenti nedum hæreticans, sed hæreticus; propterea quantumlibet emendetur, nunc potest declarari fuisse talis atque hæreticorum pœnis subjici, sub perpetua carcerali custodia, vel aliter, sublatis sibi quibuslibet dignitatis officii vel honoris insignibus. Solet tamen apud Ecclesiam misericordia superexaltare judicium, præsertim humilitate revocantis errorem spontè palam & absolutè prospecta. Quod si dixerit protestans hujusmodi, ecce paratus fui semper audire Ecclesiam, audire determinationem Sedis Apostolicæ vel sacri Concilii, qualiter accusor nunc de pertinacia circa doctrinam aliquam priusquam fuerit hoc modo declarata, diffinita & judicata? Quid enim mihi de inferioribus Judicibus, quid de Doctoribus & errorum diffinitionibus quibus obedire nequaquam astringor, ut qui subjectus eis non sum, sed Prelatus ut ipsi, Doctor ut ipsi. Sic blanditur pertinax arrogantia sibi, sic se fallit & alludit tanquam videlicet nihil explicitè credendum sit nisi Papa prius, nisi Cardinales illud sub præcisa verborum forma sententialiter damnaverint. Et itaque longè aliter juxta deductionem illorum qui probant nullam invenire posse novam hæresim; quia quæcumque detur, illa prius erat Scripturæ sacræ contraria ab ipsaque damnata, sicut modo (dicente Augustino:) *si quid noxium est hic scilicet in Scriptura sacra damnatur.* Fatemur nihilominùs posse fieri declarationem novam, tam doctrinaliter quam judicialiter de aliqua hæresi, quod Scripturæ sacræ repugnans est; quæ declaratio & fieri habeat principaliori ac superiori auctoritate generaliter obligante per Sedem Apostolicam & sacrum Concilium: fit nihilominùs quotidie legitima declaratio talis per Doctores & expositores sacræ Scripturæ, ac per Prælatos inferiores quos oportet explicitè multa scire ad instructionem populi sui. Hæc autem declaratio & si non obliget ut præcisè talis est, alienos obligat tamen ut convincitur esse facta conformiter ad sacram Scripturam, quæ est antecedens; quo concesso, si consequentia negari rationabiliter nequit, concedenda est consequenter explicita conclusio, quæ declaratur & infertur, quoniam ex veris non sequitur nisi verum. Itaque si quis diceret quod Christus non habuit nervos, aut quod omnis puer non baptizatus potest licenter occidi, aut quod pro bono communi licitum est falsum dicere. Talis perseverans post declarationem sufficientem sibi factam, non excusaretur à pertinacia quantumcunque clamaret, peto judicium Ecclesiæ vel sacri Concilii, huic me submitto, hanc audio. Potest equidem tali dici quod actum est ne agas, quod jam definitum est, definiendum non exspectes, definitum inquam & si non in eadem verborum forma; tamen in effectu & in sententia; unde fit, ut aliquis uno tempore teneatur aliquid explicitè credere ad quod prius Fides implicita satis erat secundum Thomam Secunda secundæ. q. 2. ubi loquitur de credendis implicitè vel explicitè.

Consideratio undecima.

Protestatio specialis de Fide, vel absoluta revocatio specialis de errore, non debet fieri necessariò dum quis errat nescienter in Fide. Constat itaque quod nullus mentiri tenetur, hic autem nescienter errans si se diceret errare mentiretur, stante tali conscientia. Talis præterea pœnas hæreticornm vel infamiam, etiam posteaquam deprehenditur erraße & absolutè revocat, non incurrit. Patuit hoc in Augustino qui multa prius nescienter errata, postmodum absolutè correxerit sub nomine retractationis vel aliquo tali modo loquendi qui revocationem denotabat; utendo talibus verbis, *temere dictum est: minus consideratè dictum est: hoc improbo: hoc non approbo; hoc mihi non placet.* Notetur ad hoc idem Augustinus ad Vincentium. 34. q. ult. c. *fi.* & Gelasius ibidem. q. 2. c. *legatur.* Elicitur consequenter ex istis differentia multiplex inter scienter & nescienter errantes, & inter scienter & nescienter hæreticos, & hoc quoad tria, quæ sunt crimen, modus & pœna, juxta quod notetur dictum Augustini 24. q. 3. c. *dixit Apostolus:* ubi ait. *Qui sententiam suam quamvis falsam aut perversam nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia suæ præsumptionis pepererunt; sed à seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt; quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint; nequaquam sunt inter hæreticos reputandi.* Unde colligitur quod quadruplex est modus errandi circa Fidem. Uno modo, credendo quod Fides Catholica sit falsa aut Scriptura sacra, & sic errans dicitur scienter hæreticus, quia non est paratus corrigi, cum neget regulam per quam habet dirigi seu revocari. Potest alio modo quis errare credendo generaliter quod Fides Catholica sit vera; sed æstimat aliquam esse Fidem Catholicam quæ in veritate non est Catholica; sicut Arriani recipientes Scripturam sacram, sed ad sensum perversum, qui sectam suam solam putabant esse Catholicam; hi sunt nescienter hæretici: errant autem præcedentes in utroque modo contra Fidem quam tenentur explicitè credere. Sunt alii circa Fidem errantes in his quæ non tenentur pro tunc explicitè credere, & hoc dupliciter. Uno modo pertinaciter, quia non parati sunt corrigi, sed propter superbiam suam, aut aliter, proprium defendunt errorem. Altero modo, dum parati sunt corrigi protinùs agnita veritate; quia non pertinaci animositate defendunt errorem: sed ex sola simplicitate vel ignorantia sunt in errore. Cæterum inter hos quatuor modos primi magis peccant quam secundi, & secundi quam tertii. Modus errandi similiter diversus est, quoniam in duobus primis error invenitur quem tenentur explicitè discedere & diffiteri: tertii verò pertinaciter errant in illo cujus oppositum pro tunc non tenentur explicita Fide tenere, sed implicita; sed quia renuunt corrigi, dicuntur hæretici. Qualiter autem deprehendatur aut cognoscatur talis pertinacia, declaratur summatim in aliis XII. Considerationibus quæ ad hanc unam reducuntur hic ab Augustino positam quòd tales non quærunt cauta sollicitudine veritatem, sed ejus declarationi resistunt omissivè vel com-

commissivè variis modis, per se vel alios, verbis aut factis, judicialiter aut extrajudicialiter; terroribus aut muneribus, minis aut blanditiis; propter depravationem affectûs, causâ alicujus commodi temporalis assequendi vel incommodi devitandi circa divitias, delitias vel honores. Habemus in his tripliciter errantibus diversitatem in crimine & in modo; pœna similiter diversa est quoad aliqua. Nihilominùs tertii punientur sicut duo primi, si judicialiter A evocati se corrigere, si errorem absolutè revocare, si veritatem oppositam profiteri noluerint, quia relinquentur Curiæ sæculari; aut si se correxerint Pœnitentiæ salutari. At vero quarti quia non jungunt errori suo pertinanciam nunc vel antea, quamvis sint corripiendi per revocationem erroris; ipsi tamen nequaquam sunt pœnis hæreticorum plectendi, nec infamia notandi, sicut apud scholasticos Theologos in præclara Universitate Parisiensi frequenter observatur, quos protestatio generalis & conditionalis revocatio juvit ad hoc ne de pertinacia notarentur, juncta humilitate qua protinùs revocant errorem, nedum conditionaliter, sed absolutè: quæ revocatio sufficit Magistris ad purgationem, nec ab actibus Studii legitimis exercendis vel consequendis revocantes obinde repelluntur.

Consideratio duodecima.

Protestatio generalis aut conditionalis revocatio non obstat, quin sic protestans aut revocans dici pos- B sit suspectus de hæresi, quandoque leviter, quandoque vehementer, aliquando violenter. Patebit hæc consideratio per præcedentes; si docuerimus quis est dicendus de hæresi vel leviter, vel vehementer, vel violenter suspectus. Et hoc aliàs latiori sermone declaravimus, nunc summatim repetatur. Itaque suspicio levis provenit ex signis exterioribus operum vel verborum; ex quibus cognitis, accipitur conjectura, qua concludi potest, non quidem frequenter, sed raro seu contingenter, ut in paucioribus, quod talia agens vel dicens est hæreticus. Itaque consequentia levis est & topica: sicut si argueremus; Petrus non venit ad Ecclesiam in solemnitate Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, ergo non bene sentit de ea: Vel sic, Petrus assumit nomen Dei frequenter in vanum, dejerans & negans eum, ergo non bene credit de eo. Porrò vehemens suspicio provenit ex signis exterioribus operum vel verborum; ex quibus cognitis, accipitur argumentum concludens frequenter, & ut in pluribus, quod ta- C lia agens vel dicens est hæreticus: ut si quis neget explicitè, palam & publicè ea quæ debet ex officio scire plus quàm alii; quamvis possit in rei veritate negatio talis ex ignorantia provenire, vel animi levitate, non ex hæretica pravitate. Dicimus demum suspicionem esse violentam, quæ sumitur ex signis exterioribus operum vel verborum; ex quibus cognitis concludi solet efficaciter & ut semper, quòd talia agens vel dicens est hæreticus: quemadmodum si quis prædicet publicè, quòd Christus non fuit verus Deus: quòd Deus non est diligendus super omnia: quòd licitum est passim homines occidere sicut bestias: quod juramenta non sunt tenenda: aut si patenter adoret sepulchrum Mahometi: vel si deferat habitum Judæis appropriatum, non quidem joco faciens hoc, sed serio. Constat nempè quòd possibile est talia facientem vel agentem tenere veraciter interiùs Fidem Catholicam; sicut de Salomone idololatrante, & de Marcellino idolis sacrifican- D te dicunt multi quod neuter eorum fuit hæreticus in mente. Nihilominus Ecclesia de exterioribus judicans, non de occultis, arguet in talibus violentam præsumptionem, & secundum eam feret judicium. Exemplo Salomonis de meretricibus 3. Reg. c. 3. Et hoc nisi talis violenter suspectus se legitimè purgaverit, allegando vel ignorantiam vel timorem, vel fictionem, vel aliquid hujusmodi paratum corrigi se demonstrans. Quo circa, patet valere plurimum circa suspiciones hujusmodi assumendas pro argumentis, considerare consuetudines patriarum, locorum, temporum, personarum, modos & judicia. Evenit quippe, quod verbum unum dabit suspicionem hæresis in uno loco vel in una persona, quod in alio loco vel persona nihil reputabitur. Exemplum de negantibus & despicientibus Deum quotidianis verbis in certis partibus, quod in aliis partibus multis horridum judicaretur & hæresi proximum. Has interim considerationes duodecim posuisse velut in transcursu suffecerit. 29. Mensis Octobris, anni 1415. in Civitate Constantiensi, ubi sacrum agebatur generale Concilium, præstante eo qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

Sequuntur XII. Considerationes

Secundum totidem signa, quibus solet aliquis de pertinacia notari vel convinci, circa materiam hæreticæ pravitatis, præmittendo qualis sit pertinaciæ definitio vel ratio.

Ad Eosdem MSS. Codices exactæ.

Consideratio prima.

Pertinaciæ propria ratio quæ errantem in Fide seu hæreticantem efficit hæreticum, consistit in depravatione voluntatis per superbiam aut aliud officium; dum non vult errans cauta sollicitudine quærere veritatem; aut dum perspectè monstratèque renuit assentire vel errorem dimittere. Dicitur enim pertinax secundum Isidorum, quasi imprudenter tenax, qui persistit in illo scilicet quod deberet dimittere. Cæterum pertinaciæ signum exterius multiplex invenitur.

I. Cum quis sustinet excommunicationem ultro, nec potest se sufficienter excusare, & hoc sumitur ex Juris præsumptione.

II. Alterum; dum citatus pro levi super Fide etiam suspicione, judicialiter renuit comparere vel respondere; & ampliùs si sit præsumptio vehemens aut violenta, & hæc similiter oritur ex Juris fictione.

III. Alterum est pertinaciæ signum; dum quis asserit & defendit errorem, cujus oppositam veritatem tenetur explicita Fide tenere. Tenetur, inquam, vel ex publica observatione, vel ex communi doctrina Ecclesiæ, vel ex officio seu statu suo, vel ex informatione sufficienti, vel ex naturali judicio rationis: quemadmodum quilibet capax rationis, tenetur explicitè credere, nedum articulos Fidei si sit Christianus; sed etiam principia Legis naturalis, quæ sunt de primis impressionibus, & inscriptionibus indelebilibus, ut sunt præcepta Decalogi recepta secundum planum & usitatum intellectum apud omnes utentes ratione, non depravata in quacumque lege.

IV. Alterum pertinaciæ signum; dum quis veritatem Fidei, nedum non quærit cauta sollicitudine, sed declarationem ejus impedit ne veniat ad lucem: maximè si Concilium Fidei speciale vel generale propter hoc in se vel in suis impedit directè vel indirectè, molestat atque persequitur.

V. Alterum pertinaciæ signum; dum quis veritatem Ecclesiæ docentes seu determinantes, odire se monstrat, & persequi verbis atque factis; etiam si dicat seu protestetur se velle tenere quod Ecclesia tenet vel determinabit, & quod paratus est stare Juri: quia si facta contradicant, hoc est æquitas simulata, quæ duplex est iniquitas: solent etiam quantumlibet hæretici taliter protestari se Catholicos esse, quod eos ab hæresi non excusat, &c.

VI. Alterum pertinaciæ signum; dum quis negat veritatem quam priùs docuit vel confessus est, nec est probabile quod sit etiam oblitus quoniam secundum Jura, primo dicto credi debet.

VII. Al-

VII. Alterum pertinaciæ signum; dum quis petit declarationem veritatis à peritis Doctoribus seu Judicibus; quam cum facta est, nihilominus repudiat, nulla penitus assignata ratione.

VIII. Alterum pertinaciæ signum; dum quis promissionibus, præceptis, comminationibus, pœnis, juramentis, aliquos ad defensionem erroris inducit, vel compellit.

IX. Alterum pertinaciæ signum; dum quis Potens commovet seditiones, suscitat bella in populis & Regnis, ideo, quia facta est alicujus veritatis Catholicæ declaratio, vel erroris reprobatio.

X. Alterum pertinaciæ signum; dum quis jurat se malle mori quam contra honorem suum quicquam permittere fieri, vel errorem aliquem revocare: ponit enim obicem primæ veritati.

XI. Alterum pertinaciæ signum; dum quis fovet errantem, & defendit judicialiter vel extra-judicialiter; sciens nihilominus aut scire debens hunc errare.

XII. Alterum pertinaciæ signum; dum quis non resistit erroribus dum potest, scit & debet; debet, inquam, vel ex officio, sicut Judex; vel ex fraternali charitate, sicut universi; quoniam agentes & consentientes secundum Apostolum pari pœna puniuntur. Consentiunt autem, *qui alios dum possunt* (ut dicit Canon) *ab errore non revocant.* Denique ista latius declarat Ockam. 4. parte lib. 1. dialogorum: secundum quæ signa, poterit applicatio particulariter fieri &c.

Finiunt duodecim considerationes secundum totidem signa, quibus solet aliquis de pertinacia notari vel convinci circa materiam hereticæ pravitatis, præmittendo qualis sit pertinaciæ definitio vel ratio.

TRACTATUS

Ejusdem Joannis Gersonii Doctoris & Cancellarii Parisiensis, De probatione spirituum.

Collat. ad MSS. Codd. Vict. 180. 694. *&* 699. *& tres Navarricos. Scriptus anno* 1415.

I. Consideratio.

Probate *spiritus si ex Deo sunt.* 1. Joann. 4. 1. jubet discipulus ille quem diligebat Jesus. Neque enim nesciebat illam Coapostoli sui sententiam; *Angelus sathanæ transfigurat se in Angelum lucis.* 2. Corint. 11. 14. sic ut fiat dæmonium meridianum, dum pro tenebris errorum quas ad tempus celare permittitur, lucem veritatis claram se fingit afferre. Patuit hoc apud sanctum Martinum visibiliter, patet apud alios plurimos invisibiliter, dum teste Bernardo sub specie magni boni & ardui, grande peccatum operit, suggerit & inducit. II. *Consideratio* Probare *spiritus si ex Deo sunt*, non cuilibet datum est, sed aliquibus per Spiritum sanctum, qui unus existens *divisiones gratiarum distribuit singulis prout vult, ad ædificationem corporis Christi quod est Ecclesia*, Eph. 4. 12. cui numquam defuit in necessariis. Sicut i- D gitur non omnium est prophetare, nec evangelizare omnium est, nec omnium interpretari sermones; sed aliquorum ex officio usque in finem sæculi: Sic non omnium est probare spiritus si ex Deo sunt, sed quibus datum est, quales sunt spirituales quos unctio docet de omnibus, qui & de omnibus judicant etiam inter diem & diem. Quale donum beatus Martinus & Antonius & plures alii leguntur habuisse. III. *Consideratio.* Probare *spiritus si ex Deo sunt* contingit multipliciter. Uno quidem modo per modum artis & doctrinæ generalis, sicut per eruditionem sacrarum Scripturarum, diligenti pioque studio acquisitam. Sunt nimirum Scipturæ in quibus putamus nos fidem habere, continentes artem falsos Prophetas à veris & ab illusionibus revelationes cognoscendi. Alius invenitur modus per inspirationem intimam, seu internum saporem, sive per experimentalem dulcedinem quamdam, sive per illustrationem à montibus æternis effugantem tenebras omnis dubietatis. Hoc autem est manna absconditum, & nomen novum in calculo scriptum, quod A nemo novit, nisi qui acceperit. Hoc Gregorius in Dialogo: hoc Augustinus in Confessionibus de seipso & Matre: hoc Hugo de Arca animæ, cum pluribus aliis notaverunt. IV. *Consideratio* Probare spiritus, si ex Deo sunt per regulam artis generalem & infallibilem pro particulari casu, aut non potest aux vix potest humanitùs fieri; sed requiritur donum Spiritus sancti, quod Apostolus nominavit discretionem spirituum; quo dono fit ut mens nedum in se & de se sciat probare spiritus si ex Deo sunt; sed etiam de aliis & in aliis noscit. Hic autem est modus tertius alius à prædictis, probandi spiritus; quoniam primus est doctrinalis, secundus est experimentalis, tertius officialis ex officio hierarcho atque spirituali dono concessus. Itaque sicut nemo novit quæ sunt spiritûs, nisi spiritus; ita nemo cognoscit infallibili certitudine ea quæ per solam experimentalem notitiam vel sentimentum interius & sensum aguntur in B alterius animo. Quemadmodum ergo tradere regulam generalem quæ distingueret infallibiliter inter visionem somnialem & illam quæ fit in vigilia, nullus facilè posset, propter varias similitudines inter utrasque visiones; multò magis in proposito. Scit nihilominus homo vigilans se certitudinaliter & experimentaliter videre, quamvis non ignoret se habuisse in somniis visiones valde vicinas & similes suæ vigiliæ; adeò quod somnium suum narrare somniando quandoque videatur, quamvis dicat Seneca *esse vigilantis somnium narrare.* Scit similiter homo spiritualis in vigilia veræ lucis divinæ positus, videre se divina quæ videt, verè sentire, odorare & sapere. Quare? quia vigilat. Potest nihilominus recogitare ex se vel aliis quod nonnunquam ponitur in quodam somnio naturalis cognitionis aut diabolicæ illusionis, qui dum sic se habet & quodammodo dormit ad di- C vina, putare potest quod vigilet ad ea, sic quæ falli. Vidit hæc beatus Gregorius asserens spiritus Prophetarum non semper esse in potestate vel distincta cognitione Prophetarum. Probans hoc per Nathan, qui ad David cogitantem ædificare domum Dei respondit. *Omne quod est in corde tuo vade & fac, quoniam Dominus tecum est.* 2. Reg. 7. 3. Cujus contrarium ipsa nocte revelavit ei Deus. V. *Consideratio* Probare spiritus si ex Deo sunt ex primo modo (qui magis est ad propositum) videlicet per Scripturam sacram & eruditos bonos in eadem; quia de perversè viventibus quale judicium nisi perversum & illusorium reportare sperabimus, contingit multipliciter & sufficienter quantum ad præsentem spectat militiam, & ad statum communem viatorum. Qua super re nedum unum ab uno, sed plures à diversis tractatus compositos invenimus, quos utinam nunc manualiter habere fas esset, & diligenter inspicere dum in hoc sacro Concilio quæritur tractari de Canonizatione Sanctorum, & examinatione Doctrinarum suarum, præsertim unius, quæ Brigitta nominatur, assueta visionibus quas nedum ab Angelis, sed à Christo & Maria & Agnete & cæteris Sanctis, familiaritate jugi, sicut sponsus ad sponsam loquitur, se asserit divinitùs suscepisse. Est autem utrobique vel in approbatione vel in reprobatione periculum. Approbare enim falsas & illusorias aut frivolas visiones pro veris & solidis revelationibus quid indignius, quid alienius ab hoc sacro Concilio? Reprobare verò nunc eas quæ multifariè multisque modis quaquaversum per diversas nationes probatæ dicuntur, non parva ex inde scandalorum in Christia-

na Religione & devotione populorum formidatio. Denique in ipso etiam silentio & dissimulatione, ex quo res in medium posita est, non nihil esse discriminis pertimescimus. Invenire verò medium aliquod vel expediens inter hæc extrema, laudabile quidem scilicet aut effectibile sit, nec dum satis cernimus exploratum. VI. *Consideratio.* Probare spiritus per modum artis & doctrinæ, sicut tota deinceps versabitur intentio nemo perficere potest per solam sacræ Scripturæ eruditionem, qui non etiam expertus sit in semetipso variam affectionum spiritualium pugnam, tanquam ascenderit nunc in cœlos, nunc descenderit in abyssos & viderit mirabilia Dei in profundo. Nam qui navigant mare hoc mysticum diversarum affectionum quasi collidentium se fluctuum, enarrant mirabilia ejus. Inexpertus autem talium quid novit eorum? Hic autem est quartus modus probationis spirituum. Cæterum puto differentiam inter homines quos loquimur, unum Theologum, alterum Contemplativum talem esse, qualis est inter peritum in arte Medicinæ, & inter expertum seu practicum in eadem, quæ duo posse convenire in eodem nullus dubitaverit. Sic fit & fieri potest, Domino propitio, ut idem sit in Scripturis sacris eruditus, qui simul in contemplationis exercitatione probatus est. Hunc verò talem habere vult materia præsens, sicut aliàs scripsisse dum de tractatu quodam spiritualium nuptiarum sermo fieret, meminimus. Probare verò spiritus isto modo doctrinaliter dum quærimus in alienis personis, quarum corda neque videre, neque scrutari datur, oportet ut ab operibus signa sumamus, dicente Christo. *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Matth. 7. 16. 20. Fallit tamen unum signum vel pauca si non in unum plura conglobaverimus. Ita enim tradit Tullius, ita Boëtius, ita Aristoteles, in conjecturali causa faciendum. Sed quoniam infinita est quidem hujusmodi signorum confusio, coarctemus ad pauciora & dicamus sub hoc metro. *Tu quis, quid, quare, cui, qualiter, unde require* Quis est cui fiat revelatio. Quid ipsa continet & loquitur. Quare fieri dicitur. Cui pro consilio detegitur. Qualiter vivere & unde vivere reperitur. VII. *Consideratio.* Probatio spirituum dum quæritur fieri, consideretur imprimis persona suscipiens visiones si sit boni & discreti judicii, rationis naturalis, quia læso cerebro turbatur judicium rationis. Si læsus phantasias patiatur, non magnopere qnærendum est à quo spiritu veniant melancholicæ illusoriæque visiones, ut patet in phreneticis, in ægrotis variis, qui vigilantes se talia videre putant, audire, gustare &c. qualia somniantes patiuntur. Habet præterea quælibet passio profundata suam læsionem, suam ebrietatem, suum (ut Origines loquitur) dæmonium. Patet in philocaptis, in zelotypis & iracundis, in invidis & avaris. Unde poëta: *An qui amant sibi somnia fingunt?* Quæritur ergo si persona sit novitia in zelo Dei, quia novitius fervor citò fallitur si regente caruerit; præsertim in adolescentibus & fœminis, quarum est ardor nimius, avidus, varius, effrenis, ideòque suspectus. Rursus plurimum refert attendere qualis sit & fuerit persona, qualiter erudita, quibus assueta, quibus delectata, cum quibus conversata, si dives vel egena? In prima superbiam vel secretam voluptatem, in altera fictionem tenebimus. Hoc super omnia conveniet observare ne lateat interior superbia spiritualis, quam Bernardus verè nominat subtile malum, quoniam & de humiliatione sua nascitur, de sordibus & cilicio, de jejuniis & virginitate; immo & de sua morte suoque contrario trahit originem. Quid igitur erit tutum à superbia, cum nec ipsa virtus tuta sit ab ea? Est autem superbia quædam in intellectu, dum non vult subjici alieno judicio, sed innititur proprio: Quædam in voluntate, dum renuit obedire; & hæc citius deprehenditur; ideòque facilius corrigitur quam prima. VIII. *Consideratio.* Probatio spirituum respicit nedum personam quæ visiones patitur, sed visionum qualitatem si vera sunt omnia, etiam usque ad minimam propositionem, quoniam in spiritu veritatis falsitas non est; in spiritu autem mendacii mille quandoque sunt veritates apertæ, ut in unica latenti falsitate decipiat. Hac ratione prohibuerunt à testimonio veritatis quam fatebantur, Christus dæmoniacos, & Paulus pythonissas. Si præ-
A terea sit in visionibus sapientia quæ desursum est cum suis titulis quos Jacobus 3. 17. enumerat, *primùm*, inquit, *pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, judicans sine simulatione.* Si rursus excedant hæ visiones communem intelligendi modum, vel in Scriptura sacra positum, vel in ratione naturali vel morali collocatum; quia si non, videretur illud adscribi frustra revelationi. Quod in Scriptura *semel locutus est Deus* (sicut Job loquitur c. 33. 14.) *idipsum non repetit.* Onerosum quippe esset ne dicamus vanum, visiones super visiones in immensum multiplicatas debere recipere tanquam ab ore Dei prolatas, ac deinde certissima fide credendas. Sicque demum nostra Fides nostraque Religio quam Deus (teste Augustino) voluit sub paucissimis contineri redderetur plus, absque ulla comparatione, quâ lex vetus onerosa. Hinc claræ memoriæ magister Henricus de
B Hassia comprimendam esse tot hominum Canonizationem scripsit. Hinc alia ratio sumitur, quod omisso divinarum Scripturarum studio magna pars Christianorum ad has visiones ideo placentiores quia recentiores, converterent oculos & aures prurientes; sicque necessaria nescirent, quia juxta Senecæ verbum supervacua didicissent. Sint oportet in omni revelatione Moyses & Helias, hoc est secundum venerabilem Richardum, testimonia Legis & Prophetarum, per totum alioquin suspecta est. Et inde fit perspicuum quam necessarii sunt Theologi in Canonizationibus Sanctorum, & examinatione doctrinarum. XI. *Consideratio.* Probatio spirituum requirit ut persona cui visiones hujusmodi recitantur, habeat se prudenter & cautissimè: præsertim in principio consideret acriter quare movetur hæc persona secretum suum pandere: super quo fiet ista consideratio. Cave ergo quisquis eris auditor aut consultor ut non applaudas tali personæ, non obinde laudes eam, non
C mireris quasi Sanctam dignamque revelationibus atque miraculis. Obsiste potiùs, increpa durè, sperne eam cujus sic *exaltatum est cor & elati sunt oculi, ut ambulet in magnis & mirabilibus super se*, ne digna sibi videatur quæ non humano aliorum more operetur salutem suam per doctrinam, scilicet Scripturarum & Sanctorum, cum dictamine rationis naturalis, nisi consilium habere præsumat, & putet nedum ab Angelis, sed à Deo, nedum semel in necessitatibus, sed penè jugiter, velut in quotidianis collocutionibus. Talem admone non sublime sapere, sed sapere ad sobrietatem, quoniam verissimè ait qui dixit. *Superbia meretur illudi*, & eo dignius quo instar Pharisæi latentem hærentemque ossibus superbiam, sicut nec Physicus febrilem calorem, superbus attendit. Quid enim facilius quam se vilissimum peccatorem dicere, sed veraciter sim-
D pliciterque ita sentire ex intimis, hoc divini muneris, non humani solius exercitii. Enarrentur exempla Sanctorum Patrum, qui curiositatem hujusmodi visionum vel miraculorum perniciosissimam fallacissimamque refugerunt. A qua se Augustinus liberatum in suis Confessionibus gloriatur in Domino; quam præterea Dominus Bonaventura abhorrendam nimis esse determinat, totoque conatu repellendam, nunc orationibus, nunc increpationibus seu flagellationibus propriæ mentis & corporis; exemplo illius, qui ut tentatione careret superbiæ, quæsivit & obtinuit à Domino, ut per tres menses dæmoniaca vexaretur obsessione. Alter Sanctorum Pa-

Patrum dum sibi dæmon transfiguratus in Christum diceret, Ego sum Christus personaliter te visitans, quia dignus es, confestim clausit oculos utraque manu, vociferans: nolo hic Christum videre, satis est ipsum in gloria si videro, moxque disparuit. Alter sub aliis verbis similem in hujusmodi illusione servavit humilitatem: vide inquit ad quem missus sis, ego certè talis non sum qui dignus sim hîc videre Christum. Alterum, qui nolebat intrare A templum (dicens sibi satis esse, quia oculis corporeis aspexisset Christum) colligaverunt catenis, solvere jejunium, carnibus vesci, vinumque bibere compulerunt, sicque tumore compresso sanatus est. Opponet forsitan aliquis ex Apostolo jubente, *Nolite*, inquit, *spiritum extinguere*: Thess. 5. 19. si sit ergo visio à Spiritu sancto, quæ nihilominus repellitur, quid hoc est nisi Spiritui sancto resistere, suamque nascentem gratiam suffocare? Sed profectò Spiritus sanctus, qui se dat humilibus, nequaquam ex humiliatione quam prædiximus se subtrahet: intrabit potius, & in bene placito suo deducet victor super excelsa animam hanc in oculis suis vilem, & absque ulla ruga fictionis humilem, & simplicem. Porrò dici non potest quantum hæc curiositas, vel cognoscendi futura & oculta, vel miracula videndi vel faciendi, fefellit plurimos, & à vera Religione frequenter averterit; hinc superstitiones in populis quæ Religio- B nem inficiunt Christianam, dum sicut olim Judæi sola signa quærunt, dum Imaginibus exhibent latriæ cultum; dum insuper hominibus, nedum canonizatis, Scripturis quoque non authenticis plusquam Sanctis vel Evangelio, præstant fidem. X. *Consideratio.* Probatio spirituum considerat causam quare fieri dicuntur visiones, præsertim quo fine nedum proximo, nedum aperto, sed occulto & longinquo. Potest itaque finis primus apparere bonus & salubris & devotus, ad ædificationem aliorum, qui tandem prolabetur in multiplicius scandalum, dum vel non respondebunt ultima primis, vel aliud falsum fictumque deprehendetur in personis fuisse, quod reputabatur sanctitatis & devotionis. Docuit hoc ætas nostra de prædicationibus Dominorum Joannes de Varenis, & Joannis Hus, & similium. Rursus, dum aliquid fieri potest per humanam industriam, sit hoc in vita, sit in doctri- C na: quare necesse est, vel quærere vel expectare divinam cœlitus allocutionem? hoc nempe tentationi Dei, quam honorationi apparet similius. Cæterum finis attendendus est, quare fit communicatio talium visionum alteri personæ; utrum ad ostentationem vel ad necessitatem; utrum ad dandum vel recipiendum consilium; utrum fiat experto vel inexperto talium: quod si videatur hæc persona quærere tantummodò consilium ne fallatur, videndum est si paratam se monstrat obedire consilio; alioquin jam de curatione vix spes erit, quoniam ut dicit Joannes Climacus, *non jam eget dæmone tentante se, quia factus est sibi dæmon.* At vero dicit aliquis, hæc idcirco persona non credit alieno judicio, quia de suo certa est per revelationem intimam & secretam. Sed profectò non est divisionis Deus, D ut uni timenti se revelet unum, & per alterum similiter timentem eum, dicat unum contrarium. Itaque si visio ex Deo fuit, non dissipabitur in humiliante se sub alieno judicio propter Deum, sed vigorabitur ampliùs & vincet. Quocirca tradimus pro cautela, quod hujusmodi visionibus nedum suspensum teneatur judicium, exemplo B. Ambrosii & Luciani Præsbyteri, sed dicatur reverenter cum Petro, *Exi à me Domine, quia peccator sum*, Luc. 5. 8. *quia vilis sum, quia visionibus tuis indignus sum, quas hic neque quæro nec accepto, sed repello: sit in cœlo, non in hoc sæculo visio tua tota merces mea Domine Deus, & sufficit. Quid ad me de visionibus tuis in hac vita, quid de superiorum meorum monitionibus, mitte potius obsecro quem aliquando missurus es, & me meus spiritus, humili tegat obscuroque loco.*

Altera potest addi super hujusmodi visionibus recipiendis vel non recipiendis cautela, qualem de somniis tradidit unus dicens, si monitiones aliquæ bonæ, inquit, fieri videantur in somniis, vel ex persona defunctorum vel aliundè, recipiantur; eas non quasi somnia penitùs abiiciendo, neque eis ex adverso velut authenticis vel divinis adhærendo; recogitentur potius tanquam rememorationes aliquæ ad faciendum bona, vel mala declinando, juxta somniorum qualitatem. XI. *Consideratio.* Probatio spirituum considerat, qualiter & quomodo persona quæ visiones se habere dicit conversatur, an in secreto vel in publico, an in vita activa vel contemplativa, an in dejectione nimia, quæ notam affert in vestimentis & cæteris, aut si communem habet conversationem accommodam his quibus convivit. Hoc præcipuè considerare necesse est, si sit mulier, qualiter cum suis Confessoribus conversatur & instructoribus; si collocutionibus intendit continuis, sub obtentu nunc crebræ Confessionis, nunc prolixæ narrationis visionum suarum, nunc alterius cujuslibet confabulationis. Expertis crede, præsertim Augustino ac Domino Bonaventuræ; vix est altera pestis vel efficacior ad nocendum, vel insanabilior. Quæ si nihil haberet aliud detrimenti, nisi temporis pretiosi latissimam hanc consumptionem, abundè diabolo satis esset. Habet aliud scitote, habet insanabilem videndi loquendique (interim de tactu silentium sit) pruriginem, evenitque de Didone illud apud Poëtam.

--- hærent infixi pectore vultus,
Verbàque nec placidam membris dat cura quietem.

Cum tamen in pace sit Dei locus. Nullus idcirco mirabitur, si tales ad fabulas conversi, avertuntur à veritate: Si præterea mulieres hæ curiosè agentes, sunt quales notat Apostolus. *Semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes.* 2. Timoth. 3. 7. Ubi autem non est veritas, sit vanitas & falsitas necesse est. XII. *Consideratio.* Probatio spirituum considerat, unde spiritus veniat, aut quo vadat. Itaque Bernardus testatur hoc in se nunquam sciri datum esse, qui tamen expertum se pluries asserit humiliter sancti Spiritus præsentiam ex intimo motu cordis sive mentis. Mirabitur igitur fortassis aliquis, quo pacto persona status inferioris, dicat se frequenter agnoscere, unde spiritus veniat, præsertim cum dixerit Christus Nicodemo: *Vocem*, inquit, *ejus audis, & nescis unde veniat, aut quo vadat.* Joann. 3. 8. Quid Porrò, quod in spiritibus diversis, multa in inspirationibus invenitur similitudo. Est enim spiritus Deus, spiritus Angelus bonus, spiritus Angelus malus, spiritus humanus, tam rationalis quam animalis. Potest autem similis visio spirari per quemlibet hunc spiritum suo modo, longèque diverso, sed diversitatem faciliter percipi, quædam similitudo non sinit apud inexpertos talium, qui neque per seipsos ex acumine ingenii, neque per eruditionem in Theologicis vel Physicis disciplinis, neque per aliorum traditionem sciunt talia distinguere. Certè nec mirandum, cum paucissimos inveniamus, qui plenè sciunt secernere cogitationes & affectiones suæ rationalis animæ, ut rationalis est, ab illis quæ sunt animales, videlicet in sensu communi, vel organo phantasiæ. Quem invenies precor, ex timentibus Deum, peccataque fugientibus, qui semper & in omnibus ad liquidum prospiciat, dum tentationes vigent, si sensus eorum sit tantummodo in imaginatione, vel consensus in ratione? Adeò non facile est discernere sensum à consensu. Quanto plus habet difficultatis probatio quadruplicis prænominati spiritus, dum videlicet instinctus unus, vel inspiratio vehemens, tangit mentem; si sit

sit à Deo vel ab Angelo bono, aut malo, vel à proprio spiritu humano. Rursus, portio duplex, superior & inferior ascripta est: cujus sentire divisionem, perfectè dat illud verbum Dei, quod *pertingit usque ad divisionem animæ ac spiritus.* Heb. 4. 12. qualem in se divisionem passa erat, quæ exclamavit, *Magnificat anima mea Dominum*: Luc. 1. 46. de hinc secernens spiritum ab anima, subjunxit, *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Hæc interim sub compendio cursim notata sint, quatenùs dum ad singularia descendendum erit, faciliùs hac occasione sapientiores dijudicent, persuasum habentes vivere hominem (cujus nomen sit in libro vitæ) cui pluries & in pluribus personis hujus temporis datum est experiri, & practicare omnia quæ dicta sunt.

Finit tractatus de probatione spirituum, magistri Joannis de Gerson Cancellarii Parisiensis: in Constantia anno Domini 1415. in die sancti Augustini, tempore generalis Concilii inibi celebrati, editus propter aliqua, quæ de Canonizatione Brigittæ, in præfato Concilio oriebantur, sub XII. *considerationibus comprehensus.*

TRACTATUS

Joannis Gersonii Doctoris & Cancellarii Parisiensis, de Distinctione verarum visionum à falsis.

Extractus ad MSS. Victorin. 285. 180. & Navarricum unum.

NUPER unam ex lectionibus meis super nonesu carnium apud ipsos Carthusienses recensui eisdemque transmisi. Nunc aliam quandam similiter recensens tibi germane Frater mitto. Hæc lectio generali quodam tropo aperit quemadmodum numisma verum divinæ revelationis à falsato denario diabolicæ illusionis secerni potest, ne fallat nos Angelus sathanæ per transfigurationem sui in Angelum lucis, sed probemus spiritus si ex Deo sunt, & quod bonum est, obedientes Apostolo, teneamus. Hæc doctrina & si cuilibet Christiano utilis est, viris tamen Religioni & contemplationi dedicatis, qualem te Pater cœlestis elegit, saluberrima, immo necessaria judicatur. Bene vale Frater cordis mei in eo qui te jugiter custodiat, & in quo bene valere Patres & Fratres tuos Cœlestinos vehementer exopto, commendans me orationibus eorum, atque ea quæ tibi deputo volens esse ipsis communia, utinam & utilia fiant. Hæc autem lectio sic habet.

FUIT *Joannes baptizans in deserto.* Marc. 1. 4. In hac particula commendatio Joannis Præcursoris ex tribus ostenditur: ex fama per nomen expressa ibi; *Fuit Joannes.* Glossa, *Gratia Dei.* A gratia incipit, nec nominari solent nisi famosi. Secundò, ex sua operatione virtuosa; quia dicitur *baptizans.* Tertiò ex loci congruentia, *in deserto.* Circa nomen videre est ipsum revelatum fuisse cœlitus secundum histtoriam Lucæ. 1. scriptam. Et non est hæc mediocris laus habere nomen quod per Angelum & talem Angelum qualis est Gabriel, *os Domini nominavit*: Isaiæ. 62. 2. concluditur namque mirabilis vitæ perfectio futura, ex prænuncia seu præsaga miraculosi nominis assignatione; alioquin frustra fieret in nomine miraculi operatio, si non in re ipsa aliquid magnificum supraque naturam excelsum designaret. Sed insurget statim curiosus investigator, & quæret quo pacto scitur hanc prænunciationem nominis istius fuisse Angelicam plus quam illusionem diabolicam? Etenim Angelus sathanæ secundum Apostolum transfigurat se nonnunquam in Angelum lucis. Ista est dubitatio quæ in novissima lectione est tacta & dilata ad tempus alterum quæ petit artem discernendi revelationes Angelicas ab illusionibus dæmoniacis. Quocircà dicamus imprimis sicut vera religionis assertio per sophisticas & fallaces hæreticorum argumentationes impugnatur: sic per mendaces Angelos miraculorum verorum sanctarumque revelationum auctoritas, factis quibusdam sophisticis & Magorum præstigiis quæritur infringi; hoc dicit Petrus
A apud Clementem in itinerario suo. Cur ita? quatenus per hoc abducantur homines à spiritualis veritatis cognitione quæ per miraculorum aut revelationum media tradita est, quando ad falsitatem similia vident introduci. Dicamus præterea quoniam non est humanitùs regula generalis vel ars dabilis ad discernendum semper & infallibiliter quæ veræ sunt & quæ falsæ aut illusoriæ revelationes. Tunc enim non haberetur solum fides de nostris Prophetiis, & consequenter de tota Religione, sed esset evidentiæ certitudo, nam qui sciret evidenter aliquid esse à Deo vel ejus Angelo revelatum, sciret profectò aliter quam per solam Fidem illud esse verum. Quemadmodum si quis haberet scientiam claram de dissolutione fallaciarum & argumentationum contra veritatem Fidei peccantium, eandemque impugnantium, haberet utique notitiam non tantum certam ex Fide, sed ex demonstratione de Fidei articulis evidentem. Constat igitur non esse quærendum à Catholico ut sibi fiat elucidatio perspicua & evidens de
B prænunciatione hujus nominis Joannes, facta Zachariæ qualiter probetur aut scietur esse revelatio Angelica. De hoc enim Fides est & non scientia. Et sicut *non omnium est Fides*, secundum Apostolum, sed est donum Dei; sic non omnes veram à falsa revelatione secernunt; sed aut veram spernunt & falsam amplectuntur, vel sacrilega impietate & incredulitate talia reprobant negant & contemnunt. Nihilominùs alia est quæstio, qualiter præsuppositis eis quæ Fidei sunt, cognoscere nos fideles poterimus, & secundum doctrinam Joannis *probare spiritus si ex Deo sunt*, 1 Joann. 4. 1. ne fallamur? Et in hanc quæstionem sciens incidi propter illusiones plurimas quas nostro tempore cognovi contigisse. Et etiam in hoc senio sæculi. In hac hora novissima in præcursione Antichristi, mundus tamquam senex delirus, phantasias plures & illlusiones somniis similes pati habet, & multi dicent, *Ego sum Christus*, & recedentes à veritate
C conversi ad fabulas seducent multos. De multis jam audivi, quorum quilibet sibi revelatum esse pro certo habebat quod erat futurus Papa. Inter quos quidam bene litteratus & famosus hoc etiam propria manu in scriptis quæ legi reliquit, & argumentis conjecturisque plurimis asserere conatus est. De alio similiter litterato per relationem accepi primò persuasum esse sibi quod foret Papa, de hinc Antichristus saltem præcursor Antichristi, novissimè ut seipsum perimeret instigatus est vehementer, ne videretur tantum afferre nocumentum populo Christiano. Tandem Deo miserante ad saniorem mentem conversus, ista de se scripsit ad eruditionem & cautelam aliorum. Porrò de aliis multis in Religione & austeritate vitæ constitutis, incredibilia ferè sunt ea quæ idoneis testibus referentibus agnovi. Si veniat igitur aliquis qui se revelationem habuisse contendat, quemadmodum Zacharias & alii Propheta-
D rum cognoscuntur ex historia sacra recepisse, quid agemus, quo pacto nos habebimus? Si statim negemus omnia, vel irrideamus, vel inculpemus; videbimur infirmare auctoritatem divinæ revelationis quæ nunc ut olim potens est; neque enim manus ejus abbreviata est ut revelare non possit. Scandalizabimus prætereà simplices dicentes, quod ita de nostris revelationibus & Prophetiis potuerunt esse caluminæ, & censendæ erunt phantasiæ vel illusiones. Tenebimus ergo medium & secundum Apostoli Joannis documentum. Non credemus omni spi-

spiritui, sed probabimus spiritus si ex Deo sint, *Joann.* 4. & obedientes Apostolo quod bonum est teneamus. 1. *Thes.* 5. Erimus sicut nummularii seu campsores spirituales, ad solerter & acutè examinandum numisma pretiosum & extraneum divinæ revelationis; ne fortè dæmones, qui monetam quamlibet & divinam & bonam quamlibet falsare satagunt, subintroducant pro vera moneta & legitima falsatam & reprobam; esset hoc in detrimentum non mediocre Ecclesiastici Fisci vel Ærarii, seu Thesauri Imperialis Dei. Et tantò ampliùs quantò moneta pretiosior est & rarior, queadmodum sunt actus virtutum heroïcarum; atque supernaturalium visitationum. Tantò igitur vigilantior adhibenda est ad discernendum cautela, quantò esset jactura damnosior. Et quoniam similitudo hæc satis idonea est ad id palpabilius ostendendum quod intendimus, prosequamur eam dicentes. Primum, quòd examinator hujus monetæ spiritualis debet esse Theologus arte pariter usuque peritus, non quales sunt qui semper addiscentes nunquam ad scientiam veritatis perveniunt, quales garrulosi, verbosi, protervi, contentiosi, moribus denique pessimis dediti, & plus ad epulas vinaque gustu discernendum, quam actus suos dijudicandum industrii & seduli; quibus omnis sermo de Religione fabula est sive onus; postremò quicquid lingua mogniloqua ostendit, vita quæ mentiri nescit, contradicit & blasphemat. Apud tales numularios nova quælibet moneta divinæ revelationis sic incognita est & barbara, ut confestim ad se deductam, cum grandi cachinno & indignatione rejiciant, irrideant & accusent. Alii sunt, nec nego qui ex adverso in oppositum ruunt vitium, qui superstitiosa etiam & vana & illusoria delirorum hominum facta & somnia, nec non ægrotantium & melancholicorum portentuosas cogitationes revelationibus ascribunt. Istis leve cor nimis ad credendum, aliis nimium intractabile & asperum esse videns, scio certissimum esse quod apud Nasonem scribitur, *Medio tutissimus ibis.* Est autem moneta ista spiritualis revelationis tamquam aurea, in quinque principaliter examinanda, scilicet in pondere, in flexibilitate, seu tractabilitate; in durabilitate, in configuratione & colore. Et hoc secundùm quinque virtutes ex quibus sumitur argumentum monetæ spiritualis legitimæ. Humilitas dat pondus; discretio flexibilitatem; patientia durabilitatem; veritas configurationem; charitas dat colorem. Has quinque virtutes legimus Mariam habuisse in Angelica revelatione sibi facta. Similiter in Zacharia & Elizabeth concluduntur extitisse ex serie Evangelii Lucæ dum Joannis nomen fuit revelatum.

Itaque quoad primam conditionem si cognoveris aliquem qui per superbam curiositatem & vanam laudem atque præsumptionem sanctitatis cupidus sit habere revelationes insolitas qui se dignum istis reputet, qui in talibus de se narrandis gloriabundus delectetur; scito quoniam illudi meretur, neque magnipendas si aliquam habuisse revelationem jactanter affirmet: deest enim pondus humilitatis. Præterea de Sanctis Patribus habemus narrationes plurimas super tanta humilitatis observatione compositas. Cuidam ex Patribus dæmon apparuit transfiguratus non solum in Angelum lucis sed in Christum, dixit se ad hoc venisse in mundum, ut ab hoc Patre videretur & adoraretur. Congitabundus aliquandiù mansit sanctus ille Pater instar Mariæ Virginis, & cogitans qualis esset ista salutatio; dicebat intra se. Numquid non adoro quotidiè Christum, quid sibi vult talis apparitio? Et ad humilitatem illicò confugiens ait ad dæmonem. Vide ad quem mitteris. Non enim dignus sum hic videre Christum. Quo dicto tam humili, dæmon confusus & pudibundus abscessit. Alius Pater clausit oculos in re simili. Nolo, inquit, videre Christum in terris, illum in cœlis videre contentabor. Et beatus Martinus ex superbo dæmonis ornatu, falsitatem loquelæ diabolicæ, quæ se Christum dicebat agnovit. Est igitur hominibus saluberrimum consilium contra tales dæmonum illusiones pondus humilitatis observare, se reputare intellectu pariter & A affectu indignissimum qui super alios homines revelationem accipiat, qui præ aliis à Deo mirabiliter visitetur. Et si quæ talia præter solitum evenire circa eum contigerit, rejiciat à se cum sancto, humili, verecundoque pudore. Deputet talia vel læsioni propriæ phantasiæ & se habere aliquod simile phreneticis, & maniacis aut melancholicis reformidet; vel caveat ne propter enormitatem præcedentium peccatorum datus sit in reprobum sensum ut talibus illusionibus seducatur. Si talia sint diaboli machinamenta seu tentamenta, ex humilitate hujusmodi evanescent; aut si velit Deus quod in his tolerandis exerceatur, non nocebunt. Si verò sit divina revelatio, non ficta humilitas piè renitens, magis præparabit locum ad ipsius susceptionem & audire merebitur, *amice ascende superiùs.* Luc. 14. 10. quanto in loco plus infimo recumbere conabitur. Habes in Exodo, quotiens Moyses à se repu- B lit divinam jussionem dum ad Pharaonem mitteretur. *Obsecro inquit Domine mitte quem missurus es.* &c. Exod. 4. 13. Et Jeremias clamat: *A a a Domine Deus: ecce nescio loqui quia puer ego sum,* Jerem. 1. 6. Et Joannes Baptista non audet sanctum verticem Christi tangere, sed eum à se repulit dicens: *Ego a te debeo baptizari.* Matth. 3. 14. Et Apostolus Paulus se primum inter peccatores deputat, *qui nec dignus sum,* inquit, *vocari Apostolus.* 1. Cor. 15. 9. Et si quis objecerit quod Apostolus suas revelationes jactanter aperuit atque divulgavit? Respondent sancti Doctores inter quos Chrysostomus sub hac sententia. Aliud est, inquiunt, ex quadam necessitate vel habendi consilii vel ad utilitatem audientium, secretas gratias suas aut virtutes suas prodere seu manifestare; aliud sine quavis sua aut aliorum utilitate talia per inanem gloriam ventilare. Unde Maria C Virgo, quæ *conservabat omnia verba hac conferens in corde suo.* Luc. 2. 19. postmomodum Apostolis, præsertim Lucæ, sacra mysteria sibi soli credita disseruit, non ad jacturam, quia non tantum tardasset, cum vitium omne præceps sit, sed ad Ecclesiæ religionisque ædificationem. Quinetiam devotus Bernardus qui totiens jussit ut homo virtutes suas plus abscondat etiam familiarissimis & devotissimis, quam alii vitia sua occultare satagunt; pluries de suis donis & gratiis per contemplationem adeptis palam nedum loqui, sed scribere, non esse superbiam arbitratus est. Quo pacto sic? quoniam hoc agere compellebat non vanitas, sed charitas, & jam humilitatis terra radicem virtutis, ne jactantiæ aurâ velleretur, altè demiserat. Hæc charitas & ædificationis necessitas à præsumptionis suspicione beatum Paulum absolvunt, quia propter subintroductos falsos Apostolos qui gloriosos se monstrabant, D auctoritatis suæ pondus impulsus est propalare; quamquam plura sint in ejus etiam laudatione plena humilitatis & recognitionis propriæ fragilitatis & ignorantiæ, *an in corpore,* inquit, *vel extra corpus nescio, Deus scit.* 2. Cor. 12. 2. Et iterum. *Factus sum insipiens,* &c. 2. Cor. 12. 11. Est igitur non quælibet manifestatio revelationis sibi factæ arrogans vel superba; sed ea tantummodo quæ fit inaniter, vanè & absque fructu ædificationis vel consilii; sed fit ad exonerandum tumorem animi à vento jactantiæ qui plenus est; ad scalpendum denique prurientes aures astantium curiosa hujusmodi narratione vanitatum. Et si non aliud afferret hæc loquacitas incommodum, abundè illud est quod magnæ rei & inappretiabilis fit consumptio, dum scilicet tempus inu-

inutiliter dilabitur. Quo circa non parum ad rem attinet, si res de qua fertur esse revelatio, sit utilis ad mores, ad Rempublicam, ad divini cultus honorem vel augmentum, aut si sit supervacuis rebus seu narrationibus immixta. Proinde in secularibus historiis & actibus humanis sic reperire commune est, & laudare se potest homo absque culpa jactantiæ, dum suæ defensionis urget necessitas. Sic Tullius perorando ne pelleretur in exilium, conservationem Civitatis Romanæ à se factam aliaque egregia opera sui Consulatus commemoravit. Sic Africanus Scipio triumphum quem de Carthagine subjugata reportarat in defensionis suæ patrocinium contra accusatores suos allegavit, & in utrolibet absque imputatione ad jactantiam. Refert denique plurimùm si quis novitius sit in exercitio virtutum aut veteranus, quoniam virtus dum incipit, levissimo flatu convellitur, inveterata autem sua stabilitate nixa consistit. Habes ex his primi signi qualemcumque delucidationem, per quod dijudicari potest spirituale numisma veræ revelationis à falsato denario diabolicæ illusionis, quod signum est pondus humilitatis. Et nonnè hoc pondus hæc habuit revelatio facta Zachariæ & Elizabeth super Joannis nominatione. Lege historiam & videbis quod vicini & cognati vocabant puerum nomine Patris sui Zachariam, quia non garrula & vana curiositate super nomine pueri parentes vulgaverunt, illam dicere sola extorsit necessitas, dum in Circumcisione puer esset nomen accepturus. Sed & Elizabeth sancto, humili verecundoque pudore ornata, occultabat se mensibus sex. Et Zacharias tantæ humilitatis fuisse convincitur, ut ad verbum aspectumque Angeli stupidus & gelido timore concussus, vix crediderit nuncianti. Addendum tamen est quod vult beatus Gregorius Dialog. ***Humilitatem veram non esse pertinacem, sed obtemperantem cum tremore***, quemadmodùm de quodam libertino refert, qui rogabatur & adjurabatur renitens suscitare puerum. *Virtutis*, inquit, *pectus non esset si hoc charitas non vicisset*. Et planè non jam humilitas sed superbum de sua æstimatione est indicium, si quis prætendendo humilitatem contemnat Prælatum aliquid operis ardui præcipientem. Neque enim hoc ageret si non esset sapiens in oculis suis, si non prudentiæ propriæ innitens, potius quam superioris sui judicio, sensui & arbitrio subjici paratus existeret. Vide ergo quemadmodum pusillanimitas ex superbia generetur. Addit ipse Gregorius pro regula quod miraculum & humilitas duo sunt signa quæ ad manifestandam alicujus sanctitatem sufficiunt. Neque enim miracula per se valent cum à malis justo Dei judicio permittuntur fieri in ædificationem Ecclesiæ. *Mens quæ divino spiritu impletur* (inquit Gregorius) ***habet evidentissimè signa sua, veritatem scilicet & humilitatem***, quæ si utraque in unam mentem perfectè conveniunt, liquet quod de præsentia sancti Spiritus testimonium ferunt. Quamquam refert multum si miraculum fiat in attestationem Fidei veræ, aut ad sanctitatis alicujus manifestationem. Nam & mali primo modo faciunt miracula ut scribitur Matth. 7. Quoniam veritas à quocumque dicatur à Spiritu sancto est, nec eam vincit malitia. Sed in approbationem sanctitatis propriæ, malis absque Dei contradictione publica & sufficienti, nullo modo convenire potest miraculorum operatio, alioquin Deus esset fallax testis mendacii. Quare sic? quia signum propriæ manus id est potentiæ, à se solo factibili appenderet litteris falsis prætensæ sanctitatis, nec reclamaret. Additur hoc, nec reclamaret, propter Antichristi miracula quæ nonnulli vera fore contendunt ad probationem electorum & reproborum subversionem; licet tamen Antichristus minister miraculi mendacissimus erit & in vita sceleratissimus. Sed Deus ipsi suisque miraculis ne crederetur, per suas aliorumque prænunciationes innumeras reclamavit atque contradixit, propter quod inexcusabilis erit sibi credens.

SECUNDUM signum in legitimo numismate spirituali, est discretio quæ dat flexibilitatem, intellige promptitudinem ad credendum consilio, quæ est humilitatis filia. Si vederis aliquem exemplo Zachariæ & Elizabeth incedentem via regia & corde simplici in omnibus justificationibus Dei, qui non vult ambulare in magnis neque in mirabilibus super se; sed medio quodam tenore regulas vivendi sequitur à Patribus institutas, nec transgreditur fines quos Patres sui posuerunt; de tali noli credere leviter, quod fallatur per dæmonum illusiones, quem & credere consilio & in omnibus cæteris moderamen discretionis observare perspexeris. At verò sunt alii quibus placet propriâ sententiâ duci, & ambulant in adinventionibus suis. Ducit eos periculosissimus rector, aut veriùs impellit propria opinio, jejuniis supra modum se macerant, protendunt vigilias, lachrymis plus quam oportet cerebrum turbant & extenuant. Et inter hæc nullius credunt monitis, consilio neminis acquiescunt, ut temperatiùs se habeant. Doctores præterea & in Lege peritos audire seu consulere non curant, & consultos spernunt: Nimirum quia se magnum jam aliquid esse persuaserunt sibiipsis, & quid eos agere conveniat plus omnibus sapere arbitrantur. De talibus pronuncio, quia, citò prolabuntur in omnem dæmonum illusionem, citò impingunt ad lapidem offensionis, quia cæca præcipitatione & nimia velocitate rapiuntur. Præterea quicquid de revelationibus insolitis pronunciaverint, habeto suspectum. Pauci sunt menses dum eram Atrebati, audivi de quadam muliere conjugata & habente liberos quod aliquandiù per duos dies, nonnunquam per quatuor & ampliùs manebat absque cibo; erat proinde multis admirationi. Feci ut loquerer cum ea, examinavi eam multis sermonibus, reperi hanc abstinentiam non sobrietatem esse, sed vanam superbamque pertinaciam. Nam & post tale jejunium dira fame excruciata, inexplebili voracitate comedebat, nullam insuper afferebat solidam causam quare sic ageret, nisi quod se indignam dicebat quæ pane vesceretur. Fatebatur præterea neque à Confessore suo neque ab altero habere hanc vivendi regulam: nam à dimidio anno & amplius, nullius habuerat Confessoris vel absolutionem vel consilium. Expavi fateor & exhorrui, dissimulans tamen cœpi ostendere dæmonis hos esse laqueos, & eam periculo insaniæ vicinam esse, nam & erat vultu attonito & color similis jamjam morituræ videbatur. Petebam si sciret aliquos quorum auctoritas, fides & prudentia, majoris essent ponderis & reputationis apud eam quam propriæ æstimationis judicium. Respondit illicò suspirabunda & gemens, dimissis humi oculis, se miseram, se peccatricem, se indoctam plus omnibus & insciam. Subintuli quærens, si verè ita de se sentiret; quo pacto sine cujusquam alterius consilio tam insolitam & ab aliis sanctioribus & fortioribus non observatam abstinentiam sequeretur. Cœpit nescio quas responsionum ambages volvere, quia quamvis evadere nesciret, deerat humilitas, & possidebat mentem ejus quædam arrogantia, quæ se victam erubescebat confiteri. Tandem monui eam bona fide & sub attestatione maximi discriminis sui in anima & corpore, ut fatuam desereret hanc jejunandi obstinationem, & absque peritorum consilio nihil singulare, & ab aliis inobservatum sequeretur; maximè quia viro suo displicebat, & pejor erat edacitas insaturabilis sequens. Non respondit ad hæc. Planè discessi & quid postmodum egerit ignoro. Hæc idcircò introduxi ut exemplo perspicium facerem

cerem quantus est in quibusdam discretionis defectus, qui non permittit flecti ad credendum consilio. Non mirandum si numisma quod à talibus fabricatum est repudiatur tanquam si ex ferro sit, non aureum. Qua in re saluberrimum est Sapientis consilium, *ne* A *homo sit sapiens in oculis suis, & ne innitatur prudentia* propriæ, Prov. 3. 5. sed agat omnia cum consilio & in æternum non pœnitebit: nec sufficit quotidianis interrogationibus fatigare prudentes, sed ut fides & obedientia præstetur necesse est; alioquin stultus erit homo hujusmodi, prout loquitur Sapiens, *qui non recipit verba prudentiæ seu consilii, nisi ea dixeris quæ versantur in corde suo.* Prov. 1. 2. Et sanè donum non mediocre Spiritus sancti hoc donum consilii, quo scilicet dari possit vel haberi vel credi rectè consilium. Ait itaque Joannes Clymaci, De gradibus pertingendi ad Deum, *quod homo arrogans & seipsum ducem sui constituens, non indiget dæmone tentante, quia factus est sibiipsi dæmon.* Æstimo denique quod nunc maximorum malorum cumulum quem in schismate patimur & experimur, ab hac indiscretionis peste processerit, nullius acquiescere consilio permittentis. De hac discretionis virtute tractat abundè Cassianus in Collationibus Patrum. Tandem in persona illius magni Antonii concludit solam hanc virtutem esse quæ imperturbato calle deducit ad regnum, & ab insidiis & seductioni- B bus dæmonum tutos reddit. Subjunguntur exempla quibus hoc astruitur. Miserabiles præterea exitus illorum quibus hæc virtus defuit memorantur. Itaque ad par exitium vergunt abstinentia nimia & crapulosa voracitas; nisi quod irremediabilior est excessus in abstinentia: morbos enim affert incurabiles ex læsione cerebri & rationis perturbatione, quò fit ut per maniam ac furiam, vel cæteras passiones melancholicas sic profundantur & intime radicantur phantasmata interius reservata in cerebro, quod esse reputantur veræ res extrinsecus apparentes, & audire se putat homo videre vel tangere quod nullo sensu exteriori percipitur. Invalescit autem hæc passio usque ad hanc aliquando insaniam ut judicet se homo aliud esse quam est; quemadmodum repertus est qui se murilegum, alius qui se gallum, alius qui se asinum, alius qui se mortuum reputaret. Unde C fuerunt nonnulli* Doctorum qui hac ægritndine percussum arbitrati sunt fuisse ipsum Nabuchodonosor, ut brutum animal esse se crederet & non veraciter indueret corpus belluinum. Pleni sunt medicorum libri portentuosis hujusmodi apparitionibus & judiciorum corruptionibus ex læsione virium interiorum nascentibus. De his ait Hieronymus *quod magis indigent fomento Hypocratis quam alio consilio.* Multos talium vidi, multos etiam examinavi quorum aliqui in plerisque negotiis sanissimam videbantur habere sententiam, desipiebant tamen in certis casibus & responsionibus uti phantasiæ suæ læsio certius eminebat. Cæterum qui perscrutatur acutius artium Magicarum traditiones sacrilegas & impias, facillime noscit plurima ibidem observanda proponi super immoderatis jejuniis & aliis quæ ordinantur non ad D aliud quam ad sensus & rationis perturbationem; quo fit ut etiam plerumque talibus dediti, cadant in insaniam, & vultus oculorumque horrorem terrificum patiantur. Attamen ne quis ea quæ dicta sunt, contra Joannem Baptistam & ejus abstinentiam valeat retorquere: hic advertendum est diligenter quod hominum diversæ sunt gratiæ, tum ex naturali bonitate complexionis, tum ex dono illius *qui dividit singulis prout vult.* 1. Cor. 12. 11. Quo circà fieri potest quod absque culpa & nota indiscretionis arripiat unus modum vivendi austeriorem qui non omnibus conveniret: exemplum habemus in Joanne nostro. Fuit ille complexionis optimæ naturalis & harmoniam virium inferiorum ad superiores, quanta natura lapsa patiebatur pulcham, integramque possedit. Quod si cui forsan sit hoc ambiguum, sciat quoniam secundum Scripturam, *Dei perfecta sunt opera.* Sed nonne Joannes noster Baptista à Deo miraculosè productus est. Semen igitur materiale ex quo corpus compaginandum erat, nec durum nimis nec rursus fluidum abundantius fuit, sed tale prorsus quale disponere & ministrare talem & tantum decebat artificem Deum. Dic aliquem defectum monstruosum incidisse: quid sequitur? Jam non naturæ quæ non operabatur; sed Deo miraculosè causanti fuisset imputata talis imperfectio, quod dicere nefas est. Ex hoc ampliùs liquet quòd Joannis complexio non melancholica, sed sanguinea fuit, & quod in sua conceptione & annunciatione constellationibus cæli nequaquam subdebatur. Fefellerunt insuper aut fallere potuerunt regulæ Astronomorum de judiciis circa eum, nec ad ipsum extendi potuerunt: aperta est ratio, conceptionis miraculum. Ex his quid rursum concluditur. Nimirum vide quod Joannes dum puer eremum concupivit & introivit, hoc non ex læsione cerebri, non ex melancholica passione egit, sed potiùs à Spiritu sancto ductus est in desertum. Similiter victûs sui singularitas & cætera hujusmodi (quæ etiam ante ejus conceptionem prænunciata sunt) virtuosa sagacitate observabantur à Joanne, quæ ab aliis admirari poterant; sed non cum discretionis virtute penitus imitari. Non omnium avium par est volatus ad aquilam, nec bestiæ omnes cursu tigridem æquant: sic in virtutibus dispar est cuique partitio. Nonne sanctus Benedictus desertum locum puer incoluit? Ipsius tamen documentum est, ut non permittantur passim & pro libito Monachi solitudinem aggredi: nam quispiam adhuc tyrunculus nec expertus leviores insultus pugnæ spiritalis, quomodo tutè committit se bello graviori gigantis? Nam qui communem vitam agunt in societate, magis experiuntur bella mundi & carnis tanquam rudiores potentioresque pugnarum congressus. Qui autem solitarii degunt, contra gigantem immanissimum diabolum dimicaturi & fraudibus subtilioribus atque fortioribus aggrediendi, fatigandi, & nisi discretionis gratia succurrerit, turpiter dejiciendi exponuntur. Agnoscitis igitur quam necessaria est discretionis virtus, quam parit, nutrit & salvat humilitas veræ obedientiæ copulata. Expediamus reliqua sub brevitate majori.

TERTIUM igitur signum in numismate spirituali diximus esse patientiam quæ dat durabilitatem, dum per ignem tribulationis examinatur, & dum per contumelias & probra pulsatur. *Doctrina viri* (inquit Sapiens) *ex patientia cognoscitur.* Proverb. 19. 11. Si quis itaque ex manifestatione illorum quæ sibi dicit fuisse revelata reportet non nisi dejectionem, irrisionem & opprobria, facilius inducit credere sibi, quam ubi suspicio de vanæ laudis captatione rationabiliter exoritur: fallax tamen est hoc signum, non dubito, nisi cautissima circumspectione cum aliis adjunctis examinetur; nam & obstinatio sæpe patientiam simulat, & nonnulli ex contumeliarum fatua perpessione gloriantur. Quemadmodum ipsæ etiam sordes vestium & cilicium aliquando superbiæ vermem mordacissimum generant & nutriunt. Arbitrantur isti se justis & sanctis esse similes, quibus tot adversa contigerunt vel qui egerunt similia. Impleri rursus in se putant illam Christi promissionem. *Beati qui persecutionem patiuntur,*

quoniam ipsorum est regnum cælorum, Matth. 5. 10. non satis adververtents quoniam addit Christus, *propter justitiam*; sed tantæ cæcitatis est ipsa mentis arrogantia, tam similis esse virtutibus vult videri temeritas. Ceterum numquid non obsecro reperiuntur qui de suis etiam defectibus, negligentiis & necessitatibus improbissimè gloriantur, absurdum dictu, sed ita gloriantur, certè deputantes sibi talia à Deo permitti, ne cum Paulo, magnitudo revelationum aut virtutum eosdem extollat. Et vide quanta conscientiæ arrogantis calamitas, quia nec humiliatur, nec à suis defectibus spoliatur: nam quia utili dispensatiote sibi datos putat stimulos negligentiarum culpabilium; ut eis careat nequaquam enititur, quin potius in suæ perfectionis traducit argumentum.

QUARTUM signum est veritas, quæ dat configurationem & inscriptionem legitimam. Est namque sacra Scriptura locus vel officina ubi cunus regius monetæ spiritualis reconditur; quia si in aliquo vel minimo puncto denarius discrepet in sua figuratione & superscriptione ab hoc cuno Regis, absque ulla dubitatione falsatus est. Attamen tanta est nonnunquam similitudo denarii falsi ad verum, ut vix nisi à doctissimis possit falsitas deprehendi; quia inter tot veritatis lineas ad fraudem positas, non statim unus falsitatis punctus semet aperit. Visi sunt hæretici qui magnos Catholicæ doctrinæ compingebant libros, ut solam hæresim inter tot veritates latenter insererent & cautiori efficaciorique fraude puplicarent. Hæc res indicat ex quanta necessitate talis quælibet moneta revelationum insolitarum debet à Theologis priusquam admittatur examinari, quorum præcipuè interest inter veram & falsam Religionem, moresque concernens discernere. Palam est insuper quam perniciosa sit Scripturæ sacræ rejectio, & ad Antichristi susceptionem præparatio certissima. Hoc signum quartum manifestè traditur in lege Deut. 13. & 18. Et pro elucidatione majori placet hic repetere quatuor conditiones veræ revelationis quoad veritatis inscriptionem aliàs per me positas & pronunciatas in quadam collatione de Angelis.

Prima conditio: Nullus Angelorum sanctorum sive Prophetarum quicquam esse futurum prænunciat, quin veraciter futurum sit in sensu quem ipse vel Spiritus sanctus intendebant. Sic non est responsum dæmonum quia & fallunt & falluntur & hæc conditio habetur Deuter. 18. Si tacita cogitatione responderis: quomodo possum intelligere verbum quod locutus est Dominus? Sequitur responsio. Hoc habebis signum: si quod in nomine Domini Propheta ille prædixit, & non evenerit, hoc Dominus non locutus est, sed per tumorem animi sui Propheta confinxit. Contra hoc videtur esse instantia fortis de Jona qui prædixit destructionem Ninivitarum, & de Isaia respectu mortis Ezechiæ, & de Nathan.

Pro quo ponitur secunda conditio: Si idipsum quod Angelus aut Propheta prædixit non eomodo quod vocaliter prætendebatur eveniat, plus super hoc à Spiritu sancto revelationem accipiet de Prophetia aut revelatione sic vel sic intelligenda, conditionaliter, mystice, vel literaliter. Sic factum est in Jona & Isaia: aliàs debuissent lapidari secundum legem Deuter. 18. scriptam: hoc est quod prius appellavi Deum reclamare vel contradicere, vel de suo intellectu salubriter informare. Tertio conditio: Nihil bonis moribus aut sinceræ Fidei contrarium, Angeli sancti & Prophetæ veri prædicunt aut præcipiunt: non sic dæmones vel Antichristus quorum signa dicuntur signa mendacii, quia ad mendacium credendum inducunt. Hæc conditio habetur, Deut. 13. Si quis instet de præcepto dato Abrahæ super immolatione filii. Responsio est quòd Deo jubente seu dispensante non fuisset illicita mortis hujus inflictio. Sed ita diceret pertinax idolatra immolans filios suos & filias suas dæmoniis. Pro quo ponitur quarta conditio: Revelatio Angelica sive Prophetica super aliquo quod bonis moribus obviaret, nisi divina interveniret jussio sive dispensatio, taliter circumstantionata est aut esse debet, quod de ea revelationem accipienti, vel eis pro quibus fit revelatio, dubitare non liceat: oportet enim ut tam clarè cognoscatur revelatio esse à Deo quàm clarè scitur aliquid esse Scripturæ sacræ vel rationi conforme. Et in hoc casu maximè necessarium est donum quod Apostolus vocat *discretionem spirituum*. Quæres quid agit hoc donum quod discretionem spirituum appellamus? Agit equidem ut sapore quodam intimo & illuminatione quadam experimentali sentiat homo differentiam inter veras revelationes & deceptorias illusiones. Hoc tradit beatus Gregorius in Dialogis. Hoc idem de seipso beatus Bernardus in suis miraculis fatebatur. Sentiebat enim & (ut sic dixerim) gustabat interno quodam afflatu & odore quando ad faciendum miracula sibi virtus aderat, utpote ad sanitates operandum. Quemadmodum de Domino nostro Jesu Christo dicit Evangelista, quod sensit virtutem de se exisse, dum sanata est mulier ex contactu fimbriæ vestimenti; alioquin idem & alii similes nulla ratione visi fuissent aliquando excusabiles à temeritate aut à tentationis divinæ peccato, dum ad operandum miracula semet ingerebant. Augustinus quoque refert in suis Confessionibus Matrem suam isto modo inter veras & falsas nocturnæ quietis imagines & visiones discrevisse. Cur igitur aliquis, si regula universalis aut doctrina certa & infallibilis nequeat tradi super hac materia, de discretione spirituum, aut de revelationum veritate, cum ista res plus in experientia & conditionum particularium, quæ infinitæ sunt, concursu qam in arte versetur. Videamus similem in re pari, immò longè faciliori difficultatem. Ridebunt ad exemplum forsan aliqui, sed attendant ne semet irrideant. Petamus ab aliquo dari nobis sub arte & doctrina universali per quam sciri poterit evidenter de seipso vel alio semper quando somniis illuditur aut veris vigiliis exercetur. Attende imprimis quod visiones somniorum plerumque discursivæ sunt, rationales & super se reflexæ: nam quærit homo si somniat; utrinque insuper arguit & tandem deliberatè concludit quod vigilat. Adde quod tanta nonnunquam est somnii ad vigiliam propinquitatis similitudo, ut hæsitet homo etam vigilans, ac visa secum retractans, si tunc verè dormiebat. Rursus apud quosdam dormientium, prout scribit Philosophus & experientia loquitur, vigilantium opera in cursu, voce & aliis plurimis reperire est. Denique tot & tales aliquando occurrunt similitudines somnii ad vigiliam, quod solum videtur experientia ad discernendum sufficiens. Interroga aliquem de vigilantibus quomodo scit an vigilat? Respondebit illicò fortè insulsam hanc quæstionem tuam; sed urgere non desinas, respondebit subsstomachans, bene scio. Persiste ultra & dic, quomodo bene scis? dicit quod maxima est inter somnium suum & vigiliam dissimilitudo. Si similitudines varias adduxeris quas prætetigimus, æstimo quod nullus suæ responsioni alius erit exitus quam ut dicat certe scio, quia sic experior. Sed perge ultra insistere, & affer quod similem crebrò se habere judicat experientiam dum somniat, credens scilicet loqui, legere & audire, immò & non somniare. Ad hæc quid iste respondebit, nisi dicere, verum est, & tunc decipior, Quod si ampliùs protervire & contraniti volueris dicens, ita nunc ô bone vir e-

tiam

tiam tu falleris quamquam ignoras. Videat ipse quid ultra obmutire, aut sufficienter allegare valeat ad liberandum pedes suos ab hoc labyrintho, præter solam experimentalem notitiam ipsius vigiliæ, quæ valde dispar est à somniis, fortior scilicet atque lucidior, per quam non se tam opinatur, quam scit & intelligit vigilare. Transferatur hæc similitudo quæ videtur puerilis ad rem sublimissimam quæ tractatur; comprimetur per eam, si non erro, insolens A arrogansque humana curiositas, quæ Fidei sacramenta si non penetrat, indignatur; quando nec quotidiana puerilia & ludicra sufficit attingere. Hæc etiam nos consideratio cautiores efficiet, non in revelationibus tantummodo secernendis, sed in omnibus generaliter nostris actibus dijudicandis. O quotiens sibi videtur homo sapiens, sibi justus, sibi humilis, & sibi dicit; quia dives est in virtute, & nescit quia miser est & miserabilis & pauper, & cæcus & nudus. Prævalet in vanitate sua, & in multitudine spiritualium divitiarum suarum gloriatur; dicit in excessu suo, *non movebor in æternum*. Sed profectò alto somno pressus fallitur, quia omnia hæc aspicit non in luminosæ veritatis vigilia, sed sub involucro Somniculosæ vanitatis experitur. Hanc fraudem, tunc primum homo percipit dum Deo propitio excitatur à somno peccati, & nihil invenit divitiarum somniatarum in manibus suis. Fit hoc dum regreditur ad luminosum & præfulgidum diem humilitatis & sibi vigilat B qui vanitati dormiebat; videt tunc errorem suum, & illum secum diùque retractans quod ipse patiebatur quidve desipiat obstupescit. Nam & verè superbum & arrogantem & tumidum aut aliter vitiosum se fuisse deprehendit, quamquam aliter priùs existimabat. Quare sic? quia mentiebatur iniquitas sibi. Et quid mirum si mentitur iniquitas sibi plus quam si somnians de somniis, & maniacus de furia, & stolidus de sapientia corruptissimè judicarint. Sic est planè quod vitiosi de propriis vitiis ut de tenacitate parcus, de arrogantia superbus perversè conjecturant, & tanquam acrisia percussi palpant in meridie. Quamobrem eluce ssit quantum, immò quàm necessarium sit eis alieni consilii ducatum habere & sequi; quia de somniante alius vigilans perfectiùs judicat. Ideo *væ soli, quia cum ceciderit non habet sublevantem*. Eccl. 4. 10. *Et væ cæco si* cæca eum ducat impietas & illusio, *quia ambo in foveam cadunt*. C O formidandas ergo jugiter fraudes quis non expavescat? O fallaces ubilibet mille deceptionum tendiculas, quis has evadet? Quis arcto tramite sic obscuro, sic obsesso securus ambulabit? Profectò solus ille beatus, & decies beatus, humilis & pauperculus, qui Sapienti obediens semper est pavidus, qui in Dei timore instanter se tenet ne citò subvertatur domus sua. Putas ne fuerat hoc expertus qui dicit. Psal. 104. *Custodiens parvulos Dominus, humiliatus sum & liberavit me*. Denique hoc testatur oraculum illud dignè divinum & sempiternè memorandum, de humilitate Antonio monstratum. Conformiter ad hoc jurat devotus Bernardus talium expertissimus super Cantica. Hom. 54. *In veritate*, inquit, *didici* D *nihil æquè efficax esse ad gratiam Dei promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore inveniaris coram Deo non altum sapere sed timere. Beatus homo qui semper est pavidus*. Prov. 28. 4. Hanc humilitatis lucem quisquis intraverit, per medios tentationum laqueos quantumlibet absconditos tutus incedet; frustrà rugiet adversarius ut leo; frustrà circumiet quærens quem devoret; frustrà insidiabitur in spelunca sua ut rapiat pauperem & pauperculum & contritum; *quoniam tibi domine derelictus est pauper & orphano adjutor es*. Psal. 10. 14. Hoc est primum & præcipum signum inter signa nostræ monetæ spiritualis discretivum. Monitiones omnes itaque intrinsecæ, omnes instinctus vehementes, omnis revelatio, omne miraculum, omnis amor extaticus, omnis contemplatio, omnis raptus, omnis denique nostra interior exteriorve operatio, si humilitas præcedat & comitetur & sequatur, si nihil eam perimens misceatur (crede mihi) signum habent quod à Deo sunt aut bono ejus Angelo, nec falleris. Si verò prædictorum aliquod sumat originem à superbia, si ad eam pariendam induxerit, suspecta habe omnia. Humilitatis ergo signum si perfectè noscetur, frustra multiplicarentur alia; quoniam superbia & humilitas numisma spiritualium operationum sufficienter condistingunt. Hanc nihilominùs sublissimimam parvitatem & paupertatem ditissimam sed in Deo, hanc sapientissimam, ut sic loquar, insipientiam quæ sibi de se diffidit, quæ neminini se præponit, quæ idcirco suasibilis est & nemini detrahens aut indignans, disponit omnia suaviter. Hanc inquam quisquis propria virtute, studio vel industria adipisci & servare crediderit, errat procul-dubio, etiam superbissimus est: præparat se homo ad eam, non negabo, sed ab eo solo gratis infunditur & custoditur, *à quo omne donum optimum est*, Jacob. 1. 17. & hoc scire & sentire jam magnum Dei donum & humilitatis initium. Ecce Magistri, Venerabiles & fratres dilectissimi, ecce quomodo relapsus sum de quarto signo ad primum, ita est; sed nunquam profectò satis crebro, nunquam verbis sufficientibus potest apud nostram elationem perditissimam inculcari laus hujus virtutis, nunquam nimis sub pedibus reprehensionis valet adversa superbia dejici, conculcari & conteri. O monstrum horrendum ingens! O portentuosissimum superbiæ negotium! Nam heu calcata resurgit fortior, instar fabulosi Anthei, evulsa repullulat uberior, sua demum recisione (velut hydræ poëticæ caput) redit fœcundior; sic ex suo nedum contrario ut ex humilitate, ex sordibus, ex pallore, sed ex sua morte rediviva generatur. At verò tandem revertamur, si placet, ad quartum signum in quo eramus, quòd diximus esse veritatem, quæ dat configurationem legitimam monetæ nostræ spirituali: ubi, quæso, animaduertere nequaquam omittamus, quod aliqua sic se habere possunt, ut quamvis non sint palam & directè obviantia sive contraria divinæ Omnipotentiæ, quæ per Scripturam sacram extollitur, quin absolutè possint fieri; sunt nihilominus refellenda tanquam inania & fatua, & divinæ sapientiæ incongrua, nec cuneo veritatis legitimè formata, sed aliundè protracta; quemadmodùm si quis diceret sibi esse revelatum, quòd totus mundus movebitur cras motu recto; quòd unus Angelus annihilabitur, postmodum recreabitur, non adducendo aliam utilitatem; quòd quilibet Prælatorum debet solus & nudus incedere & bajulare crucem materialem super humeros suos, aliàs tota peribit Ecclesia. Talia inquam, velut delira & divina revelatione indigna statim abjicienda sunt. Neque enim relucet tantummodo in divinis operibus potentia; sed bonitas & sapientia quam effudit super omnia opera ejus. *Omnia* (inquit Psalmista) *in sapientia fecisti*. Psal. 104. Ad hoc refertur quod antea dictum est de narrationibus supervacuis phantasticarum apparitionum & de inutili per eas temporis consumptione. Pro hoc valet quod habemus ex determinatione Doctorum & glossà; Matth. 4. super illo. *Si filius Dei es, mitte te deorsum*. Miraculum si pia utilitate aut necessitate careat, eo facto suspectum est aut rejiciendum; sicut fuisset Christum volare per aëra, & ut communiter sunt magorum sacrilega præstigia. Fuit nostris temporibus mulier in talibus famata revelationibus, quam hoc signum nisi fallor, delirasse convincit.

Quintum signum.

EXPEDIAMUS nos ad postremum de quinto & ultimo signo. Illud est si meministis, charitas seu divinus amor qui dat colorem aureum numismati. Hoc signum non usquequaque statim sufficiens est, propter sophisticum & fucatum colorem aureum vanæ seu carnalis dilectionis. Siquidem ex- A pertum est mulierculas quasdam fuisse quæ circa Deum vel alios viros sanctos magis afficiebantur dilectione vitiosa ignoranter, quam vera, sancta & syncera charitate moverentur. Et de idolatris constat, quia Deum se diligere, licet errantes, existimant. Propterea primùm hic incidenter infero non esse tutam mulierum quantumcumque sanctarum cum viris etiam religiosissimis cohabitationem & familiaritatem. Quare sic? quia potest fieri ut amor à spiritu incipiat, sed vehementer formidandum est ne per blanditias sensim carne consumatur. Non deerit inquit Hieronymus viscus diaboli: nam & ferreas mentes libido domat & carpit vires, *uritque videndo fœmina*, inquit Virgilius. Quo circa scripsit quædam devota mulier, nihil ita habere se suspectum sicut dilectionem, & plus quam diabolum, etiam dum circa divina & personas probatæ sanctitatis versatur. Hoc non muliebriter traditum est; quoniam passio B seu motio quantò vehementior, tanto præcipitatio facilior invenitur & regi difficilior. Ampliùs hanc ob causam inter cæteras videntur errasse Begardi & Begardæ, ob indiscretam dilectionem nomine devotionis palliatam. Argumentum hujus rei est in quodam libello incredibili penè subtilitate ab una fœmina composito, quæ Maria de Valenciennes dicebatur; hæc agit de prærogativa & eminentia dilectionis divinæ, ad quam si quis devenerit, fit secundum eam ab omni lege præceptorum solutus, adducens pro se illud ab Apostolo sumptum. *Charitatem habe, & fac quod vis.* Recolitis opinor, ut apud Virgilium in bucolicis quæsitivè ponitur. *An qui amant, sibi somnia fingunt?* Et certè res sic se habet, quoniam amor inter omnes animæ passiones magis penetrativus & alienativus; & si verus est, castus & sanctus, juvat incogitabiliter ad cognoscendum cœlestia. Si verò aut vanus sit, erroneus C aut libidinosus, varias sibi format illusiones, ita ut credat videre seu cogitare quæ prorsus ignorat. Experimentum hujus rei in amore hereos conspicimus. Etenim si prædicta Maria non de viatoribus utique ligatis ad præceptorum divinorum impletionem; sed de statu beatorum dilectionem quam describebat applicasset, vix altius quicquam de divina fruitione, quoad aliqua, dici potuerat; sed fallebat eam sua tumiditas animi tantæ passioni dilectionis immixta. Putabat igitur se frui Deo dum vigebat hæc passio fortis circa Deum in ejus animo quantumcumque à divinis præceptis longè esset. Accepi à narrante quodam Carthusiensi, se ab uno magno viro audivisse, sed in hoc stultus erat, quod peccatum mortale non semper corrumpebat charitatem, nec impediebat dilectionem Dei super omnia, immò ad gratias agendum & divinam dulcedinem admirandum, laudandum, concupiscendum, nonunquam inflammabat. Exemplum dabat de fornicationis dilectione. Errabat utique delirus ille qui sic phantasiabatur, quia motum omnem amoris passionalem vel ex consuetudine vel aliundè genitum circa Deum, ita divinam vocabat charitatem quæ non gaudet super iniquitate, & quæ Deo per inobedientiam præcepti cujusvis nequaquam inimicatur. Novi hominem qui ex devotione & sapientia planè laudabili, cujusdam virginis Religiosæ amicitiam ejus in Domino familiarem amplexatus est: deerat primò focus omnis carnalitatis, tandem paulatim ex convictu crebro accrevit amor, sed non penitus in Domino usque adeò ut ab ea visitanda aut recogitanda, si aberat, vix divelli valeret. Nihil tamen pro tunc carnale, nihil subdolum, nihil fraudis diabolicæ suspicabatur, donec aliquando discedendum fuit longius ab ea, sensit ille vir tunc primùm quia non pura & omninò syncera & casta fuerat hæc dilectio, & quod magno malo, nisi Deus propitius avertisset, approximabat. Omnis quippe vehementia est ad virtutem periculosissima comes, ut ad dilectionem, ad zelum, ad correctionem & similes. Verrissimè propterea quidam enunciavit qui dixit: *Malè cuncta ministrat impetus.* Hæc demum fraus apud illos frequens est, qui in cultu aut dilectione proximorum decorem corporis, florem ætatis, aut divitias, aut alias fortunæ dotes attendunt, ac inde vehementius ad eorum dilectionem accenduntur. Qui profectò cavere habent ne sordidè aut carnaliter exurantur, alioquin si tantummodo virtutem diligunt, sedem ejus unicam, spiritum videlicet, qualecumque corpusculum inhabitet, æquè ament colant & frequentent. Non adversor tamen usquequaque Poëtæ dicenti.

Gratior & pulchro veniens è corpore virtus.
Adjuvat.

Sed affirmo quod si gratior; non ob hoc tutior aut syncerior invenitur. Denique ut sentias quam nihil tutum sit in ipsa etiam Dei dilectione, dum peregrinamur à Domino; recogitatione profunda circumspice quod apud exercitatos in amore Dei & cæteris virtutibus suboriri potest horribilis deceptio. Et qualis deceptio? Talis quippe ut isti devoti; justa sed occulta Dei permissione aut pro erudiendo, aut pro perdendo deludantur à dæmonio meridiano superbiæ, transfigurante se in Angelum lucis sub specie grandis boni: declinat tunc ab eis Deus, & veste nuptiali charitatis spoliat. Omnia tamen prioris devotionis & dilectionis indicia sentire & habere præsumunt, errantes utique in via & experientia morum; quemadmodum si quis aberret apertis oculis in via pedum: arbitrantur itaque quod agantur spiritu Dei, dum ex solo informi habitu & usu virtutis prioris nondum abolito moventur, & quis non obstupescat hoc audiens? Quis non vehementer exhorrescat? Quis non obtemperet Apostolo dicenti: *Qui se existimat stare videat ne cadat.* 1. Cor. 10. Credo contemplatus hæc fuerat Sapiens qui dicebat: *Est via quæ videtur homini justa, & novissima ejus ducunt ad mortem.* Prov. 5. 4. Et ille qui ait: *Nescit homo an amore vel odio dignus sit.* Rom. 11. 33. Super hanc abyssum multam judiciorum Dei verterat aciem contemplationis suæ, qui pavescens exclamavit: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus.* Rom. 11. 33. Et alter inquiens: *Terribilis in consiliis super filios hominum.* Psal. 65. Et ad humiliationem nostræ miseriæ hæc conderatio si non sufficiat; quid ergo aliud erit satis ignoro? Porrò non est prætereundum quod eadem persona sicut nunc potest esse bona & ornata charitate, nunc declinare in vitium & rursus à malitia in justitiam converti: sic possibile est eamdem personam tunc veris revelationibus visitari, nunc fatigari vel tentari falsis illusionibus. Nam & Prophe- D tæ nostri ut David, Helysæus & Nathan, non semper ad nutum præsto habebant secundum Gregorium & historiam & propheticum spiritum. Unde Nathan ex frequenti usu propheticæ visionis credidit propriam æstimationem esse revelationem, dum ipsi David quærenti de ædificatione templi, respondit: *Fac quæcumque habes in corde tuo, Dominus tecum est.* 2. Reg. 7. 3. Valet hoc exemplum ad ea quæ de usu dilectionis divinæ prætacta sunt. Quamobrem qui in talibus se existimat proprio sensu, arte vel industria discernere; videat ne erret; quoniam si præsumptionis spiritus obrepserit, subintrabit facilè vanitas

nitas

nitas illusionis. Cave tamen hoc audiens & pavescens ne deteriorem infidelitatis aut desperationis foveam incurras tanquam videlicet nulla sit aut fuerit in sanctis revelationis & bonæ spei certitudo. Sicut de revelatione dicit Apostolus. *Scio hominem*, &c. Et de spe inquit: *Certus sum quia neque mors*, &c. Rom. 8. Habetur sanè certitudo, sed à divino lumine, non humana solum investigatione aut æstimatione. Scis præterea quia non sequitur. Cadit deceptio & illusio in judicando de somno & vigilia, igitur nulla est de vigilatione certitudo, nullaque adhibenda vigilantibus Fides indubia; vigilabant Sancti in divino lumine, nos peccatis obruti & obvoluti plerumque portenta vitiorum aut illusionum somniamus: nimirum si fallimur, illi nequaquam. Novi hominem qui post multum tentationis involucrum super uno ex Fidei articulis in tantam subitò lucem veritatis & certitudinis introductus est, ut nullæ prorsus residerent dubietatis reliquiæ, nulla vacillatio; sed serenitas multa, jubente eo qui fluctibus imperat. Addebat quod non ex ratione aliqua nova, sicut tunc se interrogabat, & optimè meminit; sed ex sola humiliatione & captivatione intellectûs in obsequium Fidei & omnipotentiæ Dei, istud meruerat, ut non plus dubitaret de illa Fide quam de sui existentia: quærebat rationem tantæ soliditatis & pacis in credendo; nihil aliud reperiebat nisi quod sic experiebatur & in alium transfudisse nescisset. Non credent forsan mundani sapientes tales fieri illuminationes, quoniam verissimè pronunciatum est ad Deum per Prophetam: *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis, turbati sunt omnes insipientes corde.* Psal. 75. 5. Qui non sapiunt videlicet quæ cordis sunt & spiritus, qui nec secum habitant in corde suo, sed foris in plateis vanitatum. Sic constat justos in spem suæ salutis certam erigi; certam dico, non in se, sed in eo qui afflatu secreto dicit animæ, *salus tua ego sum*; qui in mediis incertisque tentationum humanarum fluctibus anchoram spei firmam figit, qui etiam dilectam in tranquillitatis cubiculum, ex tot irruentibus humanæ vicissitudinis turbinibus introducit. Hæc sunt planè mirabilia Dei in profundo humani cordis, quæ vident illi qui descendunt mare contritionis amaræ & fortis in navibus virtutis; & per contemplationem & meditationem sedulam non curiosam; sed piam & fidelem faciunt operationem in aquis multis tam divinorum judiciorum, quam humanorum affectuum. Vis videre hanc visionem magnam; vis ad ista conscendere? non opus est viribus humanis; tuum posse, non est posse; *tuum scire*, ut Socrates dicebat, *est quod nescias; tua justitia, nihil de justitia tua confidere.* Quomodo fio? *Accede ad cor altum & tibi exaltabitur Deus*, Ps. 63. 8. videbis quod non tu solus, sed *omnes gentes* (juxta dictum Prophetæ) *quasi nihilum & inane sunt in conspectu ejus*, Isai. 40. 17. Ecce tuum nihil posse. Exclamabis nihilominus cum Propheta. *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est & non potero ad eam.* Ps. 138. 6. Ecce tuum scire nihil, fateberis. Denique cum alio Propheta. *Omnes justitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ sic sunt ante te.* Isaiæ 64. 6. Ab hac imbecillitatis tuæ valle, ab hac insipientiæ caligine, ab hoc pulvere humilitatis & stercore vilis reputationis vocabit te Deus in montem, loquens tibi de caligine atque suscitans de pulvere egenum, & de stercore pauperem erigens. Sed dices, scio jam me nihil posse, nihil scire, nihil deinceps habere justitiæ, nihil tamen tale quale polliceris experior. Veruntamen precor, attende quomodo scire dixeris, videto ne audias illud improperium. *Ex ore tuo te judico serve nequam.* Luc. 19. 22. Nam si verè & absque ulla dubitatione ita esse judices, fortè per intellectum & per rationem ut ferè omnes; cur affectio, cur operatio contradicunt; cur vel non conformiter afficeris & agis; aut cur sic afficeris & sic agis quasi possis tuis viribus, tua industria, tuaque justitia, dignum aliquid operari: laudo judicium tuum quale dixisti; sed experimentalem gustationem coexigo. Aliter quippe judicant se nescire idiotæ qui difficultates scientiæ alicujus nunquam attendunt; aliter sapiens & expertus qui sciendi impossibilitatem ex ipsa rei conditione aut rationum perplexitate considerat, sentit & masticat. Nullo pacto insuper culpo neque prohibeo te conari, te operari, te totis viribus exerce-

A ri, sed arrogantiam in istis penitùs execror & exulo; alioquin noli mirari si tua spes nutat & fluctuat, dum vel in modico tuis viribus, quas fateris invalidas, innititur. Si præterea cum venerit tibi pes superbiæ, claudicas & corruis, ubi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem. In Deo qui solus est immutabilis, spes duntaxat figenda est cum illo qui dicit: *mihi adhærere Deo bonum est, &c.* Psal. 72. 28. Intellige præterea, vt ad cœpta regrediar unde diverti longiùs prosequendo superbiam, intellige, inquam, quid Salomon reperit; dum solo humanæ industriæ studio ad cognitionem divinorum nisus est pertingere, qualis est præsens inquisitio de veris atque falsis revelationibus. *Cuncta*, inquit, *tentavi in sapientia, dixi sapiens efficiar, & ipsa longius recessit a me, multo magis quam erat & alta profunditas, quis inveniet eam?* Eccles. 7. 24. Et nunquid non aspicitis doctissimi viri, nunquid non animadvertitis simile aliquid in proposita

B quæstione quæ planè tantò ampliùs mihi visa est exaltari, quanto plus quæsita est penetrari. Et ibi verè deficiunt scrutantes scrutinio. Attamen bene actum est, non perdidimus operam vos audiendo, ego loquendo, si de nobis, non de Dei munere diffidimus; si perinde jugiter habeamus ad Dominum sursum corda petentes ne fallamus & fallamur. *Nam homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam & scientiam*, inquit Salomon. Eccles. 2. 26. Si monetæ spiritualium revelationum nos examinatores esse contigerit, studeamus esse quales descripsimus: adhæreamus Deo & Scripturæ ejus, per quam & in qua semel loquitur nobis Deus, & idipsum non repetit. Debemus, meo quidem judicio, in omnibus, tamen præcipuè in ista examinatione non præcipitare sententiam; sed usque ad plenissimam examinationem suspensum tenere judicium, maximè nisi falsitas aut fatuitas cognata falsitatis aperta sit: ubi verò nihil primo aspec-

C tu falsum vel delirum conspicitur, non solum explorare convenit quæ acta sunt sed exitum expectare. Nam præmittit aliquando dæmon veritates plurimas, & post temporis tractum quando persuasit hominibus, tunc id quod fallit subministrat; & hoc vel ad deceptionem singularis personæ; vel ad impugnationem miraculosarum operationum nostræ Religionis, quibus fides innixa subsistit; vel ad vituperium totius devotionis, aut ad scandalum verbi divini. Etenim dum cadit unus quem antea magni esse nominis talium revelationum fama vulgavit: irrident ipsi deinceps sæculares sæculariter viventes, unumquemlibet qui religiosa simplicitate vitam agere decrevit. Appellatur confestim illusor & illusus, clamatur phantasticus, exsibilatur Papelardus, Begosus & Begardus & sic occasione accepta, irridetur justi simplicitas. Sed & simplices per talia palam decepti, aut

D vix aut nunquam possunt ad viam veritatis reduci. Quæ causa est, quoniam neque audiunt Clericos quos hypocrisi, invidia & malignitate laborare credunt; neque emendantur per laicos, quos ignorantes ut seipsos esse cognoscunt. Prædictorum omnium hæc summa est, ut examinetur numisma divinæ revelationis, si habeat pondus humilitatis absque curiositate & tumoris vanitate. Si flexibilitatem discretionis absque superstitiosa æstimatione & abjectione consilii. Si durabilitatem patientiæ in adversis, absque remurmuratione & ficta æmulatione. Si veritatis configurationem absque mendosa aut inepta assertione, si colorem vividum & syncerum divinæ charitatis absque carnalitatis scoria & fece. Et quoniam

niam hæc omnia circa Elizabeth & Zachariam extiterunt in revelatione eis facta de Joanne & ejus nomine: commendari non irrationabiliter dictus est ipse Joannes tanquam habens nomen revelatum, *quod os Domini nominavit*; Isai. 61. 2. quod notare dignum in prima nostri textus particula. *Fuit Joannes*, &c. Cujus meritis ab omni nos errore custodiat ipsa veritas Christus Jesus qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

EPISTOLA

Joannis Gersonii Doctoris & Cancellarii Parisiensis ad fratrem Bartholomæum Carthusiensem super tertia parte libri Joannis Ruysbroech, De Ornatu spiritualium nuptiarum.

Recognita ad MS. Codd. Vict. 278. & 106.

VENERABILI Patri & bonæ simplicitatis fratri in Christi charitate dilectissimo fratri Bartholomæo Carthusiensi: suus Joannes Cancellarius indignus Ecclesiæ Parisiensis. Nuptiarum agni participem fieri. Pridem librum quemdam per te habitum cujus titulus est, *De Ornatu spiritualium nuptiarum* in transcursu legeram, novissimè illum attentiùs relegens comperi multa ibidem tradi salubria & alta documenta. Nam prima pars instruit ad vitam activam; secunda ad vitam spiritualem, quæ affectualis dici potest, inducit sub variis & pulchris similitudinum manuductionibus & tropis, quorum intelligentiam soli experti plenè concipient. Sunt nempè ex eis quæ in affectu plus aguntur quàm in intellectu, & quæ participantur ampliùs, saporis cujusdam intimo gustu, quàm ratiocinatione vel discursu. Tertia pars notificare nititur quæ sit excellentia vitæ Comtemplativæ, quæ Beatificæ visioni jam jam approximat. Tradunt quidam, sicut accepi quòd prætatum librum idiota unus sine litteris composuit. Exinde non sine miraculo & inspiratione divina ipsum fuisse confectum patenter astruunt: ex quo consequens esset omnia contenta in eodem esse verissima sanctissimaque. Sed meum quale sit super hac re judicium, tibi non esse celandum decrevi; ne fortassis incerta aut falsa pro veritate certa, aut divina amplecti contingeret. Scis quid jubet Apostolus: *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci*. Hebr. 13. 9. Sunt, ut meum interim est judicium, duæ partes priores satis utiles, in quibus nihil deprehendi quod non possit, salua Fide & morum puritate, saluari; quamquam modestum lectorem in multis efflagitent, & talem qui non sit penitus expers earum quæ secunda pars loquitur affectionum. Cæterum stilus ipsius libri non sordidus est, nec abjectus: Certè tamen induci nequeo credere librum ipsum fuisse conflatum per os idiotæ quasi per miraculum: stilus enim ipse magis sapit & redolet humanam eloquentiam quam divinam. Nam & Poëtarum verba & Terentii & Boëtii & Philosophorum sententiæ & orationis cursus ostendunt palàm illic studiosam industriam & diligentiæ laborem diuturnum præcessisse. Planè impar valde est stilus divinæ Scripturæ Prophetarum & Evangelistarum ab hoc loquendi genere. Quamvis hic diceret pertinax assertor oppositi, quod Deus scientiarum Dominus est, habens facultatem nunc hoc, nunc illo modo scribendi per ora Scribarum suorum: fatemur ita possibile fieri; sic autem in proposito satis contigisse non elucet, præsertim quia testatur Auctor seipsum Latinis verbis plurimum desudasse. Hoc verò cur oportuisset, si fuisset tantummodò calamus Scribæ velociter scribentis, Spiritum sanctum loquor, qui tarda molimina nescit, & cujus velociter currit sermo. Verùm alia potior est ratio, quæ me non ita sentire compellit. Siquidem tertia pars ejusdem libri prorsus repudianda rescindendaque est tanquam vel malè explicata, vel planè abhorrens & discrepans à doctrina sana Doctorum Sanctorum qui de nostra Beatitudine lucuti sunt. Nec stat cum determinatione expressa Decretalis, ponentis Beatitudinem nostram consistere in duobus actibus, visione & fruitione, cum lumine gloriæ. Et si hoc ita est in Beatitudine consummata quod Deus non est visio & claritas nostra essentialis; sed tamen objectalis: quantò magis erit hoc alienum in beatitu-A dinis quadam assimilatione imperfecta, quam fas haberemus hic degustare in via. Ponit autem tertia pars libri præfati quod anima perfectè contemplans Deum, non solum videt eum per claritatem, quæ est divina essentia; sed est ipsamet claritas divina: imaginatur enim sicut Scriptura sonat, quod anima tunc desinit esse in illa existentia quam priùs habuit in proprio genere, & convertitur seu transformatur & absorbetur in esse divinum; & illud esse ideale defluit quod habuit ab æterno in essentia divina, de quo esse dicit Joannes in Euangelio. *Quod factum est, in ipso vita erat*. Joan. 1. 3. 4. Et hoc esse præsupponit Auctor iste causam nostræ existentiæ temporalis, & esse unum cum eo secundùm essentialem existentiam. Addit quod perditur anima contemplantis in esse tali divino abyssali, ita ut reperibilis non sit ab B aliqua creatura. Similitudo talis posset adduci quæ non tamen ab ipso ponitur: si gutta modica vini in mare dilaberetur, constat quod mox absorpta converteretur in illud. Hæc positio deficit in multis quamquam non facile inducebar aliquid falsitatis suspicari in illa tertia parte, quando in aliis prioribus tot vera altaque conspexeram, quando etiam legebam obtestationes Auctoris ne citò damnaretur à non intelligentibus, ne pessimarentur. Et quia profectò pronior debet esse Doctor omnis ad piè interpretandum dicta aliena, si fieri possit absque Fidei & simplicium periculo, quam ad rigidè condemnandum. At verò diligens & repetita inspectio dictorum illorum magis ac magis in illis errorem aperuit. Hæc autem sunt pauca de dictis suis excerpta ad litteram. Ait enim 2. c. 3. partis. „ In ipsa quidem sui vacuitate per fruitivum amorem spiritus perdit semetipsum, Deique claritatem nullo intermediante C suscipit, ac sine intermissione ipsa fit ea claritas, quam accipit, & 3. c. dependetque nostrum esse creatum ab esse æterno, & secundum essentialem existentiam unum cum illo est. Sequitur. Universi quoque supra sui creationem in vitæ contemplativæ altitudinem sublimati unum sunt cum hac deifica claritate, immo ipsa claritas ipsi sunt, vident proinde, sentiunt & inveniunt per hoc deificum lumen se secundum esse vitamque suam increatam, eamdemque fore simplicem divinitatis abyssum. Sequitur, atque cum eo quo vident & quod vident lumen idem fiunt. Et primò Cap. dixerat. Universi devoti spiritus unum cum Deo profundo amoris defluvio sicut defecti non quomodolibet quidem unum, sed idipsum quod est ipsa in se essentia Dei eo modo quem Deifica beatitudo requirit. Et 4. ca. expressius ait. Illic est D spiritus, supra seipsum translatus & Deo unificatus gustans, vidensque in unitate vividæ abyssus in qua sese secundum esse suum increatum possidet immensas divitias quæ ipsemet, juxta cum modum quo eas Deus, gustat & videt. Et his & similibus dictis intentionem Auctoris judicamus fuisse qualem diximus: neque enim de ipsa quæ latet aliundè quam ex scriptis suis sumi potest certitudo. Quod si deficit Auctor in explicando sicut palam aut errat aut deficit, sibi imputet qui non solum litteratis doctisque, sed indoctis etiam & rudibus taliter locutus est. Sed neque admirari vel indignari quispiam debet, neque de temerario judicio arguere eos qui legentes eum, præsertim imbuti in sacris Litteris, intentionem suam ex verbis colligunt, collectam examinant, examinatamque se dicunt intellige-

ligere, & intellectam si erronea est, reprehendere non omittunt: non enim majoris sanctiorisve auctoritatis est Auctor quam sanctissimi divinissimique Theologi Doctores nostri, qui tamen dicta sua aliorum examini libero, ut Augustinus ait, judicanda reliquerunt. Denique materia tertiæ partis non est de illis quæ per defectum & experientiam; sed per intellectum sanctis inspiratum cognoscuntur & scripta sunt. Horum autem notitia & dijudicatio præcipuè apud exercitatos Theologos in sacris Litteris quærenda est, non apud devotos solum. Ampliùs, non ignoro fuisse & esse quosdam ex Theologis disputantes satis curiosè si posset de absoluta potentia anima rationalis cognoscere, & formaliter beatificari per divinam essentiam absque medio alio, itaque quod Deus esset ipsi animæ sua cognitio & fruitio non tantum objectalis, sed quasi formalis. Hoc est Deus non solum esset cognitio quæ cognosceretur ab anima, sed per quam anima ipsa cognosceretur, & pari modo de fruitione. Quicquid verò sit de possibili, nullus ita esse de facto præsumit asserere: nam Ecclesiastica determinatio ad oppositum est. Nullum usquam inuenio Theologum, qui non dico posuerit, sed qui ullam omnino fecerit quæstionem quod per talem modum, qualis explicatur ab hoc Auctore, anima posset Deum videre & beatificari in eo; neque de facto, neque de possibili; tanquam videlicet anima desineret existere in esse proprio, & transformaretur in illud esse divinum ideale quale habuit in Deo ab æterno: quoniam, ut interim disputationem de idearum pluralitate in Deo omittam quæ à multis ignoranter ponitur; si corpus Christi vel aliud corpus beatificatum hoc modo perderet animam suam in sua contemplatione & beatificatione; pro illa haberet essentiam divinam ipsum formaliter vivificantem; alioquin esset absque vita, sed nec anima esset tunc ejusdem speciei sicut priùs, quippe non haberet aliud esse & vivere quam habuit ab æterno in arte divina. In quo esse sicut erat ab æterno anima quælibet etiam damnata, vita divina sic erat beatitudo sua. Porrò corpus humanum non posset in gloria reperire animam suam ad sui vivificationem formalem, aut si posset, jam anima non esset perdita qualitèr ipse loquitur: aliæ demum sequerentur innumerabiles absurditates, quas prosequi longum esset. Sed videbitur fortassis pro ista assertione facere illud Apostoli verbum: *Qui adhæret Deo unus spiritus est.* 1. Cor. 6. 17. Et multa Christi dicta sunt in hanc sententiam imprecantis Patrem, ut fideles unum sint sicut Pater & Filius ipsi sunt unum. Dudum verò certa est sanctorum Patrum super his expositio dicentium illam unitatem non esse essentialem, nec per præcisam similitudinem; sed sola ibi notatur assimilatio & participatio, quemadmodum dicit Lucas Act. 4. 32. quod *multitudinis credentium erat cor unum & anima una*, & de duobus amicis itidem dici vulgaris usus habet; quemadmodum etiam carbo ignitus & aër illuminatus unum appellantur cum suo igne & lumine. Hoc tropo probat Boëtius hominem bonum, esse Deum, juxta illud Psalmi 81. *Ego dixi dii estis*, non quidem per veritatem & unitatem divinæ essentiæ & locutionem propriam; sed participativè & assimilativè, imitativè, & nuncupativè: quod si Auctor iste pari modo responderet se dicta sua intellexisse de unificatione spiritus cum Deo, non contendo neque contradico contra intentionem; sed explicationem aliter sonare non dubito, quoniam præterea nihil magnum diceret de contemplantibus ultra omnes generaliter qui sunt filii Dei per gratiam adoptionis. Miraberis fortè Pater in Christo dilectissime, miraberis, hæc audiens, quo pacto in talem errorem vel inscitiam vir tam devotus & instructus corruerit. Noli solum mirari, sed timere humiliter, sapere jugiter stude, quando audis non istum tantummodo, sed alios innumeros qui non parvæ videbantur sanctitatis, circa veritatem deviasse; quorum aliquos ipse Auctor justè reprehendit in fine secundæ partis, qui blandiebantur tamen sibi de sublimitate contemplationis legis, quemadmodum probat eos à dæmonio meridiano fuisse seductos. Erat autem de secta Begardorum, quæ olim per Ecclesiastica Decreta damnata est. Erat sicut æstimo, Auctor iste proximus eorum tempori, potuitque fieri ut contra suam imaginationem de beatifica visione vel contemplativa, quæ fortè tunc communis sibi erat cum multis, Decretalis expressa condita sit, constituens beatitudinem in duobus actibus. Præterea non est necesse ut judicetur fuisse pertinax hæreticus ante hujusmodi determinationem; si tunc & postea semper paratus erat audire Ecclesiam; nunc verò secus esset in aliis. Postremò attendamus precor, quo pacto sibi cavere habent omnes in sacris litteris non satis imbuti neque eruditi per diuturnum ac vehemens studium, vel ne talibus tractatulis insolitis nimis adhæreant; quamquam multa vera sint, non enim persuadet dæmon falsa sine permixtione verorum: ne subinde præsumant ipsi Theologicas arduasque materias novis verbis, & pro sua æstimatione affectioneque repertis pertractare, *nobis enim ad certam regulam loqui fas est*, inquit Augustinus: alioquin secus agentes facilem ad præcipitium sibi viam sternunt. Ad talium itaque quæstionum determinationem, aut ad eas planè intelligendas vel explicandas non sufficit quod homo sit devotus & sit adeptus illam contemplationis speciem sanctissimam prorsus & optimam, quæ versatur in affectione & fervore charitatis, quando scilicet homo transit in affectum cordis ad virtutes: hanc enim speciem contemplationis adipisci & conscendere fas habent etiam ipsæ mulierculæ & idiotæ side litteris, præposita Fide simplici, & plerumque facilius quam viri magno ingenio & litteris sacris prædìti, qui in altera contemplationis specie longè præcellunt. Hæc autem species altera contemplationis versari ponitur in perscrutatione divinarum virtutum per quas Fides saluberrima, sicut ait Augustinus, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur: quod enim secari possint ab invicem hæ contemplationis species & experientia doctrix est & Hugo significat, dicens: *Sæpe amor intrat ubi cognitio foris stat.* Nullus tamen proprio vocabulo dici debet contemplatiuus vel sapiens & perfectus Theologus, qui prima contemplationis specie caruerit. Vult ergo aliquis esse & dici verè sapiens; habeat utramque contemplationis speciem, illam videlicet affectùs quæ saporem dat, & illam intellectûs quæ scientiæ luminositatem præstat, ut constituatur sapientia, id est, sapida scientia. Quod si altera carendum esset, eligibilius judicaretur communicare in prima, quam in secunda; sicut optabilius est habere pium affectum, humilem & devotum ad Deum, quam intellectum frigidum solo studio illuminatum. *Scientia quippe inflat*, intellige si sola est, *charitas ædificat.* 1. Cor. 8. 1. Nihilominus ubi de veritate Fidei quæritur tradita in sacris Scripturis; magis interrogandi consulendique sunt Theologi vigentes in contemplatione secunda, quam idiotæ pollentes in prima, secluso in eis patenti revelationis miraculo, & nisi forte manifesta esset in hujusmodi Theologis depravatio intellectus & intolerabilis morum perversitas; quæ etiam mentiri quandoque facit non tantummodo circa Fidem; sed circa morum principia, ut Apostolus & Aristoteles cum experientia testantur. Addo adhuc quod sicut ex carentia pii affectûs & magis ex infectione ejus per vitia, errant nonnunquam peritissimi in sacris Scripturis; excæcavit enim eos malitia eorum, & dati sunt in reprobum sensum, ita ex parvulo lumine intellectus & parva logica prolabuntur quando que in errores periculosissimos illi qui magnorum sunt erga virtutes affectuum;

tuum; quales Apostolus notavit habere *zelum*, *sed non secundum scientiam*, Rom. 10. 2. adeò ut si non humiliter sapiant, & nisi sese contrahant intra metas suæ cognitionis, nulli pertinaciùs inveniuntur neque absurdiùs errores confingere. Propterea non leviter scribere debent vel docere; sed nec absque cautela magna adhærendum est eis, non prævia discussione diligenti & Doctorum examinatione. In talibus quippe plurima sæpe reperimus aut falsa, aut malè explicata, ac proinde multam erroris materiam præbentia simplicibus, quamquam in multis divina altissimaque sint. Inter tales scripturas narrantur aliquæ narrationes aut regulæ vel doctrinæ particulares aliquorum Patrum veterum, quæ magis admirandæ quam imitandæ dicuntur. Quemadmodum Joannes qui Climacus dicitur, ponit virtutes esse impassibilitates & quædam valde austera super pœnitentiâ & peccatis. Et Cassianus de libero arbitrio notatus, & alii alia parum examinata, aut nimis rigida tradunt, quæ communis schola Theologicæ veritatis meritò non admittit aut rejicit. Quamobrem bonum est mel cum favo, sapor scilicet devotionis cum lumine eruditionis: aut si alterum duntaxat obtigerit, utatur quilibet dono suo, ambulet in vocatione sua, abundet in sensu suo, & comedat mel quantum satis est, non plus sapiens quam oportet. Rectum quidem verbum enunciat Horatius quod ab ipso postea Hieronymo non longè à materia traductum est. *Quod Medicorum est promittunt Medici, tractant fabrilia fabri.* Conformiter satis ad illam logicorum maximam. *Unicuique in sua arte perito credendum est.* Bene vale Pater & Frater in Christo apud quem tuarum me orationum participem fac. Amen.

LIBELLUS

Fratris Joannis de Schoenhavia, qui nititur defendere quædam dicta fratris Joannis Ruysbroech, contra magistrum Joannem de Gerson, Cancellarium Parisiensem.

Ad eosdem MSS. Codd. recognitus.

QUONIAM quidam Doctor eximius Parisiensis Artis Theologicæ quædam dicta fratris Joannis de Ruysbroech in libro qui intitulatur de *Ornatu spiritualium nuptiarum* minus justè ut opinor, calumniatur & reprobat, asserens doctrinam ejusdem viri in quibusdam passibus & specialiter in tertia parte præfati libri esse erroneam, à regula Theologicæ veritatis ac Traditione sanctorum Patrum & Doctorum discrepantem, & ob hoc non esse recipiendam censit, sed abjiciendam. Idcircò ut veritas hujus doctrinæ, quam à Spiritusancto arbitror effluxisse & emanasse qui magister est veritatis & non erroris, planius elucescat: inquantum tenuitas mei ingenioli & exiguitas meæ scientiæ suppetant; tria per ordinem facere, Dei gratia aspirante, attentabo. Primò, intentionem verborum suorum quantum ad ea quæ ibi arguuntur & reprehenduntur, & tanquam erronea judicantur explicabo. Secundò, qualiter hæc doctrina non sit nova adinuentio & superstitiosa; sed omnino sententiis nominatissimis Doctorum Catholicæ Fidei consona, & ipsorum auctoritate commendata & approbata, prout Dominus dederit explanabo. Et tertio, qualiter rationes objectæ minus efficaces sunt, nec prædictam doctrinam evacuant declarabo.

QUANTUM ad primum, est sciendum quod Frater Joannes de Ruysbroech Auctor prædicti libri *de Ornatu spiritualium nuptiarum* in tertia parte ejusdem libri non loquitur de illa unione quæ est per identitatem realis existentiæ, de qua dicit Christus Joan. 10. *Ego & Pater unum sumus*, immo in omnibus aliis libris suis protestatur ipse, quod creatura non potest fieri Creator. Nec loquitur etiam de illa unione quæ est solum per consensum & conformitatem voluntatis, quæ est omnibus spiritualem gratiam habentibus, quemadmodum legitur Act. 4. quod *multitudinis credentium erat anima una, & cor* A *unum* in Domino. Sed loquitur de illa unione quæ est per amorem liquefactivum & excessum contemplationis extaticæ, quæ præ nimia suavitate & magnitudine interni dulcoris & vehementia amoris animam liquefacit & resolvit, & totam virtutem rationis absorbet, de qua dixit Paulus 2. ad Corinth. 6. 17. *Qui adhæret Deo, unus spiritus est.* Ex perceptione enim divinæ præsentiæ & degustatione internæ dulcedinis anima devota in seipsa quietatur, & sibi ac omnibus rebus creatis per desiderium inflammatum, & in Deum totaliter expansum funditùs moritur, ut verè possit dicere cum Apostolo. Gal. 2. 20. *Vivo ego jam non ego, vivit autem in me Christus*, id est, ego totus transformatus in Deum per amorem, non sum in me, sed in Christo, & ideo per amorem totus deificatus loquor ut Christus. Quod etiam idem Apostolus dicit Corinthiis: 2. Cor. 13. *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* Quod autem liquescit & resolvitur B in seipso non existit, sed recurrit & transformatur in illam imaginem quæ sibi præsentialiter exhibetur. Ex quo patet quod imago animæ rationalis per efficaciam divini luminis in suam imaginem increatam deificè poterit transformari, prout docet Apostolus 2. ad Corinth. 3. 18. *Nos autem, revelata facie gloriam Domini contemplantes in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu*, quia à claritate imaginis creatæ per quamdam similitudinem transformabimur in claritatem imaginis increatæ: & in hac transformatione imago rationalis constituitur in tanta conformitate divinæ assimilationis quæ est inexplicabilis omni linguæ. Quod subtiliter videtur innuere Apostolus cum dicit 1. Cor. 2. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* bonum, scilicet inenarrabile *quod* C *præparavit Deus diligentibus se.* Hoc enim bonum inenarrabile quod præparavit Deus diligentibus se, potest dici perfecta conformitas & indicibilis claritas divinæ assimilationis quæ omni linguæ indicibilis est & incomprehensibilis est omni menti, nec unquam perfectè cognoscitur nisi in speculo æternitatis, quod est verbum divinum & essentia divina: & ergo de ista unione & transformatione credendum est magis notitiam affectualem & experimentalem habentibus, quàm solum intellectualem, quia nemo hæc scit nisi qui accepit per experientiam vel revelationem. Et de ista indicibili claritate divinæ assimilationis locutus est frater Joannes de Ruysbroech in tertia parte libri *de ornatu spiritualium nuptiarum*, & de hac unione extatica intelligenda sunt ejus verba & recipienda: de qua unione loquitur beatus Dionysius lib. *de* D *divinis nominibus* cap. *de amore.* „ Et amor divinus extasim faciens, & non sinens sui ipsorum esse amatores „ sed amandorum. Propter quod Paulus magnus in „ continentia divini amoris, divino amore participans, „ Gal. 2. 20. *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me* „ *Christus*, tanquam sui amati vivens vita, sicut valde „ diligibiliter. Hæc Dionysius. Unde patet quod amor extaticus duo supponit; scilicet esse naturæ nostræ & esse gratiæ, quæ introducit in tanto gradu ut anima potius Christum sentiat quam seipsam. Gratia enim tanquam deifica, habet mentem Deo assimilare, & ipsam deiformi dispositione inducere. Ad hos deiformes habitus tam excelsos, tam à nostra infirmitate longinquos & visui nostro tam absconditos exponendos omnino minores sumus; quia ista sunt mysteria regni Dei, quæ ut existimo, non communiter omnibus, sed puritate intelligentiæ, divinis

vinis illuminationibus & gratiâ privilegiatis communicanda sunt. Intus audiuntur, ibique dicuntur, ideo his qui foris sunt dici non debuerunt. Ne tamen hi qui foris sunt delinquerentur, si ab his qui intus sunt non vocarentur, aliqualiter erant innotescenda, ut discerent infirmi quantum eis desit & ad quam perfectionem aspirare deberent: hæc A enim arcana & profunda si non gustantur non amantur; si non amantur non intelliguntur, & ergo dijudicanda non sunt ab his qui non gustaverunt; unusquisque enim bene judicat qui novit, & horum est bonus judex, ut ait Philosophus. Et hoc de primo.

SECUNDÒ videndum est qualiter doctrina præfati viri à sententiis sanctorum Patrum non discrepat; sed per omnia ipsis consonat & concordat: de hac enim unitate dicit beatus Bernardus in *Epistola ad Fratres de monte Dei*. „ Unitas spiritus cum „ Deo, hominis cor sursum habentis proficientis in „ Deum voluntatis est perfectio, cum jam non so„ lummodo vult quod Deus vult, sed sic est non „ tantum affectus; sed etiam in affectu perfec„ tus ut non possit velle nisi quod Deus vult: B „ velle autem quod vult Deus, hoc jam simile Deo „ esse est; non posse velle nisi quod vult Deus, hoc „ est jam esse quod Deus est, cui jam velle & esse „ idipsum est: unde bene dicitur, quia tunc *videbi*„ *mus eum sicuti est* cum sic *similes ei erimus* Joann. 3. 2. „ hoc erimus quod ille est. Quibus enim potestas data „ est filios Dei fieri, data est potestas non quidem „ ut sint Deus, sed sint tamen quod Deus est. Postmodum loquitur de triplici similitudine hominum cum Deo, & deinde subjungit: „ Dicitur autem hæc „ similitudo Dei unitas spiritus, non tantum quia „ afficit spiritum hominis Spiritus sanctus, sed quia „ ipsa est Spiritus sanctus Deus charitas, qui cum sit „ amor Patris & Filii, & unitas, & suavitas, & bo„ num, & osculum, & amplexus, & quicquid com„ mune potest esse amborum in summa illa unitate „ veritatis, & veritate unitatis, hoc idem homini, suo „ modo fit ad Deum quod consubstantiali unitate Filio „ est ad Patrem vel Patri ad Filium, cum in ample„ xu Patris & Filii mediam quodammodo se inuenit C „ hominis beata conscientia, cum modo ineffabili in„ cogitabilique fieri meretur homo Dei, non Deus, „ sed tamen quod Deus est. Ecce quomodo ista sententia Beati Bernardi concordat doctrinæ Fratris Joannis de Ruysbroech & mutuò sibi consonant. Hoc idem patet ex Epistola inferius annotata quam quidam vir devotissimus & doctissimus composuit, in qua sub brevibus verbis descriptus est totus processus libri fratris Joannis Ruysbroech *de ornatu spiritualium nuptiarum*. Cum his concordat Gilbertus super Cantica sermone 2. ubi distinguit de triplici lectulo. „ Primus est proprius sponsæ. Secundus est com„ munis sponsæ & sponsi. Tertius proprius est „ sponsi. Sponsæ lectulus est cum quietis & pacatis „ & compositis moribus intra se collecta requiescit. „ Communis est cum jam incipit oblectari in sponso: „ sed proprius sponsi est, quando sui oblita penitus D „ & se exuta, tota transiit in ipsum, & quasi indui„ tur ipso dilecta ipsius. In lectulo suo non effluit „ sponsa extra se, nec turbatur in se. In lectulo com„ muni affluunt illi delitiæ quædam de præsentia „ sponsi. In illo lectulo qui solus est sponsi, amo„ ris exagitata incendio ebullit & excrescit, effusa & „ effluens tota transfunditur in idipsum, & in simi„ lem absorbetur qualitatem. In primo penes se est. „ In secundo penes illam sponsus. In tertio penitus „ est ipsa penes ipsum, & si dici potest non est nisi „ ipse. In primo quærit. In secundo adhæret. In ter„ tio unitur illi. In primo tranquilitatem propriam „ possidet. In secundo quamdam meretur communita„ tem cum dilecto. In tertio absumitur & absor„ betur in quamdam charitatis & gratiæ unitatem. Hæc Gilbertus ubi supra. Cum prædictis concordat Dionysius Magnus, sicut patet in auctoritate superiùs allegata & pluribus locis librorum suorum. Et Hugo de sancto Victore commentator præfati Dionysii super septimum Angelicæ hierarchiæ, dicens: „ Sic intelligas quanta est vis veri amoris & dilec„ tionis, si tamen intelligi potest; quoniam dilec„ tio supereminet scientiæ & major est intelligen„ tia; plus enim diligitur quam intelligitur. Intrat „ dilectio & appropinquat ubi scientia foris stat: „ & reddit rationem istius, quia verus amor, si„ ve charitas, nullum patitur medium inter se & „ objectum quod Deus, sed vehementer tendit in „ ipsum immediatè, & ideo nunquam quiescit, do„ nec omnia transeat & ad ipsum dilectum & in ip„ sum veniat. Unde subdit ibidem: Dilectio sive „ amor impetum sequens ardenter desiderii sui, nec „ dissimulare valens, donec ad amatum pervenerit; „ amato appropinquat quantum potest, & eò am„ plius sitiens intrare ipsum cupit & esse cum ipso, „ & esse tam propè ut si fieri posset hoc idem ipsum „ sit quod ipse. Nihil enim velocius, nihil acuti„ us, nihil subtilius amore aut penetrabilius; quia „ natura sua non quiescit donec naturaliter amabilis „ totam penetraverit virtutem & profunditatem & „ totalitatem quantum potest. „ Huic etiam sententiæ alludit per omnia Vercellensis super Cantica dicens: „ quod affectus & intellectus simul coam„ bulant usque ad novissimum defectum intellectus, „ ubi habet suæ cognitionis & sui luminis consum„ mationem: affectus autem adhuc continet prin„ cipalia in Deum suspiria & superintellectuales ex„ tensiones & immissiones, feruidos fulgores & ful„ gidos feruores ad quorum omnia, sublimes exces„ sus & excedentes sublimitates intelligentia tra„ hi non potest; sed solus principalis affectus Deo „ unibilis: & postea ibidem dicit. „ Tanta est virtus „ veri amoris & pulchritudinis quod non solum fa„ cit homines & Angelos excedere naturam propri„ am ut in Deum ascendant; sed etiam Deum qua„ si naturam propriam egredi, ut ad creaturas quasi „ infra naturam propriam suam, producendo condes„ cendat, Ecce quomodo omnes isti excellentissimi Doctores in hoc conveviunt, quod anima quando rapitur in divini luminis abyssum, tota deficit à seipsa & in illum quem diligit tota liquescit & superintellectualiter ei unitur & unitissimè transformatur in ipsum: ita ut in anima dum à seipsa alienatur, dum in istud divini arcani secretarium rapitur, dum ab illo divini amoris incendio circumdatur, intimè penetratur, & inflammatur; seipsam penitus exuit, & divinum quemdam affectum induit & inspectæ pulchritudini configurata tota in aliam gloriam transit.

HIS prælibatis respondendum est tertiò ad objectiones & rationes quibus Dominus Cancellarius Doctor venerabilis & vir eloquentissimus doctrinam præfati viri videlicet Fratris Joannis de Ruysbroech videtur aliqualiter calumnari & reprobare. Sciendum est ergo quod Auctor præfati libri *de ornatu spiritualium nuptiarum*, non sicut ille Magister arbitrabatur homo idiota fuit & sine literis, in hoc malè erat informatus; sed erat Sacerdos ut spero Deo acceptissimus, primus Prior & fundator cujusdam Monasterii Canonicorum Regularium in Brabantia appellati Viridis Vallis, Cameracensis Diœcesis, & siti in quadam silua quæ vocatur Zonia, juxta civitatem famosam quæ dicitur Bruxella. Qui doctrinam suam non Latino sermone, sed Theutonico conscripsit; licet enim competentis scientiæ fuerit; non tamen tam eminentis scientiæ erat, quod præfatam doctrinam Latino sermone tam composito & stilo tam ele-

eleganti scribere potuisset; nisi speciali dono Dei sibi datum hoc fuisset. Sed quidam Frater ejusdem Monasterij vir valde ingeniosus & litteratus postmodum ob profectum omnium nationum, quosdam librorum suorum Latino sermone transferre in persona ipsius curavit. Admirantes ergo doctrinam ejus laïco sermone conscriptam, faciliter perpendete possunt ipsum, nequaquam hanc didicisse ab homine aut ab humana scientia; sed accepisse à Deo & à divina sapientia & magistra unctione: à fratribus enim ejus cognosci potest quod fuit homo missus à Deo, cui in his novissimis diebus hæc devota arcana & profunda atque divina Deus dispensanda largitus est, ut nova admonitio suos melius attraheret auditores, & ut sectam illorum liberorum spirituum, qui tempore vitæ suæ multum in Brabantia & illis partibus pullulabant, extirparet & errores ipsorum denudaret. Vixit enim homo iste Dei postquam illud lamentabile schisma in Ecclesia surrexit; nam à tempore mortis suæ. 25. anni fluxerunt vel circiter. Hac ergo occasione & necessitate compulsus, hæc profunda & subtilia Theutonico sermone contexuit, qui quidem hanc doctrinam absque aliquo labore studij, sola gratia Spiritus sancti ejus mentem docente & perlustrante eructavit; sicut bene compertum est illis qui secum conversati sunt & secretorum suorum conscij fuerunt. Si ergo stilus libri in Latinum translati magis redoleat humanam eloquentiam quam divinam, hoc non imputandum est Auctori, sed translatori; qui quidem translator pro eo quod ornatui & eloquentiæ sermonum plus operam dedit quam fortè expedit & quædam pro arbitrio suo addidit in prædicti libri translatione, multum desudavit; licet Auctor ab hac desudatione liber & expers fuerit, cui omnia quæ docuit, prout piè credimus, Spiritus-sanctus inspiravit & administravit: licet etiam doctrina istius viri in Latinum translata, sit multum gratiosa, compunctiva & devotionis excitativa; tamen ignitum eloquium Domini vehementer quod in verbis illius Theutonicis invenitur multo gratiosius est, magis movens, afficiens & accendens legentem, ita ut durissimus corde sit qui non ex eorum lectione compungatur, ad devotionem excitetur, & ad meliora provehatur & sublimetur. Verumtamen quod dictus Doctor egregius censet, tertiam partem hujus libri penitus rescindendam tanquam discrepentem à doctrina sanctorum Doctorum, non consentio sibi in hoc; sed videtur mihi esse approbanda doctrina hujus tertiæ partis, & asserenda tanquam consona & concordans per omnia doctrinis & sententijs sanctissimorum & famosissimorum Doctorum totius Ecclesiæ, sicut satis declaratum est cap. præcedenti: doctrina enim hujus tertiæ partis intelligenda est de illa unione extatica, sicut superius dictum est in primo cap. de qua unione iste Magister nullam facit mentionem in Epistola sua. Quod etiam dicit quod tertia pars ejusdem libri repudianda est tanquam malé explicata; notandum est quod de Deo melius possumus cogitare quam loqui: conantes ergo homines sancti de Deo loqui, nec valentes nisi verbis aptioribus, verbis quæ dicenda sunt exprimunt & modum loquendi quem usus sanctorum Patrum tenuit, imitantur. Et sic Auctor hujus libri in ista materia altissimæ & summæ contemplationis imitatus est modum loquendi sanctorum Patrum qui de hac materia locuti sunt, utendo quibusdam verbis non propriè, sed transsumptivè, sicut ista materia exigit. Secundum exigentiam materiæ sermones sunt expetendi; sic enim Dionisius in libris suis caliginem vocat quando spiritus rationales inducuntur in istud interius cœnaculum divinæ claritatis, ubi clausis sensuum ostiis secretius castissimo amplexu conveniunt cum dilecto; & tamen maxima illustratione ibi irradiantur. Similiter quando mentem contingit rapi, & in sui ipsius extasim perduci; tunc annihilari dicitur, quia mens in extasi posita sibi & omnibus creaturis funditus moritur, inquantum seipsam nesciens, sui & omnium creaturarum obliviscitur; ideo de talibus mentibus dicit Apostolus Colos. 3. 3. *Mortui estis & vita vestra obscondita est cum Christo in Deo.* Sic etiam spiritus rationales A seipsos perdere, est omnino non sentire semetipsos, & à seipsis exnaniri, & penè annullari; ubi tamen melius secum sunt, cum sic sunt quod tamen ubi sint nesciant, & licet hucusque seipsos habent, tamen se modo prædicto perdiderunt. Quod utique videtur contigisse Apostolo cum in raptu constitutus, an in corpore vel extra corpus esset prorsus se asserit ignorare. Scriptura sacra eo spiritu exponenda & intelligenda est quo prolata; & sic arbitror quod si dicta hujus Prioris secundum illum sensum divinum & spiritum intelligantur quo prolata sunt, quod in eis error non apparebit, sed mera & clara veritas relucebit. Sæpe sancti viri de altissima contemplatione quædam proferunt, quæ minus perfecti, quia penetrare non possunt, lapsum erroris putant. Non puto dici potuisse quod hunc Priorem puto sensisse: est enim iste modus sentienti alienus ab omni modo usitato sen- B tiendi, unde nec usitatis verbis potest aliquatenus explicari. Et ideo quando viri perfecti nostra instantia & importunitate ac charitate devicti, aliquid nobis de tali affectione vel intelligentia tantaverunt revelare, succumbunt verbis, vel talia verba loquuntur quæ nostrum intellectum excedunt. Suavitas hæc quæ devotis mentibus in unione intima Dei proprinatur tam sublimis est, quod nec vocali nec mentali verbo est expressibilis; sed solâ attingibilis est experientiâ; & ergo non est mirum si illud quod dicitur de judiciali, eo modo quo dici potest, sit minus gratum, minus placeat, minus acceptetur ab his qui talia non sunt experti. Et quia hanc unionem intimam & extaticam, in qua spiritus rationalis perfecta assimilatione conformatur imagini suæ increatæ, prædictus C Auctor conatus est explicare, quæ tamen difficillima est ad differendum; idcircò quædam verba protulit quæ à quam-pluribus non capiuntur; quæ tamen si rectè fuerint intellecta, & ad intentionem dicentis respectus habeatur, non errorem, sed inconcessam puto continent veritatem. Pro quorum verborum pleniori intellectu habendo, sciendum est quod hæc unio extatica quæ consistit in amplexu unitivo summi boni, tripliciter & sub triplici habitudine percipitur in hac vita. Aliquando enim percipitur ex divinæ claritatis & essentiæ transsitoria visione & contemplatione: interdum ex divinæ suavitatis prælibatoria fruitione: interdum verò ex divinæ immensitatis jucunda admiratione. Primum horum liquet in Paulo qui fuit in raptu intuitiva contemplatione divinæ essentiæ transitoriè illustratus: & licet Paulus in illo raptu habuerit actum beatificum, tamen ex hoc non potuit dici perfectè beatus; quia non habuit statum beatifi- D cum, nec etiam illum actum modo comprehensorum, putà permanenter & immobiliter, sicut habent beati; sed fluxibiliter & transitoriè, sicut lumen continuatur in aëre ad solam præsentiam solis; quare non debuit dici ex hoc perfectè beatus. Secundus modus apparet in Propheta David, qui tanta dulcedine divinæ suavitatis repletus fuit, quod tanquam ebrius clamavit. *Delectationes in dextera tua usque in finem.* Ps. 15. 11. innuens per hoc quod mensura & magnitudo hujus suavitatis, nullo termino vel fine poterit coarctari. Tertius modus patebit in Regina Saba, quæ visâ gloriâ & magnificentiâ Regis Salomonis, præ magnitudine admirationis defecit, & in extasim rapta fuit. De talibus men-

mentibus verificatur illud quod scribitur Isai. 60. *Tunc videbis & afflues & mirabitur & dilatabitur cor tuum*, quia in illo lumine tearchico tibi divinitùs influxo, videbis illa *quæ nec oculus vidit, nec auris audivit* &c. in quo excellentia illius visionis & cognitionis designatur. Et de aliquo istorum trium modorum sive de unoquoque puto esse intelligenda dicta tertiæ partis illius libri *de ornatu spiritualium nuptiarum*, potissimè tamen de primo modo, videlicet de illa unione & comtemplatione quæ fit in raptu.

PRO ampliori verò declaratione illius dicti quod præfatus Magister dicit, quòd doctrina illius tertiæ partis non stat cum determinatione Decretalis: sciendum est quod quicunque piè librum alicujus Ecclesiastici Doctoris legit; si quid in eo quasi dubium & scrupulosum invenerit, non statim exercendo invadit; sed inspicit & discernit & retractat ex circumstantiis & ex scriptis ejusdem Auctoris & ad ultimum priùs eligit confiteri se ignorare vel non intelligere, quàm illi erroris notam impingere; nisi manifesta in eo hæresis deprehendatur: constat enim Catholicos Patres qui diversos libros conscripserunt de eadem sententia nunc obscuriùs, nunc apertius fuisse locutos, nec hoc ducitur pro inconvenienti; varietas enim affert pulchritudinem & delectat audientes, sive legentes: *rara & difficilia bis delectant*; ait Horatius Poëta. Sic igitur sæpedictus Frater Joannes de Ruysbroech, licet in tertia parte libri *de ornatu spiritualium nuptiarum* de illa sublimissima materia & obscurissima obscurius sit locutus; in aliis tamen locis & libris suis ubi de eadem materia dogmatizat, planiùs & apertius suam intentionem explanavit. Unde in libro suo qui dicitur *de Calculco vel de perfectione filiorum Dei*, ipse manifestè protestatur quod impossibile est nos ex toto deificari, nostramque creationem in creatorem mutatos amittere. Divina enim natura sicut in se est immutabilis & inconvertibilis, ita non finit aliam naturam in se essentialiter converti: impossibile est enim ut creatura Deus vel Creator efficiatur. Verumtamen Deo per medium & sine medio unimur, per medium, videlicet gratiæ suæ & nostrorum operum; gratia enim Dei mentem nostram irradians docet nos veritatem, dirigitque nos ad omnes virtutes & in æternam Dei dilectionem & amoris exercitium. Verumtamen ultra has gratiam & virtutes inter Deum & nos mediantes, Deo etiam sine medio unimur, quando impetu ardentis amoris excedimus omne creatum usque in ipsas superstantiales Dei divitias, ubi in amore cuncta transimus morientes omni considerationi in quamdam inscientiam & caliginem; ibi agimur & superinformamur ipso verbo æterno, quod est imago Patris. Huic sententiæ omnes Patres superius nominati concordant, cumque sic Deo unimur, remanet tamen in nobis scitus vivus & amor activus. Quoniam absque scitu nostro Deum videre non possumus, nec sine amoris exercitio Deo uniri unitionemque servare valemus. Si me ignorante totius mundi Dominus essem, quid mihi præstaret solatii? Idcirco sentiemus nos æternaliter gustantes & possidentes, teste Christo qui ait: *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum*, &c. Joan. 17. 3. Sic ergo patet vitam nostram æternam consistere in discreta sive distinctiva cognitione Dei & contemplatione Dei intuitiva. Ultra omnia tamen hæc, erimus quasi expirati supra spiritum sine spiritu in abyssali & incomprehensibili & immensa Dei gloria. Item spiritus Dei qui nobis flat, effluit & inspirat ut Deum diligamus, & virtutes operemur; nos enim ad se & in se attrahit & intrahit, ut in ipso quiescamus & eo perfruamur; & in his duobus æterna vita stat, quemadmodum per aëris inspirationem & expirationem diastole & sistole, nostra vita perseverat materialis. Et ex his patet quod non contradicit Decretali, quia ipse ponit sicut Decretalis asserit beatitudinem nostram consistere in visione Dei intuitiva, & fruitione divinæ essentiæ. Præterea scio quod beatus Thomas de Aquino clarè dicit, quod in visione qua videtur Deus per essentiam, oportet quod Deus sit forma intellectus nostri, quia quacun-
A que aliâ informaretur, illa non duceret nos in essentiam divinam; ergo in ipsa essentia divina erit quasi forma intellectûs qua intelliget. Quod quidem non oportet ita intelligi quod divina essentia sit vera forma intellectus nostri, vel quod ex ea & intellectu nostro efficiatur unum simpliciter, sicut in naturalibus ex forma & materia naturali; sed quia proportio divinæ essentiæ ad intellectum nostrum est sicut proportio formæ ad materiam, & quod fiant unum quantum pertinet ad actum intelligendi. Et ulterius dicit, quod Deus in patria non tantum erit cognitio quæ cognoscetur ab anima; sed etiam per quam anima cognoscet. Ex quo concluditur quod beatus Thomas fuit istius opinionis, quod Deus per suam essentiam est conjungibilis intellectui nostro; quia aliter, non immediatè videretur, nisi essentia sua conjungeretur intellectui nostro, non tamen sic quin ibi erit lumen gloriæ medium quod elevabit intel-
B lectum nostrum ad hoc quod possit conjungi essentiæ increatæ; sed ab hoc medio non dicitur cognitio mediata, quia non cadit inter cognoscentem & rem cognitam, sed est istud quod dat cognoscenti vim cognoscendi. Istud erit in patria, sed in statu viæ nullatenus intellectus puræ creaturæ potest in visione Dei per essentiam pervenire per aliquam dispositionem sibi inhærentem; sed contingit aliquando divina virtute quod aliqua res miraculosè perducatur in aliquod in quod nullo modo potest per aliquas dispositiones sibi inhærentes perduci, sicut quod virgo pariat, & quod ignis in anima comburat. Et similiter potest miraculosè fieri, quod divina virtute aliquis intellectus creatus non habens nisi dispositiones viæ, elevetur ad videndum Deum per essentiam; nec tamen ex tali visione dicitur beatus simpliciter, sed secundum quid tantum, quantum communicat in actu beati. Puto quod hæc dicta beati Thomæ
C probabiliter sustineri possunt absque periculo hæresis & præjudicio Fidei. Insuper prædictus Magister dicit quod nullus Theologorum unquam talem modum beatitudinis posuerit qualis ab isto Auctore explicatur; videlicet quod anima tunc desinit esse in illa existentia quam priùs habuit in proprio genere, & convertitur seu transformatur & absorbetur in esse divinum, & in illud esse ideale defluit, quod habuit ab æterno in essentia divina. Pro cujus dicti evidentia est considerandum, quod quando aliqua scriptura est mystica & obscura, tunc observandum est quod interpretatio fiat secundum intentionem dicentis: nihil est enim ita bene dictum, quod non possit malè interpretando & narrando depravari. Fateor ergo verum esse quod nullus Doctorum, talem modum beatitudinis ponit secundum quem iste Magister sua verba intelligit & recipit: sed nequaquam arbitror Auctorem hujus libri ita de-
D sipuisse quod ipse sic sentiret sicut iste Magister sibi imponit, nec illum sensum verba sua prætendunt si diligenter inspiciantur; sed potiùs sic intelligenda sunt quod mens dulcedine verbi divini illecta rapitur & elabitur à seipsa ut verbo fruatur, illicque ibi nosmetipsos excedimus in caliginem & in modi carentiam inscrutabilem, ibi nos Deus ex nobisipsis trahit, transformat & deglutit in ipsam profundissimam divinitatis tranquillitatem, in ipsam sui superessentiam & sui spiritus unitatem amorisque absorptionem, ubi vi amoris extatici assequimur illam conformitatem & deiformitatem, quam secundum rationem idealem habuimus ab æterno in mente divina, ibique unum effecti sumus

cum Deo. Hæc unitas non intelligenda secundum identitatem realis existentiæ; sed secundum quamdam conformitatis & transformationis similitudinem. Nequaquam ergo æstimandum est præfatum fratrem Joannem de Ruysbroech, fuisse istius opinionis vel erroris quod voluisset asserere spiritum rationalem in actu beatifico uniri divinæ essentiæ per transformationem essentialem in identitatem divinæ naturæ, aut quod non sit necessarium quod potentia intellectiva creata, sit elevata per habitum supernaturalem luminis gloriæ ad eliciendum actum beatæ visionis; sed ita videtur sapere, quod quia ipse Deus propter summam ejus simplicitatem menti illabitur; ideo cognoscemus eum in seipso objectivè, & etiam per seipsum repræsentativè, ut *ly* in seipso, excludat mediationem speciei, quia in patria Deus absque specie & similitudine cognoscetur, & *ly* per ipsum excludat mediationem luminis extranei divinam essentiam repræsentantis; quia essentia divina in suo proprio lumine videbitur: non enim requiritur aliud lumen deforis ab essentia, sicut lumen solis requiritur ad videndum colores & rerum species, quas in tenebris videre non possumus; sed per hoc non vult dicere quin actu nostro creato ipsum Deum cognoscamus, & per consequens oportet quod ipsa potentia intellectiva sit per habitum supernaturalem informata, ut possit pertingere ad istud objectum finitum, ad quod ex se pertingere non potest. Et quia in visione beatifica ipsum visum non videtur per similitudinem, sed per essentiam efficitur quodammodo intra videntem. Ex hoc autem quod ipsum visum receptum est intra videntem, unit sibi ipsum videntem ut fiat quasi quædam penetratio mutua per amorem, sicut dicitur. 1. Joan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo.* Ad unionem autem maximè convenientis sequitur delectatio summa, & in hoc perficitur nostra fœlicitas. Ex quo patet quod gaudium fruitionis in actu divinæ visionis quo videtur divina essentia, nudè in seipsa inchoatur, sed in dilectione & amplexu unitivo & gustu affectuali divinæ dulcedinis perficitur & consummatur. Quamvis enim fruitio non sit sine visione, perfectius est tamen in dilectione: sicut enim hic perfectius est diligere quam agnoscere, sic & ibi intellectus noster implebitur lætitia visionis, sed affectus noster implebitur lætitia dilectionis; cui convenit convenire & transformare. Ad gaudium beatitudinis tria concurrunt, perfecta visio, plena comprehensio, inhæsio amoris consummati. Et in isto stat tota summa dictorum Fratris Joannis de Ruysbroech concernentium præsentem materiam. Unde sicut ex ipsis dictis manifestè colligi & elici potest, ipse ponit beatitudinem nostram consistere in distinctiva sive discretiva cognitione & contemplatione Dei intuitiva, & hanc vocat beatitudinem actualem; & in fruitione Dei quiescitiva, ubi anima igne divini amoris resoluta liquescit & deficit à seipsa, & spoliata omnium virium suarum propria & naturali activitate, mentalem simplicitatem induit & imaginis increatæ assequitur assimilationem. Gaudium fruitionis est tantæ magnitudinis & tam indicibilis suavitatis, quod mens beata vel humana plenè comprehendere non potest; sed tota absorbetur ex plenitudine illius gaudii, sicut stilla aquæ absorbetur à vino forti, ut dicit Bernardus. Et istum gustum fruitionis omnes vires animæ indicibili gaudio absorbent, & hanc inhæsionem & amplexum mellifluum indissolubilis charitatis & absorptionem abyssalem amoris ubi anima inabissatur & totaliter in Deum trajicitur & transformatur, appellat beatitudinem essentialem; quia ibi anima omnium virium suarum activitate spoliatur, & utitur sola consolatione divinæ suavitatis. Ibi, inquit, *in pace in idipsum dormit & requiescit.* Psal. 4. dormit in quietatione plena intellectus, requiescit in plena satiatione affectus: & sic patet quod sensus ejus est verissimus, nec discreptat à sententia sanctorum Patrum: & si est aliquis error in dictis suis, ille solum stat in quid nominis, nomina autem sunt ad placitum, & ideo talis error non est magni ponderis. Quod autem dicitur quod ad fruitionem A spectat plena comprehensio, hoc non est intelligendum quod beati comprehendunt totaliter ipsum Deum secundum omnem modum quo est cognoscibilis; talis enim modus comprehensionis divinæ naturæ est impossibilis omni creaturæ, ut patet Joan. 1. ubi dicitur, *Deum nemo vidit unquam*: sed iste modus comprehensionis attenditur quantum ad immediationem cognitionis, de qua superius dictum est, quia beati verbum æternum & omnia alia in seipso & per ipsum comprehendent & cognoscent, juxta illud. Psal. 35. *In lumine tuo videbimus lumen*, hoc est *teipsum qui es lumen subsistens* dicit Augustinus.

RESTAT nunc ulterius videre qualiter sanè intelligenda sunt alia dicta fratris Joannis de Ruysbroech, quæ Dominus Cancellarius in epistola sua judicat esse repudianda tanquam erronea vel malè explicata, quorum primum est istud quo dicitur. *Perditur anima contemplantis in esse tali divino* B *abyssali, ita quod non sit reperibilis in aliqua creatura.* Hoc verum est si sanè intelligatur. Sic quippe intelligendum est quod in hoc gradu contemplationis quoniam mens rapitur in divini luminis abyssum, omnium exteriorum obliviscitur nescitque penitus seipsam, seipsam exuit & divinum induit quemdam affectum & supermundanum, totaque transit in Deum suum & in aliam gloriam quam creatura subesse creaturali non attingit, quia in tali statu, esse suum creatum & suæ naturæ homo excedit, & subesse divinæ gratiæ ita sublimiter divinæ substantiæ unitur, quod omnes vires & potentiæ rationales supra se elevantur & in divinam claritatem transformantur, & sic non est reperibilis ibi ab aliqua creatura; supra intellectum enim & mentem ibidem Deum cognoscit: intellectus enim noster & sensus corporeus intra terminos creaturæ exercentur, nec etiam intellectus excedit ens aut speculum. Unitio autem excedit sublimius intellectum Theoricum quàm intellectus imaginationem vel sensum: mens C enim in hac unione divina extatica transcendit omnem creaturam & seipsam & omnem actum virium apprehensivarum, & pro tanto dicitur quod non est reperibilis ab aliqua creatura. Ad hanc abstractionem Dionysius invitabat Timotheum in mystica Theologia, dicens: „ Tu autem amice Timothee circa mysticas visiones forti contritione & „ sensus relinquet intellectuales operationes, & omnia sensibilia & intelligibilia, & omnia existentia & non existentia, & sicut est possibile ignote consurgere ad ejus unitionem quæ est super omnem substantiam & cognitionem, etenim excessus tui ipsius ab omni irrecensibili & absoluto „ mundè ad supersubstantialem divinarum tenebrarum radium sursum ageris. Vide autem ut nullus indoctorum hæc audiat. In hoc verbo Dionysii sapientia summa includitur, & culmen totius perfectionis ut possibile est in via & profunditas librorum Dionysii Areopagitæ. Quod præte- D rea subjungit quod intentio Auctoris præfati videtur esse quod anima desinit esse in illa existentia quam prius habuit; claret ex supradictis quod intentio Auctoris talis non fuit qualis exprimitur à prædicto Magistro, sed ex abundanti: licet non inconvenienter possumus dicere quod intentio Auctoris talis est, quod quando anima intrat in istud divinitatis arcanum & in illud intimæ quietis secretum, tunc non

non oportet quod ibi fiat corporis & animæ dissolutio; sed in hujusmodi transformatione anima dividitur a spiritu per hunc modum, ut quod animale corpulentum & foetulentum est, deorsum remaneat; spiritus autem & quod spirituale est ad summa evolet, & usque ad speculationem divinæ gloriæ sublimetur & in eamdem imaginem transformetur. Nihil in creaturis (ut dicit Richardus in lib. *de exterminatione mali*) hac divisione mirabilius cernitur, ubi illud quod est essentialiter unum atque individuum in seipsum, in quamdam portionem dividitur, neque in homine uno alia est essentia ejus spiritus, atque alia ejus anima, sed una eademque substantia simplicis naturæ: non enim in hoc gemino vocabulo gemina substantia intelligitur, sed tamen ad distinctionem ponitur gemina portio ejusdem substantiæ. Unde superior per spiritum, alia inferior per animam designatur. Unde pro planiori intellectu istorum habendo est considerandum, quod spiritus noster quandoque in tantum à corpore & anima dividitur, ut spiritus in spiritu esse asseratur, & quandoque spiritus supra spiritum esse dicatur, & quandoque spiritus sine spiritu esse credatur. Primum patet in Joanne qui de se ipso dicit Apocal. 1. *Ego fui in spiritu Dominica die.* Quod exponens Haymo super Apocalypsim dicit sic: *Joannes sic in spiritu fuit, quod tamen ipsam carnem funditus non deseruit, sed spiritui æternitatis spiritus ejus adhæsit, & à spiritu docente assumptus fuit spiritus docendus. Ideo tam mirabilia & profunda vidit.* Richard. autem exponens idem verbum dicit sic, *An hoc est spiritum in spiritu esse semetipsum intra seipsum totum colligere, & ea quæ circa carnem seu etiam in carne geruntur interim penitus ignorare.* Secundum liquet in Petro, de quo in actibus cap. 12. dicitur. *Et Petrus ad se reversus dixit*, &c. Quod exponens Richard. lib. 2. *de contemplatione. Hoc sanè non insipienter dicitur quod Petrus longè supra hominem fuerit, quia longè à semetipso, & supra semetipsum recessit. Alioquin non erat à quo ad se reverteretur.* Hoc idem ostendit Hugo super septimum Hierarchiæ dicens: *Acutum amoris est cum omnia transcendendo despicit. Superfervidum autem amoris est, cum etiam semetipsum contemplando relinquit & in contemplatione dilecti se despicit, & miro modo fit ut per dilectionis ignem in illum sustollitur qui est supra se, & per vim amoris expellatur & exeat à se, nec se cogitat dum Deum solum amat.* Tertium apparebat in Regina Saba, de qua legitur 3. Reg. 4. c. *quod Regina Saba videns sapientiam Salomonis & domum & habitacula & ordinem ministrantium non habebat ultra spiritum.* Quod exponens Richardus lib. 5. *de contemplatione.* c. 2. *Rectè nonne dicitur spiritus seipsum non habere, quando incipit à seipso omnino deficere, & à suo esse in supermundum quemdam & verè plusquam humanum statum transire in mirabili transfiguratione spiritus, ille ab humano videtur in divinum deficere, ita ut ipse jam non ipse, eo duntaxat tempore quo Domino incipit altius inhærere. Qui autem adhæret Deo unus spiritus est.* 1. Cor. 6. Et sic totum in istud divinitatis arcanum intrat, clamans cum Psalm. *Deficit in salutare tuum anima mea.* Ps. 118. hæc ille. Isto habito & intellecto facillimè omnia illa ita hujus tertiæ partis de nuptiis intelliguntur & exponuntur. Ex isto patet facillime intellectus clausulæ illius quæ subjungitur. *In ipsa quidem sui vacuitate per fruitivum amorem spiritus perdit semeptisum, Deique claritatem nullo intermediante suscipit.* Spiritus semetipsum pro tanto dicitur perdere, quia in tali statu ubi spiritus humanus in tantum amoris fervorem supra se rapitur ut meritò sine spiritu esse dicatur, factus est tanquam vas perditum, eo quod semetipsum non sentit; sed penitus à seipsa exinanitur, absorbetur & deficit: luce clarius constat quod congruè dicitur quod Regina Saba spiritum suum predidit, quæ ultra spiritum non habebat. Sic similiter Paulus convenienter dicitur spiritum suum perdidisse, quando in raptu constitutus utrum in corpore vel extra corpus esset, ignoravit. Quando autem mens humana hunc supremum verticem, id est mentis excessum attigerit, tunc Dei claritatem nullo intermediante suscipit, quia ab omnibus imaginibus & symbolis absolvitur, & ab omnibus operationibus omnium virium apprehensivarum tam inferiorum quam superiorum otiatur, atque in supersubstantialem radium divinæ luciditatis A ducitur, remoto omni velamine, & immediatè Deo unitur; sic que Dei claritatem nullo intermediante suscipit. Istud autem quod dicit, *ac sine intermissione ipse fit ea claritas quam accipit*; satis claret ex prædictis quomodo sit intelligendum, & qualiter Doctores sancti idem sentiunt. Unde in epistola inferius annotata sic habetur. *Hac hora incensi: sicut aquæ gutta uniatur infusa multo vino; sic ista efficitur lux in Domino optimata in optimo. Optima quippe ac omnipotens efficitur, quando in optimum ac in omnipotentem tota trajicitur.* Cui satis concordat super septimum Angelicæ Hierarchiæ dicens. „ Contemplatio est deifica similitudo, quia dum per eam illuminati lucentes fiunt, quodammodo ipsius luminis lucentis similitudinem accipiunt: quomodo enim aër solis luce perfusus in eamdem transformatur B luminis claritatem, adeò ut non tam illuminatus quam ipsum lumen esse videatur, & sicut ferrum in ipsum ignem missum magis efficitur ignis quam ignitum: sic viri perfecti charitate induti sive imbuti charitas videntur potius, (ut emphaticè loquar) quam charitate succensi. Induimini ergo Dominum sicut aër lucem, sicut ferrum ignem; & eritis lux in Domino: sicut enim ferrum inflammatum accipit in se formam ignis, & dat se totum & non partem, & eripit se sibi remanendo in se substantialiter inflammatum, ita anima unita Deo per ignem divini amoris quasi totam dat se & mittit se in Deum, & in Deum transformata, non mutata substantia propria transformat se totam in Deo, amore qui est vita sua, & per amorem fit quasi tota divina. Naturale namque est quandocumque aliquid transformatur in aliud, istud accipit proprietates & conditiones illius naturæ in C quam transformatur. Sic igitur mens devota cum in lumen thearchicum transformatur, fit quodommodo claritas quam accipit. Item quod sequitur: „ *dependetque nostrum esse creatum ab esse æterno, & secundum essentialem existentiam unum cum illo est,* „ sic accipiendum est quod menti nostræ divina essentia realiter & præsentialiter communicatur. Ubique totus est Deus per existentiam; sed non in singulis æqualiter per efficientiam. Et licet ex toto se ubique operetur; tamen non totum quod potentiæ suæ est ubique immò potius nusquam operatur. Unde quia proprium est divinæ naturæ rebus illabi & eorum intimis commorari & per sui illapsum conservare rerum naturas ne decidant in non esse, idcirco dicit; quod nostrum esse creatum dependet ab esse æterno, juxta illud quod Philosophus dicit in lib. *de cælo & mundo. Ab hoc quidem ente* scilicet D *Deo dependet cœlum & terra*, & quia ex naturæ suæ proprietate competit ipsi Deo ut inhabitet in intimo animæ rationalis; propter quod dicit Augustinus *tu intimior intimo meo*, propterea dicit *quod esse nostrum creatum secundum essentialem existentiam, unum cum illo est*, diversæ substantiæ sunt spiritus Dei & spiritus hominis, & ergo spiritus hominis non est ita unus cum spiritu Dei sicut Filius cum Patre unus est Deus: sed quia illapsu suæ præsentialitatis inhabitat animam rationalem, quam inter omnia creata imagine sua insignivit, penes quam imaginem transformatur Trinitati personarum, & participabilis est divinæ naturæ & beatitudinis illius, ideo dicit quod *omne nostrum creatum secundum essentialem existentiam unum cum illo est.* Deus enim sanctis suis triplicem unionem tribuit: scilicet naturæ, gratiæ & gloriæ,

& de hac unione naturali per quam Deus commoratur in intimo animæ rationalis, dictum istud est intelligendum. Qualiter autem illud sit accipiendum. *Universi quoque supra sui creationem in vita contemplativa altitudine sublimati unum sunt cum hac deifica claritate, immo ipsa claritas ipsi sunt, atque cum eo quo vident & quod vident lumine idem fiunt;* satis patet ex prædictis & specialiter ex his quæ dicta sunt in illa clausula: *Ac sine intermissione fit ipsa claritas quam accipit.* Non enim vult Auctor iste dicere quod spiritus adhærens Deo per amplexum unitivum & supra se raptus virtute extatici amoris fiat unus vel idem cum Deo simpliciter substantiæ identitate, quia hoc est impossibile; sed fit unus cum Deo transformationis similitudine, gratiæ que & beatitudinis participatione fervidi amoris amplexu & inhæsione. Et hoc satis innuit in his verbis quæ postea subjungit, *universi devoti spiritus unum cum Deo, profundo amoris defluvio sunt effecti non quomodolibet quidem unum, sed idipsum quod est ipsa in se essentia Dei, eo modo quem deifica beatitudo requirit.* Et istud idem multi sancti Doctores dixerunt, scilicet beatus Dionysius, Bernardus, Hugo; sicut patet ex supra allegatis: sicut in ipsa beatissima Trinitate à Patre Filius egreditur, ab utroque Spiritus-sanctus amor verus procedens connectit Patrem & Filium, sic à fonte bonitatis supernæ sapientia unitiva procedens menti devotæ illapsa tanta unione ipsam connectit spiritui increato ut mereatur ut unum dicatur esse cum ipso. Hanc unionem petebat Christus cum dicebat: *Rogo pater ut ipsi unum sint sicut ego & tu unum sumus.* Proinde ex his verbis quæ sequuntur: *vident insuper, sentiunt & inveniunt per hoc deificum lumen se, secundum esse vitamque suam increatam eamdem fore simplicem divinitatis abyssum,* satis mihi concordare videtur sententia sancti Aug. in lib. 6. confessionum, ubi dicit „ Inde admonitus redire ad meipsum, intravi in intima mea, „ duce te, & potui, quoniam factus es adjutor „ meus & intravi & vidi qualicunque oculo animæ „ meæ supra eumdem oculum animæ meæ, supra „ mentem meam lucem Domini incommutabilem, „ nec ita erat supra mentem meam sicut oleum supra aquam, nec sicut cœlum supra terram; sed „ superior quia ipse fecit me, & ego inferior quia „ factus sum ab eo; & qui novit eam novit æternitatem, charitas novit eam. Ad cujus evidentiam est sciendum quod creaturæ præexistunt in mente divina sive in Deo simpliciter & unicè, & hoc quantum ad tria exemplaria secundum rationem distincta. Primò, præexistunt creaturæ in divina essentia secundum rationes suas perfectionales, & quia omnes perfectiones sunt in Deo unitissimè; ideo sic sub omnimoda indistinctione in essentia præexistunt divina essentialier, potentialiter & causaliter. Secundò, præexistunt in mente paterna originaliter secundum rationes suas ideales, & ideo ibi puto apparet creaturarum distinctio secundum rationem intelligendi. Tertiò, præexistunt in verbo æterno tanquam in exemplari proprio, quantum ad rationes suas factivas & exemplares & ideo ibi apparent similitudines rerum sub distinctione perfecta. Est autem intelligeudum quod cum creatura dicitur in Deo præexistere secundum similitudinem suam exemplarem, non est intelligendum quod illa similitudo sit aliquod additum essentiæ, quia sic aliquod accidens caderet in Deum: sed illa similitudo est realiter ipsa divina essentia & ipsum verbum, intellectum tamen cum habitudine, prout est imitabile & participabile à creatura. Vult ergo Auctor in verbis prætactis dicere quod quando mens rarionalis rapitur in divinæ lucis abyssum, & supra se elevatur, statim Deum sentit & invenit & experimentali suavitate degustat, quod ipsa creatura non est aliud in Deo secundum suum ideale, quam ipsa creatrix essentia, prout dicit Anselmus. Porrò illud ultimum dictum quod sæpè dictus Magister censet calumniandum & reprobandum videlicet. *Illic spiritus est supra semetipsum translatus & Deo unificatus, gustans vidensque in unitate vivida abyssus, in qua sese secundum esse suum increatum possidet immensas divitias qua ipsemet est juxta eum modum quo eas Deus gustat & videt*: non discrepat à veritate si rectè intelligatur & piè interpretetur. Intellectus enim horum verborum talis

A est, quod quando sponsus cœlestis introducit sponsam suam in cellam vinariam, idest abyssum suæ dulcedinis ei concedit degustare, tunc plenum gaudium & perfecta delectatio sponsæ, idest menti devotæ propinantur, ex quibus totum desiderium ejus perfectè quietatur; quia tunc introducitur *in gaudium Domini sui*, & *in cubiculum genitricis suæ*, Cant. 3. 4. quod nihil aliud est quam ipsa divina essentia sub ratione objecti beatifici, & ut exemplar & idea rationalis creaturæ: quia ut sic habet mentem rationalem propriè quietare, tunc assequitur ubertatem & affluentiam divinæ gratiæ, à qua omnis satietas & gratiæ fœcunditas in animam derivatur; quia in claritatem verbi divini transformata deificatur, ubi gustat immensas divitias quæ ipsemet est: quoniam quidem anima infinitatem illius gaudii non comprehendit, sed tamen beatificam ejus identitatem raptim apprehendit juxta modum supra expositum. Istud maximè fit in raptu. Pro declaratione autem illius

B dicti quod subjungitur, *gustans & videns immensas divitias juxta eum modum quo eas Deus gustat & videt*: & diligenter advertendum quod verbum æternum est quædam refectio mentalis & quoddam gaudium intellectuale ipsorum Angelorum & omnium beatorum, qui pari voto & concordia plenè possident omnem thesaurum cæleftis sapientiæ & bonitatis divinæ qui de torrente voluptatis continue potantur, & ab ubertate suavitatis jugiter inebriantur & quia fontem divinæ suavitatis in ea degustant puritate objectiva qua Deus fruitur in se ipso; ideo dicit quod *gustant & vident immensas divitas juxta eum modum quo eas Deus gustat & videt.* Ut autem finem loquendi faciam & textum cum glossa proferam.

Conclusio finalis omnium prædictorum & explanatio præclara dictorum illius tertiæ partis *de ornatu spiritualium nuptiarum* stat in isto quod sancti juxta vaticinium Isaiæ Prophetæ *in terra sua duplicia possidebunt*, Isaiæ 61. 7. quia sancti in patria

C dupliciter reficientur & beatificabuntur hoc modo: quia vires & potentiæ rationales ad imaginem pertinentes, scilicet memoria, intelligentia & voluntas bibent de fonte vivo in ea puritate objectivè, sicut Deus sua fontali bonitate fruitur in seipso, & istæ eædem vires satiabuntur & inebriabuntur, & hoc essentialiter gaudio fruitionis & gustu intellectuali divinæ dulcedinis; ubi per efficaciam divini luminis absorptæ in divinæ suavitatis degustatione, & amplexu & inhæsione consummati amoris sopientur & requiescent ab omni operatione intellectuali, & sic istæ vires semper erunt activæ & operosæ & cum hoc quiescentes & otiosæ, semper famelicæ, semper saturandæ diversis tamen respectibus. Istud donum quibusdam sanctis licet paucissimis conceditur in hac vita, sicut Paulo datum fuit in raptu, sed hoc non

D fixè, non immobiliter, sed raptim, transitoriè & fluxibiliter, sicut supra dictum est. Istius opinionis fuit Auctor istius libri *de ornatu spiritualium nuptiarum*, & ejusdem opinionis arbitror fuisse beatum Dionysium, sicut patet inspicienti librum suum *de mystica Theologia*. Et huic opinioni ego adhæreo, sed non pertinaciter, si quid enim hic dictum videtur quod appareat repugnare veritatibus Articulorum Fidei, hoc totum revoco, & correctioni sanctæ Matris Ecclesiæ, in qua Christus suam sanctissimam auctoritatem transfundit, me & quicquid hic dictum est, submitto. Ad extremum hoc infero quod magistra intelligendi est experientia, prout sancti testantur.

Et

Et ille optimè veritatem judicii novit, qui eam non audiendo solum, sed gustando & faciendo didicit: qui enim veritati unitus est, ex ipsa unione bene novit quod bene sentit; quamvis eum multi corripiant tanquam mentis excessum passum. In tali A ergo materia quæ solum per experientiam & gustum cognoscitur, magis est credendum his qui notitia experimentali hæc gustaverunt, quam his qui solo lumine intellectus & literarum studio pollent. Hæc autem sapientia unitiva & anagogica quæ omnem rationis apprehensionem transcendit, sola divina immissione percipitur, quæ non tantum affectum supra se erigit & amore extatico sponso altissimo creaturam perfectè unit; sed insuper intantum elevat intellectum, ut multò plus omni prudentia & cognitione divinis fulgoribus illustretur, quàm aliquo ingenii exercitio valeat obtineri. Et ergo non videntur mihi rectè sapere qui nolunt quod aliquis de divinis scientiis differat, nisi fuerit physicis & naturalibus scientiis præditus & imbutus: incongruum enim videtur intantum naturæ deferre studio artis & solertiæ hominum, quod plus possint hominibus afferre quam gratia quæ repentè agit, subitò imprimit, infallibiliter docet, & inhæsitanter facit existere mentes in his quæ docet, & luce clarius quæ aliis videntur obscura demonstrat: ista enim sapientia & scientia quæ sola sancti Spiritus influxione percipitur, certissima & amantissima com- B probatur, quia sine omni dubitatione & opinione procedit, & omnem alterius disciplinæ levitatem excedit. Hanc doctrinam præclaræ sapientiæ sibi soli increata sapientia reservare voluit, ut sciat omnis mortalis creatura quod est Doctor in cœlo, qui solam veram sapientiam solis electis scholaribus per cœlestes emissiones & suæ claritatis radios manifestat, & omnes mundi sapientes confutet; cum simplex vetula vel idiota ad istus sapientiæ unitivæ consurrectionem perfectè possit attingere, quam nulla physica scientia vel moralis industria apprehendit. Quæ melius intelligimus, melius proferemus. *Spiritualis omnia dijudicat & ipse à nemine judicatur.* 1. Cor. 2. 15. Patet ergo ex his quomodo sanctissimi & excellentissimi Doctores qui in utraque specie contemplationis perfecti fuerunt, eadem docuerunt & senserunt quæ tertia pars libri *de ornatu spiritualium nuptiarum* dogmatizat; licet fortè sub aliis verbis: *non* C *autem refert diversitas narrationis ubi eadem res narratur*, sicut dicit beatus Augustinus. Et ergo prædicta doctrina non est abjicienda & eliminanda; sed ubique sustineri potest absque periculo erroris tanquam consona & conformis sanctorum Patrum traditionibus. Unde quia verba hujus libri ex fervido affectu & vigore dilectionis prolata sunt, non sunt recipienda secundum sensum quem secundum sonum vocis videntur facere; sed secundum sensum pro quo fiunt intelligenda sunt & interpretanda & secundum materiam subjectam sermonis ejus expetendi. Ista sunt spiritualia & mystica, & ideo solis spiritualibus sunt comparanda & communicanda, nec hujusmodi in Scholis sunt tractanda. Sed esto quod prædictus Auctor in aliquibus fortè non ita dixisset sicut aliqui vellent, quoniam melius vel verius dici quivisset, quæ cura de hoc? In opusculis tractatorum multa corrigenda D inveniuntur. Si ad abjectionem alicujus tractatus sufficeret aliquod dictum in eo corrigendum, pauci tractatus recipiendi essent. Negare non possum, nec debeo ait Augustinus *sicut in ipsis moribus meis, ita multa esse in tam multis opusculis meis quæ possunt justo judicio & nulla temeritate culpari.* Item idem. *Noli meis literis quasi Canonicis Scripturis inservire, sed in illis & quod non credebas, incunctanter tibi inveniendum crede; in istis autem quod certum habebas, nisi certum vel certè intellexeris noli firmiter tenere.* Non enim par auctoritas Scripturæ Canonicæ debetur & earum expositionibus. In omnibus bene agere & in nullo deviare, non est humanitatis sed deitatis. Æstimo tamen quod doctrina ejus quantum ad intellectum suum in paucis calumniam patiatur, licet fortè quædam planius & irreprehensibilius potuisset dixisse. Hæc dicta sufficiant contra eos qui doctrinam prædicti viri videntur calumniari: sub correctione tamen semper melius sentientium.

Sed dicet aliquis, quis est iste qui ausus est os suum ponere in cœlum & respondere Domino Cancellario Parisiensi discretissimo & eruditissimo viro? Fateor charissime quod ego sum minimus Clericorum & Religiosorum, qui non sum dignus ut solvam corrigiam calceamentorum Domini mei Cancellarii, qui incomparabiliter vita, moribus & scientiis me præcellit: Protestor tamen, quod non ostentationis gratia, nec temeritatis motus audacia præsumpsi respondere objectionibns tanti viri; sed duo sunt quæ me moverunt & incitaverunt ad scribendum ista. Primum est quod æmulator existens Paternæ traditionis, & zelum gerens pro doctrina Patris, non potui patienter sustinere ut ille liber quem per Spiritum sanctum spero fuisse compilatum vilipenderetur, abjiceretur & contemptui haberetur. Secundum est, quia annuens piis precibus & desideriis Fratris Bartholomæi, qui instanter, prout quibusdam referentibus intellexi, rogavit sibi intellectum verborum illius tertiæ partis libri *de ornatu spiritualium nuptiarum* exponi & reserari; institi & laboravi in quantum potui dicta tertiæ partis præfati libri explanare, & ad quem intellectum essent capienda enodare. Si scripsi ut debui, approba tu & tui. Si verò non ut debui, ignosce Christe tu & tui. Amen.

Finis libelli Joannis de Schonhavia, in quo defendit dicta fratris Joannis de Ruysbroech contra magistrum Joannem de Gerson Cancellarium Parisiensem.

EPISTOLA

Magistri Joannis de Gerson ad Fratrem Bartholomæum Carthusiensem, contra prædictam defensionem.

Ex MS. Cod. Victorino 106.

GRATIA tibi & pax vir exemplo Job c. 1. *simplex & rectus & timens Deum.* Oblata est mihi nuper sicut nosti, grandis Epistola tendens salvare modos locutionum positos in tertia parte Tractatus cujusdam intitulati *de ornatu spiritualium nuptiarum*: quos ego modos aliàs pro Catholicæ veritatis sinceritate servanda apud animos minus instructorum ostendi per Epistolam tibi directam non esse servandos. Sed quid agimus, quo nos inter tot occupationes vertimus? Itaque faciendi plures Libros vel Epistolas arguendo vel replicando nullus est finis. Stemus igitur infra limites Epistolæ primæ & per considerationes aliquas, facili planoque stilo sumptas, ex eadem justificatio sua monstretur.

NOBIS *ad certam regulam loqui fas est*: posita est illic sententiosissima hæc verissimaque Augustini sententia, quæ tollit barbaram confusionem linguarum à sacra doctrina. Nam qualis altera esset efficacior via prohibendi ædificationem turris Davidicæ in bonum, quam si fieret nominum vel terminorum pro libitu cujuslibet variatio: non enim tunc intelligeret unus alterum, sed in quadam Babylonis confusione laberemur. Non ergo sufficienter excusatur Auctor tractatus illius per suum defensorem, qui sic ait. *Et si sit aliquis error in dictis suis, ille solum fiat in quid nominis; nomina autem sunt ad placitum, & ideo talis error non est magni ponderis.* Si enim sancti Doctores ut Augustinus & Hieronymus admisissent

issent modos loquendi hæreticorum, protinus habuissent pacem cum eis, sed malam pacem. Notetur responsio magni Basilii in casu simili, qui noluit nec in solo verbo quidem deviare profitendo Catholicam veritatem: sic nec Hieronymus de verbo isto omousion, sic alii sine numero. Fuit quidam tempore meo Scotus, qui respondendo dicebat Patrem esse causam Filii, hoc dicebat, id est Pater A producit Filium. Coactus est statim revocare dictum suum nec expositio sua quomodolibet admissa est; quamvis esset ad intellectum suum & expressionem verissima.

MODUS loquendi Doctorum si reperiatur improprius & parabolicus & insusitatus, aut figurativus, extendi vel in usum trahi non debet; sed ad sensum proprium & non figurativum reverenter exponi. Alioquin frustra essent Doctores in Theologia constituti principaliter ad hoc officium elucidandi sacram Scripturam, quam magis atque magis aliter agendo confunderent. Unde si quis ad vim vocis sustinere vellet quod Deus *ad liberandum suscepturus hominem non horruisti virginis uterum*, utique erroris reus esset. Tolerent igitur patienter homines inferioris gradus & scientiæ, si dicta eorum quærantur ad proprium usum coarctari, non in perniciem doctrinæ Catholicæ dilatari. Hac consideratione permotos existimo Doctores novissimos, Thomam, Bona- B venturam, Alexandrum de Ales, & similes, dum omisso omni verborum ornatu, tradiderunt Theologiam per quæstiones, ut sub certis regulis & sub præcisa verborum forma tutissimam haberemus Theologiam tam practicam quam speculativam, reducendo Doctores omnes priores ad unam securamque locutionis proprietatem.

UNICUIQUE *in sua arte perito credendum est*: hæc est ratio cur Doctoribus in sacra Theologia exercitatis datur auctoritas interpretandi doctrinaliter sacram Scripturam, quod maximè habet fieri in Scholis, doctrinam impartiendo his qui tam ingenio quàm exercitatione continua capaces sunt ad intelligendum. Cum igitur quæ ponit tertia pars tractatûs prænominati sunt de punctis sacræ Scripturæ, immo de summa Theologia quæ Mystica nominatur & quam scholastico more Albertus Magnus, & C quidam alii claro proprioque sermone exposuerunt; quis non mirabitur audire ab hujus Auctoris defensore quod hæc in Scholis non sunt tractanda? Ita videlicet nunc publicabuntur scriptis, nunc verbis idioma vulgare servantibus, & apud simplices adolescentulos, apud senes hebetes, apud illiteratam plebeculam, apud anus decrepitas, nunc in foro, nunc in angulis; & viri doctissimi tam ingenio quam exercitio præditi ab aliis rectè loquendis, quia scholastici sunt, arcebuntur.

QUI *adhæret Deo, unus spiritus est*. 1. Cor. 6. Hanc unitatem nullus sanè potest intelligere vel exponere quantumcumque verba multiplicaverit ad alium sensum quam per assimilationem. De qua dicit Joannes in Canonica. *Scimus quod cum ille apparuerit, similes ei erimus*. 1. Joan. 3. Omnis enim modus alter loquendi metaphoricus vel figurativus vel hyperbolicus vel emphaticus Doctorum, ut Dionysii & aliorum, si non referatur ad hanc regulam, repudiandus. Assimulatio autem non tollit sed perficit naturam, neque tollit esse quod hábet creatura in proprio genere, quoniam illud perdere nisi per annihilationem anima rationalis nunquam potest: ac proinde sequitur quod similitudo adducta per qualemcumque Doctorem de infusione guttæ aquæ in dolium vini fortissimi, ad unionem animæ contemplantis cum Deo, tanquam sit omnimoda similitudo, repudianda est prorsus; tanquam habens errorem, immò insaniam Almarici condemnati, ponentis creaturam verti in Deum & in suum esse & principium ideale; sicut notat Hostiensis super illud capitulum *damnamus, de sum. Trinit & Fide Cath.*. Denique similis phantasia fuit alia Parisiis tanquam fatua, & inintelligibilis adversus unum Augustinensem damnata.

DEVOTIO illorum culpanda est qui nituntur involvere sententias sermonibus imperitis, peregrinis & inusitatis, vel eos qui sic volunt laudare atque defendere & defendendo seipsos magis involvere. Adducam hoc loco, ne mihi soli videar inniti, particulam cujusdam sermonis facti in Capitulo uno Fratrum Carthusiensium Anno Domini, 1406. vel 1408. cujus thema est. *Videamus si floruit vinea*, &c. Cant. 7. 12. Quar-
„ tam verò devotionem falsam, id est vanam & cu-
„ riosam illi exercent qui sine mortificatione pro-
„ priæ voluntatis à zelo Domino serviendi, vitam
„ spiritualem consistere credunt in ruminatione vel
„ potiùs phantasiatione rerum spiritualium; æstiman-
„ tes hanc ipsam phantasiationem vel saltem delec-
„ tationem inde consequentem devotionem esse. Un-
„ de hi ad hanc ipsam consequendam non contenti
„ modis loquendi Scripturæ sacræ, adinveniunt sibi
„ vel fingunt de rebus spiritualibus modos abstractio-
„ res eo quod tales majorem eis delectationem gene-
B „ rent. Plerumque etiam ob hoc materias satis fa-
„ ciles obscuris modis & abstractis in quibus delec-
„ tantur obvolventes, aut vocantes humiliationem,
„ vel fortassis etiam altam contemplationem, sub-
„ mersionem in abyssali profundo, divinum amorem,
„ annihilationem vel in nihilum redactionem, cha-
„ ritativum motum mentis in Deum, influxum in
„ Deum vocantes motum ad opus propter Deum,
„ effluxum à Deo, & sic de aliis consimilibus: quam-
„ vis tamen Christus, Prophetæ & Apostoli, &
„ omnes Doctores Scripturæ sacræ tractatores quan-
„ tum poterant & expediebat ea quæ difficilia fue-
„ runt, per modos loquendi fecerunt facilia. Hæc revera falsa devotio est Religiosis periculosissima, quoniam multos, ut quotidiana heu docet & dolenda docuit experientia; qui spirituales ac religiosi apparebant, decepit, infatuavit vel penitus excæcavit; ita ut fierent in observantiis regularibus, quas despexerant desides, superioribus quos rudes reputabant rebelles, etiam aliqui fugerent & apostatarent, aliqui etiam hæreticarent vel ante tempus prophetarent dicentes, *hæc dicit Dominus, cum Dominus non esset locutus*. Esech. 22. 28.; sed superba vel saltem phantastica capita eorum hæc ipsa confinxerunt. Aliqui quoque mirabiles fatuitates extrinsecus in prætensis jubilationibus, tripudiis, saltationibus & hujusmodi
„ ostenderunt. Sequitur. Quarta devotio est vi-
„ num valde fumosum, id est superbiæ generativum
„ & est libidinosum, de quo mysticè & illa fortissis
„ inhibitio Apostolica accipi potest, *nolite inebriari vino in quo est luxuria*. Eph. 5. 18, Et revera in hoc ip-
„ so est spiritualis luxuria, eo quod sic falsè devoti
„ non Dei cultum & honorem, sed propriam quæ-
„ runt delectationem, Hæc ibi. O si vidisses quisquis Auctor fuisti sermonis illius, si vidises Epistolam noviter ostensam mihi quid dixisses, quid stomachi habuisses?

AMICUS *Plato, amicus Socrates, magis amica veritas*. Pervertit enim affectio nimia ad Doctorem aliquem vel doctrinam judicium non solum practicum, quod sæpissime contingit; sed etiam speculativum, de quo minus videretur, quasi videlicet more Pythagoricorum non liceat aliud interrogare quam si Magister hoc dixerit. Tollenda est igitur è medio sicut odiosa concertatio & insectatio invidiosa, sic pertinax & animosa hujus vel illius doctrinæ defensatio. Patet autem conscientia mea apud te

te Deus quia nullatenus odio cujuscumque fueram inductus scribere ea quæ scripsi. Sed quia verissimè tunc mihi videbatur sicut & nunc magis ac magis inspicio modos illos loquendi nimis improprios esse; unde & sic dixi inter cætera postquam de unitate animæ ad Deum quædam inducta fuerant, hoc tropo, inquam, probat Boëtius hominem bonum, esse Deum, juxta illud: *Dixi, dii estis*, Ps. 81. 6. non quidem per veritatem & unitatem divinæ essentiæ A & locutionem propriam; sed participative & assimilativè, immutativè & nuncupativè. Quod si Auctor iste pari modò responderit se dicta sua intellexisse de illa unificatione spiritus cum Deo, non contendo, non contradico, sed explicationem aliter sonare non dubito. Hæc ibi. Vide quæso ô lector si modestior esse potuerit sermo meus, addito quod postmodum tam verbis quam scriptis excusare conatus sum prædictum Auctorem, postquam innotuit mihi quod in alio loco plus expresserat quod creatura nullo modo perdit esse suum quod habet in proprio genere; quod si idem inseruisset ad verba tertiæ partis sui tractatus, non ita præbuisset occasionem errandi & se culpandi, non solum apud simplices, sed litteratos & edoctos. Videbit hoc quod dico verum esse, qui forsitan inciderit in tractatulum unum quem de Theologia mystica tam speculativè quam practicè conatus sum ordinare, habens hanc intentionem deducere B ad notitiam familiarem & propriam scholasticorum ea quæ devoti homines de ea, magis affectiva declamatione & figurativa locutione quam litteratoria proprietate tradiderunt. Notetur locus ille ubi Theologia Mystica differentiam hanc à litteratoria ponitur inter cæteras habere, quia unit & transformat.

An *qui amant sibi somnia fingunt*, ait Virgilius. Super hoc dicto cum experientiis & ratione certa fundatur dictum prioris Epistolæ meæ quo sic ponitur: Sicut ex carentia pij affectus, & magis ex infectione ejus per vitia, errant nonnunquam peritissimi in sacris litteris, excæcavit enim eos malitia eorum, & dati sunt in reprobum sensum: ita & parvo lumine intellectus & parva instructione in studio litterarum etiam sæcularium, quandoque, præsertim in Logica, prolabuntur aliquando in errores periculosissimos illi qui magnorum sunt erga virtutes af- C fectuum, quales Apostolus notavit *habere zelum, sed non secundum scientiam*, adeò ut si non humiliter sapiant & nisi sese contrahant infra metas suæ cognitionis, nulli pertinacius inveniuntur, neque absurdius errores confingere; propterea non leviter oportet eos scribere vel docere, sed nec absque cautela magna adhærendum est eis, nisi prævia discussione diligenti & Doctorum examinatione. In talibus quippe sæpe reperimus plurima aut falsa aut malè explicata, ac proinde multam erroris materiam præbentia simplicibus, quamquam in multis divinissima altissimaque sint. Addo nunc id quod evenit tempore meo de quadam quæ prophetissa & miraculorum operatrix reputata est à multis, quam & vidi & allocutus sum, hæc tandem dixit & scribi jussit, quod spiritus suus Deum contemplando fuerat annihilatus vera annihilatione, & hinc recreatus: & dum quæreretur qualiter hoc scire potuerat, respondebat se expertam. Dies mihi non sufficeret, si numerare vellem innumeras tales insanias amantium; immò & amentium, quia non secundum scientiam quales videntur fuisse Begardi & Begardæ; quemadmodum in quodam tractaculo *de distinctione verarum revelationum à falsis* memini pridem annotasse.

Docendus *non est vel monendus qui errorem suum defendere mavult quam corrigere*. Hoc Horatius posuit in fine Poëtriæ suæ. Exigitur igitur correctio sævior si sic iterum fuerit pugnaciter ad salvandam tanquam propriam hanc verborum improprietatem. Quo pacto sit vel quo ordine postulandum, quippe videbitur Ordinarii & Inquisitoris judicium, quoniam parva radix peregrini sermonis serpit ut cancer, & modica errorum scintilla (sicut in Arrio patuit) dum non convenienter opprimitur vel arctatur, magnam erumpit in flammam. Sic nuper actum est Parisiis per sacram Theologiæ Facultatem adversus illos qui doctrinam quamdam peregrinam Raymundi Lulli conabantur inducere; quæ licet sit multis altissima & verissima: quia tamem in alijs discrepat à modo loquendi Doctorum sacrorum, & à regulis doctrinalis suæ Traditionis & usitatæ in Scholis, ipsa edicto publico repudiata prohibitaque. Dicam hic quod sentio, si tales locutionum modos publicari perciperem apud almam Universitatem Parisiensem, vel per sermones vel per scholas, deducerem protinus ex officio cui indignus deservio, ad Censuram Theologicæ Facultatis ut examinaretur, & examinata suum quale mereretur judicium sortiretur. Bene vale Pater Eremita, memor mei in orationibus tuis.

Finis secundæ Epistolæ Joannis de Gerson contra dicta fratris Joannis Ruysbroech, in tertia parte tractatus sui de ornatu spiritualium nuptiarum.

JUDICIUM

Joannis Gersonii Doctoris & Cancellarii Parisiensis

DE

VITA SANCTÆ ERMINÆ.

MONITUM.

Extat vita hujus mulieris Gallicè in MS. Vict. 284. multas continens visiones & apparitiones, tùm Satanæ, tùm Angelorum factas huic mulieri, à Vigilia festi omnium Sanctorum anni 1395. ad diem festum Sancti Ludovici sequentis anni, quo ex hac vita piè decessit. Degebat autem illa Remis, quò ex gro Veromanduorum cum marito Reinaldo commigrarat anno 1380. Eoque paulò post defuncto anno ætatis 72. ipsa annum agens 46. vidua remanserat, totamque se pietatis officiis tradiderat; carnem jejuniis, cilicio, aliisque piis exercitationibus macerans, & orationi jugiter incumbens sub directione Joannis Morelli Canonici Regularis Sancti Dionysii Remensis, qui vitam ejus, & quæcumque ipsi evenerant, prout ea sibi narraverat de die in diem conscripsit, & de eo scripto judicium postulavit Joannis Gersonii aliorumque Parisiensium Theologorum.

Gallicè in MSS. Codd. Victor. 694. & 284.

RELIGIOSO ET BONO VIRO

Ac Fraterna charitate in Christo dilectissimo Domino Joanni Morello, Canonico Regulari sancti Dionysii Remensis, Joannes de Gerson Cancellarius indignus Ecclesiæ Parisiensis. Veræ Religionis portum attingere.

PRIDEM ac pluries nunc literis, nunc viva voce postulasti, ut librum unum in multis codicibus de vita, conversatione & obitu cujusdam simplicis ac piæ mulieris dictæ Erminæ editum visitarem; præsertim quia liber ille continet mirabiles satis atque insolitas visiones, quas sibi asserit mulier illa fuisse factas, & vigilanter ostensas noviter à vigilia omnium Sanctorum anni nonagesimi quinti usque ad festum sequens beati Ludouici quo die migravit à seculo. Novissimè autem magnis obtestationibus & obsecrationibus conjurasti me ita vehementer sanè, ut ultra differre non valuerim, quatenus pro informatione minus eruditorum, & ad obstruendum ora volentium subvertere fidem simplicium & famam benè & piè viventium lædere, in brevi describerem, quid super contentis in ipso libello judicarem sentiendum. Parui tuo affectui, quem secundum Deum esse non dubito; vidi librum illum & legi, quamdiu & quantum sufficere arbitratus sum: & absque temeraria assertione, & cum submissione ad judicium sanctæ Sedis Apostolicæ, & sedentis in ea Summi Pontificis, ac omnium melius sentientium dico per modnm conclusionis triplicis, quæ sequuntur.

Prima conclusio. In prædicto libello nihil continetur quod debeat reputari contrarium Fidei Catholicæ, nec alicui Articulorum credendorum: cujus ratio est quoniam omnia quæ ibi posita sunt, sunt in se vel suis similibus divinæ omnipotentiæ possibilia, lege etiam statuta perminente, quoniam similia omnino vel saltem talia, de quibus idem haberi potest judicium, leguntur in historijs authenticis de vita sanctorum Patrum, de impugnatione atque illusione dæmonum, multipliciter & similiter eis facta.

A Secunda conclusio. Quamvis non sit necessarium ad salutem credere omnia & singula de facto contigisse & taliter qualiter in prædicto libello narratur; puto nihilominus esse temerarium & incivile talibus omnino pertinaciter dissentire, aut animositate obstinata eadem impugnare. Ratio primi est, quoniam plurima talium jacent in facto, quod impertinens est ad Fidem: multa insuper ibidem ponuntur pro miraculis quæ naturaliter salvari possent, licet etiam similia miraculosè contigerint; non omnia tamen ut ponuntur possunt à miraculo defendi. Ratio secundi est, quoniam naturalis æquitas hoc habet, ut quilibet vellet credi assertionibus, præcipuè juramento vallatis, aut saltem non impugnari pertinaciter de falsitate seu perjurio. Periret itaque omnis politica conversatio, si fides unicuique negaretur. Est verò principium Juris naturalis divina lege firmatum. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide tu ne aliquando alteri facias.* Nemo præterea civiliter vivens, de-

B bet pertinaciter negare fidem dictis alterius, ubi non apparet falsitas vel læsio clarior veritatis. Cum igitur contenta libelli de quo loquimur, sub tam gravi & multiplici attestatione & in mortis articulo posita sint, & veritas, præcipuè Fidei, nulla inde violatur; immò potius corroboratur & honoratur, nec ex illorum pia credulitate videtur in moribus emergere periculum, patet quod dictum est: addito quod non est abbreviata manus Domini, qui similia & majora quam olim nostris temporibus possit operari. Nec præterea sequi oportet, si multa talium possint absque miraculis salvari, quod negantur ex hoc esse miracula: nam sicut eadem mors diversis causis, ita idem effectus diversis modis potest eve-

evenire; & ubi dubium incidit de miraculo, videtur divina omnipotentia magis honorari & Christiana Religio, piè attribuere ad miraculum id quod evenit, quam obstinatè à miraculo defendere, supposito semper quod doctrina veritatis maneat infracta. Nam cum publicatione hæresum, mihi esset mortui etiam suscitatio suspecta prorsus & execratione plena: in hoc enim verum est illud Sapientis: *Qui citò credit, levis est corde.* Eccl. 19. 4. A Et profectò non vacat hoc unicum ab admiratione (ne dicam miraculo) si mulier idiota & rusticana tot & talia scivisset confingere, qualia ibidem recitantur.

Tertia conclusio. Tam ob parvam eruditionem multorum in sacris Scripturis & historijs, quàm propter obstinatam quorumdam incredulitatem & duram cervicem, non expedit passim & generaliter modò publicare; sed illis duntaxat quos verisimile erit ex hinc salubriter ædificari.

Ratio primi est, ne detur sanctum canibus, & margaritæ projiciantur ante porcos, apud quos omnis cogitatio de potibus est & crapula, quibus omnis sermo de Religione, de Deo, Angelis & dæmonibus pro fabula est, & tanquam aliquid indignum suo assensu & superbo & crasso ingenio contemnitur, & calcatur. B Ratio secundi est, quoniam apud bene compositos & solicitos de salute sua, potest colligi per hoc multiplex profectus eorum quæ ibidem enarrantur. Primò, quoniam mulier ista est in speculum pœnitentiæ & austeritatis & luctus. Est autem evangelica veritas, quod *pœnitentibus appropinquat regnum cœlorum.* Matth. 3. 2. Propterea hæc fœmina paupercula anus, absque literis & opibus, data mihi videtur in argumentum non mediocre veritatis illius Apostolicæ, quod *infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia*, 1. Cor. 28. Et numquid dæmones sunt fortes de quorum principe dicit Scriptura, quod *non est fortitudo super terram quæ huic debeat comparari?* Sed quæ confusio major fortibus illis potuit fieri, vel quæ illusio insignior dari draconi, *qui factus est ad illudendum ei*; Ps. 103. 26. quam à muliercula & tali muliere tam crebrò & turpiter vinceretur? Planè mihi videtur vidisse, insaniisse, fremuisse & frenduisse dentibus atque tabuisse, C cum periret desiderium peccatorum. Qua in re nihil mirandum est, si viris fortioribus similia non contingunt. *Divisiones enim gratiarum sunt, quas operatur unus & idem spiritus, dividens singula singulis prout vult.* 1. Cor. 12. 4. Nam pusillum ac magnum ipse fecit. Sed & multis qui mundum vicerunt (hostes minores mundum loquor, carnem & sanguinem) parcit Deus ut non permittat tanta eos spiritualium tentationum mole premi & impugnari supra id quod possunt. Istam verò pauperculam spiritu, divitem in Fide, elegit Deus, *ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.* 1. Cor. 1. 31. Cæterum ex gestis hujusmodi perpendere licet quanta est versuta malignitas dæmonum, quam improba & dira nocendi cupido, quantus furor & astutia ad seducendos homines, nunc terroribus, nunc blanditiis nunc mille fallacium miraculorum artibus. Contra quæ omnia requiritur & sufficit triplex virtutis auxilium, quod in hac muliere legitur abundasse. Primum, est humilitas profunda & vera, qua se indignam omni bono & meritam omne malum judicat, non quidem ore solo ut multi; sed corde toto intrinsecus. Et hoc ex consideratione vehementissima & assidua propriæ fragilitatis & defectûs, respectu divinæ potentiæ atque bonitatis: talis humilitas est quæ evadit laqueos ubilibet protensos, secundum oraculum factum divinitùs Antonio. Secundum, est fides firma, viva & certa de Deo quod absque ejus nutu, providentia & voluntate, nulla potest adversa potestas nocere homini, ita ut audacter provocetur inimicorum rabies ad sui nocumentum, ex fide certa quod nihil agent nisi quantum & qualiter licentiaverit Altissimus. Hoc modo impletur illud de leone infernali, *cui resistite*, inquit, *fortes in Fide.* 1. Petr. 5. Tertium, est prudens simplicitas & indocta (ut ita dixerim) sapientia, quæ non innititur prudentiæ propriæ, sed omnia agit cum consilio. Et hæc est columbina simul & serpentina discretio, rectrix & auriga virtutum, sine qua virtus prolabitur in vitium. Nam confestim ut aliquis sapiens est in oculis suis, & spernit consilium; de illo actum est & exponitur omni dæmonum ludibrio, immò & secundum cujusdam sancti Patris sententias sibimet ipsi jam dæmon effectus est. Patet ad extremum ex libello præfato, quanta acerbitas suppliciorum in inferno erit, & quanta in cœlis suavitas gaudiorum: nec sum nescius Frater in Christo dilectissime, quin multo plura utiliter de admirabili hujus devotæ ac piæ mulieris vita dici possint; sed ista ad satisfactionem tuæ petitionis æstimavi sufficere. Tempus aderit forsan, quando plus dabitur otii, ut latiùs de his scribam, respondens objectionibus quæ fieri possunt, sicut & in omnibus ferè, etiam verissimis fieri posse non dubium est. Subscripserunt huic litteræ manibus propriis in testimonium paris mecum sententiæ & consensus illi quos tales esse cognoscis, qui verisimiliter non possint nec velint decipere, quibus nec visum est impunè posse mentiri. Bene vale.

SEQUUNTUR LECTIONES DUÆ

Ejusdem Joannis de Gerson contra vanam curiositatem in negotio Fidei, *quarum initium est.* Pœnitemini. *Refert se in Prologo Theologiæ mysticæ ad has lectiones, ideo ante Tractatum de Theologia mystica hæ duæ lectiones fuerant præmittendæ.*

Collat ad MSS. Codd. Victorin. 848. & Navarr. unum.

POENITEMINI *& credite Evangelio &c.* Marc. 1. 15. Quanta veneratione simul & audiendi attentione dignum sit verbum præsens hinc perpenditur, quod in eo & ab eo supremus legislator noster Christus suæ prædicationis initium consecravit, conformi per omnia gressu ad Præcursorem suum Joannem; cujus prædicatio à pœnitentia similiter inchoavit, data in hoc magnæ humilitatis & unitatis forma Prædicatoribus, ne novis ita gaudeant quin aliorum dicta etiam minorum dignentur imitari, quando vident Dominum & Magistrum à discipuli & præconis sui sententiam nequaquam dissidere: sed quemadmodum Matth. 3. 2. 8. dixerat: *Pœnitentiam agite. Et facite fructus dignos pœnitentiæ*, Christus prædicationem suam hoc eodem exorsus est: *Pœnitemini & credite Evangelio.* Marc. 1. 15. Et cui D dubium esse Christiano poterit quam prægrandis gravidaque sententiarum majestas in his verbis (quamquam pauculis) inclusa sit, sicut divinus Dionysius ex verbis Bartholomæi (qui erat tuba vehemens apostolica) tradit quod Evangelium & parvum est & magnum, parvum verbis, magnum sententia. Si hoc de toto Evangelio dictum sit, hoc de parte ejus præcipuè sentire æquum est, in qua est totius ædificii evangelici fabrica collocata. Immoremur igitur aliquantisper, & videamus quid nobis insinuet Dominus cum ait: *Pœnitemini & credite Evangelio.* Marc. 1. 15.

Animaduerto inprimis oculo perscrutationis in profundum demisso, quod Christus utitur hîc officio sapientis legislatoris, cujus est à malis arcere, & inducere ad virtutes. Utitur officio solertis agri-

gricolæ, priùs expurgando arva fruticibus ut fertilis seges oriatur. Utitur officio sagacis pincernæ, mundando utres acetosos vel corruptos, priusquam vinum recens in eis fundatur. Utitur subinde officio prudentis medici, qui priùs oculos sanare studet à lippitudine aut alia ægritudine quam ipsos opponat radiis luminosis. Tales possent applicari similitudines quæ nos uberiori facilitate inducunt cognoscere vivacem efficaciam & condependentiam horum verborum: *Pœnitemini & credite Evangelio.* Est itaque rationalis homo post peccatum velut servus nequam, reus criminis læsæ Majestatis, projectus in exilium hujus vallis miseriæ, detrusus quoque in carcerem tenebrosum carnis corruptæ fæculentæ. Ubi in tenebris sedens lumen cæli non videt, nisi reconcilietur priùs per pœnitentiam, quam esse rectè dicimus, ostiariam liberantem nos à vinculis peccatorum, qua mediante potest lumen Fidei ad animam clarius radiare. Propterea ad istud: *Credite Evangelio*, præmittitur *pœnitemini.* Est insuper anima peccatrix ager incultus & maledictus, ubi vitiorum nascitur infelix lolium & desideriorum steriles generantur avenæ: quæ omnia vitiorum plantaria evellantur oportet, si virtutes Evangelicæ quærantur inseri cum profectu. Sicut eamdem animam viribus corruptis, sic oculis læsis & obtenebratis, ita similibus comparare fas est; & exhinc docere quod pœnitentia Fidem, sicut agri purgatio segetem, & oculi sanatio luminis visionem antecedit. Prosequentes igitur primum ex antedictis similibus, constituamus animam humanam suo merito velut incarceratam in loco tetro & horrido, cui tres mansiones, infimam, mediam & supremam assignemus. Primæ stationis nomen est, sensualitas. Secundæ, ratio. Tertiæ, intelligentia simplex. Fenestræ partis infimæ nullum afferre lumen animæ valent nisi corporale, & quale bruta recipiunt. Secunda statio fenestras habet, per quas lumen aliquod spiritualius ingreditur in animam, dum ad hanc stationem mediam erigitur. Tertiam partem & supremam arcem seu speculam hujus carceris, ubi dum anima sublimatur inspicere potest lumen divinum desuper emicans & apparens quasi per rimulas quasdam tenues in morem fulguris coruscantis, & subitò inter rapidas scissuras nubium disparentis. Ad illustrationem verò tenebrosi hujus carceris pro statu isto, ut Fidei lumen habeatur necesse est. *Quoniam sine Fide impossibile est placere Deo*, Heb. 11. 6. Oportet nihilominus in adultis ut Fides in actum exeat & per dilectionem operetur, alioquin teste Jacobo. *Fides sine operibus mortua est.* Jacob. 20. 26. Est autem actus Fidei credere Evangelio: At verò anima in solo imo carceris quamdiu dimersa est, quando levare posset oculos caligine pressos, & densis carnalium desideriorum nebulis obsitos ad credendum vel cognoscendum ea quæ desuper emicant, & quæ per nullas sensuum fenestrellas aditum inveniunt. Quamobrem elevanda est anima ab infimo habitaculo carceris ad medium, & consequenter ad supremum, quatenus intueri valeat lumen vult us Domini, quod signatum est super eam maximè si est lumen gratuitum Fidei de super infusum ad credendum Evangelio, præmittit pœnitentiam. *Pœnitemini ait & credite Evangelio.* Nec mirum, quoniam indigna est anima peccatrix, anima rea mortis, deduci ad præsentialem visionem sui Judicis Dei, nisi priùs reconciliata, absoluta, purgataque. Quam reconciliationem, absolutionem & purgationem pœnitentia operatur.

Vultis ergo credere Evangelio? Vultis lumen cæli videre? Vultis ab imo carceris ad altiora subvehi? vultis scio. Obedite igitur prædicanti Christo, & *pœnitemini. Et sic credite Evangelio.* Liceat idcirco pœnitentiam collaudare & dicere per similitudinem, quod ipsa est filia præcipua justitiæ, constituta à supremo judice Deo pro reconciliatione animæ; postquam læsit divinam Majestatem. Ipsa est ostiaria, erigens de profundo carceris animam damnatam; elevans caput suum intellectum scilicet, ad videndum lumen cœli, ut tandem sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Ipsa catenas ferreas cupiditatum, ipsa funes peccatorum infelicem animam circumplectentes disrumpit, ipsa ægros rationis oculos tergit, sanat & illustrat, ipsa fenestras superiores animæ aperit, depulsis quas status carceris hujus miser patitur nebulis volitantium phantasmatum, & à confusione horrida carnalium desideriorum ab eorumque tumultu separat animam, elevans eam in specula vel arce vel apice ipsius simplicis intelligentiæ. Eam denique ad supermentales excessus & extaticas rapit visiones secundum mysticam Theologiam datam à Dionysio. Hæc postremò reparat in anima modum, speciem per ordinem violatas per peccatum, immò ad ipsam animæ hierarchiam universam, exemplatam ad exemplar angelicarum hierarchiarum priùs conturbatam restituit, ordinat & reformat.

Hujus virtutis conditiones aliæ sunt laudabiles absque numero, quarum aliquas in posterum dicere reservamus. Attendamus nihilominus quod pœnitentia sicut justitia in triplici curia divini judicii conversatur & præsidet; sed alio & alio fine, aliaque utilitate. Quid aliud est prima curia divini judicii, nisi præsens, vita? Ubi ante thronum pœnitentia miserans, pia & exorabilis de qua locuti sumus. Secunda curia ejusdem judicii assignatur purgatorius locus, ubi in throno sedet pœnitentia puniens severa & formidabilis. Tertia curia infernus, ubi reperitur pœnitentia damnosa & infructuosa & horribilis: nam quod damnatos pœnitentia comitetur & torqueat, expressum est Sapientiæ. 5. 2. *Videntes turbabuntur timore horribili*, sequitur, *intra se pœnitentiam agentes.* Quod sit horribilis; audite Apostolum: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Hebr. 10. 31. Proinde has tres curias notavit Propheta regius, dum pœnitendo seipsum curiæ primæ submitteret, in qua misericors pœnitentia condolens infirmis reperitur. *Domine* inquit, *ne in furore tuo arguas me.* Ps. 6. 1. Ecce curiam infernalem, quæ furoris non incongruè quemdam typum gerit; quia Pater illic filios proprios per naturam, & Creator suas creaturas perpetuis ignibus justissima quidem, sed incomprehensibili æquitate cruciandos exponit. Sequitur: *Neque in ira tua corripias me.* Ibidem. Ecce curiam præsentis vitæ, in qua pro recognoscentibus piè & humiliter infirmitatem propriam pænitentia misericors conceditur. Porrò si quis viator damnatus, ut in tertia curia crucietur, sicut est omnis existens actualiter in peccato morali: si quis præterea adjudicatus est puniri in secunda curia, quæ est Purgatorii, sicut est homo qui gratiam habens, nondum pro peccatis satisfecit; talis fas habet quamdiu vivit appellare ad primam curiam, in qua sedet pœnitentia misericors, quoniam *misericordia superexaltat judicium.* Jacob. 2. 13. At uerò si peccator tardaverit comparere hora legitima sessionis pœnitentiæ in hac præsenti curia, ille adjudicabitur vel pœnitentiæ severæ & formidabili in Purgatorio, vel pœnitentiæ infructuosæ & horribili in inferno. Est autem competens hora comparendi coram pœnitentia misericordi usque ad ultimum finem, quo anima etiam in morte liberum habet usum rationis, ad subjiciendum se eidem pœnitentiæ ex affectu humili & pio, licet quantò citius tantò melius atque securius. Cæterum omisso ad præsens sermone de pœnitentiis Purgatorii & Inferni; verbum habeamus de pœnitentia hujus sæculi: ad ipsam enim non ad alias nos in-

inuitat judex noster Christus dicens: *Pœnitemini & credite Evangelio.* Nempe qui non pœnitet hic cum hominibus, pœnitebit cum dæmonibus in futuro. Qui præterea non se subjicit judicio pœnitentiæ miserentis in præsenti curia, pœnitentiam condemnantem & nunquam liberantem experietur in altera. Dicamus igitur cum Psalmista: *Miserere mei secundum judicium diligentium nomen tuum.* Ps. 118. 132. hoc est secundum judicium misericordiæ in præsenti sæculo, quoniam sancti sanctæque omnes veluti quidam assessores judicantis pœnitentiæ misericordis intercedunt pro illis quos huic curiæ submitti viderint. Liberant quoque sæpius reos suis interventibus, ubi & qui se meliùs & humiliùs accusaverint, ipsi præter morem judiciorum humanorum remissionem ampliorem consequentur. Qua ex re manifestam in se stultitiam ostendunt, qui pœnitentias aut levissimas aut insufficientes quærunt, pares illis quos virgæ territant & ferrum ignesque se pati malle responderent. Attamen quid est pœnitentia præsens, nisi puerilis quædam flagellatio, si ad torturas vel Purgatorii vel gehennæ severissimis comparetur. Hoc ipsum qui fida profundaque vivæ Fidei consideratione videret, affirmo quod non solum non refugeret dolorem pœnitentiæ præsentis aut voluntariæ, aut Deo disponente, casibus variis immissum; sed etiam cum gaudio toleraret, sciens quod non puniet Deus bis in idipsum, & quod *breve hoc & momentaneum tribulationis supra modum immensum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Corinth. 4. 17. Nec mirabitur hoc aliquis me dicere si similitudinem in ipsis etiam puerulis ostenderim. Proponatur puero quantumcunque timido verberum, quod aut morte plectetur pro delicto suo, aut verberaretur. Quis non videat proposita hac conditione, quin ipse verberari non solum vellet, sed cum instantissimis precibus & lachrymis idipsum si sibi negaretur, postularet. Quare hoc? Certè ne horribili sententiæ mortis subjaceret, quam scit se non nisi per verbera evasurum. In electione prorsus simili constitutus est peccator; quia aut hic ultro suscipiet pœnitentiæ verbera, aut mortis æternæ supplicio subjacebit. Hinc aperitur intellectus illius quod dicit Apostolus, *in tribulatione gaudentes,* Rom. 12. 12. & talium absque numero. Constituamus ergo nos coram tribunali misericordis pœnitentiæ, & tres ejus comites amplectamur, quæ sunt Contritio, Confessio, Satisfactio. Porrò Contritionem ex quatuor integrari noverimus, quæ sunt: Motus liberii arbitrii in Deum super omnia diligendum. Secundum, motus ejusdem liberii arbitrii in detestationem peccati. Tertium, infusio gratiæ gratum facientis. Quartum expulsio culpæ. Possumus addere quintum, præventionem scilicet divinam qua liberum arbitrium movet. & excitat ad ea quæ dicta sunt. Qualis autem sit ordo inter ista quinque, non facile est usquequaque definire; quoniam plerumque sunt simul tempore. Et quoad naturæ proprietatem, si respectus habeatur ad subjectum, priùs est expulsio culpæ, quam infusio gratiæ: si verò referamus ad agens, è converso se res habet, quoniam priùs agens intendit infundere positivam gratiæ dispositionem, quam vitium expellere. De his subinde tribus comitibus pœnitentiæ, Contritione, Confessione, Satisfactione, latissima est determinatio per doctores. 4. sent. distinctionibus ad hoc spectantibus. Et infra (quantum videro expedire) quædam ex utilioribus excerpere proposui.

Nunc itaque vocant me aliorsum, quod quidam litigiosi & mendaces Advocati, id est vitia (quos in ipsa meditatione mea conspicio magnis boatibus adversari) his qui salubriori consilio ad hanc pœnitentiæ misericordis curiam accedere volunt, arguunt malesuadis sermonibus nunc blandiendo, nunc terrendo: quam stultum est, inquiunt, in hac vita se gratis affligere, & non quærere sublimes & pulchros honores, contempto sacco & cinere; quam stultum est insuper non quærere jucundissimas voluptates rejecto cilicio, verbere, jejunio. Pars opponit, alij spem longæ vitæ, alij desperationem à mala consuetudine resurgendi, alij pudorem in con-
A fessione, alij allegant peccantium multidinem & auctoritatem, pars difficultatem satisfaciendi, pars cadendi frequentiam & instabilitatem resistendi: & ut paucis absoluam, talium nequam Advocatorum copiosior est multitudo, quam ut numerare nostrum sit, quorum hic ordo est non habere ordinem, fides non tenere fidem, finis à fine avertere. Væ væ mundo ab his pestibus monstrosis & horrendis. Sæviunt omnes magna rabie & miserabiles animas exturbant ab hac pœnitentiæ curia, quarum una origo est, una radix vitiosa, una parens improbatissima, quam appellamus originalem naturæ corruptionem seu tyrannidem membrorum, seu legem peccati, aut alio tali nomine. Omnes quoque pestes istæ horrore sempiterno confusæ sunt, ipsæ tamen participant in superbia vel elatione quæ est appetitus propropriæ excellentiæ & subjectionis fuga & divinæ majestatis quoddam phantasticum: quisquis enim
B singulos instinctus stimulantes ad malum, & avertentes à bono diligenter intus & extra discuteret, agnosceret in eis principalem stimulum esse superbiam; ut verè sensit qui nomine omnis injustitiæ superbiam intelligi voluit, ibi *Non dominetur in me omnis injustitia* Ps. 118. 133. Glossa *superbia*, quin ipsa in omni iniquitate reperitur atque damnatur. Quid enim quærit avaritia, nisi per se sufficientiam, & nulli alteri per indigentiam subiacere? Quid enim luxuria expetit? utique tranquillitatem & pacem jucundam, quam res altera neque conturbet, neque ducat nolentem, neque violentet? Amplius etiam ipsa pusillanimitas, quæ superbiam videtur aspernari, superbiam secum amplexatur, dum sensum & judicium suum præfert judicio superioris sui. Dum præterea sui juris esse mavult quam aliorum, ubi potest commoditatibus obsequi. Et hæc planè non timiditas sola est, sed vanæ libertatis appetitus. Subinde curiositas sciendi quantum abundet in superbia, sci-
C re perfacile est quod in primis parentibus liquidò constitit. Denique causa ista est præcipua cur vitium quodlibet adversatur pœnitentiæ salutari, quia pœnitentia in humilitate fundata est. Similiter à vitio quolibet Fides impugnatur, quoniam radix Fidei humilitas est, & ad Deum subjectio.

Abjiciamus ergo superbiam à nobis viri Patres & Fratres, quæ etsi non radicitùs avelli potest à nobis quamdiù maledictam terram circumferimus, quin germinet assiduè nobis hunc tribulum; ipsa saltem mox ut infaustum germen extulerit resecetur, conculcetur, destruatur; alioquin non satis obedimus dicenti Christo: *Pœnitemini & credite Evangelio.* Et quoniam sic incidit ut de perversis Advocatis, id est vitijs pœnitentiam dissuadentibus loqueremur & inter illa primum esse reperimus superbiam; pergamus inquirere quomodo superbia pœnitentiam &
D consequenter Fidem impugnat, præsertim apud scholasticos. Ad illos quippe nostræ vox locutionis infertur, nec infertur tanquam ego sine peccato existens velim peccatricem animam lapidare; sed alios monens eisque compatiens, memet admoneo, me audio, mihique ut cæteris condoleo; velut si languentes quos una febris gravat vel alligat, sese alloquantur, mutuis quoque seipsos querelis utcunque solentur. Superbia scholasticos à pœnitentia & Fide viva præpediens, duas in eis filias infelices (nisi providerint) gignere solita est, curiositatem & singularitatem. Malas verò filias ex pessima Matre, quibus insuper missera soror additur, invidia; quarum progenies infausta multiplex est super numerum, ibi contentio, disceptatio, pertinacia, erroris defensio, amor proprij sensus, immansio in opinioni-

bus vel suis vel suorum: denique scandalizatio & contemptus simplicium atque omnis doctrinæ humilis abominatio. Quid autem pœnitentiæ, quid Fidei magis adversum cogitari potest quam sint hæc omnia? Curiositas est vitium quo dimissis utilioribus, homo convertit studium suum ad minus utilia vel inattingibilia sibi vel noxia. Variat autem comparationem hanc magis & minus utilium, ipsa consideratio finis secundum tempus, locum, personam, ætatem, statum, professionem, Rempublicam, cum cæteris circumstantijs. Nempe quod uni est inutile vel indecens, alteri congruum aut in præcepto positum reperitur. Singularitas est vitium, quo dimissis utilioribus homo convertit studium suum ad doctrinas peregrinas & insolitas. Et hic similiter finem attendi necesse est. Videtis quod curiositas & singularitas assimilantur in multis ut sorores solent; sed earum vultus ex ratione objectali varia quadam distinctione secernuntur: utraque enim culpatur, quia deserit utiliora, quod profecto non fit absque cujusdam excellentiæ propriæ desiderio; Curiositas ut sciat alia quam oportet. Singularitas ut cæteris emineat.

Eliciamus hoc loco considerationes aliquas morales ad commonitionem scholasticorum, præsertim Theologorum. De curiositate & singularitate aliorum specialiter Ecclesiasticorum & specialissimè Prælatorum & Religiosorum, in hoc quod dimissis sacris nostræ Legis litteris, ipsi traditionibus humanis cognoscendis, aut alijs vilioribus occupantur: pro nunc nihil ad nos, quia foris sunt, nec nos audiunt. Sola consideratio præsentis erit lectionis. Alia enim dicturus sum concernentia statum hujus sacræ Facultatis Theologiæ, reliquas considerationes lectio sequens expediet.

Prima Consideratio.

Philosophos antiquos sicut curiositas fefellit, ita formidandum est ne Theologos nostri temporis ipsa similis curiositas decipiat. De errore Philosophantium causato ex curiositate nimia loquitur Seneca in Epistola de liberalibus artibus, & Hugo melius in prooemio commenti sui super Angelicam hierarchiam. Physica siquidem perscrutatio ductum ratiocinationis naturalis insequens nequit immensum progredi; certis enim limitibus coarctetur oportet, quos limites dum prætergredi superba curiositate conatur, quid mirandum si præceps & si absque ductore & lumine cæca ambulans offendat ad lapidem erroris, & impingens se conterat. Ductus itaque ratiocinationis naturalis ad hoc pertingit, ut sciat quod sit unus Deus, princeps & rector omnium, qui dedit omnibus esse & vivere; his quidem clarius, illis verò obscurius. *Invisibilia enim Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciunt, sempiterna quoque virtus ejus & divinitas.* Rom. 1.20. Est quippe omnibus inditum à multis naturali demonstratione conclusum, ut Deus sit quo nihil melius cogitari potest, esse qui habeat quicquid melius ipsum quam non ipsum. Hæc est enim Philosophia quam Apostolus & instructus ab eo Dionysius nominat Dei sapientiam, immò revelationem. *Deus* (inquit Apostolus) *revelavit eis*, Philipp. 3.15. quam revelationem intelligo lumen vultus Domini signatum super nos, quemadmodum pulcherrimo & evidentissimo compendio divinus Bonaventura deducit in suo *Itineratio mentis ad Deum*. Qui libellus omni laude superior est: nec admirari sufficio qualiter Patres & Fratres minores dimisso tanto Doctore (qualem nescio si unquam Studium Parisiense habuerit) converterunt se ad nescio quos novellos, pro quibus parati sunt pedibus & manibus decertare; tandem quantum in aliis proficiant ipsi viderint, sed de hoc aliàs. Porrò si Philosophi se inter hos limites coarctassent, & Deum sic cognitum (ut dignum fuerat) glorificassent, bene erat cum eis; sed pergere ultra volentes defecerunt scrutantes scrutinio. Quo pacto sic? Quia certè ea quæ in liberrima potestate Dei posita erant, dum attingere & ad quasdam necessitatis regulas adducere conati sunt, ipsi *evanuerunt in cogitationibus* A *suis & obscuratum est insipiens cor eorum.* Rom. 1.21. Exempli gratia: Qualiter & quando mundus incœperit, aut si finiturus sit, sciri nequit ex quibuscumque experientijs quas Philosophia sequitur, quoniam hoc in liberrima conditoris voluntate situm est. Philosophi igitur dum hoc secretum divinæ voluntatis penetrare, duce experientia, moliuntur, quidni deficiant? Quoniam sicut divina voluntas hujus ratio est, ita solis illis scire concessum est, quibus ipsa voluerit revelare. Ita de Incarnatione & de reliquis nostræ Fidei Articulis diceremus propter quæ exultans Jesus in spiritu dixit: *Confiteor tibi Pater cæli & terra* &c. Matth. 11. 25. Et sequitur: *Ita Pater, quia sic placitum est ante te*, Matth. 11.25.26. glossa, *non meritum nostrum.*

Qua in re concludimus cum Articulo Parisiensi, Articulos Fidei nullo modo esse contra Philosophiam naturalem; sed eidem potiùs consoni sunt, quamquam eos attingere & invenire suum non est; præsertim nisi prævia Fidei revelatione quæ tales veritates subministret. Interrogatus ergo Philosophus: B Est ne mundus æternus? Respondere debuit. Quæstio hæc supra me est, quoniam Deus omnia sicut voluit & fecit & faciet; interrogetur de hoc Dei voluntas ab eis, quibus hoc revelare dignatus est. Hi sunt Prophetæ nostri, quorum propheticæ denunciationes de futuris fidem faciunt, dum experti sunt quod de præteritis & incognitis enunciaverunt veritatem. Hinc fortassis sobriè sentiens Aristoteles hanc propositionem inter problemata posuit in Physicis. *Utrum mundus sit æternus?* Occurrit hic aliquis & dicet, quod physica ratio quamvis inveniat Deum esse primum movens & primam causam & finem omnium, non invenit tamen quod agat liberè libertate conditionis, sed magis naturali necessitate & quadam proprietate illius quæ suijpsius diffusiva est bonitatis. Hæc est (fateor) tota & præcipua radix errorum in istis philosophantibus, qui ex immobilitate ordinis in universo, quantum hactenus experti, C causam hæc omnia regentem, non solum immobilem (hoc enim verè sapuissent) sed determinatam ad taliter agendum, cum impossibilitate aliter ordinandi concludere putaverunt; hoc non ita debuerunt: cui enim venire in dubium potest; quin perfectius sit atque nobilius suum effectum extrinsecum non commensuratum potentiæ suæ habere in libera potestate, quàm ipsum de necessitate producere? Quod enim Spiritumsanctum non possunt non producere Pater & Filius, provenit ex adæquatione termini producti ad agentis potentiam. Secus in creaturis quarum perfectio dici non meretur punctale centrum, respectu spheræ divinæ intelligibilis, cujus *centrum ubique, circumferentia nusquam*, sicut unus ex Philosophis definivit. Ex hoc errore præterea omnis ad Deum religio & gratitudo tollitur, dum dicimus eum non gratuita liberalitate, sed servili quadam D necessitate nobis omnia ministrare. Propterea (ut æstimo) Philosophi Deum agnoscentes; non sicut Deum glorificaverunt, neque gratias egerunt. Multa in hanc rem & dici & disputari possent, quæ consequenter ostenderent, qua rationabili pietate factum est id quod dicit Apostolus, quia *mundus in Dei sapientia*, hoc est in Philosophia, *Deum non cognovit.* 1. Cor. 1. 21. Placuit Deo per stultitiam prædicationis, hoc est per Fidem & operum insolitorum operationem saluos facere credentes. Hanc ergo rationem alijs induxi pro mysterio mirabilissimi Sacramenti instituendo. Itaque si quæratur à me, cur Deus Eucharistiæ Sacramentum taliter instituit?

Res-

Respondeo per considerationem finis. Hoc itaque factum est, ut ex ejus insolito effectu sublevaremur credere omnipotentiam Dei, & omniscientiam Dei & gratuitam bonitatem, quæ non solum facere potest, scit & vult ea quæ de facto videmus, & viderunt Philosophi; sed etiam alia non quidem mirabiliora, quid enim mirabilius universo? sed magis insolita, quatenus insuper contereretur cervicosa præsumptio nostri intellectus qui Deum cum suis operibus comprehendere stultissima impietate videtur gloriari. Exposita parte prima nostræ considerationis, quod curiositas non contenta suis finibus fefellit Philosophos, par similitudo deducere potest, esse formidandum ne talis curiositas Theologos decipiat. Constat enim quod doctrina Fidei quamvis Philosophiam superet, habet terminos suos prædefinitos in sacris literis nobis revelatis, ultra quos nihil audendum esse definire vel tradere beatus Dionysius expressit primo *de divinis nominibus. Universaliter*, inquit, *non est audendum dicere, neque etiam cogitare de superstantiali & occulta deitate, præter ea quæ divinitus nobis ex sanctis eloquiis sunt expressa.* Igitur si conjecturis & ratiunculis humanis ultra progredi quisquam Theologizans præsumpserit, quidni protinus turpiter seducatur & seducat insequentes? Deficiente enim non sufficiente scala Scripturarum; qualis altera comparabitur scala ad altiorem de Deo cognitionem attingendam? Nuper in meditatione mea talis oblata est similitudo. Sit cæcus aliquis à nativitate, cui de coloribus dicantur in certo modo veritates, non cognoscendæ, sed credendæ, ut quod albedo est disgregativa visus, & nigredo congregativa: quod sol sua illuminatione diem causat & noctem. Si cæcus iste satagat cum studio vehementi ratiocinando & phantasiando elicere ex istis paucis veritatibus alias veritates sibi non traditas: nemo est (ut opinor) qui non arbitraretur quod ipse facili & crebra paralogizatione falleretur; ut quia audit quod albedo disgregat visum, opinabitur statim quod talis disgregatio fiat per simile ad ea quæ sensu tactus percipit spargi & dividi. Talia sunt absque numero in omni arte & scientia quoad homines qui de illis scientiis attigerunt nihil, de quibus tamen ipsi judicare & phantasiari præsumentes, in quales quantas ve chimerinas absurditates ruant, quotidiana docet irrisio. Conferamus nunc ad divinas voluntates non revelatas nobis cœlitùs, sensum cujusvis Theologi quantumlibet elevati; nullus dubitaverit quin ad illas cæcior sit quam cæcus ad colores & non minus idiota quam idiota aliquis ad Metaphysicam aut Mathematicam disciplinam. Propterea si de altis istis & non revelatis veritatibus voluerit hujusmodi Theologus judicare, aut præsumptione raptus aut pudore oppressus, si non ad omnia quæsita sibi responderit; quis non videat quam profundam sibi aliisque erroris abyssum paraverit? Quanto securiori humilitate responderet in multis, nescio, Deus scit, & cui Deus voluerit revelare. Credite Evangelio & sufficit. Nolo tamen ut hæc nostra curiositatis inculpatio nutriat secordem ignaviam eorum qui de divinis ea que possunt debentque intelligere, vel negligunt vel non negligentibus detrahunt; utrumque vitio deputatur, & nolle elucidare veritatem sacræ Scripturæ cum modestia in suis se limitibus continente. *Qui elucidant me*, inquit, *vitam æternam habebunt*. Eccl. 24. 31. Et vitium est velle plus quam oportet sapere, & non ad sobriam pietatem, sicut utrinque à Dionysio primo *de divinis nominibus* palam notatum est.

Et hæc sufficiant quoad istam lectionem factam Anno M. CCCCII. die Mercurii ante festnm Martini in hyeme.

LECTIO ALTERA EODEM ANNO.

A POENITEMINI *& credite Evangelio.* Marc I. Si continuari quæreretur initium præsentis lectionis cum præcedenti omissa, tunc novem considerationum de curiositate declaratio nunc inchoari debuerat: nihilominus ante omnia placet investigare quidditatem pœnitentiæ, cum promotivis quibusdam ad eam; de hinc ordo cœptus resumetur. Pœnitentia in una sui acceptione unum ex septem Sacramentis numeratur qualiter ad præsens loqui non intendimus: sed prout est virtus & species quædam justitiæ; reddens Deo quod suum est. Peccator itaque dum per inobedientiæ prævaricationem abstulit quantum in se fuit honorem debitum Deo, debitum dico ut Creatori & Redemptori, ut Patri, Regi, Principi, amico, sponso, & ita mille considerationibus, ipse omnino constitutus est reus læsæ Majestatis & proditionis, non erga qualemcumque Majestatem, sed divinam. Præposuit enim propriam voluntatis libidinem divinæ charitati, propterea justissimum est ut rursus voluntas, libidine calcata, subjiciat ultro se puniendam arbitrio judicialis legis
B Dei. Habitus autem inclinativus ad hoc opus dicitur pœnitentia, cujus assignare descriptionem sic posuimus.

Pœnitentia est habitus virtuosus inclinans liberum arbitrium detestari & punire in seipso peccatum contra Dei legem commissum vel omissum, & hoc ad finem beatitudinis consequendum. Vel sic: Pœnitentia est habitus justitiæ inclinans liberum arbitrium detestari & punire peccatum in seipso immediatè vel mediatè, pro sui reconciliatione ad Deum. Pœnitentia actualis dicetur omnis actus, mediatè vel immediatè à tali habitu pullulans & procedens. Cæterum detestatio peccati cousurgit ex apprehensione ipsius ut inhonestum est, ut divinæ Majestatis offensivum, ut denique potentiæ apprehendenti disconveniens & contrarium. Punitio fit per apprehensionem objecti ut tristabile est, & propriæ inclinatio-
C ni obvium, seu disconveniens & contrarium. Ratio disconveniens, est disproportio læsiva seu alterativa cujusdam harmoniæ & unitatis in potentia apprehendente. Malum inhonestum efficitur disconveniens pro quanto lædit aut tollit harmoniam modi, speciei & ordinis debitam libero arbitrio ut liberum est. Malum tristabile redditur disconveniens pro quanto lædit harmoniam & unitatem debitam complexioni naturali. Ratio disconvenientiæ in malo inutili, est disproportio tollens à potentia apprehendente quamdam bonitatem ejus cum bonis extrinsecis eam accidentaliter perficere habentibus. Ex opposito sumuntur rationes convenientiæ in triplici bono, honesto, utili & delectabili. Quas rationes in eadem re crebrò concurrere perspicuum est. His suppositis non operosum est advertere quod in pœnitente multa concurrunt.

Primum, liberum arbitrium, quod est potentia apprehensiva peccati & detestativa, punitivaque e-
D jusdem. Concurrit præterea habitus virtuosus inclinativus liberi arbitrii ad promptius faciliusque operandum; quoniam habitus uel acquisitus est ex actibus, qui moralis dicitur, vel gratis infunditur; vicem quamdam habitus moralis gerit naturalis quædam inclinatio apud nonnullos bene natos. Porrò ipsi libero arbitrio (quod est facultas rationis & voluntatis) præsentatur ratio objectalis disconvenientiæ, non qualiscumque, sed inhonestæ. Ex qua consequenter assurgit ad fugam quamdam & horrorem peccati. Dehinc ad punitionem ejus accenditur & ad satisfactionem, pro placando, reconciliando que sibi iratum Deum & Patrem misericordissimum

mum ad iracundiam provocatum. Est autem satisfactio redditio alicujus aliàs indebiti; non quod aliquid offerre Deo valeamus supra vel ultra debitum, si rigorem erga nos exerceret, utpote cujus omnia nostra sunt; sed ita placuit pietati suæ misericorditer agere cum servis suis, ut si quid ultra præcepta sua supererogaverimus, illud nostrum sit & de illo solvere quodammodo debita nostra gratis indulserit. Elicimus ex prædictis quod liberum arbitrium quantò purius est, quanto suavius, tantò perceptibilius est ampliùs disconvenientiæ inhonestæ per eum apprehensæ, ac perinde ut ad ejus detestationem, fugam horroremque atque punitionem perceptibilius moveatur necesse est. Quo fit ut jam justificati eò ferventiùs pœniteant quò veriùs & intimiùs sanatis viribus liberi arbitrii, ipsi quam inhonestum, disconveniensque sit peccatum deprehendunt. Alii verò quo magis aggravati infectique fuerint pondere sordido flagitiorum, tantò minus pœnitent; usque adeò ut *glorientur cum malefecerint, & exultent in rebus pessimis. Impius* (inquit Sapiens) *cum in profundum peccatorum venerit, contemnit.* Prov. 18. 3. Hoc nuper dicebamus dum de consolante luctu sermo habitus est, de quo intulimus quod pro statu præsentis materiæ, ille regulariter est luctu bono plenior, qui & justior: cujus ratio liquida est; apprehendit quippe sinceriori intimiorique unitate sensus, disconvenientem amaritudinem malorum inhonestorum in se aut in aliis, sicut Christus, quo nullus mortalium magis luxit, aut in se quoad formale peccati infuit, aut in alis quoad reatum & peccati sequelas quas nondum expurgatas esse cognoscit. Denique quoad tentationis noxias & onerosas passiones ad inhonestatem assiduè stimulantes; addam quod aliquibus mirum videtur, pœnitentes plus consolantur quò plus se tristari pœnitendo cognoverunt, obedientes dicto Augustini: *Pœnitens doleat & de dolore suo gaudeat.* Quidini doleant? Apprehendunt enim dolorem suum, ut bonum justum & convenientis honestatis, utilitatisque præcipuæ existentem. Quod præterea ex his consequens est, apparebit aliquibus magis extraneum, eodem videlicet tempore pœnitentem animam lætari & tristari, diversis tamen respectibus ad exemplar Christi.

Offert se nihilominus objectio difficilis, qua scilicet ratione dilectio & tristitia etiam solum disparatè non contrariè simul insint, afficientes eamdem animam, quoniam ad effectus oppositos trahunt, utputa lætitia cor dilatat, & dolor stringit ipsum: idem verò cor simul dilatari & constringi quis non negaverit? Pro responsione visum est aliquibus non improbabiliter lætitias spirituales aut tristitias nequaquam fieri cum motu corporis, quemadmodum earum generatio corporis organum non exigit. Hoc tenet Gerardus Odonis, super secundo Ethicorum; verumtamen salvare difficile est, quin saltem redundantia fiat in inferiores vires ex actibus superiorum, sicut è converso virium inferiorum superiores affici quotidie compertum est. Quid igitur? Invenimus fortassis in corde motum quemdam medium, quasi tremulum, consequentem ad duas motiones istas simul obviantes, vel ex adverso per lætitiæ tristitiæque concursum. Cujus motus similitudinem docere nos videtur tinnitus campanarum, aut tremor funium sonantium in cythara. Sed pergat ad alia sermo noster, multa enim (quia festinat) præterire commodum.

Enumeremus vel breviter ea quæ præcedunt, quæ comitantur, quæ deinceps subsequuntur ipsam pœnitentiam qualem sua descriptione manifestavimus. Et quoniam metaphorica locutio gratiùs erudit, dicamus per similitudinem quod pro pœnitentia exercitus multiplex militat; novenarius scilicet terribilis ut castrorum acies ordinata. Exercitum primum constituimus ex omnibus motoribus occultis & latentibus, quos appellare solemus vel instinctus quosdam, vel spiritus, vel impulsus, vel inspirationes & præventiones divinas si bonæ sint, vel tentationes illusorias & immissiones per angelos malos, si malæ. Ex his pœnitentia juvamen accipit plerumque contra reprobam & adversam peccati aciem, dum bonos instinctus sequitur perversis obnitens, eosque potenter opprimens. Per alterum exercitum pugnat

A pœnitentia à dextris & à sinistris justitiæ, quoniam hic exercitus bipartitus est. Unum cornu tenet prosperitas, in altero cornu adversitas collocatur cum suis sodaliciis, quæ sunt fama & infamia, divitiæ & inopia, potentia, impotentia, satietas, esuries, pax, bellum, arrisio, irrisio, sanitas, infirmitas & similia, quæ nominamus fortunæ, vel bona vel mala. Hæc nempe omnia cooperantur pœnitenti in bonum. Sed plus regulariter adversitas, sicut è contra impœnitens de omnibus sibi laqueos & muscipulas & incommoda operatur, & ex prosperitate ampliùs. Tertius exercitus est passionum omnium, quæ sunt spes, metus, mœror, odium & similes, de quibus tradit Aristoteles 2. Ethicorum, & secundo Rethoricæ. Quarum duæ sunt principales in suo genere sicut cæteras complectentes, delecta-

B tio & tristitia. Est autem delectatio motus animæ consurgens ex apprehensione objecti per modum convenientis. Tristitia verò est motus sequens ad apprehesionem objecti per modum disconvenientis. Sub hoc exercitu comprehendo sequelas omnes, quæ se ex passionibus animæ per corporis motus & gestus produnt, ut sunt gemitus, suspirium, planctus vel plangor, fletus, luctus, rugitus, anxietas, angustia, subsannatio, stupor, horror, abominatio, nausea, amaritudo, fastidium, zelus, desperatio sui, jubilus cordis, exultatio, applausus, suspirium lætum, raptus, spasmus, extasis, fiducia. Milites quartæ aciei sunt virtutes Cardinales ordinatæ instar tetragoni. Prudentia, Temperantia, Fortitudo, Justitia. Sub quibus plurimæ virtutes nominantur, quibus omnibus utitur ipsa pœnitentia, nunc

C una, nunc alia. Ipsa Prudentia accipit ad dirigendum actus suos in finem debitum cum mediis opportunis. Temperantia sibi obsequitur ad dirigendum vel sanandum ea quæ per intemperantiam labefactata sordidataque & læsa cognoverit. Fortitudo denique & Justitia quantum sibi necessariæ opitulationis offerant nemo non videt qui attendit quam viriliter agere contra aëreas potestates in cœlestibus, quam præterea pro Justitia longanimiter decertare pœnitentem necesse est. Quintæ aciei ascribit Deus pro pœnitentiæ subsidio tres virtutes Theologicas, Fidem, Spem atque Charitatem: nam qui credit horrendos peccantium cruciatus affuturos, ille lapideus est, si non moveatur ad pœnitendum. Qui præterea sperat interminabilem pro pœnitentia gloriam assequi, quo pacto pœnitentiam a se depelleret? Denique Charitas ostendens peccatori qualem amicum offenderit, & pro quanta utilitate consequenda spreverit; excitat eum (si non à recto sensu obtorpuit penitus) quatenus ad pœnitentiæ refugium tanquam singulare propitiato-

D rium & asylum migret fugiàtque. Cæterum vobis, ô dona septem sancti Spiritus, sextam aciem consignamus, sicut septimam ipsis Beatitudinibus, & octavam septem Sacramentis Ecclesiæ & nonam septem Dominicæ Orationis petitionibus. Quoniam pœnitentia sicut per instinctus secretos agitatur ab intrinseco in prima acie, & per secundam aciem bipertitam prosperitatis & adversitatis excitatur ab extrinseco, & per passiones quæ tertiam aciem struunt; nunc hoc nunc illo modo commovetur. Rursus per Virtutes quartæ & quintæ aciei liberatur à peccatorum septenario, ita per Dona expeditur contra eadem vitia: & per Beatitudines perficitur ad bona exercenda & per Sacramenta renovatur: postremò per petitiones ipsa in suis omnibus

quæ

quæ plurimæ sunt necessitatibus exauditur, ut tandem reformatis quinque sensibus degustentur suavissimi fructus Spiritûs, qui sunt *charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, constantia, continentia & castitas.* Galat. 5. 22. 23.

De his septenariis pulchra est traditio Domini Bonaventuræ in suo Breviloquio, parte quinta. Verum ista summatim attigisse suffecerit, longum quippe esset singula prosequi quæ super his novem exercitibus dici & super aliis ipsam pœnitentiam vel adiuvantibus vel impedientibus tradi suppetunt. In novissima lectione dictum est superbiam esse capitaneam in quolibet exercitu contrario pœnitentiæ, sicut humilitas conjungit, munit & stabilit quicquid pro pœnitentia militare tetigimus. Superbiæ verò duas esse filias scholasticis adversas pridie docuimus removendas; curiositatem scilicet & singularitatem ab hac sacra Theologiæ Facultate & studentibus in ea: attamen non pigebit vos si ad ea quæ agenda cognoscitis agitisque, Deo propitio, vos rursus excitemini. Precor autem & per communem omnium Matrem Charitatem obtestor, ne quis existimet me velle cuiquam Doctori vel personæ vel Religioni detrahere. Avertat Deus à me servò suo, & ab omnibus hominibus hanc malevolam lividamque temeritatem. Quid ergo? Ego certè libera voce profiteor, proclamo, suadeo & affirmo doctrinas multorum cæteris præferendas esse; illas videlicet quæ de propiori Charitatem ædificant quæ est finis omnis scientiæ, immò omnis consummationis. *Omnis consummationis vidi finem*, Ps. 118. 96. glossa una, *charitatem*. Denique si convertatur intuitus ad officium cui indignus deservio, minus videbitur inculpandum, si diverticula quædam sequens, ego paucissimas lectiones meas talibus monitionibus aut considerationibus moralibus respersero.

Secunda consideratio.

Signum curiosæ singularitis est fastidire doctrinas resolutas & plenè discussas & ad ignotas vel non examinatas velle converti. Indignatur quippe singularitas communibus & paratis uti, quamquam salubrioribus; præterea nititur in vetitum, non fert quoque seipsam cæteris vel postponi vel æquari: eapropter dum inventa veritate, aliud quærit singularitas velut in scirpo nodum, aut in ove quintum pedem, ut mendacium inveniat, consequens est.

Hanc esse magnam aut præcipuam causam existimo, cur opiniones toties revertuntur & mutantur. Mavult enim curiositas quærere invenienda, quam inventa cum veneratione studiosa intelligere. Narrat simile Lanctantius, libro de Ira, de quibusdam Philosophis: qui videntes nihil posse in opus offerre ultra ea quæ antecessores optimè tradiderant, ipsi maligna superbâque curiositate conversi sunt, ut ea vel negare vel in dubium reducere præsumerent. Hæc similis non ratio, sed furia, multos olim ad hæreses seminandas rapuit. Postmodum alios ad scrutandum scrutationes inutiles, specie subtilitatis & novitatis allicientis impulit; dum viderunt nescire se quicquam novum addere jam inventis doctrinis utilibus & solidis, nisi nova quædam & insolita prurientibus quorumdam auribus scalpendis ingererent. At verò blanditur curiositas sibi, quod miseri ingenij est, uti semper inventis, & nunquam inveniendis: sed planè nemo bene utetur inveniendis, qui melius jam inventa contempserit. Tollatur ergo hoc signum curiositatis, quod est fastidire &c. sicut in consideratione positum est.

Tertia consideratio.

Signum curiosæ singularitatis est indebita Doctorum & doctrinarum appropriatio. Si unus Dominus, una Fides, una Lex: si rursus veritas communis est, à quocumque dicatur, à Spiritu-sancto est. Quorsum tendit hæc animosa affectio apud diversos Status & Ordines Christianorum, quod iste plus quam ille Doctor ab istis & non illis defenditur, colitur, antefertur? Si quidem fieret studio solius veritatis absque fermento vanitatis, benè fieret: differt enim Doctor à Doctore sicut stella à stella, hoc scio, hoc commoneo. Sed si ista sincerè fieri, facta interrogaveris, ipsa magnis vocibus contradicere audies. Si aliquis dixerit, exempli gratia, de Scoto vel de Ripa, vel de alio Doctore Fratrum minorum, Doctor iste minus bene sensit in hac & in hac materia: videbimus protinus secundum varietatem Ordinum, varietates affectionum & gustuum, his indignantibus & contra niti paratis, aliis congratulantibus atque faventibus, ut vel Dominum Hugolinum vel de Tarentasia mox intuebimur, mutata esse omnia versa vice mortalium. Hæc nonne sunt indicia & vanitatis quædam vestigia, singularitate intrinsecus & palliata extrinsecus umbra veritatis adamatur. Quæ singularitas, Doctorum & doctrinarum, quantam fenestram aperiat ad errores in Fide, ad schismata & contentiones in Christiana Religione, videt qui videt; per eam fit ut affectio depravet intellectum speculativum, quemadmodum per eam intellectus practicus quotidie perturbabur: utrobique enim par est ratio, nisi quod in illo vana gloria malum subtilissimum & efficacissimum regnat, in isto brutalis cujusdam dilectionis appetitus magis ad errorem operatur. Hanc subversionis viam notat & removet textus noster, conjungens pœnitentiam humilem cum credulitate. *Pœnitemini ait & credite Evangelio.*

Quarta Consideratio.

Patres nostri curiositatis venenum tollere volentes, sanctè statuerunt, ut neque apud artistas materiæ purè Theologicales, neque apud Theologos materiæ purè Logicales, aut Philosophicæ disputarentur. Admonet nos hæc consideratio solerter quid cuique ætati & loco & tempori & professioni sit congruum. Seneca irridet senem elementarium qui non ex officio (hoc enim culpa caret) sed qui sciendi studio, solis insudat Grammaticæ rudimentis. Puerum verò talibus insistentem quis non dico non riserit, sed non etiam laudaverit? Hoc modo de Logica, hoc modo de Mathematica & Physica & cæteris scientiis sentiendum æstimo, quod certas ætates & ingenia & loca & tempora postulant, si nolunt dediti eis, de stulta aut superba curiositate culpari.

Regulam præscribit Seneca quod tandiu in minoribus studiis immorandum est, quandiu non habet homo quid honestius & salubrius tunc faciat, circumstantiis omnibus hinc inde pensatis. Ecce profiteris te velle fieri Theologum, bene habet, perscrutare igitur & lege quæ Theologica sunt: sed non sum inquies ad altas ejus veritates capescendas idoneus, nisi præscivero Logicam & Philosophiam & Metaphysicam. Credo equidem, verum si ita esse consentis, tu nondum Theologus quæras fieri; sed vel Logicus vel Philosophus, pete scholas artium hæc docentes: quod enim & confusè fit ac rectum deserit ordinem, ut fine debito careat necesse est. Quod si piget pudetque aut nocet repuerascere ad talia, & tempus reliquæ ætatis conterere. Esto contentus (si sapis primò, immo ut sapias) sorte tua & materias sine Logica aut Philosophia intelligibles, apprehende. Idem de Rethoricis & Poeticis & Mathematicis scientiis judico, quarum notitia nonnihil ancillatur Theologiæ, nonnihil quoque sibi præstat ornamenti. Domina quippe est. Nulla omnino scientia reperitur si casta est, quæ non eidem obsequatur; quæ autem impudica & errore vitiata for-

sordescit, quia loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum ejus: sed habet (ut diximus) quælibet aliarum scientiarum suas scholas, sua loca, ætates & tempora. Cedant igitur Theologiæ, nec ejus scholis, importunitate quærendi, semet ingerant; quoniam ad conspectum dominæ mos æquus est venire ancillas paratas & ornatas, non parandas.

Hac consideratione notantur hi qui Theologicos libros & scholas aut replent sophismatibus; aut plus quam satis est scientias peregrinas introducunt, maximè si figurativum illud Domini jussum prætereatur de radendis unguibus & capillis, hoc est superfluis traditionibus captiva prius quam conjugio copuletur à gentili. At verò quæret aliquis, quales materiæ dicendæ sint propriè & purè Theologicæ? Respondeat, non ego sed Augustinus, quod illæ per quas Fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. Fides, Spes & Charitas, quemadmodum solum nominantur, & sunt virtutes Theologicæ; ita materia illa proprie dicenda est Theologica, quæ Fidem ædificat, Spem erigit, Charitatem inflammat. Propterea pœnitentibus dictum est non ut conquirant dispositionem Orbis terrarum & cœli & syderum. *Pœnitemini ait & credite Evangelio.* Deuterono. 4. notatum est.

Quinta consideratio.

Signum curiositatis & singularitatis pœnitentiam atque credulitatem impedientis apud scholasticos, est gaudere potius in impugnatione Doctorum, aut in defensione unius pertinaci, quam ad eorum dicta concordanda operam dare. Intolerabile itaque esse dicit Guillelmus Parisiensis, confestim judicare sapientissimos inquisitores veritatis erravisse. Quod intelligo nisi prius diligentissima perscrutatione habita, cognoscatur eorum positio in nullo posse defendi.

Quot sunt obsecro positiones quas homines ad pauca aspicientes enunciant de facili contrarias atque repugnantes, quibus amica quadam familiaritate collatis, ipsæ inveniuntur sub diversa voce, sententia & corde concordes; quas nonne satius est ad pacem quam rixam perpetuam inducere? Hoc autem quo pacto fiat, sciunt illi qui noverunt sub quadam judicii æquitate tribuere unicuique positioni quod suum est: nihil verò cuivis inquisitori veritatis suum est nisi veritas: propterea examinetur diligenter quælibet positio seorsum, resolvendo non solum qualibus verbis utitur; sed qualem in verbis sententiam intenderit aut intendere debuerit. Hoc ipsum inter alios studiosè facere mihi videtur devotus & elevatus Doctor Bonaventura, dum sæpius ex multarum positionum collatione unam elicit: eas quoque in quodam studii consulatorio eliciens & purgans unit. Dicit Lactantius de quatuor passionibus loquens, an in virum justum cadant, quod *Peripatetici sub compendio attingunt veritatem, quam longo circuitu verborum Stoici vix assequuntur.* Hoc certè verum esse didici tum ex multis, tum nominatim ex libris Senecæ de ira, ubi (Stoicus fuit ipse ibidem) quamquam contrarios Peripateticis loquendi modos habeat; attamen in hanc de necessitate, etsi refugiat, cadit veritatem, qua victus passionem iræ non radicitus tollit, sed eam moderatur. *Fortissimi*, inquit, *militis Pauli genua tremuerunt*, & reliqua. Sanè mihi videor videre similiter se habere in multis Theologiæ materiis, nominatim in illa quæ jam vulgariter de formalitatibus appellatur. Afferunt itaque formalisantes multam & sonoram novis auribus vocabulorum varietatem, intendentes (ut æstimo) sublimius erigere aciem intellectus ad rerum quidditates intuendas, & volentes animam apud se conceptibus suis jugiter negotiari. Conantur præterea intellectum subducere cum consuetudine cognoscendi res solum materiales & grossas; denudare præterea quidditates à confusione accidentium, ut sunt situs, locus, figura, tempus & similia; quatenus abstractis omnibus his velut extrinseca veste, remaneat nuda quidditas rei, & talem se mentis oculo repræsentet. Hanc verò intentionem si dixero me reprobare, mentiar. Laudo eam quantum A valeo, & approbo: sic tamen laudo & approbo; quod judicio meo longior ipsorum deductio necessariò cadit in resolutionem qualem Logici tradunt; Nimirum quod Logica est ad omnium methodorum principia viam habens: per quam Logicam verum à falso secernitur, per quam loquendi servatur proprietas, si quis abjecerit velut inutilem, & non prorsus necessariam, mirabor si non falso sermone & improprio loquuturus est, & se mille & mille perplexitatibus gratis involuturus. Neque enim ob aliud æstimo Aristotelem cum de Metaphysica tractaret, instituisse Logicam, sicut hujusmodi ejus liber ostendit, nisi ut hoc quod diximus, ita se habere daret intelligi. Nihilominus fateor nequaquam omnia ad Logicam solam debere referri; habet Metaphysica suas considerationes. Scio utrobique vitium esse, & Metaphysicæ ubi Logica uti consuevit & Logicam solam quærere ubi Metaphysica tractanda est. Attamen verè & propriè loqui intra vel extra nunquam B absque Logicæ proprietate Logicè valebimus. Venerabilis magister & Venerandus doctor Henricus de Huta (*In MS. Nav. Hoyca & in Vict. Hensca.*) (qui pro sui merito veteribus æquari, & inter eruditissimos Logicos, Metaphysicos & Theologos numerari potest) dum hanc materiam tractaret, ad concordiam conatus est extrema reducere, quæstione septima primi, corollario ultimo. Scotus distinctione secunda, quæstione prima & ultima „ potest vocari hæc distinctio virtualis, quia illud quod habet talem distinctionem in se, non habet rem & rem, sed est una res habens virtualiter sive præeminenter quasi duas realitates, voco identitatem formalem ubi illud quod dicitur, sicut idem includit illud cui sic est idem in ratione sua formali, & per se primò. Numquid ergo debet concedi ista distinctio, melius est uti ista negativa, hoc non est formaliter idem quam hoc est sic & sic distinctum „ Di-C stinctio tertia tertii, quæstione prima. „Et si arguas. Maria in primo instanti naturæ vere intelligitur justa. Dico quod non; sed non intelligitur justa & abstrahentium non est mendacium; secundo Physicorum, quia non omnis non intelligens hoc intelliget non hoc, ut non intelligens hominem esse animal, intelligit ipsum non animal, quia tunc non posset esse abstractio sine mendacio, auferendo ab aliquo quod sibi essentialiter in est.

Placuit hujus Doctoris inter cæteros meminisse dum hæc loquor, magis monitione doctrinali quam subtili inquisitione; quoniam ipse Doctor non singularitate contentiosa vincendi, sed humilitate concordandi uti mihi visus est, qualem conditionem jam laudabilem esse diximus. Et si Doctoris istius mentio repellatur ab altera partium, ipsa viderit quam D verè & sobriè id faciet; ego neque scio, neque præsumo aliter dicere, nec aliter video, quam quod resolutio Scoti & suorum stet cum pietate Fidei & essentiæ divinæ unitate, nisi sistat tandem ad illud ad quod Doctor iste duxit eum. Unde Fides saluberrima & omnis Metaphysica tradit nobis quod Deus est simplicissimus in supremo simplicitatis gradu, supra quam imaginari sufficimus. Hoc dato, quid opus est ipsam unitissimam essentiam per formas Metaphysicales vel quidditates, vel rationes ideales, vel alias mille imaginandi vias secernere, dividere, constituere, præscindere ex parte rei ut dicunt, & non ex intellectus negotiatione circa eam. Deus sancte, quot ibi prioritates, quot instantia, quot signa, quot mo-

modeitates, quot rationes aliqui ultra Scotum condistingunt; jam mille codices talibus impleti sunt, adeò ut longa ætas hominum eos vix sufficit legere, ne dicam intelligere. Quis enim inintelligibilia & falsa & sibi dissona unquam intelligat, qualia hæc sunt, si non nobiscum tandem conveniunt. Ita quidem A contentiosi dum Logicos culpant, vocantes eos qui secum non sentiunt, terministas, ipsi longè grandiorem terminorum congeriem multiplicare compelluntur. Sed dicunt quod major distinctio quam formalis stat cum summa simplicitate divina, distinctio scilicet personarum. Hoc ego pia & sola Fide teneo, nunquam hoc asserturus nisi Fides edoceret. Addunt quod per hujusmodi signa præcisiva, per prioritates tales & posterioritates, per distinctiones formales ex natura rei, satisfactio fit in hac materia Trinitatis, & non per Logicam solam. Sed si satisfactionem appellant materiam hujus articuli, ipsi planè nimis arrogant sibi, quia nec Angeli sibiipsis satisfaciunt. Verè enim canit Ecclesia, quod *mirantur & deficiunt in illum quem prospiciunt.* Nescio quid alii sentiunt in hac re. Ego planè fateor quod istorum positio, si det aliud quam debita resolutio, conturbat ampliùs & obnubilat quantulamcumque intel- B ligentiam meam, quam articulus principalis Trinitatis. Concipere itaque quod in divinis sit aliquod esse formale, ut puta esse formale justitiæ, quod non sit perfectio finita nec infinita, aut quod dicitur immensa à bonitate divina, ut Ripa posuit, istud parit in animo meo majorem difficultatem quam sit illa propter quam elucidandam ista talia reperiuntur, imò nequeo non videre ista palam esse erronea. Ego prætera non sum solus; dudum unus è prædecessoribus meis, & sacra Theologiæ Facultas notabilem fecerunt super hac materia determinationem in qua ponitur articulus iste inter cæteros. Quod aliquid in divinis sit Deus secundum suum esse reale, quod non sit Deus secundum suum esse, error est ad sensum quem facit. Legatur hæc tota revocatio. Quidam ex Magistris dum semel interrogaretur quid consequenter esset respondendum, si præscinderetur ex parte rei bonitas divina à sapientia divina, dic, inquit, quod volueris & quod in illa est Deus. O C præclara & vera responsio. Sed vereor ne curiositatem increpans, in eamdem me demergam, dum studeo eos quos Scotistas appellamus ad concordiam cum aliis Doctoribus adducere, quorum certè numerus longè major est & multitudine & auctoritate. Utinam juxta monitionem Facultatis nuper factam parciùs ista materia & similes pro hac vel illa discuterentur parte, & salubrioribus veritatibus investigandis lumen nostræ rationis donaremus. Provideremus insuper novis Theologizantibus qui per tales materias magis ad admirationem & de admiratione ad curiosam perscrutationem quam ad ædificationem solidam commoventur. Nam si nos in Theologia usitati & nutriti dum Scoto vel Ripæ vel alteri simili non consentimus, hoc ideo facimus, ut dicere solent aliqui, quia grossi sumus intellectûs, nec accipimus quid intenderit: qua D ratione precor, expectant, quod adolescentes & novelli talia comprehendant? Quid aliud insuper agitur, nisi ut inane & inutile sit eis, quicquid operæ in studio Logicæ consumpserunt, quando novos loquendi modos eos accipere necesse est. Quanto salubrius in tanta temporis angustia, in tanta egestate virtutum, ebullientibus undique passionibus, prædicaretur eis initium sermonum Salvatoris nostri Dei: *Pœnitemini & credite Evangelio.* Quoniam pœnitentes & credentes Evangelio magis attendunt scientiam quæ ædificat, quam quæ inflat, & quæ vanos quandoque reddit, quia vana est; insulsos & insipidos, quia insola est; curiosos & elatos, quia in multis curiosa & elata.

Sexta Consideratio.

Gaudere novis adinventionibus terminorum in materiis speculativis Theologiæ, præsertim divinitatis arcanum tangentibus, curiositas est perniciosa & tollenda, tanquam etiam pœnitentiæ & credulitati contraria. *Liberis verbis*, inquit Augustinus, *loquuntur Philosophi, & in rebus ad intelligendum difficillimis, offensionem piarum aurium non pertimescunt, nobis autem ad certam regulam loqui fas est.* Similiter Dionysius primo *de divinis nominibus.* Animadverterunt hoc cæteri Patres & Doctores Ecclesiæ in Conciliorum celebratione, qui non solum sententias, sed verba etiam sententiis convenientia perscrutabilissima sedulitate librantes ea ad paucos & certos terminos frenata loquendi libertate redegerunt. Testimonia hæc ex Hieronymo & Basilio & cæteris multis, de hoc nomine homousion & aliis. Quamobrem dum terminos quosdam apud aliquem ex Doctoribus approbatis invenimus non usitatos in schola, illos introducere non debemus; nisi pia & reverenti resolutione prævia, ut dicendo, terminus iste à tali sic accipiebatur; qui scilicet usus vel quia usus communis aliter accipit, cavenda est audientium offensio in divinis. Exempli gratia. *Nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus, hæc est fides Catholica.* Symb. S. Athanas. Si Doctores usi sunt terminis prioritatem aut majoritatem signantibus in divinis; protinus eos resolvere oportet ad hanc unicam & stabilem Fidei regulam, quod Filius est à Patre, & Spiritus sanctus est à Patre & Filio, & Pater à nullo, & quod in divinis omnia sunt idem; ubi non obviat relationis oppositio, si mille millia terminorum adduxeris ad explicandum hoc Fidei secretum, nihil amplius, si non vis errare, cognosces quam istam unicam, & paucissimis verbis explicatam veritatem. Augustinus, Damascenus, & Venerabilis Richardus nomen hoc *causa*, in divinis admiserunt, *Pater est causa Filii.* Hilarius dicit quod *Pater major est auctoritate.* Augustinus in confessionibus, ponit in Deo gradus & ordinem; dicit *Deum assumpsisse hominem* immò hoc Ecclesiæ canticum solemne habet: *Tu ad liberandum suscepturus hominem* &c. hymn. Ecclesiæ. Et hoc modo de multis alijs apud istos & alios exempla suppetunt. Attamen Scotus in inquisitione veritatis, ubi precisissima sobrietate loqui convenit, neque debet, neque fas habet tales afferre terminos, prohibente hanc audaciam ratione & superioris auctoritate. Datur ergo regula generalis, quod nullus terminus admittendus est in divinis, qui vel distinctionem importet vel primævitatem nisi solam distinctionem & prioritatem originis, & quod hanc dicat absque importatione vel connotatione imperfectionis cujuscumque vel dissimilitudinis vel inæqualitatis in suo correlativo. Exprimitur autem prioritas originis hoc modo, quod hoc est ab illo; prioritas autem attributa explicatur per hoc quod inter ea non convertitur subsistendi consequentia: Hanc enim prioritatem explicavit Philosophus in Metaphysica. Ex hac regula liquidum est quod pauci termini signantes prioritatem quamcunque in humanis, trahendi sunt ad divina. Cujus ratio est, quia ferè semper in humanis consignant imperfectionem vel inæqualitatem vel dissimilitudinem. Quod si quis dixerit quod ipse dum terminos aliquos transfert ad divina, illos denudat ab omni imperfectione connotata per eos. Respondeo quod sic agendo non errat in sententia, sed licentiam usurpat quam non debet; alioquin nullus est terminus qui non traduci possit ad divina. Unde quid minus dici potest quam quòd Pater est Dominus Filij, quòd est caput ejus, quòd est rector ejus; & tamen si terminos istos Dominus, caput, rector, magister, resolveremus, quod signarent tantummodo primævitatem origi-

originativam quam habet respectu Filij, seclusa imperfectione per correlativa istorum terminorum importata; nullus dubitaret de istius scientiæ veritate; quoniam in eamdem cadit nobiscum confessionem. Addo adhuc tum pro exemplo, tum pro necessario documento & non causa vituperij cujuscunque, testis est veritas. Reperio quod quidam transferentes Dionysium de Græco in Latinum, pro eodem accipiunt principium non de principio, & hoc nomen princeps vel principale. Ubi enim textus primo capitulo *Anglicæ hierarchiæ*, secundum unam translationem habet Patris, Principis, Luminis. Dominus Linconiensis qui Græci eloquij peritus fuit, dicit Græcum hic positum esse unum nomen Archifactio, quod significat quantum hæc duo nomina, principium non de principio, vel lumen non de lumine, ita quod *ly* principis, ibidem est adjectivum, ac si diceretur principalis.

Hæc sententia nullo errore fucata est, quod Pater sit principale lumen.

Attamen quia loquutio ista, Pater est Princeps luminis idest Filii, apud nos, immò & apud eumdem Dionysium, cum de cœlesti principatu pluries loquitur, notat in hoc nomine princeps, substantivè sumpto, subjectionem ad principatum, nullomodo debet absolutè concedi vel propriè, quod Pater est Princeps Filii neque similes, quemadmodum latiori prosecutione tradi posset. Etenim si *pacta syllabarum tanta sedulitate servant inter se Grammatici*, ut ait Augustinus, quanta nos urgere debet cura ut pacta certa terminorum, cum de divinis loquimur, observemus.

Ex hac consideratione maximè moti sunt Magistri nostri & ego, ne doctrina illa Raymundi Lullii publicetur; habet enim terminos à nullo Doctore usitatos.

Septima consideratio.

Fundamenta nimio studio accipere à philosophantibus Paganis, curiositas est in Theologica eruditione periculosa, & tanquam ademptrix pœnitentiæ & credulitatis evitanda. Tradunt hi qui conversationem & doctrinam Origenis conscripserunt, quod nimis biberat de aureo calice Babylonis. Calicem Babylonis aureum, philosophiam non qualemcunque (absit) sed philosophiam Gentilium appellantes. Hic potest inferri quod Haymon, posuit, Avicenna & Algazel, & multi infidelium quia pro principio habuerunt, ex uno inquantum unum non provenire nisi unum. Posuerunt consequenter solam intelligentiam secundam à prima causari. Et hoc erroneum principium (ita enim Albertus verè nominat) quidam est nostris non satis fortè repudiantes; prolapsi sunt ut ponerent distinctiones inter essentialia in divinis; non quidem reales (hoc enim dicere non ausi sunt) sed quod idem apud multos sonat, distinctiones ex natura rei; quasi non perfectius judicare debeat, si eadam res & eodem modo penitus se habens, sit productiva diversorum; quam arguere ex distinctione causatorum distinctionem in causa suprema: præsertim cum distinctio si realis non est, nihil operari videtur ad distincta realiter producenda. Quod si trahere nitantur pro sua sententia Augustinum, quod alia ratione conditus est homo, aliâ equus. Respondeo quod resolvendus est reverenter sicut & in cæteris multis, & residentium Doctores innumera sibi tradiderunt, absque casu in hoc absurdum principium. Cæterum Aristoteles in 8. Physicorum aliud assumpsit erroneum principium; quod voluntas nequit diversa & nova producere nisi diversa & nova esse habeat. Quidam ex nostris per hoc libertati arbitrii in Deo & in nobis detraxerunt.

Rursus Plato volens abstrahere quidditates rerum æternas, sicut ideam hominis separatam quæ erat quidditas omnium hominum, ideam boni & universalia realia extra animam & Deum æterna; si verum sit quod ei imponitur. Quidam ex nostris volentes talibus abstractionibus uti, corruunt in hunc errorem, sed solum Peripatheticæ & Catholicæ scholæ contrarium ponunt. Itaque quidditates rerum æternas, quæ nec sunt Deus, nec productæ à Deo, nec producibiles, aut annihilabiles à Deo ponere; est contra Articulum Parisiensem tempore Guillelmi Parisiensis & Bonaventuræ, sicut recitat. 23. dist. secundæ. Alioquin fictus esset, inquiunt, noster conceptus speculativus & quidditativus, si non tale aliquid sibi in re correspondęret quale concipit. Sed non accepi tales omnes positiones vel recitare vel refellere: de aliquibus solum admonuisse satis fuerit. Fortè controversiam totam solveremus, distinctione facta de analogia hujus nominis, ens, quæ tam latè à sancto Thoma, supra quartum Metaphysicæ in principio ponitur, ut ad possibilia & objectalia, immò negationes & privationes, eam dicat extendi. Sicut Gregorius significabilia ad tertium entitatis modum resolvere conatus est. Ita fortè contrarietas de realibus an sint res distinctæ vel non, concordaretur ex facili apud illos qui non tam contendere quàm verum quærere parari sunt.

Postremò omnibus omissis quæ Christianam pietatem vel offendunt, vel non ædificant, paratiores simus pœnitere & credere Evangelio, quàm in talibus plus æquo tempus atterere. Deseratur qualiscumque (si inutilis est) acutissima subtilitas; quid enim arista acutius, quid aranearum tela subtilius? Verumetiam quid inutilius invenitur? Discamus non tam disputare quam vivere, memores finis nostri. Quidam Advocatus tempore suo famatissimus quem vos ferè omnes novisse potuistis, dum moriens suasus est septem psalmos pœnitentiales dicere, inchoavit. *Domine ne in furore tuo* &c. usque ad locum illum. *Quoniam non est in morte qui memor sit tui* &c. Ps. 6. 6. Ad hunc versiculum convertit ille oculos ad Confessorem suum Magistrum in Theologia qui aderat: qualiter, inquit ipse quo potuit spiritu, qualiter hoc in veritate stabit, ut nullus Dei memoretur in morte? Numquid non ego moriens Dei mei possum recordari? Hoc audiens præfatus Magister, compescuit eum cum modestia dicens non esse hanc horam disputandi sed orandi, & finem suum Domino commendandi. Animadvertitis æstimo, quorsum pergat hæc narratio. Omnes itaque morimur & tamen insuper nescio qualibus quæstiunculis tam crebra & inutili argumentatione occupati, diem exitus nostri nequaquam attendimus. Porrò similes efficimur eis quos notavit Apostolus ad discipulum suum charissimum Timotheum scribens, ut denunciaret quibusdam ne aliter docerent, *neque intenderent fabulis quæ quæstiones magis præstant quam ædificationem Dei quæ est in Fide. Finis autem præcepti est Charitas de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta, a quibus aberrantes conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes quæ loquuntur neque quæ affirmant.* 1. Timoth. 1. 4. 5. 6. 7.

Octava consideratio.

Contemnere claras & solidas doctrinas, quæ leves videntur, & ad obscuriores se transferre, signum est curiositatis & originalis corruptelæ, pœnitentiæ & credulitati adversæ. Nulla est in omni doctrina major virtus quam claritas, neque evidentius aliud hatur excellentis ingenii & clari argumentum, quam ex claritate dictorum vel scriptorum. Obscurum siquidem ingenium & confusum impossibile est ut perspicuè & resolutè quicquam edoceat: verumtamen apud multorum curiositatem tanta est judicii corruptio, quale in me aliàs fuisse non nego, quod latinitas

tas aliqua vel stylus eo judicetur pulchrior, quò difficilior, & quò turgidior & ex consequenti vitiosior, eò elegantior appareat, cum longè aliter sit. Omnis enim oratio quantò clarior, tantò est speciosior, atque laudabilior; nisi forte abjecta omni elegantia & accuratione tota sordeat, langueat, & effluat. Est autem claritas elucidationis in aliquo idiomate attendenda, judicio illorum qui vim illius idiomatis agnoscere debent, & non eorum, ut sunt pueri, qui de idiomate pauca verba cognoverunt. Alios invenimus quos claritas & levitas doctrinæ confestim ducit ad nauseam, & nihil alta profundaque subtilitate dictum putant, nisi quod non intelligunt, aut nisi quod summa cum difficultate, & cum damnosa temporis impensa tandem inveniunt. Sciemus, inquiunt, ista levia mox ut voluerimus; & non advertunt, quod interim ætas irreditura labitur, quod ingenium aliis supervacuis consumitur, quod oneratur memoria, ac perinde capacitas utilioribus adimplenda vel minuitur vel perditur. Ideo, inquit Seneca, *necessaria nesciunt, quia supervacua didicerunt.* Quod si cognoscerent quam verum est illud pueris decantatum: *Rara datur longo prudentia temporis usu.* Si saperent insuper quam pauca ex comparatione sciendorum eos cognoscere & ad unum sentire & retinere dabitur, dabitur inquam, etiam cum vocaverint, affirmo, si sobrii sint, si suæ salutis memores sint, si denique Ecclesiæ & Christiano populo profuturos se præpararent, ipsi temperantiùs dispensarent tempus, rem omnium charissimam & his ultilioribus semetipsos integriùs & citiùs dedicarent. Has loquor doctrinas, quarum gustus intimior verè difficilior est ad habendum, sicut ipse absque dubitatione pretiosior, suavior, beatior atque divinior. De talibus est doctrina Christi in Evangeliis, nominatim in hoc suæ prædicationis exordio. *Pœnitemini & credite Evangelio.* Notat hæc consideratio eos Theologos, qui vel Grammaticis Autoribus, vel Historiis secularibus, vel Poëtis, vel Eloquentiæ priscorum Oratorum, vel Mathematicis inquisitionibus principalius insistunt, quàm Theologicis materiis, facientes de accessoria principale. Si autem aliquis Theologizans talibus vel delectetur vel utatur solum in transitu, & pro sua vel aliorum quadam interim recreatione, hæc laudanda est, quæ & recreat animum fessum in Theologico studio, & non nihil affert eruditionis & ornatus.

Nona consideratio.

Præsumptuosa curiositas & singularitas in omni scientia causat de facili scissuram & ex consequenti destructionem in eodem. Figuram hujus considerationis præbet nobis ædificatio illa turris Babel, quam linguarum scissura confudit & perdidit; sicut per contrarium unitas linguarum Ecclesiasticum ædificium stabilivit. Hoc convenit cum sexta consideratione; sed ad minus pro remedio expediens esset, doctrinas omnes in Theologia omniaque exercitia publicè fieri juxta Statutum antiquum Universitatis, nuper in sacra Theologiæ Facultate renovatum.

Ampliùs deduceretur est istis expedire unicum Studium esse Theologiæ generale in tota Ecclesia, aut saltem in tota Gallia.

Hæc fuit aliàs suppositio Facultatis Theologiæ cum additionibus rationum, quarum potissimam deputo, evitationem confusionis doctrinarum, ut sicut est una Fides, & unum caput in spiritualibus, sic sit unicus & præcipuus Studii Theologiæ fons incorruptus, à quo cætera Theologiæ Studia velut rivuli deriventur.

Rursus sequitur ex præmissis prohibendam esse vulgarem translationem librorum sacrorum nostræ Bibliæ præsertim extra moralitates & Historias. Claras rationes ad hoc plurimas invenire facile est. Rursus expediret pauciores esse aut electiores Prædicatores verbi Dei ad populum, qui non adulterarent verbum Dei modis (nescio quibus) vitiosissimis prædicandi. Si enim res omnium difficillima, arduissima & sanctissima commissa est passim multis insciis, incompositis, dissolutis; quid mirandum si scandala potiùs in audientibus & prædicantibus quam ædificatio solida suscitentur? Dicebat Pythagoras, *neminem debere progredi ad regendum Rempublicam, nisi priùs in moribus exercitatum & probatum.* Hujus meminit Augustinus in libro de Ordine. Quantò ampliùs hoc in prædicatione Verbi divini debuerat observari? In Confessionibus audiendis non minùs, immo & ampliùs, quò ibi est licentia minùs remedii habens in errato.

Denique cohibendi viderentur Theologi, non tractare materias præcipuè speculativas, præsentibus aliis de aliis Facultatibus, præsertim si termini sint eis incogniti sive peregrini, aut quadam adinventione conficti. Ob hanc quippe rationem notamur nos Theologi esse phantistici quia non attendimus quæ & qualia, coram quibus & qualibus in nostris actibus afferamus. Dicerem hic aliqua de modo legendi sententias, absque tali fabricatione nova lecturarum multiplicatarum super numerum, quæ plus afferunt tædiosi laboris plusque confusionis quàm ædificationis fructuosæ.

Sed videri posset oratio nimis ad diverticula declinare. Hæc sunt interim dicta pro evitatione curiositatis multiplicis quæ nonnumquam impedit tam Pœnitentiam quàm Fidei declarationem circa Evangelium apud quosdam ex Theologis scholasticis; ac perinde non sufficienter obediunt, dicente Christo? *Pœnitemini & credite Evangelio.*

Et sic est finis hujus lectionis. Intelligentia clara & sapida eorum quæ creduntur ex Evangelio, quæ vocatur Theologia mystica, conquirenda est per pœnitentiam magis quam per solam humanam investigationem. Et circa hoc pertractabitur id, an magis per pœnitentem affectum quam per investigantem intellectum Deus in via cognoscatur.

EPISTOLA EJUSDEM CANCELLARII.

Quid & qualiter studere debeat novus Theologiæ auditor, & contra curiositatem studentium. Ad studentes Collegii Navarræ Parisiensis.

Collat ad MSS. Codd. Victorin. 698. & Navarricum unum.

STIMULAVIT me pluries tum cogitatio mea, minus forte sobria, tum familiaris amicorum suasio, quatenus ex auditis, lectis & intellectis, quædam electiora conscribendo, cæterorum vel eruditioni vel ædificationi deservirem. Acueretur, inquiunt, ex hac re studiosum otium tuum, imitaretur prædecessorum industria, consecraretur nomen tuum memoriæ posterorum; denique fortassis non pauci, qui nihil interim locuturi erant, in scripta tua vel amore vel ex novitate, ut fit, incidentes, proinde proficerent. At verò modestior aliorsum me rapit consideratio: recogito illud Sapientis, *quoniam faciendi plures libros nullus est finis.* Eccle. 12. 12. Video itaque tanta volumina ab egregiis & summi ingenii atque sapientiæ viris conscripta, neglecta tamen à plurimis, ita ut vix nudo nomine cognoscantur: video, inquam, & gemebundus detestor, vel ignaviam, vel arrogantiam nostram; simulque considero, cujus momenti essent quantulacumque scripta mea, si præcellentissima sic calcantur. Vereor præterea me idipsum intrare vitium quod in aliis vehementer inculpo. Et quale petes? Sunt qui nescio quibus nugis ineptissimisque novitatibus mem-

branas & auditorum, præsertim inexpertorum, mentes occupant; implent eos sterilibus, utinam non pestiferis doctrinarum loliis, & memoriæ ventrem non cibis, sed siliquis onerant. Agrum insuper cordis, spinis inserunt pro frugibus: incidunt quoque auditores vel lectores in illud Senecæ. *Necessaria nesciunt, quia supervacua didicerunt.* Vera heu nimis hæc esse recognoscet, quisquis propiùs observare voluerit. O si tandem resipiscant lectores talium vel auditores: ô si melioribus auspiciis, post ineptias hujusmodi, vertant oculos ad salubriora documenta; lugebunt affirmo sortem suam, tempusque consumptum, quo tabulam animæ suæ, quæ utilioribus interim pingenda erat, & vix adhuc sui exiguitate suspectura, quibusdam litteris in nullo profuturis oppleverunt, non, dicendum erat deformaverunt. Sed dicant eamdem nobis quæ & antiquis scribendi licentiam esse relictam. Miserum insuper esse causantur uti semper inventis, & nunquam inveniendis. Hinc incidit in omnes illud Horatii de Poëtis.

Scribimus indocti doctique Poëmata passim.

Scribimus, sed absque pondere sententiarum, absque numero & mensura verborum: est enim illud quod scribimus floccidum, illiberale, fluidum. Scribimus non nova, sed antiqua, noviterque versando & transmutando, dum nostra conamur efficere, prava reddimus & inepta, quasi videlicet juxta vulgare proverbium fossatorum veterum quæ solida sunt, non tam reparatores quam demolitores. Quasi prætereà similes illis quos notat Terentius, qui *ex bonis comœdiis Græcis, Latinas fecerunt non bonas.* Sic quidam excerpentes, aut magis propriè, lacerantes ex libris optimis, & probatis particulis, ingentia tendunt volumina, obnubilantes & per incuriam scribendi legendique reddentes originalia velut superflua & mortua à corde. Vides in sententiarum lecturis, dum pudet quemlibet etiam majores sequi, quam facilis lecturarum varietas in immensam successerit. Porrò quanto consultius erat uti bene inventis; quam dum quæruntur invenienda, nec illa afferre, quin etiam subvertere bene jam inventa? quæ non à loquacibus juvenibus leviter, (quia ad pauca aspiciunt) enunciantibus, non ab argumentatoribus Dialecticis, non ab improbè, sordidè perditèque viventibus; sed à sanctissimis & expertissimis (qui faciebant quæ docebant) solidissima, cautissimaque Traditione fulcita subsistunt? juxta quod memorandum valde est dictum viri, qui multa vidit, legit, atque conscripsit, Buridanum loquor, qui in egregii scripti sui super Ethica, ingenuo procemio fatetur, se novis rationibus; nequaquam adhæsurum quantumcunque apparentibus; quia ab illis pluries deceptus est: ex antiquorum autem dictis nunquam, præsertim in moralibus. Propter quod etiam dicit Aristot. 8. Ethic. *Oportet attendere expertorum & seniorum vel prudentium enunciationibus non minus demonstratione, propter habere enim experientiam usus videt multa.*

Respondens igitur, respondebo ad cogitationes meas & amicorum super novorum conscriptione exhortationes: Sufficiat interim mihi, meique similibus, sobria in humilitate uti bene inventis. Abscedat omnis promposa super insolitis arrogantia, ne multiplicemus loqui sublimia gloriantes: & communi (ut ita dixerim) Minerva contentemur. Sequamur tritum iter commodius planè & ab errorum scandalorumque discrimine remotius. Tot habemus sapientiæ salutaris fontes vivos, ne quæso sisternas dissipatas fodiendo nos casso, immo stulto labore fatigemus. Hortor veruntamen & repetens iterum, iterumque monebo quatenus electiora examinatioráque scripta complectamur. Est itaque nostra capacitas non modo finita, sed exigua, & quæ ad tot libros utiles quot occurunt evolvendos non sufficit. Quosdam in transitu raptim videamus quasi eos non penitus ignorasse satis sit, ut eis fiat vale perpetuum. Aliis verò per vices utamur, prout se necessitas dederit vel delectationis congruitas. At verò quosdam familiares nobis assiduos advocemus, & tanquam domesticos fidelissimos intra mentis nostræ cubicula, inter secreta quotidianaque colloquia jugiter collocemus. Si quis autem curiosus interrogare pergit qui vel quales libri sunt quos aliis præponendos censuerimus? Respondebo me unam & absolutatam responsionem dare non posse: varietas siquidem studentium secundum ætatem, ingenium & tempora aliud expostulat & aliud consilium. Hoc unum veruntamen Apostoli dictum maneat apud Theologos alta mente repositum, quoniam *plenitudo Legis & finis est Charitas seu dilectio.* Rom. 13. 10. Cum igitur secundum exigentiam finis cætera debeant moderari, quicquid plus & immediatius ædificat Charitatem plus legatur, memoretur, ruminetur, quatenus cum intellectûs refectione, affectus ubi plus meriti, esca sapientiæ, hoc est sapidæ scientiæ, *sicut adipe & pinguedine* repleatur. Psal. 62. Ad hæc autem dignoscenda solers sit Thologiæ novus auditor consulere unum è multis; cujus sibi doctrina, mores, famaque complaceant, qui longo multoque vivendi, legendi ac bene vivendi exercitio docere faciliter possit, quam amplecti doctrinam interrogantis studium, moresque desiderent; sive pro parte illa Theologiæ quæ inter scholasticos magis vertitur; sive pro illa quæ legentis mores ædificet, regulet & componat; sive pro illa quæ prædicantibus congruit; hæc autem tria sunt non usquequaque disparata, in quibus quotidie, & si non æqualiter, tamen vicissim deberet verus Theologiæ discipulus exerceri; quoniam primum sine secundo inflat & inquietat; secundum sine primo acumen ingenii sufficiens & resolutum non administrat; tertium denique sine duobus reliquis sæpe non tam erudit alios quàm fastidit & præcipitat. Ad primum juvant, exempli gratia, quæstiones Doctorum super sententias, & præsertim illorum qui puriùs & solidiùs conscripserunt, inter quales, meo judicio, Dominus Antissiodorensis, Bonaventura & Durandus utique resolutissimus, numerandi videntur. Excellit quidem in suis quotlibet Henricus de Gandavo. Excellit sanctus Thomas præsertim secunda secundæ. Excellunt multi in multis, in quibus hoc unum minus placet quod purè Physicalia aut Metaphysicalia, aut quod ampliùs pudet Logicalia sub terminis Theologicis involuta miscuerunt. Præterea ad secundum & præsumpto vel præsupposito primo, spectentur Historiæ sacræ, in quibus fit rectè viventium commemoratio, ut Dialogus Gregorii, Ecclesiastica atque tripertita Historiæ, Collationes & Vitæ Patrum, Confessiones Augustini & sacræ ipsius aliorúmque meditationes, divina Rhetorica Guillelmi Parisiensis, Legendæ Sanctorum & similia, in quibus est ardens lectio & ad virtuosos impetus capescendos vehementer extimulans. Tantummodo priùs non elatus præstetur intuitus, ubi speculationes altissimas, pulcherrimas atque saluberrimas, subtilis si simplex fuerit studiosi oculus, invenit. Et errant profectò qui ista tanquam rudiora & facilia dicunt obstare subtilioribus agnoscendis, dummodò tempore suo & mensuratè tractentur. Spectant nihilominus adhæc mysticæ divinarum Scripturarum expositiones, quales apud celebres sanctissimósque Doctores plurimæ sunt, quales apud Gregorium in Moralibus & Pastorali, quales apud Bernardum super Cantica, apud venerabilem Richardum in suo *de contemplatione* & aliis operibus satis nunquam admirandus, quales apud G. Parisiensem qui miro gratoque opificio speculativam cum suis morabilus absque confusione permiscuit. Cæterum scriptis Gentilium se non tradere sed commodare, & ea velut peregrinando percurrere nequaquam improbaverim; tum pro copia sententiarum moralium, tum pro stilo & ornatu verborum,

borum, tum pro Poëmatum & Historiarum qualicunque peritia; demum pro oblectamento quodam ex varietate lectionis: quamquam & in sacris Doctoribus, ut in Augustino de civit. Dei, in Orosio in Hieronimo in Lactantio, & similibus ista abundanter nec minus, si non plus, utiliter invenienda crediderim. Rursus quodlibet trium ex prædictis aliter & aliter tractandum est. Primum disputativa inter A consocios disputatione robur sumit; disputationem intelligo non portervam, non cervicosam, non amaram, non partinaci animositate tumultuantem; sed modestam, qualem esse decet veritatis inquisitionem, quæ acuet & excitet ingenium, quæ studium renovet & inflammet; quæ stabiliat quoque veritatis positionem, falsitatis oppositione patefacta. Hinc fit ut non extimescat studiosus etiam in propatulo defendere, quod secretius se bene didicisse cognoverit. At verò præexigitur in secundo si perfici debeat secretum silentium, sepositum interim ab omni turba non solum hominum sed sollicitudinis & curæ temporalis; immò & à priori studio vacare tunc necesse est, quoniam sano quietem animo præstare nequit qui loquitur. Tunc mens, clauso super se ostio, ad ea quæ legerit discat affici, proponat sibi quam terribilis Deus super filios hominum, quam severus improbis, & electis misericors. Conscendat æternitatis speculam, unde videat cum Sapiente B *quoniam vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Eccle. 1. 2. Non discurro per plurima quoniam sapida eorum quæ dicta sunt lectio docebit de omnibus. Addam expertus, quod nihil fermè quieti mentis & contemplationi plus insidiosum, nihil ita pretiosissimæ rei, temporis scilicet consumptivum, nihil postremò perfectioni scholasticorum aliunde probatorum plus obvians, quemadmodum colloquia, non solum prava quæ corrumpunt bonos mores; sed illa etiam quæ superfluè diuque protrahuntur, aut super rumoribus vulgo volitantibus, aut super ludicris pluribus & ineptis fabulationibus, aut super contentionibus hominum in adversa tendentium & similibus, quibus à mane usque ad vesperam, immò profundam plerumque noctem, dies sensim atteritur, per quæ dum se oblectaverint vel ignaviæ, vel indignationi, vel fastidio suo mederi putantes, tristiores & inquie- C tiores & mente dissipatiores remanebunt. Fallor si unquam ascendet in montem Domini, in arcem contemplationis qui non ad vaniloquas hujuscemodi fabulationes factus fuerit sicut homo non audiens & sicut mutus non aperiens os suum. Et hoc unum, unde in Domino glorior, attulit mihi Curia, quod hujusmodi confabulationes frequenter sustulit, mihique loqui & vacare passa est, quoniam rarus admodum erat alius cum quo mutuos miscere sermones colliberet, tanta morum erat inter nos studiorúmque varietas. Prosunt tamen nec nego probatorum virorum colloquia, qui ascensum contemplationis & suæ arduitatis discrimina, suo labore suisque periculis experti sunt. Denique tertium, idest extremum ex primis duobus genitum ac nutritum usu plurimo nunc inter paucos familiares, nunc palam consummatur ubi summopere curiosum omne & omne scandalosum & brevi verbo, quicquid audientium charitatem ædificare non habet, fugiendum rejiciendúmque est. D Ad quod quanta discretionis cautela sit adhibenda Pastorale vos Gregorianum perdocebit. Bene valete tandem socii & Fratres præcipua charitate conjuncti, bona facite studia vestra & me orationibus vestris commendatum habetote. *Superveniat mansuetudo & corripiemur.* Ps. 39. 20.

ALIA EPISTOLA

Ab eodem Cancellario Missa eisdem studentibus Collegii Navarræ Parisiensis.

Collat. ad eumdem MS. Cod. Victorin. 698.

Scripta antequam restituerentur Dominicani in Universitatem, quod factum est anno 1403. die 21. Augusti.

Ecce pareo votis vestris socij & Fratres dilectissimi. Nuper siquidem ad vos unam ex cogitationibus meis litteris exposui. Hoc bonum præcipuè commonens quatenus electioribus doctrinis vestrum studium insudaret. Neque enim habetis necesse instar Virgilij in luto aurum quærere, aut ex sterilis doctrinæ petra sugere mel, oleumque de saxo durissimo. Superaddidi colendum sic intellectum esse, ut incultus & aridus minimè deseretur affectus, sed transiretis in affectum cordis. Rescripsistis ista benevolè vos accepisse, & ut tale aliquid pluries agerem postulastis, sic fiat. Accipite rursus aliud, quod ex familiari vobiscum allocutione meum allevet studium, quod animum indignabundo luctu plenum exoneret, amaricationis bilem evomat, cui tamen usquequaque sua non desit utilitas. Olim pluries sed novissimè crebriùs atque profundiùs in quodam otio adversæ valetudinis meæ, pia meditatione recogitavi statum almæ Universitatis Parisiensis Matris meæ, ut absentiam meam ab ea, ego unus ex filiis ejus minimus, mentis præsentiâ compensarem. Occurrunt animo multa semper in ea præclaris laudibus attollenda. Aspicitur quippe tanquam coruscus quidam sol spiritualis Ecclesiasticam machinam irradians, errorum quoque tenebrosas caligines suo nitenti puroque fulgore dispergens. Videtur insuper quasi fluvius ille Paradisi in quatuor partes divisus, irrigans universam superficiem terræ. Sed heu! hic nihil apud nos ex omni parte beatum. Ingerunt se rursus cogitationi meæ non pauca lugubria, & quæ severam correctionis aut emendationis manum exigunt, quale est illud quod contentiosæ opinionum atque sententiarum partialitates quædam, illic nimis pertinaces perstrepunt, quæ & studium veritatis interrumpunt plurimum, & totum Universitatis corpus actuosum, inquietum & parum modestum & tumultuosum, magis quam sua requireret professio, constituunt. Ab his inquietationum contentionumque fluctibus velim vos, quantum extiterit fas, alienos effici; neque frustra niti omnes exuperare conatus improbos perversorum, præsertim ubi ex altiori trahunt suæ factionis aut improbitatis originem. Capite quæ dico, alioquin nunquam pax vobis, nunquam securitas & Studio vestro nùnquam decens tranquillitas donabitur. Obsunt præterea partialitates quædam affectatæ & vincendi pertinax animositas personarum, insuper nationum, vel acceptio vel contemptus: non enim sinunt ambulare in domo Domini cum consensu per veritatis atque charitatis iter, quod commune, pacificum & à talibus expeditissimum esse debet; in Christo enim neque Advena, neque Scita neque Barbarus. Alium subinde in Christo cerno Universitatis Studio defectum & hunc quidem maximum. Iste est circa juvenum disciplinam in moribus, immò & in fundamentali primitivorum suorum eruditione non mediocris defectus aut error; agente hoc ut plurimum nimis exuberanti Pædagogorum multitudine, quorum aliqui (salva laude bonorum & absque contumelia cujusque dixerim) vel cæca ignorantia vel segni negligentia, vel quæstuosa maleque placente adulatione, vel inepta levitate, vel, quod intolerabiliter pestiferum est, contagioso perversissimæ vitæ exemplo,

plo, ipsis suis scholaribus noxii sunt, à quibus non extirpant malas inclinationum radices, sed nutriunt & augmentant, dum vel corrigere eos ne abeant, extimescunt; vel quia Religio pietasque sordent eis, & suum indignum officio deputant talia suos edocere scholares; aut quoniam verentur ne docentes illud quod negligunt, incidant illud improprium, pueris etiam notissimum : *Turpe est Doctori cum culpa redarguit ipsum.* Sic adolescentiæ frena laxantur, sic eunt in adinventionibus suis dimissi secundum desideria cordis eorum & per vitiorum avia ruunt præcipites. Fiunt exinde contumeliosi, vagi, petulantes, inobedientes, proni ad inimicitias inferendas, impatientissimi ad illatas; irreligiosi præterea, nihil amplius à Paganis de Christiana Religione perdocti. Postremò ut de quibusdam Judas Apostolus ait: *Maculæ sunt*, Judæ: 12. vel ut vulgus loquitur, sacci carbonum, alter alterum pessimis modis maculantes. Sed & quales domi sunt, foris in sermonibus palam faciunt, ubi pro summa quæ ibi observanda erat morum modestia, insolentissimis atque incompescibilibus sibilationibus, gestibus & obmurmurationibus omnia confundunt, & verbum Dei cum suo evangelizante probrosè spernunt, impediunt, turbant, & obrumpunt; nec parvum existimandum est illud incommodum, quoniam satis est scitum illud Aristotelis. *Non parum refert juvenem sic vel sic assuefieri.* Et quia certè ex non bene morigeratis & ex sinistrè instructis adolescentibus, fiunt juvenes atque viri postmodum non tantum inutiles reipublicæ Universitatis; sed ipsius etiam totum corpus fœdant lacerantque, & in bonorum perniciem crudeliter sæviunt. Quid sanè mirandum si ex discolis discipulis fiunt perniciosi Doctores? Neque Gradus collatus adimit, sed nequitiam auget potiùs ex superbia, vel latentem foris prodit. Denique sicubi nutat fundamentum doctrinæ ideo quia præproperè, imperfectè vel ineptè collocatum extitit; quicquid amplioris scientiæ superædificaveris, vacillare minusque habere solidi roboris necesse est. Hæc in ipsa meditatione mea video & confundor, plangore simul & luctu concutior, & ultra quid agam, qualiterve provideam, quibus utiliter conquerar, non satis invenio? Scriberem hæc ipsis sigillatim Pædagogis, sed immensus essem & apud eorum plurimos nullum habeo mutuæ cognitionis seu familiaritatis commercium. Scriberem ad omnes collectivè, sed videte ne stulto labore consumerer, quoniam & parvitatis meæ zelum plures eorum more suo irriderent, vel ei succenserent, vel de præsumptione culparent. Credite mihi, amarissima est veritas, sed nescio quo pacto apud nullos eorum ampliùs quam apud litteratos, qui sapientes sunt in oculis suis, apud quos omnis vel admonitio charitativa, vel fraterna correctio, contumeliosæ & vindicandæ deputatur injuriæ. Postremò prædicarem talia adolescentibus ipsis; sed me absentem scitis, & ipsi monitoribus asperi sunt ut Flaccus ait, atque ob vehementissimos passionum strepitus obsurderent veritati. Neque verbis rudes erudiri possunt, *stultitia colligata est in corde pueri*, ait Sapiens, Prov. 12. *sed virga disciplinæ fugabit illam*; virga dicit non verba. Tertius defectus acriter urget animam, qui noviter subortus, non parvo dedecore, in Universitatis gloriam maculam ponit. Pluries itaque relatio fide dignorum, mihi tam propè, quam remotè degenti, significavit deesse frequenter Sermones in Universitate, etiam Dominicales ad Clericum quod nuper aliquid monstro simile & penè intolerabile semel accidisse visum extitisset. Cogor tum ex hoc, tum ex aliis quibusdam, illam deflere scissuram miserabilem & mutilationem luctuosam partis non modicæ Universitatis Parisiensis præsertim à sacra Theologiæ Facultate, cujus scissuræ causam præbuerunt illius de Montesono erroneæ, temerariæ & impiæ assertiones. Nolo putet aliquis, me hoc loco justificationem seu defensionem partis illius quæ depulsa vel avulsa est suscepisse, Fratres Prædicatores loquor: viderint ipsi quid egerunt; ego enim fidenter & constanter affirmo condemnationem errorum præfati de Montesono rationabiliter & Catholicè factam; quæ dum defenderetur in Romana Curia, ego ipse Baccalareus cursor tunc existens cum cæteris præcellentissimis atque sapientissimis viris ab Universitate Legatis præsens interfui. Sed numquid qui ceciderunt non adjicient ut resurgant? quinetiam pia Mater Uuiversitas hæc quæ hactenus filiis irata est, numquid tandem misericordiæ recordabitur, aut continebit in ira sua misericordias suas? Numquid tot oves pascuæ suæ si deliquerint aut erraverint, æternaliter abjiciet? Immo & si redire contemnerent; exemplum Christi pii Pastoris imitandum erat, ut quærerentur & pia quadam violentia ad ovile proprium obnitentes traherentur: quantò ampliùs dum id totis ut dicitur affectibus & votis expostulant & precantur. At videre mihi videor quosdam non secundum scientiam zelum habentes, qui mox objicient. Parati, inquiunt, sumus eos suscipere, pacem reformare; sed integritas Fidei, sed Universitatis honor, sed ipsius demum indemnitas à laboribus & expensis prætermitti nequaquam possunt. At vero non sic loquor ut talia judicem negligenda; nego tamen illa tanta severitatis animositate requiri debere & ad vivum, ut dicitur, vulnus secari, quod in illo de Sillana victoria dictum est, *excessit medicina modum.* Christiani sumus, & in schola Charitatis quotidie versamur sub illo qui ait. Matth. 11. 20. *Discite a me quia mitis sum & humilis corde.* Et *nisi remiseritis peccata* &c. 18. 35. Ergo non tam quod liceat ex Juris rigore quam quid expediat exquiratur. Cæterum memoriter teneo cur & qualiter primitùs ab Universitatis consortio viâ quadam indirectâ segregati sunt Fratres prædicti. Statutum enim & conclusum erat, ut omnis Gradûs & honoris in Universitate expers fieret quisquis non juraret tenere condemnationem super erroribus prædictis ab Universitate priùs, dehinc ab Episcopo Parisiensi factam. Distulerunt hoc agere Baccalaurei è Fratribus prædictis tunc expediendi, causantes se à superioribus suis licentiam ad hujusmodi præstationem juramenti necdum petiisse vel habuisse. Ex hac origine neque Gradus, neque Cathedram, neque Sermones posterius adepti sunt: audivi tamen ex post, aut omnes aut plurimos eorum ad præfatæ conditionis adimpletionem præsto fuisse: quod si etiam nunc vellent non viderentur penitus non admittendi. Attenderent, ô utinam, omnes & benigna recogitatione secum tractarent quanta qualisve jactura spiritualis est & fuit, tot hactenus Sermones, tot Lectiones, tot salubres instructiones in Universitate, & alibi exinde cessasse. Quinetiam naturalis pietas exigit ut Mater filio aberranti, & corpus membro ægrotanti compassione moveatur. Deinde considera damnum proprium in sermonibus, in propositionibus & aliis, tum audi monitionem metro comprehensam. Si non vis aliis parcere, parce tibi. Nec loquar vexationes, opprobria & carceres ab illis quos loquimur perlatas, quæ tamen mansuetos & benignos extimatores ad misericordiam velocius impendendam deflecterent. Passa ex adverso fateor Universitas laborum & expensarum damna plurima; ipsa tamen meo judicio leviter obliviscenda aut contemnenda sunt pro commercio pacis, pro reintegratione tantæ partis abruptæ; tantummodo Fidei sua integritas, & Universitati suus honor permaneant; vel fallor, vel satis est. Exclamabunt fortassis ad hæc plurimi ejusdem mecum esse sententiæ, quoniam pacis zelatores aut sunt aut videri volunt. Vereor tamen ne dum ad excusationem ventum erit, quibusdam eorum nihil quod offerri possit ad reconciliationem ejus sufficiat, quin assiduè calumnientur vel Fidei vel Universitatis honorem non servari; ita demum neque reconciliatio unquam, neque

neque pax habebitur. Cæterum non sum tam insolens ut usurpem definire quo pacto ea quæ prædiximus, Fides scilicet & Universitatis honor illæsa manerent. Hoc unum apud me persuasum firmiter habeo, posse ista etiam de facili contingere, si ad hoc, non dicam multi; sed paucissimi de Universitate cum paucis Fratribus recta integraque voluntate operam dare voluerint. Quod si ex corde noluerint, quicquid ora blanda loquantur, nullâ viâ, nullis precibus, nulla oblatione idipsum valebit obtineri; cur ita? nimirùm semper allegabunt hanc esse causam Fidei, nec ex ea posse quicquam remittere. Quid igitur reliquum est mihi? Ut apud semetipsum quisque redeat, constituat ante cordis oculos luctuosam hanc scissuram cum præteritis incommodis, videat diligenter & acriter ad reparandam hanc jacturam quantum facultatis aut gratiæ donum desuper acceperit; tunc omni deposito contentionis studio inquirat pacem & persequatur eam, hoc est quod nunc agere satago, hoc est quod pro vice mea his in scriptis offero. Porrò quantum proficiam vel obero prorsus in incerto fluctuat animus; novi publicos hominum mores; novi quanta judiciorum sententiarumque varietas; novi quod implacabiles indomabilesque regnant in quorumdam cordibus affectiones; quantum vigeat in eorum linguis obloquendi libertas effrenis; qualiter in operibus persequendi bonos ferox licentia deseviat; novi deinde quam paucorum est, bonâ & sollicitâ Fide quæ Jesu Christi, non quæ sua sunt quærere. Hæc idcircò scripta studui, non in publicum, sed ad paucos traducere quos prodesse non obesse considerem. Oblatrabunt scio si ad quosdam scripta hæc delata fuerint, ferentes indignè, immò pro scelere vel mutabilitate deputantes quod pacem Jacobitarum videar optasse, aut pro ea verbum scriptumve fecisse: sed libera voce fatebor, nec illud unquam pudori deputabo, me nunc & priùs olim semper dum modestè volui vel optavi, reconciliationem ipsorum in mediis etiam litibus optavisse. Pereant qui de Matris aut Mystici corporis fœda mutilatione gloriantur; qui non sanationi student, sed medelam quærentibus crudeliter irascuntur, & qui ad divisionem magis quam pulcherrimam unionem dæmoniaca impietate pelluntur: quorum persecutio si pergunt in pacificos unitatis amatores furere spernenda est & generoso animosæ virtutis pede calcanda, hoc proviso, ne damnosius inde nascatur in Universitate vel Republica scandalum; hoc enim, quod vehementer pertimescendum censeo magis quam persecutionem propriam. Nunc & aliàs evitavi palàm dicere vel agere aliqua quæ dicenda vel agenda suggerebat zelus meus (nisi mihi mentior) verax in eis & devotus. Vestrum erit igitur has qualescumque literas vel prodere vel obtegere, deducere rem ad quosdam qui extra sunt, vel penitus omittere. Attamen quis scit si propitius aspirabit Deus & dabit voci suæ vocem virtutis ex hac rememorationis occasione, ut audientes audiant & intelligentes intelligant & pro bono pacis adipiscendo benigniori mente laborent: hoc est quod deprecor, quod supplico, quod per illum qui pax nostra est obtestor: in quo benè valete, mei memores in orationibus vestris. Scriptum Brugis.

ADMONITIO

***Brevis & necessaria*, *Joannis de Gerson Doctoris & Cancellarii Parisiensis*: Quomodo cautè legendi sunt quorumdam Libri *propter errores occultos. Seu ut in MS. Victorino inscribitur*: Aliqua notanda super doctrina Hubertini de vita Christi.**

Ad MSS. Codd. Victor. 699. & M. Targny. Et dimidio ferè auctior.

QUIA unum est necessarium, optimum & æternum, sufficere debet quærenti bonas margaritas ut tandem inveniat unam, & venditis omnibus comparet eam. Hæc me consideratio permovit sæpius facere operationem in mari & in aquis multis sacræ Scripturæ, nominatim hodie prima Octobris anni 1425. dum perscrutatus scripta Hubertini, relegendo quid super illud Canticum Symeonis Lucæ 2. A *Nunc dimittis servum tuum Domine*, notaverit; apparuit mihi sicut & aliàs aspectu quodam persunctorio, grande nimis & profundum quiddam super Incarnationis Jesu Christi & pacis suæ mysterio. Et dum magis & magis introrsus aspexi singula quæ notavi, manifestaverunt se vulpes parvulæ quæ demoliuntur vineas, maximè dum vinea floruerit. Fuerunt tempore Hubertini illius hæreses aliquæ radicem accipientes ab Abbate Joachim & consequenter pullulantes in spuria vitulamina diversorum errorum, etiam, proh dolor, usque ad tempora nostra. Unus error & principalis fuit de suscitatione & publicatione Evangelii æterni. Fingens quod sicut Pater habuerat suam Legem tempore Moysis & Legis scriptæ: Filius verò tempore Legis gratiæ & Evangelicæ; ita Spiritus sanctus Legem inspiraret consummatam sub paupertate Legis Evangelicæ, sicut expresse notare videtur dictus Hubertinus in expositione dicti Cantici, *Nunc dimittis* &c. Fuit alter error de B Lege & spiritu libertatis sub qua Begardi & Begardæ nefanda & abominabila perpetrarunt facinora. Ponit error iste quod anima perfecta reducta in Deum, perdit suum velle, ita quod nihil habet velle vel nolle nisi velle divinum quale habuit ab æterno in esse ideali divino. Quo habito dicunt consequenter se posse agere quicquid carnalis affectio deposcit sine peccato vel crimine, cum ex præcedenti non habeant velle & nolle. Diversificatur autem modus iste, quoniam sufficit aliquibus ut sub Deo solo suam totaliter vel taliter abnegent voluntatem, in qua abnegatione dicunt summam consistere perfectionem. Sunt alii rudiores idiotæ & simplices qui seducti per astutos faciunt hanc abnegationem propriæ voluntatis per modum professionis & obedientiæ in manibus illorum. Qua facta promittunt astuti tales & perversi quod ampliùs peccare nequeunt; sub quo prætextu perpetrant innumera- C biles nec referendas abominationes. Fuit alter error quod homo perfectus nullam debeat habere curam de rebus humanis quomodocumque vadant, immò nec de seipso si damnetur vel salvetur; sed in omnibus & singulis divinam expectare voluntatem & sibi in illa complacere sive salvet sive damnet. Quia etiam quicquid velit homo, nihilominus tamen voluntas Dei fiet. Habet error iste ramos plurimos pullulantes ex dictis Apostoli, Agustini & aliorum maximorum Doctorum malè intellectis super Prædestinatione Dei & suæ præscientiæ infallibili firmitate de quibus non est hic scribendum per singula. Suffecerit igitur ad præsens commonuisse Lectorem prædicti Hubertini sicut & aliorum extranea tradentium sub specie subtilitatis vel excellentis Traditionis, quod omnia regulet & examinet juxta veritatem Evangelicam & Doctores communiter approbatos; alioquin noverit se periculis maximis errorum & hæresum proximum fore. Denique nuper super hac re compositum est opus- D culum *de Examinatione doctrinarum* & aliud super doctrina Raymundi Lullii. Et qui de singulis erroribus cum originibus suis particulares vellet facere Tractatus, nusquam finis. Scripta sunt insuper dudum aliqua super Librum qui dicitur *Clymacus de 30. gradibus perfectionis*, cujus radix est error Stoïcorum ponentium virtutes esse insensibilitates, scilicet ad nihil passionabiliter affici, contra illud Apostoli tam generaliter expertum. *Sentio aliam legem in membris meis* &c. Unde reperiuntur in Doctoribus sacræ Theologiæ, qui subtiles & profundi nominati sunt, quædam positiones minus sobriæ, ut quod Deus vult & facit nos peccare. Quod in ordine

ad Deum omnia necessariò veniunt, & ita necessariò peccamus. Quod divina voluntas priùs vult res esse quam suus intellectus judicat eas fore. Quod in eodem instanti temporis, licet non naturæ, duo contradictoria simul possunt stare. Quod multa sunt æterna præter Deum. Quod quicquid intellectus cognoscit universaliter vel abstractivè vel præcisivè, habet correspondentiam talem in re sicut in Deo, dum præscindit intellectus sapientiam à bonitate; & ita de reliquis, quorum plura damnanda Articuli Parisienses notaverunt.

Sequentia inedita adjecta sunt. Ex Eodem Cod. Vict.

Addatur præmissis hæc consideratio, quod summa perfectionis in Contemplatione devotorum, consistit in unione cum Deo, sicut dicit Apostolus, *qui adhæret Domino unus spiritus est* cum eo 1. Corinth. 6. 17. & hæc est Theologia mystica super qua multi multa scripserunt & dixerunt; nonnulli ponentes eam in communicatione primæ voluntatis, vel abstractiva in suis attributis, vel quodam modo intuitiva & expletiua sanctitatis. Constituerunt hanc alii in sola dilectione Synderesis vel apicis mentis, cum cessatione omnis operis intellectualis; sicut aliquando credidit studiositas mea, sequens vel insequi putans expositores beati Dionysii cum Bonaventura: nunc autem hodie primò mysticum nescio quid aliud aperitur quod si scholastico more debeat reserari, videtur quod hujusmodi Theologia mystica, docens unionem cum Deo, neque consistit in opere intellectûs nec in operatione affectûs: quamvis præexigantur tanquàm necessariæ dispositiones de communi lege. Consistit autem essentia animæ simplificata, purgata & denudata ab omni sollicitudine, concupiscentia & phantasmate, dum prædictis ulceritatibus, ut Dionysius loquitur, & concupiscentiis curisque conclusis, revoluto animo in divinum Monadem congregantur, dum præterea, ut alibi loquitur, secundum meliorem nostræ mentis & rationis virtutem, ineffabilibus & ignotis, ineffabiliter & ignotè conjunguntur. Confert ad Scholasticam hujus mysterii considerationem Traditio Theologica de subjecto gratiæ gratum facientis; quod illa consistit in essentia animæ, conferens ipsi quoddam esse vivificum & divinum & unitivum cum Deo. Diffunditur autem tanquam radix per singulas potentias & vires ornatas aliis virtutibus sicut Fide, Spe, Charitate; quarum actus ipsa gratia etsi elicit immediatè, imperat tamen, mediantibus his habitibus. Sicut ergo gratia non conjungit immediatè Deo Intellectum vel voluntatem & cæteras vires; sed principaliter & inmediatè ipsam essentiam auimæ, sive sit distincta formaliter vel essentialiter à potentiis sive non; sic Theologia mystica non respicit operationem intellectûs vel affectûs; sed tantummodo unitatem vel unitionem essentiæ spiritus vel mentis cum Deo: quapropter non negotiatur circa Deum pro tunc sub ratione veri, vel boni, vel amati, vel pulchri; sed in amplexu solo spirituali ineffabili & inexpressibili; sed dumtaxat experimentabili unicæ sponsæ cum unico sponso dicente cum sponsa *Ego dilecto meo & ad me conversio ejus.* Cant. 6. 2.

Traditio præhabita est cui non repugnat Theologia, quod influxus causæ formalis, distinguitur ab influxu causæ efficientis: similiter & influxus causæ finalis, distinguitur ab utroque. Alioquin nugatoriè dictum esset *quod ab ipso*, scilicet Deo, *& per ipsum & in ipso* sunt omnia, efficienter quod ab ipso formatur, hoc est exemplariter per ipsum & finaliter ab ipso sunt omnia, *in quo vivimus, movemur & sumus.* Act. 17. 28. Dum autem spiritus noster, factus Deiformis, per actualem cum divinis & æternis conjunctionem pervenerit ad degustationem fructuum spiritus quos enuntiat Apostolus; poterit advertere quemadmodum ex unica radice primæ unitatis & æternitatis, veritatis & bonitatis quos habet & efficit habitus gratiæ gratum facientis prodeunt, dum actualiter fructus omnes spiritus etiam in actu suo. Nihilominus advertendum est quod sicut in generatione mixtorum & maxime perfectorum non introducitur ultima forma principaliter, sine multis & veluti innumeris alterationibus præambulis; non aliter perfectiva unionis spiritus rationalis cum Deo consummatio non completur subitò, neque perfectè fit summus; sed gradatim oportet, dante benedictionem Legislatore Jesu Christo, ire de virtute in virtutem donec videatur Deus Deorum in Sion.

Tradiderunt autem plurimi modum veniendi, quilibet secundum sensum suum. Fuit inter alios sapientissimus in intellectu simul & piissimus in affectu & ideo securus & efficax in tradendo effectu Dominus Bonaventura dictus meritò Doctor Seraphicus; nominatim in libello quem appellat *Itinerarium mentis in Deum.* Fuerunt, nec negamus, elevati plures in doctrina Theologiæ mysticæ nitentes principaliter exemplo nostro Jesu Christo; sed inventum est quod aliqui per errorem & insipientiam, aliqui per cordis elationem & superbiam, multi per carnalitatem & flagitiosam concupiscentiam submersi sunt, quemadmodum dicit Apostolus de Philosophis qui *traditi sunt in reprobum sensum*, Rom. 1. 28. *evanuerunt in cogitationibus suis* Rom. 1. 21. *& traditi sunt ut contumeliis afficiant corpora sua* Ibid. a. 24. Tu autem homo Dei hos devita: recipe igitur, Frater Charissime, missum qui tibi revertitur librum Humbertini cum cautela legendum vel omnino negligendum, & benè Vale. Commonitus ut oremus principaliter ut salvemur. Amen.

Hæc Joannes Cancellarius Parisiensis.

EPISTOLA EJUSDEM

Ad Patrem Oswaldum Carthusiensem. Gratia & pax.

SPIRITUS *est qui vivificat, & caro non prodest quicquam.* Joann. 6. 64. Unde & Epistolæ Pauli fortes dicebantur, quia solum spiritum sapiebant, præsentia vero quæ carnem ostendebat reputabatur infirma. Hinc habuit ortum illud Christi, quod *nemo Propheta acceptus est in patria.* Lucæ. 4. 24. Rursus aliud metrum. *Minuit præsentia famam.* Certissimè hoc verum est Pater & Domine Christiana charitate colende; desiderat vestra charitas, ut accepi à litteris ejusdem charitatis, videre faciem meam & miscere colloquia super multis. Oro quiescite, dedit Deus sermones dari posse spiritus interpretes. Precor se non immisceat carnis infirmitas, quæ nihil præsertim in me nisi scandala præfert, & quamvis apud perfectè compositos & ornatos corpus esse possit simulachrum quoddam lucidum & pulchrum interioris hominis & spiritus: fateor imperfectum meum in hac parte, conscius assiduæ & totiens expertæ fragilitatis. Porrò super communicatione quorumdam Opusculorum meorum postulata, suggeruntur multa mihi dicenda in utramque partem, quæ coarctans, in primis gratias ago & habeo benevolentiæ vestræ, confidens ab ea sine fictione diligi; deinde propono diligens esse copias ministrare; vestrum fuerit cum Reverendis Patribus & Dominis Fratribusque meis in Christo charissimis ad formam completam mensuramque redigere cum multiplicatione, prout ipsorum sollicitudini visum fuerit opportunum. Denique doctrinam Theologicam propriè dicendam eximii & Seraphici Doctoris Domini Bonaventuræ Cardinalis, offero me laboraturum quod habeatur ad transcribendum; si ita cum effectu postulaverit Sacer Ordo vester, cujus orationibus me commendo. Scriptum Lugduni 1424. in Aprili.

EPISTO-

EPISTOLA

Ejusdem Doctoris & Cancellarii: Laudans melliſluam & igneam Domini Bonaventuræ doctrinam. Anno 1426. Lugdunum miſſa cuidam Fratri minori.

Recognita ad MSS. Codd. Victorin. 62. & Colbert. 29.

IGNEM *veni mittere in terram* (dicebat Christus) *quid volo niſi ut ardeat:* Luc. 12. 49. In dextera nempe Dei eſt ignea Lex, cujus eloquium ignitum eſt vehementer, cujus oculi ſunt ſicut flamma ignis, cujus præco Joannes dictus eſt *lucerna ardens & lucens* inſtar Heliæ. Conſiderans iſta noſter Eutochius Dominus Bonaventura voluit eſſe Doctor ardens, ſciens quoniam lucere parum eſt & ſæpè vanum, ſæpè noxium; quoniam ſcientia inflat & dæmonium facit; quid enim dæmon interpretatur niſi *ſciens*, ſed abſque charitate. Sortitus eſt idcircò ſecundum laudem vitæ ſuæ pariter & doctrinæ nomen, ipſe Bonaventura, ut antonomaticè Doctor Seraphicus nominetur. Docet hoc in ſpeciali ſuum *Itinerarium mentis in Deum*, cujus opuſculi immò operis immenſi laus ſuperior eſt ore mortalium. Docet & ſuum *Breviloquium Theologiæ*, proceſſum propriè Theologicum retinens, & quaſi converſum ad priorem, quoniam à primo principio deſcendit ad alias veritates. Docet denique lectura ſua grandior, ignem ſuum cum lumine, unde mirum immò miſerum & miſerabile videtur, ne dicamus damnabile, quo pacto prælatæ ſunt doctrinæ quædam aliæ ſub ſpecie ſubtilitatis, plus inquietantes quaſi cyniſes Ægyptiæ, quàm ſabbatum mentis incendio terræ Geſſen afferentes. Secutus eſt Doctor iſte (ſe teſtante) doctrinam communem & ſolidam, quæ Pariſiis vigebat, maximè tempore ſuo. Unde & allegat ad confirmationem doctrinæ ſuæ Pariſienſes Articulos, quos per G. Pariſienſem de conſilio & aſſenſu Magiſtrorum omnium dicit fuiſſe damnatos & excommunicatos; vivente tunc & conſentiente Fratre Alexandro de Ales, cujus doctrina quantæ ſit ubertatis, dici ſatis nequit: de qua fertur reſpondiſſe ſanctus Thomas, dum inquireretur ab eo, quis eſſet optimus modus ſtudendi Theologiam: reſpondet exercere ſe in uno Doctore præcipuè. Dum ultra peteretur, quis eſſet talis Doctor: Alexander de Ales, inquit. Teſtor me ita legiſſe pridem in tractatu quodam de viſione beata contra Joannem XXII. Teſtantur ſcripta ejuſdem ſancti Thomæ maximè *Secunda Secundæ*, quam intimum ſibi fecerat & familiarem illum quem laudabat Doctorem Alexandrum. Et ecce proh dolor! Doctores iſti duo, Ales & Bonaventura videntur quaſi ſepulti cum illis quorum non eſt memor ampliùs, præſertim in cordis amore. Extolluntur alii quidam, quorum ſint utinam nomina in libro vitæ, non enim ſtudioſis invidemus. Sed multæ aliquos ipſorum literæ fecerunt ſub nomine ſubtilitatis inſanire cum ſequacibus ipſorum. Numquid non inſania eſt concedere quod duo contradictoria ſunt ſimul vera pro eodem inſtanti temporis, licet non naturæ: quod præterea multæ ſunt veritates ab æterno, & multa æterna quæ non ſunt Deus. Iſte eſt unus Articulus inter præmemoratos damnatus, anno 1340. Legatur ſecundus Bonaventuræ Liber Diſt. 23. circa finem, ubi recitatur hæc damnatio. Et ponitur alter Articulus, quod primum nunc, & creatio paſſio, non ſunt creator vel creatura. Error. Repetita eſt eadem damnatio ejuſdem articuli de æternitate veritatum, per Dominum Stephanum Pariſienſem inter illos. 219. Articulos famoſiores, anno 1276. ſcilicet per duos annos poſt felices obitus S. Thomæ, & verè Sancti & glorioſi Domini Bonaventuræ, quorum primus obijt 7. Martij, alius idus Julij ſequentis, tempore Concilii generalis Lugdunenſis per Gregorium X. celebrati. Damnata eſt noviſſimè per celeberrimum Conſtantienſe Concilium inter errores Hus & Hieronymi de Praga poſitio iſta, de univerſalium realium & æternorum poſitione; & maximè, quod aliqua ſit entitas realis æterna, communis Deo & A creaturæ; quia tunc nulla creatura potuiſſet creari quaſi de nihilo; ſed nec poſſet annihilari; ita fuit tunc argutum me audiente, & à dicto Hieronymo ſtatim conceſſum, ſed damnatum; nuper etiam Pariſiis revocatum. Damnaverat priùs ipſe idem Stephanus pauciores Articulos, viventibus adhuc præfatis Doctoribus, ſcilicet anno Domini 1270. die Mercurii poſt feſtum B. Nicolai hyemalis, cujus nunc craſtino ſcribimus hanc ſchedulam. Cauſa hujuſmodi damnationis faciendæ fuit tunc introducta, fuit & poſtmodum continuata, quia ſicut tradit Auguſtinus 8. de Civit. *nobis ad certam regulam loqui fas eſt, liberis autem verbis loquuntur Philoſophi, ſed inde miſerabilius quo liberius errant:* ſic Auguſtinus & cæteri Doctores antiqui; ſic inter recentiores B. Bernardus & Magiſter cum reliquis protinus obſtiterunt errantibus, ſicut Petro Abelardi, ſicut Berengario, ſicut Joanni Scoto de Theophanis, ſicut Gilberto Porretano; qui Gilbertus, ſi minus errabat in materia de relationibus divinis quàm plurimi poſte-B rioris temporis, patebit evidenter illi qui ſubtiliter & abſque perſonarum acceptione voluerit & ſciverit judicare, & argumentum B. Bernardi à Petro de Tharentaſia recitatum ponderare. Damnata eſt nuper per prædeceſſores meos in ſacra Theologiæ Facultate (ſub pluribus Articulis) doctrina, quam nonnulli ſolum impunè ſubtilem garriunt, quam ignorantes vocem propriam nonnulli veluti picæ loquaciſſimæ, ſtabilire nituntur, cum ſit mera inſania & vanitas falſa. Unus articulus inter cæteros eſt, *quod aliquid ſit Deus realiter, quod non ſit formaliter Deus*, Error. Alius, *quod in divinis ſint ponenda prioritates & poſterioritates aliæ, quam originis*, Error. Alius, *quod perſonæ divinæ diſtinguantur per abſoluta*, Error. Conſtat autem quod nulla eſt major diſtinctio realis, nec ex natura rei in divinis, quam trium perſonarum. Nulla eſt igitur diſtinctio in divinis per abſoluta, de qua non eſt dubium quod major eſt quàm per relativa ſolum. Denique, qua poteſt Fidei pietate Chriſtianus C aſſerere, quod eſſentia divina ſit ex parte rei, ſeu realiter diſtincta ab intellectu divino & voluntate? quaſi poſſit eſſentia divina eſſe & non eſſe univerſaliter perfecta, nec intelligens nec volens. Quantò ſalubrius eſt aſſerere, nec offendere pias aures, etiam Gentilium Philoſophorum, quod eſſentia divina unica & ſimpliciſſima ſupereminenter continet omnem perfectionem; quàm dum quæritur ſeparari & ſcindi à ſuis perfectionibus, ipſa remaneat monſtrum quoddam informe chaoſque confuſum. Egregiè dudum mihi tunc adoleſcentulo dixit unus in Theologia Doctor & famatiſſimus, dum quæſiverit, inquit, aliquis ſi præſcindatur eſſentia divina ab intellectu divino, quid eſt illa eſſentia? dic quod eſt Deus, & quod non eſt Deus. Eſt itaque Deus, quia nihil eſt in Deo quod non ſit Deus, & tamen non eſt Deus, quia Deus eſt ſuus intellectus, nec eſſe po-D teſt ſine ipſo. Hoc eſt ſententialiter argumentum B. Bernardi contra Gilbertum; dic tamen, addebat ipſe Doctor, quod intelligi poteſt eſſentia divina non intelligendo intellectum ſuum, ſicut & de attributis divinis: eſt enim ſecundum Ariſtotelem & ejus commentatorem & experientiam, tanta vis intellectus noſtri, quod conjunctiſſima, immò penitus eadem, poteſt per diſtinctos conceptus ſeparatim accipere; ſed ſeparatio dicitur rationis, non rei exterioris. Sed acclamant alii quod de entibus rationis nihil curant: vadamus inquiunt ad res, quaſi

quasi de rebus possit sine terminis esse sermo, quasi Logica frustra si tota. Addunt quod fictitij sunt hujusmodi conceptus, si non ita sit in re sicut significant, quasi res semper ita sit sicut est sua cognitio in nobis: immò in Deo qui cognoscit materialia immaterialiter secundum Dionysium & Boëtium. Tradunt nonnulli, unde mirandum videtur, quod conceptus & entia rationis non sunt veræ res nec entia, ita quod ens non dicitur univocè de ipsis & de rebus ad extra; cum tamen accidentia animæ tam habitus quàm virtutes & operationes immanentes tam naturales quàm supernaturales, sint entia longè perfectiora quam albedo vel nigredo, saltem quàm relationes sex prædicamentorum posteriorum. Sed progreditur hæc schedula latiùs quam propositum fuerat ab initio super laude nostri Eustochii bene fortunati & Doctoris Seraphici, cum deploratione quod ita postpositus est, non dicam absque Canonizatione; viderint hoc Summi Pontifices, sed absque scholasticorum frequentatione in usu continuo studiositatis suæ. Sint alii Doctores qui dicantur Cherubici; hic verissimo nomine Seraphicus simul & Cherubicus, quia inflammat affectum & erudit intellectum, reducit & unit ad Deum per amorem extaticum; dum alii multi solum divaricant & dispergunt intellectum per præcisiones, prioritates, & posterioritates, & signa & contingentia: cum tamen *unum sit necessarium*. Luc. 10.42. Dum præterea suos imitatores reddunt inflatos sine charitatis igne, ac perinde superbos, & indigestos, quales *dispergit Dominus mente cordis sui*, juxta Canticum Mariæ juvencularum tympanistriarum præcellentissimæ; in cujus Conceptionis sanctificatæ per præventionem privilegiatam vigilia matutina, volui non per Satyram, sed per Elegiam potiùs exhortatoriam tuæ charitati studiosæ chartulam hanc scribere, Frater dilectissime in Christo, in quo benè vale. Et Itinerarium quod habes communicare pluribus stude, simul & librum tuum recipe, servans illud Apostoli. *Quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos &c.* 1. Thess. 5. 21. 22.

EXCERPTUM

Quoddam Joannis de Gerson per modum Prologi, in quo cupit antiquos Doctores lectum iri, posthabitis suis lucubratiunculis.

Bene actum esset cum humana natura quæ cognitionis avida est, si sepositа curiositate vel audiendi vel afferendi semper aliquid novi, ipsa jam bene inventis, sobria humanitate, priùs uteretur. Qua super re, quamdam vel non parvam Epistolam vobis scripsisse memini. Attamen hoc non potest, aut vix potest persuaderi scholasticis, præsertim junioribus. Delectat quippe eos, nescio quomodo citiùs vel transcribere vel studere recentiùs compilata quàm vetera, more puerorum qui novos fructus licet acerbiores edunt avidiùs quam maturos digestos & sanos. Credant qui volunt. Ego ut de me loquar aliquid, quia me jam res aspicit, mallem vel (quod nullus ambigit) malle deberem studiosos viros dare se totos probatissimis præcedentium Doctorum libris intelligendis, quàm ipsos sterili ruditate opusculorum meorum tempus atterere. Neque enim famam meam, more hominum, loco prorsus inquietissimo jactare sic debeo: neque opuscula mea ita velut proprios filios diligere, quemadmodum de Poëtis loquitur Aristoteles: quin æquo animo patior, nihilum gloriæ meæ pro nihilo rejici, ubi gloria Dei vera & solida apertiùs augeretur. Augeretur autem apertius, si postpositis doctrinis salubrioribus meæ inutiliores ocuparent aliorum ingenia. Et ubi quæso esset humilitas sapientiæ radix? ubi Canticum illud: *Soli Deo honor & gloria*, 1. Tim. 1. 17. si magnanimitas, & non jam magnanimitas, sed magna malaque animositas, suam gloriam augeri in divinæ gloriæ affectaret detrimentum. Illa verò magnanimitas est quæ magna operatur, dicens, nihilominus cum Christo: *Si gloriam meam quæro, gloria mea nihil est*. Joan. 8. 54. Propterea veniat fama propria, veniat infamia, magnanimus nequaquam deflectitur ab opere, unde Deus honoratur & proximus ædificatur. Cujus oppositum in vanè gloriosis evenire necesse est, quoniam fama exhilarati delatantur, infamati contabescunt & desistunt. Quippe ventilogia sunt & arundines, quaquaversum vento favoris popularis agitatæ. Sentio tamen quid mihi hæc dicenti possit opponere zelus, vel fraternus vel lividus. Cur scilicet ego vel aliquid scribo, vel scripta non protinus lacero? vel si ita scribere & servare propria utilitas exposcit (sicut exposcit) cur ea ne foras prodeant, non intùs obcludo? hoc ideo planè, quia contra domesticos talium rerum fures non fuit aliqua mihi satis fortis sera, quin me prohibente clam fere omnia diriperentur, incorrecta etiam & sparsa per minuties, qualia ego ipse vix relegens intelligerem, vel in unum compingerem; quo magis ignosci peto & obtestor, si talia ab alienis inconditè corrupteque habeantur, qualia utinam (quia neque copia penes auctorem est, nec emendandi licentia) flamma vorax absumpsisset, aut minutatim lacerata irent in oblivionis æternæ sepulchrum. Accedit ad hæc sedulitas tum amicorum, tum quandoque æmulorum, flagitans per se & alios usque ad molestum fastidium, ea quæ liberet ampliùs inclusa servari, digeri quoque, tum demum ea sic vel corrigere publicanda, vel abolenda damnare. Rursum quoniam ita se res habet ut quorumdam curiositas adeò cupida sit novorum (quamvis imparium valde veteribus) quod vel ex complacentia sumendi, quemadmodum in cibo corporali evenit, vel ex inertia videndi vetera, proficiet eis lectio novellorum. Eligbilior utique erit profectus vel paucus in istis, quam nullus in illis. Tandem quis nesciat esse sicut in faciebus, sic in animabus differentias innumeras, & gustum spiritualem sicut & carnalem compertum est variari, ut quidem isti ad nauseam, alteri ad salubrem nutritionem proveniat. Quis scit ad extremum si gustatis rivulis studentes, aut dulcore rivulorum allecti conjecturare de fontibus sapidiora, aut limosiore eorum potione fastiditi, fontes exquirere puriores valent?

DUÆ EPISTOLÆ

Ejusdem Doctoris & Cancellarii Parisiensis Brugis scriptæ 1400. de Reformatione Theologiæ.

Collat. ad MS. Cod. Vict. 463.

Reverende Pater & Domine præcipuè, dum mentis aciem ad statum quemlibet & ordinem (si ordo quispiam in hac nostra tempestate) circumflecto, dum generalem præterea Ecclesiæ cladem cum miseranda ejus numero & merito diminutione, pia affectione pertracto, libet magis flere, & juxta consilium Ezechielis gemere super cunctis abominationibus quæ fiunt, quam de adjutorio remedio-ve sperando cogitare. Ita à planta pedis usque ad verticem occupavit totum corpus Christianitatis ebulliens peccatorum sanies, ita radices altas egit in hominum cordibus antiqua jam & infelix iniquitas ut de humana ope humanove providendi consilio diffidere fâs esse videatur. Nimirum quasi perierit consilium à senioribus, sermo à Propheta, & Lex à Sacerdote. Eamus nunc igitur & in hac procellosissima tempestate vel voragine Magisterii navis Ecclesiasticæ, Prælationes scilicet, non tam desideremus quàm violenter rapiamus; quando perversi difficilè corriguntur, & *stultorum infinitus est numerus*, Eccle. 1. 15. quando vix sibi sufficit homo ut salvet se in medio nationis pravæ, nisi quædam insania imponat homines super capita sua, jugum utique grave & sum-

summorum etiam virorum humeris formidabile. Sed hæc forte dicenda erant apud eos qui nondum tenentur hoc laqueo ut caverent & modestiori se traderent consilio: quid ad illos qui posuerunt jam in rete pedes suos, & in maculis ejus ambulant? Me præ cæteris & infelicem sortem meam defleo, quoniam ex debito suscepti officii Cancellariæ Parisiensis incredibilibus usque nunc urgeor angustiis, dum nec exercere libet, nec excutiendi eam à cervicibus [A] via conceditur. Sed omitto me, perdidi enim scripta jam verbaque innumera. Quid tu verò Pater optime quid super onere tuo Episcopali censes & cogitas? Mihi planè videor intueri. Nam si benè novi humiles & compositissimos animi tui mores, defles jugiter altitudinem tuam, & gemebundus inferiora suspiras. Cur non ita? Quid enim non anxium plenumque doloribus, plenum denique periculis animæ & corporis affert in hac felicitate, sarcina pastoralis? Affert inquam ad omnes. Sed soli sentiunt quibus est timor Dei ante oculos eorum, qui ad judicia Dei tremenda non claudunt oculos, sicut illi qui videntes non vident, & intelligentes non intelligunt, immo qui gloriantur cum malefecerint & exultant in rebus pessimis, qui certè eo infelicius periculosiusque pereunt quo insensibilius, & qui juxta maledic- [B] tionem propheticam ducuntur secundum desideria cordis eorum, & eunt in adinventionibus suis. Petet aliquis quæ illa sunt modò plus quam olim quæ miserabiliorem reddunt Præsidentium conditionem? Multa prorsus & inexplicabilia. Quid quod in deteriùs res quotidie ruunt, ubi ad iniquitatis cumulum adjicit quilibet, aufert nullus. Si dubitas tu? Invisum schisma circumspice. Quid quod expeditissima Pastorum priorum ignavia, pessimæ consuetudines passim increscere permissæ sunt ita ut (juxta verbum Senecæ) *desit remedii locus, quia quæ fuerunt vitia, mores fiunt.* Expertus loquor, & hoc unum (quamquam innumera sint alia) profero in me assertionis augumentum, videlicet quod in Ecclesiis Cathedralibus & præcipuis, insaniæ falsæ, ex sacrilegis Paganorum Idololatrarumque ritibus reliquiæ pene ubilibet exercentur. Nec obstat locus orationis, neque Sacro-Sancti Corporis Christi præsentia neque divinorum celebratio, quin impudentissima [C] dissolutione ab Ecclesiasticis talia fiant, qualia vel scriberé horror est, vel etiam cogitare. Quod si quis etiam Prælatorum obniti voluerit, mox irridebitur, exsibilabitur, impugnabitur. Ecce, inquiunt, tertius è cœlis cecidit Cato, quanto sapientiores & Ecclesiæ utiliores erant prædecessores tui, qui hæc non solum toleraverunt immo facientibus blanditi sunt. Ita in auctoritatem nefandissimi flagitiosissimique sceleris assumitur damnanda & certè jam damnata (nisi pœnituerint) Prælationis antiquæ negligentia. Excusant se quidam scio quod pro talium extirpatione nequaquam voluntas, sed facultas defuit. Et hi fortassis audiri poterant, si tanto studio quanto pro modica jurium temporalium conservatione decertassent, & eos non blandè ut Heli Filios, sed per manus etiam Principum secularium ab hoc eos sacrilegio compescuissent. Quid porrò si prædictis adjicias malum abominandum & monstro si- [D] millimum? Illi siquidem quos adjutores & defensores sui gregis habere debuerat Episcopus, in lupos ei contumeliosissimos, in leones, in apros rapacissimos, atrocissima rabie verbis, exemplis & factis plerumque convertuntur, Clerum loquor & præ cæteris Cathredale Capitulum. Sed an Episcoporum indignitas, arrogantia vel iniquitas, talium origo sit, ipsi viderint. Denique verbum Dei (maxima sanè spiritualium morborum medicina, & præcipuum Prælatorum officium) ab eisdem desertum est, quasi negotium quoddam supervacuum & Magnitudini suæ probrosum vel indecens. Exhinc traductum est verbum Dei ad nescio quosdam, qui vel imperitia sua vel moribus, cautissima discretione tractandum adulteraverunt, & illud tanquam in canticum, fabulam & risum audientibus converterunt. Redundat totus irreparabilis profectò iste defectus in caput Prælatorum. Ipsi quippe mira sollicitudine pro temporalibus tuendis Advocatos, Procuratores, Promotores & alios hujusmodi Officiarios magnis conducunt expensis magnis pensionibus retinent absque eo quod ab ovibus ipsi tales diripiunt. Sed ubi quæso vidisti Theologum pro spiritualibus ministrandis, seminandis & servandis institutum, cui, videlicet juxta Apostolicum Decretum, temporalis victus vel parcè donaretur? sic temporalia spiritualibus præferimus carnales effecti, sic temporaliores temporalibus Dominis redditi sumus. Et quia prorsus temporalia Clericorum absque spiritualibus (propter quæ donavit ea secularium devotio) diu subsistere nequeunt, verendum est ne utraque velocius nostris è manibus rapiantur. Via jam ad hoc lata planè aperta est. Numquid postremò severitas omnis disciplinæ sic ab Ecclesia exulavit, ut liberius peccent nunc Religionum etiam arctissimarum professores, quam olim Diaconi vel Clerici seculares. Hæc tecum fidenter evomui Pater dilectissime; non docendo, qui mihimet insipiens sum consulere, non exprobrando, sed conquirendo & morem animo tristi gerendo. Sunt nec dubito hæc notiora quò plus experta, & exinde molestiora, quò qui addit scientiam addit & laborem, & quò zelus domus Dei in tuo sancto pectore fervet ardentior. Addam ipse quæ cœpi pia temeritate superaddam; de tua enim devotione multum confido, quia multum diligo, pro rememoratione siquidem aliquorum quæ agenda viderentur, schedulam illa notantem hoc vespere, uno & pio impetu supinus, propriâ manu scripsi in lecto adversæ valetudinis meæ, quam transmitto. Gratanter accipe, & benè in Domino vale Pater amantissime. Scriptum Brugis Kalendis Aprilis. 1400.

REVERENDE PATER sub vestra & Magistrorum nostrorum correctione. In Facultate Theologiæ videtur esse necessaria Reformatio super sequentibus inter cætera. Primò, ne tractentur ita communiter doctrinæ inutiles sine fructu & soliditate, quoniam per eas doctrinæ ad salutem necessariæ & utiles deseruntur. *Nesciunt necessaria, quia supervacua didicerunt,* inquit Seneca. Secundò, per eas non studentes seducuntnr, quia scilicet putant illos principaliter esse Theologos qui talibus se dant, spreta Biblia & aliis Doctoribus. Tertiò, per eas termini à sanctis Patribus usitati transmutantur, contra illud Augustini, *nobis ad certam regulam loqui fas est* &c. Et non sequitur velocior scientiæ alicujus corruptio quam per hæc. Quartò, per eas Theologi ab aliis Facultatibus irridentur. Nam ideo appellantur phantastici, & dicuntur nihil scire de solida veritate & moralibus & Biblia. Quintò, per eas viæ errorum multiplices aperiuntur; quia enim loquuntur & fingunt sibi ad placitum terminos quos alii Doctores & Magistri non intelligunt, nec intelligere curant, dicunt incredibilia & absurdissima, quæ ex suis absurdis fictionibus dicunt sequi. Sextò, per eas Ecclesia & Fides neque intus neque foris ædificantur. Constat quod dant potiùs occasiones credendi quod Deus non sit omnimodè simplex aut unus sicut dicunt Braduardi. Septimò, per eas multi ex Theologis tam activè quam passivè scandalizantur. Nam alii rudes vocantur ab aliis, & alii è contra curiosi aut phantastici. Tales nunc currunt propositiones ex talibus doctrinis. Infinitæ sunt durationes in divinis, secundum priùs & posteriùs, quamvis æternæ. Et ita de mensura. Spiritus sanctus liberè, contradictorie, contingenter producitur ex parte principii quo.

quo. In divinis est absolutè potentialitas ad non esse Spiritus sancti. Producere Filium in divinis, ut sic nihil est. Spiritus sanctus prius est productus quam sit summè perfectus. Pater & Spiritus sanctus non sunt cognitio. Et pater & Filius non sunt amor. Filius in divinis potest alium Filium producere, quia est eadem potentia cum Patre; ita de innumerabilibus aliis. Item à multis annis jam fit maxima controversia in materia de communicatione idiomatum, quam antiqui sic restringunt ut dicant nullum prædicatum communicari Deo, quod dicat imperfectionem. Alii ampliantes, dicunt omne prædicatum utiliter communicari, usque adeò, quod Deus posset dici damnatus. Item videtur providendum quod Facultas nunquam determinaret materias Fidei cum aliis Facultatibus habentibus in hac re æquales voces cum ea, sicut fit in Universitate; quoniam periculum Fidei & dedecus Facultatis irremediabiliter sequi posset. Item dicitur quod aliquorum vita & mores scandalizant Facultatem & si hoc verum est, esset providendum. Item quia super erroribus aliàs publicatis & delatis nulla fit executio aut emendatio, ut aliundè nulli Baccalaurei deferunt aliqua quæ fuerunt male dicta, quamvis publica schola scandalizata sit. Et super hoc tamen excusat se Cancellarius; quia non reperit Magistros alios qui sufficienter vacare vellent & intendere. Et timuit de periculosiori scissura propter illa quæ percepit & ex discretorum consilio. Item monendi viderentur Magistri nostri specialiter qui dederunt occasionem, quatenus suos Baccalaureos & scholares monerent fugere aut dimmittere vanissimas doctrinas inutiles & steriles, nec approbando, nec morosè aut curiosè reprobando, sicut jam Deo propitio, sophismata sunt expulsa à Theologia, & quod materia secundi, tertii, & quarti Sententiarum magis tractarentur; quia vix legitur nisi primus occupando tempus in præmissis doctrinis, & similiter Biblia. Et quod libri prædictarum doctrinarum non legerentur ad partem sine licentia Facultatis. Et pro honore Dei attendatur diligenter quanta est necessitas pro instructione populorum, & pro resolutione materiarum moralium temporibus nostris. Et tunc credendum est quod in
A tanta angustia temporis, & inter tot animarum pericula non multum placebit ludere, ne dicam phantasiari circa ea quæ prorsus supervacua sunt. Videbitur etiam quod non est parvi ingenii aut rudis tales materias elucidare & funditus perscrutari, sed alibi est perfectio & alta profunditas, quam non ita sentiunt illi qui non vacant circa eas opere & sermone. Item forte expediret, sicut olim tempore quarumdam pestilentiarum Facultas Medicorum composuit tractatulum ad informandum singulos; ita fieret per Facultatem vel de mandato ejus aliquis tractatulus super punctis principalibus nostræ Religionis, & specialiter de Præceptis, ad ins-
B tructionem simplicium, quibus nullus sermo aut raro fit, aut malè fit. Item fortè necesse esset providere de Inquisitore; aut de tali qui tanquam Inquisitor posset vacare circa ea quæ nimis liberè, immo temerè contra Fidem publicantur in conviviis & locis aut aliter. Item fortè posset nunc meliùs practicari quam alias Decretalis, quod in qualibet Ecclesia Cathedrali & Metropolitana esset unus legens Theologiam &c. Item fortè pro omnibus præteritis scandalosis dogmatizationibus ad providendum de futuris, sufficeret quod in una schedula ponerentur; quæ schedula publicaretur per scholas, dicendo quod tales doctrinæ non placent Magistris, & quod deinceps cessent omnes à talibus & similibus. Et nisi Facul-
C tas hoc faciat aut aliud simile, forsan incumbet Cancellario per aliquem talem modum providere, non admittendo scilicet ad Licentiam eos qui in talibus Doctrinis fuerint culpabiles, etiam ubi Facultas hoc vellet, quamvis sanctiùs sit ambulare unanimiter in tali re Cancellarium cum Facultate.

JOANNIS GERSONII


Doctoris & Cancellarii Parisiensis

DE

CONSOLATIONE THEOLOGIÆ

LIBRI QUATUOR.

SUMMARIUM LIBRI PRIMI.



N Procemio notantur quatuor causæ Theologicæ consolationis quæ sunt spes, scriptura, patientia & doctrina. In primo Metro primi Libri defletur miseria civilis dissensionis. In prima Prosa primi Libri colloquuntur Monicus, id est solitarius, & Volucer, id est nuncius intermedius, super statu Peregrini seu viatoris, & de ejus consolatione per Theologiam. In secundo Metro ponitur laus Theologiæ in hoc quod est efficax consolari. In secunda Prosa ponitur primò quod Theologia suam consolationem inchoat, ubi & unde desinit Philosophica consolatio, scilicet quod cuncta agimus ante oculos Judicis cuncta cernentis. Ampliùs, quod triplex est judicium Dei, unde consurgit in nobis spes & timor, & quomodo se comitantur. Ampliùs, quod cum sobrietate potest utiliter recogitatari & tradi consideratio judiciorum Dei in prædestinatione & reprobatione, sicut fecit Apostolus. Et deinde qualiter oritur inde consolatio intima & solis expertis cognita. In tertio Metro agitur de sentimento talis consolationis. In tertia Prosa agitur primò in speciali si causa sit aliqua cur Deus istum vel illum prædestinaverit: deinde cum qua cautela talis consideratio in particulari debeat aut possit admitti: demum quo pacto potest quietari spes in Deo. In quarto Metro ponuntur exempla quomodo per tentationes non evellitur spes. In quarta Prosa traditur primò in quo spes consistit, & quod de nullo hic est desperandum. Ampliùs quomodo per summam desperationem venitur ad spem, & quantum sit utilis consideratio divinæ prædestinationis. Rursus agitur de corroboratione spei, exemplo Sanctorum, & quomodo stat cum libertate; nec tamen plenè potest hoc intelligi sine gratia Dei, quæ est unctio docens de omnibus. In quinto & ultimo Metro ponitur comparatio cujusdam nautæ, qui ex mediis tempestatibus exilit in locum tutum & secretum.

DE SECUNDO LIBRO TABULA.

IN prima Prosa secundi Libri fit sermo de statu Peregrini, interserendo de variis speciebus falsæ spei, & addendo quod ex consideratione divinæ bonitatis omnia liberè gubernantis sumitur secunda causa Theologicæ consolationis. In primo Metro reprobatur opinio Philosophorum, quod Deus agit de necessitate naturæ, sicut sol lumen suum. In secunda Prosa datur ratio cur divina voluntas non est dicenda agere ad extra de necessitate naturæ. Quomodo præterea procedit aliter Theologia quàm Philosophia. Additur distinctio trimembris de voluntate humana, & de conformitate ejus ad divinam. In secundo Metro declaratur qualiter affectiones & industriæ, quæ sparsim sunt in brutis animalibus, collectæ sunt in homine & in ejus ratione, cui subditur ejus appetitus. In tertia Prosa fit conquestio super difficultate quam patitur liberum arbitrium in regendo corpus conformiter ad rectam rationem, & de modo conformandi voluntatem humanam divinæ,

næ, exemplo Christi. Tandem causa redditur de varietate judiciorum humanorum. In tertio Metro datur ratio diversificationis judicii per similitudinem luminis visi per nubes, aut in speculis variatis. In quarta Prosa fit investigatio qualiliter adjuvatur libertas arbitrii. Et infertur quod nihil est casuale vel fortuitum in ordine ad primam causam; & juxta quem sensum ipsa posset dici fortuna vel fatum. Additur qualiter ex his quæ Deus invenitur revelasse & præscivisse, pulcherrimæ & salubres veritates elucescunt. In quarto Metro docemur sub exemplo quadruplici, qualiter insequi debemus voluntatem Dei.

TABULA TERTII LIBRI.

IN prima Prosa tertii Libri, post recapitulationem inchoat sermo de consolatione Theologiæ per patientiam, describendo quid sit zelus. In primo Metro docetur per similitudinem ignis & fuliginis quantum periculosus est zelus si non gubernetur ratione. In secunda Prosa deducitur hoc idem per affectus humanos dando causam cur zelus turbat judicium velut in somniis. Qualis præterea zelus esse debeat tam in habentibus auctoritatem regitivam, quam in carentibus ea. Denique notantur plures causæ turbativæ zeli in Rectoribus. In secundo Metro laudatur vita solitaria sibi vacans. In tertia Prosa fit sermo de illorum zelo qui non habent regimen aliquod publicum; docendo sub quibusdam regulis qualiter & ubi debeant uti vel non uti zelo suo. In tertio Metro docemur quod quilibet sit contentus vocatione sua, & secundum illam bene agat, & ita proderit omnibus nec se lædet. In quarta Prosa declaratur quomodo solitarius potest omnibus proficere. Deinde subjungitur sermo de patientia, quod in ea consolatio Theologica reponatur. In quarto Metro ponitur utilitas patientiæ sub exemplo Job afflicti.

TABULA QUARTI LIBRI.

IN quarto Libro Prosa prima loquitur de trepidatione conscientiæ humanæ respectu judiciorum Dei. Et quod nihilominus labores assumendi sunt pro Republica & adjutorio aliorum, fundando se in doctrina sacra. In primo Metro datur ratio cur Deus Legem naturalem dedit in scriptis lapideis, dehinc in Evangelica Lege repetivit. In secunda Prosa ponitur diffusè distinctio de triplici certitudine, addendo qualiter intelligi debeat illud Gregorii: *Bonarum mentium est culpam agnoscere ubi culpa non est*: & qualiter potest hoc sine mendacio fieri. In secundo Metro docemur qualiter uti debeamus scrupulis orientibus ex præteritis culpis. In tertia Prosa fit iterum sermo super eadem, redocendo quod serenatio conscientiæ per sentimenta devota non est signum efficax divinæ gratiæ gratum facientis. Additur de modo se habendi respectu scrupulorum consurgentium circa ea quæ sunt posteriùs agenda, & qualis certitudo sufficit, & undè colligitur. In tertio Metro loquitur quod præcepta Legis naturæ sunt etiam præcepta Fidei ac Legis Evangelicæ, conquerendo de erroribus contingentibus circa ea. In quarta Prosa loquitur incidenter de Theologis & Juristis, quales esse deberent, & quales aliqui sunt: concludendo quod in morali negotio non potest universalis ars tradi quæ conferre sufficiat certitudinem in particulari quolibet agibili, quin consurgere possint scrupuli mentis inquietativi. In quarto Metro docetur quomodo pax mentis possit aut debeat inveniri. In quinta Prosa ponitur sub persona Theologiæ grandis oratio consolatoria super casibus humanis, nominatim illius qui tunc Franciam conturbabat: concludendo supremum consolationis Theologiæ gradum in animi præparatione ad Martyrium.

FINIS.

DE

LIBER PRIMUS.

DE CONSOLATIONE THEOLOGIÆ

MONITUM.

Nota pro intellectu hujus Dialogi, quod VOLUCER *est Intellectus discursivus & ratiocinativus.* MONICUS *est Intellectus meditativus & inquisitivus.* PEREGRINUS *est homo contemplativus simul & activus. Pro sensu verò litterali notandum, quod cum eximius Doctor Joannes de Gerson ex Concilio Constantiensi recedens, Franciam propter minas Ducis Burgundiæ petere non auderet, secessit in montana Bavariæ, ibique in Rathemberg Oppido, anno Domini 1418. conscripto hoc Dialogo introducit* VOLUCREM *nuncium à se* PEREGRINO *ad Joannem* MONACHUM *Fratrem suum, qui Prior Cœlestinorum Lugduni degebat, proferentem quemadmodum per Theologiam peregrinationem suam consoletur. Et sicuti Boëtium* de consolatione Philosophiæ *in forma scribendi imitatur, ita etiam consolationis argumentum ubi ille dimisit, hic continuare conatur.*



UÆCUMQUE scripta sunt (ait magnus ille discipulus Theologiæ Paulus) *ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.* Rom. 15. 4. A Convenerunt aliquando super hoc verbo *Volucer* cursor levis explicans vias suas. Et *Monicus* in Religione degens, qui ut vidit quod *Volucer* sibi notissimus ad se venit de longinquo, multa quidem super multis; sed multa plus plurima super advena quodam germano suo conquirere disposuit. Cujus inquisitionem & alterius responsionem sequens Dialogus explicabit, & hoc per quatriduum sub tetragono considerationum. Quæ licet ad-invicem communicent, erit tamen appropriatius Prima de consolatione Theologiæ per spem in contemplatione divini judicii. Secunda per Scripturam in revelatione regiminis mundi. Tertia per patientiam in zeli moderatione. Quarta per doctrinam in conscientiæ serenatione. B Deus autem patientiæ & consolationis consoletur nos in omni tribulatione nostra, & det sermonem rectum in ore duorum. Quorum Volucer sic incipit.

PRIMUM METRUM

Primi Libri Elegiacum, in quo defletur miseria civilis dissentionis. Concordat in genere carminis primo metro Boëtii de consolatione philosophiæ.

CARMINA.

Sæpe peregrinas Volucer transmissus in oras,
Regrediens patria mœnia jam video.
Dulcis ave natalis humus, tu Francia felix,
Inclyta Parisius, nobile Palladium.
Heu quid id est? sævo Bellonam cerno tumultu
Civili furere, sanguine cuncta replet.
Spiritus in medium missus vertiginis errat,
Obtruncant gladiis mutuò se propriis.
Carceribus trudunt alios, aut flumine mergunt,
Membraque torturis plurima dilaniant.
Pars quævis dici pietas vult, publica curans
Commoda, quæ patriæ viscera rumpit ovans.
Justitiæ vultus atrox mentitur Erynnis.
Rex juvo te clamans, Regia sceptra rapit.
Exuperant Syllam, Catilinam crimine vincunt,
Vim pro virtute bellicus horror habet.
Non Pater à natis tutus, fratrémque perire
Vult frater, soceri mors venit a genero.
Clerum, militiam, cives sine lege reclusos
Carcere, plebs rabida sicut oves jugulat.
Nullus adest noster respectus Religionis,
Jura sepulturæ denegat impietas.
Quisquis opes vel divitias famatur habere,
Objicitur titulus proditionis ei.
Eligit hic partem neutram defendere, partis
Mox utriusque, patet innocuus jugulo.
Nec satis est aliis uni se tradere parti,
Ni se flagitiis conscelerent paribus.
Quid quod te patriam pulchram violare vocatur
Extera gens! hostis te lacerando rapit.
Nulla fides pietasque manet, confunditur omne
Fasque nefas, regnat horrida Tesiphone.
Extremos nonne fuerat jocundius Indos,
Aut glaciale solum me penetrasse prius?
Advena tu felix, alia te parte receptans,
Namque patent oculis non mala tanta tuis.
Verum Monachus hic degit, sua Claustra subibo,
Ac de fratre suo fecero verba sibi.

PROSA PRIMA LIBRI PRIMI.

MONICUS.

Est ne Volucer quem video? Et certè is est. Dic precor ô Volucer, unde venis, quæ nova fers, qualis ad me te modo sors attulit?

C *Volucer.* Scito Monice, quoniam in Constantiensi Concilio generali, cum germano tuo conversatus usque ad finalem Summi Pontificis egressum, tandem diverticula quærens exivi cum eodem, qui juxta cognomen suum Peregrinus effici maluit in terra aliena, quam ad suos huc regredi.

Monicus. Satis est ô Volucer, si certum me facere potueris quid agit dilectus animæ meæ, quid amor cordis mei: nonne dolet velut exulem se fieri in ignota & longinqua regione, ubi linguam

quam non noverat, audit? Nonne subtristis est se poni sub modio, vel in obscuris, sicut mortuos sæculi, qui lucere super candelabrum fuerat institutus?

Volucer. Nihil prorsus ô Monice, temporum tempestate pensata, proque diuturna animi præparatione, qua sibi præviderat omnia quæ occurrissent æquanimiter toleranda; gaudet potiùs in Domino, magnificans eum, & exultat spiritus ejus in Deo salutari suo, deputans se adjutum meritis & precibus A aliorum. Itaque de se securus, & in se, Domino miserante, tranquillus, deflet miseriam Patriæ propriæ, indignissimamque sortem. Cujus tamen calamitatis media pars non est sibi nunciata, quam oculis propriis horrens intueor; qui etiam super conculcatione veritatis & justitiæ, plorans ingemiscit. Miserabilem denique Civitatis celeberrimæ desolationem (tanquam Jeremias ruinas Jerusalem) lamentatur.

Monicus. Qua ratione fieri potest ô Volucer, quod exul à patria, à parentibus, à propinquis, à notis, & amicis non angustietur in corde, non in animo conturbetur?

Volucer. Monice, nihil difficile est volenti; meministi puto, ut advena noster semper in mediis etiam turbis & Urbibus, solitudinem sibi quæsivit & dilexit: solitudinem loquor quæ est à curis forinsecis, & B hominum calumniis vacatior, probans illud Sapientis: *qui minoratur actu, percipiet sapientiam.* Eccles. 38. 25.

Monicus. Scio Volucer & expertus testor.

Volucer. Ecce autem nunc elongavit fugiens, & mansit in solitudine, expectans eum qui salvum se fecit à pusillanimitate spiritus & tempestate, quoniam vidit iniquitatem & contradictionem in Civitate; evolavit sicut passer erepta de laqueo venantium: undique nimirum sibi parabantur insidiarum tendiculæ, enatavit ut potuit à naufragio Reipublicæ, præstolans si fortè postmodum sit spes: nihil tandem se videns adversus currentem furoris impetum nitendo proficere, desiliit aliorsum à curru duplici regiminis, cedens raptui prævalentis nequitiæ & malitiæ, quam ad præsens non vincit sapientia.

Monicus. Vincet tamen aliquando, crede mihi Volucer; magna quippe & fortis est veritas, & super C omnia vincit ac prævalet.

Volucer. Veritas ô Monice quando vincet nescio, hoc unum propriis oculis inspicio juxta vocem Isaiæ, 59. 14. quod *conversum est retrorsum judicium, & justitia longè stetit, quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi, quoniam facta est veritas in oblivionem, & qui recessit à malo, prædæ patuit.* Quo contra, videre est falsitatem, non qualemcumque sed hæreticam pravitatem in via mandatorum Dei quæ perambulat vicos & plateas erecta cervice, insultans Catholicæ veritati cum defensoribus suis, proterit eos pedibus sordidissimis, ac de ipsis tanquam Domina victoriosissima triumphare gloriatur.

Monicus. Proh Dei & hominum fidem! dic oro Volucer, unde talis eversio, nonne sancta generalis Synodus, quæ pro veritatis tuitione princi- D paliter instituta fuerat, se cultricem hujusmodi veritatis exhibuit atque protectricem? Verum hanc interim querelam omissam volo, quoniam cupit animus ex te cognoscere, quibus exercitiis se refovet frater, quem torpere nequaquam putaverim inerti otio; quibus insuper armis spiritualibus adversus iniquos fortunæ sævientis impetus congredi solitus est, ne tristitia sæculi, quæ mortem operatur, ipsum vel dejiciat, vel absorbeat.

Volucer. De vera & solida Peregrini consolatione tecum sermonem habiturus, significo inprimis, quòd eam accipit, Doctrice Theologia, quæ comitem se dedit peregrinationi suæ: ab infantia enim sacras Litteras novit, neque furor hostilis, neque terror pervertere potuit, quin persequeretur iter suum: de qua Sapiens, Sapien. 8. 1. *Attingit ergo* ait *à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter: hanc amavi, & exquisivi eam à juventute mea, & quæsivi sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius* (Sequitur consolatio) *intrans in domum meam, conquiescam cum illa: non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam & gaudium*: ibid. art. 16. in cujus præconium ita libet metro pangere.

SECUNDUM METRUM

Primi Libri Dactylicum Alemanium Tetrametrum Hypercatalecticum. In quo ponitur laus Theologiæ, in hoc quod est efficax consolari: Et currit cum 2. metro 1. lib. Boëtii, *Heu quam præcipiti.*

Felix Theologus, pulchra Sophia
Cui vult a puero se dare sponsam,
Quem castum tenero stringit amore,
Ejus se vocitans jure sororem:
Casus se sociam præbet in omnes,
Ac vita relevat tædia mœsta.
Solatur resonans cantica Sion,
Securoque regit limite gressus.
Spes & vera fides concomitantur,
Et divinus amor, quadraque virtus,
Prudens, sobriaque, fortis, & æqua,
Bonorumque cohors, juncta beatis.
Ad te si tribulans sors fuit ulla,
Duris increpitans torva flagellis;
Perstes, impavido suscipe vultu,
Nam sic vivitur, est pax in amaro.
Nam si flammigeris intonat æther,
Fractus fulminibus, totus & orbis
In se dissiliat, si caro cedit,
Mens esto stabilis, sede retenta.
Nec tu quæsieris Herculis arma.
Nec grandes validis viribus artus,
Plus horrenda satis (quam superarit)
Hac jutrice potes perdere monstra.
Infandas Erebi carmine pestes
Vicit quando lyram temperat Orpheus,
Mollescunt lapides, flumina sidunt,
Sed se non superat victus amore.
At verò, cytharâ dum modulatur
Pastor, postea Rex, carminis odas,
Quas aptat phrenesis; ocius exit
Nequam spiritus a rege Saüle.
Ergo nemo satis Theologiæ
Laudes extulerit, tanta patrantis,
Quâ curæ fugiunt, mens hilarescit,
Quæ virtute sua monstra trucidat:
Cujus vi rapitur advena, degens
Terris, ad nitidum scandere cœlum.
Excelsa residens cernit ab arce
Fortunam meritò rectus utramque.

SECUNDA PROSA PRIMI LIBRI.

MONICUS.

JURE quidem laudaveris Theologiam Volucer: sed in consolatione recipienda contra fortuitos casus, contra vanam mundi felicitatem, cur non suffecerit celebris ille Dialogus Philosophiæ cum Boëtio, qui prorsus eleganti stilo, brevi & splendido compositus est, sententias gravissimas in se tenens?

Volucer. Noli mirari Monice, si Theologia Philosophiæ præficitur, quoniam sicut naturam gratia, sicut ancillam Domina, discipulam magistra, sicut tem-

tempus æternitas, sicut ratiocinationem intelligentia, sicut visibilia ea quæ non videntur; sic Theologia Philosophiam exuperat, quam non abjicit; sed in obsequium sumit. Est autem lex divinitatis & ordo, ut suprema inferiorum jungantur ad superiorum infima, more concatenationis, veluti Plato loquebatur, quæ in corporalibus argentea, in spiritualibus aurea vocabatur. Et planè hanc in scala Jacob graduum figurationem accipimus. Propterea sub compendio procedentes, inducemus Theologiam inchoantem verbum ab illo supremo, quo Philosophia consolationem suam apud Boëtium terminavit. Ita enim recto breviatoque ordine procedet Theologia, sursum machinam suæ deductionis erigens, si Philosophiæ sibi fundamenta substraverit. Quale verò sit illud quod prostremum Philosophia posuerit, puto meministi. Magna enim vobis est, inquit (si dissimulare non vultis) necessitas indicta probitatis, cum ante oculos agitis Judicis cuncta cernentis.

Monicus. Memini Volucer, & quali principio exordiens, quali præterea medio progrediens, hucusque processerit retineo, nimirum qui studio Libri illius ab adolescentia vehementer incubuerim.

Volucer. Congratulor eruditioni tuæ, si quidem ab hac sententia qua Philosophia desinit, Theologia suam cum Peregrino consolationem initiat, qualis sententia formaliter in Augustini Soliloquio posita est. Et certè Paulus dum ad Hebræos scriberet, collaudaturus virtutem Fidei, proposuit symbolum naturæ, quod hominibus pro omni tempore necessarium fuit. *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Heb. 11.6. At verò Deus ipse qualis Judex existeret, qualem insuper remunerationem daret quærentibus se, non potuit Philosophia, neque discipuli sui, ductu rationis invenire: deficiebat enim volentibus ad altiora conscendere scala creaturarum, per quam sempiterna Dei virtus atque divinitas, licet possit attingi, non tamen usque-quaque ut cognoscerent quales quantasve pœnas reprobis Deum contemnentibus, qualia porrò præmia se inquirentibus justus Judex tribueret. Quod facere, si vel Philosophi vel Poëtæ tantaverunt, evanuerunt in cognitionibus suis, & vix aliud quàm errores fabulosos, sibique diffidentes fingere potuerunt. Rectam denique mandatorum Dei viam nescierunt, qua pergitur ad vitam, quæ est status omnium bonorum aggregatione perfectus, qualem hic assequi neminem posse Philosophia demonstrat experimentali ratione: sed vel virtutes vel actus formales, quibus attingatur iste status (objectivè quidem) in Deo intuitivè cognito, Philosophia tradere non valuit. Miseratus autem desuper humanos errores Deus, eas veritates necessarias & salubres, ad quas evehere non poterat Philosophia, nec tentare debuerat, Theologia supernaturaliter infusa (sicut & humanus supernaturalis est finis) revelavit & addidit. Inter quas, non irrationabiliter Theologia super istam, quòd Deus inquirentibus se remunerator sit (quia videlicet justus Judex est cuncta cernens) collocat & adjicit modum judicii à Christo traditi: *Ibunt hi*, (non dubium quin mali) *in supplicium æternum*: *Justi autem in vitam æternam.* Matth. 25. 46. Neque enim est alia veritas efficacius generativa timoris Domini quam ista, claudens in se horrendissimum illud damnationis tonitru, *Ite maledicti in ignem æternum.* Matth. 25.41. Numquid non horrendum valdé projici à facie Dei summi boni? Sed ad horroris cumulum inexcogitabilem, additur maledictio trudens in ignem, non qualemcumque, sed æternum. Et hoc, cum diabolo & Angelis ejus, ubi ascendet fumus tormentorum in stagno ignis ardentis & sulphuris, usque in sæcula sæculorum, ubi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt usque ad satietatem visionis omni carni. Ad hunc auditum, si Fides admixta est, timorem Domini quis non sibi susceperit? Est autem timor Domini initium sapientiæ, & ab ipso concipimus spiritum salutis; & per eum declinat omnis à malo, illuminantur corda, & in oblectatione venit misericordia.

Monicus. Qua ratione fieri potest, ô Volucer, quod A per timorem & talem timorem veniat quævis oblectatio? Timor enim pœnam habet, quam perfecta charitas foras mittit. Qualis amplius consolatio esse potest habenti præ oculis assiduè stagnum ignis ardentis & sulphuris, in quod ne corruat, formidare habet momento quolibet; nec unquam dum vivit ab hoc pavore securus est? nescit enim homo finem suum, neque si amore vel odio dignus sit.

Volucer. Rectè censeres Monice, si Theologia fidelis, nequaquam ad ulteriora per timorem istum proveheret; si non ad spem, quæ non confundit, effugere compelleret; si non denique ad Deum totius consolationis per dilectionem amplectendum, sibique adhærendum, velut in locum refugii, mirabiliter induceret.

Monicus. Vellem audire quo pacto fieri habet hæc inductio verè mirabilis, de timore in spem & amorem: neque enim eadem sede cordis simul habitare posse videntur timor & spes, licet legam Prophetæ jussionem Regibus terræ, ut *serviant Domino in timore, & exultent cum tremore*: Ps. 2. 11. Et per Sa- B pientem, *qui timetis Dominum sperate in illum.* Eccli. 2. 9. Et iterum Propheta, *beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia ejus*, Ps. 146. 11. & alibi sine numero, spes timori conjungitur.

Volucer, Attendendus est ô Monice solerter ordo Judiciorum supremi Judicis Dei, qualem Philosophia non attingit: unde Theologia velut humano more loquens, triplicem Deo Curiam, triplicemque Thronum deputat. Residet in prima Curia & Throno, indulgens Gratia: residet in altera Curia & Throno, corrigens Misericordia: residet in tertia Curia & Throno, damnans Justitia, de qua per Apostolum, *horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Hebr. 10. 31. Tradiderat homines omnes in hanc mortis damnationem prævaricator Adam, nec erat qui de manu hac judicantis Dei posset eruere, si non supra naturæ vires, & merita constituisset nobis Judex Deus, per Sacramentum reconciliationis C unigeniti Filii sui Dei, Curiam primam & alteram, in quibus Gratiam & Misericordiam Judices collocavit; inthronizans quando factus est nobis à Deo sapientia, & justitia, sanctificatio, & redemtio: quando præterea datum est hominibus damnatis in Curia Justitiæ, eam quasi gravaminis illatricem posse declinare, appellando ad superiores Curias Gratiæ & Misericordiæ, quoniam superexaltat Misericordia Judicium, fitque, ut ubi abundavit delictum, superabundet & Gratia, quod Philosophia non cognovit.

Monicus. Incipio, Volucer, gravioribus quam antea scrupulis urgeri, ut omittam quæstiones interim multiplices ex tuis habentes dictis ortum, de Fide Philosophorum & aliorum, quo pacto salvati sint aliqui sub naturæ sola Lege. Tradit itaque Philosophia vix perscrutabilem divinæ Providentiæ vivacitatem, præsertim dum ad eam confertur humani libertas arbitrii, cum certa præcognitione futurorum: D sed ecce superaddit Theologia difficultatem in immensum minus investigabilem neque comprehensibilem, dum quosdam ex hominibus recipit judicandos in Curia Gratiæ vel Misericordiæ, & æternæ Beatitudinis participes facit; alios verò multò plures damnat in æternum sua Justitiæ severitas, dicente eo, *Multi vocati, pauci vero electi.* Matth. 20. 16. Mirum autem, si quis in hac recogitatione constitutus, non perturbetur, & totus horrore tabescat; qualiter abscondita non est consolatio ab oculis suis, juxta Scripturæ verbum, dum ita Deus inter fratres dividit.

Volucer. Fatendum est inprimis, Monice, quod hæc consideratio judiciorum Dei, qui terribilis est in consiliis super filios hominum, si cum superba curiositate recenseatur, præcipitat in illam Sapientis damnationem, *qui scrutator est Majestatis, opprimetur à gloria*, Proverb. 25. 27. exterminationem bonæ consolationis virtutem: denique in reprobam de Deo desperationem, & in odiosas, rabidas & insanas blasphemias demergit & absorbet; hoc in viatoribus aliquibus, hoc in damnatis omnibus operatur.

At verò consideratio talis, si cum debita humilitate, & reverentia fidelis & pii cordis assumatur; si cum captivatione omnis intellectus in obsequium Fidei revolvatur, nullam existimat Peregrinus noster potiorem vel efficaciorem ad consecutionem legitimæ consolationis viam divinitùs elargiri. Nonne senserat hoc Propheta, dum suspirans ait, *Memor fui judiciorum tuorum a sæculo Domine, & consolatus sum*: Ps. 118. 52. Quam consolationem nescio si vehementius expressit alio loco is qui dixit, *Et exultaverunt*, id est extra se salierunt, *filiæ Juda propter judicia tua Domine*. Ps. 96. 8.

Monicus. Observandum est obsecro Volucer, ne minus sobria fortassis & insolens sit hujus Doctrinæ traditio; quoniam stultorum infinitus est numerus, carnalium & arrogantium, qui non capiunt quæ Dei sunt, si non dixeris ea quæ versantur in corde sito, & quæ suo ingenio penetrare se gloriari possint?

Volucer. Corrigit & repellit tuam hanc hæsitationem conscius arcanorum divinorum Apostolus, qui satagens contentionem Gentilium Romanorum & Judæorum qui susceperant Fidem compescere, collocavit totius disputationis suæ velut centrum & cardinem supremum, considerationem divinæ prædestinationis & præscientiæ, ab illo loco: *Scimus autem quoniam deligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præscivit & prædestinavit &c.* Rom. 8. 28. Usque dum exclamat: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ illius. Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit ei & retribuetur illi?* Illic inserit quod *non volentis neque currentis, sed miserentis Dei est, & cujus vult miseretur, & quem vult indurat: Et quod non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Jacob dilexi, Esaü autem odio habui.*

Apostolus igitur Doctor Gentium in Fide & Veritate, inter quas erant insipientes multæ, carnales & superbæ; si præmissam eis considerationem, pro sua ædificatione non timuit exponere (quatenus eas & Judæos mutuò reduceret ad legitimam Pacis & Charitatis formam) quo pacto verendum erit inter Christianos (præsertim eos qui de sua salute solliciti sunt) consideratione ista uti, quæ apud eum talem de sua salute consolationem, suorumque similium operata est, ut assereret, *Certus sum enim quod neque mors neque vita neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro?* Rom. 8. 38.

Poterit autem certitudo talis accipi de certitudine revelationis divinæ, si Paulus de se solo loqueretur: sed dum connumeravit alios electos Dei, convenientius intelligitur hoc esse dictum de certitudine Spei, quæ tranquillitatis quantum sit operativa, satis admodùm Propheta Regius exposuit, qui dum gloriabundus in Domino dixisset, *In pace in idipsum dormiam & requiescam*; subintulit pro causa Spem, dicens, *Quoniam tu Domine singulariter in Spe constituisti me.* Ps. 4. 9. 10.

Monicus. Scire velim ô Volucer, quo studio vel industria devenit advena noster, ut in hac pace in idipsum frueretur.

Volucer. Accipito verba mea sobriè: neque enim dicere præsumo, nisi quod aspirat, & aspirare suadet ad illam pacem in idipsum, cum Propheta dicente, *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore*: Ps. 118. 20. si fortè aliquando desiderium sui & similium pauperum exaudiat auris sua: scit enim, quoniam nemo repente fit summus; scit quoniam munus hoc gratæ magis est, quam industriæ. Nihilominus Doctorum devotorum scripta relegens, Theologia ductrice, suis uti conatur industriis, ne sibimet deesse putetur, Deumque tentare videatur. Enititur experimento cognoscere, quæ si illa pacis consolatio, qua sobriè inebriatus exclamat Psalmista, *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te*. Ps. 30. 20. Signanter ait, *abscondisti*, quia nec ab habente tradi, nec ab eo qui non habet capi potest. Est quippe *nomen novum in calculo candido scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit*. Apocal. 2. 17.

TERTIUM METRUM

Primi Libri Glyconicum, Coriambicum; & proportionatur sexto primi DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ: *Cum Phœbi radiis.*

Magnum crede nimis bonum
Intus quo valeas frui,
Extra non liceat loqui.
Certè nescit homo vetus,
Intro quid sapiat novus.
Hoc est manna reconditum,
Sensus quod capit intimus.
Quæris qualis ei sapor,
Aurem verbaque quid paras?
Gusta, post videas licet.
Degens frater agro senex,
Quærit gaudia, quæ domi
Frater junior accipit.
Cæcus mel Jonathas priùs
Gustat, protinus hinc videt:
Mel nobis sapidum Deus,
Quo fastidia tollere
Mundi noxia fas tibi.

TERTIA PROSA LIBRI PRIMI.

MONICUS.

O Miseris interim Volucer verbum, super istis affectûs devoti sentimentis, de quibus stat sapientia quæ in mysterio abscondita est. Hæc est Theologia mystica, de qua Tractatus Fratris apud me servo quosdam latino, quosdam vulgari scriptos stylo. Sed super his, altera fortassis die sermo fiet: Perge vero prosequi de spe, respondens ad pauculas interrogationes meas, qui secretorum advenæ nostri conscius es. Recogitat-ne supremum Judicem Deum homines ex massa peccatrice prædestinasse quidem hos ab æterno sempiternæ beatitudinis fore participes; alios verò præscitos & reprobatos, ad supplicium perpetuum?

Volucer. Recogitat Monice, & id sanè frequenter.

Monicus. Accusat ne diversum hujusmodi judicium Dei, tanquam apud ipsum sit acceptio personarum dum salvans istos, alios reprobans: tanquam præterea sit in eo sæva quædam crudelitas & indigna bonitate sua summa?

Volucer. Absit Monice talis adversus Deum blasphemia, neque enim personam accepisse, neque injuriam fecisse dici potest, qui nulli debitor est: quod notavit Apostolus, dicens: *O homo tu quis es qui respondeas Deo? numquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem,*

norem, aliud vero in contumeliam? Rom. 20. 21. Talis apud homines similitudo plurima reperitur, nedum super rebus vita carentibus; sed animatis, quibus utuntur pro arbitrio suo, aliis ad mortem, aliis ad conservationem, nec arbitrantur se vel injuriæ, vel crudelitati obnoxios esse.

Quid si vult Deus in magna domo sua manifestare divitias gloriæ suæ, istis in ostensionem Misericordiæ, aliis in manifestationem suæ Justitiæ, glorificans illos ex Misericordia, istos ex Justitia derelinquens? quatenus resultet carmen illud pulcherrimum ex gravi tenore Justitiæ, & molli cantu Misericordiæ, de quali profitetur Propheta: *Misericordiam & Judicium cantabo tibi Domine.* Ps. 100. 1.

Quod si pauciores sunt qui salvantur, manifestior est in hoc gratia Dei, quemadmodum inter surdos & claudos, mutos & mortuos pauciores sunt qui miraculo curantur, quam qui propriæ conditioni relinquuntur.

Verum dum ad singularia fit descensus & inquisitio, cur videlicet Petrum vel Paulum Deus elegerit ad salutem, Judam verò & divitem epulonem dereliquerit? oportet ut humana garrulitas opponat digitum ori suo, hoc unum profitens quod *Justus est Dominus in omnibus viis suis.* ps. 144. 17.

Itaque sicut nulla potest assignari ratio, cur inter tot res possibiles fieri, ista non, illa facta est, nisi beneplacitum Dei. Ita de recreatione seu regeneratione ad vitam spiritualem, multo magis dici debet: neque confugiendum est ad illorum merita vel opera, quos ab æterno prædestinat Deus; quia si ex operibus, jam non ex gratia. Sed neque priorem æterna Dei voluntas causam habet, qui fecit omnia propter semetipsum, impium quoque in diem vindictæ: nihilominus fatendum est quod nemo sine culpa damnabitur, sicut absque gratia salvabitur nullus.

Monicus. Pergo, Volucer, inquirere consequenter, si hanc aliquando Peregrinus noster considerationem super se & ad se reflectit. Meditans ne fortè sit ex numero reproborum; neque enim gloriari potest se peccatum non habere, neque de alia massa esse quam cæteros.

Volucer. Dicam illud Monice quod sentio. Meditatur aliquando secum conquerens, quid si justo Dei judico damnandus est? Si reperit indispositum cor suum ad humilem hujus considerationis susceptionem, derelinquit eam, & ad alia se convertit; quemadmodum fieri consilium est in tentationibus vel interrogationibus carnalium peccatorum, vel experientiis earum rerum quæ sunt difficillimæ electionis, ut si quærat aliquis à semetipso: malles membratim laniatus mori quam illecebrosæ voluptati mulieris pulcherrimæ consentire? Si verò percipit affectum suum Deo propitio tranquillum, humilem & suavem, sicut imprecatur Apostolus: *Deus autem spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, ut abundetis in spe & virtute Spiritus sancti,* Rom. 15. 13. sistit, pedetentim tamen & cautè in hac recogitatione, si fortè damnandus est. Cujus apprehensionis nequaquam remurmurat secundum præsentem affectum & sensum de divina Justitia. Sed humiliatus dicit: *Justus es Domine, & rectum judicium tuum.* Ps. 118. 137. Non quod damnationem eligat. Absit; quia nec Deus hoc vult ipsum velle, sicut nec peccare nec desperare dum viator est. Dicit potiùs cum Job: 13. 15. *Etiam si me occiderit tamen in ipso sperabo.* Et conversus ad Dominum cum pio & humili affectu. Scio inquit, æquissimè Judex, quoniam damnati in inferno te odiunt, te injustum, te invidum, te crudelissimum judicant, te blasphemant, tibi sanctisque omnibus ore rabido maledicunt; scio quod illic constitutus (heu me miserum) sic agerem: atverò dum interim affectibus tam efferis & blasphemis careo, amo te qui totus es amabilis; te justissimum, te amantissimum, te clementissimum dijudico, te collaudo, tibi sanctisque omnibus tuis ore pio benedico, quicquid postremò de me futurum ordinaverit voluntas tua corde credo & ore profiteor, quoniam nulla est iniquitas apud te qui sanctus es in omnibus operibus tuis.

Monicus. Placet Volucer distinctus iste modus habendi se circa recogitationem divinæ Prædestinationis seu Præscientiæ; nam sicut in primo curiositas temeraria, sic in secundo meritoria valde humilitas exercetur. Videre simile est in aspectu vel recogitatione formosæ mulieris, ubi periclitaretur incontinens; continens verò fortiter habituatus uteretur ad virtutem. Video quod amor hic gratuitus est, non mercenarius, non recurvus, hæc affectio filialis vel fidelis sponsæ; quem amorem, quia donum suum est, non acceptare non potest, quia diligentes se diligit. Beatus qui ascensiones in corde suo disponens ad hunc gradum penè supremum pervenit. Sentio deinceps magis ac magis, quo medio potest hæc consideratio pacem quamdam & consolationem operari: ita tamen si sit apud homines qui peccata jam non iterant; nam iteratio peccatorum quid aliud prætendit quam reprobationem & interitum? Attento quod spes non ex meritis proveniens præsumptio est, non spes æstimanda.

Volucer. Scio, ô Monice, quoniam nemo est qui vivit & non peccet, quando & septies in die cadit justus. Et *beatus* dicitur à Psalmista, non qui non fecit, sed *cui non imputavit Dominus peccatum.* Ps. 31. 2. Mirum fortasse videbitur quod dicturus sum. Invenire est hominem qui quantò pluribus impugnatur tentationibus, quantò renitens eis pluries evincitur, vel in voracitate gulæ, vel in somniculosa dormitatione, vel in stimulorum carnis crebra perpessione, & aliis hujusmodi, tantò frequentiùs, certiùs, & ideo fortiùs, quia humiliùs, in Deum se projicit, de Deo sperat & confidit. Consultè quidem dum nullam videt in se fiduciam resistendi vitiis, neque virtutes & salutem adipiscendi repositam. Fallor si non ita David egerit inquiens: *Impulsus sum ut caderem,* subdit cujus innixus est auxilio, *& Dominus suscepit me.* Ps. 117. 13. Rursus cum ab hominibus sibi desperatio improperaretur, quia tulerat ovem & pastorem occiderat, & dicerent, non est salus ipsi in Deo ejus, ipse solidiori spe Deo fisus respondebat: *Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.* Ps. 3. 4.

Monicus. Ut intelligo Volucer, ita se res habet, quod apud verè humilem quantò minus est in se spei, minus in ope aliena fiduciæ, minus denique vult constituere justitiam suam, tantò plus spei, plus fiduciæ de Deo concipit, plus quoque justitiæ Dei sit subjectus, dicens ex sententia: *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam* Ps. 72. 28. clamans ei: *in tua justitia* (planè non in mea) *libera me.* Ps. 30. 2. Postremò magis intelligere nunc videor, quæ in devotorum libris legi, de introductione sponsæ in cubiculum sponsi, de osculo oris ejus post osculum manuum & pedum, de habitatione præterea in adiutorio Altissimi, non in habitatione vel meritorum propriorum quæ vana est, vel pœnarum futurarum quæ anxia, vel industriarum propriarum quæ timida est & incerta. Certa vero qualiter esse possit in adiutorio Altissimi, inter tot vitæ discrimina, inter tot criminum lapsus, inter tantam electorum paucitatem edisseras velim?

Volucer. Rerum ista conditio est, ô Monice, ut in suos fines tendant, quibus adeptis, quiescunt adhærentes eis; hoc de gravibus deorsum, hoc de levibus sursum videre est. Est autem humani cordis desiderium & pondus in Deum sicut in locum suum & centrum ferri est supremum post quod non relinquitur aliud humanæ peregrinationis refugium. Super est igitur nihil infra quod, vel ultra quod

possit humanum se cor deflectere vel fugere, dum pondere suo se constituit adhærere Deo, nunc interim per Spem, Fidem & Amorem; neque enim sibi dat aliter status præsens. Porrò sicut aliquis dicitur adhærere certitudinaliter loco alicui, vel baculo dum totis viribus ita stare vult; non aliter spem certam dicimus per deliberatam voluntatis adhærentiam; neque enim spes est in assensu & vi rationali, A sed desiderio & expectatione virtutis irascibilis tendentis in ardua, quod desiderium, tendentia vel expectatio reperitur in virtute spei cum tanta certitudine per adhærentiam voluntatis, quod per nullius tentationis vel recogitationis insultum vult ab ea semet evellere. Consurgit ex radice simili certitudo in assensu Fidei, dum per nullas rationes vel phantasias Fidem impugnantes, vult derelinquere quo minus stet in Fide, ad obeditionem Dei & meriti conquisitionem.

QUARTUM METRUM

Primi Dimetrum Jambicum, & currit cum metro tertii Libri Boëtii: *Habet hoc voluptas.*

Quæ montis alto stat jugo
Quercus suis radicibus
Defixa nitens fortiter?
Ventos & imbres non timet,
Assumit hinc plus virium
Quo plus in imo se locat
Concussa venti turbine.
Sic spes ferens tentamina.
Antheus invictus fuit,
Dum cautus incubans humi
Non vult in altum surrigi,
Elatus ilicò perit.
Quæ collocatur saxeo
Domus loco fideliter,
Venti, pluviæ, flumina
Desæviant, nunquam ruit.
Hærere vos spe firmiter
Vestro loco nitamini.
Vester locus certè Deus.
Quo spes reponit certior.

PROSA QUARTA PRIMI LIBRI

MONICUS.

VISUM est aliquibus, ô Volucer, quod spes in præscitis semper sit erronea: id enim se putant habituros quo carebunt. Alii volentes hanc absurditatem evadere, dixerunt spem in hac conditionali existere: Si legem Dei observavero salvus ero.

Volucer. Monice, nec hoc ultimum sufficit ad spem; staret enim cum desperatione talis conditio: nec primum sobriè dictum est, quod Deus obliget reprobos ad errandum, sicut obligat ad sperandum; proindè spes ad certam Beatitudinis expectationem sic se habet. Ponit sibi per Fidem quod est aliqua talis Beatitudo; jungit quod ad illam pura liberalitate & gratia Deus ab æterno quosdam prædestinat & eligit. Addit quod ad consecutionem hujusmodi finalis Beatitudinis, ordinavit media convenientia variis modis D sine numero: inter quæ medium præcipuum est gratia, quæ ideo dicitur vita æterna, quia pignus ejus est vel arrha. Hanc autem gratiam nulli dedit neque daturus est, nisi per medium Mediatoris Dei & hominum, quam gratiam pro omnibus meruit ad sufficientiam; sed non ad efficaciam nisi incorporatis sibi per Fidem habitualem, ut in parvulis; vel actualem & habitualem quæ per dilectionem perseveranter operatur, quæ Fides minus explicita fuit in Prophetis tempore Legis scriptæ, quàm in Apostolis tempore Gratiæ. Et longè minus in Philosophis & aliis Gentilibus pro Lege naturæ: quamvis enim omnes accedentes ad Deum oporteret credere quod Deus est, & quod inquirentibus se remunerator sit; quis esset tamen modus quo talis remuneratio consequeretur, per mysterium videlicet Incarnationis Filii Dei, sicut non erat explicitè revelatum, sic nec explicita Fide credendum. Cæterum Spes taliter instructa per Fidem quæ suus est oculus, figit inprimis desiderium suum ad Beatitudinis adeptionem tanquam ad finem; & ab illo desiderio nequaquam vult avelli. Deinde desiderat media quælibet ad hujus finis assecutionem per Dei providentiam ordinata *per arma justitiæ*, sicut dicit Apostolus, *a dextris & a sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam* &c. 2. Cor. 6. 78. Fides itaque rursus dicit ei, quod *diligentibus Deum* & sperantibus in eo, *omnia cooperantur in bonum*, sicut tradit Apostolus, Rom. 8. 28. quod omnia nostra sunt, conformiter ad Christum: *Primum quærite regnum Dei, & omnia hæc adjicientur vobis*, Matth. 6. 37. neque talium aliquis prædestinatorum peribit unquam. Quo contra fit de reprobis quibus omnia cedunt in malum, etiam aliena bona, quæ in scandalum sibi vertunt & ruinam. Nihilominus quoniam ignotum nobis est quos B vult inter homines Deus & qualiter salvos fieri, operandum est bonum ad omnes, vel orando vel commonendo, vel hortando, vel increpando, vel ab erroribus & vitiis abducere satagendo. Ita sagena charitatis concludit in se bonos & malos separandos in die judicii.

Præterea si ex peccatis electorum, divina bonitas potest, scit & vult elicere bona, non tamen idcirco mala bona sunt, vel eligenda, sed cavenda penitus plangendaque. Collaudandus autem benignissimus & omnipotens Deus, qui malis nostris non solùm non vincitur, sed ex eis operatur bonum nostrum: sic enim dicitur, omnia sub peccato conclusisse, scilicet permissivè, ut omnium misereatur. Peccavit Petrus; humilior, cautior & misericordior effectus est, non actione mali, sed miseratione Dei. Peccavit Magdalena; plus postea dilexit, quia multum sibi dimissum est, & in exemplar pœnitentiæ cæteris cessit. Blasphemus fuit Paulus; confitetur C humiliatus, quod non sit dignus vocari Apostolus, & est inter peccatores primus: denique jucundatur Pater & epulatur in receptione Filii prodigi: *Et gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Luc. 15. 10. Quis nesciat proinde pauperes dum de stercore peccatorum erigit eos Deus, collocans in gloriam cum Principibus populi sui, quod in ampliores erga divinam benignitatem assurgunt gratiarum actiones? non quin innocentia præservata servataque plus habeat dignitatis & gratiæ, cæteris paribus: sed in reparatione deperditæ, magis eminet misericordiæ benignitas. Miserandum verò est quod in reprobis agitur è diverso: de virtute & humilitate superbiunt & gratuitis Dei donis vel ingrati, vel tepidi sunt, vel in suam & aliorum perniciem & Dei inhonorationem abutentes vertunt; ita ut eorum quandoque fiat oratio in peccatum; hîc per ingratitudinem, in inferno autem per blasphemiam insaniorem. Recordantes enim quemadmodum fuerunt aliquando supplices Deo, hæc & illa bona facientes, venerantes Sanctos Sanctasque omnes cum devotione, quidni rabidiori contabescant odio, & maledictis latrent adversus Deum, Sanctos Sanctasque omnes; præsertim eos quos præcipuè coluerunt, eos crudelissimos, impios & ingratos, qui non ipsos à tormentis, cum possent, eripiunt, acclamantes? Quid ergo dicemus ad hæc? faciemus igitur mala ut Deus eliciat bona, vel bona vitabimus, ne contingant mala qualia tetigimus? Absit; propter id enim quod

quod per accidens est, non debet illud quod de per se est variari.

Monicus. Horresco, Volucer, hæc audiens, & videns te superadmirabili via niti pro consolationis adeptione, dum tremendæ & contrariæ desolationis memoriam subinducis.

Volucer. Hic modus est, hæc ars Theologiæ, credideris Monice, quod sicut per stultitiam & scandalum prædicationis Crucis salvos fecit credentes, sic per insipientiam trahit ad sapientiam, dicente Apostolo: *Se quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens.* Cor. 3. Non aliter vult eadem Theologia, per summam desperationem de homine, trahere ad summam de Deo spem, & per desolationem inæstimabilem & intolerabilem, sursum ducere ad solidam consolationem. Addideris nullam esse recogitationem, quæ plus istâ radicaliter evellat ab humano corde superbiam de se semper aliquid magnum præsumentem, cui resistit Deus, quæ magis insuper gignat & nutriat humilitatem legitimam sub Deo, & ad homines, vitiis procul expulsis, quæ fert secum superbia: nam qua fronte poterit aliquis fratrem suum qualemcumque deinceps vel odio vel invidia prosequi, imò nec animo, quod reprobus sit, judicare; qui videt se de eadem massa peccati in eadem damnatione esse, neque scit quid sibi crastina pariat dies? Quod si voluerit gloriari de bonis suis, mendax est si non habet; si habet, illa gratis accepit à Deo: quid ergo gloriatur quasi non acceperit? Quid præterea judicat alienum servum, qui domino suo stat aut cadit: stabit autem, potens est enim Deus statuere illum. Sub hoc intuitu dixisse putandus est Apostolus, *venit Deus salvos facere peccatores, quorum primus ego sum,* 1 Timoth. 1. 15. primus intelligo, quo nullus prior, videns se cum aliis æqualiter filium iræ, & ex eadem peccati massa esse, quales venerat salvare Deus.

Monicus. Intelligo Volucer, materiam hanc de timore & spe latam esse: vellem traderetur sub compendio modus, quo precipuè spes stabilitur.

Volucer. Nimirum stabilitur à Deo, cujus supernaturale donum est. Sed si particulariùs aliquid exigis, invenitur quadruplex meditatio quæ velut in tetragono firmissimo gestat spem: Una, meditatio est divinæ jussionis ut speres: altera divinæ promissionis si speres: tertia immensæ Dei pietatis, ne desperes unquam de suis miserationibus: quarta propriæ fragilitatis, ne speres in te vel in propriis viribus. Dic igitur cogitationi tuæ sollicitanti spem deserere, dum non facis certam vocationem tuam per bona opera, quotidie corruens de peccato in peccatum, ingerenti proinde ne sis de multis vocatis & non electis, sicut vita tua similis est multorum. Dic respondens, quod obedis jubenti Deo, qui mille locis Scripturæ sacræ, præcipit ut speres in eo, cui dicito: *Exurge Domine Deus in præcepto quod mandasti,* Ps. 7. 8. projicio me in te jubente te, non es crudelis aut fallax ut abjicias me, juncta præsertim multiplici promissione tua, qua sperantibus in te pollicitus es quod liberares eos, eriperes, salvares, & glorificares. Cujus demum tam immensa pietas est, ut nullis peccatis etiam infinitis (si commisissem ea solus) vinci possit hic in via: quodque interposuisti cum immobilitate consilii tui jusjurandum, *ut per duas res immobiles,* sicut loquitur Apostolus tuus, *quibus impossibile est mentiri te, nos fortissimum solatium habeamus ad tenendam propositam spem.* Hebr. 6. 18. Quamvis enim sis inobligabilis à creatura tua rationali, quidquid agat pro te vel erga te; voluit tamen dignantissima condescensio tua, commercium quoddam habere cum hominibus, ut benè de te mereantur, si jussa tua compleverint & in te speraverint, qui fidelis es, & teipsum negare non potes: Hæc tu ita Deo. Postremò dum propria fragilitas objicitur ut desperes, desperes volo, sed de te & in te, qui homo & caro es: Nam *maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor ejus.* Jerem. 17. 5. Sed hic occurrit trepida cogitatio dicens; qua ratione conabor declinare vitia, virtutes acquirere, servare mandata Dei, sine quibus sperare vitam ingredi jam non spes est; sed arrogans & infidelis præsumptio? Conaberis prorsus, sed in adjutorio Altissimi, & millies victus millies coronaberis, eò quidem ampliùs & certiùs, quò nulla tibi superest fiducia de propriis operibus. Propterea dicturus Salomon Proverb. 7. finem concionationis suæ, dum proferre vellet. *Serva mandata,* præmisit, *Deum time,* quia videlicet ab ipso est bonum & velle & perficere.

Monicus. Retineo quod in Soliloquiis similia de se confessus est Augustinus; „ Sperabam, inquit, „ aliquando in virtute mea, quæ non erat virtus: „ Et cum sic volui currere, ubi magis stare credebam, ibi magis cecidi, factusque sum magis retrò, quàm antè: dicebam enim, hoc faciam, „ illud perficiam, fiebatque post nec hoc, nec illud, quoniam de meis viribus confidebam. Nunc „ autem confiteor tibi Domine Rex, Pater cæli & „ terræ, quoniam non in fortitudine sua roborabitur vir, ut non glorietur ante te stulta præsumptio „ omnis carnis.

Volucer. Traducit advena noster meditationem hanc etiam usque ad Angelos & Sanctos, dum attendunt horrorem divinorum judiciorum in damnatis. Canimus enim quod tremunt Angeli atque Archangeli, tremunt, intellige non ex formidine suæ damnationis, quibus inest gloriæ securitas; sed eò magis ex aliorum damnatione, quasi si tremerent, & paverent in se deficientes; resiliunt in adjutorem unicum Deum adhærentes ei, se fragiles & nihilo similes reputantes sine eo. Addidit de humanitate Christi, quod sicut in esse suppositali, sic innititur personalitati filii Dei, quod propriam deserit, nec in se subsistit: ita in esse gratiæ vel gloriæ totaliter innititur Deo, & nullatenus in se. Et ita de Sanctis, quantò perfectiores, tantò humiliùs & reverentiùs in adjutorium Dei resiliunt. Quò contrà de reprobis, qui magis refugiunt à Deo, & ad se confugiunt, quò damnabilius puniuntur; quoniam in ipsis est amor sui usque ad contemptum Dei, sicut in aliis est amor Dei, usque ad contemptum sui. Denique spes velut anchora, quantò minùs in arenulis fragilibus & fluidis humani auxilii figitur, tantò solidiùs & certiùs supra firmam petram, quæ Christus est, defixa stabilitur. Quod si quæsierit aliquis, quid igitur de illis, quos non salvat Deus? Responsum habeat, quod velut animalia propter homines creata sunt ad obsequiorum varietatem, illa blandiendo, ista sæviendo; intelligere sic habemus, propter electorum salutem præscitos esse formatos, sive nocere, sive obsequi conentur, ut non glorietur omnis, vel obsequens electis, vel adversans eis. Neque tamen ita sunt accipienda, quæ dicta sunt, quasi tollatur libertas arbitrii; fortificatur siquidem magis & instituitur, sed in Deo vivificante per gratiam, quæ est velut anima quædam vitam habens in potentia ad vitam secundam, ad meritoriam videlicet operationem. Itaque sicut operatio animalis præsupponit esse naturæ, sic operatio spiritualis vitam gratiæ. Sed neque audiendus est Cicero, qui ut libertatem in hominibus statueret, abstulit à Deo providentiam: neque rursus ex adverso recipiendus alter, qui divinam providentiam sic instituere voluit, ut arbitrio nostro necessitatem imponeret. Proh nefas! etiam in peccatis dicens Deum velle & facere nos peccare in manifestationem gloriæ suæ. Porrò viam mediam & regiam tradit Theologia revelata Fide subnixa, qua gradiendum est, etiam ubi ratiocinationis contrariæ dissolutio plena non pateret.

Monicus. Existimo quod has sententias nec inexperti

perti satis capiunt, nec experientiam dare potest industria, nisi præveniente in benedictionibus dulcedinis, & cooperante Dei gratia, valde ineffabili modo: & hoc est Dei donum, scire à quo postulanda sit & impetranda talis gratia. Multa enim dicimus & deficimus, verbum autem abbreviatum & consummatum facit sapientia, dum in animas sanctas se transfert, A delicias suas computans esse cum filiis hominum, in quibus beneplacitum est Deo, quia speraverunt super misericordia ejus. Sed ecce jam advesperascit & inclinata est dies, quando ad se me vocat opus Dei, simul & viæ lassitudo quietem te petere suadet. Expectetur pro reliquis (multa enim quærenda supersunt) sequens dies.

Volucer. Expectetur placet, si priùs audieris sub exemplari modulamine qualis sit, ut eum recogites, germani tui status.

QUINTUM ET ULTIMUM METRUM

PRIMI LIBRI.

B

Alemanicum Dactylicum, Tetrametrum Hypercatalecticum currit cum quinto quarti *de consolatione philosophiæ Boëtii: Si quis acturi.*

UNUS è multis nauta, profundo
Dum regit navem; ventus & imber,
Et procellarum turbida moles,
Si repentinis motibus urgent;
Proximam nautis crebro minantes
Naufraga cladem mortis; adesse
Nititur fisus arte magistra:
Nil inexpertum corde paventi
Segniter linquens; omnia solert
Tentat, ut navis littora captet.
Si mali verò tanta molestat
Sæviens pestis, jamque latratu
Terret auditum Scylla canino,
Attrahens gulpho cuncta voraci;
Non opem possunt ferre sodales,
Pars & in preceps ultro laborat,
Scitque nauclerum stertere puppi.
Obstupet talis quis, nihil ultra
Viribus fidit, spes nec in arte est,
Respicit cælum, vota Deo dat,
Aut mari sese dejicit alto
Nudus enatans, si scopulosum
Prominens saxum suscipit ipsum.
Vel sinu tuti conditur antri.
Laudat excelsum gratior, illi
Dicit, evasi sorte benigna.
O reservatum sanctius olim
Obsequi fas sit Christe tibi, me
Rursus, aut si me navigio das,
Utar illo fac prosperiore.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER SECUNDUS.

PROSA PRIMA.

MONICUS.

ECCE nobis, ô Volucer, altera dies fulsit, illa continuaveris precor effari quæ cæpta sunt.

Volucer. Neministi puto sub quali similitudine finem A accepit hesterna collocutio. Non omnino dissimiliter nunc advena noster ex procella publici civilisque naufragii consultè fugiens, in locum satis abditum velut in quamdam securitatis Insulam se recepit. Illic more solitarii sedens levat se supet se, Theologiam habens consolatricem quæ doctrix est disciplinæ Dei & electrix operum illius, quæ sobrietatem & prudentiam docet & virtutem, quibus utilius nihil est in hominibus. Hæc erigit ad spem futurorum, quemadmodum tetigimus, asserens quod *non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*, Rom. 8. 18. Addens quod *spes non confundit*, Ibid. 5. 5. ita tamen si sit vera spes, non temeraria. Est B itaque repromissio nequissima fallens quamplurimos blandientes sibi, utere mundo dum ætas florida est, converti poteris cum voles, tanquam videlicet ex propriis viribus non Dei dono fiat conversio. Sunt & alii quos eò periculosius quò subtilius decipit æstimatio sua, dum casus peccatorum varios quos perpetiuntur, emendare non curant; utuntur potiùs ad superbiam, reputantes simile aliquid secum fieri cum Apostolo, cui datus est stimulus carnis ne magnitudo revelationum extolleret eum, eis autem (sicut aiunt) ne magnitudo virtutum. Ab aliis migrat Judas, id est, confessio propter multitudinem servitutis. Tædet enim & pudet eos totiens ad Confessores deducere lapsus suos, à quibus abstinere vel nequeunt, Domino permittente vel non satis volunt. Sunt quos scrupulorum inquietudo & cordis pusillanimitas ita perturbat, ut vix relictus sit in eis spei locus. Sufficit aliis scire de Spe per intellectum differere, dicentibus in Deo solo Spem esse reponendam; quis nesciat? uerum apud tales nullus penè Spei vel sensus vel effectus est. Invenies alios sperantes in misericordia Dei, quos ad homines nulla flectit misericordia, venia nulla patet. Quid quod desiderant alii de Dei A bonitate, si non suavitatem dulcedinis suæ experimento jugi gustent; quasi jam esse velint non Spe, sed ipsa re Beati, & possidere hæreditate sanctuarium Dei, neque esse in laboribus hominum, neque cum hominibus per tentationes flagellari. Alios videre est dum eos paululum visitat Deus in opulento & intimo bonæ spei sensu, protinus extolli, sibi magnos esse, propriæ vitæ negligentes, & severos alienæ censores, arrogantiores demum unde humiliores coram Deo & hominibus & sibi viliores esse debuerant. Quid porrò dicemus de duplicibus corde, qui duabus viis niti volunt, spem in mundo ponere & spem in cœlo collocare cupientes: quid rursus de ingratis largito- B ri Deo pro omnibus bonis vel naturæ, vel fortunæ, vel gratiæ? Qui utinam saperent illam Sapientis gravem vocem? *Ingrati spes tanquam hybernalis glacies evanescet.* Sap. 16. 29. Aliorum vox ista est: certus sum me salvandum; neque enim fecit me Deus ut damnaret, *qui vult omnes homines salvos fieri. Major est iniquitas mea* (dicit alius imitator Cain) *quam ut veniam merear*, Gen. 4. 13. quid conabor, quid sperabo? Laxis habenis utitur alter certam damnationem suam pro incerta faciens, quicquid inquit, egero bonum sit aut malum; quod de me statuit Deus, illud fiet. Mirum verò cur non utitur argumento simili, dum medicinam ut sanetur, vel cibum ut vivat su- C mere monetur; quia præscivit utique Deus quando morietur aut vivet.

Monicus. Beatus est Volucer cujus est verè nomen Domini Spes ejus, & non respexit in vanitates & insanias falsas, quales commemorasti. Sed revertor ad adve-

advenam nostrum. Nonne quæso retorquet frequens suæ considerationis oculos ad præterita, quæ vel pertulit, vel aliorum exemplo perferre potuit?

Volucer. Retorquet quidem & id crebrò, gratias inter tristitiam simul & gaudium, spem & metum agens Deo, nihil sollicitus juxta monitionem Apostoli, nisi ut petitiones suæ innotescant apud Deum, pro sua suorumque liberatione, consolatione & salute. A

Monicus. Justè verò gratias agit, quis enim non eum felicem ex hoc uno si cetera deessent judicaverit, quod deformissimam & horridam, nedum civitatis præclarissimæ, sed totius Regni nuper florentissimi desolationem, non dicam experiri in se, sed nec oculis inspicere compellitur? Nonne legimus Augustinum ea tempestate qua obsidebatur civitas sua, potiùs mortem à Domino petiisse & impetrasse pro magno munere, quàm quòd mala gentis suæ coram cernere cogeretur? Hinc & Matathias Princeps dum videret mala quæ fiebant in populo Juda & Jerusalem, *Væ mihi*, ait, *ut quid natus sum videre contritionem populi mei, & contritionem civitatis sanctæ, & sedere illic cum datur in manibus inimicorum.* Machab. 2. 7. Nota est historia de Catone qui mortem cruentam inferre sibi maluit, quam in dissidio civili vivere, ipsumque videre tantæ tempestatis auctorem.

Volucer. Est ut dicis, Monice. Ponit nihilominus crebrò præ oculis cordis sui, quot indignissimas subsannationes, quot opprobria pessimorum, immò fortasse carceres & vincula multos ex innocentibus charis suis, pro Fide, pro Justitia, pro pace Reipublicæ, pro integritate regalis Dominii perpeti necesse est. Quinetiam videre sibi videtur nonnullis hæc accidere, eò duntaxat quod sibi vel affinitate vel familiaritate vel causæ similis defensione, parique zelo conjuncti sunt; eis objectari præterea, quod magna mali radix & origo ab illo processerit & aucta sit: venisse autem tempus quando judicium cum suis recipiet; immò & refuga factus, exul, ignominiosus & abjectus, nec aspectu publico dignus jam recipit. B

At verò trajicit has & similes contumelias in spem vitæ æternæ, sciens propter conscientiam & veritatis zelum hæc perpeti & quod non est servus major Domino suo, quem nedum Beelzebub appellarunt; sed ad mortem usque persecuti sunt. Formidat proinde quod apud Deum non sit dignus habitus, qui cum aliis similia pateretur; aut temperavit in illo flagellum suum, qui vincitur in Martyribus parcendo Confessoribus; aut noluit benignitas sua addere tristitiam super tristitiam suis pro se orantibus amicis, nec veritatem in ejus opprobrio vehementius conculcari; aut ad extremum reservat ipsum ad alia certamina; aut ita fieri voluit quatenus in solitudine quadam segregatus exercitetur liberius & scopat spiritum suum, recogitans omnes annos suos in amaritudine animæ suæ, ut sanctiùs deinceps ad anteriora se extendat. C

Monicus. Spero Volucer vertet omnia in bonum Deus, cujus sapientia attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter, qualem ei comitem esse præmemoratus es.

Volucer. Confidit taliter eventurum sibi, Deo propitio, & in hac meditatione constituit alteram suæ consolationis causam præcipuam, quæ versatur in revelatione regiminis mundi per Scripturam sacram, quæ Deo dicit, *Omnia in sapientia fecisti.* Ps. 103. 24. Et rursus: *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis*, Ps. 134. 6. quæ voluntas sicut semper efficax sic & justa est, sine qua factum est nihil, usque adeò quod neque folium ab arbore neque passer in terram (dicente Christo) cadit sine ea. Vehemens prorsus hæc est divinæ libertatis in omni actione concurrentis expressio; cui voluntati nostra ut conformetur oportet: nam quis es ô homo (loquitur Theologia) qui divinæ voluntati præsumis obsistere, vel adversus eam temerarius murmurare? Vide quid æquius est; aut te voluntati divinæ conformando subdere, aut quod ipsa tuæ subserviat voluntati? Hanc solidam de divina providentia veritatem si Philosophia plenè potuisset attingere vel suis eam sectatoribus demonstrare; Theologiam superaddi per revelationem non ita necesse fuerat, quamvis voluerit alios Deus quam Philosophos cognitionis hujus saluberrimæ participes fieri. Philosophis verò sic evenit ut major eorum numerus poneret Deum non minori necessitate quam solem agere quidquid agit. Unde sic libet depromere. D

PRIMUM METRUM

SECUNDI LIBRI.

Dactilicum Adonicum Dimetrum Ccatalecticum, currens cum ultimo primi DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ. *Nubibus atris.*

SOL radianti
Luce coruscus
Lumina fundit
Semper eodem
Missa tenore,
Nescit avaros
Condere vultus.
Non sibi fas est
Qum sua virtus
Largiter omnis
Influat orbi.
Philosophantum
Turba priorum
Lege coercet
Hac dominantem.
Libera dicunt
Non sibi vis est
Influa mundo
Qua valeat plus
Aut minus uti
Perpetuata
Lege gubernans
Jugiter una,
Mens sua fato
Stringitur arcto.
Ergo rependi
Gratia qualis
Debet eidem
Id quia præstat,
Præstet oportet.
Vana quid ores
Flectere quærens
Ad tua vota
Qui manet idem?
Devius error
Iste, sacrata
Religionis
Destruit omne
Robur & aufert,
Sed nec egere
Crede supremum
Quoque creato.
Sat sibi laus est
Ut placet & vult
Dat sine motu
Cuncta moveri.

SECUNDA PROSA

SECUNDI LIBRI.

MONICUS.

PHILOSOPHIA, Volucer, numquid non apud Boëtium utramque ponit & salvat libertatem, Dei

Dei videlicet & naturæ cujuslibet utentis ratione?

Volucer. Constitutus in superiori lumine potuit ita videre Boëtius qualiter nec Platonici, nec Stoïci in lumine solo Prophetiæ versati viderunt. Alioquin perpetuitatem mundi (ut alio modo non attingam) nequaquam demonstrare conati fuissent ex carentia libertatis ad utrumlibet primæ causæ, de qua canit Theologia, *dixit & facta sunt, mandavit & creata sunt.* Ps. 148. 5. Nec mirandum hoc in Philosophis A qui perfectionem & actionem primæ causæ venabantur ex inspectione creaturæ visibilis, in qua non est per experimentum reperire, quòd aliqua sit aut possit esse creatio. Hinc pro principio percrebuit apud eos ex nihilo nihil fieri, sed hæc alibi latiùs tractanda sunt. Et amplectenda Theologiæ traditio per Scripturam revelatam, quòd divina voluntas agit ad extra liberè, contradictoriè, & ad utrumlibet sicut historialis & propheticus Scripturæ decursus palam monstrat: cujus ratio est, quam Philosophi vel negaverunt vel nesciverunt: Deus quippe non ideo vult res ad extra fieri, quia bonæ sunt, quemadmodum movetur humana voluntas ex objectione boni veri vel apparentis; est è contra potiùs quòd ideo res ad extra bonæ sunt, quia Deus vult eas tales esse, adeò quòd si vellet eas vel non esse vel aliter esse, id quoque jam bonum esset. Propterea benè enunciavit magnus Ambrosius post Basilium quod voluntas divi- B na, naturæ prima Lex est. Denique voluntas etiam creata si concedatur immobilitari circa volitionem alicujus boni, hoc non est nisi respectu finis & eorum sine quibus finis haberi non potest. Quis verò negaverit divinam voluntatem non alium habere finem quem velit, nisi se; quoniam propter se fecit omnia, & propter se erat antequam fierent omnia, qualia constat non esse necessariò connexa ad volitionem seu consecutionem finis hujus, quare nec necessariò volita sunt.

Secus in communicatione divinarum personarum ad intra, quæ in sua necessitate consistit sicut in sua necessitate vult se Deus. Qualis itaque reputanda esset divina perfectio, si ex proditione creaturarum dependeret, quas in sui comparatione constat esse quasi nihilum & inane. Ita ut mirandùm potiùs videatur, immensam perfectionem fuisse dignatam res tantæ imperfectionis, & cujusdam vilitatis producere ac regere, quas si repentè destrueret vel in unum C confunderet, quis ei dicere posset, cur ita facis? Quin etiam Theologia volens ampliùs captivare omnem intellectum in obsequium Fidei, proposuit in memoriam divinorum mirabilium escam quam dedit Dominus timentibus se in Eucharistiæ Sacramento, ubi relucet incomprehensibiliter quod super omnem sensum, super omnem naturæ communis ordinem, Deus potest, scit & vult quotidie mirabiliter operari. Ad consolationem igitur advenæ nostri pro recogitatis aliorum calamitatibus & angustiis Theologia sumit initium à prima & suprema causa, quæ Deus est; in cujus ditione cuncta sunt posita, & non est qui suæ possit resistere voluntati. Dehinc ad inferiores effectus se deflectit. Philosophia verò conversum ut sæpius processum retinet ab inferioribus & cognitis ad superiores & latentes causas, ductu rationis se sublevans. Occurrit autem D primitùs in hoc processu mutabilitas rerum infra labentium, variabilitas sortis humanæ, quæ nunquam in eodem statu permanet; denique confusio quædam & imperfectio eorum omnium quæ mundus inferior ostentat ut sunt divitiæ, opes, dignitates, regna, gloria, voluptates, quæ frequentiùs in contraria dilabuntur. Sed inchoat protinus ab alto Peregrinus noster Fide fultus: & quoniam sicut solent majores motus impedire minores, ita gravioris mali recogitatio, sufferentiam levioris facit æquanimiorem. Vult ecce supremus Judex Deus (prout edocet Theologia) quod ab initio mundi usque hodie & in secula suppliciis infernalibus Angeli multi & homines crucientur; vult alios in Purgatorii locis pœnis tradi; conqueri non audes neque debes: vult autem viatores homines tribulationibus multis exerceri: tu quis es qui querulando contradicas? Quid magnum si corruunt & pereunt quandoque peritura, si moriuntur aliquando morituri? Hoc verò magnum est elaborare quo fine concludatur vita semper victura vel in societate Beatorum vel in damnatorum calamitate.

Monicus. Sentio, Volucer, quod in alienorum sicut & in propriorum malorum meditatione contentus non est advena noster infima sectari, scandit protinùs ad suprema velut in arcem, supra quam non est altera, videat autem ne cadat: est enim, ut aiunt, lapsus iste sapientum de providentia Dei cum arbitrii libertate. Videat insuper ne dum fragilibus & caligantibus oculis incircumscriptibile lumen nititur attingere, demergatur in tenebras densiores, exemplo nicticoracis, quod inducit Aristoteles ad nitidissimam solis lucem.

Volucer. Tutatur eum Monice Fides illuminans tenebras suas, & aciem mentis invalidam sua luce collustrat, ut in tam excellenti lumine figi possit, eique sit delectabile, jucundum & salubre videre lumen divinum, quod absque ea odiosum foret noxium & triste. Proindè jam accepisti quid de cogitatione nedum alienæ, sed propriæ damnationis agit.

Veruntatem ad intelligentiam hujus rei, ne vel incredibilis vel scandalosa sit ad cognoscendum; prœterea qualiter & in quibus humana voluntas divinæ debeat conformari, rememoranda est distinctio de triplici voluntate prout ad omnem appetitum nomen voluntatis se protendit.

Est in supremo propriè dicta voluntas rationalis insita portioni suæ superiori, quæ ad Leges convertitur æternas vel ad unicam potiùs æternitatis Legem suam fœcunditate seu virtuositate multiplicem. *Est enim* juxta Sapientem *Dei spiritus unicus & multiplex.* Sap. 7. 22. Hæc voluntas ita semper conformis esse tenetur divinæ voluntati cognitæ, ut adversus beneplacitum suum nunquam remurmuret, quasi vel injusta sit, vel irrationabilis, aut incomposita, crudelis & invida. Hæc voluntas in Beatis spiritibus ita divinæ conjuncta est immobiliter, ut sicut ipsi cum Deo unus sunt spiritus, ita sit unum velle & unum nolle, quod amicorum esse proprium etiam Philosophia tradit. Hinc per Psalmistam *Absorpti sunt juncti petræ judices eorum.* Ps. 140. 6. Quæ petra Christus est & Deus; quia Christus Deus, cui sancti judices seculi ita juncti sunt, ut absorpti videantur in Deo, & unum facti in communione voluntatum cum eo. Porrò voluntas hæc in viatoribus bonis divinæ voluntati cognitæ, licet mobiliter, conformis est, orans ex instituto Christi. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.* Matth. 6. 10. Quod in oratione sua servavit dicens in agonia positus: *Abba Pater, omnia possibilia sunt: transfer hunc calicem à me; sed non quod ego volo, sed quod tu.* Marc. 14. 36.

Consistit in hac conformitate & applicatione voluntatis ad primam & inobliquabilem regulam divinæ voluntatis rectitudo cordis nostri, quam consequitur exultatio, lætitia, pax, jucunditas ac universaliter omne bonum; quod videns in spiritu Propheta clamavit: *Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde.* Ps. 72. 1. Quo contra pessimus judicatur Deus ab habentibus cor distortum, qualiter est in hominibus malis hic in via, flexibiliter tamen; in damnatis vero cum obduratione sempiterna.

Altera voluntas est inserta portioni rationis inferioris; quæ quidem altera dicitur non in substantia, sed quia convertitur ad leges vel res inferiores, elongata quodam modo à prima luce & virtute; eò tenebrosior & debilior effecta, quò magis ac magis

gis in inferiorum oblectatione & viſione ſe convertit, innectit & demergit; ita ut nequeat quandoque oculos tenebris aſſuetos in ſupernam veritatis lucem attollere; ſicut oculus carnis poſitus & recluſus ubi ſol materialis occidit vel occaſui proximus eſt, caligat. Hanc voluntatem inferioris portionis quandoque vocamus appetitum ſenſualem; non generaliter, ſed prout natus eſt obedire rationi, & ita liber eſt per paticipationem: ſecundum quam voluntatem A permittit nos Deus multa velle vel optare fieri, quorum oppoſita vult abſolutè divina ſua voluntas; ut pius filius bona voluntate vult Patrem vivere quem Deus mori ſtatuit. Hæc tamen in tantum recta eſt, ſi voluntati ſuperioris rationis, ſicut illa divinæ, nequaquam remurmuret.

Tertio modo ſub voluntatis nomine latè ſumpto, complectitur omnis appetitus qui non conjunctam rationem ſequi habet, ut eſt in hominibus de duplici voluntate priori; ſed regitur & dirigitur tantummodò quaſi regulata ab intelligentia infallibili quæ Deus eſt, qui ſic res ordinat ut eas proprios motus agere ſinat. Propterea voluntas hæc nullo pacto contraria poteſt eſſe vel adverſa divinæ voluntati, cujus ſolius influxum vel inſtinctum conſequitur: B quo fit ut in brutis non habentibus conjunctam ſibi rationem culpa careant motus ſenſuales quales in ſingulis variantur, ſecundum naturam hujus ſpeciei vel illius, quos omnes in hominibus quodammodò aggregatos inſpicimus.

SECUNDUM METRUM
SECUNDI LIBRI.

Dactilicum Archilogicum, conſtans tetrametro bucolico & tribus trochæis: concordat ultimo quinti Libri Boëtii: *Quam variis terras*: ſi combinentur lineæ duæ in unum verſum.

Quot ſubjecta modis animalia
Paſſionibus ſunt.
Crudelis leo, tigris & aſpera,
Trux aper, furore
Indomitus ſylvas onager colit,
Unicornix atrox,
Laſcivit vitulus, petulans caper,
Eſt equus ſuperbus,
Aſtus, fraus vulpi, lepori timor,
Os vorax lupis eſt.
Lividus eſt catulus, ſus ſordida,
Tardus eſt aſellus,
Urſa ferox, prudens elephas, ſibi
Caſtitas amica
Turtur fida pari, ſimplex quoque,
Stulta corde perdix,
Pavo glorius & Zelotypus.
Eſt avara cornix.
Felle columba caret. Canit omnia
Bubo dira planctu.
Eſt apis arguta, mira facit
Arte mel favoſque.
Provida ſe formica regit, pigra
Vult cicada ſoles.
Niſus aves, lucius piſces rapit
Eſt odor vulturi.
Pugnaci gallus eſt pectore.
Milvus eſt inerti.
Quis philomela modos veſtros capit?
Ac alauda veſtros?
Tales innumeras animalibus
Inditas videbis
Conditiones, quas natura dat
Alma cuique ſparſim.
Omnia perpulchro regit ordine,
Noxa nulla culpat.
Nullus & error ineſt, induſtria

Cuique mira valde.
Aſt hominis ratio complectitur
Omne tale ſparſim.
Per varias ſpecies rectrix data,
Cui neceſſe cunctos
Affectus juſto moderamine
Temperet regatque.
Si renuit, peccat, fit ſervaque,
Turpiorque brutis.
Stet ratio, fiet ſibi ſubditus
Ejus appetitus,
Et dominatur ei, quod ſi nequit
Haud ream putato.

PROSA TERTIA
SECUNDI LIBRI.

MONICUS.

MISERET me mei vehementer, meique ſimilium crede, Volucer, dum iſta perpendo, videns iniquitatem & contradictionem in hominum civitate vel regno ſpirituali, ubi ſumma tranquillitas eſſe debuerat, ubi par erat voluntatem quamlibet inferiorem parere ſuperiori; ſed hoc everſo turbatoque ordine ut pax abſcedat neceſſe eſt: nam pax quid aliud eſt quam ordinis tranquillitas in imperando & obediendo? Sed quid aget ſuperior voluntas, ubi ſi quid benè præceperit inferior non obedit?

Volucer. Obedit, Monice, ſi validum fuerit, ſi vivax & efficax imperium, cujuſmodi vivacitatem gratia virtuteſque conferunt; præcipuè jugis exercitatio voluntatis ſuperioris, ut ad divinam ſe convertat, videat, obſervet, inhæreat: ita enim fiet ut ipſa roboretur & debilitetur inferior in tractu ſuo, aptior effecta ſuſcipere formam vel influxum ſeu virtutem à ſuperiori derivatam. Imitandus eſt Jeſus factus nobis à Deo Sapientia, qui ſuſcepit & oſtendit in ſe quid agere debeamus, in quo præter voluntatem divinam (erat enim Deus) triplex quam diximus voluntas inventa eſt. Voluit ſecundum primam aſſiduè C quidquid Deus voluit, laudans & approbans ordinem divinæ Sapientiæ, Bonitatis & Juſtitiæ in omnibus quæcumque voluit & fecit in cœlo per ſalvationem, in omnibus abyſſis per damnationem, in terra & in mari per quamdam ſalvandorum & damnandorum variam agitationem. Nos itaque Jeſum ſecundum hanc voluntatem debemus imitari; & ſi non uſquequaque poſſimus ex æquo, dum hic vivimus, quando nondum confirmati ſumus, quando per alteram duarum voluntatum diſtrahi poteſt in nobis hæc voluntas & turbari, immò & ab actu ſuo penitus impediri, ſicut & judicium ſuperioris rationis ſecundum quod dirigitur, poteſt abſorberi. Secus in Chriſto ſicut in Beatis, quia ſecundum hanc portionem Beatus fuit in via Chriſtus: nihilominus hæc voluntas in Chriſto voluit ut inferior duplex voluntas ageret motus ſuos in omnibus abſque peccato: hinc doluit, hinc triſtis & mœſtus fuit, hinc oravit, hinc miſeri- D cordia motus eſt ſuper turbas & ægrotos, hinc lachrymatus eſt, hinc conqueſtus eſt tanquam ſenſualitatis Advocatus, *Deus Deus meus ut quid dereliquiſti me*, Matth. 27. 46. quando portio inferior abſque ullius conſolationis redundantia ſuperioris ad eam, demerſa erat in acerbiſſimæ paſſionis abyſſum. *Nemo autem unquam carnem ſuam odio habuit*. Epheſ. 5. 29. Hinc poſtremò, *cum clamore valido & lachrymis Deo ſupplicans expiravit*. Hebr. 5. 7.

Exemplum igitur dedit nobis Deus, ut quemadmodum juxta hanc duplicem voluntatem fecit, ſecundum quam erat viator, ita & nos faciamus; tam pro nobis quàm pro fratribus ploremus, oremus, triſtes ſimus & clamemus, quia ſic eſt voluntas Dei, cui ſuperior noſtra voluntas conformis eſt, ſi bona eſt. Conſurgit inde meritum multiplex ſi non dimovetur à ſta-

à statione sua, hoc est si propter motus inferiores illius duplicis voluntatis nihil uspiam mali agit quod divinæ sit adversum.

Monicus. Sed quid aget pauperculus & infelix viator venundatus sub peccato, sentiens cum Apostolo aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captivantem sub peccato, qualem Philosophi experti sunt? Quis enim vivens expers esse potest? sed originalis causa tantæ corruptionis fuit eis incognita, quam Theologia revelavit. Nonne dum conatur animus assurgere, illicò quasi paralysi dissolutus aut debilitatus coluber relabitur? Væ nobis viatoribus quos fatigat & sæpius interturbat voluntas inferioris rationis enitens ad se trahere superiorem rectricem voluntatem, pondere gravi fomitis originalis, graviori peccati actualis, gravissimo inveteratæ consuetudinis, & super omnem modum ingenti mole obdurationis, qualiter in Christo nec fuit, nec esse potuit, nec similiter est in Beatis.

Volucer. Exclamemus, Monice, cum Apostolo: *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Subinde respondeamus: *Gratia Dei per Jesum Christum.* Rom. 7. 24. Dicamus eidem: fiat nobis Domine secundum judicium atque desiderium, non inferioris sed superioris rationis atque voluntatis, fiat in nobis sicut in cœlo fit, ubi motus regularis primi mobilis tanquam rationalis temperat obvias resolutiones orbium inferiorum sive planetarum. Porrò contranitamur, ut possumus, retinentes saltem in suspenso quodam liberum arbitrium, ne præcipitanter eliciat actum suum, quoniam in hac vi suspensiva, sit velle, sit nolle, sit actus medius, salvatur præcipuè libertas arbitrii & sua in nobis utilitas: alioquin sine suspensione tali vel renisu, voluntas inferior fortificatur assiduè, rebellior quoque & indomabilior efficitur, usque adeò quod similis fit jumentis insipientibus, quæ carent arbitrii voluntate suprema, immò verò plurimum differt; quia substernit & servire facit suæ libidini dominam voluntatem, deterior effecta brutis, quò sævissima est injustitia ferens arma.

Omittamus eos quos ad hanc servitutem malitia pertrahit, loquamur illos qui judicium rationis (quo libertas radicatur) vel nullum habent ut infantes & fatui, vel imperfectum ut pueri, vel invalidum ut feminæ, namque varium & mutabile semper femina. Quod si causa cognoscitur cur puerorum sit imperfectum & mulierum invalidum judicium; credi non potest quantam turbam hujusmodi puerorum & puellarum inter barbatos homines experimur. Multi multa super hac re locuti sunt Astrologi, Medici, Philosophi, & hi vario modo; Poetæ, Magici, Prophetæ falsi vel idolatræ. Propheta verus tandem dixit de Deo: *Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.* Ps. 32. 15. Et Sapiens: *Cor regis in manu Dei est, quocumque voluerit declinabit illud.* Prov. 21. 1. Qui secundum Apostolum. *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Rom. 9. 18. Theologia verò recipiens ex omnibus priorum dictis id quod probabilius est, & improbabilia rejiciens, conflat & colligit pro statu viæ & naturæ & destitutæ causam talem. Itaque sicut anima rationalis dependet à corporali dispositione vel harmonia non quidem in esse, cum sit immaterialis & immortalis sed in operari in corpore; ita secundum varias operationes suas præsupponit & requirit diversas dispositiones harmonicas; unam habet ut informet & sustentet corpus, alteram ut vegetet & augeat, alteram ut moveat & sensificet. Et hoc quidem non uno modo, sicut nec unus est tantum sensus carnis, sed est exterior & est interior multiplex, quas inter harmonias non dubium quin primam in perfectione secunda excedat, secundam tertia, & ita de reliquis. Neque negat aliquis quin in prædictis operationibus utatur & egeat anima rationalis organo corporeo, sicut est forma corporis organici physici hominem in esse constituens.

Verum superest alia perfectior operatio rationalis animæ supra brutales, in qua convenit cum Angelis; quam operationem dicimus intellectualem, in qua radicatur libertas arbitrii, quæ libertas est facultas rationis & voluntatis, quia nec voluntas sine ratione eligeret, nec ratio sine voluntate vellet; libertas idcircò complectitur utramque vim. Rursus hæc operatio intellectualis quamvis in se non sit organica; præsupponit tamen dispositionem organicam in sensibus præsertim interioribus, perfectiorem, lucidiorem & quietiorem quam aliqua sit aliarum: *omnem enim intelligentiam*, sicut dicit Aristoteles, *necesse est phantasmata speculari.* Quamvis Avicenna & Algazel cum similibus, tradiderint intellectum desuper illustrationes ab intelligentiis, sine sensu prævio vel inspectione phantasmatum, posse suscipere; hinc prophetias & divinationes tam in vigilia quam in somniis salvare nituntur, sicut aliqui tradiderunt phantasias omnes brutorum & hominum à cœlestibus corporibus exoriri: longum verò prosequi esset opiniones singulas. Redeamus ad compendium & dicamus, ut cœpimus, quod intelligendo primitùs & species intelligibiles eliciendo, necesse est phantasmata speculari, non certè qualiacumque, sed ordinata, pura & lucida si liberum arbitrium debeat esse perfectum, stabile & integrum. Cum autem mille modis immò innumeris contingat istam quam usus liberi arbitrii prærequirit harmonicam dispositionem, nunc totaliter impediri, ut in infantibus & fatuis, ebriis & amentibus multis; nunc imperfectam haberi, ut in pueris; nunc instabilem & variam, ut in feminis & in omnibus generaliter qui variis passionibus affecti sunt; tandem integra vix habetur hujusmodi dispositio ad quæque intelligibilia, propter defectum consurgentem ex naturali vel accidentali complexione. Quo fit ut diversi vigeant usus liberi arbitrii, quidam in istis, alteri in aliis, & nequaquam in utrisque. Quid dicimus de diversis hominibus, cum varietatem istam diversis temporibus, immò eodem die & ferè de momento in momentum cognoscat homo qui se discusserit acriter in se ipso; dum famelicus aliter judicat quàm repletus, sobrius quàm ebrius, mansuetus quàm ira succensus, vigil quàm somniculosus, amans quàm invidus, continens quàm libidine stimulatus, humiliatus quàm exaltatus; & ita de reliquis sine numero. Neque tamen adhuc attigimus melancholicas phantasias, quas infinitas Medici tradunt ex humorum corruptione varia generatas, format enim, gratia exempli, phantasia fumis grossis obtenebrata, phantasmata terroris & horroris, sicut puer solus in tenebris indè clamans & fugiens. Qua ex re semper tristes sunt aliqui: aliqui è diverso joculariter læti.

TERTIUM METRUM

SECUNDI LIBRI.

Dactilicum, Pentametrum, Sapphicum. Et currit cum carmine septimo quarti Libri Boëtii.

Splendidi solis radii videndos
Exhibent sese intuitu fideli
Dum serenus sit medioque purus
Aer immò perspicuo refulgens
Guttulæ roris, pluviave densa,
Rarus aut nimbus vel opaca nubes
Pendulum si se per inane librant,
Frangitur circa radius cathecum,
Visibus falsas tribuit figuras
Mille protendens oculis colores
Iridis micans pluviosus arcus.
Halo lunaris, varia vel ortu,

Sol

Sol vel occasu specie nitescens,
Par in objectis speculis videre
In quibus distant color & figura
Pro situ tali variaque forma.
Est agens virtus anima suprema
Qua relucescit radians in ima
Parte passiva species in actum
Efficax ducit, sed speculatur,
Per prius grossi simulachra sensus,
Spiritus qua fert cerebri medullis,
Cum quibus fumos recipi putato
Hos vagos, turpes, fœtidos & atros.
Alteris mulcens nitor est & ordo
Pulcher, aptatus numero placenti.
En habes causas sapienter aptes
Cur sit elusus rationis usus
Arbitrans plenè nec inest facultas.

PROSA QUARTA
SECUNDI LIBRI.
MONICUS.

INTELLIGO, Volucer, quam latè pateat ista de phantasiis cordis, de fallacibus judiciis animæ perscrutatio, secundum quam meminisse debet homo fragilitatis & imperfectionis suæ: nam qualiter invenitur aliquis qui præfatis incommodis vel in aliquo non sit obnoxius; sed quemadmodum de vitiis Horatius dicit, *optimus ille est qui minimis urgetur*, ita liber ille dicendus est qui non ultra communem hominum modum melancholicis phantasiis irretitur. Redeat verò sermo noster undè sumpsit exordium ut consonus sibi fiat.

Volucer. Redeat volo, præmisimus quidem investigando consolationem advenæ nostri super contritione gentis suæ, quod cum Theologia ad conformandum voluntatem suam divinæ voluntati primitùs anhelat: ita enim habiturus erat cor rectum, ac perinde lætum, pacificum & tranquillum; sed quoniam de qua voluntate sermo fieret ignorare poterat, distinctio trimembris de voluntate subjuncta est. Reddita proinde ratio cur in voluntate præpeditur libertas arbitrii, quò facilius appareret qualiter adjuvatur. Progredientes igitur dicamus, quod intellectus post quam inspexerit phantasmata, potest inde species intelligibiles elicere, denudando quodammodo eas à naturali conditione & in eis effodiens agalma spirituale, hoc est simulachrum, vel conceptum nunc universalem nunc specificum; quo facto, intellectus taliter actuatus, jam potest ratiocinari, non inspecto phantasmate, jam syllogizat, discurrit, regulas artium sibi format generales & infallibiles ad exemplar artis primæ. Neque neganda est hæc vis intellectiva, cum de virtute æstimativa fateamur quod ex sensatis elicit species insensatas, ut ovis inimicitiam ex figura lupi. At verò dum semel actuata fuerit per phantasmata ortum habentia ex aliquo sensuum exteriorum, jam potest alia sibi formare talis generis in somno vel vigilia, aliter non. Cujus signum est quod à natura cæci non somniant neque phantasiantur de coloribus, neque de eis scientiam habent ullam. Denique per contemplationem (ut alibi dicendum est) venit mens ad intelligentiam puram & simplicem sine motu vel discursu ad exemplar, licet imperfectum valde, simplicis intelligentiæ divinæ, quæ unico contemplatur intuitu præsentia, præterita & futura; & instar centri intelligibilis, stabilis manens dat cuncta moveri; sic unica & invariata respicit & intelligit omnia quæ motui subjecta sunt. Ad hunc statum Theologia suadet aspirare, cui quantò proximior tantò stabilior & liberior est voluntas, quæ velut ex alto jubet & imperat sensuali voluntati, propter cujus tactum sicut nec propter motum, naturalis appetitus non deserit locum suum quo adhæret Deo, ponens in eo spem suam, fidem atque dilectionem. Quod si juxta Sapientis verbum, sicut parturientis cor suum phantasias patitur, ut fit in sensualitate, non dat illis cor suum intellectuale, nisi ab alto immissa fuerit visitatio, secundum quam regitur, agitur atque dirigitur; non quidem fatali necessitate seu fluctuatione fortuita: colligimus enim ex immensa divinæ cognitionis vivacitate, longè super nostrum cognoscendi modum simul & ex voluntatis libertate, quod apud eam nihil est fortuitum, nihil casuale, nihil insuper ad extra necessarium vel fatale. Ratio primi est, quoniam nihil agitur in mundo quin ab æterno prævideriț illud Deus, cum tota serie causarum etiam minimarum. Secus apud homines, præter quorum intentionem prodeunt effectus ex variarum ignotarumque eis causarum concursu; quemadmodum videre est in inventione thesauri dum terra foditur ut excolatur, non ut aurum inveniatur. Hinc ortum habuit fortassis illud Aristotelis quod *ubi magis est de intellectu, ibi minus de fortuna.* Rectè quidem adeò ubi totum est præintellectum, nihil est fortuitum. Si verò fortunam quis transferat ad causam producentem effectus qui dicuntur in ordine ad nos fortuiti, sic primam causam dicere possumus esse fortunam; quoniam principaliter & immediatè concurrit ad omnem effectum. Dedisset hoc modo Virgilius verum epiteton fortunæ dicens: *fortuna omnipotens*, & Salustius: *Sed profectò*, inquit, *fortuna in omni re dominatur.* Cæterum, de fati necessitate liquet ex præmissis, quod nihil in rebus creatis tale sit, facta ad primam causam comparatione quæ nulla actionis necessitate constringitur; neque respectu cœli, neque respectu terræ & omnium quæ in eis sunt. Coagit tamen differenter in actionibus quæ dicuntur naturales, quibus non est annexa ratio propria, nec ex consequenti ullam habent libertatem seu contingentiam in agendo ex principiis suis intrinsecis: aliter in habentibus conjunctam rationem quibus intrinseca facultas est, volendi vel nolendi, secundum judicium propriæ rationis. Nihilominus si ad primam causam naturaliter agentia retuleris illa non necessariò sed contingenter efficiunt motus suos: hoc in miraculis factis circa solem, circa ignem, circa mare & bestias perspicuum fidelibus est. Datur itaque regula quod in omni productione si concurrit aliqua causa liberè contingenter agens, quotquot fuerint naturaliter coagentes, effectus ille contingenter producitur. Qua in re patet quod actus elicitus creatæ voluntatis sortitur contingentiam ex duplici radice; ex sua intrinseca, & ex superiore divina.

Monicus. Causam non invenio, Volucer, his quæ dicta sunt repugnandi, neque aliter Philosophiæ verba loquentis apud Boëtium de fatali necessitate recipienda puto: scis attamen conturbari nonnullos apud quos Deus ita consideratur tanquam Rex supremus qui unico semel imperio constituerit universum mundum, dans unicuique rei proprium officium, quemadmodum terrenus Rex instituit vel exercitum suum, vel Curiam Judiciorum & Legum, aut artifex aliquod horologium; ipse verò deinceps manet quietus, neque sollicitus per singula. Nituntur hanc æstimationem suam fulcire per vulgatum illud Augustini verbum. *Deus sic res administrat ut eis proprios motus agere sinat, qui & prophetico ore dixit. Ego sum Deus & non mutor.* Malach. 3. 6.

Volucer. Ita est, Monice, redeunt tales ad superius improbatam philosophantium opinionem, quam insectantur multi secularium litterarum ac existimatio vulgarium, quorum videbis aliquos si ad Scripturam sacram se converterint nihili pendere aut irridere simplicitatem ejus, eo quod maxima pars contexitur historiis; habemus, inquiunt, aliunde narrationes historicas, quæ & stili splendore & rerum gestarum magnitudine non inferiores existunt. Veruntamen hoc interest,

intereit, quoniam historias habet Scriptura sacra prout in eis contenta revelavit Deus per Prophetas, longè priùs antequam fierent; ex quibus pulcherrimæ ac saluberrimæ veritates elucescunt.

Elucescit primò, divina omnium præcognitio simul & providentia regitiva omnium quæ geruntur tam in cœlo quàm in terra, quæ voluntati suæ servire facit universa, nunc per bonos, nunc per malos; adversus quam non est sapientia neque consilium: adeò quod homines vel dæmones implent prædispositionem revelatam Dei; dum conantur illam vel effugere vel frustrare. Sunt in exemplum venditus Joseph; & expositus cum aliis infantibus in aquis Moïses; & David à Saüle persecutus, cum cæteris absque numero. Elucescit præterea quod prænunciationes Dei factæ per Prophetas vel Scripturam, conditionem sæpè recipiunt, licet expressa non sit secundum varietatem meritorum vel demeritorum apud illos quibus vel pro quibus hujusmodi prænunciationes fiunt. Hoc de Jona respectu Ninivitarum, hoc de Isaïa respectu Ezechiæ, & ita de reliquis liquet. Relinquitur idcircò semper hominibus, dum viatores sunt, pœnitentiæ locus & piæ orationis atque conversionis effectus, nec ex immutabilitate Dei vel prænunciatione, suæ desperationi locus datur. Elucescit ampliùs non esse serviendum Deo pro sola prosperitatis adeptione vel adversitatis evitatione temporali; quæ veritas in Evangelio manifestiùs tradita est quàm Lex antiqua temporalia commoda, vel incommoda rememorans exponeret. Est equidem præmium præstantius merito, nihil autem temporale præstantius est virtute. Sed neque cum Stoïcis dicere satis est, *virtutem esse præmium sui, sicut vitium seipsum pœnam habet.* Alliciendi fuerunt homines ad laboriosa virtutum opera, & à suis voluptatibus vitiosis arcendi per separatum aliquod majus tam præmium quàm supplicium: ad quod Philosophia quia pertingere non potuit hic deficit cum sua consolatione: deficiunt & illi qui volentes suis exhortationibus vel prædicationibus benè instituere ad amorem Dei, promittunt pro illo quasi commutationem quamdam bona temporalia, ut sanitatem, ut prolem egregiam, aut aliquod similium; sic enim & cortex literæ veteris prætendebat, quamvis intus Prophetici & elevati viri spiritualia sub his temporalibus promissionibus obumbrata conciperent & gustarent. Sed de hoc latiùs infra.

Elucescit postremò ex hac divinæ voluntatis ad utrumlibet actione extra se liberrima quæ solo nutu temperat orbem, quòd orationes spesque nostræ diriguntur non inaniter ad Deum, quamvis immutabilem, quia cætera omnia mutare scit & potest, dum vult. Et hic generalis motus insitus omni creaturæ, quem obedientialem nominare possumus ut ejus sequatur imperium, quemadmodum de ascensu gravis ne vacuum fiat, dici solet. Et profectò si Deus sinat res agere proprios motus, consequens est ut eos possit vel impedire vel mutare, alioquin non jam res sineret; sed agerent vellet, nollet. Quinetiam ministratio nonne reponitur in ordine causarum quas ab initio Deus instituit? Proprius autem motus Angelorum liber est in agendo. Proinde sicut spiritualia potiora sunt temporalibus, tanquam illorum finis; ita fit in temporalibus mutatio, prout exigit gratuitum regimen spiritualium, præsertim ad Finem æternæ Beatitudinis consequendum. In hac autem regione vel ordine spiritualium reponuntur divina charismata, præcipuè Fides, Spes & Charitas, quibus motus inditus & quasi proprius est impetrare miracula dum expedit; ut quod in aquis validis terra appareat arida; in medio fornacis ardentis sit ventus roris; quod montes transferantur, & quod longè majus optabiliusque est, fit per istas virtutes & orationem eis subnixam, ut expeditum sit & alacre liberum arbitrium voluntatis humanæ, ad dirigendum pedes suæ affectionis & intentionis, in viam pacis & salutis, ad conformandum præterea divinæ voluntati suam, eidemque prorsus inniti dicendo cum Propheta: *Ut jumentum factus sum apud te & ego semper tecum, tenuisti manum dexteram meam & in voluntate tua deduxisti me.* Ps. 72. 23. Unde libet collocutioni diei præsentis terminum dare sub hoc metro.

QUARTUM METRUM
ET
ULTIMUM SECUNDI LIBRI.

Concordat metro secundo hujus Libri: *Quot subjecta.*

LUMINIS *orbus subsidium sibi*
Quærit à vidente,
Cui plus nititur ut magis audiit
Imminens periculum.
Matrem dum cecidit puer aspicit,
Ac ei manum dat,
Scit quia non valet ex se surgere
Quærit hinc juvamen.
Vulnere fractus qui medicamina
Novit, hunc requirit.
Potat amaris, urit & ignibus.
Huic obedit ultro.
Litibus implicitus, sibi quærere
Jure vult peritum,
Dictaque nec refugit sua credere,
Conscius suimet.
Cur igitur cæci, pueri quoque
Sauciique valde,
Juris & ignari nos tradere
Non citò velimus,
Christe tibi? qui ritè per omnia
Vis opem referre
Quo sine nulla valent discrimina
Vi vel arte pelli.
Duc petimus quo vis, mora nulla sit,
Ibit alacris mens
Si caro tardat, perque pericula
Cuncta te sequetur
Grata, nec invalido cum murmure
Perget aut trahetur.
Cur peccata sciens cumulet nova
Dum licet mereri?

FINIS.

LIBER

LIBER TERTIUS.

PROSA PRIMA.

MONICUS.

ADSUM, Volucer, desiderans rursus ex te audire verbum super consolatione Peregrini; sollicitam enim super hoc aviditatem ex pervigili cordis mei cura, quæ te loco temporeque prævenit, intelligis. A

Volucer. Spes ut dixi, Monice, solatur eum, confugiens ad Deum tanquam ad Thronum gratiæ, ad Templum & Aram misericordiæ, ad Arcam fœderis, ad libertatis asylum, ad firmam petram & solidum litus. A natura siquidem ita videmus institutum, ut debilior innitatur fortiori, sicut vitis ulmo, hedera quercui, naufragus tabulæ, puerulus Matri. Solatur ipsum præterea Scriptura sacra, revelans decursum mundani regiminis à prima voluntate liberrima, cui nostra conformis esse debet. Quemadmodum verò per spem vis irascibilis, sic per hujusmodi conformitatem rationalis ordinatur; & ex consequenti concupiscibilis, dum ita fuerit conformis & subdita, quòd ipsius & Dei sit unum velle & unum nolle, quod amicitiæ proprium est: videns autem quod irascibilis per impatientiam conturbatur & per ignorantiam seducitur rationalis; deinceps igitur complebitur sermo super impedimentis hujusmodi tollen- B dis, primum per patientiam, alterum per doctrinam; ubi nonnulla quæ in prioribus dici potuerant, inferentur.

Monicus. Placet quod dicis, quoniam & dictorum recordationem summariam, & dicendorum lucidum ordinem tradis.

Volucer. Locuturus ergo de consolatione per patientiam, rectè mihi videor id agere si de moderamine zeli inchoavero: habet itaque zelus inter passiones vehementiam multam. Audi Sapientem. *Dura sicut infernus æmulatio.* Cant. 8. 6. Præfert insuper sibi speciem justitiæ quo sit efficacior ad nocendum dum deviat: quid enim efficacius ad nocendum quàm familiaris inimicus, & quàm dæmonium meridianum quod in Angelum lucis se transfert?

Porrò zelus, etsi quandoque significat invidiam, quandoque odium, aliquando imitationem; utemur C hic zelo prout est desiderium vehemens quo quis incitatur ea tollere quæ rei sibi dilectæ videntur adversa. Sic homo zelat pro uxore ne mœchus abutatur ea; & hinc zelotypa mater pro filia, ne violetur; justus pro domo Dei, volens ab ea tollere quidquid viderit scandalorum. Unde istud est. *Zelus domus tuæ comedit me.* Ps. 68. 10. cujus recordati sunt discipuli Christi, dum ejiceret vendentes & ementes de Templo seu domo Dei. Zelum hunc ultimum laudavit qui dixit, nullum esse Deo acceptius sacrificium quàm zelum animarum. Verè quidem si comitetur ipsum benevolentia, discretio & constantia; quæ tria si deserat aut contemnat zelus, rectè comparaveris ipsum gladio bicipiti in manu furiosi, igni rursus & fulmini sine obice pervaganti. D

PR. METRUM TERTII LIBRI.

Monocolon Choriambicum Asclepiadeum: currens cum primo carmine Horatii: *Mecænas atavis edite Regibus.*

INGENS flamma rapax libera si manet
Mox suprema domus pervolitans vorat.
Quo plus absque modo torrida canduit;
Æstas fulguribus crebrius emicat;
Elisusque vapor dissipat infima.
Est igni similis Zelus & æstuat
Intus cor, stimulans quò vehementior
Incumbit, cohibe, fac teneat modum.
Collidunt in eo se pariter duo
Affectus, nimirum singulus, improbus;
Hinc impellit amor, hinc furit odium
Zelus nam quia rem diligit & colit
Lædi non patitur, protinus incitus
Iræ corripitur, recta nec inspicit,
Odit, persequitur, nec requiem capit;
Fingit justitiam, tendit in ardua,
Supra posse ferox frangitur & ruit,
Secum multa trahens quæ pereunt simul.

SECUNDA PROSA TERTII LIBRI.

MONICUS.

NONNE zelus excusatur, ô Volucer, propter intentionem boni finis, etiam si læserit; ut dum vult tollere scandala à domo Dei, satagens ab hominibus vel hæreses corrigi, vel simoniam abjici, vel tyrannidem compesci? nonne suffragatur sibi verbum Christi: *Si oculus tuus* (qui est intentio) *fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Matth. 6. 22.

Volucer. Audisti Christum alibi dicentem: *Ecce venit hora & nunc est, ut omnis qui interficit vos arbitretur se obsequium præstare Deo.* Joann. 16. 2. quis tamen dixerit quod hæc intentio reddiderit occisores Martyrum absque noxa? Quid quæso Judæos magis excæcavit quam zelus Legis antiquæ, quam putabant Christum subvertere velle? De quibus Apostolus: *Testimonium perhibeo eis quod zelum habent, sed non secundum scientiam.* Rom. 10. 2. Proindè multos invenimus ex hæreticis etiam hac tempestate quos fefellit talis zelus tollendi scandala à domo Dei, per hanc aut illam prædicationis viam. Hinc hæreses contra Primatum Romanæ Ecclesiæ, quòd sine ea stat salus: contra dotationes Universalis Ecclesiæ, quòd sunt ut venenum effusum super eam, omnisque simoniæ officina: contra Prælatorum statum splendidum & amplam familiam, quòd à secularibus eripi possunt eis omnia: contra Religiosorum observantiam, quòd adversantur libertati Legis Christi, & æstimant quæstum pietatem: contra omnem generaliter Præsidentiam quòd nullus præscitus, nullus existens in peccato mortali justè dominatur, neque Prælatus est, neque Sacerdos, quoniam in charitatis radice fundatur (ut dicunt) titulus Præsidentiæ, & ita de plurimis: dum enim displicuerunt mores, suborti sunt errores; damnatus est præterea status, quando displicens in eo cernebatur abusus, exemplo Medici stulti destruentis subjectum, dum conatur expellere morbum.

Ceterum reminiscaris velim eorum quæ dies hesterna disseruit super turbatione judicii rationis. Addit advena noster exemplum aliud, & id planè crebrò. Experimur, ait, sæpius nonnullos qui vigilantes loquuntur similia somniantibus, nihil penè dicentes quod sibi cohæreat; hanc passionem phrenesim Medici, vulgus phantasiam vel reveriam, gallicè *reverie*, denominant; cujus causa est, quia phantasmatibus rerum intus occurrantibus utuntur pro veris rebus ad extra positis; quemadmodum somniantes, præsertim illi quos exercere opera vigilantium compertum est, qui cum expergefacti fuerint, inveniunt se deceptos in aliquo suo judicio, quantumcunque visi fuerint in somniis velut in vigilia se gessisse. Profectò non

non dissimiliter evenit aliquibus vehementer affectis & passionatis, quod in vigilia sensibus apertis patiuntur aliquid simile dormientibus: sunt enim consopiti & soporati vel inebriati passionum radicatarum fumositatibus, qui licet eo tunc sibi videntur sapientes & virtuosi, ut vel liberales, vel magnanimi, vel humiles, vel valde zelantes Rempublicam; veruntamen A cessantibus hujusmodi passionibus, intuentur in vigilia virtutis & veritatis se quasi somniasse, & in aliquo semetipsos notabiliter fefellisse: nempè quibus erat ex aliqua parte sopitum rationis judicium, adeò quod nullis clamoribus ex adverso moventibus possent aut vellent expergisci, nec suadentibus obedire. Cur ita? nisi quod simulachra virtutum intus fabricata, pro veris virtutibus amplexantur in somnio vanitatis, ubi mentitur iniquitas sibi, dicens zelum esse qui furor est, justitiam quæ crudelitas est, correctionem quæ diffamatio est, prudentiam quæ calliditas est, & ita de cæteris. Sic ira, sic invidia, sic amor in excellentia judicium rationis offuscant, consopiunt & excæcant quamdiu duraverint. Durant verò quandoque plus, quandoque minus pro variis hominum moribus, pro consuetudine, pro complexione, pro occasionibus datis aut acceptis. Oderunt & refugiunt qui hac spirituali phrenesi laborant reprehendi, sicut letargicus expergisci; spernunt aliorum consilia, nempe qui plus aliis sapere saltem in hac sua re, acutiùsque circumspicere diffinitum apud se retinent: eos præterea qui se non sequuntur culpant, vel de negligenti torpore circa ea quæ Dei, quæ Reipublicæ sunt, aut de dissimulatione, vel inordinato timore criminantur & rident. Currunt tanquam asinus indomitus in omne præcipitium, relinquente eos in manu consilii sui Deo irato, qui superbis resistit.

Monicus. Novi tales aliquando, quales erant opinor Simeon & Levi, quorum à Patre maledictus furor quia pertinax & indignatio quia dura: sed quo pacto veri zeli cognitio præstabitur audire desidero.

Volucer. Verum zelum elevatè proprièque descripsit qui dixit, *illum comedit zelus domus Dei*, Joann. 2. 17. qui scandala quæ videt in Ecclesia tollere vult si potest; si non potest, tolerat & gemit; vulgata verò regula habet, illud possumus quod de jure possumus: ubi noverimus plurimum interesse in eo qui zelat si fungitur auctoritate judiciaria, aut si caret illa, utrobique tamen observanda lex illa: *Justè quod justum est exequeris.*

Monicus. Vellem separatus super his sermo fieret, & primò de zelo fungentium publica potestate.

Volucer. Fiat ita, & quot insidiis expositus est iste zelus accipe: insidiatur impotentia propter quam jubet Sapiens: *Noli velle fieri Judex, nisi virtute valeas erumpere iniquitates.* Eccl. 7. 6. Judex itaque quid aliud agit proferens sententiam, cujus executionis non habet facultatem, nisi justitiam exponere vel contemptui vel discrimini? Insidiatur ignorantia eorum quæ status requirit esse cognoscenda: hoc in Prælatis plurimis respectu Legis Evangelicæ, hoc in seculi Judicibus quoad Civiles Constitutiones invenimus, quales esse damnabiles mechanici monstrant, inter quos non recipitur nisi qui in arte sua peritus est. Turbat etiam in aliquibus litteratis hunc zelum defectus experientiæ, quæ circumspicere facit omnia, ut tandem eligatur nedum id quod de se licet, sed quod expedit, id est quod expeditè fit, attenta circumstantiarum qualitate. D

Turbat alios inconstantia persecutionis eorum quæ bene præconsiliata, conclusa, incœptaque sunt, quos vel ira suboriens, vel humanus timor infortunii contra se vel affines dejicit à cathedra judicii.

Quo contra pertinacius obfirmantur alii in malè præconsiliatis & cœptis, fatuo quodam pudore victi, ne vinci videantur; exemplo militum quos in certam ultrò mortem, vitiosus fugæ pudor impellit. Quid existimes præterea de Consiliariis mendacibus & corruptis, à quorum seductione vix aliquis in potentatu constitutus securus est? Quid de Notariis & Promotoribus? Sed regeritur culpa in eos qui tales eligunt nec corrigunt, qui sola insuper sibi placentia dici volunt, qualis erat Achab. Verum est quippe illud Sapientis. *Princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios.* Prov. 29. 12.

Efficacissimum insuper corruptivum zeli boni & debiti notat Scriptura cum experientia, esse munerum receptionem à manu, lingua vel obsequio: unde sequitur acceptio personarum; simili pro reatu damnans unum, absolvens alterum; quæ omnia prohibuisse legitur cognatus Moysi, dum eidem optimæ politiæ formam describeret.

Sunt qui se sufficienter existimant Rempublicam regere si Constitutionum onera multiplicaverint, si sententias pœnales vel excommunicationes fulminaverint; maneant autem ipsi negligentes: similes facti Pædagogis reprobis qui negligentiam suam & ignaviam purgare se putant, si pueris suis comminationes crebras indixerint, si verberibus eosdem affecerint.

B Invenies alios suis ita Constitutionibus positivis inhærentes ut nullam epikeiæ virtutem admittere velint, sciant aut possint; apud quos summum Jus, sæpè summa injustitia fit. Alii passim hac epikeiæ vel æquitatis regula sic abutuntur, quod nihil in Legibus, nihil in Constitutionibus & Regulis suis manet stabile; cum tamen præcipuum cujuslibet politiæ, etiam in Monasteriis regimen, ex rationabili Legum suarum stabilitate resultet.

Ampliùs quid de perversis scandalosisque moribus censendum est, ex quibus redditur contemptibilis tam vita quàm auctoritas regitiva; undè consequenter inobedientia subditorum provenit, justè prorsus, ut in eo Domini puniantur in quo delinquunt. Adam in exemplo est, cui in Deum peccanti, facta sunt omnia priùs subdita, rebellia simul & adversa, ita etiam ut caro propria.

Quid quod aliquando peccata subditorum redun- C dant in Præsidentes? nec mirum dum consortes sunt in malitia, committendo vel omittendo; sicut Heli legimus ad filios. Illud verò magis stupendum, exempli gratia in Moyse, qui rector virtuosissimus extitit, cujus hæc verba sunt: *Nec miranda, ait, indignatio in populum cum mihi quoque iratus Dominus propter vos dixit: Nec tu ingrederis illuc* (non dubium) in terram promissionis. Deuteron. 1. 37.

Monicus. Durus est hic sermo pro regentibus, ô Volucer. *Volucer.* Durus fateor adeò quod beatos prædicare compellor illos qui solitudine sua contenti sunt, quales Papa Gregorius suspiravit habentes hanc à Deo gratiam, quod absoluti sunt à vinculis publici regiminis.

Præconium itaque suum canamus, placet.

SECUNDUM METRUM TERTII LIBRI.

Dactilicum Archilochium Tetrametrum, ut illud nonum quarti DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ: *Puro clarum lumine Phœbum.*

MOnica claustri vita recludens
Semet septis, mortua mundo,
Cujus regimen ferre recusat,
Pompasque suas deserit omnes
Animum superans, imperiosa
Regnat cella conditur antro,
Regia fit ei mansio cœli.
Nil sibi vanæ gloria laudis,
Nil fallacis gratia famæ

Gar-

Garrula palpans, lubrica nec spes
Complacet, horret ferre tumultus
Trepidosque metus, anxia vota
Qualia mediis urbibus erant.
Namque assiduis turbine vasto
Quatitur curis publica vita,
Quæ præsumit debilis in se
Homines proprio ponere dorso.
Quorum nugas, crimina, fraudes
Lites rabidas, vulnera, mortes
Anxia portat, calculus arcta
Dandus superest cum ratione.
Quid tantis juvat ultro periculis
Subdere vitam mox perituram,
Scrupulosque pati jugiter acres,
Intro vermem cor lacerantem?
Ludicra vanaque quanta recursant,
Quot crudelia, turpia, fœda
Haurit sensus discolus extra,
Unde cor urit zelus amarus
Vel dolor asper, dira vel ira,
Sive libido sordibus opplens?
Nonne fenestras claudere mortis
Præstat & uti sensibus imis?
Cœlica cernere mente pudica,
Quam non turbat sæva remordens
Extera populi cura recepta?
Fera mors sibi sit janua vitæ
Sua spes Jesus est, vivit in illo,
De Sanctorum quos coluisse
Meminit meritis & prece fidit.

PROSA TERTIA
LIBRI TERTII.
MONICUS.

VIDE, Volucer, ne dum claustralem vitam extollis sis injuriosus Reipublicæ, quæ periret utique sine rectoribus. Sed neque caret ista vita suis periculis, suisque tentationibus, tantò majoribus quanto colluctatio crebrior adversus principes tenebrarum mundi hujus habenda sibi est, & plus quam humana. Denique scis damnationem servi pigri, qui C talentum sibi creditum abscondit in sudario ponitque lucernam sub modio; nam sapientia abscondita, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? Mandavit quoque Deus unicuique de proximo suo, quem pereuntem qui non salvat dum potest, occidit.

Volucer. Hic est, crede mihi, laqueus magnus quo solet zelus improbus seducere plurimos ut ambulent in magnis & alienis à se, non secundum scientiam, magna quippe sibi videtur omnis præsumptio. Qua super re multum diùque noster advena secum quæsivit, Theologiamque consuluit.

Monicus. Ideo audire cupio qualiter hæc zeli deceptio cognoscenda, declinandaque sit ab illis quos nondum administratio publica ligatos detinuit, immò & quos habet Religio, ne mundus eos per hanc seductionem resorbeat, quales inventi sunt aliqui eo damnabiliores quò primam fidem irritam fecerunt. Patiuntur alii non pauci noxias inquietudines submurmurantes quod dona sua nequeunt in alios transfundere docendo, consulendo, monendo, dirigendo juxta datam sibi scientiam; molestè ferentes otium suum, quasi dicerent, ut quid perditio hæc, quia D non habent qui doceat eos iter rectum: quis constituat me Doctorem super eos, vel ad eos.

Volucer. Est ut dicis in quibusdam, qui utinam docerent se primitùs ad sobrietatem sapere, qui aliorum fieri Doctores tanta aviditate desiderant, ut cognoscerent, qua ratione zelus suus moderandus est & quibus terminis coërcendus.

Monicus. Expedit ne quasdam super hac re dari regulas breves & solidas?

Volucer. Expedit, accipe & inprimis certum habeto, quod potestatem regitivam in Ecclesiastica hierarchia, si superior non imponit & jubet eam, nemo laudabiliter & tutè suscipit vel exercet. Tanemo laudabiliter & tutè suscipit vel exercet. Talis nimirum se glorificat & ingerit, non vocatus à A Deo tanquam Aaron, primumque locum veniens ad nuptias impudenter anticipat, descensurus cum rubore, auditurus etiam, quis te constituit Judicem super nos? Itaque *sarcinam hanc si nemo imponit*, dicit Augustinus, *vacandum est otio conquirendæ veritatis*; adde, vel studio propriæ salutis, neque enim Deus indiget auxilio nostro pro salute aliorum, ut secum laboremus non vocati. Amplius, potestatem regitivam non consequitur aliquis ex solo titulo scientiæ, vel eruditionis, vel charitatis; imò nec ex perceptione Licentiæ magistralis in Theologica Facultate, quæ Licentia non obligat se suscipientem, sed idoneitatem ejus monstrat. Proinde, potestatem hanc regitivam, si superior legitimus (sit Deus, sit homo) jubet & imponit, oportet recipere, quando post auditas recusationis causas, ut in Moyse fuit & Jeremia, superior perstat in sententia, refutantem enim, quid excusaret ab inobedientia, nisi proprium fortè judicium, quo sibi videtur indignus tali missione. sed superiori subjicere convenit, nedum B propriæ voluntatis affectum, sed etiam intellectûs sui judicium; alioquin pusillanimitas ista, specie humilitatis se pallians, arrogantia dicenda est, eò periculosior, quo sibi videtur humilior & quo sensum suum præferre non dubitat sensui judicioque superiorum. Subinde, potestatem regitivam potest aliquando vel petere vel appetere homo sibi benè conscius, quod non præesse, sed prodesse vult, scit & potest; tantummodo caveat ne mentiatur, ut sæpè fit, iniquitas sibi. Arbitror hoc intendebat Apostolus, *qui Episcopatum inquit, desiderat, bonum opus desiderat.* I. Tim. 3. 1. sed ut iniquitatem abjiceret, subjunxit: *oportet autem Episcopum esse sine crimine, &c.* 3. 2. Sic Isaias Domino quærenti quem mitteret, respondit, *Ecce ego mitte me*, Isai 6. 8. verum se jam ardenti calculo purgatum cognoverat. Poterat hæc potestas tutius appeti, quando priores ad martyrium qui præsidebant ipsi trahebantur: hodie verò suspecta nimis hæc C appetitio, ne gignat eam non zelus animarum, sed vel præsumptio; vel inanis gloria; vel ambitio; vel inertia quærens in otio lautè vivere, vel cupiditas, ditare quærens carnem & sanguinem, aut demum inexperientia potestatis hujus regitivæ, dans audaciam de viribus propriis, sibique blandiens, quod efficatius ceteris evelleret, quod destrueret, perderet & dissiparet, ædificaret & plantaret. Expertus verò, longè videbit aliter & metuet; videbit quod perversi difficile corriguntur, & stultorum infinitus est numerus: videbit opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit; videbit quæ de præmeditatis secum & dictis, tunc faciam hoc, tunc faciam illud, fiet postmodum neque hoc neque illud; videbit se longè fieri & confundi ab expectatione sua, velut à torrente rapido aliorsum ac ratus erat trahi; animadvertet denique, aliquanto facilius esse speculantem in cella vel studio describere, sibi pulchrum boni regiminis modum in Republica, quam exequendo practicare.

Monicus. Quid de hominibus censes nostræ ætatis, quærentibus expectationes ad beneficia, quibus annexa D est aliorum cura? Pro quibus vel adipiscendis, vel retinendis, se litibus involvunt, sumptibusque consumunt.

Volucer. Viderint ipsi qualis sua sit intentio & quem sibi finem principaliter constituunt. Potest itaque fieri, ut idoneus aliquis servire Deo in regimine publico quærat illud, intendens ex consequenti, & tanquam secundariè, sustentationem vitæ propriæ suf-

ficientem habere, quatenùs absque mendicitate, vel improportionato sibi labore, serviat in hoc statu liberiori quietè Deo. Nec est leviter hoc imputandum simoniacæ pravitati; sicut nec dum frequentantur in Ecclesiis Horæ Canonicæ ad recipiendum destributiones quotidianas & solitas; aut dum Vicarius deservit uni Curæ suscipiens inde stipendium: *Dignus est operarius mercede & cibo suo.* Luc. 10.7. Dicam ampliùs. Si A profitetur aliquis vitam claustralem, rationabiliter intendens illic sufficienter sustentari, alioquin non intraturus, neque tamen simoniacus est, dum intentio principalis est servire Deo, & sustentatio vitæ est ad illum finem, & sub illo: ubi autem unum propter aliud, jam non duo, sed unum sunt.

Monicus. Appares loqui favorabiliter in excusationem simoniæ, quam tanta severitate Decreta damnant, quam ampliare ita nituntur aliqui, quod penè nihil apud Ecclesiasticos inveniretur (si verum sentirent) à simonia non infectum. Sed hoc interim omisso, cum multis quæ magis scholasticè tractenda sunt, perfice quæ cœpisti de zeli moderatione per patientiam, respectu fraternæ correctionis.

Volucer. Correctio fraterna cum sit opus eleëmosynæ spiritualis, datum sub affirmativo præcepto, *Si peccaverit in te frater tuus, &c*, Matth. 18.15. semper quidem obligat, sed non pro semper: omittenda quippe est, dum probabiliter apparet quod fieret vel frustra, vel in deteriorationem corrigendi; hoc autem probabiliter æstimatur de peccantibus ex malitia & consuetudine perversa, non ex ignorantia. Secus in correctione judicaria, ubi potest contemni scandalum illius qui puniri debet, quia fit pro salute nedum illius sed totius Reipublicæ, & ut punitio sceleris cedat aliis in exemplum. Potest insuper hæc omitti correctio, dum probabiliter apparet, quod peccans alio modo per se vel per alterum corrigetur; sic enim famelicus non est de necessitate pascendus à Petro, etiam divite, si verisimiliter immineat modus quod sustentatus per se vel alium non peribit: qua super re, nemo debet sibi fabricare leviter scrupulos, tanquam de necessitate præcepti, sicut nec in aliis plurimis, qui vel prætergredi, vel agi possunt infra terminos Divinæ jussionis; attento præterea, quod temerarium frequenter esset, & usurpatum judicium, C corrigere fratrem quasi criminaliter operantem, ubi potest occurrere multiplex excusationis locus, vel ratione fragilitatis propriæ, ut in pueris & puellis, & rusticanis, vel quia doctrinis & virtutibus aliundè pollent, à quibus eos declinare nec se corrigere non est leviter præsumendum. Rursus, attendere debet ista correctio, ne prætergrediatur ullatenus ordinem hierarchicum, quo inferiores reduci habent ad Deum per superiores, etiam ubi videtur in superioribus vel inertia, vel lata culpa; non inde publicam potestatem usurpet aliquis, neque in prædicatione, neque in Sacramentorum ministratione, neque in superiorum, coram subditis, satyrica reprehensione; quæ non ædificationem morum, sed indignationem causat & contemptum. Est autem specialiùs aliquid D observandum circa eos quorum Confessiones audiuntur, ut extra, neque publicè neque privatè arguantur indè, imò neque laudentur; ne aperiatur via suspectæ revelationis in vituperato; vel fictionis aut inanis gloriationis in laudato; vel diffamationis per indirectum, in confitentibus non laudatis.

Monicus. Difficile certè jugum pro præsidentibus in utroque foro; quia sic obligantur corrigere, sic se gerere quasi penitus in Confessione nil audissent. Sed ad ulteriora pergens, dic quali moderatione sit exercenda talis correctio.

Volucer. Utique non cum imperio, non cum austeritate, & minimè cum contumelia, vel improperio, *Mendax enim in ira contumeliosi correctio*: Eccli. 19.28. fit exemplo Pauli, cum omni humilitate, lachrymis & mansuetudine: neque formidandum est hîc ne nimia servetur humilitas, ubi nulla est quæ frangi timeatur regendi auctoritas. Quid quod in multis dissimulanda sunt peccata; vel juniorum, ne perdant verecundiam; vel seniorum, ne pessimentur per impatientiam; increpandi non sunt, præsertim in publico, sed nec eis delirantibus est plausibiliter assentiendum: modestum silentium, cum facie subtristi, satis erit pro sua correctione, & nostra, ne peccemus, cautione. Porrò, si peccata talia sint, quæ doctrinam Christianæ Religionis inficiant publicè, cum scandalo pusillorum, silentium solvendum est, & tota libertate contradicendum, aut protinùs ad superiorem deferendum. Quod si compertum sit in superioribus & inferioribus tantam succrevisse perniciem, etiam in his quæ Fidei sunt (propter depravationem intellectus, ex inordinato timore cujusquam potentioris errantis, aliosque trahentis, hos violentia, istos favoribus, adeò quod nec periti sanum consilium, nec Judices rectum judicium liberè dabunt, dissimulabunt potiùs, aut in veritatis subversionem impudenter ibunt.) hoc casu, si defensio Catholicæ veritatis exponenda sit in publico per personas privatas, videtur ambiguum: quoniam uno loco jubet Dominus, *Esto fidelis usque ad mortem*, Apocal. 2.10. *& laudatur qui pro lege Dei sui certavit usque ad mortem. Et à verbis im-* B *piorum non timuit*, exemplo Joannis Baptistæ. Alio loco vox Christi est, *Nolite sanctum dare canibus, neque projiciatis margaritas ante porcos.* Matth. 7.6. Cujus ratio continuò subjuncta est, ne dans laceretur, & verbum Dei conculcetur.

Monicus. Quam vereor, ne tangat hæc consideratio Peregrinum nostrum, sua persecutione in causa Fidei, nunc coram ordinario Judice, nunc in præsentia sacri Concilii; nam quid inde provenerit audis, quid dicitur, quid agitur?

Volucer. Nolo fiat tibi modo responsio, latiorem hac in re iterum sermonem habiturus seorsum: etenim, qua fronte de sacro Concilio suspicionem, de principiorum moralium veritate dubitationem, de processu judiciario offensionem concepisset. Sed accipito compendiosum in præmissis documentum absolutos à publicis respiciens.

TERTIUM METRUM

LIBRI TERTII.

Monocolon Anapesticum Partheniacum, Dimetrum Catalecticum: currit cum Metro quinto secundi DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ, *Felix nimirum.*

QUA sorte vocat Deus, hanc tu
Contentus agas, nec hianti
Zeles animo nova vota;
Quæ sunt aliena, relinque;
Tractent quibus est data cura.
Non te nocuis preme gratis,
Sis sufficiens tibi, quæso,
Nec te coquat alterius sors.
In se retinet status omnis
Quicquam miserum, grave, durum;
Quod scire status nequit alter:
Experta feres leviore,
Notaque magis ope fisus.
Febrem patiens, modò dextrum
Mutat latus huc, modò lævum,
Nunc ventre cubat, modò dorso,
Hinc pace caret; quia secum
Fert intro malum, suus omnis
Idcirco locus gravis angit.
Se corrigat, & paret intra
Pacem sibi, detque quietem,
Qua non aliter potietur.

Gra-

Gratum referas Domino cor,
Qui dona dedit sat abundè,
Utaris eis sine culpa,
Sic proderis omnibus aptè.

PROSA QUARTA, LIBRI TERTII.

MONICUS.

QUA ratione fiet, ô Volucer, ut solitarius omnibus proficiat?

Volucer. Nimirum bene vivendo. An ignoras, quod omne peccatum offendit nedum Deum, sed omnem imperio suo subditam creaturam? quæ idcircò armatur, & pugnat contra insensatos. Nocet præterea, nedum peccanti, sed toti hominum communitati, quæ est velut unum corpus, tanquam acies ordinata, cujus non potest sine læsiva debilitatione quantulacumque pars vel mortificari vel eripi, qualiter fit ex peccato cujuscumque. Hinc perpende virtutem unius, multo magis omnibus proficere, undé sumpsit ortum Psalmistæ verbum: *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* Ps. 118. 63. Vis insuper scire quantum segregatus & orans sit utilis? Moysen orantem in monte, dum pugnaret Israel, inspicito. Denique quis nesciat vitia efficacius oratione vinci? Solitarius verò, liberius orat quàm occupatus. Tolle orationes timentium Deum, quid proderit, obsecro labor fatigantium se vel prædicando, vel monendo, vel corrigendo; quando Medicos etiam monet Sapiens orare, ut opera dirigat sua Deus. Penset ergo solitarius, quantum potest corrigere delinquentes absens & tacens, si benè vixerit, & oraverit: taliter enim & non aliter, sibi datum est tollere scandala ab Ecclesia, si crebrò ingemuerit, juxta visionem Ezechielis de habentibus signum Tau in frontibus suis. Penset quantum difficultatis habet exterior correctio, quantum sollicitæ turbationis: puto gaudebit eligere partem Mariæ sedentis, non Marthæ ministrantis; deseret querelam conversam ad Martham, quod non sollicitum, non turbatum erga plurima reliquerit eum Jesus. Itaque, si corpus proprium & unicum vix aliquis sufficit obediens reddere suo spiritui quotidianis increpationibus, continuè monens illud & castigans; quid censendum putas de tot corporibus, tot capitibus, tot spiritibus alienis, nec conjunctis? Sperat aliquis se correcturum hos & illos verbo suo; dicat sibi primitùs seque corrigat si valet, & dum non poterit, humiliùs sapiat. Hæc si recogitaverit acriter secum solitarius, gratias aget Deo quod non imposuit homines super caput suum, miserebitur que constitutis in publica potestate, non indignabitur, non æmulabitur; attendet quid Dominus ad Job dixerit. 40. 4. 6. *Si habes brachium sicut Deus, & si voce simili sonas, disperge superbos in furore tuo, & respiciens omnem arrogantem humilia*; ubi docet apertè opus hoc solius Dei esse. Hinc per Psalmistam jubet, *neque zelaveris facientes iniquitatem*: Psal. 32. 1. quia nec imitandi sunt tales, nec spreto divinitùs instituto ordine, corripiendi. Quæris exercere zelum contra peccatores, quæris eos de terra perdere; dabo tibi antidotum sine verborum strepitu, sine virga, sine carcere, sine flagellis aut vulnere, sine tuo periculo: benè vive tibi & pro aliis orans, ipsos tolera & geme, nihil aliud tibi concessum est. Sed inde gaudeas; quoniam alleviatus gravi fasce, cur alienæ misceberis rixæ, cur alienum judicabis servum, cur talento vis uti in non tibi concessos usus, quòd palam est abuti? Memineris illius qui pecunias aliis partiendas recipere noluit, cavens sibi, tam ab inani gloria, quàm à periculo distributionis, ut fit iniquè, ab ingratitudine & remurmuratione recipientium & non recipientium, ab sui otii denique detrimento.

Monicus. Suades salubriter patientiam in zeli moderatione suscipiendum, unde consurgit consolatoria quies multa, præsertim his, quos susceptum non ligat officium. Adderes vellem aliqua super eadem patientiæ virtute: & inprimis, cur dictum est, *patientia autem opus perfectum habet.* Jacob. 1. 4.

Volucer. Scis perfectionem hominis in Dei dilectione super omnia & propter se constitui, ideo *finis Legis dilectio.* 1. Tim. 1. 5.

Porrò quis nesciat veram dilectionem non in prosperis, sed adversis inspici. Adversitas nempe sola probatrix est, si quis in prosperitate verus amator sit. Venit ad te Deus cum auro & argento, cum sanitate, cum honorificentia, cum quiete à tentationibus intus & foris, recipis eum, laudas, gratias agis; dubium mihi est si munera Dei, non Deum diligis. Itaque, qui Deum vel amat, vel in eo sperat pro commodo temporali; tolle commodum, desperabit & oderit. Venit Deus incomitatus his omnibus, sed cum pauperie, ægritudine, tribulatione; si perstas in amore, si in gratiarum actione; modò opus amicitiæ perfectum ostendis ad Deum, quando nec dolore, nec inopia pressus discedis ab ejus amore: neque enim dolere vitium est, sed propter dolorem nihil vitiosum committere, laus est egregia. Sunt apud Philosophiam veræ spendidæque suasiones ad patientiam, hæc vult animum reddere sui compotem liberumque; vitia reprobat, laudatque virtutes, ostendit omne peccatum facienti pœnam esse, omnis autem virtus magnum sui præmium est. Addit malos esse impotentes, nec adipisci quod cupiunt; boni vero desideriorum suorum, quibus appetunt summum bonum, compotes sunt: nam participatione divinitatis dii fiunt. Docet rursus fortunam omnem bonam esse, & quod sæpe plus adversa quam prospera prodest. Denique: nulla potest in istis inferioribus, mutabilibus, & caducis bonis atque fortuitis, inveniri vel hauriri felicitas, quæ sufficientiam, quæ potentiam, quæ reverentiam, celebritatem, lætitiam stabiliter veras donet. *Speciosa quidem sunt ista* (ait Boëtius) *ad Philosophiam, tum tantum cum audiuntur oblectant; sed miseris malorum altior sensus est.* Ostendenda fuit per Theologiam altior felicitas, quam petere & infelicitas omnino pessima, quam refugere deberemus; in cujus respectu, præsentem mortem non esse timendam astrueret. *Nolite timere*, ait, *eos qui corpus occidunt, sed eum qui potest animam & corpus mittere in gehennam ignis.* Matth. 10. 28. Cum enim sit triplex malorum pœna, quædam contracta, quædam inflicta, quædam permissa. Primam plurimi nihili pendunt, nec advertunt, quam Philosophia tamen rectè probat magnam esse, quia privat animam magno virtutis bono, tollens ab eo modum, speciem & ordinem: inflicta pœna, quia sensum doloris infert, plus extimescitur & fugitur. Tertiam ut primam, non attendunt peccatores, dum in pœnam priorum peccatorum permittuntur justo Dei judicio ad alia & alia crebrò labi. Theologia verò Christianorum, Philosophiæ doctrinas, si rectæ, si veræ sunt, si salutares approbat, utens eis jure suo & Catholicas reddens; si tenebrosiores sunt illuminat, si noxiis erroribus mixtæ sunt, separat pretiosum à vili, illud retinens, aliud exterminans; quoniam nihil inquinatum, nihil sordidum, nihil falsum vel noxium secum intrat. Non sistit in consideratione sola mutabilitatis rerum infra labentium, in variabilitate sortis humanæ, in imperfectione fallaci eorum omnium, quæ mundus inferior ostentat, quæ sunt divitiæ, opes, dignitates, regna, gloria, voluptates, quæ frequentiùs recidunt in contraria. Erigit se confestim altiùs, respiciens veram beatitudinis formam, non simulachrum quoddam vel idolum beatitudinis; quale Stoïci ponere visi sunt, in honesto quod suiipsius præmium est; pro cujus observatione mors vo-

luntaria, etiam propria manu, ficut egit Cato, fecundum eos quæri poteft; quam effe viam brevem, & expeditam, fed mendaciter dixerunt, ad libertatem. Sileo de porcinis voluptatibus Epicuri. Sed neque primi boni fola contemplatio, qualem locutus eft Ariftoteles, beatitudo dici poteft; fublimiorem & æternam dat Theologia. In cujus afpectu, monftrat *momentaneum & breve hoc tribulationis, fupra modum immenfum gloriæ pondus operari in nobis, contemplantibus non ea quæ videntur, fed quæ non videntur.* 2. Cor. 4. 17. Oftendit ex adverfo miferiam inæftimabilem fine cariturам., qualem nullus philofophantium concepiffe vifus eft. Quid autem gravitatis habere cenfebitur pœna temporalis quantalibet, æternæ vitæ & morti collata? minùs certè quàm ictus levis virgæ, ad fupplicium capitale vitandum & regnum confequendum. Ecce proponatur utrumque puerulo, quæratur quid eligat è duobus, mortem pati vel virgam; non dubium quin virgam. Orabit etiam flens, fi negetur ei, timens & horrens propofitum fibi è diverfo, vel fufpendium vel incendium. Hinc pueros, dum flagellantur & clamant, ridere folemus, tenentes puto illam Sapientis fententiam: *Virga eum cædis, & animam ejus ab inferno liberabis.* Prov. 23. 14. Nos verò grandiufculi pueri gemimus, excandefcimus, murmuramus ad modicum Dei flagellum, illudque per impatientiam rumpimus ut poffumus, quafi non ab inferno fimiliter liberare nos quærat Pater nofter Deus. Tribularis? quid putas tibi Theologia fuafura fit? fervi Deo, Sanctofque fuos & Sanctas honora, profperaberis in feculo, delitiis, divitiis, pace, gloria frueris ad votum. Sic videlicet docebat Sapiens: *Fili accedens ad fervitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem:* Eccl. 2. 1. fic Apoftolus, *omnes qui piè volunt vivere in Chrifto perfecutionem patientur:* 2. Tim. 3. 12. fic Chriftus dicens, *in me pacem, in mundo preffuram habebitis:* Joann. 16. 33. fic Sancti Sanctæque omnes exemplo monftrarunt. Expectandum ita eft, præparandus animus ad tribulationem, quæ nobis utique talis fiet, qualis animus erit utentis; demeruimus millies mortem, & inferni mortem; eruet nos, fi volumus, tribulatio; fi nolumus, puniet nos bis in idipfum. Itaque omnino impoffibile eft non flagellari, vel hìc ad pœnitentiam, vel in futuro ad exterminationem. Refpiciamus femper ad Dominum flagellantem, ad Patrem mifericordiarum corrigentem: fi verò non vanè, non fimulatoriè, non velut in fomnio Chriftiani dicimur & fumus; neque enim venire poteft aliundè tribulatio, tenet quippe ligatum leonem infernalem ne furiat quantum vellet; non ille, fed detinens eum rogandus eft, non adverfarius quivis alius, fit homo, fit beftia, fit ignis, fit aqua timendus eft; timeatur moderans illa Deus & hinc orietur magna fecuritas: Nolo dicat hìc aliquis, non tentabo Dominum adverfus illa quæ naturalis fert actio: liberrimus enim naturæ rector eft Deus, utens illa prout libet ad falutem electorum, ad commoditates fe diligentium, quales enumeratæ funt à Prophetis, & Sanctis diligenter: erudit per flagella, purgat & medetur, Doctrinas in Scripturis multiplicat, quod Prophetæ, quod Boëtius, quod Cicero cum ceteris infinuant. Compellit intrare vocatos ad nuptias, lacerans alterius tunicam, illius crus frangens, huic oculum eruens, alium mancum reddens, fepit vias malas fpinis, ne quis ambulet per eas in interitum: tribularis & tentaris, ifta communis eft fors omnium viventium: Homo quippe nafcitur ad laborem: fi demeruifti, te æquo animo id ferre æquum eft; fi tibi bené confcius es, gaude, quia major te merces manet. Quid præterea, quod abfque tentationibus nullo pacto præfens vita ducitur, quæ militia eft: tolera quam habes, quia dum deerit, certus efto, fuccedet altera tibi fortaffis afperior. Crede, non ejecit hominem Deus ab horto voluptatis, ut hìc novum conftitueret, fed in labore viveret & ærumna. Aufers ais mihi pacem, mihi gloriam mihi divitias, mihi felicitatem; non aufero, fed invito monftrans viam, quia per preffuram mundi, pax; per infamiam, gloria & per inopiam, divitiæ; per lucrum & miferiam, beatitudo quod eft omne bonum, comparantur. Ad extremum pro præfenti die & re quam agimus (fol enim declivior filentium fuadet) carmen accipe.

QUARTUM METRUM

TERTII LIBRI.

Monocolon Dactilicum Alcaicum Catalecticum. Simile primis duobus carminibus Horatii in Oda ultima: *Phœbus volentem prælia me loqui.*

Inter coævos Job vir honeftior,
Multa refulgens prole beatior,
Simplex, tremifcens te Deus optime,
Rectus, fidelis, criminis infcius:
Gentes eoas exuperans nimis
Gazis, & amplo velligero grege,
Bobus, camelis, atque laboribus
Aptis afellis, plurima turbaque
Servire debens magnificè fuit.
Talem flagellis expetiit Satan
Tentare duris: non aliter valet
Uti, malignis viribus ufpiam,
Ni det fupremus fas Dominus fibi.
Laxis habenis hinc furiofior,
Tradit ruinæ protinus omnia;
Septena proles dum bibit ac edit,
Tres & forores, obruit hos domus
Convulfa venti turbine funditus.
Job verò viva rupe manentior,
Ferri recocti robore durior,
Spes cujus altè fixa petræ fuit,
Supplex Deo mox lumina dirigit,
Grates rependens relligiofus:
Si quæ didifti vis pereant, ait,
Fiat voluntas jure Deus tua.
Hinc edocemur cuncta per afpera
Ad quem mifellos currere convenit,
Qui deprecandus? nam Deus unicus.
Sontes repurgat trux tribulatio,
Ac innocentes roborat, & probat:
Cujufque dicat mens bene fubdita,
Quæ commodafti fi repetis Pater,
Gratus libenter reftituo, cape:
Vis per latrones, enfe vel ignibus
Auferre? linquo, gratius accipis
Sic fortè, quam fi pauperibus darem:
Si te vocantem non fatis audio,
Compelle, veftes dilacerans trahe,
Demum prout vis, dummodo fim tuus.

FINIS

LIBER

LIBER QUARTUS.

PROSA PRIMA.

MONICUS.

PRÆTERITIS diebus locutus, ô Volucer, quemadmodum Peregrinus noster suam in Theologia quærit consolationem, in omnibus quæ circumstant eum tribulationibus, nunc per tuam fidem edicito. Numquid non pœnitet eum plurimorum, quæ vel in Francia, vel in generali Concilio gessisse meminit, modò circa cessionem & ejectionem contendentium de Papatu; scribendo de potestate Concilii, modò circa causas Fidei, eam præsertim quæ detestatur homicidia sine legitima auctoritate perpetrata, cum sequelis suis; quæ causa totius penè turbationis inclytum Franciæ regnum disserpentis (ut ajunt) seminarium fuit; quamvis aliam dent alii, cupidinem effrenem dominandi vel vindictam expetendi. Numquid non aliquibus saltem scrupulis sua conscientia remordetur?

Volucer. Quis gloriabit, ô Monice, mundum cor se habere? quis dixerit, innocens & mundus sum? Quis non constitutus sub judiciis Dei terribilis in consiliis super filios hominum, non trepidaverit? Hinc afflictus Job: *Verebar omnia opera mea* (ait Deo) *sciens quod non parceres delinquenti.* Job. 9. 28. Et iterum: *Si voluerit mecum contendere, non potero respondere unum pro mille.* Ibid. 3. Cui conformis est oratio Prophetica: *non intres in judicium cum servo tuo Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Ps. 42. 2. Et rursus. *Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?* Ps. 129. 3. Porrò quid Isaias se cum ceteris involvens sibique vilescens, humili confessione protulerit legimus: *Omnes justitiæ nostræ tanquam pannus menstruatæ.* Isaiæ. 64. 6. Quis igitur justitias suas velut gloriabundus ostentaverit Deo, plusquam pannum confusionis suæ mulier viro. Quem denique non exterruerit Apostoli verbum dicentis: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* 1. Cor. 44. Causam reddidisse videtur Sapiens: *Timidæ sunt*, inquit, *& incertæ omnes providentiæ nostræ.* Sap. 9. 14. Et alibi: *Pravum cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud?* Jerem. 17. 9.

Monicus. Quid igitur agit pro serenatione conscientiæ suæ ut Deo sit in pace locus suus, ipseque dormiat in idipsum.

Volucer. Doctrinam consulit quam Theologica tradit schola; judicat aliter agendum esse de scrupulis inquietis orientibus ex his quæ præterita sunt, aliter super his quæ agibilia futura respiciunt; fatetur ex præteritis profectò se timere, neque timorem hunc abjicit, auget potiùs coram Judice Deo; ita tamen ne desperet super misericordia ejus, sed in solidiorem spem assurgat: formidat ne forté posuerit sibi laqueos inimicus latentes & absditos in via hac veritatis qua ambulabat; neque enim dubius, sed certissimus est, id ipsum quod prosecutus est veritatem esse Catholicam, cujus oppositos errores impios atque pestiferos exterminari quærebat ordine judiciario: ita enim se judicat obligatum firmiter credere & nullatenus dubitare de notitia ac in- D tellectu Divinorum præceptorum; alioquin se fidelem quo pacto reputaret cum scriptum sit: *Dubius in Fide infidelis est?* Quod utique veritatem habet dum quis illa dubitat quæ per eruditionem sacræ Scripturæ certâ tenetur & explicata Fide tenere: neque enim generalis sufficeret credulitas in multis, nisi particularis adfuerit, plus aut minus juxta personarum & eruditionum qualitatem. Verum si juxta hoc iter veritatis posuerit scandalum Angelus Satanæ qui se transfigurat in Angelum lucis, non ita est usquequaque certus, neque scit si scuto veritatis ita protexerit eum Deus, quod timere non habuerit à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano. Dæmonium plane meridianum dixerunt A Sancti, quod & fallit, & sub specie tamen boni non qualiscumque, sed magni boni fallaciam tegit. Hic est laqueus magnorum virorum, dum magni non humiles sunt in oculis suis, dum propriæ magis quàm alienæ innituntur prudentiæ, dum extollunt se in cogitatione sua sicut taurus, dum præterea sic agunt quasi facto & si non verbo dicerent, *Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia.* Deut. 32. 27. quippe dum prævenire monitiones suas arrogantiâ superba, non subsequi in humilitate, lachrymis & mansuetudine sæpius inveniuntur. Denique supra modum terribile est illud Sapientis tonitruum: *Est via quæ videtur homini justa, & novissima ejus ducunt ad mortem.* Prov. 14. 12. *Beatus* igitur *vir*, Sapientis testimonio, *qui semper est pavidus*, quia nisi in timore Dei se instanter tenuerit, citò subvertetur domus sua. Noli propter ea mirari, Monice, si tales inter recorda- B tiones positus paveat & extimescat, præsertim cum perfectam charitatem quæ foras mittit timorem, non se præsumet adeptum; utinam habere se cognosceret minimam vel imperfectam.

Monicus. Exterruisti me talia de timore disserens, & in hos me trusisti scrupulos dubiæ quæstionis; si pro prosperitate Reipublicæ, si pro defensione veritatis Catholicæ, si pro errantium vel delinquentium correctione quivis hominum se debeat exponere; sed sedere solitarium & reputare sapientem esse qui non curat in cujus manu mundus sit: nam si bene præcipiunt qui docent nihil esse agendum quod dubium est an bonum sit; exponunt enim se periculo & *qui amat periculum* (dicit Sapiens) *peribit in illo.* Eccli. 3. 27. Quis audeat sub tanta rerum humanarum incertitudine quippiam deinceps palam prosequendum amplecti.

C *Volucer.* Audebit si certus fuerit ex doctrina sacra, quod fundata sit in justitia Fidei persecutio sua pro qua certandum est usque ad mortem corporis vel in anima deterius moriendum.

PRIMUM METRUM

QUARTI LIBRI,

Iambicum Archilochium Trimetrum Acatalecticum: currit cum tertio metro tertii DE CONSOLATIONE PHILISOPHIÆ quoad primum ejus versum: *Quamvis fluente*.

Lex in tabellis à Deo binis olim
Insculpta petrinis est, continens decem
Præcepta naturæ, quod idcircò fuit
Legem quod impressam per indelebile
Lumen priùs nostris in cordibus fuscaverat
Nox criminum, nubesque flagitiorum
Obscura, nec non pertinax suetudo,
Quæ prima circa vera mentiri facit
In moribus, secta docent hoc impia.
Illuxit ergo summi velle, per fidem
Rursus jubens signis & in miraculis
Mandata serves hæc Dei vigil tui,
Si non mori vel perire funditus vis.

PROSA SECUNDA QUARTI LIBRI.

MONICUS.

SED cavenda sunt, ô Volucer, scandala, *væ enim homini per quem scandalum venit.* Matth. 18. 7. Observandum est præterea in collectione zizaniorum ne simul eradicetur & triticum. Tolerari denique mala jubentur, quæ si tolli quærerentur, deteriores afferrent exitus; sic Ethnici, sic Sarraceni, sic hæretici plerumque dimittuntur, nec impugnantur, immò sic agere consilium est, ubi communitas est in culpa, ne deterior scissura fiat.

Volucer. Scandala Pharisæorum contemnenda docet veritas. *Sinite eos*, inquit, *cæci sunt & duces cæcorum*, Matth. 15. 14. talia quippe vitare nec possumus nec debemus. Sed neque deserenda est veritas aut vitæ aut doctrinæ, vel justitiæ, dum certum habemus quod periclitaretur nostro silentio, & opposita falsitas firmaretur, juxta regulam: *Error cui non resistitur, approbatur.*

Monicus. Redit ecce sermo noster ad materiam quæ de zelo tractata est. Cadit præterea in aliam difficultatem, quando & qualiter certi erimus quod defensio Catholicæ veritatis non plus affert nocumenti quàm utilis ædificationis; quoniam si plus officit, nonne tenenda erat jussio Christi superiùs inducta? *Nolite sanctum dare canibus.* Matth. 7. 6. Cui parabola de zizaniis non tollendis consona est.

Volucer. Adhibenda est fateor pro dissolutione difficultatis istius, quæ pluries incidit, doctrinalis una distinctio; cujus vel ignorantia vel inadvertentia multos etiam Philosophorum atque Theologorum conturbavit. Itaque certitudo una est supernaturalis, altera naturalis, tertia moralis vel civilis. Certitudo supernaturalis ita se habet quod non stat aliquem sic assentire & falli: & hæc iterum certitudo dividitur: quia quædam est evidentiæ claræ & intuitivæ in patria beatorum; altera evidentiæ revelatæ in illustratione Prophetarum; tertia solius adhærentiæ in speculo & in ænigmate, quæ non evidentiæ rationis innititur, sed auctoritati divinæ, qualem certitudinem Fides habet & præstat in cordibus fidelium: est enim quælibet hujusmodi certitudo tanta, quod per nullam potentiam etiam divinam & absolutam fallax esse potest, alioquin Deus negaret semetipsum. Hanc Philosophorum schola non vidit, neque Stoïcorum, neque Peripateticorum, neque Academicorum. Hæc certitudo pro tertio suæ distinctionis membro fidelibus omnibus dum peregrinantur in via convenit, quos tanta certitudine nedum duodecim articulis Fidei, sed toti sacræ Scripturæ credere necesse est, actu vel habitu, implicitè vel explicitè, qualiter credendo certi sunt, neque falli possunt. Alioquin juxta quod prætactum extitit, *dubius in Fide infidelis est.* Certitudinem hanc in Martyribus talem vidimus ut absque ulla dubitatione mallent relinquere vitam quam Fidem. Ceterum Paulus hac subnixus, expressurus vehementiam certitudinis, asseruit conditionalem, cujus antecedens sciebat impossibile. Etiam inquit, *si Angelus de cælo vobis evangelizaverit præter id quod evangelizatum est, anathema sit.* Gal. 1. 8. Neque tamen negandum est, quin Paulus ultra certitudinem adhærentiæ per Fidem, certitudinem habuerit evidentiæ per revelationis illustrationem & quodammodo in transitu seu raptu per gloriam. Porrò certitudinem alteram quæ naturalis dicitur invenimus, quæ talis est, quod non stat per naturam quod aliquis taliter assentiat & fallatur. Hanc Aristoteles & Peripatetici, hanc & Stoïci Philosophi posuerunt nobis possibilem in primis principiis per se notis, cognitis videlicet ex sola terminorum apprehensione, ut quod quodlibet est vel non est. Posuerunt & in conclusionibus demonstratis, & in evidenti consequentia deductis per talia principia, quemadmodum dixerunt Mathematicam scientiam esse certissimam. Academici verò in quibus Socrates, Carneades & Cicero, dehinc posteriores aliqui novam visi sunt induxisse scientiam, nihil scire, immò nec hoc scire quod nil scimus: ita tollere voluerunt è medio certitudinem omnem, dicentes de omni re ad utramque partem ex æquo disputari posse; & ita neque primam de qua locuti sumus certitudinem supernaturalem, neque naturalem putabant ullam esse. Denique certitudo quæ moralis dici potest vel civilis tangitur ab Aristotele unà cum præcedenti certitudine Ethicorum suorum principio. Cujus sententia est: *Disciplinati esse in una quaque re certitudinem quærere juxta exigentiam materiæ.* Æquè enim vitiosum est, inquit, persuadentem quærere Mathematicum & moralem demonstrantem: non enim consurgit certitudo moralis ex evidentia demonstrationis, sed ex probabilibus conjecturis, grossis & figuralibus magis ad unam partem quam ad alteram. Talem certitudinem si penitus negaverint Academici, si non eam præterea sufficientem dixerint ad aliquid moraliter operari; viderint qua ratione præsumpserint aliquid vel agere bonum, vel omittere malum, conformiter ad judicium rationis, quale debet esse certum, sicut certa est in se virtus, alioquin virtus non est.

Monicus. Animadverto, Volucer, quoniam ex prima certitudine multa possumus & debemus nos fideles sine scrupulo, corde credere ad justitiam & ore confiteri ad salutem, prosequi, defendere & tueri, priusquam vacillet vel auferatur à nobis hujusmodi certitudo. Intelligo præterea quod in agibilibus humanis, quæ tantam habent varietatem, dicente Aristotele & experientia teste, ut casu magis quam arte constare videantur, sufficit tertia certitudo qualis non semper scrupulos omnes abjicit, sufficit ut contemnat vel superet, sic operando quasi non sint. Sed qua ratione possit hoc fieri scire cupio quid advena noster in his agat.

Volucer. De scrupulis sicut prædiximus judicat aliter agendum esse dum oriuntur ex præteritis, aliter dum in eis quæ agenda sunt occurrerint. De præteritis quidem operibus jam amplectitur Gregorii sententiam: *Bonarum mentium est ibi culpam agnoscere ubi culpa non est.* Conformiter & ad illud: *Justus in principio accusator est sui.* Prov. 18. 17. Constituens itaque se coram tremendo tribunali districti judicii Dei, conscientiam propriam audit & sustinet accusantem eum, quanto majori severitate scit & potest; quatenus fiat ei spiritus contribulatus & ingens confusio, contritio & humiliatio cordis, ita ut cadat à se per omnimodam propriæ defensionis desperationem; neque enim vult cum divina justitia contendere, neque conscientiæ pro justitia testimonium ferenti contra se reum silentium imponere, suadet potiùs ut clamet vocibus magnis. Iste est æquissime Judex, Deus, iste qui pro justo judicio tuo damnandus est; peccavit enim in talibus & talibus super numerum arenæ maris, ita ut peccata sua vix totus capere possit mundus; sunt enim abyssus multa, & tenebrosa nimis, quæ altam sibi damnationis abyssum meruerunt & invocant: & hoc Domine Deus, in voce cataractarum tuarum, hoc est viarum tuarum inscrutabilium & judiciorum occultorum, in quibus homo constitutus videre non potest an odio vel amore dignus sit, neque cognoscere de suis operibus quantumcumque justa videantur, quo terminentur fine, aut qua districtione judicentur. Accusatus inter talia reus non defensoris, sed accusatoris, testis & judicis in se partes agit exaggerans quantum potest. Qui etiam si totius populi Christiani fudisset sanguinem, sperat in illo Apostoli verbo, *si nos dijudicaremus, non utique judicaremur.*

1. Cor.

1. Cor. 11. 31. Quò contra fit in humanis judiciis, quoniam confitenti crimen mors infertur: apud Deum verò apud quem est misericordia & copiosa redemptio, misericordia hic dum vivimus superexaltat judicium; quo fit ut damnandus in Curia justitiæ habeat aditum cum fiducia ad Thronum gratiæ ejus, quæ salvat damnantes se, absolutionem conferens in A auxilio oportuno, præcipuè si dimiserit homo ex corde debitoribus suis, ut participes velit eos fieri gloriæ, neque vindictam quærere cupiat; sed oret pro salute sua; quò fit ut fidenter dicat Deo Bullas veniæ suæ præstandæ habens, *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Matth. 6. 12.

Monicus. Talia frequenter audivi, Volucer. Sed qualiter absque mendacio vel fictione potest in multis tale aliquid agi, non satis apertum est. Esto nempe quod de præteritis operibus scrupuli sint in conscientia, non idcircò ream se judicare habet: est enim scrupulus vacillatio quædam, dubitatio vel formido consurgens ex aliquibus conjecturis debilibus & incertis. Alioquin si ex vehementibus argumentis & probabilioribus pro hac parte quam pro altera dubitatio consurgeret; jam non scrupulus solus vel levis trepidatio dici deberet, sed moralis de transgressione certitudo. Mirum verò neque cautum videretur B si propter hujusmodi scrupulos conscientia testificationem vel damnationem ferret certam. Numquid interrogata ab hominibus vel acriter à seipsa, neque mentiri sibi volens, respondebit propter solos scrupulos se in veritate ream, se criminosam, se damnandam existere? nonne magis in hoc casu de merito quam de peccato, & ita potiùs de salvatione quam de damnatione præsumit? Quo pacto fert igitur contra semetipsam damnationis sententiam? Auget dubitationem Apostoli dictum. *Mihi*, inquit, *pro minimo est ut a vobis judicer vel ab humano die; sed neque meipsum dijudico*, 1. Cor. 4. 3. qui tamen alibi se primum fatetur inter peccatores. *Venit*, inquit, *Deus salvos facere peccatores, quorum primus ego sum.* 1. Tim. 1. 5. Oro qualem ad istam responsionem advena noster daret.

Volucer. Qualem nimirum dat Apostolus, dum subdit ad præallegatum quoddam verbum, *qui me judicat Dominus est.* 1. Cor. 4. 4. Et alibi. *Scio quod in me non habitat bonum*, Rom. 7. 18. conformiter C ad illud Christi. *Qui ex propriis loquitur, mendax est.* Certissima igitur non scrupulosa ratione tenere debet omnis homo vivens, quoniam sine gratia Dei damnatus est: quapropter humiliet se homo quantum potuerit, sibi vilescat, se dejiciat, se conculcet in recogitatione sua, quia non haberet quod Deo damnanti responderet; quid objiceret dicenti: *Amice non facio tibi injuriam, accipe quod tuum est & vade.* Matth. 20. 13. Quid est autem illud tuum nisi peccatum nisi mendacium? Legisti quod sanctus Abbas Agathon moriens, fratribus interrogantibus an timeret, & an in operibus suis confideret, respondit: *In veritate timeo, neque confido in operibus meis; quousque venero ante Deum, quoniam alia sunt judicia Dei, alia hominum.*

Monicus. Totus crede mihi, Volucer, horrore concutior, totus mœrore tabesco, totus in desolationem & in quamdam velut desperationem dejicior hæc audiens, nec quid de præteritis nec de futuris agam scio.

Volucer. At verò germanus tuus hac consideratione sic uti nititur, ut inter tot præmentia mundi mala, inter tot hostiles carnis ac dæmonis molestias, D per ipsam, Domino propitio, fortiorem assurgere quærat in spem, solidiorem consolationem, & in tranquilliori pace quiescere, cujus rationem & modum collocutio diei prioris exposuit.

Monicus. Memini; per desperationem enim ad spem venire docuisti: causant nihilominus scrupuli tales inquietudinem mentis quam fluctuare faciunt, à qua sicut muscæ morientes perdunt suavitatem odoris id est devotionis & amoris sentimentum. Evigilare demum compellunt & exsuscitare dilectam priusquam ipsa velit.

Volucer. Accipito consilium.

SECUNDUM METRUM LIBRI QUARTI.

Dicolon Tetrastrophon. Primi tres versus sunt Trochaïci Alemanii Dimetri Acatalectici: sicut primus in secundo Metro quarti DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ. Quartus est Dactilicus Pherecreatius Trimeter Acalecticus sicut secundus in secundo Metro secundi Libri: *Pontus versat arenas.* Ad finem fit Distrophon.

Si tuum tabescit in te
Scrupulis exagitatum
Cor, gemens & anxiatum,
Persta fortius in spe.
Filiis suis quid obest,
Provida cura patris scit.
Pane filiorum servus
Ut quandoque cibatur.
Sic cibo servi frequenter
Parvus vescitur heres.
Glorietur ut nequaquam,
Et speret cor utrinque.
Proximum solet juvamen
Fieri contribulatis.
Nonne fluctus & procella
Expurgant mare crebrò:
Parturit filium mater,
Sed non absque dolore.
Lætus alacrisque fies
Morum prole beatus.
Si memor Dei recuses
Hic solamen habere.

PROSA TERTIA LIBRI QUARTI.

MONICUS.

ORo quis blandimenta mundi superaverit, quis adimpleverit Propheticum votum: *Lætetur cor meum ut timeat nomen tuum?* Ps. 85. 11. Quis ad sacrificium salutis offerendum accedere præsumpserit, si fuerit alienus à dulcedine Dei; si aruerit sicut mons Gelboë, in quo nec ros desuper refrigerans, nec pluvia rigans & fœcundans cadat; sed fit sibi cœlum æneum & terra ferrea, deserta & inaquosa.

Volucer. Plurimos, crede mihi, fefellit nimia sentimentorum hujusmodi conquisitio seu cupido: hoc in Turelupinis & Begardis, hoc in quibusdam devotis non secundum scientiam expertum est, qui deliramenta cordis sui pro Dei sentimentis amplexantes turpiter erraverunt. Alii frustra conati sunt ad nihil passionabiliter affici cum sentiret Apostolus aliam legem repugnantem. Alii ita Deo se voluerunt tradere, quod omnia Deus ageret in eis tantummodò passivè se habentibus. Alii per unionem apicis mentalis cum Spiritu sancto, tradunt habere scientiam mysticam de Deo; ita tamen quod Deus non apprehendatur sub quacunque ratione vel entis vel veri vel boni. Sed ab istis & à prioribus inquiritur ubi meritum erit, si dilectionis voluntariæ nullus habeatur actus? At verò qua ratione debeat cor tuum medias inter scrupulorum ac tentationum agitationes se gerere, te doceat exemplum palpabile. Utuntur nautæ

tæ quodam vasculo, in quo super cuspidem erectam librata est ex transverso volubilis acus ferrea, cujus acies affecta est per magnetem, quo fit ut in Polum Arcticum assidua sit sua directio. Non aliter cor affectum Dei dilectione in Fide & Spe, ferri convenit in Deum. Porro sicut ex motu vasis continentis acum agitatur acus aliorsum, nunc dextrorsum, A nunc sinistrorsum, redit tamen semper in idipsum dum quiescere finitur. Conformiter turbationem aut vacillationem cor pati videtur ex scrupulosis motibus, modò per has, modò per illas passionum fluctuationes; maneat attamen divinus amor firmus, saltem in habitu, quod sufficit si non penitus ejecerit ipsum homo. Et ita sufficit ut aliquis inveniatur constantior resistere peccatis, immò corpus exponere martyrio, carens actu talibus sentimentis, quàm alius abundanter plenus eis. Quare patet signum istud sensibilis suavitatis inefficaciter arguere charitatem Dei si non adfuerint comites charitatis signatæ per Apostolum: *Charitas*, inquit, *patiens est, benigna est*, 1. Cor. 13. 4. cum reliquis qua subjungit. Itaque si Fides, si Spes, si ceteræ virtutes informes esse possunt, dum deest Charitas effugiens à facie latentis superbiæ, cur non poterit hæc experta suavitas? Gustas igitur hanc suavitatem? Utere cum humilitate & gratiarum actione. Gustu cares? Fer in patientia & mansuetudine, attendens quod aliquando dæmon abutitur naturali bono teneri cor- B dis, ut est in mulieribus; sicut è converso potest gratia naturale bonum tale in adjutorium sui sumere, ut vehementior & crebrior invalescat spiritualis devotio. Sed dum subrepit superbia (quibus enim non insidietur quæ vexare voluit Apostolum:) tollitur hæc pax interior, redit que collaphizatio tentationis, custos humilitatis; quo casu sufficiat gratia Dei nec more generationis pravæ & perversæ divinum sibi devotionis signum quærat.

Monicus. Ecce relabimur in id quod ab initio quæsitum est, qua ratione poterit aliquis quidquam aggredi sub dubio constitutus, an agat rectè, si ex interiori conscientiæ motu sufficiens certitudo non habetur: peribit denique omnis ars distinguendi veras à falsis immissiones Propheticas aut revelationes.

Volucer. Habes super hoc ultimo scripta non pauca Peregrini nostri. Primùm verò respectu eorum quæ futura sunt (de præteritis quippe jam diximus) C sic observare convenit: ut non reputetur culpa ubi culpa non est: alioquin causatur erronea conscientia, contra quam si quidlibet attentetur fieri, jam culpa est si fluctuat animus. Præterea sub hac dubitatione velut ad utrumlibet nesciens quid acturus sit, consilium est ut non agat; quoniam exponeret se discrimini, quo casu certum habeat quod peccat. Vis igitur quicquam securus agere? Certus sis illud esse bonum, neque virtuti contrarium. Sed refert qua certitudine; sufficit nempe certitudo moralis, qualem notavimus, ut vel non sis in peccato dum facis quod in te est, aut saltem peccatum non incurris novum per temeritatem, exempli gratia; celebrandi: orta est enim ex diligentia tuæ præparationis excusatio. Ceterum moralis hæc certitudo per doctrinam colligitur altero trium modorum. Unus provenit ex alterius auctoritate: alter ex propria eruditione: tertius ab experimentali consuetudine. Sub primo vivunt incipientes & animales: Sub secundo proficientes & rationales: Sub tertio perfec- D ti & spirituales. Consonat Philosophus tradens tres hominum maneries ad doctrinam inveniri. Pauci per seipsos dociles sunt propter claram suæ complexionis harmoniam, addo vel aliam gratiam gratis datam, qua faciliter agenda concipiunt, scripturas ut Augustinus intelligunt: Multi ab aliis erudiuntur, recipientes ab eis intelligentiam Scripturarum: aut si nequeunt, credunt saltem dicentibus & obediunt. Tertium genus desperatum est ad doctrinam, qui neque doceri possunt, neque docentibus assentiri volunt. Quibus relictis (sunt enim plus discoli quàm multa bruta quæ per humanam domantur industriam, ut canes, ut eqni, ut simeæ, ut aves aliquæ) fiat sermo de reliquis.

Putò quod Religionum instituendarum principalis causa fuit auctoritas regiminis, cui magis obedientia præstaretur, quàm propriæ rationi, quæ in plurimis dubia valde est, debilis & incerta. Prævalere similiter habet hæc auctoritas respectu juniorum quorumlibet ad Magistros vel Parentes; quoniam judicium propriæ rationis vel nullum vel imperfectum habent. Hoc Pythagoræ schola servabat: Sic jubet Dominus dicens: *Interroga patres tuos & dicent tibi, majores tuos & annunciabunt tibi*, Deuter. 32. 7. Majores intelligo qui multis experimentis eruditi sunt in agibilibus humanis, quorum judicia tradit Aristoteles esse recipienda tanquam principia propter multa vidisse. Extenditur hoc ad eos qui respectu divinorum propter consuetudinem exercitatos habent sensus, quales jam in solitudine sibi vivere sufficiunt.

Superest sanctus doctrinæ modus, proposito nostro vicinior, unde sumitur in agendis sufficiens & moralis certitudo: oritur modus iste nutriturque ex studiosa perscrutatione divinorum mandatorum, qualem suadet sapiens: *quæ tibi præcepit Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus.* Eccli. 3. 22. Et iterum, *nihil dulcius quàm respicere in mandatis Dei.* Eccli. 23. 37. Hinc beatum dicit Psalm. *qui in lege Dei meditatur die ac nocte*, Ps. 1. 2. cum cæteris absque numero cadentibus in hanc sententiam. Itaque *semel* in Scripturis suis *locutus est Deus, & idipsum*, ait Job, *non repetet*, Job. 33. 14. quia sufficienter erudiunt & consulunt, tantummodo relegantur puro fideli, & integro corde. Malevolis quidem & incredulis tenebrosior inde nascitur errorum caligo, quod in hæteticis olim, nescio si amplius nostra hac ætate perspicuum fuit; quando cæcutientes facti sunt multi circa fores principiorum moralium, quæ sunt de primis impressionibus naturæ, quæ rursus digito proprio scripsit Deus in tabulis lapideis, ad indelebilem memoriam, repetens ea tertiò, per Fidei Traditionem in Evangelio: itaque lugere, plangereque compellimur.

TERTIUM METRUM

LIBRI QUARTI.

Dicolon Distrophon. Primus versus Iambicus Archilochius Trimeter Acalecticus: secundus Elegiacus: currit cum tertio tertii DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ: *Quamvis fluente.*

AEnigma quamvis perferat secum fides,
Est a fonte tamen lucis origo sua;
Per hanc, sophia veritas recondita,
Quam natura nequit insinuaße, patet;
Revelat ecce parvulis, amans eos,
Atque docens, & cum simplicibus graditur,
Qui superbis mente cordis clauditur,
Vult intellectus subsit ut omnis ei,
Petitque, sensus omnis ut se deneget.
Debet homo totus obsequium Domino,
Par nempe bestiis peccando factus est,
Indiget hinc fidei subdere colla jugo,
Ut ambulet vita vias, nec offendat.
Pandit qualis sit finis habendus ei,
Præcepta rursus inculcat prius data,
Nam mos perversus obnubilarat ea.
Vis ingredi vitam, mandata conserva,
Roborat hic decadem Christus in alta levans.

Si

Si prima per se nota præcepta decem
Mens scelerata docet falsa vel ambigua,
In his fides si sit obscurior, plena
Meridie palpans, amodo quid superest
Jesu benigne, quid potest magis tuam
Externis legem tradere ludibrio,
Modos & regulas vivendi deinceps
Quos his eversis plebs tua suscipiet?

PROSA QUARTA LIBRI QUARTI.

MONICUS.

HOc est, Volucer, quod stomachabar nuper mecum, dum Theologiam efferres, unde sit quod nonnullos ex Theologis experimur in nullo meliores, utinam non deteriores ceteris hominibus.

Volucer. Nolo, Monice, de aliena vita Theologorum nec aliorum scrutator esse, vel censor curiosus: hoc unum credidi, propter quod & locutus sum, quòd Theologia non admixta Fidei, Spei & Charitati, inflat & officit, quemadmodum de Philosophia Romanorum refert Apostolus; quoniam propter ingratitudinem dati sunt super alios homines in reprobum sensum: causam reddit, *quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, neque gratias egerunt.* Rom. 1. 21. Ingratitudinem verò majorem esse in contemptu vel abusu Theologiæ quàm Philosophiæ nemo dubitaverit; propterea, sicut apud Ciceronem Orator describitur, quòd est *vir bonus dicendi peritus*, ita Theologum nominamus *bonum virum in sacris litteris eruditum*; non quidem eruditione solius intellectûs; sed multo magis affectûs; ut ea quæ per Theologiam intelligit, traducat per jugem ruminationem in affectum cordis, & executionem operis: quatenus sapientia, secundum nomen suum, sapida sit in bonis, suaviter & jucundè; in malis tristabiliter & acerbè; alioquin tales, instar Vriæ, ferunt litteras damnationis suæ, dant adversus semet ipsos ex ore proprio judicium, plus inficiunt exemplo vitæ, quàm instruant verbo doctrinæ; sacras denique Litteras impudenter suis inquinatis moribus & desideriis subservire compellunt, sensum à sanctis Patribus traditum distorquentes, imò sæpe nescientes: nescia profectò est pars magna talium qui se Theologiæ professores jactitant, ita ut experiri stupor sit. Ideo quippe Theologiam nesciunt, quia se curis aliis quotidie tradunt: esto sciant, vides quemadmodum ratio (dos hominum præclarissima) vertitur reprobis ad suam aliorumque perniciem. Vinum quoque, quantò melius, tanto furiosiores eos qui ad sobrietatem ipso non utuntur, reddit, non vini vitio, sed potantium. Dicta sunt hæc interim, quatenus animo tuo tristi mos gereretur & solveretur quæstio facta; simul ut ea quæ de Theologiæ consolatione scribimus, qualiter & à quibus accipienda sint, utiliter insinuaremus. Confido in Domino, quod apud idiotas sollicitos de salute sua, in quibus est simplex Fides, certa Spes & suavis Charitas insidebunt fructuosius in animo Theologicæ sententiæ, (ideo non frustra sunt) quàm apud repletos litteris, gignentibus scientiam illam, quam inflare dicit Apostolus: oculum verò, quis nesciat quantùm turbat aut excæcat inflatio?

Sunt alii minus culpabiliter (nescio si minus tolerabiliter) errantes, quos ex doctrina, dum moralem quærunt certitudinem, nullum lumen rationis movet ad assensum cujusvis agibilis; tantummodò satis est si dicere potuerint, hoc scriptum est, hoc talis Doctor in lectura sua sensit, hoc alius ita posuit: similes aspicientibus verso ad solem dorso, splendorem ejus in montibus; quos ad aspectum solis nullus sufficit ostendentis digitus attollere. Cur ita? Quia deorsum oculum mergere soliti sunt, ubi non aspicitur sol, nisi circumvolutus caligine. Planè lucis natura, nedum sensibilis, sed intelligibilis, ita habet, ut quanto longius ab origine protenditur, eò fiat debilior, crassior & subobscurior. Propterea, si lumen intellectuale jugiter ad infima consideranda demergitur; grossescit & crasescit quodammodo, ineptumque redditur superiora quamvis lucidiora conspicere; sed neque lumen veritatis accipiunt isti, nisi circumvolutum sit, quadam veluti caligine traductionis humanæ.

Monicus. Experimur id sæpè quod dicis, sed quid proinde faciendum sit insinua.

Volucer. Monendi sunt ab ingressu studii, non ita figerè solam in Constitutionibus suis retinendis memoriam, ut plurimum mos est, quin exerceant intellectum, rationémque consulant, ex quibus principiis vel moralibus, vel Theologicis originentur hujusmodi Constitutiones: ita enim fiet ut collustrentur lumine primorum principiorum, quod si vel nolunt vel nequeunt, credant illustratis. Recogitent insuper præstantiam humanæ conditionis, quæ ad hoc condita est, ut totum sensibilem mundum (qui per sensuum portas ingreditur, imprimendo species suas atque simulachra) reducant in primum principium Deum, cum quadam simplificatione & puritate. Ita procedens à Deo mundus, fit eò continuè utilior in suis partibus, quò longinquior, prout in elementis videre est & in solis lumine. Rursus autem redditur spiritualior magis ac magis per operationem intellectus agentis in phantasmata corporalia, ex quibus elicit sua virtute species intelligibiles, simplices & incorporeas. Et sicut natum ex carne sensuum, caro erat suo modo; sic quod nascitur ex intelligibili spiritu, spiritus est, adeò quidem ut non dubitaverit Apostolus dicere, *qui adhæret Deo unus spiritus est cum eo.* 1. Cor. 6. 17. Hæc operatio, præcipuè spectat ad elevatos Theologos, exercitantes se ad Theologiam mysticam, quæ per abnegationem tendit in simplificationem: verùm, quando veniendum est ad agibilium tractationem, oportet rursus in inferiora respicienda descendere; alioquin, fallerentur isti modo ad primos contrario, si lumini principiorum hærerent adeò quod conclusionum visionem omitterent; exemplo Astrologi cadentis in foveam, dum ambulans respicit astra.

Denique perfectus erit, qui studiosa circumspectione versabitur in utroque, hunc Juristam Theologum & cum Theologo Juristam judicabo; quales fuerunt primi Doctores, ex quorum sententiis, Decretales Decretaque compacta sunt.

Monicus. Raro fert ætas nostra tales, causam scire desidero.

Volucer. Pauci tolerant laborem studii, in multis vel ætas, vel ingenium, vel sumptus non suppetunt: evenit præterea quod mystica Agar ancilla, videns se peperisse, habet contemptui Saram Dominam, quàm sterilem existimat. Rachel insuper fortassis lympidos habens oculos, irridet aliquando mordaciùs sororis Liæ lippitudinem, cum se mutuo jure sororio conveniat honorare; ipsam quoque Agar, imperio Dominæ suæ subjici, dictatisque per eam æquum fuerat obedire.

Subinde perpendis difficultatem infinitam, quam habet morale negotium, dum prosequi quæritur: quia non satis est intelligere quid verum sit & quid rectum (sicut cadit sub arte tradere) sed particulares circumstantias, quæ variabiles sunt, neque sub arte, neque sub doctrina veniunt. Circumspicere necesse est statum inprimis Reipublicæ, cum moribus eam regentium; si juxta consilium soceri Moysi. Exod. 18. 21. *sint viri potentes, timentes Deum, in quibus sit veritas & qui oderunt avaritiam*, neque sit apud eos personarum acceptio, neque inconstantia, neque depravatum consilium: Alioquin, non exibit ab eis

eis judicium rectum, quantumcumque fuerit postulatum, nisi providerit ex alto Deus, qui per pueros, per iniquos, per bruta, per dæmones sæpius exercuit judicia justa: qua in re Tobias ore divino locutus est, dum filium jussit consilium semper à sapiente perquirere: *Omni insuper, inquit, tempore benedic Deum, & pete ab eo ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant*: Tob. 4. 20. Quæ sint autem consilia Dei aperuit Psalmista, loquens ei, *Consilium meum justificationes tuæ*, Ps. 118. 24. non ita tamen ut humanum consilium deseratur; quod utique debet existimari divinum, si ritè, si humiliter, si devotè, si obedienter fuerit inquisitum, quale zelus fervidus, & omnis generaliter passio vehemens, solet nec petere, nec petito vel ingesto credere.

Monicus. Omittamus deinceps ea loqui, quæ sub eruditione doctrinali non veniunt: neque enim moralis certitudo (quantum ex dictis colligo) potest sub una regula tradi, quæ sufficiat in omni casu conscientiam agentis reddere securam se non deliquisse, quod ex eventu rerum perpendi sæpius solet.

Volucer. Propterea, constitutæ sunt in figura, Josue 21. tres civitates refugii, Fides, Spes, & Charitas, continentes lavacrum Pœnitentiæ, & immunitatis asylum, quatenus pax conturbata (per ea quæ se fecisse formidat homo) reformetur; quæ pax qualiter observetur sit intelligere.

QUARTUM METRUM LIBRI QUARTI.

Monocolon, Dactylicus est versus Alemanius Tetrameter Hypercatalecticus: currit cum quinto carmine quarti DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ: *Si quis arcturi.*

PUlchra pax, summi munus optimum;
Te voluntati (sit bona tantum)
Nuncius defert missus ab alto.
Nam mala menti qualis erit pax?
Sternitur lecto sorde repleto,
Complet & spinis se vitiorum,
Qualium turba dilaceratur,
Tracta nunc istuc, rursus & illuc,
Dissidet secum, seque, remordet
Viribus vanis; omnipotenti
Stulta guerram dat, more gigantum.
Pugnat è contra quodque creatum,
Jus sui regis sedulò servans.
Si placet fiat vera tibi pax,
Ordinatus sit primitus omnis
Motus, affectus nec vagus erret,
Quæritans extra posse quieto
Se frui mundo, quod nequit esse:
Pauca pertentet, non alienis
Litibus se det, sed nec habenas
Sensibus laxet: semper anhelet
Legis æternæ jussa tenere;
Litteris sacris assiduus sit;
Quippe dat pacem zelus earum,
Pacis æternæ pignus & arrham.

PROSA QUINTA ET ULTIMA LIBRI QUARTI.

MONICUS.

ADVENIAT oro pax ista nobis. At vero nondum satis explicuisti quæ sit apud Peregrinum nostrum consolatio specialis, deliniens eum in tam confusibili rerum tempestate, qualem in florentissimo nuper Franciæ Regno, nominatim in celeberrima Parisiensi Civitate contigisse, non prorsus ignorat & nos intuemur.

Volucer. Accipe super istis doctrinam Theologiæ cœlitus immissæ, quam deinceps, non me loqui putatò.

Prosopopæia Theologiæ.

A Conquereris, ô homo, quòd ætate tua multi depereunt, quid quæso novum accidit? habet ætas omnis mortuos suos, quotidie recipit terra mille modis humanum genus; hos pestis, illos fames, alios gladius, multos naufragia, morbi, incendia, voragines absumunt; quippe terra sunt & in terram revertuntur. Mentiebaris ô nequam, dum Evæ dicenti, *Ne forte moriamur*, subintulisti, *nequaquam*, omnes ex tunc capitali supplicio adjudicati sunt: nil refert, quis prior, quis posterior securi mortis feriatur. Unum dabo tibi quod Jure confitear esse timendum, quo merito vel demerito vita jam jam citissimé desitura, finiatur apud Judicem Deum: scio, mecum fateberis. Interrogo te, respondeat existimatio tua: mortuos quos immaturâ violentâque nece defles ereptos, aut justa causa perdidit, aut injusta? Si justa, cur inculpas justitiam, cur non lætaris lavans manus tuas in sanguine peccatoris? Si injusta, vide si sobrium est eos plangere, quos pro justitia morientes beatos Christus appellat? Sed
B dices, potuerant injusti vivendo corrigi, justi verò plus ad suam aliorumque salutem superstites justificari. Quid si sordidus sorduisset adhuc, si suæ damnationis assiduè pœnas auxisset; justus verò, ut sæpe fit, excidisset à justitia? Patet latiùs ista deductio: nonne varii sunt eventus belli & nunc istum, nunc illum consumit gladius? ut non glorietur accinctus ut discinctus, quoniam *non est fortium bellum*, dicit Ecclesiastes. 9. 11. Sed ad altiora conscendere nostræ rationes volunt; quæ nihil casuale, nihil fortuitum tradunt Deo, cujus consilia super filios hominum, humana curiositas comprehendere per singula non præsumat.

Attingamus tamen aliqua, qualia ex Propheticis & historicis Libris nostris, fas est colligere. Destruxerunt Assyrii idolatræ quidem, sine Deo, Jerusalem sanctam Civitatem cum populo: quid per Isaïam dicat Dominus audi, *Væ Assur virga furoris mei & baculus ipse est, in manu eorum mea indignatio.* Isaiæ 10. 5. 7. Sequitur, *Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor ejus non ita æstimabit, sed ad conterendum erit cor ejus.* Ec-
C ce quod Deus malos de populo suo (inter quos non dubium fuisse quosdam innocentes) voluit per longè deteriores affligere, quales appellat *virgam furoris sui*, quamvis obsequi Deo blasphemi non crederent. Quid si tale quid operatus est modò Deus, qui potestatem habet vitæ & mortis, in cujus conspectu non justificabitur omnis vivens? Nonne frequenter in regimine Reipublicæ, cupiditas se putat Charitatem, cùm hæc commune bonum, illa proprium commodum semper inquirat? Esto, sit Charitas, quid si non adhibuit pro sui suorumque custodiam, contra proditiosas insidias cautelam, qualem humana potest & exigit industria? Quid si bellassent adversus infideles, aut adversus exteros sui Regis hostes & occubuissent; felices eos in altera vita nonne judicares, nec morte turpi functos? Quod si præsentem tantum respicis vitam, terreat Apostolus; *si in hac vita tantum sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* 1. Cor. 15. 19. Quis præ-
D terea novit, si ascenderit in aures Domini Sabaoth clamor flagitiorum, scelerum & abominationum, quibus vel populus, vel rectores & nobiles, vel utrique forsan peccaverant; quos tradidit Deus, non in manus infidelium, ut aliàs plerumque (quandoque per Vandalos & Gothos & Hunos, aliquando per alios) nominatim propter spurcissimam carnis corruptionem, ut aliquibus revelatio dixit. Exposuit suos modo Deus cladibus bellorum civilium, ubi tumul-

multuatur populus contra nobiles, imò sine lege, sine ordine nobiles inter se cum dissecatione mutua populorum se destruunt. Punit (crede mihi) Deus occultiora sæpe delicta, per flagella patentia; illa etiam, quæ per contritum cor & humiliatum deleta pridem fuerunt quoad culpam, reperit in pœnam. Hinc fit, ut aliquos præsentialiter benè viventes aliquando comprehendat afflictio, aut pro parvo (sicut putatur) delicto novo, grandior punitio subsequatur: quemadmodum cernere est in corporis ægritudinibus, quæ ad occasionem facilem oriri videntur, aut recidivum pati. Sed da nullum neque modò, neque antea præcessisse demeritum, virtus vel exercetur ad meritum, vel ad præmium coronatur: adde quod, mutat Deus ut placet Regna de gente in gentem, propter injustitias, & varios dolos. Nabuchodonosor mente captus testis est, testis Troja, testis Roma, testis Daniel, de dissipatione Monarchiarum quatuor principalium: habet enim quælibet res in terris quamdam suæ durationis periodum, atque vicissitudini subjecta est, sit homo, sit domus, sit Civitas, sit Regnum, sit Imperium. Mutavit præterea Dominus Sacerdotium Heli, juxta revelationem Samuëli factam: 1. *Reg. cap.* 3. *&* 22. cujus genus Saül exterminavit cum Civitate Sacerdotum in ore gladii, viros & mulieres, parvulos & lactentes. Ubi precor, attende vigilanter (est enim proposito res accommoda) vide quis occasionem præstiterit proximam neci crudelissimæ Sacerdotum ac virorum vestitorum Ephod lineo cum mulieribus & parvulis ac lactentibus & prorsus innocuis, cum horrenda demolitione Civitatis. Nonne legis, quod declinaverat David ab Abimelech Sacerdotem, sumpserat in necessitate famis panes sanctos cum gladio Goliath, neuter istic culpabilis. Et de David testis Jesus in Evangelio, licet usus sit bona mente reum se memorans; executus est nihilominus Saül iratus mala voluntate destructionem quam Dei voluntas optima se facturam prædixerat.

Canitur in Psalmis de Deo, *Convertit cor eorum* (non dubium Ægyptiorum) *ut odirent populum suum, & dolum facerent in servos ejus:* Ps. 104. 25. Convertit, intellige, quia materiam odii & doli ministravit in multiplicatione Hebræorum, & miraculorum per Moysen ostensione. Quo circa facilè potest esse fallax argumentum; provenerunt ex istius operatione scandala, malaque sine numero, egit ergo talis culpabiliter: nihil enim tam bonum, quo nequitia perversorum nequeat abuti: exemplum in protestatione Fidei per Martyres claret.

Et primò in prædicatione Christi, qui non venit pacem mittere in terram, sed gladium: cujus ortus utique divinus, tot innocentes per Herodem dedit neci. Castigat Pater filium, Medicus ægrotum, ipsi se perimunt; nunquid aget Pater super filio, Medicus super ægroto pœnitentiam, quia mortis occasionem dedisse visi sunt? non puto. Notaveris & in præsenti re, quemadmodum pugnaverunt filii Israël tribus vicibus contra Benjamin, ob vindictam pessimi sceleris in uxore Levitæ: causa justa erat, & quod fortasse miraberis, dederat Deus assensum pugnantibus: victi sunt primò & iterum secundò, usque ad internetionem quinquaginta millium pugnatorum ex Israël: tertia pugna dedit eis purgatis & humiliatis victoriam usque ad omnimodam penè deletionem Benjamiticæ Tribus. Non discurram per plurima, scrutanti quippe scripturas meas occurrunt talia copiosè, quorum lectio vivax est, & quasi malleus conterens petras, consolationem denique faciens, contra mortalium casus inopinatos, & qui justa Dei bonitate videntur indigni. *Si videris* (ait Ecclesiastes) *calumnias egenorum, & violenta judicia, & subverti justitiam in provincia; non mireris super hoc negotio, quoniam excelso excelsior alius est:* & insuper: *universæ terræ Rex, imperat servienti,* Eccle. 5. 7. & ita imperat, ut serviant sibi etiam nescientes, etiam repugnantes & odientes ut dæmones. Vis nullum ex amicis perdere, vis eos possidere tranquillè; omnes in Deo dilexeris, suam vitam, suam gloriam, suas divitias in eo reconditas habe: utique, sicut non

A perditur Deus, sic amicos cum sua vita, gloria, divitiis semper & ubique possidebis. Ceterùm, nemo desperavit de te Jesu bone, quoniam *cum iratus fueris misericordiæ recordaberis,* tu post tempestatem tranquillum facis, tu Rempublicam per varias agitationes purificare scis, velut ex actione mutua elementorum nobiliora gignis mixta. Apud te sunt innumerabiles modi purgationis & salvationis electorum; unus per ignominiam mortis quæ liberat etiam à purgatoriis suppliciis: alius per ablationem totalem temporalium cum corpore, unde laqueus conteritur omnium debitorum, quorum fortassis alio modo non erat benè possibilis solutio: alii forsitan egerunt tepidè, negligenter causam vel justitiæ publicæ, vel Legis Divinæ, aut circumstantias culpabiles habuit sua prosecutio; omnia mors abolere potuit, eò efficacius, quo contumeliosius illata est, caruitque sepulchro: talia quis omnia dinumeret?

Audebo sublimiùs vocem attollere plenam conso-

B lationis sanctæ: itaque desolationum omnium quas furor hostilis operatus est, prout conquereris, interrogo qualis assignatur causa? Si libido dominandi, regendique; si vindictæ zelus efferus; si divitiarum vel opum execranda fames; si tituli fortassis alii non minus scelerati, sacrilegi, nefandique. Felices oro nonne sunt, qui virtuosis animis obsistere conati sunt, quamvis in oculis hominum superati? Auctores verò tantò infeliciores, quantò nihil infeliciùs impunitâ licentiâ & prosperitate peccantium, qualium miserearis velim, pro sua conversione, saluteque deprecans. Quod si causa (juxta quorumdam impudentiam, quæ se de pertinacia damnat) assignetur defensio Catholicæ veritatis, vitia quærens & errores corrigens, & hoc coram Judice legitimo, nunc ordinario, nunc supremo; quidni fidenter affirmaverim, beatos esse mortuos, qui pro Lege Dei sui certaverint usque ad mortem, exemplo tot Martyrum? Quid stupes? Quid me respicis? Nolito mi-

C rari; si habet quotidie Martyres suos mundus, si caro, si diabolus; cur non habeat suos Christus? Hinc Apostolus, *Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt manifesti fiant,* 1 Cor. 11. 19. quomodo manifesti? planè in bonum, si Legem Dei defenderint strenuè; sed prorsus in malum, si vel malignè impugnaverint, vel impugnantibus faverint impudenter, subdolè, nequiter, subvertendo vel negando justitiam. Tales dixeris scandalorum causam omnium, qualem egerunt in alios persequentes aliquos usque ad coronam Martyrii. Quo pacto inquies? Respondeo, nonne Martyrium causa fuit ut pro Christo, pro veritate, pro justitia, pro vitiorum redargutione mors undecumque toleretur? Attende quæ causa reddiderit ipsum Abel primum Martyrum in Lege naturæ; hæc nimirùm, quod in odium justitiæ religiosæ, quæ Sacrificium obtulerat Deo placabile, Cain frater eum nihil tale cogitantem, egredientem in agrum, insidiosè peremit. Vides quo pacto fit aliquis Martyr etiam dum ignorat. Omitto de septem fratribus Machabæis in Lege scripta, qui non ob aliam causam,

D quàm ne Legem in porcinæ carnis esu violarent, atrocissimè necati sunt. Non loquor de Joanne Baptista, qui Legis utriusque Moysi & Christi limes quidam fuit, cujus Martyrium aliam non invenitur causam habuisse, nisi redargutionem publici incestus: Thomas Cantuariensis, ob defensionem Ecclesiasticæ libertatis: Leodogarius ob zelum domus Franciæ contra Ebroynum: Agathes, Agnes & Lucia propter Fidem castitatis, glorioso celebrantur Martyrio: & ita de plurimis, quorum exemplis perspicuum fit, omnem hominem, qui perimitur odio

odio justitiæ & veritatis, dum sectatur illam, prosequitur aut defendit, insignitur apud Deum vero titulo Martyrii, qualecumque fuerit apud homines judicium. Quid si plus aliquid addiderim? Innocen- A tes quidem occisos considero, quos esse Martyres nullus qui Fidem habet Ecclesiæ dubitavit: sed quæ ratio Martyrii? Numquid alia dabitur quam odium Christi, ex ambitione regnandi proveniens? Ubi rursus colligitur hæc regula, quod infantes, ut pueri (quanto magis provectiores) quos in odium Christianorum seu Christi, vel suæ Legis, perimunt infideles Judæi, Saraceni, vel Pagani, vel aliqui nomine tenus Christiani hæreticantes, apostatæque facti, aut in tyrannidis rabiem versi, tales Martyrio coronantur, etiam mortis timidi, præcipuè si non alius criminis obex inest actu.

Hæc insideant animo tuo, si absque fictione meus B es discipulus: hæc mentis perturbationes radicitùs evellant, quoniam altior, securior, salubrior, religiosior & gloriosior non est altera consolatio; ad quam provehere possit doctrina meæ legis, quàm Martyrii tolerantia; per quod deletur in proprio sanguine quælibet culpa, simul & pœna, ut protinùs homo liber & expeditus evolet in cœlum, ubi statum habeat omnium bonorum aggregatione perfectum.

Volucer. Hactenus, ô Monice, Theologia locuta sit: nos ex sua, nostraque collocutione breviter epilogantes, sumamus hoc compendiosum in omni tribulatione solamen, ut toto corde suspiremus, levantes oculos in cœlum & dicentes: Deus est Pater misericordiarum & totius consolationis, in cujus miseratione sperandum est, cujus se voluntati conformandum est, à quo virtus patientiæ, in quo est serenatio conscientiæ. Nos interim trahere conemur in affectum, quod sub quatriduo disseruimus per intellectum.

Monicus. Fiat ita precor, & *pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, corda & intelligentias nostras custodiat* Philipp. 4. 7. in charitate Dei, & patientia Christi, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus. Amen.

JOAN-

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

OPERUM

TOMI PRIMI

PARS SECUNDA

CONTINENS

TRACTATUS

ADVERSUS

PROFANAS SUPERSTITIONES.

JOANNIS GERSONII


Doctoris & Cancellarii Parisiensis

TRILOGIUM ASTROLOGIÆ THEOLOGIZATÆ

Scriptum Lugduni: Anno 1419. *ad Delphinum unicum Regis Franciæ Filium.*

Collat. ad MS. Cod. Vict. 180. 698. & Navarricum unum.

PROOEMIUM.



SAPIENTIAM quæ à Domino Deo est, quæ & de se prædicat. Prov. 8. 15. *Per me Reges regnant*, quam usitato nomine Theologiam dicimus, nullus rectè æstimabit contrariam esse A cuicumque veræ scientiæ: omne enim verum omni vero consonat. Quinetiam Theologia scientias omnes alias sibi subditas habet velut ancillas, in quibus si quid pulchrum est, illud approbat & decorat; si quid noxium & turpe, illud abjicit & mundat; porrò si quid superfluum est resecat, supplens quidquid fuerit diminutum. Propterea non est hoc negandum ab Astrologia, quam esse scientiam nobilem & admirabilem primo Patriarchæ Adam & sequacibus revelatam, Theologia non abnegat. Veruntamen hanc ancillam suam Astrologiam nonnulli tot vanis observationibus, tot impiis erroribus, tot superstitionibus sacrilegis deturpantes maculaverunt, nescientes in ea sobriè sapere ac modestè uti; quòd apud bonos & graves reddita est nedum infamis, sed Religioni Christianorum suisque cultoribus pestilens & B nociva. Succurrendum igitur existimavi huic errori, præcipuè propter te Princeps *ILLUSTRISSIME DELPHINE*, qui superes unicus heres Christianissimi Regni Francorum & jure regens ipsum, quatenus seduci non possit optima indoles tua ab extranea muliere, quæ mollit sermones suos ostentatione præscientiæ futurorum & operationis mirandorum. Astrologiam loquor quorumdam profanorum se philosophari dicentium. Hanc ego nunc à Domina sua Theologia veluti modestè compositam, mundatam & ornatam, sub triginta Propositionibus quasi cum totidem monilibus pretiosis deducendam fore salubriter judicavi, coram *CELSITUDINIS TUÆ* Consiliariorumque C tuorum prudentissimorum claro intuitu, de quo Sapiens: *Rex qui sedet in solio judicii, intuitu suo dissipat omne malum.* Prov. 20. 8. Opto denique, nitor & supplico, quatenus per prosperum, religiosum, verum & devotum regimen Regni, Dominus noster Jesus Christus Rex Regum & Dominus dominantium, te proprio sanguine suo redemptum, perducat ad æternum.

Propositio prima.

Cœlum à Deo glorioso liberè, contingenter & cum tempore constitutum esse. *Quoniam dixit & facta sunt.* Ps. 148. 5.

Commentum. Erraverunt hìc multi Astrologi non illuminati per Fidem, qui posuerunt perpe- D tuitatem mundi, eò quod Deus agit immutabiliter, & inde posuerunt animas rationales cum non possint actu esse infinitæ numero, aut migrare de corporibus in corpora, ut Plato, Pythagoras, Virgilius & alii plures; aut quod generantur & corrumpuntur cum corporibus, ut Alexander & Epicurus; aut quod unicus est intellectus in omnibus hominibus, ut Averroës imponit Aristoteli: unde timendum est ne nimis astrologizare aut philosophari volentes sicut Origenes in fine vitæ suæ, incidant in prædictos errores vel aliquos eorum vel sequentium.

Propositio secunda.

Cœlum esse velut instrumentum Dei gloriosi & per ipsum machinam mundi corruptibilis regulariter gubernari.

Commentum. Erraverunt aliqui dicentes cœlum nihil agere, sed tantummodo signum esse: allegantes illud. *Et erunt in signa & tempora.* Gen. 1. 14. Dicitur autem machina mundi corruptibilis, propter animas rationales quæ reguntur à Deo immediatè sine cœlo quoad naturam, quoad gratiam, quoad gloriam, & generaliter quoad omnia dona & illuminationes supernaturaliter infusas. Additur autem regulariter, propter miracula facta tam in cœlo quam in terra; sicut in statione & retrogradatione solis temporibus Josue & Ezechiæ, & in eclypsi, tempore Passionis, in Diluvio generali, in Sacramento Altaris, & in aliis sine numero miraculis.

Propositio tertia.

Cœlum nihil in creatione animarum rationabilium influere, & ipsas aliter postquam ante lapsum regi.

Commentum. Erraverunt hìc Avicenna & sui sequaces quoad primam partem; & quoad secundam omnes tam Astrologi quam alii, qui non posuerunt corruptionem peccati Originalis, putantes nullum statum esse naturæ lapsæ, sed illius tantummodo quæ primò instituta est, ut & nunc sumus secundum eos morti scilicet passionibusque de necessitate subjecti. Constat autem quod si Adam non peccasset, tunc nec fuisset infernus qualis nunc est pro hominibus, nec Christus fuisset incarnatus saltem ad moriendum, nec Spiritus-sanctus fuisset datus in variis linguis, & ita breviter de omnibus nostræ reparationis mysteriis. Attamen est probabilis opinio & subtilis, quod Deus præscius futuri casus hominum, descripsit in cœlo quasdam congruentias concurrentes in decursu totius mundi usque ad finale Judicium. Et hoc intenderunt illi qui voluerunt concordare Astrologiam cum Theologia; sicut Reverendissimus Pater Dominus Cardinalis Cameracensis, & illi quos inducit loquentes de sectis & de diluvio, sensisse videntur. Facit ad hoc quod vix reperitur aliquod miraculum fuisse factum, quin in circumstantiis concurrerit aliqua naturalis actio. Præterea Fides quamvis sit supernaturalis, non refutat rationes & congruentias naturales, nec Charitas supernaturalis motiva naturalia ad amandum; quoniam talia faciunt ad consolationem fidelium atque mundanorum. Hoc tamen observare convenit, ne fidelis Dei amicus utatur talibus rationibus & obser-

servationibus tanquam principalibus & cogentibus motivis ad credendum Deo; sibique per Charitatem inhærendum; alioquin meritum Fidei perderetur; & irrisio major apud infideles & humanos sequeretur, scientibus illis, quòd talia non convincunt. Et sub hoc sensu dicitur in epilogo quod mysterium nostræ reconsiliationis nihil habet in cœlo; hoc est cui principaliter intendere debeamus, ut ille qui Nasonem impudicissimum introducit ob hinc credidisse: denique observetur *ne quid nimis.* Sed quoniam Virgilius ait: *Solem quis dicere falsum audeat.* Offertur hic pro scholasticorum exercitio syllogismus talis. Ostenso itaque cœlo pro statu suæ creationis ante lapsum primi hominis, arguitur sic. Cœlum præsignabat Incarnationem filii Dei cum multis aliis effectibus in factis propter reparationem hominis peccantis; & primus homo non peccabit, nec fiet ejus reparatio cum suis effectibus: ergo cœlum prædixit falsum. Consequentia est necessaria, & antecedens pro illo tunc erat possibile & sibi compossibile, quoniam major est necessaria cum sit de præterito vera, & secunda tunc erat possibilis: ergo consequens est possibile, scilicet quod cœlum dixit falsum, & ita cum cœlum fuerit immeditatè creatum à Deo, Deus dixisset falsum per cœlum, quod blasphemum videtur.

Propositio Quarta.

Cœlum virtutes à Deo diversas pro varietate suarum partium, stellarum, planetarum & motuum recepisse; sed eas ab omnibus comprehendi non posse.

Commentum. Errant & experientiam negant sentientes oppositum, cum cœlum sit sicut horologium pulcherrimum compositum ab artifice summo; cum sit etiam liber sententiosissimus exemplatus ab exemplari libro vitæ infinito & æterno, qui nominatur mundus archetypus, in quo id *quod factum est, vita erat.* Joann. 1. 3. 4. Porrò de stellis dicit Propheta. *Qui numerat multitudinem stellarum & omnibus eis nomina vocat.* Ps. 146. 4. Hæc autem vocatio quid aliud est quam distincta virtus & operatio stellæ cuilibet attributa. Nomen quippe sumitur à proprietate rei; & quoniam innumerabilis est hujusmodi proprietas, exclamat. *Magnus Dominus noster & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est numerus.* Ibid. 5.

Propositio Quinta.

Cœlum obedire ad nutum Deo glorioso atque ipsum operibus humanæ recreationis seu reparationis inferius & subditum esse.

Commentum. Erraverunt hîc multi Astrologi & Philosophi qui posuerunt Deum agere de necessitate naturæ, & qui negaverunt mysterium nostræ redemptionis à seculis absconditum, propter quod nedum cœlum corporeum, sed etiam Angeli & Intelligentiæ sunt (sicut dicit Apostolus) *in ministerium missi.* Hebr. 1. 14. Tradit insuper Moyses Deut. 4. quod *solem & lunam & omnia astra cæli creavit Deus in ministerium cunctis gentibus.* Deut. 4. 19. Unde & describens creationem mundi posuit priùs fuisse virgulta terræ, quam sol vel stellæ formarentur, ut ostenderet Deum posse agere sine sole & stellis. Cum igitur homo sit quodammodo finis omnium, sicut Aristoteles videtur posuisse II. Physicorum operum, *secundum variationem hominis cetera variari*, sicut priùs tangebatur de statu naturæ integræ & lapsæ; & sicut apparet in miraculis factis supernaturaliter, ut homines supernaturalem suum finem adipiscerentur per Fidem Spem & Charitatem.

Propositio Sexta.

Cœlum generale influens esse & remotum & actiones suas in patiente disposito recipi; Deum vero nedum universaliter & remote; sed singularissimè & propinquissimè operari.

Commentum Erraverunt hic Astrologi quidam ut Alkindus *de radiis stillicidiis* & similes, ponentes res inferiores nihil agere; sed tantummodò deferre radiosas influentias cœli; & inde fieri effectus similes numero, priùs istum quàm illum, propter determinationem cœli, ut in productione graduum caliditatis; quam determinationem alii solum referunt ad divinum beneplacitum liberè contingenter agens conformiter ad secundam partem propositionis, quod Deus est agens immediatissimum & propinquissimum, non obstante coefficientia causarum secundarum. Et hîc erraverunt aliqui Doctores etiam Catholici, ponentes Deum esse causam non A immediatam in omni effectu, quoniam, inquiunt, aliæ causæ superfluerent. Esset præterea Deus causa immediata actuum voluntatis tam bonorum quam malorum, & ita esset auctor peccati. Sed pro nobis est Articulus Parisiensis, dicens, quòd Deus sit causa remotissima sic quod non propinquissima. Error. Nihilominus offertur hîc pro scholasticorum exercitio syllogismus talis ad probandum. Quod si Deus immediatè agat actum voluntatis, Deus facit & vult peccatum, signando sortem, qui facit substantiam alicujus actus contra prohibitionem Dei & vocetur A. Tunc arguitur sic. Sortes facit A. actum, & Sortes habet præceptum Dei de non faciendo A. actum; ergo Sortes peccat; consequentia est necessaria, & Deus vult & facit quamlibet partem antecedentis; ergo & totum antecedens, cum partes sint sibi compossibiles; ergo Deus vult & facit totum consequens, scilicet Sortem peccare, quod videtur blasphemum.

Propositio septima

B Cœlum effectus nedum varios, sed contrarios vel oppositos in inferioribus facere pro diversitate materiæ, rationibus sententialibus plenè.

Commentum. Erraverunt hic Astrologi illi qui volentes judicare de nativitatibus, vel morte vel aliis inferiorum conditionibus, respiciendum esse dicunt ad solum cœlum & constellationes ejus, undè & experientia convincit eos, sicut deducit Augustinus 5. de Civit. Dei, de duobus geminis diversarum fortunarum. Sicut & experientia docet de terra & luto & similibus, & de varietate sine numero diversarum herbarum & plantarum in eadem parvula parte agri. Quod si dixerint varietates tales fieri propter diversitates angulorum influentialium cœ-C li, qui terminantur velut in indivisibili, & inde diversificant in partibus loci suos effectus: ex hoc saltem habetur, quemadmodum de geminis concludit Augustinus contra Responsionem de rota figuli mota & percussa, quod judicium cujuscumque Astrologi ferri non potest super tanta incertitudine & ignorantia diversitatis hujusmodi imperceptibilis influentiarum angularium velut indivisibilium. Denique videmus regulas Astrologiæ de ventis & plantis & aliis naturalibus effectibus aliter & aliter verificari seu falsificari pro diversitate situum & figurarum & dispositionum hujus terræ vel illius.

Propositio Octava.

Cœlum cum sideribus & planetis in omnibus suis combinationibus motuum, directionum, retrograda-D tionum, oppositionum cum reliquis circumstantiis, multò plus ab hominibus ignorari quàm sciri.

Commentum. Erraverunt hîc quidam jactantes se de omnibus scire respondere, ut Gorgias. Contra quos fuit Academicorum disciplina, & si von verior, tamen plus sobria dicentium se nihil scire. Nec mirum de toto cœlo, cum nec minimum folium arboris tantum sciatur ab hominibus, quantum ignoratur cum continet numeros & figuras & earum combinationes infinitas. Præterea sunt aliqui motus octavæ spheræ & planetarum priùs ignorati ab Astrologis, & satis noviter

viter inventi. Denique præsupposita creatione mundi (cujus duratio nondum est septem millia annorum, secundum veritatem Fidei,) non potuit per observationes astrologicas inveniri saltem quoad effectus, calculatio magni Anni quam Plato posuit XXXVI. millium annorum; & ita de calculationibus aliarum constellationum, quæ non potuerunt totiens repeti ut facerent experientiam certam & naturalem Astrologi de talibus vel talibus effectibus consequentibus hujusmodi constellationes, quarum aliquæ nunquam fuerunt, aliquæ raro, aliquæ semel aut bis: propterea finxerunt astrologizantes pagani & infideles Arabum & Indorum infinitam, vel velut infinitam annorum multitudinem, ut Albumasar & Martianus scribunt. Potuerunt igitur per solam divinam inspirationem factam Adæ, vel Abrahæ, vel similibus dari veræ regulæ universales, vel de tota virtute cœli quantum voluit Deus revelare & nos scire sine curiositate. Valde autem pauca sunt talia pro statu præsentis miseriæ quæ ordinata est ad visum beatitudinis æternæ, ubi videbitur Deus omnia in omnibus.

Propositio Nona.

Cœlum habere commensurabiles vel incommensurabiles motus signorum, insuper & planetarum: huic vel illi genti dominari, prorsus incertum esse.

Commentum. Erraverunt, ut experientia docuit, certitudinem afferre volentes, ubi solam posse haberi Rhetoricam probabilitatem deducit magister Nicolaus Oresme, & post eum Dominus Petrus Cardinalis Cameracensis, sumens exinde radicem unam difficultatis astrologicorum judiciorum. Et inde forsan est quod nondum videtur reperta præcisa quantitas anni solaris, aut ex qua radice procedit. Ceterum varietas assignantium huic vel illi plagæ terræ talia vel talia signorum dominia, satis incertitudinem esse monstrat.

Propositio Decima.

Cœlum cum sideribus & planetis suum lumen influxivum pro varietate fractionis & refractionis radiorum luminarium ex diversitate mediorum diversificare, & non veros situs aspicientibus ad terram monstrare.

Commentum. Erraverunt hic pauci vel nulli qui sciunt cum Astrologia Perspectivam; unde sumitur radix altera difficultatis astrologicæ Judicationis. Invenitur & alia difficultas ex collatione Zodiaci; utrum videlicet sit in primo cœlo, quodcumque sit illud, an in Firmamento secundum figurationem stellarum fixarum in eo: compertum est enim Firmamentum moveri contra motum primi mobilis, & ita consequenter Zodiacus mutaretur. Sunt & aliæ difficultates motionis planetarum in suis augibus, epiciclis, excentricis secundum ascensum, descensum, stationem, retrogradationem, titubationem, circumgyrationem in centro proprio; quæ omnia punctualiter observare poterit nemo: in quibus & similibus divina se sapientia ludere dicit & ostendit.

Propositio Undecima.

Cœlum cum sideribus & planetis illos quantum in se est culpare, & in abusum retrahere, qui de singularibus effectibus prædicere præsumunt compertum esse, & eos crebro falli & fallere posse.

Commentum. Errant tales ex ignorantia, vel ex fraudulentia, vel ex arrogantia; & quia non attendunt veritatem unius Propositionis præcedentis; quod cœlum est solum influens generale, cujus actio particularizatur vel singularizatur, aut a Deo solo, aut a dispositione materiæ. Si autem objicitur quod inveniuntur prædicere multa vera. Respondetur quod multo plura falsa, & ideo vera dicunt vel a casu, vel a multitudine eorum quæ dicunt vel a malis quæ præsagiunt, quæ sunt ut in pluribus, apud homines vel a fantasiatione & observatione eorum quæ audiunt, vel a cognitione secretorum, maxime Dominorum & eorum quos frequentant, quæ investigant diversis mediis per fautores suos, & hoc est frequens & expertum; aut fit denique ab immixtione operationis dæmonum, propter seducendos tam prædicentes quam fidem adhibentes in talibus, per damnabilem curiositatem sciendi futura, & ea quæ Pater solus habet in sua potestate. Hinc vulgatus Auctor ait.

Quod Deus intendit, noli perquirere sorte.
Quod statuit de te, sine te deliberat ipse.

Hinc rursus. Mitte arcana Dei. Conformiter ad Sapientem: *Quæ tibi præcepit Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus.* Eccli. 3. 22.

Hoc si observaveris, miscebit se tibi tuisque actionibus Angelus bonus. Signum autem immixtionis diabolicæ actionis est; quod juxta dictum cujusdam magni, viri sæpe in judiciis astronomicis, ubi minus est de ratione naturali, & nihil de miraculo, ibi crebrior eventus invenitur quod esse signum pactionis cum dæmonibus Augustinus tradit. II. *de Doctrina Christiana*. Et sacra Theologiæ Facultas Parisiensis idipsum alias declaravit contra idolatricam pravitatem. Notetur hic Augustinus Libro de Civit. Dei, satis circa principium. *His*, inquit, *omnibus consideratis, non immerito creditur, cum Astrologi mirabiliter multa vera respondent, occulto instinctu fieri spirituum non bonorum, quorum cura est has falsas & noxias opiniones de astralibus Fatis inserere humanis mentibus atque firmare, non horoscopi notati & inspecti aliqua arte, quæ nulla est.*

Propositio Duodecima.

Cœlum super somnia & super avium volatus & garritus multam vim habere; sed non ob hoc somnia vel auguria, vel traditiones Magicorum se super cœlestem virtutem fundantium in Geomantia, Chyromantia, Pyromantia, cum similibus observandos esse.

Commentum. Erraverunt hic quoad partem secundam omnes fere Gentiles & idolatræ Romani, Arabes, Indi, & ceteri, errant & superstitiosi sortilegi Christiani & Magici. Et eo damnabilius quo per Fidem veram sunt illuminati & per eam prohibiti ne talibus intendant vel utantur. Cum etiam videant severitatem judiciorum contra tales per Ecclesiasticos ad incarcerationem perpetuam, per seculares ad ignem, per Deum ad gehennam.

Propositio decima tertia.

Angelos vel intelligentias non animare, sed regere cœlum cum sideribus & planetis ad Dei gloriosi voluntatem.

Commentum. Oppositum dicitur sensisse Plato, & quidam aliorum dicentium totum mundum esse animal magnum: sed tenenda est Fide certa nostra Propositio, cui concors est Philosophia Aristotelis.

Propositio decima quarta.

Angelos seu intelligentias per imperium & voluntatem influere in spheram corruptibilium, frequenter cum cœlo, & aliquando sine cœli adminiculo.

Commentum. Oppositum sensisse videtur major pars Philosophorum dicentium contra Fidei veritatem, quod Angeli non agunt nisi mediante motu cœli in suis orbibus, unde & per orbem Lunæ dari posuerunt formas in inferioribus, virtute actionis suæ intelligentiæ & superiorum. Sed quod per imperium & voluntatem agant intelligentiæ concedere videtur Avicenna; ponens libertatem contradictionis in Angelis & magis quam in hominibus, sicut est veritas Fidei

dei. Quamvis Albertus philosophizans conformiter ad Peripatheticos vel quosdam Astrologos voluerit hoc impugnare, deducendo ad hoc quod nunc non possunt haberi determinatæ regulæ de actionibus vel influentiis intelligentiarum, ex quo liberè contradictoriè agerent. Hoc autem esse inconveniens reputassent Astrologi & Philosophi, quos sequitur. Et similiter idolatræ omnes qui per carminationes & magicam artem posuerunt dæmones in idolis concludi vel alligari posse, quemadmodum tradit Hermes Trismegistus de Ægyptiis, qui non habentes quomodo crearent animas, invenerunt artem quomodo spiritus includerent, & inde miracula facerent, ac responsa darent. Veritas autem Fidei concedit consequentiam, & consequens illatum per Albertum: addens dæmones non cogi per artes magicas, sed ita fingere se cogi ut colantur sicut dii & homines fallaciâ multiplici decipiant.

Propositio decima quinta.

Angelos seu intelligentias ad creationem animæ rationalis nequaquam attingere, sed nec eidem illabi posse.

Commentum. Oppositum senserunt aliqui philosophantium & hæreticorum ponentium animas rationales ex traduce fieri vel corrumpi. Ceterum quidquid dixerint aliqui de energumenis, lunaticis & similibus, quod dæmon opprimit animas eorum quasi subintrans eas: quidquid præterea dicat veritas Catholica, quod dæmones sunt incensores vitiorum, & boni sunt illuminatores animarum; nihil istorum fit per illapsum qui soli Deo proprius est, possidenti animam ad suum plenum imperium.

Propositio decima sexta.

Angelos vel intelligentias ad immutationem humanæ libertatis, naturaliter & immediatè pro statu viæ nequaquam attingere.

Commentum. Oppositum videtur posuisse Avicenna & Catholicorum aliqui, dicentes animam rationalem superirradiari & superilluminari immediatè etiam pro statu viæ, per lumina superiora Dei & Angelorum, non concurrente sensuali vel phantastica visione. Et inde conati sunt salvare Prophetias tam in somno quam in vigilia, & prævisiones multas occultas per energumenos. Et ita se salvabat Mahometus epilepticus, quòd cadebat non potens ferre illuminationem Angelicam. Sed Aristoteles cui Fides consentit, est pro nostra Propositione dicens. *Necesse est quemcumque intelligentem phantasmata speculari, dans signum hujusmodi quod deficiente nobis à natura uno sensuum, deficit & nobis scientia de illo sensu.* Stat nihilominus quod anima rationalis in sui creatione suscepit formationem seu illustrationem desuper à Deo, in qua & per quam cognoscit veritatem principiorum primorum sine prævia acceptione per sensus seu phantasmata; quamvis in actum non exeat phantasmatibus non prævisis. Ad quod referri posset Boëtii *de anima* verbum ex Platone, *summaque tenens singula perdit.*

Propositio decima septima.

Angelos omnes esse *administratorios spiritus* & à Deo glorioso bonos *in ministerium pro hominibus qui hereditatem adepturi sunt salutis* datos esse. Hebr. 1. 14.

Commentum. Oppositum qui dicit est hæreticus si se gerat pro Christiano contradicens expressis verbis Apostoli. Et hæc est magna consolatio illorum qui tenent veraciter & sine fictione Fidem Jesu Christi, & qui captivant omnem intellectum in obsequium Fidei quia si fiduciam capimus de hominibus peritis in Medicina vel Astrologia aut arte alia quod adjuvare nos possint; quantò magis hoc facere possumus de Angelicis spiritibus.

Propositio decima octava.

Angelos bonos & malos inter causas liberas & alias quas Deus sic instituit, ut eas proprios motus agere sinat, numerandos esse.

A *Commentum.* Oppositum nullus fidelis aut aliquis ritè philosophans dicet. Et inde fit quod absque tentatione Dei possumus ad Angelicum subsidium recurrere, sicut ad peritum Medicum, & eum qui potest juvare nos in necessitatibus nostris de cursu communi & naturali. Excipitur Angelorum malorum consultatio & invocatio quoniam non est licitum participare cum eis tanquam excommunicatis à Deo & Ecclesia tota; & quia fallaces sunt, fallere semper cupientes, non juvare nisi fictè. Unde juxtà proverbia vulgi, ludunt ad falsam societatem.

Propositio decima nona.

Angelos cœlum & terram juxta quod exigit electorum Dei deprecatio, salus & ordo, Deo jubente vel permittente, posse mutare, ut solem facere stare, & ignem non ardere.

Commentum. Oppositum putant omnes Astrologi, infideles & pagani, negantes vera miracula posse fieri, nec illuminati cum Propheta dicente: *Omnia quæcumque voluit fecit Deus in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis.* Ps. 134. 6. Nescientes præterea vel negantes miracula veteris Legis & novæ, qualia legere promptum est in Biblia & authenticis Christianorum libris.

B

Propositio vigesima.

Angelos per devotas ad Deum preces, potiùs quam per curiosas inspectiones vel observationes constellationum posse conciliari, & per ipsos opem hominibus dari. Unde & per Fidem Sancti vicerunt regna, non per cœlum.

Commentum. Oppositum dicentes convincuntur ex præmissis juncta promissione Dei dicentis: *Quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis & fiet vobis,* Marc. 11. 24. cum similibus multis; juncto quod non semper expedit nobis habere prospera quæ petimus, sed magis adversa quæ fugimus. Nec oportet in recursu ad eos & Deum, tempus orationis per constellationes observare, ut Guillelmus Parisiensis notanter ait & deducit.

C

Propositio vigesima prima.

Angelos præsertim malos in artibus magicis & omnibus superstitiosis operationibus quæ nec rationem naturalem, nec miraculum verum habent, sed ex pacto noto vel occulto, non dubium operari & effectum sortiri.

Commentum. Oppositum posuerunt qui negaverunt dæmones esse, contra expressam sacræ Scripturæ literam in veteri & novo Testamento. Fuerunt etiam experientiæ multæ in oppositum, & etiam doctrinæ Sanctorum, nominatim Augustini, qui notanter dixit, *Omnes tales observationes tantò magis suspectas & fugiendas esse,* D *quanto sæpius videntur suum sortiri effectum.* Et si allegetur quod frequenter multa jubentur illic observari in artibus magicis vel sortilegiis quæ sunt sancta & honesta; ut jejunare, castum esse, dicere Pater noster & Evangelium: respondebat unus verè & Catholicè, superstitionem tantò pejorem esse quantò plura miscentur bona, quoniam unde deberet honorari Deus, honoratur diabolus. Nemo tamen ex hoc intelligat observationes Christianorum reprobatas esse, quæ vel ab Ecclesia constitutæ, vel ab eadem rationabiliter toleratæ sunt; quamvis non appareat ratio hujus magis quàm illius; nisi vel ex voluntate seu auctoritate instituentis, vel à devota quadam imaginatione facientis

tis quæ non recedit à Deo, sed in exterioribus signis aliquibus se exercet: ut in tali numero orationum, in peregrinationibus, in novenis & oblationibus nunc candelarum, nunc panis, nunc gallorum, nunc in gestatione Reliquiarum & bibitione ablutionis earum; in quibus pia fide factis non minus potest se immiscere bonus Angelus, quàm malus in impia & prohibita fide factis. Fortassis & empirica Medicorum tolerari possunt: hanc generalem habentia rationem, fortificationem scilicet imaginativæ virtutis. Mendax assertio tamen desit.

Propositio vigesima secunda.

Angelos mediatè & inclinativè seu dispositivè posse super intellectum & voluntatem per immutationem sensuum tam interiorum quàm exteriorum pro Dei jussu vel permissione multipliciter operari.

Commentum. Oppositum pauci vel nulli senserunt ex Astrologis Philosophis & Catholicis, qui consenserunt Angelos vel intelligentias esse: nam & super hac radice fundant Astrologi regulas interrogationum & responsionum, & alias multas; sed falluntur in pluribus ex prætactis causis, quia ponunt Angelos influere purè naturaliter, neç satis attendunt liberi arbitrii potestatem, Dei voluntatem & materiæ diversitatem.

Propositio vigesima tertia.

Angelos vel intelligentias in suis actionibus & influxibus liberis ponere sub certis regulis coarctari, tradi & cognosci; temerarium & impium nec non & à vera Philosophia & Theologia alienum esse.

Commentum. Oppositum dicentes convincuntur ex prædictis; maximè propter arbitrii libertatem in Angelis regentibus & in hominibus gubernatis.

Propositio vigesima quarta.

Angelos & Deum cujus ministri sunt, illos offendere qui regulas & traditiones præjudicantes influxui libero Dei & Angelorum, immò & hominum libertati, tradunt & palliant sub nomine Astrologiæ vel alterius naturalis scientiæ, & talibus auctoritatem vel approbationis occasionem dari non debere.

Commentum. Oppositum dicentes convincuntur ex præmissis juncta Lege Dei tam veteri quam nova; juncto præterea pro secunda parte illo quod dicit Apostolus: *ab omni specie mali abstinete vos*, 1. Thess. 5.22. hoc est ab omni scandalo dante occasionem ruinæ.

Propositio vigesima quinta.

Humanam rationem posse & debere Astris cognitis vel incognitis damnari, nec ab eis vitium trahi.

Commentum. Concedunt istam sapientes Astronomorum at Ptolomæus maximè de sapiente qui præcognoscit cœli constellationes inclinativas, quoniam potest adhibere remedium contra noxias, sicut facimus regulariter contra hyemem providendo de calefactione & dominus & contra calores providendo de refrigerationibus; & ita de pestilentiis, diluviis, bellis & similibus. Tradunt itaque verè & benè judicia Astronomiæ tenere medium inter necessarium & impossibile; quia scilicet sunt de contingentibus & possibilibus aliter se habere: sed etiam quod humana ratio dominetur stellis incognitis, nec trahatur in vitium, probatur ex libertate arbitrii, & ex adjutorio Dei libero quod datur timentibus eum, & ex libero Angelorum ministerio, quod adjutorium Dei & Angelorum impetrant super omnem dispositionem stellarum, Fides, Spes & Charitas; quibus derelictis evenit frequenter ut volentes infortunia vitare, in ea ipsa se trudant & involvant, ut comprehendantur sapientes in astutia sua.

Propositio vigesima sexta.

Humanam rationem indignum esse per vanitates & insanias falsas, aut saltem incertissimas in sua actione se captivare, & melancholiis quotidianis anxiis & periculosis agitari.

Commentum. Concedunt hoc experti & inter alios Tullius in fine Libri de Divinatione. Et hoc dicebat Dominus Petrus Cardinalis Cameracensis cum observationes hujusmodi reprobaret: addens se timere Regis adolescentiæ, ne talibus imbueretur & post ab eis non posset avelli.

Propositio vigesima septima.

Humanam rationem debere per consultationes probatorum & expertorum virorum, per Leges insuper morales & divinas, se in suis actionibus, maximè in gubernatione Reipublicæ, spretis superstitionibus fallacibus, regulare.

Commentum. Concedunt istam qui attendunt quod non frustra dedit nobis Deus rationem liberam plusquam brutis. Dedit insuper Leges divinas, naturales & politicas, prudentiam quoque per experientias multas generatam. Quod ergo humana ratio, libertas & prudentia centum vel mille hominum, immò unius Regni derelinquantur, ad inseqendum opinionem vel delirationem unius vel duorum aut paucissimorum fingentium se scire mirabilia ex astris vel aliunde (nescio quomodo) pro phantasia capitis sui, super eventibus & agendis in Republica; ut quod non est bellandum usque ad tres menses vel unum annum cum hostibus, qui tamen destruunt omnia, & ita de similibus absque numero. Quod inquam propter paucos tales derelinquatur humana ratio & prudentia, indignissimum est, fatuum & delirum, immo meritò Dei judicio puniendum, & in stultum finem præcipitandum.

Propositio vigesima octava.

Humanam rationem propter homines viles & ignotos & de corruptela judicii multipliciter suspectos, pessimèque utplurimùm fortunatos, & sine Fide, quales in tenebris susurrant, indignissimum captivari vel dimiti.

Commentum. Concedunt istam qui præcedentem attendunt, & ex terminis suis se veram esse demonstrat, præsuppositis his quæ ponit, quæ tamen sunt per experientias quotidianas manifesta.

Propositio vigesima nona.

Humanam rationem propter sui concausationem liberam non posse vel debere per qualescumque experientias cujuscumque temporis sub necessariis eventuum regulis vel arte concludi.

Commentum. Concedunt istam qui rerum connexiones attendunt, & hi qui didicerunt ex Logica quod omnis propositio copulativa composita ex pluribus necessariis cathegoricis vel hypotheticis redditur contingens, si contineat unicam propositionem contingentem. Ac proindè sumitur efficax argumentum contra regulas Astrologiæ sumptas ex quantiscumque experimentis si liberum arbitrium concurrebat ut causa conjuncta ad effectum requisita: potuit enim semper dici de effectu tali quod indifferens erat ad sic fieri, vel non fieri nec inde ligari alterius arbitrium potuisse.

Propositio trigesima.

Humanam rationem ad Deum gloriosissimum, qui nutu libero cuncta temperat, & ad finem supernaturalem hominum genus præcipuè ordinat, debere sedulo converti per Fidem, Spem & Charitatem; per adiutorium insuper Angelorum & Sanctorum quos libe-

liberaliter & liberè vult Deus agere & ad eos recursum habere quatenùs ordine hierarchico infirma reducantur ad superiora, per media.

Commentum. Concedunt istam omnes veri & non solum nomine Christiani, reputantes talem providentiam Dei, & ita liberam qualem insinuavit Christus A dicens, quod *nec folium arboris: nec passer unus cadat in terram sine Patre Deo*, dum rursus ait: *Petite & accipietis.* Joann. 16. 24. *Et si habueris fidem sicut granum synapis* &c. Matth. 17. 19. Immò & tota veteris Testamenti series, Legalis & Hystorica atque Prophetalis, præcipuè in Psalmis & orationibus Sanctorum Sanctarumque vix aliud nobis inculcare vel profiteri videtur. Unde: *Jacta in Domino curam tuam, & ipse te enutriet.* Ps. 54. 23. Non dicit: jacta curam tuam in cœlo. *Quoniam in me speravit, liberado eum*, Psal. 90. 14. non dicit, in cœlo. *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus*, Ps. 39. 5. non dixit, in cœlo, immò & vetuit cum addit: *Et non respexit in vanitates & insanias falsas*, Ibid. loquens de curiosis qui defecerunt scrutantes scrutinio. Et superaddit de miraculis tam novæ quam veteris Legis: *Multa fecisti tu Domine Deus meus, mirabilia opera tua.* Psal. 39. 6. Denique si Paulus opponatur dicens *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt cognosci.* Rom. 1. 20. Respondendum est quod hæc scala creaturarum in qua Philosophi corruerunt non est ampliùs necessaria fidelibus tenentibus Dei solium nunc in luminosa Spe, B tandem in aperta visione. Sed ponamus illud quod rarissimè potest inveniri temporibus istis. Ponamus quod plures scientifici in Astrologica disciplina conveniant, qui sint graves viri in moribus & honestate vitæ, & tales qui multa sint experti in judiciis Astromoniæ traditis secundum veram Philosophiam & in naturali ratione fundatis; numquid erunt tales contemnendi nec audiendi ab uno Principe coram suo Consilio? Respondetur planè quod audiendi erunt, sed non ita penitùs insequendi quin ex adverso velut in æquilibra ponantur rationes humanæ prudentiæ sumptæ per experientias & circumstantias humani regiminis inferioris; quemadmodum fieret etiam si convenirent ex una parte Astrologi, & ex altera parte Medici super curatione alicujus ægroti. Dicant igitur, exempli gratia, prudentes Astronomi concorditer, dum fiat quæstio de bello ineundo contra hostes Regni: Ecce constellatio talis noxia est, prohi- C bens, non tamen ex necessitate, iniri bellum per Francos contra Anglicos: dicant ex altera parte prudentes Capitanei & milites experti, quod necesse est vel expedit Francos inire bellum contra Anglicos, pensatis circumstantiis hinc & inde provenientibus ex inferiorum dispositione vel radice. Tunc omnibus his in æquilibra positis, debebit assumi conclusio, quæ pars præponderabit & exequenda erit: non enim oportet ut omne prorsus judicium ex radice superiori cœli sumptum contemnatur; Sed nec expedit ut plus ponderetur quàm oportet, ubi & quando & per quos, seu propter quos non oportet.

EPILOGUS PRÆMISSORUM.

EPILOGANTES tangamus duodecim radices ab Astronomorum judiciorum curiositate arcentes. Prima est, Dei gloriosi libera primævitas in agendo. Secunda, Angelorum tam bonorum quam malorum sub Deo libertas in exequendo. Tertia, est cœlestium luminarium sola generalitas in influendo. D Quarta, est cœlestium combinationum & situum incomprehensibilis varietas in concurrendo. Quinta, radix mediorum diversitas in radiando. Sexta, seminalium rationum particularis diversitas in comprincipiando. Septima, libertas hominum, quæ conjuncta quotlibet causis necessariis, contingentiam reddit in effectu suo. Octava, Legalis & Prophetalis severitas, talia judicia prohibens & irridens; sacrorum insuper veterum & novorum Doctorum diligens talium reprobatio, maximè propter fomitis corruptionem scientium quam ad hæreses, idolatrias & superstitiones est humana inclinatio prona. Nona, raritas studentium & peritorum in vera Astrologiæ disciplina; cum tamen in judiciis dandis multiplex supra modum consideratio requiratur vel observatio. Decima, Mysterii à seculis absconditi, Reparationis videlicet nostræ recogitatio; quæ nihil habet in cœlis, quidquid reverisans auctor Libri *de vetula* dixerit & falsè ascripserit Ovidio. Undecima, hominis ad finem supernaturalem ordinatio; & ideo mediorum supernaturalium provisio, ut supernaturalis Spes habeatur in Deo aliter quam bobus aut brutis conveniat, aut hominibus sine Deo: Duodecima, miraculorum quæ Legem communem nesciunt crebra & pené quotidiana per illos & propter illos, qui ad finem supernaturalem electi sunt ostensio.

ELICIUNTUR sex Doctrinæ, notantes moraliter quid expedit observare super judiciis Astrologiæ nomine coloratis. Prima Doctrina. Expediens est Christiano cuilibet immò necessarium ad salutem quòd non adhibeat fidem superstitionibus & sortilegiis meritò suspectis de operatione dæmonum vel invocatione, aut de pacto cum eis secreto vel expresso: sunt Leges & Decretà & Biblia pro hac Doctrina, locis innumeris. Secunda Doctrina. Expediens est cuilibet Catholico diligenter cognoscere priùs si effectus qui promittitur vel expectatur fieri per aliquas observationes, habeat aliquam causam naturalem vel miraculosam; quia si non, tunc vehemens est suspicio quod talis effectus provenit ex operatione dæmonum fallacium & ex pacto cum eis latente vel aperto, & hoc permittente divino judicio, in deceptionem consulentium vel confidentium in talibus, propter curiositatem noxiam aliquid habendi vel sciendi. Tertia Doctrina. Expediens est non adhibere fidem hominibus promittentibus quod faciant effectus magnos & mirabiles, nisi priùs constiterit quod sint Christiani & bonorum morum, & velint & offerant dicta sua vel artem deducere ad examen & judicium peritorum in Philosophia naturali & in Medecina, Juribus & Theologia; alioquin haberi debent merito suspecti de fallacia vel ignorantia vel hæretica pravitate: nam sicut lucem veritas amat, sic odit falsitas. Quarta Doctrina. Expediens est pro Principibus maximè & pro sua Republica, quod nec ipsi nec sui famaliares intimi & secreti dent fidem quibuscumque judiciis etiam sub nomine Astrologiæ vel alterius scientiæ palliatis; nisi priùs habitum fuerit consilium vel examinatio per viros multos & graves viros in regimine Reipublicæ, ubi prudentia maximè locum habet quæ innititur consiliis ex dictamine rationis & experientia multa collectis, non ex superstitiosis observationibus quæ deduxerunt semper in malum finem Principes confidentes in eis, sicut etiam nostro tempore satis & nimis expertum est. Quinta Doctrina. Expedit illos qui se dicunt futura cognoscere vel mirabilia secreta facere per Astrologiam, priùs examinari diligenter de cognitione ipsorum, de libris quales sunt & qualiter habiti & unde compositi, quia non credendum est cuilibet dicenti se Astrologum; sed probandi sunt & in publico audiendi, sicut fit de Medicis & Artificibus aliis. Alioquin si tales non audeant in publicum offerre dicta sua, debent haberi meritò suspecti de superstitione vel fallacia vel hæretica pravitate, quod non quærunt nisi pecunias vel honores sicut introductores vel fautores eorumdem faciunt; prout millesies expertum est in Curiis Principum, & adhuc proh dolor dicitur inveniri! Sexta Doctrina. Expediens est amatoribus Principum & totius Reipublicæ, materiam istam Astrologicorum judiciorum declarare vel declarari facere frequenter, tam scriptis quàm sermonibus publicis & domesticis: alio-

lioquin negligentia scientium & scire debentium noceret hostiliter personis Principum & eorum saluti tam temporali quam æternæ. Nocet Regnis & politiis publicis: nocet denique ipsis negligentibus vel impeditoribus, ad discrimen damnationis perpetuæ, à qua nos eripiat Dominus Jesus Christus. Amen.

ORITUR autem quæstio concernens omnia quæ dicta sunt in isto Trilogio Astrologiæ Theologizatæ; si libri compositi per Astrologos, præsertim infideles & idolatras sint à Catholicis tolerandi vel penitùs extirpandi? Pro cujus dissolutione & præcedentium elucidatione notentur Propositiones quæ sequuntur.

Propositio prima.

Libri Astrologici in quibus plura vera & utilia continentur quam inutilia, superstitiosa & falsa; possunt tolerari seu tolerabiliter relegi, servando illud Apostoli: *Omnia probate, quod bonum est tenete.* 1. Thess. 5. 21. Tales autem utplurimum sunt libri qui de motibus & mensuris & conjunctionibus corporum cœlestium sunt editi, & ex Geometricis demonstrationibus cum experientia fundati, sicut est gloriosus Almagesti.

Propositio secunda.

Libri Astrologici in quibus plura inutilia & superstitiosa & falsa, immò & impia & sacrilega continentur quàm vera & utilia, debent à Christianis omnibus evitari, damnari & penitùs aboleri. Tales autem erant libri de quibus scriptum est Act. 19. 19. ubi dicitur *Multi autem ex eis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros & combusserunt omnes coram omnibus, & computatis pretiis illorum invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium: ita fortiter crescebat verbum Dei & confirmabatur.*

Propositio tertia.

Libros Astrologiæ multum expedit discernere quatenùs appareat qui sunt & qui non sunt tolerandi. Composuit super hac re Magnus Albertus Opusculum quod appellatur *Speculum Alberti*, narrans quomodo temporibus suis voluerunt aliqui destruere libros Albumasar, & quosdam libros alios. Videtur autem, salvo tanti Doctori honore quod sicut in exponendis libris Philosophicis, præsertim Peripatheticorum nimiam curam apposuit, majorem quàm Christianum Doctorem expediebat, nihil adjiciendo de pietate Fidei: ita & in approbatione quorumdam librorum Astronomiæ, præsertim de imaginibus, de nativitatibus, de sculpturis lapidum, de characteribus, de interrogationibus, nimis ad partem superstitionum ratione carentium determinavit. Sanctus autem Thomas in suis operibus minus attribuit hujusmodi superstitionibus imaginum, characterum, interrogationum, immò & ex intentione cum efficacia responsionum reprobavit

Propositio quarta.

Libros Astrologicos qui tolerantur & leguntur apud Christianos, sicut Ptolomæi, Albumasar & Haly ideo oportet in auctoritatem talem adducere ut credendum vel tenendum sit quidquid ex eis vel deducitur vel allegatur. Falluntur in hoc plures Astronomorum & simplicium Christianorum, vel aliorum non imbutorum litteris sacris, qui protinùs ut legunt vel audiunt aliqua de libris talium, credunt & assentiunt, cum tamen reperiantur illic errores contrarii Fidei. Nec mirum, cum etiam in libris Aristotelis, Avicennæ, Averrois & aliorum qui quotidie leguntur simile inveniatur: sed cautissima religiositate provisum est in præclara Artium Facultate Parisiensis Universitatis tam per Articulos Parisienses quàm per Statutum jurejurando firmatum per quemlibet qui licentiatur in Artibus, ubi sententialiter sic habetur. *Jurabitis quod dum continget vos determinare quæstionem aliquam de Philosophia, illam semper pro parte Fidei determinabitis & responsiones Philosophi in oppositum factas dissolvetis.* Quantò magis hoc esset observandum in libris Astronomicis, qui de Judiciis compositi sunt per infideles & idolatras; ubi multa posita sunt ex superstitionibus idolorum & cultibus dæmonum & fallacibus responsis eorum, ex quibus processit modus compositionis idolorum, quos deos appellabant, loquentes & prophetantes & mirabilia operantes; prout loquitur Hermes Trismegistus, & refert Augustinus. Unde & multa traduntur in dictis libris quæ nullam penitùs inducunt rationem, nisi per modum narrationis, quòd in tali constellatione sic eveniet, & in altera aliter. Et tamen Astrologi superstitiosi plus invenire se dicunt veritatis & certi eventus ex talibus regulis, quàm ex illis quæ naturali ratione fundantur, sicut de ventis & pluviis & aliis impressionibus metheorologicis. Cum autem pauci sunt Astrologi, immò nulli intromittentes se de judiciis Astronomicis, qui non insequantur tanquam pro fundamentalibus regulis prædictos libros Astronomicos & similes; concluditur hic pro Doctrina Christiana quod salubriùs, tutiùs & Deo acceptiùs est contemnere talia judicia cum suis auctoribus quam dimissis aliis utilioribus studiis, suam talibus cognoscendis & practicandis curam dare. Rursus additur & alia doctrina quòd salubriùs; tutiùs & Deo acceptiùs est, non requirere, immo nec permittere fieri judicia publica super eventibus humanorum actuum, quemadmodum dicuntur aliqui in Italia & Studiis universalibus attentare. Ratio, quia miscent multa falsa & superstitiosa & contra experientias in sequentibus manifestas, & terrent indè Reges & Regna, Principes & Principatus & homines de omni statu, & per vanos timores vel stultas promissiones malorum vel bonorum eventuum, eos aliter agere quàm vera & recta ratio moralis dictaret, inducunt. Porrò magnum faceret obsequium Christianitati Collegium aliquod Theologorum, si libris astronomicis diligenter inspectis, notarent sigillatim passus suspectos, aut palam erroneos & hæreticales contentos in eisdem, quemadmodum factum reperitur nedum de libris Aristotelis, Avicennæ & Averrois; sed etiam de quibusdam libris Catholicorum, sicut notati sunt passus vel articuli, in quibus Magister communiter non tenetur. Postremò si libri Magicorum & superstitiosorum aliorum sub velamine Astronomiæ, vel Philosophiæ se palliantium, qui jam inveniuntur fuisse damnati, cum auctoribus, custodirentur alicubi sine periculo manifestationis vel abusus, videretur expediens; quatenùs resurgentibus vel occurrentibus materiis similibus, confestim haberetur damnationis factæ modus. Sicut evenit Parisiis de libris Joannis de Barro Magici superstitiosi combusti, quales reperiuntur adhuc in Hispania sub titulo *Semmasoras.* Sicut insuper notatus est rotulus quidam magus quem ingerebat claudestinè quidam in vespertilionem se nominans. Et in procemio Articulorum Parisiensium aliqui tales notati damnatique sunt. Superaddamus illos nedum fatuos esse, sed perversos Christianos qui solent quasi jocando dicere: Qualis mihi cura est quis me sanet, quis victoriam, quis honorem, quis divitias det, quis denique adjuvet? sit Deus, sit diabolus, dummodo proveniat mihi illud quod opto. Dum ergo dicitur alicui ex Principibus. Ecce Domine tales homines per suam artem sciunt multa facere, magna & mirabilia & futura prædicere, & victoriam de hostibus promittere, si credatur eis & si fiant ea quæ jusserunt. Respondeat Princeps plena Fide & inquirat. Sunt-ne tales homines Sancti Dei qui ex revelatione & gratia sibi divi-

divinitùs concessa hoc promittunt. Et si tales sunt, credi poterit eis dum probabunt & dum nihil jubebunt nisi sanctum & divina Lege cautum; maximè si fuerit dictis eorum vita concors & probata, nedum vulgari rumore; sed judicio sapientum qui phreneticas illusiones à veris sciunt revelationibus separare. Si verò tales homines mira promittunt se facere per philosophicas disciplinas, ut per Medicinam vel Perspectivam vel Geometriam: respondeat Princeps quod studentes de Universitatibus publicis magis in tali re sunt credendi, si ratio consonet naturalis. Demum si tales promissores mirabilium, neque miraculis neque ratione naturali se fundant, illos habeo suspectos, superstitiosos, repellendos. Avertat Dominus à me Christiano servo suo ut velim abnegare Fidem suam, vel in ejus Legem quomodolibet peccare pro quocumque commodo temporali consequendo, sive sit sanitas corporis, sive victoria in bellis, sive opulentia in divitiis: non enim nego talia quandoque Deo permittente, provenire ministerio dæmonum & hominum eis deditorum, sicut Magi Pharaonis multa fecerunt; similiter ad Moysen: sed non est bonum mihi relinquere Baptisma meum, Fidem meam, Legem meam. Etiam usque ad mortem propitius sit mihi Deus. Amen.

TRACTATUS

Ejusdem Doctoris & Cancellarii Parisiensis, CONTRA SUPERSTITIONEM *præsertim* INNOCENTUM *similiter Lugduni compilatus.*

Collat. ad MSS. Codd. Vict. 463. 180. 698. & Navarricum unum.

Codex Navarricus.

„BEATUS VIR, ait Psalmista, *cujus est nomen* „ *Domini spes ejus & non respexit in vanitates & in-* „*sanias falsas.* Ps. 39. 5. dat rationem in alio Psalmo „loquens ad Dominum. *Odisti*, inquit, *observantes* „ *vanitates supervacuè.* Ps. 30. 7. Inter quas nimirum „ supervacuas vanitates una est ex innumerabilibus de „ die Innocentum, quam exponendo protinùs refellere „ sic aggredimini. Itaque si dies Innocentum dicitur „ infortunatus.

CULPAT Apostolus eos qui dies observabant & annos, quales multi sunt qui dies Ægyptios putant infaustos, immò & diem Innocentum per totum anni circulum pestiferum esse credunt. Contra quos fit talis argumentatio. Si dies Innocentum dicitur infortunatus vel infaustus ad aliquid inchoandum & alii dies consequenter per totum annum similiter situati: oportet dare causam radicalem hujus infortunii; quia nullus effectus est sine causa faciente. Sumetur ergo causa altero modorum sequentium, sufficienti divisione. Primò, vel ex dispositione siderum, secundum Astrologiam. Secundò, vel ex dispositione corporum inferiorum, secundum Medicinam. Tertiò, vel à formali conditione seu à tota specie, secundum naturalem Philosophiam. Quartò, vel ex dispositione morum, secundum moralem Disciplinam. Quintò, vel ex divina ordinatione, secundum Theologiam. Sextò, vel ex dæmonum actione secundum artem Magicam. Septimò, vel ex Sanctorum Innocentum merito seu operatione, secundum Religionem Christianam. Octavò, vel ex observantium phantasia vel imaginatione, quæ allegat experientiam; sed nulla causarum istarum sufficiens est aut rationabilis, ut hæc ponatur observatio, nec omnes simul: talis ergo observatio vana est & reprobanda. Et primò, de quinque prioribus causis arguitur per indirectum & per locum ab auctoritate, quod dari non possint. Unde si detur causa per Astrologiam; interrogandi sunt Astrologi, & inveniitur hoc esse contrarium suis regulis atque principiis; quoniam Astrologi variant sua judicia secundum varietatem horoscopi, id est positionis siderum ita quod non possit confici Almanach uniformè perpetuum: quia dies Lunæ (exempli gratia) quæ modo est indisposita vel infausta, secundum regulas eorum, si etiam erunt veræ, erit in hebdomada sequenti dis- A positionis alterius. Attento maximè quod in eis quæ concernunt arbitrii libertatem, Astra non imponunt necessitatem, juxta dictum Ptolomæi, quod *sapiens Dominabitur astris.* Et hæc ratio fieri solet efficaciter contra signationem quæ reperitur in kalendariis de diebus Ægyptiacis seu periculosis. Consequenter per locum ab auctoritate, sic argueretur de Medicis, sic de Philosophis naturalibus, sic de Philosophis moralibus, sic de Theologis: nam cuilibet experto in sua Arte vel scientia magis credendum est quam idiotis & insciis, nec oportet satagere ad reparationem subtilem per principia prædictarum scientiarum contra tales inexpertos; quia nec intelligerent, nec assentirent: si autem credere nolunt edoctis, gratis errant, & ultro se seducunt. Superest igitur discurrere per alias tres causas, & primò de actione dæmonum. Si allegetur quod causant infortunium, hoc manifestè vergit in idolatriam: si quærantur placari per nihil agendum tanquam plus in hoc timeantur quam Deus ipse & Sancti sui. Rursus quia non in his tantum diebus, sed assiduè, sicut dicunt Petrus & B Paulùs, *Adversarius noster diabolus circumit quærens quem devoret, cui resistendum est fortiter in Fide,* 1. Petr. 5. 8. non in vana superstitione. Præterea deducunt sacri Doctores, præcipuè Augustinus, tales observationes sunt illicitæ & contra baptismalem sanctitatem, ita quod per tales observationes obvenit Christianis baptizatis illud de Evangelio. *Dum immundus spiritus exierit ab homine*, scilicet in Baptismo, sequitur, quod *revertens adducit septem spiritus nequiores se, & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Matth. 12. 43. Melius est enim veritatem non agnoscere quàm post agnitionem perversè vivere, eamque factis aut verbis abnegare. Rursus attendatur hic nullam diem esse quæ non plena sit infortuniis, nunc istorum, nunc aliorum, pro quibus tamen non est dies quilibet evitandus aut timendus; sed hominum infelicitas vel miseranda est, vel culpanda, quorum operationes malæ, faciunt juxta verbum Augustini, malos dies. Denique nihil est fallaciùs stulti vulgi traditionibus, qui ut sæpius, faciunt de non causa C causam. Exempli gratia, præcipitabitur aliquis ab equo effreni & indomito in via lubrica, vel in flumine submergetur, confestim vulgares ut audierint, assignabunt hujusmodi infortunii causas diversi diversimodè, quæ tamen nullatenùs causæ sunt hujus casus. Dicet unus quod in exitu domus obvium habuerat unum cattum vel leporem, vel quod in egressu hospitii offenderat pedem, vel quod mane camisiam inversam induerat aut calceus dexter pro sinistro acceptus fuerat, quod signum Cæsar Augustus sibi reputabat infaustissimum. Dicet alius, Ego sic somniaveram. Crocitabat corvus super tectum, aut bubo cum stridore supervolitaverat, vel gallus præter horam vocem dederat. Dicet alius. Ecce mala dies erat & infortunata vel ægra. Dicet alius. Luna quarta erat vel septima aut sol in ortu nubibus obvolutus palluerat, aut stella decidens per aërem micaverat. Vel sicut apud Comicum legitur. Introiit in ædes ater alienus canis, anguis per impluvium de- D cidit de tegulis, gallina cecinit. Interdixit Ariolus Aruspex (supple vel Astrologus) vetuit ante brumam novi negotii aliquid incipere. Alii verò traducent ad mores dicentes, homini tali non poterat benè contingere qui sic & sic egerat, vel rapiendo bona vicinorum vel fraudando vel blasphemando, aut quoniam ex injustis aut reprobis parentibus traxerat originem. Longum esset omnia prosequi quibus fallun-

luntur & fallunt homines inducentes pro se experientiam quasi certam, & fundant confictiones inanes & falsas. Si autem allegetur altera causa, quod propter rationem occisionis Innocentum provenit istud infortunium in tali die, nedum in proprio & solo Festo, sed consequenter per totum annum: istud caret ratione; alioquin Theologi & viri religiosi atque devoti deberent istam observantiam magis cognoscere & custodire, cujus oppositum invenitur quia dissuadent illa, reprobant & irrident. Dicunt præterea quod hoc agere non cedit in honorem Dei, vel Sanctorum Innocentum, vel ad salutem corporalam aut spiritualem; sed vergit ad contumeliam Dei & Sanctorum Innocentum & perniciem corporum & animarum. Rursus talis honor magis deberetur, si esset rationabilis, Domino nostro Jesu Christo & gloriosissimæ Matri suæ in suis & pro suis Festivitatibus quam in Festis Innocentum. Relinquitur ergo pro causa octava & ultima, quod talis observatio confingitur, vel tenetur, vel exercetur ex sola hominum phantasiatione & melancholica imaginatione. Et hæc phantasiatio superstitiosa & corrupta provenit in hac materia sicut & in mille, immò in mille millibus aliis similibus, ex variis seductionibus seu corruptela multiplici virtutis phantasticæ in hominibus, tam ex læsione intrinseca cerebri, sicut testantur Medici, quod infinitæ sunt species melancholiæ, sicut in somniantibus, ita frequenter in vigilantibus & semidormientibus, & manifestè in multis ægritudinibus. Provenit rursus hæc læsio ab intrinseco (justo Dei judicio permittente) per diabolicas illusiones, sicut per auctoritates & historias posset introduci. Sunt præterea causæ particulares aliquæ tam per se quam per accidens, quæ tales phantasias & superstitiones & prout vulgo dicitur sorcerias causant aut nutriunt, quæ omnes ad duas radices præmissas possunt trahi: proveniunt enim hujusmodi falsæ credulitates & confictæ observationes quandoque. Primò, ex dæmonum suggestione & illusione ad animarum damnationem & Fidei Christianæ subversionem, Sanctorum infamationem: vel secundò ex gentilium & paganorum & aliorum infidelium derelicta in principio conversionis ad Fidem Christi superstitione: vel tertiò ex Poetarum confictione: vel quarto ex Magicorum maligna traditione: vel quinto ex fomitis originali corruptione, sicut in vi concupiscibili ita & in C rationali: vel sextò ex phantasiæ vel imaginativæ virtutis debilitatione: cujus signum est quod vetulæ, pueri, puellæ & idiotæ proniores sunt ad tales superstitiones credendas vel observandas: unde ortum habuit illud de vetulis epitheton. Vetulæ sortilegæ, Gallicè *vielles sorcieres*, juxta quod unus prædicans aliquando coram Rege & nobilibus dixit: Solebat, inquit, appropriatè dici, *vieilles sorcieres*, videant Domini Nobiles, nec trahant ad se ut dicantur Gallicè *nobles sorciers*, nobiles sortilegi. Et qui vidit, testimonium perhibuit. Attendendum illud Psalmistæ ad Dominum. *In manibus tuis sortes meæ.* Ps. 30. 16. qui dat per hoc intelligi non in superstitionibus & sortilegiis hujusmodi fictis & plerumque noxiis esse confidendum; retrahunt enim spem à Deo, suspicionibus occupant, in moribus inquietant, obsunt aliquando Reipublicæ, & viam ad hæreses aperiunt: vel septimò provenit hæc corruptio judicii rationis, ex primæva à puero per stul- D tas matres & nutrices enarratione; delectantur enim dicere fabulas admirabiles, & puerilis ætas imbuta talibus vix repellit, quia *Quod nova testa capit inveterata sapit*: vel octavo ex humano timore & diffidentia divini auxilii & curiosa sciendi futura libidine, sicut patuit in Saül & in aliis sine numero: vel nono ex superba præsumptione hominum, qui volunt reputari scire mirabilia & despiciunt eruditos in scientiis & inducunt pro auctoritate quidquid imaginantur, & maximè si fuerint in terris longinquis, & audierint stultitias aliarum sectarum, aut hominum sibi similium: vel decimò ex certa & ex cogitata confictione ad fallendum alios & irridendum; quemadmodum fit apud aliquos pueros scholasticos vel alios trufatores: vel undecimò ex lectione quorumdam Romanciorum id est librorum compositorum in Gallico, quasi poëticorum, de gestis militaribus, in quibus maxima pars fabulosa est, magis ad ingerendum quamdam novitatem & ad- A mirationem quàm veritatis cognitionem: vel duodecimò ex inobedientia ad divinam Legem, & ex modica ejus reverentia vel cognitione; cujus signum est quod tales superstitiosi citiùs crederent verbis, vel scriptis, vel narrationibus fabulosis quantumlibet inapparentibus, quam divinæ auctoritati & suis Doctoribus, immò & faciliùs inducuntur difficilia valde operari, ut in jejuniis & certis orationibus & certis votis, prout dicuntur vota Sanctæ Catharinæ, quàm possent induci servare legis Christianæ facilia, sicut sunt jejunia per Ecclesiam instituta, qualia omnia citiùs frangerent quàm dimitterent suas superstitiones longè difficiliores, quæ nec utiles sunt, sed in damnationem animarum & sæpe corporum vergunt, quæ præterea faciunt & accersiunt infortunium, sicut dicitur quod imaginatio facit casum. Prorsus unum pro talibus est salubre remedium, credere peritioribus & eis qui in LegeDei rectè vivunt & docent; alioquin talibus (prout supra tangebatur) fiunt in cassum ratiocinationes, & B portabunt judicium suum. Sed utinam soli! quoniam voluntariè se seducunt & alios secum trahunt, prout unus Principum tempore nostro dum induceretur ut quæreret consilium à sapientibus, quos sciebat esse tales & sibi benevolos, utrum licitæ essent superstitiones quas exercebat & credebat. Respondit: Cur inquirerem à talibus; ego enim scio quod disconsulerent mihi, ego tamem sic agere & sic credere penitùs disposui, nec omittam. Et in hac infelicitate positus & præventus, morte repentina destitit, vellet nollet: nunc agnoscens, *quoniam odit Dominus observantes vanitates supervacuè* Ps. 30. 7. Et è contra, *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates & insanias falsas.* Ps. 39. 5.

ALIUD OPUSCULUM,

Ab eodem Doctore & Cancellario Parisiensi. Adversus doctrinam cujusdam Medici delati in Monte-Pessulano, sculpentis in numismate figuram leonis cum certis characteribus; pro curatione renum &c. Lugduni, 8. Decembris 1428.

C*UJUS est imago hæc & superscriptio.* Matth. 22. 20. Conformiter ad casum propositum de leonis imagine pro curatione renum dicuntur. XII. Propositiones, cum additis quæ sequuntur.

Propositio Prima.

IMAGINUM quæ astrologicæ nominantur fabricatio & usus, suspectus est plurimum de superstitione & idolatria seu magica observatione: patebit ex sequentibus.

Secunda Propositio. Imaginum hujusmodi fabricatio & usus, rationabiliter prohibitus est per sacros Doctores & Ecclesiam.

Tertia Propositio. Imaginum hujusmodi fabricatores possunt & debent per suos superiores prohiberi, inquiri & culpari; & si parere noluerint condemnari, non obstantibus palliatis allegationibus suis sub titulo Astrologiæ, maximè quando non sunt hujus scientiæ multi periti secundum terminos à veris Astrologis non idolatris constitutos. Ponuntur ad istarum Propositionum declarationem quædam regulæ fundamentales.

Et est *Quarta Propositio* in ordine. Omnis observatio cujus effectus expectatur aliter quam per rationem

nem naturalem aut per divinum miraculum, debet rationabiliter reprobari, & de pacto dæmonum expresso vel occulto vehementer haberi suspecta. Sic determinavit tempore nostro sacra Teologiæ Facultas Parisiensis Universitatis.

Propositio Quinta. Omnis observatio quantumcumque sancta & salubris videatur in decem aut viginti aut centum particulis; si habeat unicam particulam de idolatria vel hæresi vel de apostasia suspectam aut infectam, debet tota Suspecta & infecta reputari, nisi fiat manifestatio pretiosi à vili.

Propositio Sexta. Omnis observatio particularis super effectibus mirabilibus & extraneis sub titulo verarum artium palliata, debet examinari ex circumstantiis librorum & Auctorum, qui observationem hujusmodi particularem tradiderunt.

Ponuntur consequenter Propositiones seu regulæ ad declarationem præmissorum & ad particularem applicationem super imagine leonis de qua fit inquisitio. Et est prima, septima in ordine. Characteres seu figuræ vel literæ non habent vel sortiuntur ex causa purè naturali & corporali efficaciam, sicut nec entia mathematica, cujusmodi sunt figuræ & characteres, sunt de potentiis activis & in eis secundùm Philosophum non est bonum neque finis.

Propositio Octava. Characteres seu figuræ vel literæ non habent de ratione sua quod ordinentur ad aliquos effectus, nisi mediante rationali vel intellectuali substantia: significare enim, est rem in intellectu constituere.

Propositio Nona Characteres hujusmodi si habeant vel habere credantur efficaciam, oportet quod hoc sit à causa spirituali, non à purè naturali & corporali, qualis causa est cœlum cum suis influentiis in corpora. Accipiatur ex præcedentibus regulis consilium, quid agendum sit in materia præsenti de imagine leonis cum circumstantiis. Et sit hæc Propositio prima, Decima in ordine. Constat inprimis ex inspectione, quod ibi sunt characteres, literæ, figuræ & dictiones, quæ nullum effectum habent naturalem purè corporalem ad curationem morbi renum & similium, secundùm Propositionem septimam præcedentem, juxta quod notetur in speciali S. Thomas qui tribuit Astrologiæ quantùm rationabiliter dari potest, ad exemplum Alberti magni Magistri sui, consonè tamen ad Fidem Catholicam. Notetur inquam in II. & III. contra Gentiles in multis capitulis: art. 113. & specialiter in 117. & 118.

Propositio Undecima. Constat quod talis observatio non est posita ab Ecclesia & sacris Doctoribus, tanquam eveniat effectus speratus per miraculum divinum, immò nec per sanctos Angelos Dei, qui sunt administratorii spiritus propter electos Dei ad vitam æternam, magis quàm ad curam corporalem: & Medicus & Astrologus verus non habent se multùm intromittere de actionibus sanctorum Angelorum circa homines. Patet ex immediatè præcedenti cum inspectionibus Jurium, & ratio satis est manifesta.

Propositio Duodecima. Constat quod si talis observatio nitatur & expectet effectum à malis Angelis seu dæmomonibus, illa est manifestè penitùs reprobanda, etiam si videatur finis bonus, utilis vel honestus; quantò magis si esset malus vel suspectus, sicut est inter alios finis quæstus per simulationem Astrologiæ aut mirabilium effectuum, super quibus admirantur homines paucæ Religionis aut Fidei. Veruntamen circumstantiæ prædictæ magis apparebunt juxta practicam primarum Propositionum, si reperiatur conjunctio istius observationis de imagine leonis cum aliis observationibus contentis in Auctoribus vel libris tradentibus hujusmodi figurationem. Et hoc ideo dicitur, quoniam temporibus nostris inventus est liber magnus continens tales observationes, quarum aliquæ videbantur piæ & utiles, aliæ verò manifestissimè erant condemnandæ & superstitiosæ & idolatricæ & de hæresi suspectæ vehementer, & ut tales fuerunt etiam igni traditæ pio zelo. Tales multæ sunt observationes apud Hispanos in libro *Senaforas*; tales apud Judæos innumeræ; tales apud Christianos superstitiosos, sicut de nescio quo Sydrac: tales denique practicari quæruntur, nedum per vetulas sorcerias, sed per multos arma sequentes; continuetur.

Postremo totiens occurrit ista materia, quod si pro quolibet casu scribendum esset, scribendi nullus esset finis. Poterit inter alia videri Tractatulus de Astrologia theologizata, specialiter circa finem.

Concluditur tandem ex omnibus practica super hoc casu particulari. Postquam facta fuerint quæ dicta sunt summariè & de plano sine involutione processuum, maximè si delatus reddiderit se obedire paratum sine proterva defensione, prohibeatur ei de futuro quod non ampliùs utatur, sed antidotis Medicinæ cujus dicitur professor: de præteritis autem sufficiat sine quavis infamia delti, quod honor judicii Fidei cum Prælato & Officiariis suis maneat stabilitus. Et ita in Catholica & fraterna Charitate consulendum est quod delatus taliter obediat sine strepitu & figura judicii, & per Judicem ita fiat. Si autem inveniatur proterva defensio, non proterviæ rigor, sed justitiæ vigor fiat. Particularis modus reparandi poterit esse talis. Postquam meliùs & pleniùs informatus sum de fabricatione & usu talium imaginum, quod non sunt secundùm Catholicam traditionem, promitto bona fide, quod deinceps nequaquam utar illis. Aut si mitiùs Judex velit agere, dicat hoc per alium in tertia persona, postquam talis delatus &c. fuit melius informatus &c. promittit &c. Judex finaliter poterit declarare Sententias excommunicationis contra omnes tales &c. Proinde non valet allegatio quorumdam ex historia scholastica, quod Moyses fecit imagines, unam pro oblivione, alteram pro memoria & Salomon exorcismos: quia viris sanctis concurrebat miraculum: vel si Salomon jam erat perversus ad idolatriam per uxores, potuit datus in reprobum sensum excogitare magicos ritus, sicut de Nectanabo legitur & Zoroaste, qui nascens risit, & postea magicas artes exercuit. Denique Avicenna & similes dè activitate animæ rationalis in materiam exteriorem & fascinatione non sunt audiendi in modo ponendi.

Finit Lugduni. 8. Decembris. 1428. per Joannem Cancellarium Parisiensem.

TRACTATUS.

Joannis Gersonii Doctoris & Cancellarii Parisiensis. Contra Magistrum Jacobum Angeli Medicum Studii insignis Villæ Montis-Pessulani, De observatione dierum quantum ad opera.

PRima Conclusio. Omne opus Dei sanctum est & laudibile. Probatur ratione & auctoritate. Ratione sic, quia à bono & optimo non exit aut procedit nisi bonum. Deus Altissimus omnium Creator, est summum & optimum bonum; ergo omnia ejus opera bona sunt. Auctoritate probatur conclusio per illud sacræ Scripturæ. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona &c.* Gen. I. 31.

Secunda Conclusio. Omnes dies anni sunt opera Dei Altissimi: Deducitur Conclusio ex textu sacræ Scripturæ Gen. I. ubi per totum capitulum describuntur opera sex dierum & qualiter prima Dei opera fuerunt dies & anni. Primum autem bonum à bono incœpit operari. Hoc idem testatur Regius Propheta David ita psallens Domino: *Tuus est dies & tua est nox tu fabricatus es auroram & solem.* Ps. 73. 16. Quo circa canit Ecclesia.

Æterne

Æterne rerum Conditor.
Noctem diemque qui regis;
Et temporum das tempora;
Ut alleves fastidium.

Tertia Conclusio. Omnes dies anni boni sunt. Ista Conclusio clarè apparet, & sequitur ex duabus prioribus; quia dies & anni sunt opera singularia summæ & infinitæ bonitatis. Optimi autem est, optima adducere. Dicere ergo aliquem diem esse natura sua malum, est injuriari Deo, qui artifex est dierum & annorum: opus namque malum malitiam arguit opificis & artificis.

Quarta Conclusio. Omni anno, omni die & hora diei, bonum & laudabile est opera quælibet sancta, licita & honesta inchoare, facere, operari & perficere. Patet Conclusio, quia sicut dies & anni & etiam horæ diei à Deo Creatore prodeunt & ducuntur; sic & omne opus sanctum, licitum & honestum quod omni die & hora inchoatur & perficitur à Domino dirigitur inchoatur & perficitur, dicente Christo. *Sine me nihil potestis facere.* Joann. 5. 15. Et rursus Evangelista Joannes ait. c. 1. 3. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Intellige Conclusionem nisi præcepto Dei vel Ecclesiæ illud opus inhibeatur, sicut in diebus Festis aliqua opera laboriosa prohibentur aliàs bona, nisi prohiberentur operari Festo die.

Quinta Conclusio. Superstitiosa & vana religio ac meritò redarguenda, est non inchoare, operari vel perficere certis anni diebus opus bonum vel sanctum ab Ecclesia non prohibitum. Istud est expressè de mente Apostoli ad Gal. 4. cap. ubi arguit & reprehendit illos de Galatia, ita dicens: *Observatis dies & menses & tempora & annos.* Sequitur. *Timeo autem ne forte sine causa laboraverim in vobis.* Item si timet aliquis vel recusat bonum aliquod opus agere vel inchoare certo die; vel hoc est propter reverentiam & sanctitatem diei, quia vult diem illum sanctificare; & si sic, multò magis deberet abstinere ab inchoatione alicujus operis diebus Solemnibus, ut sunt Festa sanctissima Nativitatis Christi, Resurrectionis Dominicæ, Ascensionis & Adventus Spiritus sancti, quod non faciunt observatores dierum, & annorum; vel talis observantia fit propter devotionem ad Sanctos quorum dies agitur vel quorum celebritas tali die colebatur, & talis devotio nullum habet fundamentum, nullam habet rationem, nisi solam voluntatem observantis tales dies. Quod si dicant se tales dies observare propter eventus & pericula quæ consueverunt evenire his qui inchoant aliquod opus, vel iter aliquod; hoc vanum est & superstitiosum ac sine aliqua ratione, quolibet enim die, anno & hora diei & bona & mala contingunt: sic ergo periculum diceretur quolibet die aliquid inchoare. Vel dicatur ratio à talibus qui hæc observant quam nec Philosophi nec Medici immò nec Astrologi docent tales observantias de Festo Innocentum vel aliis Festis. Volontaria igitur est & absque apparentia rationis alicujus talis observantia.

Sexta Conclusio. Sicut vera & Christiana Fides mirabilia operatur in bene credentibus, sic & falsa & mala credulitas, Deo permittente, eventus malos interdum operatur, vel potiùs demeretur. Primam partem ad longum deducit per exempla quampluríma Apostolus ad *Hebr.* 11. Sed & de virtute Fidei ipsa Evangelia multa loquuntur. Reliqua pars Conclusionis experitur quotidie in malè credulis, quos ita Deus punit propter malam fidem; immò dum cognoscit Dominus nimium adhærere aliquibus vanis observantiis, permittit aliquos eventus contingere, & ita eos plus consequenter firmari in tali opinione, ut major fiat cæcitas eorum, & in laqueum cadant quem sibi fecerunt. Præterea dum imaginatio taliter observantium dies & annos, actuatur ultra nimis circa tales dies, quidquid mali evenit tali die imputant malitiæ diei, nec aspiciunt ad ea quæ benè aut prosperè successerunt tali die à Deo, & occupatur vis imaginativa circa aliquos eventus minùs bonos, quod non potest converti ad alia bona quæ illa die contingunt. Quare periculum est firmare fidem vel credulitatem, quæ tollit omne judicium & omnem rationem ad oppositum. Undè meritò permittit Deus tales decipi, & in laqueos suæ credulitatis vanè incidere. Rejiciat ergo Fides Catholica, ac judicium expertorum seu virorum literatorum tales vanitates & superstitiosas observantias.

A *Septima Conclusio.* Victoria belli, non dici; sed soli Deo attribuenda. Patet, quia attribuere tantum opus, ut est victoria, diei, est tollere honorem Deo debitum, cujus est vincere. Quòd autem victoria sit solius Dei, habetur in multis locis Scripturæ sacræ, in Libris Regum, Paralipomenon & Machabæorum. Hoc testatur Rex sapientissimus Salomon Proverb. 21. 31 sic dicens. *Equus paratur ad diem belli, Dominus autem salutem tribuet.* Propterea David Rex devotissimus, quotiescumque pugnaturus erat, auxilium Dei & consilium quæsisse & invocasse legitur. Inde est proverbium vulgare: *Les hommes font la guerre, & Dieu la victoire.*

B

TRACTATUS

Joannis Gersonii Doctoris & Cancellarii Parisiensis. De Erroribus circa Artem Magicam & Articulis reprobatis.

Ad MSS. Codd. Vict. 698. & unum Navarricum.

In MS. Cod. Vict. titulus est: *Incipit Harangua pro Licentiandis in Medicina*; & reverà excerptum est ex Oratione habita ad Licentiandos in Medecina.

COLLAUDANTI mihi nuper, ut mos habet, Venerabiles Licentiatos in Medicina, oblata est occasio, ut contra superstitiosas observationes, nostra C prô nefas, tempestate! nimis & nimis prævalescentes aliqua dissererem. Ea nunc seorsum ad utilitatem aliquorum separare curavimus, ne permixta aliis minus placerent & minus commodè prodirent in publicum. Sumpto itaque hoc proverbio pro themate, *Medice cura te ipsum.* Luc. 4. 23. curam hanc inter reli quas Medicum decere retuli, ut esset ordinatus ad Deum per fidelem subjectionem, ne quidquam impium vel superstitiosum, aut divinis Legibus adversum, sanitatis adipiscendæ causa, suis ægris suaderet; rememoraretur quoque jugiter illius Decretalis. *Cum corporalis infirmitas* &c. Incidit ut conquererer de superstitionibus pestiferis Magicorum, & stultitiis vetularum sortilegarum, quæ se per quosdam ritus maledictos mederi patientibus pollicentur. At ego data occasione, faciliùs in hoc diverticulum lapsus sum quò utilius, & quò in patrocinium hujus corruptelæ quidam adducere nituntur in crimen Medicinam. Nonne, inquiunt, apud solemnes quosdam Medico- D rum tales superstitiosæ observationes inducuntur, quas etiam scriptis suis inserere curaverunt; & consistunt in ligaturis, in characteribus, in figuris, quandoque in verbis peregrinis & incognitis: quamvis autem ab ipsis nulla pro talibus ratio adducatur naturalis; habent nihilominus efficaciam in curando: alioquin vanè, immò stultè locuti fuissent de eis Medicorum sapientes, & scriptis inseruissent. Undè refert Isido. IV. *Etymol.* quod Apollo quem Deum fecit antiquitas, per Methodica quædam, id est per carmina & incantationes, Æsculapius insuper & filius ejus per Empirica idest per experimenta sanaverunt homines quingentis annis ante Hypocratem, qui ratiocinativam Medicinam qua utimur adinvenit. Deinde vox publica virtutibus hujusmodi carminationum & ligaturarum & Empiricorum attestatur, quam ex

ex toto falsam dicere videtur incivile. Nec deessent argumenta ad hoc ex dictis Poetarum Virgilii, Ovidii, Lucani, & aliorum; ex variis quoque Gentilium celebribus historiis. Cur non licebit, inquiunt, istis uti, præsertim cum Deus omnipotens virtutes suas indiderit (ut vulgus loquitur) herbis, gemmis & verbis. Hanc dubitationem ego tunc tribus Dictis seu Considerationibus breviter absolvi.

Primum Dictum.

PROBABILE est in Philosophia naturali & secundùm veritatem Fidei, certum est esse dæmones. Primam partem tenuerunt elevatissimi Philosophorum Hermes Trismegistus, Plato & omnes doctrinæ suæ sectatores, Apuleius, Porphyrius & ceteri. Hoc libri ab eis editi, hoc libri *de Civit. Dei* ab Augustino palam docent. Hinc est illa famosa inter eos distinctio de cacodæmonibus & calodæmonibus, malis scilicet & bonis spiritibus: hæc enim positio de existentia dæmonum apud philosophantes faciliori ratione quam opposita defenditur, salvando effectus quosdam mirabiles, quales referunt historiæ fide dignæ in qualibet gente obtigisse; quas omnes negare pertinaciter, protervire est, & civitatem humanam societatemque politicam dissipare, quam mutua fides & credulitas unius ad alterum consonat, & conjungit agglutinatque. Porrò negare dæmones esse, negare eos plurimorum effectuum operatores existere, damnatur apud Christianos ut erroneum & impium, & sacris literis adversum. Qua in re ridendi sunt, immò durè corrigendi, qui Theologos derident mox ut sermonem de dæmonibus faciunt, mox ut eis effectus quosdam attribuunt, quasi fabulosa sit eorum responsio. Provenit error iste apud quosdam literatos, tum ex defectu Fidei, tum ex debilitate & infectione rationis. Gerunt propriè animam sic occupatam circa corpus, circa res sensibiles, ac earum sollicitas curas, vel ita in causarum particularium & visibilium perscrutatione consistunt, quod de universalibus & primis entibus ac spiritibus nihil credere vel sapere, nihil tenuiter & elevate cogitare possunt. Hoc Plato dixit maximum esse impedimentum veritatis, referre scilicet omnia ad sensus, & non averti ab eis. Hoc idem Tullius, hoc Augustinus in *de vera Religione* hoc Albertus & Guillelmus Parisiensis, immò & experientia docuerunt. Tales erant apud Judæos Saducæi, qui referente Josepho & Hieronymo negabant spiritus esse; tales inimici Philosophi quidam, ut Tullius loquitur; tales Epicurei & alii vitam pecudum eligentes, qui nihil esse concipiunt aliud à corporibus & extensis. In quorum persona loquitur Ecclesiastes & Sapiens *Sap.* 2. Ita quasi sint incantati & dementes nullam sibi inesse rationem nullos effectus spirituales atque invisibiles indicare videtur: non minus errantes á Nabuchodonosor, qui credebat se bovem esse, & ab aliis maniacis, quorum aliqui se gallos, aliqui murilegos opinati sunt. De grege talium erat insipiens ille qui dixit in corde suo, *non est Deus*, ps. 13. 1. quia si est Deus, utique est spiritus, & si nullus est spiritus, nullus est Deus. Neque enim ego negavero quosdam plerumque nimis leviter ea dæmonibus ascribere, quæ fieri à causis materialibus naturalibus, rationabilius dicerentur; nam multas & miras in rebus sensibilibus efficacias, multas virtutes existere quis negaverit; ex quarum combinatione, alteratione & configuratione fiunt effectus mirabiles, sicut ex applicatione varia speculorum, sicut ex celeri motu & jactatione quarumdam rerum, sicut ex immutatione diversa imaginativæ potentiæ in hominibus, sicut ex aliis quidam docuerunt & operati sunt, quarum operationum notitia potest dici magica naturalis; de qua investigare quamvis sæpe curiosum esset, & majoris boni impeditivum, immò ad errores pronum; non tamen est Fidei nostræ contrarium, dummodò Philosophia suis contenta limitibus, nihil impium, nihil mendosum nefariumve miscuerit.

Secundum Dictum.

OBSERVATIO ad faciendum aliquem effectum qui rationabiliter exspectari non potest à Deo miraculosè operante, nec à causis naturalibus, debet apud Christianos haberi superstitiosa A & suspecta de secreto pacto implicito vel explicito cum dæmonibus. Ista est Doctrina sanctorum Doctorum, nominatim Augustini in locis pluribus quibus has observationes validè condemnavit; v. *de Civit. Dei.* IV. *Confess.* II. *de Doct. Christiana.* Et recitantur multa in Decret. XXVI. q. 5. & q. 7. pluribus Cann. Hanc considerationem notavit utique Facultas Theologiæ in multis articulis, quos ad elucidationem hujus materiæ censuit condemnandos.

Articulus tertius est talis, quod inire pactum cum dæmonibus tacitum vel expressum, non sit idolatria vel idolatriæ species & apostasiæ; Error: & intendimus esse pactum implicitum in omni observatione superstitiosa, cujus effectus non debet à Deo vel à natura rationabiliter exspectari. Porrò ad sciendum quid vocamus pactum implicitum vel explici-B tum cum dæmonibus & cur istud vel non fiat; narrabimus veram Fidei nostræ traditionem & hoc quidem brevissimè; quoniam latior perscrutatio aliam facultatem exigit, alium locum & actum. Tradit vera Fides quod dæmones nequam, sunt spiritus humanæ naturæ hostes acerrimi, sævissimi, astutissimi, quorum violentiam improbissimamque tyrannidem si non compesceret & frenaret divina bonitas, de hominibus actum esse, quod ipsi funditùs deperirent. Job. 41. 24. *Non est potestas super terram quæ comparetur ei*: attamen suus conatus omnino vanus est nisi pro quanto permiserit Deus; sed cur permittat obstupescant insipientes corde: potest tamen hoc permitti ob alteram quatuor causarum, vel obstinatorum damnationem, vel ad peccantium purgationem & punitionem, vel ad fidelium probationem & exercitationem, vel ad gloriæ Dei manifestationem. De obstinatorum damnatione scriptum est in Ps. 77. *Immisit in eos indignationes suas, indignationem & iram per Angelos malos*, & hoc perpenditur in damnatis. De peccantium purga-C tione & punitione patuit in Magdalena, quæ subjecta erat septem dæmoniis, quia carnalibus vacabat vitiis secundum glossam. Præterea dabantur excommunicati ab initio Ecclesiæ ipsi satanæ corporaliter vexandi, *ut spiritus salvus fieret*. 1. Cor. 5. 5. Unus ex sanctis Patribus magna prece obtinuit à Domino, ut torqueretur à dæmone, quatenùs careret elatione. Ceterum de fidelium probatione & exercitatione, patuit in Job & Antonio & Paulo secundum quosdam, cui *datus est Angelus satanæ*. 2. Cor. 12. 7. Sicut enim *necesse est* secumdum eumdem Apostolum, *hæreses fieri*, *ut qui probati sunt manifesti fiant*, 1. Cor. 11. 19. ita fiunt ad hoc illusiones similes miraculis, quemadmodum perspicuè positum est Deut. 13. *Tentat*, inquit, *vos Dominus*, *si ex toto corde diligatis eum*: hæc causa nostris temporibus magnum locum habet. Denique Manifestatio gloriæ Dei potest esse causa talis vexationis, sicut in cæco nato, de quo est hodiernum Evangelium patuit *Joan.* 9. & in legione dæmonum, quæ porcos intravit & submersit, non ad porcorum punitionem; sed ad potentiæ Christi ma-D nifestationem. Ampliùs verò nequam spiritus dum sævire permittitur, sævit non solum apertis viribus, sed frequenter astutis dolis & fraudibus, non tam ad perdendum corda, quam ad seducendum animas, eas in idolatriæ & apostasiæ & inferni foveam dando præcipites. Quamobrem excogitavit ut superbus, ut fallax & dolosus, quo pacto usurparet sibi ab hominibus honorem divinum, & à vera Religione

ab-

abduceret: reperit quosdam ex hominibus falli magis idoneos, quales sunt omnes qui Deo rejecto nil aliud curant, ad nihil aliud student, quam per fas aut nefas sua desideria pessima compleri. Quorum alii ad divitias inopes, alii ad honores vanos, alii ad infames concubitus, alii ad curiositatem libidinosam sciendi futuros rerum effectus, aut alia naturæ secreta damnabiliter aspirant. Tales cum aspexerit dæmon, intendit nunc occultè nunc apertè ad observandum quædam instituta sua, quibus mediantibus, fidem habeant optata consequi. Suadet itaque has observationes fieri, non quod à seipsis habeant efficaciam aliquam aut quod per eas ipsi necessitentur, juxta determinationem Facultatis Theologiæ nuper factam, sed ob alteram quatuor causarum. Primò, ut Dei Lex prævaricetur; secundò, ut ipse dæmon divino cultu & ritu veneretur; tertiò, ut spes de Deo minor aut nulla habeatur: quartò, ut fraus sua minùs videatur. De Lege Dei prohibente talia habet expressè textus Levit. 19. &. 22. & Deut. 18. & in Sanctorum opusculis. In Legibus quoque temporalibus multa per omnem modum; quas Leges transgreditur qui talibus operam præstiterit. Undè Exod. 22. 18. *Maleficos non patieris vivere.* Colitur prætereà dæmon per orationes, sacrificia & thurificationes jussas fieri in Artibus magicis. Manet siquidem ipse nequam spiritus in priori phantasia superbissima, qua quæsivit esse *similis Altissimo*, Isai. 14. 14. immo & *extolli vult super omne quod dicitur Deus* secundùm Apostolum, 2. Thess. 2. 4. Et ita verum est quod hi ritus tantò plus habent de sacrilega idolatria & minùs excusantur, quantò sanctiora sunt quæ in eis ad honorem dæmoniorum impenduntur.

Rursus scit ipse serpens antiquus, quod *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates & insanias falsas*, Ps. 39. 5. & è contra maledicti sunt & odio habentur *observantes vanitates supervacuè*. Ps. 30. 7. Quid ergo mirandum, si talibus quærit implicare homines adinventionibus? Postremò, quia dæmon semper dare quod promittit neque vult neque permittitur; adinvenit quomodo cultores sui deputarent illos defectus non dæmoni, non suæ arti, sed propriæ vel negligentiæ vel imperitiæ, atque dicerent se non omnia atque taliter observasse, qualia & qualiter jubebantur. Constat quoque falli citiùs homines sub quadam boni specie; & in hoc mira & prorsus miserabilis est humanæ cæcitatis insania, quoniam in hac re decem aut crebra mendacia per unam, casualiter si obtigerit, veritatem excusat; ubi mille, in alia materia, veritates pro unico mendacio comperto despiceret. Denique tantam ad credendum prohibita noxia & vana libidinem, in tam modica fide credendorum, quis non mirabitur? Hæc est origo, hic finis artium Magicarum, damabiliumque superstitionum ac nefandorum rituum.

Tertium Dictum.

PHILOSOPHICA aut medicinalis Consideratio nullatenùs admittere debet traditiones illas superstitiosas quæ dicuntur Methodica vel Empirica, quarum scilicet nulla potest ratio naturalis assignari: itaque scribentes ea, magis insecuti sunt errorem vulgi aut Magorum ritus impios quam Medicinæ rationes. Et mirandum quomodo dudùm à libris Medicinæ, non jussa sunt abradi: ex quo enim de ratione naturali nihil habent illa; vel innituntur operationi divinæ & supernaturali, & hoc nihil ad Medicum ut Medicus est, sed est Theologicæ speculationi remittendum; aut innituntur operationi dæmonis, & hoc similiter nihil ad Medicum, sed ad idolatriæ cultum. Si verò dicantur fieri pro mutatione virtutis imaginativæ in ægroto, quatenùs fortificetur in eo spes sanationis, aut ut cogitatio sua aliorsùm divertatur, esset hìc fateor aliqua ratio naturalis, quoniam vim imaginativam plurimùm tum conferre, tum obesse regimini sanitatis, quis nesciat? Hinc est illud vulgatum, *Imaginatio facit casum.* Verum caveat obsecro Medicus, ne volendo sanare corpus alienum, seipsum desipiens inficiat. Quo pacto inficietur? Nimirum per mendacia, dum suis patientibus asserit tales observationes efficaces esse pro sanitatis obten-
A tu, quas omninò impertinentes aut fabulosas, aut fortassis illicitas esse cognoscit. Quantò rectiori Fide spem in Deo figendam esse doceret, *qui vitæ habet & mortis imperium* Heb. 2. 14. Nam inculpatur ipse Rex Aza. 2. Paralip. 16. quod *in infirmitate non quæsivit Dominum: sed magis in Medicorum arte confisus est.* Quis non videat majoris criminis esse si quis in talibus superstiosis spem apponat? Quod si hæc Empirica & Methodica superstitiosa reperiantur esse virtutis alicujus, tantò perniciosiora sunt secundùm Augustinum quantò sunt ad seducendum blandiora. Ille siquidem effectus cum neque à miraculo vero, neque à causa naturali fieri cognoscatur, ut à seductoribus dæmoniis proveniat consequens est. A seductoribus autem fallacibus, à patre mendacii, ab hoste crudelissimo quid boni, quid veri, quid commodi speres, tu videris? Profectò dæmones & si sanarent corpora, illa sanarent Deo irato. Quomodo Deo irato?
B quia certè necarent animas, & deteriùs tandem variis incommodis suos cultores & invocatores afficerent. Denique odienda esset prorsus corporalis valetudo, quæ animæ pretio & morte venderetur. Hæc pauca si quis religiosa fide diligenter advertit, non eum turbabunt objectiones illæ (opinor) quibus imperiti à spiritu maligno turgidi, obstrepere solent contra Fidei pietatem, quæ has omnes superstitiones impias damnat execraturque. Dicunt aliqui non vanam esse aut falsam talium notitiam; quoniam sua veritas probatur per effectum: quasi videlicet negare contendamus, nihil à dæmoniis & suis cultoribus posse fieri, Domino permittente. Absit. Nos itaque & Magos Pharaonis & pythonissam Saülis & Simonem magum & pythonissam in Actibus Apostolorum & Exorcistas Judæorum & idola gentium & futura Antichristi portenta non solum non negamus; sed ea negantes reprobamus: sicut enim vera
C Fides meretur dotari miraculis, dum opus est ad ædificationem, ita falsa fides portentis & figmentis in sui damnationem, vel aliorum probationem demeretur illudi. Dicunt alii multam in observationibus hujusmodi sanctitatem inesse, tum in orationibus ad Deum devotissimis, tum in jejuniis, in castitate & vigiliis, in thurificationibus, in Eucharistiæ etiam sumptione, in ceteris denique religiosis obsequiis: sed planè hic mentitur iniquitas sibi; quasi videlicet rerum optimarum sanctissimarumque non esse possit abusus, quarum nequior ille est & flagitiosior quàm aliarum: quasi præterea talia Dæmon quæreret ad sanctificationem, qui spurcissimus est, & non potiùs ad sui adorationem, ad malitiæ suæ regimen & ad sacrificium sacrilegum; alioquin nunquam Deus, nunquam sancti viri, qui Deo inspirante locuti sunt, hæc fieri tanta severitate vetuissent. Nunquam insuper Theologia talibus esset adversata ritibus, cui tamen in hac re & suis Professoribus credi debet, non indoctis mulierculis, non impiis idolatris, non hominibus datis in reprobum sensum; quilibet enim in sua arte sapiens est, & ei credi debet, juxta Maximam
D Topicam. Dicunt se rursùm per hæc omnia intendere obsequium Dei & non diaboli. Certè ita idolatræ, ita Judæi necatores Apostolorum *arbitrabantur se obsequium præstare Deo*, Joann. 16. 2. nec proindè salvantur. Quanta, quæso, est illa cæcitas dicere se servire Deo, suis maximè contrariando præceptis? Ceterum quisquis relegerit has observationes nefandas, videbit eas æquè ad malos sicut ad bonos effectus introductas; propter quod potissimè teste Augus-

tino *de Civit.* circa medium, *Magici in omni secta morte plectuntur.* Illic videre est impietatem, illic virtutis impugnationem in docendo furta & stupra fieri, in volendo scire tempora & momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Denique præfigitur ibi terminus operandi ipsi divinæ omnipotentiæ, præstititur modus quo quasi compellatur operari, ipsi divinæ sapientiæ: statuitur etiam finis impius divinæ bonitati & clementiæ; nam quid aliud sonant istæ traditiones: scribatur hoc in pergameno virgineo; portetur in figura triangulari cum characteribus incognitis & Thurificetur; suspendatur ad collum; fiant ista certis horis; tunc infra tridum aut quatriduum proveniet absque ulla dubitatione effectus ille quem quærimus: immò hoc sub periculo capitis asseritur. Siquidem revelaverit Deus eis, ipsi viderint; nos scimus, quoniam revelationes divinæ non tales sunt, nec prohibet Deus credere illud quod dignatur revelare. Arguunt iterum, & nos in similem causam trahere satagunt. Nonne, inquiunt, talia similiter fiunt aut tolerantur ab Ecclesia in peregrinationibus certis, in cultu Imaginum, in cereis aut ceris aut aquis benedictis & inexorcismis. Nonne dicitur quotidie si novem diebus perdurat in hac Ecclesia; si ex aqua illa perfundatur; aut si tali se voveat Imagini, aut si aliquid talium faciat, ipse mox sanabitur, vel optato potietur. Fateor, abnegare non possumus multa inter Christianos simplices sub specie Religionis introducta esse, quorum sanctior esset omissio; tolerantur tamen quia nequeunt funditùs erui, & quia Fides simplicium quamquam minùs in aliquibus benè sapiat, regulatur tamen & quodammodò rectificatur, salvaturque in Fide majorum; quam Fidem generali saltem intentione in ominibus suis observationibus præsupponunt, si piè & humiliter, hoc est, Christianè sapiunt, & si ad ostensam veritatis normam obedire parati sunt. Hæc autem est intentio ut talia suscipiantur aut fiant non tanquam necessariò efficacia, aut tanquam spes principalis in talibus posita sit, Deo postposito; sed quod pietas Fidei per ista nutritur & augetur & exaudiri meretur. Secùs ubi Fides læditur & divina Lex violatur. Vanè igitur & protervè sumitur in hac re vel exemplum vel argumentum, ex his quæ vulgus indoctum, non quæ cætus Theologorum & sapientum docet observatque. Quid mirum si Theologia & Fides corruptores quosdam patiatur, ut hæreticos & superstitiosos, ut temerarios assertores, quando & Medicina & Philosophia & Astrologia vera & omnis denique ars & scientia pati aliquid tale cognoscatur; sed fundamentum stabile stat. Tandem oppositionem suam convertunt alii in querelam dicentes: ecce talis infirmus est in grandem & luctuosam totius gentis unius perditionem, ipse desperatur à Medicis. Cur non, inquiunt, per superstitiosa curabitur, præsertim si per superstitiosa præsumitur in ægritudine teneri, & per similia promittitur liberari? Nonne vana vanis, sicut clavum clavo licet repellere? Nonne sanitas & auxilium undecumque quæri possunt, sicut ab herbis ita à verbis & à virtute spirituum, sicut à virtute lapidum vel corporum? Cur postremo prohibebitur aliquis cogere dæmonem ad obsequendum sibi in bonis, quando Sanctorum plurimos ut Anthidium Archiepiscopum Byzantinum, & Exorcistas alios ita fecisse commendant historiæ? Respondebimus ad hoc dicentes, primò ad ultimum, quod dæmones possunt & licitè possunt per Deum & Sanctos ejus ad hoc inspiratos & electos cogi ad præstandum humana quædam obsequia: ita enim recta Fides tenet fecisse Christum & Moysen & Raphaelem Angelum, & David respectu Saülis, & Sanctos quasi innumeros in persona dæmoniacorum; immò & Salomonem & quosdam Exorcistas Judæorum sic egisse videtur sensisse Josephus; quamquam de Salomone qui postmodum idolatra fuit, magis dubia sit sententia, an videlicet de peccato in peccatum, de errore idolatriæ in errorem magicarum artium delapsus extiterit, an Deo revelante dum bonus erat talia cognoverit. At verò si coactio dæmonis aliter exspectetur quàm per miraculum, Deo specialiter cooperante, istud falsè creditur & periculosè quæritur. Falsè quidem propter libertatem dæmonibus insitam, quæ nec ab istis corporalibus quibus perfectior est, nec à carminibus

A cogitur. Istud autem periculosè quæritur, quia hostis est dolosissimus, & nunc fingit se compelli per tales ritus impios, quibus honorari quærit & animas perdere; nunc perplexis responsis involvit sententias, ut Tullius loquitur & historiæ testantur; nunc semitas tortuosas suæ fraudis mille modis tegit. Nobis propter hoc interdicta est societas sua, ne quæramus ab eo veritatem qui mendax est, sicut Christus & Apostolus ejus Paulus, ipsum etiam vera loquentem obmutescere præceperunt. Non speremus insuper prosperitatem ab eo qui hostis est, nec pactum ineamus cum eo qui infidus est, nec consortium cum excommunicato, nec fidem proditori perfido adhibeamus. Fefellit revera omnes & fallet, quos sibi, aut institutis suis deditos invenerit. Historias hæc docentes quia innumeræ sunt non numeramus, de Juliano apostata, de Zoroaste primo inventore magicæ artis, de Nectanabo & ceteris absque numero. Affirmamus con-

B sequenter cum Apostolo, quod non sunt facienda mala ut bona eveniant. Non igitur sunt maleficia maleficiis repellenda: aliter sapere, est contra Fidem desipere. Superest igitur in omni nostra necessitate sentire cum Josaphat Rege & Deo dicere: *Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habeamus residui ut oculos nostros dirigamus ad te.* Paralip. 20. 12. Tentetur via naturalis rationis & prudentiæ & artis quantum sciverimus. Hoc vocatur facere quod in se est, ne videatur tentari Deus; qua via naturali deficiente, solum restat in Dei misericordia refugium. Hæc autem misericordia non superstitiosis observationibus, sed piis obsecrationibus; non dæmonum invocationibus, sed vitæ emendatione; non per homines reprobos, sed probatos comparatur. Si demum volumus mutare sententiam suam, nostram in meliùs mutemus vitam. Ceterum si, permittente justo Dei judicio, licet occulto, fiant in aliquo vexationes & immissiones per angelos malos, mediantibus pactis quorumdam sacrilegorum cum dæmonibus, ut per invultuationes, per fascinationes aut carminationes,

C quamquam de se prorsus ad hæc inefficaces; dicit unus Doctor, talia si reperiantur, posse destrui; quibus amotis & dissipatis neque spiritus dissipare poterit à vexatione ad hoc ut pactum suum servare & artem suam confirmare videatur; aut quia bona fides destruentium opera hæc diaboli, sic meretur exaudiri. Ita egit Philippus quondam Rex Francorum de imagine quadam cerea, quam dicebant baptizatam & execratam taliter nomine suo, quod ea destructa ipse Rex moreretur. Et videbimus inquit pius Rex, Fide plenus, si potentior erit dæmon ad perdendum me, quàm Deus ad salvandum, & hæc dicens ceram projecit in ignem. Ita concipere eos arbitror qui dicunt vana vanis esse refellenda, & quod non maleficiis contra maleficia liceat abuti. Sed humanam rursus impatientiam audire videor. Obsecravimus, inquit, Deum nec exaudit, jejunavimus, peregrinationes multas fecimus & processiones, nec attendit; sic murmur resonat, sic querimonia quasi gens quæ fecerit justitiam, & quasi populus qui non aversus fuerit à Deo

D suo, sic erecta cervice Deum suis petitionibus omnibus volunt esse obnoxium, cum tamen verissimè scriptum sit: Populus hic labiis suis Deum honorat (utinam & hoc inveniretur, nec veriùs diceretur hic blasphemat) cor autem eorum longè est à Deo. *Isai.* 29. 13. Conticescat hæc obstinatio diabolica frendens & tabescens contra divinam providentiam; quin potiùs patienter expectemus, non præfigentes terminum divinæ misericordiæ juxta consilium Sanctæ Judith. Nos in Deum to-

totiens deliquimus & in omnem justitiam, immò in omnem creaturam suam; cur non tolerabimus flagella pii Patris? Nos filii nequam dum per filios clientes etiam reprobos placuerit nos punire, durum sanè est contra stimulum & talem stimulum Dei calcitrare per impatientiam, quia duplici cuspide mortis in anima & corpore recalcitrantes feriuntur. Hæc interim de tota collatione pro Medicis antedicta libuit excerpere. Placuit insuper determinationem sacræ Facultatis Thologiæ, cujus mentio facta est huic opusculo connectere; quia ad dictorum firmitatem etiam non mediocriter utilem judicavi. Datum per copiam sub signo & subscriptione mei Notarii publici subscripti.

UNIVERSIS Orthodoxæ Fidei zelatoribus: Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis & Facultas Theologiæ in alma Universitate Parisiensi Matre nostra: Cum integro divini cultus honore spem habere in Domino, ac in vanitates & insanias falsas non respicere. Ex antiquis latebris emergens noviter erroris fæda colluvio, recogitare commonuit quod plerumque veritas Catholica apud studiosos in sacris literis apertissima est, quæ ceteros latet, nimirum cum hoc proprium habeat omnis ars manifestam esse exercitatis in ea, sic quod exindè exurgat illa Maxima. *Cuilibet in sua arte perito credendum est.* Hinc est Horatianum illud quod Hieronymus ad Paulinum scribens assumit. *Quod Medicorum est promittunt Medici, tractant fabrilia fabri.* Accedit ad hæc in sacris literis aliud speciale, quod nec experientia nec sensu constant, ut aliæ artes, nec possunt oculis circumvolutis nube vitiorum facile deprehendi, execavit enim eos malitia eorum. Ait siquidem Apostolus, quod *propter avaritiam multi erraverunt à Fide.* 1. Timoth. 6. 10. propterea non irrationabiliter *idolorum servitus* Ephes. 5. 5. ab eodem nominatur. Et Rom. 1. 21. Alii propter ingratitudinem, *qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*, sed in omnem idolatriæ impietatem, sicut idem commemorat corruerunt. Porrò Salomonem ad idola, & Didonem, ad magicas artes pertraxit effrena voluptas. Alios ad hoc ipsum intorsit superba curiositas investigandorumque occultorum dira cupido. Alios postremò misera timiditas, tota ex crastino pendens, in observationes superstitiosissimas impiasque depulit; quemadmodum apud Lucanum de filio Pompei magni, & apud historicos de pluribus notatum est. Ita fit ut recedens peccator à deo, declinet in vanitates & insanias falsas, & ad eum qui pater est mendacii, tandem imprudenter palam apostasiando se convertat. Sic Saül à Domino derelictus, pythonissam cui prius adversabatur consuluit; sic Ochozyas Deo Israël spreto, misit ad consulendum Deum Acharon, sic denique omnes eos qui fide vel opere, absque Deo vero sunt, ut à deo falso ludificentur necesse est. Hanc igitur nefariam, pestiferam, monstriferamque insaniarum falsarum cum suis hæresibus abominationem plus solito nostra ætate cernentes invaluisse, ne forsan Christianissimum Regnum quod olim caruit monstro, & Deo protegente carebit, inficere valeat tam horrendæ impietatis & perniciosissimæ contagionis monstrum, cupientes totis conatibus obviare; memores insuper nostræ professionis pioque Legis zelo succensi, paucos ad hanc rem articulos damnationis cauterio, ne deinceps fallant incogniti, notare decrevimus: rememorantes inter cetera innumera dictum illud sapientissimi Doctoris Augustini de superstitiosis observationibus, quod „ qui talibus credunt, aut ad eorum domum euntes, aut suis domibus introducunt, aut interrogant; sciant se Fidem Christianam & Baptismum prævaricasse & paganum & apostatam, id est retrò abeuntem & Dei inimicum & iram Dei graviter in æternum incurrisse, nisi quis ecclesiastica pœnitentia emendatus Deo reconcilietur. Hæc ille. Neque tamen intentio nostra est in aliquo derogare quibuscumque licitis & veris traditionibus, scientiis & artibus, sed insanos errores & sacrilegos insipientium & ritus ferales pro quanto Fidem orthodoxam & Religionem Christianam lædunt, contaminant, inficiunt, radicitùs, quantum fas nobis est, extirpare satagimus & honorem suum sinceræ relinquere veritati.

A

Est autem Primus Articulus.

Quòd per artes magicas & maleficia & invocationes nefarias quærere familiaritates & amicitias & auxilia dæmonum non sit idolatria. Error. Quoniam dæmon adversarius & pertinax & implacabilis Dei & hominis judicatur; nec est honoris vel dominii cujuscumque verè seu participativè vel aptitudinaliter susceptivus, ut aliæ creaturæ rationales non damnatæ nec in signum ad placitum institutum, ut sunt imagines & templa Deus in ipsis honoratur.

Articulus II. Quòd dare vel offerre vel promittere dæmonibus qualemcumque rem, ut adimpleant desiderium hominis, aut in honorem eorum aliquid osculari vel portare, non sit idolatria. Error.

Articulus III. Quòd inire pactum cum dæmonibus tacitum vel expressum non sit idolatria vel species idolatriæ & apostasiæ. Error. Et intendimus pactum esse implicitum in omni observatione superstitiosa,

B

cujus effectus non debet à Deo vel natura rationabiliter expectari.

Articulus IV. Quòd conari partes magicas dæmones in lapidibus, annulis, speculis, aut imaginibus nomine eorum consecratis vel potiùs execratis includere, cogere vel arctare, vel eas velle vivificare, non sit idolatria. Error.

Articulus V. Quòd licitum sit magicis artibus vel aliis quibusdam superstitionibus à Deo aut ab Ecclesia prohibitis aliqua facere quocumque bono fine. Error; quia secundùm Apostolum. *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* Rom. 3. 8.

Articulus VI. Quòd licitum sit aut etiam permittendum maleficia maleficiis repellere. Error.

Articulus VII. Quòd aliquis cum aliquo possit dispensare in quocumque casu, ut licitè talibus utatur. Error.

Articulus VIII. Quòd artes magicæ & similes superstitiones & earum observationes sint ab Ecclesia irrationabiliter prohibitæ. Error.

Articulus IX. Quòd Deus per artes magicas &

C

maleficia, inducatur dæmones compellere suis invocationibus obedire. Error.

Articulus X. Quòd thurificationes & suffumigationes quæ fiunt in talium artium & maleficiorum exercitio sunt ad honorem Dei & ei placeant. Error & blasphemia; quoniam Deus alias non prohiberet vel puniret.

Articulus XI. Quòd talibus & taliter uti non est sacrificium seu immolare dæmonibus, & ex consequenti damnabiliter idolatrare. Error.

Articulus XII. Quòd verba sancta & orationes quædam devotæ & jejunia & balneationes & continentia corporalis in pueris & aliis & Missarum celebratio & alia opera de genere bonorum, quæ fiunt pro exercendo hujusmodi artes excusent eos à malo & non potiùs accusent. Error: nam per talia sacræ res, immò ipse Deus in Eucharistia dæmonibus tentatur immolari, & hoc procurat dæmon, quia

D

vult in hoc honorari similiter Altissimo, vel ad fraudes suas occultandas, vel ut simplices illaqueet faciliùs & damnabiliùs perdat.

Articulus. XIII. Quod Sancti Prophetæ & alii per tales artes habuerunt suas Prophetias & miracula fecerint aut dæmones expulerint. Error & blasphemia.

Articulus. XIV. Quod possibile est per tales artes cogere liberum hominis arbitrium ad voluntatem sive desiderium alterius. Error: & hoc conari facere est impium & nefarium.

Articulus. XV. Quòd ideò artes præfatæ bonæ sunt & à Deo, quòd licet eas observare, quia per eas quandoque vel sæpe evenit sicut utentes eis quærunt vel prædicunt, vel quia bonum quandoque provenit ex eis. Errror.

Articulus. XVI. Quòd per tales artes dæmones veraciter coguntur & compelluntur, & non potiùs ita se cogi fingunt ad seducendos homines. Error.

A *Articulus.* XVII. Quòd per tales artes & ritus impios, per sortilegia, per carminationes, per invocationes dæmonum, per quasdam invultuationes & alia maleficia, nullus unquam effectus ministerio dæmonum subsequatur. Error: nam talia quandoque permittit Deus contingere, ut patuit in Magis Pharaonis & alibi pluries, vel ad probationem fidelium, sicut habetur *Deut.* 13. vel in quorumdam hominum dignam flagellationem, vel quia abutentes seu consulentes propter malam fidem aut alia peccata nefaria, dati sunt in reprobrum sensum, & demerentur sic eludi.

Articulus. XVIII. Quòd boni Angeli includantur in lapidibus & consecrent imagines vel vestimenta, aut alia faciant quæ in istis artibus continentur. Error & blasphemia.

Articulus. XIX. Quòd sanguis upupæ vel hædi vel alterius animalis vel pergamenum virgineum aut corium leonis & similia habeant efficaciam ad cogendos vel repellendos dæmones ministerio hujusmodi artium. Error.

B *Articulus.* XX. Quòd imagines de ære vel de plumbo, vel auro; vel de cera alba vel rubea, vel de alia materia baptizatæ exorcisatæ, & consecratæ; sed potiùs execratæ secundum prædictas artes & sub diebus certis, habeant virtutes mirabiles, quæ in libris talium artium recitantur. Error in Fide, in Philosophia naturali, & Astrologia vera.

Articulus. XXI. Quòd uti talibus & fidem dare non sit idolatria & infidelitas. Error.

Articulus. XXII. Quòd aliqui dæmones boni sunt, aliqui benigni, alii omnia scientes, alii nec salvati nec damnati. Error.

Articulus. XXIII. Quòd fumigationes quæ fiunt in hujusmodi operationibus convertuntur in spiritus, aut quod sint debitæ eis. Error.

C *Articulus.* XXIV. Quòd unus dæmon sit Rex Orientis & præsertim suo merito, alius Occidentis, alius Septentrionis, alius Meridiei. Error.

Articulus. XXV. Quòd intelligentia motrix cœli influit in animam rationalem, sicut corpus cœli in corpus humanum. Error.

Articulus. XXVI. Quòd cogitationes nostræ intellectuales & volitiones interiores immediatè causentur à cœlo, & quòd per aliquam traditionem magicam tales possunt sciri & per illam de eis certitudinaliter judicare sit licitum. Error.

Articulus. XXVII. Quòd per quascumque artes magicas possumus devenire ad visionem divinæ essentiæ vel Sanctorum spirituum. Error.

Acta sunt hæc & post maturam crebramque inter nos & Deputatos nostros examinationem conclusa in nostra Congregatione generali, Parisiis apud Sanctum Mathurinum, de mane super hoc specialiter celebrata. Anno Domini 1389. die 19. Mensis Septem- D bris. In cujus rei testimonium Sigillum dictæ Facultatis præsentibus Litteris duximus apponendum.

TRACTATUS

Ejusdem Doctoris & Cancellarii Parisiensis de eo: An liceat Christiano initia rerum observare ex cœlestium syderum respectu.

Collat. ad MS. Cod. Vict. 848.

INVESTIGEMUS breviter & quantùm proposito nostro satis est, an initia rerum fausta vel infausta, bona vel mala, valida seu invalida, ex cœlestium syderum respectu vel aliundè fiant, & multò magis, si Christiano observare talia licitum est? Et quantùm de primo, ubi scilicet quid verum vel falsum est inquiritur; posset videri aliquibus, solos in hac re audiendos esse qui in Astronomia judicativa periti sunt, quia scientiam quam ignorat aliquis qualiter approbabit aut affirmabit? Refellendum nihilominus quantùm de illa cognosci datum est; & conformiter in eos qui in ea scienda majorem dederunt operam, dicere possumus, quòd respectu effectuum, qui liberum concernunt arbitrium, ars de his verè & infallibiliter judicandi aut pronunciandi non solum non data est, sed nec tradi quavislibet investigatione naturali potuit; etenim unicus ad artem illam, si possibilis esset, perveniendi modus, per viam experientiarum conformiter & frequenter contingentium procederet: sed qualiter ea quæ sub libero cadunt arbitrio, inter experientias poterunt computari? Semper enim dicere poterimus ea quæ nunc iste cogitat vel quæ liberè agit aut patitur, à puro libertatis arbitrio contingere. Verbi gratia. Dum luna tali planetæ in tali signo jungebatur, Joannes talia & talia cogitavit, sic & sic voluntaria egit: quo pacto scire aut judicare poterimus, quòd non ex puro & mero libertatis arbitrio ista fuerit operatus, potiùs quam ex superioris impulsu causantis. Quòd si judicare nesciverimus; nec profectò ex talibus experientiis artem fabricare aut componere valebimus: neque enim tales oppositum sentientes negant (nisi admodum infideles sint) quin posita inclinatione superioris causantis, usquequaque possumus in oppositum, & quomodò scire eas datum est, cum principia hujus quam dicunt artis venarentur, quòd talis conjunctio aut constellatio ad talia agenda homines inclinabat: non à priori hoc agnoverunt, constat quod nec à posteriori, arguendo per effectus ad causas; quia effectus isti ab alia causa puta a libero arbitrio totaliter poterant evenire. Hæc ratio bene deducta & ponderata multum invalidat & tollit possibilitatem talis artis, respectu eorum quæ sunt liberi arbitrii. Prætereà si nunc capiam initium cogitationis alicujus aut volitionis ad aliquid peragendum, & quæram secundùm hoc; aut prosperè cedet aut incommodè; quia primò sic suam in mentem & voluntatem evenit nulla prorsus ars, nisi temerariè & merè casualiter respondebit; & exindè monstratur artem de responsionibus per interrogationes penitùs nullam esse. Similiter judicare in futurorum possibilitatem per initia nativitatum, aut aliarum quarumcumque rerum, ut peregrinationis, induitionis novæ vestis, & novæ assumptionis rei alterius, de eis quæ postmodum libero subsunt arbitrio, ex hac radice potenter refellimus. Quod si dixeris possibile saltem esse ut per initia rerum aliquarum de inclinationibus quas homo talis habebit ad hæc vel illa faciendum judicemus, etsi nulla de his faciet, quia in oppositum eorum ad quæ inclinatus est, sua libertate valebit operari; istud non evadit difficultatem quæ tacta est: fatebimur fortassis esse possibile, ut hæc constellatio hominem initium vivendi nunc suscipientem ad hæc agenda fortiter inclinet, & quod per revelationem Dei ars hoc sciendi foret possibilis;

bilis. Sed non loquimur de his quæ revelata sunt: sed quæ investigatio reperire potuit humana. Hanc verò artem vel principia ejus probare volumus semper extitisse extra & supra totam humanæ investigationis facultatem. Ars quippe certa & regularis esse debet; voluntates autem hominum & cogitationes secundùm quas deberet talis ars judicativa capere fundamentum, penitùs incertæ sunt & variæ; ut ergo nulla sit naturaliter ars de eis, constantissimè fatendum est. Numquid advertimus post Christi Nativitatem (quæ utique miraculosa fuit, nec influentiis subjecta) quanta varietas in conditionibus, moribus & operibus hominum innumerabilium secuta est: cujus attamen Nativitatis conditionem illi qui principia artis hujusmodi fundare conati sunt prævidere, ut ista exciperent, minimè potuerunt. Accedit ad hoc constellationes esse plurimas, quarum nec similium eventus olim visus fuit, secundùm quas judicare dicta aut scripta non sufficiunt. Porrò secundum hunc ratiocinandi modum venari possumus impossibilitatem artis hujus, etiam pro quanto respicit actus naturales, qui suam ex varietate materiæ diversificationem recipiunt; quemadmodum Doctor Augustinus v. *de Civitate Dei*; & II. *de Doctrina Christiana*; de duobus geminis ratiocinationem invictissimam contexuit, quæ in monstro bicipiti forsan à calamitate remotior exsisteret. Constat itaque per historias verissimas monstrum fuisse in confinibus Britanniæ & Normaniæ, quod biceps erat non solum in corpore; sed (ut sic loquamur) in diversa & adversa volitionum duplicitate. Interrogatum quippe unum de capitibus an continenter eligeret vivere; respondit, continenter: Aliud ex adverso incontinentem eligebat vitam. Et vidi cattum unius capitis, in ceteris omnibus membris bicorporem. Quid hìc poterunt judiciorum hujusmodi & artis (quæ nulla est) defensores? Ecce hic homo vel hoc monstrum simile in capitibus suis cœpit initium & effectus diversissimos. Si hanc in cœlo dicunt fuisse diversitatem tantam, ut unum è capitibus castum & continens, aliud lasciviens & dissolutum esse mallet, unum insuper prius, & alterum post dimidium annum vita privaretur: quæ regula quæ ars, quæ experientia talem in cœlo animadvertere varietatem poterit? Verissimè igitur vidit, qui cœlum dicit esse agens quoddam universale, respectu inferiorum effectuum, quod secundum partium agentium aut passorum diversificationem, alteram & alteram causat operationem; ut sol idem prorsus ceram liquefacit, quia tale passum est, & lutum in duritiem consolidat; quemadmodum etiam anima eadem ex partibus materiæ fluxioribus carnem, ex aliis suo in corpore ossa progenerat. Ignorata igitur materiæ & agentium particularium conditione, ut constellationum & influentiarum effectus nesciantur consequens est. Propterea nec ars per experientiam quamlibet, ex sola cœli consideratione tradi potuit; nisi passa agentiáque particularia quæ isti nihili pendunt, & qua mediante acutiùs investigant præscita sint. Ampliùs autem de initialibus quæ observantur in vestibus induendis, in itineribus arripiendis & similibus, ultra prædicta est specialis difficultas, unde fortunium vel infortunium obindè proveniat, & si hora hac qua vestis primò induitur qualitas aggeneretur in veste, quæ vel in malum inclinet; vel in bonum & quæ perpetuò cum veste perduret vel statim evanescat. Cur præterea in initio potiùs quam secunda tertiave vicibus, & talia multa quæ benè deducta aut nullam aut absurdam apud Philosophos recipiunt rationem, nec exitum inveniunt? Idcircò Aristoteles non incongruè politiam Socratis improbat, qui ædificandarum domuum aut civitatum observari præcipiebat initia. Rursum admisso eo quod cœlum in talibus initiis fortius agit aut influit (quod admittere frivolum est, nec ratione fulcitum;) nihilominùs necessitatem in hominibus nullam, sed tantummodo inclinationem adducit. Inclinatio autem non infinitæ virtutis est aut insuperabilis activitatis; poterit igitur aliundè contra agentibus fortibus impediri: fatebuntur hoc adversarii, si Catholici sunt; oportet fateri etiam eos consequens est, ut ad priora revertamur, quod de talibus ars certa solidave principia dari nequaquam potuerunt: dubitare enim semper habebant, an effectus provenientes eo tunc quando observationibus suis & experientiis insistebant, tunc impedimentum hujusmodi vel aliud susciperent. Vidimus inquiunt, tali existente constellatione, initia rerum novarum malo exitu fuisse terminata. Concedamus. Sed si per hanc experientiam etiam multiplicatam, artem vel principium quod universaliter vel infallibiliter semper fore pronunciet, inferant; negabimus: dicemus enim & rationabilissimè dicemus, hunc vel hos effectus aliundè provenisse, vel quod non dubium est aliundè causari potuisse. Quapropter sua vacillabunt assiduè principia quæ experientiis tam incertis nutantibus & variis subnixa erunt. Ars igitur nulla est, quemadmodum de somniis, quamquam per illa quæ à cœlo nituntur, divinitùs quis posset instrui: attamen naturalis ars per judicia dari non potuit, propter incertitudinem causarum & varietatem quibus assiduè proveniunt. Non ignoro quam facundiùs & copiosiùs argumentatio hæc currere posset, & quam uberiori facundia & meliori radice à Doctoribus Catholicis fuerit executa. Sed hæc pro nunc de naturali impossibilitate constitutionis principiorum hujus artis dicta sufficiant.

Divertamus considerationem nostram ad id quod soli Theologi aut præcipuè illi hac super re possunt cognoscere, de licito videlicet aut illicito usu talium observationum. Et circa hoc fuit aperta & libera egregii Doctoris Augustini sententia locis præallegatis, & IV. Confessionum omnia hæc superstitiosa esse Christianis indigna, & à vera pietate ac Religione prorsus aversa: quod de illis observationibus dictum accipio, ad tollendum calumniam, quæ nec divinæ revelationi, nec apertæ rationi naturali quomodolibet innituntur: neque enim negare possumus semina & plantas certis temporibus anni, certis initiis ut germinent aut fructificent, serenda plantandaque esse, &c. per conjecturas quasdam de ventis & pluviis & ceteris impressionibus aëris multa generaliter prænosci posse; sed aliud est de his in quibus aliqua & aliud de his in quibus nulla ratio naturalis pro fundamento rationabiliter assumitur. Ad fulciendum autem hujus Doctoris & aliorum cum eo sentientium sententiam, congruè visum est propter sermonis abbreviationem; ut reprobationis ita vehementis à Doctore ingeniosissimo ac religiosissimo factæ radicalem niteremur apprehendere rationem. Et inprimis non est absurdum credere quod artes omnes magicas, quocumque vocabulo dictæ sint, quacumque nominis palliatione contectæ, prospexit vetari Lex divina sub mortis interminatione. Undè pro omnibus, quæ multæ sunt, adducatur Deut. 18. *Non inveniatur in te qui lustret filium suum aut filiam, ducens per ignem, aut ariolos sciscitetur, aut observet somnia atque auguria, ne sit maleficus, neque incantator, neque pythones consulens, aut divinos, & quærat à mortuis veritatem.*

Quæramus hujus prohibitionis causam in illis quæ particulariùs in hac se fundans edidit Ecclesia, & videbimus quoniam non decet discipulum summi Magistri, eo contempto, se vertere ad alterum, pro scientia rerum occultarum adipiscenda: istud enim est intolerabilis contumaciæ & contemptus nefandissimi. Rursus velle abdita futurorum perquirere, & avida curiositate Dei aut naturæ secreta, quæ Magister supremus occulta (nisi quibus revelaverit) esse voluit, velle penetrare, arrogantissimum est meritoque plectendum. Isti verò per artium magicarum observationes aguntt al ia. Neque enim à Deo illa

quæ

quæ scire cupiunt expostulant, & ab eis nescienda perniciosâ libidinosâque voluntate requirunt: si enim à Deo quæ scienda concessit exspectarent, nequaquam futura scire quæ *Pater posuit in sua potestate* Act. 1. 7. cuperent; nihil sacrificia talia, talia verba innumera, vel characteres & alias hujusmodi superstitionum suarum insanias exercerent, & spem in Deo non in istis reponerent, *Deus enim scientiarum Dominus est.* 1. Reg. 2. 3. Sed retorqueamus (si possumus immò ut possumus) hanc rationem in illos qui futura, etiam humano aut divino subjecta arbitrio, per initia nativitatum vel aliarum compositionum aut effectuum scire moliuntur. Itaque judicant, si laqueum parabit sibi Socrates *legitur in alio Codice* Sortes natus; si conjugio aut cœlibatu fruetur; si aliquis vel igne peribit, aut gladio jugulabitur; si interrogatio quæ nunc fit à Joanne prosperum vel infelicem habeat exitum; si hac in hora iter aggreditur vel cum altero colloquium; si nova induit arma, novo ense præcingitur, novis calceatur ocreis: utrum optatum bonumque finem, aut secus, taliter inchoans sortietur. Immò quod ampliùs miraberis, usque ad cogitationes etiam hominum remotissimorum, vel operationes sciendas progredi non verentur. Cum igitur talia naturalis investigationis limites transiliant, & non per revelationem ita se dicunt habere, sicut nec dicere possunt; cur & unde petunt talia, nisi ab occulto quodam & corrupto curiosissimæ vanitatis desiderio, per quod interim merentur à Deo deseri & deserti in errores prolabi, à seductore nostro possideri, & prolapsi, possessi eo instigante & fallente, superstitionum hujus nexibus indissolubiliter astringi? Hinc tepidior aut nulla ad divinæ opis postulationem spes. Hinc timores vani, spes improbæ, denique exitus ut plurimum infelicissimi.

Diceret fortassis aliquis, quod artis hujus ad Magicam multa est differentia, tum quia verbis seu carminibus non utitur, neque horrendis miscet sacrificia. Tum secundò, quia non per dæmones ut Magici, sed per causarum naturalium concatenationes de futuris aut occultis conjecturant. Sed primùm non obstat, secundùm expressam determinationem Beati Augustini. IV. Confessionum, ubi finaliter postquam dixisset quod illos Mathematicos consulere non desinebat, quia sacrificia nulla jubebant: addidit, *quos tamen vera pietas Religioque condemnat.* Ceterum non est cujuslibet artis magicæ seu illius quæ ut magica prohibetur talia assumere carmina sive sacrificia: Geomantia enim & Augurium & somniorum observatio vacant à talibus.

At verò quod secundò adjiciunt, nihil eis opitulatur. Tres verò artes (ut abusivè sic loquamur) quas immediatè nominavimus, Geomantia, Augurium, & somniorum observatio, & aliæ quamplures non à dæmonibus (ut asserunt) sed ab astris & constellationum influentiarum causis atque impressionibus, veritatem responsionemque exspectant atque suscipiunt. Dicunt enim: quod juxta cœli dispositionem talia & talia immittuntur somnia, quæ futurorum indicia sunt, non aliter Geomantici dicunt cœlesti virtute sua puncta disponi. Sic Auguratores ponunt garritus avium atque volatus seu gestus alios ab impressionibus Astrorum, nunc hos, nunc illos, aviculas suscipere, & nihil esse sibi putant cum dæmonibus proprium, nullumque pactum cum ipsis habere ac nullum consortium arbitrantur: eos nihilominùs & sacra Scriptura, & Ecclesiastica censura pœnis coercent, & ut impios Religionique perniciosos rejiciunt. Quod si dixerint rursus planetarii (sic enim eos Augustinus appellat) si inquam dixerint, quia falsò talia dicunt quod principia sive artem quibus ea quæ judicant scibilia sint naturaliter nequaquam habere possunt ab Astris; neque per experientias inde sumptas: fatebimur verum esse; sed ita fatebimur ut etiam de eorum principiis taliter esse contendamus, neque enim majores probabilitates, neque rationabilibus fundatas pro suæ Artis aut principiorum validatione reddunt quam isti Auguratores, Geomantici, Haruspices, & somniorum observatores perhibere conantur. Et advertat quilibet ingeniosus diligenter, & causam utramque defendendam assumat, videbit æqua facilitate & æqua radice Geomanciæ & Auguriorum & aliarum quas præmemoravimus superstitionum principia posse defendi, fundari, colorari, sicut illam Astronomiæ partem quæ de interrogationibus, de imitationibus & de principiis nativitatum, præsertim quoad ea quæ liberum concernunt arbitrium defensare valebit. Adjicient fortassis ad extremum isti initiorum defensores multam in responsionibus & judiciis, quæ secundùm suæ Artis principia reddunt, veritatem sæpius reperiri. Istud non eis tantummodò proprium est, sed multò ampliùs Magicis aliisque superstitiosis, immò quantò aliqua hujusmodi artium deterior est & execrabilior tantò crebriorem in dictis suis habere visa est veritatem. Juxta quod dicit præmemoratus Doctor Augustinus II. *de Doctrina Christiana. Tales superstitiones tantò magis cavendas esse, quantò sæpius quod dicunt, evenerit.* Undè ergo à talibus & in talibus veritas? Respondet idem Doctor, loco prædicto, &. V. *de Civitate Dei*, post argumentationem copiosissimam, ita concludens VII. cap. *His omnibus consideratis, non immeritò creditur cum Astrologi mirabiliter multa verè respondent, occultò fieri instinctu spirituum non bonorum, quorum cura est has falsas & noxias opiniones de astralibus Fatis inserere mentibus humanis atque firmare.* Non negare voluit (ut arbitror) Augustinus quin tales sæpius fallerent, sæpius fallerentur; quin mendacia plurima sub generalitatis aut ambiguitatis cujusdam velamento proferrent; quin fortuitò inter tot dicta unum verum emergeret: sed si ut plurimùm vel regulariter quod verum est responderint, cum non à Deo revelante habeant, nec à naturalis investigationis facultate; ut à dæmonum seductione proveniat reliquum est. Ista autem seductio permittitur justo Dei judicio, vel ob præcedentium immanitatem criminum, quia abyssus abyssum invocat, vel ob modicam Fidem Spemque in Deo repositas, & quasi tentat Deus fideles suos, *ut qui probati sunt manifesti fiant*, secundùm Apostolum, 1. Cor. 11. 19. vel ob nimiam & luxuriosam atque libidinosam secretorum sciendorum aviditatem, quæ est avaritia spiritualis pessima & superbissima præsumptio; propter quas multi apostataverunt à Fide, quemadmodum videmus in his qui propter rerum amissarum recuperationem aut reconditarum adinventionem tales Magos consulunt in perniciem animarum, aut artem notoriam pro scientiarum acquisitione nituntur exercere, & multa similia. Addi potest ad prædicta consideratio moralis non parvam habens utilitatem. Et est quod homo ex timore vel ex falsa credulitate imaginationem suam figens ad aliquod initium, quodcumque fuerit, taliter quod speret aut credat sibi per idem significari malum; omnia quæ postmodum contingerent incommoda, pœnas, infortunia ad illud referet tanquam ad signum vel causam quantumcumque fuerint impertinentia & aliundè patenter inflicta hujusmodi incommoda. Exempli causa. Putans vetula quod si cattum in initio exitus sui in camera conspiciat, aut si lepori, vel claudo obviet, dies sine aliquo eventu malo non transibit; accidit quod cadens lapis malè situatus cervicem sibi confringet, aut rixosa cum marito litigans verbera flagellaque recipiet, aut fuso forabit manum; ad memoriam reducet quod obtigit: quasi videlicet si non aspexisset initio talia, in istas infelicitates nequaquam incidisset. Et quod ampliùs mirandum est, in summis etiam viris & aliundè prudentibus tales imaginationes videmus dominantes, usque adeò ut Augustus Cæsar inter maxima computaret incommoda, si sotular sinister sibi à calceante pro dextero ministraretur, referente hoc Suetonio secun-

secundo de viris illustribus cognitum est: constat autem hoc magis irrisione quam argumentatione reprobandum. Vidi ego cum de vulneratione cujusdam nobilis, videlicet Connestabularii sermo fieret, dixisse ex astantibus aliquos quod tunicam suam malis initiis assumpserat, & verberationem ejus ad hoc retulisse: quod quàm vanum sit, nemo non videt. Animadverti magni status viros in principio novæ Lunæ salire, crebrò balbutire nescio qualia, & non mediocria adorationis signa peragere: innumera talia quisquis attendere valuerit, perspiciet & inde judicabit saluberrimum esse tam in Religione quam in vita civili & œconomica, animum suum à talibus superstitiosis & vanis credulitatibus super rerum initiis absolvere, & non præbere assensum talibus nugis anilibus; alioquin nec spes in Deo tanta erit, nec cultus sic integer, nec postremò vita tranquilla & à metu, trepidatione, vanoque gaudio satis aliena ducetur. Cavendum præterea summoperè censemus ne infantes & parvuli adhuc molles & cerei in initium flecti (ut Horatius ait) talibus vanissimis imbuantur erroribus de faustis vel infaustis initiis: quos si semel imbiberint, si semel eorum mens his vinculis compedita fuerit; vix aut nunquam satis errores illos poterit excutere. Propterea non satis graviter puniri possent qui ipsos aut homines idiotas & simplices præsertim rectores populorum in talibus imbuunt, & ut talia credant spe mercedis vel adulationis inducti, suadent & instruunt in grande Religionis ac salutis suæ & alienæ detrimentum: sunt enim tales pronitates & corruptæ inclinationes ad superstitiosa credenda, reliquiæ quædam gentilitatis & idolatriæ, & præcipuè circa rerum initia versantur sæpiùs & crebriùs reperiuntur, ut in annorum vel mensium vel hebdomadarum seu etiam dierum initiationibus, sive in mercaturis, sive in itineribus arripiendis, sive quis ædificare domum aut quippiam horum peragere decreverit: firma veruntamen integra & constans in Deo fides spesque repositæ cum diligenti attentione, animadversione sapienti, super noxia hujusmodi melancholica ac supervacua initiorum observatione mentes bene institutas expediunt, liberant & absolvunt, quod non parvum Dei munus, non parvum insuper pro tranquillitate vitæ adjumentum existimandum est.

EPISTOLA

Cardinalis Cameracensis ad Joannem Gersonium Doctorem & Cancellarium Parisiensem, in qua laudat ejus de Astrologia Judicium.

Nunc primùm edita ex MS. Cod. Regio 5874.

Reverendo Magistro ac Fratri Charissimo Domino Cancellario Parisiensi.

A

IN Christo Jesu salutem FRATER CHARISSIME. Postquam scripseram Apologiam Astrologiæ deffensivam, recepi super hac materia alias Litteras vestras multa plurimum utilia continentes, quibus ferè in omnibus sub hac brevi conclusione coactare possunt, sicut non omni spiritui credendum est, sic nec omni profitenti se Astronomum esse, seu Astronomica judicia proferenti: sed diligenter examinandi sunt tales & eorum judicia: qui si examen & judicium sapientum refugiunt, tanquam vehementer suspecti a Prælatis & Principibus repellendi sunt. Huic autem Conclusioni addo aliam; videlicet quod ad tale examen vel judicium non omnes passim qui populariter sapientes vocantur admittendi sunt, sed qui sciunt & volunt sapienter discernere inter veram Astronomiam & superstitiosam Magicam; quod facere nequeunt qui Theologiam & Philosophiam pariter & Astronomiam veram prorsus ignorant, vel si quid in eis sapiunt, non tamen eas quantum fas est honorant. Sed de iis aliàs latiùs conferre poterimus. Intendo Domino Regenti scribere ut caveat a talibus superstitiosis: ad quod motus sum ego ex iis quæ nuper audivi. Opto ut in hac scriptura vos & ego pariter concurramus: Ideo rogo ut modum scribendi vitare velitis, habita collatione cum Magistro S. Macheti, cui recommendari cupio, rogans ut vos & ipse me recommendetis D. Archiepiscopo Lugdunensi: supplicando ut velit mihi providere de aliquo loco ubi possim habitare, cum Dominus Regens venerit, à quo nuper Litteras recepi consolatus valde quod super morte carorum virorum tam constanter ac fideliter consolationem dederis & acceperis prout ex metris vestris cognovi.

B

C

CARDINALIS CAMERACENSIS.

FINIS.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

OPERUM

TOMI PRIMI

PARS TERTIA:

CONTINENS

TRACTATUS

Pertinentes ad

FIDEI DOGMATA.

COMPENDIUM THEOLOGIÆ

BREVE ET UTILE


Aliquarum Materiarum communium ad Fidem & Doctrinam Catholicam spectantium, quod eidem CANCELLARIO *ascribitur: sed non apparet esse suum.*

MONITUM.

In isto Libello est quædam brevis & summaria, utilis tamen expositio. Primò, de Articulis Fidei; secundò, decem Præceptorum Legis; tertiò, septem Sacramentorum Ecclesiæ; quartò, septem virtutum; quintò, de septem petitionibus contentis in Oratione Dominica; sextò, de septem Donis Spiritus sancti; septimò, de octo Beatitudinibus; Octavò, de vitiis tam naturæ, quam voluntatis.

TRACTATUS PRIMUS DE ARTICULIS FIDEI.

Et primò quid sit Symbolum, & unde dicatur.



SYMBOLUM est omnium credendorum ad salutem spectantium compendiosa collectio. Quoniam ut ait Cassianus Lib. VI. *Quidquid per universum divinorum voluminum corpus immensa diffunditur copia, totum in Symbolo colligitur, brevitate perfecta.* Dicitur autem symbolum *à syn* quod est communio & *bole* quod est sententia, quasi collectio sententiarum. Vel ut alii volunt *à syn* quod est communio, & *bolum* quod est frustum; quasi frustorum, id est capitulorum vel particularum Fidei collectio. Secundum Papiam, symbolum est collectio, aut pactum, seu placitum quod fit homini cum Deo.

Quid sit Articulus Fidei & unde dicatur.

EST autem Articulus secundùm Richardum de Sancto Victore *indivisibilis veritas de Deo, arctans nos ad credendum.* Dicitur in dicta descriptione, *veritas indivisibilis*, quia Articulus non dividitur, sed stat in eo indivisio credibilium; articulus enim de se, in quantum articulus, non est resolubilis in articulos sive in credibilia: perversitate tamen hæreseum invalescente, quædam quæ conjungebantur in Symbolo Apostolorum, postea oportuit dividi. Verbi gratia. Dicebant quidam Christum non verum esse hominem, neque verè natum: alii autem dicebant verè natum; sed non verè conceptum de virgine, sed corpus attulisse de cælo: undè Sancti Patres unum articulum in duos diviserunt, ut unus esset articulus de Conceptione, alius de vera ejus Nativitate; & consimiliter in aliis, ex alia causa divisis. Et ita *ly, indivisibilis*, in quibusdam articulis privat actum divisionis & possibilitatem; in quibusdam privat solum actum, sic scilicet, quia sunt quidam articuli qui secundùm assignationem Apostolicam non dividuntur; possunt tamen dividi; & sunt quidam articuli qui neque dividuntur neque dividi possunt.

B

Et nota quod in dicta descriptione dicitur *de Deo*, cum tamen articulus aliquis propria facie videatur esse de creatura; verbi gratia, *Carnis resurrectionem:* Veruntamen, omnis articulus principaliter de Deo est. Unde respectu articuli immediatè tacti, dicit Damascenus, *Non credimus resurrectionem futuram nisi divina virtute* scilicet cooperante: undè & hoc credit Fides Catholica, scilicet promissam Resurrectionem, divina efficiendam virtute. Et sic, patet quod iste articulus de Deo est, quia de divina virtute nostram resurrectionem operante. Isto modo omnes articulos qui videntur esse de creatura, facilè contingit reducere ad divinam virtutem, & ita ad Deum. Item in dicta descriptione dicitur *arctans nos ad credendum*; & tamen voluntas libera est, nec potest cogi vel arctari: sed quamvis in volendo & consentiendo non possit voluntas cogi, quia quoad hoc libera est; potest tamen allici & trahi in cognoscendo, quoniam si intellectui benè disposito infundat se veritas ipsum intellectum illuminans, necesse est veritatem cognoscere, & per consequens allicere, & tunc trahitur ad consentiendum agnitæ veritati. Unde Augustinus *herba trahit ovem*: Hoc modo, arctat nos articulus ad credendum. Unde quidam arctans, id est trahens.

C

Divisio & expositio Articulorum Fidei. Et primò primi.

DIviditur autem & distinguitur Symbolum præcipuè Apostolorum, in duodecim Articulos, secundùm numerum duodecim Apostolorum, qui contulerunt credenda quia ipsi hoc Symbolum composuerunt: secundùm alios verò dividitur in quatuordecim, ut patebit infra.

Unus Articulus & Primus attribuitur Patri secundùm priorem modum; sex attribuuntur Filio, & quinque Spiritui sancto.

Primus autem qui attribuitur Patri, est iste. *Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ.* Ubi primò nota differentiam inter credere Deum, & credere Deo, & credere in Deum. Quia secundùm Augustinum credere Deo, est verbis ejus sive Scripturæ sacræ fidem adhibere: Credere Deum, est credere Deum esse, scilicet quia est. Credere in Deum, est credendo Deum Fide & affectione, sive Fide operante per dilectionem, tendere in ipsum.

Igitur expone sic. *Credo in Deum*, scilicet singulariter, quia in unum Deum. Undè Deuter. 6. *Audi Israël Dominus Deus tuus Deus unus est.*

Patrem, quod hìc personaliter tenetur, quia subjungit, *Filium ejus.* In Oratione verò Dominica, tenetur *ly, Pater*, essentialiter, ubi agitur de paternitate, vel adoptionis; quâ paternitate, ipsa Trinitas est

Pater est bonorum quam malorum, secundùm illud Deut. 32. *Numquid non ipse est Pater tuus qui possedit te, & fecit, & creavit te?* *Omnipotentem*, appropriatè; quamvis enim Filius sit omnipotens, & Spiritus sanctus omnipotens, tamen quando ponitur appropriatè, attribuitur Patri, sicut sapientia Filio, & bonitas Spiritui sancto.

Creatorem cœli & terræ. Ad litteram, summæ naturæ, quam designat nomine cœli & infimæ, quam designat nomine terræ, & sic exindè collige Creatorem mediorum; positis enim extremis colliguntur media: vel per cœlum & terram intelligatur tam spiritualis quàm corporalis creatura perfectè formata; ut cœlum sit invisibilis & spiritualis creatura, terra autem omne corporeum & visibile. Unde aliud Symbolum exponens, dicit, *Factorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium.* Et nota, quòd creare sive creatorem esse, potiùs sonat potentiam quàm sapientiam, vel bonitatem; quia operatio egreditur à potentia, & maximè virtuosa. Unde Joan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Et in Ps. 103. 24. *Omnia in sapientia fecisti.* Ideo appropriatè attribuitur creare Patri, sicut & potentia; cum tamen Pater omnia creet per Filium, cooperante Spiritu sancto, quia indivisa sunt opera Trinitatis, & totæ tres personæ, unus sunt Creator.

Et advertendum hìc, quod per hoc quod dicit *Deum singulariter*, destruit errores quorumdam Gentilium, qui fingunt plures esse deos, quod manifestissimus est error; quia illo posito, clarè patet quod nullus eorum sit Deus: si enim plures sunt, differunt inter se per aliquid quod habet unus, quod non habet alius; sic nullus eorum erit summum bonum, quia sic nullus eorum habet omnia bona, & sic nullus eorum erit Deus, quia Deus est summum bonum, quod continet omnia bona. *Ad Rom.* 11.

Item per hoc quod dicit *Patrem*, destruit obstinationem Judæorum, qui non attendunt distinctionem personalem Patris, & Filii. Item per hoc quod dicit, *Creatorem cœli & terræ*, destruit errorem Philosophorum, dicentium mundum fuisse ab æterno, & Deo coæternum, sicut dicit Augustinus Aristotelem posuisse & Platonem. Item per illud idem destruit errorem Manichæorum, qui dicunt omnia corporalia creata à deo tenebrarum. Sed ex istis oritur dubitatio; si enim credere in Deum, est tendere in eum Fide operante per dilectionem, ut dicitur supra; cum in peccato mortali existentes, non habeant istam Fidem sic in Deum tendentem, videtur quod non credant in Deum, & ita mentiuntur & peccant quando dicunt Symbolum, quod grave est dicere. Ad quod dicitur secundùm quosdam, quod ipse peccator dicit, *Credo, &c.* non in persona sua, sed in persona Ecclesiæ. Sicut & illud: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, &c.* quod nisi in persona Ecclesiæ, quæ in aliquibus membris per singulas noctes lachrymatur diceretur, esset mendacium in ore malorum, imò etiam & multorum justorum. Et similiter cum mulier dicit Psalmum 121. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, &c.* incongrua esset locutio, nisi in persona justi generaliter loqueretur, sive Ecclesiæ. Similiter hic in persona Ecclesiæ dicitur, *Credo in Deum*, &c. & sic non peccat, nec mentitur. Alii dicunt, quod existens in peccato mortali, non dicit quod credat in Deum cum dicit, *Credo, &c.* sed profitetur Articulos Fidei. Et est sensus, Credo in Deum, id est profiteor credendo esse Deum. Et ita largè sumitur hìc *credere*. Augustinus verò suprà sumit magis strictè.

Expositio secundi Articuli Fidei.

SECUNDUS Articulus principalis, & primus eorum quæ attribuuntur Filio, est iste. *Et in Jesum Christum Filium ejus, &c.* Et supple, *Credo in Jesum Christum*, &c. Quæ duo nomina frequenter in novo Testamento conjunguntur; quia unum eorum, scilicet Jesus, exprimit ejus Deitatem; interpretatur enim Salvator, & in quantum Deus, specialiter Salvator est. Et reliquum nomen, scilicet Christus exprimit humanitatem, quia interpretatur unctus, & in quantum homo, unctus est præ consortibus suis. *Filium ejus unicum*, id est naturalem, non adoptivum. Unde aliud Symbolum determinando, dicit. *Et ex Patre natum, &c.* Vel *unicum* dicit, quia non est unus
A
Filius in quantùm Deus, & alius Filius in quantùm homo, sed idem Christus in duabus naturis, scilicet Deitate & humanitate, & tribus substantiis, scilicet Deitate, anima, & carne unicus est Filius. Unde Augustinus in *Eccles. dogmat.* „Non duos filios fatemur „(sicut seperando naturas Nestorius tradit) sed Deum „& hominem unum Filium credimus, manentem in „duabus substantiis, non tamen confusis naturis: quam„vis enim duas habeat nativitates, unam qua nascitur „de Matre & unam qua nascitur ex Deo Patre, ta„men est unicus Filius, non duo Filii. Quando ego „in conceptione per viam generationis processi à Patre, „& sic quadam nativitate natus sum in utero, secun„dò natus sum de Matre ex utero, nec tamen prop„ter istas duas nativitates dicendus sum duo Filii, sed „unicus.

Sequitur, *Dominum nostrum*, unde ipse dicit Matth. ultim. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, &c.* Per hoc etiam quod dicit, *Jesum Christum*, quod interpretatur Salvator & unctus; deridetur hebetu-
B
do Judæorum, qui suum Messiam, id est Salvatorem adhuc futurum exspectant. Per hoc etiam quod dicit, *Filium unicum*, destruit hæresim Sabellianorum, dicentium eamdem personam esse Patrem & Filium, quod apertissimum apparet mendacium; quia secundùm decursum naturalem, oportet quod inter Patrem & Filium personalis sit distinctio, licet conformitas sit naturæ & similitudo: quales enim sumus nos, tales qui à nobis generantur. Unde de ipsa divina Filiatione dicitur ad Roman. 8. *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, &c.* Et post pauca. *Si autem Filii, & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Et ad Ephes. 1. *Prædestinavit in adoptionem filiorum per Jesum Christum:* nullus enim seipsum gignit. Unde cum idem sit Pater quod Filius in substantia, oportet quod alteritas sit personarum.

Per hoc etiam quod dicitur, *Dominum nostrum*, destruitur hæresis Arrianorum, qui ponunt inæqualitatem personarum. Unde Joan. 10. *Ego & Pater unum sumus.* Et ad Hebr. 1. *Qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ ejus.* Et secundùm Athanasium
C
Æqualis Patri secundum divinitatem. &c. Sicut enim Pater Dominus est omnium & omnipotens, ita est & Filius. Quod expressius determinatur in alio Symbolo, ubi dicitur, *Omnipotens Pater, omnipotens Filius*, quod tamen intelligatur secundùm divinitatem: quamvis enim humanitati Christi collata sit omnis scientia, non tamen omnipotentia.

Expositio tertii Articuli Fidei.

TERTIUS Articulus principalis & secundus eorum qui pertinent ad Filium, qui determinat utramque ejus nativitatem, scilicet in utero & ex utero, est iste, *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.* Dic ergo, qui scilicet Christus conceptus est de Spiritu sancto, id est operatione Spiritus sancti: uno etenim eodemque momento segregata fuit illa caro assumpta à reliqua carne Virgi-
D
nis, operatione Spiritus sancti, & animata anima rationali, & Deitas eis unita. Unde non est putandum, quod sit conceptus de Spiritu sancto sicut proles de semine paterno concipitur, quia sic transisset Spiritus sanctus omninò mutatúsque fuisset in carnem, sicut paternum semen transit in carnem prolis, amittens propriam speciem, quod est etiam solo cogitatu abhorrendissimum. Unde *ly*, *de*, non denotat

notat circumstantiam causæ materialis, sed potiùs causæ efficientis: quamvis enim Incarnatio Filii Dei sit opus totius Trinitatis; quia quod operatur una persona, operantur omnes (eò quod indivisa sunt opera Trinitatis) ipsa tamen gratia mediante, qua natura humana unitur divinæ, est donum appropriatum Spiritui sancto, quia hæc gratia appropriatè procedit à charitate, seu à benignitate Dei, quæ Spiritui sancto appropriatur: non enim Deus, in quantum potens, vel in quantum sapiens, sed in quantum bonus & benignus, nostram redemptionem operatus est, per Incarnationem Fili Dei. Dicitur igitur, *Qui conceptus est de Spiritu sancto*, non naturaliter, sed operatione Spiritus sancti, & quasi secundum appropriationem causæ efficientis. In quo verbo, tangitur nativitas ejus in utero, scilicet qua natus est de Patre veniens, nec tamen recedens. De qua Matt. 1. *qnod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Glossa. *natum*, id est, *conceptum est.*

Dicitur postea. *Natus ex Maria Virgine*, scilicet Nativitate ex utero, de qua Luc. 2. *Et peperit Filium suum primogenitum, &c.* Per hoc autem quod ait, *Qui conceptus est de Spiritu sancto*, id est operatione Spiritus sancti, & non operatione virili; destruitur hæresis Hebionitarum, qui asserunt Christum ex Maria & Joseph nuptiali coïtu esse conceptum. Per hoc etiam quod subdit *natus ex Maria Virgine*, ut scilicet de vera Matre, de qua materiam corporis assumpsit; destruitur error Valentinianorum, dicentium de Virgine Christum nihil corporis assumpsisse, sed per eam quasi per fistulam transisse.

Expositio quarti Articuli Fidei.

QUARTUS Articulus principalis, & tertius eorum qui pertinent ad Filium, equidem describit Passionis ejus Sacramentum secundum omnia quæ circumstant mortem ejus, ut est flagellatio crucifixio, sepultura; & hujusmodi, & est iste *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus*: qui scilicet Christus, passus est sub Pilato, id est sub potestate Pilati, Pilato dicto Pontio, scilicet genere, quasi dicat non Romano, quod fortè dicit ad differentiam alicujus alterius Pilati. *Crucifixus*, in quo distinguit passionem suam à passione aliorum, qui suspenduntur in patibulo; quia secundùm Isidorum patibulum propriè dicitur ubi homo suffocatur, & statim moritur: crux verò, ubi diù tortus, tandem languenti morte moritur, ubi mors gravior & productior est; tamen multotiens unum pro alio ponitur. Sequitur, *mortuus*, vera morte, per dissolutionem scilicet animæ à corpore; Divinitas tamen semper conjuncta mansit utrobique. Unde Augustinus super Joannem *Verbum divinum, ex quo hominem, id est carnem & animam suscepit, nunquam deposuit.* Mors ergo, ad tempus carnem & animam separavit, neutrum tamen a verbo. *Et sepultus*, non tamen ut alii corruptus, & incineratus. Unde in Psal. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Per hoc autem quod dicit, *passus, crucifixus, mortuus*, ostendit veram carnem, utpote sensibilem & passibilem habuisse: in quo eliditur error Apollinistarum, qui dicunt eum sensu & carne sensibili caruisse; cum tamen verissimam carnem habuerit, & optimè complexionatam, & ideo maximè passibilem: nec absorpta fuit illa passio per unionem Deitatis, quia in illa unione (ut dicit Damascenus) servata fuit utriusque naturæ proprietas: nam quod passibile, mansit passibile sicut humanitas; & quod impassibile, mansit impassibile sicut Divinitas: quinimò, incomparabiliter pœnam graviorem sustinuit, quàm posset purus homo sustinere, eò quod præbebat ei illa unio robur & vires ad sustinendam tam amaram passionem, in qua purus homo (qui ejusdem teneritudinis esset, ut dicunt) in initio passionis defecisset. Destruitur in hoc etiam error illorum, qui dicunt carnem illam in naturam Deitatis transisse, & ideo impassibilem fuisse: quos confutat Hieronymus in Epistola ad Damasum Papam.

Expositio quinti Articuli Fidei.

QUINTUS Articulus principalis in numero, & quartus eorum qui spectant ad Filium, pertinet ad Redemptionis Sacramentum eorum qui erant in limbo inferni conclusi; secundùm quod prophetaverat Zacharias 9. cap. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.* Et est iste, *descendit ad inferna, tertia die resurrexit à mortuis.*

Descendit, tantum scilicet in anima Deitati unita, quia corpus in sepulchro quievit, & Deitas ubique erat. Unde sine ea descendere non potuit ad inferna, id est ad limbum, partem scilicet inferni superiorem, quo detinebantnr salvandi quo usque debitum primi parentis per mortem Christi solveretur. Quod autem dicit Ps. 85. 13. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*, non est contrarium. Dicitur enim ibi limbus, infernus inferior respectu aëris caliginosi, in quo ut in suo inferno affliguntur modo maligni spiritus. Unde respectu illius aëris quoad situm, limbus hoc est superior pars inferni, dicitur infernus inferior. *Tertia die resurrexit à mortuis*, ut per synecdochen pars ponatur pro toto, ut videlicet pars illius diei Parasceves quo mortuus est, pro una die computetur, & nox sequens Dominicæ cujus manè surrexit, pro die tertio.

Per hæc autem verba destruitur error eorum qui negant resurrectionem nostram: negare enim nostram resurrectionem est quodammodo negare resurrectionem Christi; sic enim arguit Apostolus. 1. ad Corinth. 15. *Si Christus resurrexit, & nos resurgemus.* Cum autem ad destructionem consequentis sequatur destructio antecedentis, *si nos non resurgemus neque Christus resurrexit.* Et nota quòd secundùm istam distinctionem articulorum, hæc duo conjunguntur, scilicet descensus ad inferos, & resurrectio à mortuis; quia iste articulus dicit totum quòd Christus nobis per suam mortem meruit; hoc autem est redemptio in anima, quæ completa est per fracturam inferni in descensu ad inferos & redemptio in corpore, quæ completa est in resurrectione per gloriam corporis.

Expositio sexti Articuli Fidei.

SEXTUS Articulus principalis in numero, & quintus eorum qui spectant ad Filium, pertinet ad apertionem loci beatitudinis, ubi pro nobis præcursor factus Christus ascendit, pandens iter ante nos. Et est iste. *Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis*, Ascendit igitur ad cœlos secundùm humanitatem vel in quantum homo qui ubique est secundùm Deitatem. Ascendit, inquam, non statim post Resurrectionem, sed post quadraginta dies, quibus apparuit per multas vices Discipulis suis, ut fidem eorum roboraret apparitionibus, & probaret gloriosam Resurrectionem sui corporis quod oculis suis paulò ante Discipuli viderant extinctum.

Sequitur *sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis*, hoc est in æterna beatitudine, ad quam dexteram positurus est electos suos ut dicitur Matthæi 25. *Et statuet oves quidem a dextris, &c.* vel *ad dexteram Dei Patris*, id est in judiciaria potestate, quia ut dicitur Joan. 5. *Pater omne judicium dedit Filio.* Et utrumque notat cum dicit, *sedet*, quia sedere est quiescentium & judicantium, quasi dicat: pacificè gloriatur, & omnia quietè & pacificè cum Patre judicat & disponit. Et iste articulus destruit illam hæresim, quæ negat æqualitatem Patris & Filii. Et similiter illam, quæ dubitat de Ascensione ejus in cœlum, & per con-

consequens negat nostram quæ causatur ex sua, sicut erectio membrorum sequitur ad erectionem capitis. Unde Augustinus. *Vis ascendere ad cœlum, ascendentem tene, etenim per teipsum levari non peteris.* Si ergo vis ascendere, membrum illius esto qui solus ascendit. Joannis 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo.*

Expositio septimi Articuli Fidei.

SEPTIMUS Articulus principalis in numero, sextus vero & ultimus eorum qui secundùm istam assignationem pertinent ad Filium, est de reditu ad judicium; quoniam ut dicitur Joan. 5. *Pater omne judicium dedit Filio*, ut scilicet ille qui vivus judicatus est & exindè mortuus, judicet vivos & mortuos. Et est ille. *Inde venturus est judicare vivos & mortuos.* Inde scilicet id est postmodum. Vel inde, id est de cœlis quo ascendit, *venturus est*, scilicet in die judicii, *judicare vivos & mortuos.* Ad literam quia tunc & vivi & mortui reperientur judicandi, ut innuit Apostolus. 1. ad Thessalon. 4. *Et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra*, &c. Illi tamen vivi qui reperientur, morientur; sed statim in momento resurgent, judicium cum resuscitatis recepturi; ubi non putetur per tractum & moram temporis singulorum examinationem fieri; sed uno eodemque momento & merita singulorum discutiet & discussa judicabit. Unde Augustinus. *Non est in illo judicio singulorum hominum vicissim operanda discussio, sed momentaneo discussu simul omnia sicut & fecit, sic & judicabit.* Vel aliter. *Venturus est judicare vivos*, scilicet vita gratiæ, *& mortuos*, scilicet morte culpæ.

Ubi nota, quod aliud Symbolum addit ista verba, *cum gloria*, quia licet Christus in forma servi in qua judicatus est, sit ipse judicaturus; tamen in forma gloriosa apparebit & in carne glorificata. Vel *cum gloria*, id est cum societate gloriosa electorum simul judicantium; quia ut dicitur Isai. 3. *Dominus adjudicium veniet cum senioribus populi sui & Principibus ejus.* Ex quo patet quod quidam ibi judicabunt, & non judicabuntur, ut perfecti, qui omnia propter Christum reliquerunt, & secuti sunt eum, qui Christi in judicando assessores erunt. Alii non judicabunt, sed judicabuntur, scilicet fideles, qui secundùm opera sua recipient juxta discussionem de qua habetur Matth. 25. *Esurivi & dedistis mihi manducare*, &c. cum aliis ibidem tam respectu electorum, quàm respectu reproborum expositis: judicabuntur enim quidam eorum ad gloriam, & quidam eorum ad pœnam. Alii nec judicabunt, nec judicabuntur scilicet infideles, quia jam judicati sunt. Unde Joan. 3. *Qui non credit, jam judicatus est.*

Expositio octavi Articuli Fidei.

QUINQUE autem Artiouli sequentes pertinent ad Spiritum sanctum, tam in se quam in donis suis. In se dico, quia in octavo articulo in ordine omnium duodecim articulorum, primo verò in ordine istorum quinque, exprimitur personalitas sua. Et est iste: *Credo in Spiritum sanctum.* Et circumlocutivè loquitur: quando enim hæc vox Spiritus sanctus, capitur dictionaliter, tunc solam tertiam personam in Trinitate designat; quando autem vi orationis tenetur, essentialiter sumitnr & convenit toti Trinitati, scilicet Deo. Et nota quod in alio Symbolo ad majorem expressionem istius articuli adduntur plura scilicet *in Spiritum sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Parte Filioque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas.* Et hoc propter quasdam hæreses quæ postea pullulaverunt. Impiissimi enim Nestorius & Eutichius dixerunt Spiritum sanctum esse servum Patris & Filii & eis obedire, sicut virtus quædam aliena ab essentia eorum, nec dare vitam gratiæ, nec inspirationem & ideo additum est, *Dominum & vivificantem.* Et ad æqualitatem significandam oppositum est, *qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur.* Montanus autem quidam hæreticus & Porphyrius quidam alius post eum, discipulis suis dixerunt Prophetas

A non divino Spiritu, sed tanquam profanaticos locutos fuisse, sicut loquuntur energumeni & arreptitii. Et ut eorum error excluderetur, addiderunt *qui locutus est per Prophetas*, quia Spiritu sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines.

Expositio noni Articuli Fidei.

NONUS Articulus in ordine principali, & secundus eorum qui spectant ad Spiritum sanctum, secundùm scilicet quod signat & unit generaliter Ecclesiam, est iste. *Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Et nota quod illud quod sequitur scilicet *Sanctorum Communionem*, adjungunt aliqui isti articulo: alii verò adjungunt articulo sequenti. Secundùm primum modum exponitur sic. *Credo*, supple *Sanctam Ecclesiam Catholicam*, sive militantem, sive triumphantem, esse *Communionem*, id est congregationem vel societatem *Sanctorum*: vel

B sic. *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam* adhuc in terris militantem, & *credo Sanctorum Communionem*, id est Sanctorum societatem in cœlo scilicet esse, hoc est Ecclesiam triumphantem; quasi diceret, utramque Ecclesiam credo. Vel *credo sanctam Ecclesiam Catholicam*, hoc est sive triumphantem, & *credo Sanctorum Communionem*, id est suffragia ipsius Ecclesiæ cui communicamus. Vel *Communionem*, id est Eucharistiam esse scilicet in Altari, quod negant Albigenses. Secundùm verò eos qui tantummodo ponunt istud pro articulo, *sanctam Ecclesiam Catholicam* exponitur sic, id est Ecclesiam universalem: catholicum enim Græcè, Latinè signat universale. Et dicitur Ecclesia universalis secundùm Boëtium duabus de causis. Prima scilicet, quia est universaliter prædicata per quatuor partes terræ. Unde dicitur in Ps. 18. 5. *In omnem terram exivit sonus eorum.* Secunda causa, quia articulos habet universaliter veros, quibus scilicet nullum falsum potest subesse.

C

Expositio decimi Articuli Fidei.

DECIMUS Articulus in ordine principali, & tertius eorum qui spectant ad Spiritum sanctum secundum scilicet effectum gratiæ contra peccatum, est iste. *Remissionem peccatorum*, scilicet *Credo.* Et intelligatur generaliter de remissione peccatorum, sive quæ fit in Baptismo sive quæ fit extra Baptismnm, sicut in Pœnitentia. Tamen aliud Symbolum non videtur loqui nisi de remissione peccatorum quæ fit in Baptismo: dicit enim *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Sed hoc quod specialiter ibi dicit de Baptismo, fuit contra hæreticos certos impugnantes Sacramentum Baptismi. Est ergo sensus. Credo remissionem peccatorum fieri, supple per Deum sive in Baptismo triplici, scilicet fluminis, flaminis & sanguinis, sive post Baptismum in Pœnitentia. Secundùm alios

D autem qui (ut supra tactum est) istud adjungunt cum articulo præcedenti, ut scilicet sit unus articulus, *Ecclesiam sanctam Catholicam Sanctorum Communionem, Remissionem peccatorum*, (sicut inferiùs latiùs dicetur) sic expone. *Credo Ecclesiam Catholicam*, id est universalem Ecclesiam habentem modò, vel habituram in futuro, *Communionem Sanctorum*, id est omnem unionem vel societatem Sanctorum; quando scilicet Regnum militans veniet ad regnum triumphans. Et credo super hanc consecutam vel consecuturam; *Remissionem peccatorum*, scilicet per ecclesiastica Sacramenta & bona opera, quasi dicat: credo peccata dimitti his qui sunt de Ecclesia fidelium, & non aliis: quamvis enim Deus

Deus per se dimittat peccata, non tamen dimittit nisi per præsentiam Sacramentorum, nisi necessitas excluderet beneficium Sacramenti. Prior tamen modus exponendi convenientior apparet.

Expositio undecimi Articuli Fidei.

UNDECIMUS Articulus in ordine principali, & quartus eorum qui spectant ad Spiritum sanctum, est de Spiritu insufflante super interfectos veneno primi parentis, de quo prædixit Ezechiel. Ezech. 37. *A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos & reviviscant.* Et est iste: *Carnis Resurrectionem*, & est sensus. Credo Spiritum sanctum per reductionem spiritus creati ad corpus facientem sua virtute *Carnis Resurrectionem*. Quod etiam innuit Psalm. cum dicit: *Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Ps. 103. 30.

In qua resurrectione credendum est idem corpus quod per mortem cecidit, ad eumdem spiritum, id est ad eamdem animam rediturum; sive cujuslibet membri materia ad idem membrum in quo erat, redeat, ut exponunt aliqui; sive eadem materia tota corporis redeat ad totum corpus: non tamen necessariò materia cujuslibet membri ad idem membrum, secundùm exemplum quod ponit Augustinus. „ Quando de statua ænea fusa fit massa, & iterum de eadem massa fit statua, ubi est omnimoda identitas materialis & numeralis inter statuam priorem & posteriorem; quia materia est eadem numero & forma naturalis, scilicet æneitas, & tamen fortè quod priùs fuit materia pedis in statua priori infusa, erit materia brachii in statua posteriori. „ Et similiter in proposito. Argumentum autem infallibile quod Resurrectio erit quotidie habemus. Unde dicit Petrus Ravennas. „ Crede te homo in morte posse resurgere, qui antequam viveres nihil fuisti, aut quare dubitas quod resurgas, cum totum quod in rebus est continuè sic resurgat? Sol enim occidit & resurgit, dies sepelitur & redit, menses, anni, fructus, tempus, semina cum transeunt ipsa moriuntur; cum redeunt, ipsa sua morta virescunt. Et tu etiam quotiens dormis & dormiendo evigilas, tecum quasi moreris & resurgis.

Expositio duodecimi Articuli Fidei.

DUODECIMUS & ultimus Articulus in ordine principali, & quintus eorum qui spectant ad Spiritum sanctum, est de Spiritu sancto æternaliter electos præmiante, & est iste. *Vitam æternam*, & est sensus. *Credo vitam æternam*, à Spiritu sancto in præmium electis collatam. In hoc etiam articulo mors æterna docetur debere credi reprobis futura, quasi dicat. *Credo vitam æternam* præmium bonorum, & mortem æternam supplicium malorum. Hæc autem vita æterna consistit in stola animæ & corporis. Stola autem animæ in tribus consistit, scilicet in manifesta cognitione summæ Trinitatis, quæ succedit Fidei Joan. 17. *Hæc est vita æterna: ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Item in perfecta ejus fruitione quæ succedit Spei: item in perfecta ejus dilectione quia non evacuabitur, sed perficietur charitas ipsius Dei: stola autem corporis in quatuor etiam consistit, scilicet in agilitate, subtilitate, claritate, in impassibilitate. De quibus dicitur Sap. 2. *Fulgebunt justi & tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* Si igitur fulgebunt; ergo habebunt claritatem. Si justi, ergo habebunt immortalitatem seu impassibilitatem, quia Sap. 1. *Justitia perpetua est & immortalis.* Si sint scintillæ, ergo habebunt subtilitatem. Si discurrent, ergo habebunt agilitatem. Per hunc articulum destruitur hæresis ponentium Deum non curare facta hominum, & hæresis ponentium animam interire cum corpore. *Amen.* Iste teminus, *Amen*, quandoque tenetur adverbialiter, & sic interpretatur *fideliter* secundum Aquilam, & sonat tantùm sicut ita fiat, & ponitur Deut. 27. *Et dicet omnis populus, Amen.* Aliquando nominaliter, aliquando verbaliter, ut dari potest exemplum Apocalypsis 3. 14. *Hæc dicit: Amen*, id est veritas. Vel *Amen* id est veritatem annuncians. Et potest hìc sumi primo vel secundo modo.

An sint alia credenda ultra Articulos.

SI autem quæratur, an teneamur aliqua credere quæ non sunt Articuli; sicut verbi gratia, fornicationem esse peccatum mortale & consimilia. Dici debet quod sic: oportet enim multa credere quæ non sunt articuli, maximè ea quæ articulos præcedunt. Credere enim Deo, non est articulus, sed articulos præcedit, & tamen oportet Deo credere, quia antecedit articulos. Unde cum credere Deo, sit credere verbis ejus, sive sacræ Scripturæ, quæ dicit fornicationem esse peccatum mortale, quod patet quamvis non sit articulus, oportet credere. Et sicut qui negaret principia alicujus artis, diceretur hæreticus in illa arte; sic qui negaret fornicationem esse peccatum mortale, vel aliquid quod asserit sacra Scriptura quod quidem articulos Fidei antecedit, hæreticus in Fide deberet reputari.

Unde sumitur numerus & distinctio Articulorum Fidei.

NUmerum autem Articulorum & distinctionem secundùm prætactum modum exponendi sic accipe: cum enim credere habeamus quod Deus in sua essentia unus & simplex, trinus sit in personis; quibus quidem personis juxta suas proprietates personales, certè erga nos & nostram salutem attribuuntur operationes particulares, quas etiam credere habemus; inde insurgit numerus & distinctio duodecim articulorum Fidei, juxta duodecim quæ sic nobis de ipsis Personis divinis credenda incumbunt. Et quia juxta ipsum modum exponendi, unus attribuitur Personæ Patris, sex verò Personæ Filii, & quinque Personæ Spiritus sancti; ideo duodecim Articuli Fidei assignantur, unus respectu Patris, sex respectu Filii, & quinque respectu Spiritus sancti.

De vnico articulo qui attribuitur Personæ Patris. Primus enim articulus qui (ut tactum est) attribuitur Patri exprimit ejus personalitatem & omnipotentiam, cum dicit: *Credo in Deum Patrem Omnipotentem Creatorem cœli & terræ*, & hunc articulum posuit Petrus. De primo sex articulorum attributorum Personæ Filii. Primus verò sex articulorum qui attribuuntur Filio, exprimit ejus personalitem, cum dicit: *& in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum.* Et hunc posuit Andræas. De secundo & tertio. Secundus exprimit utramque ejus Nativitatem, cum dicit. *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine* & hunc posuit Joannes Evangelista. Tertius exprimit Passionis suæ sacramentum, cum dicit. *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus* & hunc posuit Jacobus major. De quarto. Quartus exprimit ejus descensum ad inferos, & consequenter Resurrectionem, cum dicit. *Descendit ad inferna, tertia die resurrexit a mortuis*, & hunc posuit Thomas. De quinto. Quintus exprimit ascensum suum ad superos, & januæ cœlestis apertionem, cum dicit. *Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis*, & hunc posuit Jacobus minor. De sexto. Sextus exprimit ejus judiciariam potestatem cum dicit: *Inde venturus est judicare vivos & mortuos.* & hunc posuit Philippus. De quinque articulis attributis Personæ Spiritus sancti. Primus verò quinque articulorum qui attribuuntur Spiritui sancto, exprimit ejus perso-

ſonalitatem, cum dicit: *Credo in Spiritum ſanctum*, & hunc poſuit Bartholomæus. Secundus exprimit ejus ſanctificationem & unionem, qua in eo unitur Eccleſia, cum dicit: *Sanctam Eccleſiam Catholicam Sanctorum Communionem*, & hunc poſuit Matthæus. Tertius exprimit ejus remiſſionem ſive juſtificationem per generalem remiſſionem, cum dicit: *Remiſſionem Peccatorum*, & hunc poſuit Simon Chananæus. Quartus exprimit ejus vivificationem per generalem Reſurrectionem, cum dicit: *Carnis Reſurrectionem*, & hunc poſuit Judas Thadæus. Quintus & ultimus exprimit æternam ejus præmiationem, cum dicit: *Vitam æternam*, & hunc poſuit Matthias. Ut clariùs hæc patent in figura ſequenti. A

DE QUADAM ALIA *Diſtinctione Articulorum Fidei.*

EST alia diſtinctio quorumdam modernorum, qui Symbolum in quatuordecim dividunt Articulos: dividunt enim primum & tertium & quintum articulos ſuprapoſitos, quemlibet in duos; nonum verò & decimum redigunt in unum, prout videtur diſtingui Symbolum Nicenum, quod cantatur in Miſſa. Et ſecundùm hanc diſtinctionem ponuntur ſeptem articuli pertinentes ad Divinitatem, at alii ſeptem pertinentes ad Humanitatem, ſic ſcilicet: nam Symbolum aut eſt de Deiate, aut de Humanitate.

De ſeptem Articulis pertinentibus ad Deitatem.

B ET Primò de primo. Si autem eſt de Deitate, tunc primus Articulus eſt, unum Deum tantùm eſſe. Et eſt iſte. *Credo in Deum.* Secundus articulus eſt, Patrem eſſe unum Deum Creatoremque omnium, & eſt iſte. *Patrem omnipotentem Creatorem cœli & terræ.* Et ut ſupra tactum eſt, iſti duo articuli ſecundum aſſignationem præcedentem non ſunt niſi unus articulus. Tertius articulus eſt, Filium ejus unicum eſſe unum Deum ſibi æqualem. Et eſt iſte. *Et in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum.* Quartus articulus eſt, Spiritum ſanctum eſſe unum Deum ab utroque procedentem, & eſt iſte. *Credo in Spiritum ſanctum.* Quintus articulus eſt, Deum peccata dimittere his qui ſunt in Eccleſia, & habent communionem Eccleſiæ, & non aliis, & eſt iſte: *Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem Remiſſionem peccatorum.* Et ſic ut ſupra tactum eſt conjunguntur iſti duo articuli in unum, ſcilicet nonus & decimus. Sextus articulus eſt, Deum ſuſcitaturum mortuos, & eſt iſte: *Carnis Reſurrectionem.* Septimus articulus eſt, Deum eſſe remuneratorem bonorum, & eſt iſte. *Vitam æternam.* Sub quo etiam comprehenditur Deum eſſe punitorem malorum. C

De ſeptem Articulis pertinentibus ad Humanitatem.

SI autem Symbolum ſit de Humanitate, tunc Articulus primus eſt, quòd Chriſtus conceptus eſt de Spiritu ſancto, & eſt iſte: *Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto.* Sucundus articulus eſt Filium Dei natum eſſe de Virgine Maria, & eſt iſte. *Natus ex Maria Virgine.* Et ut ſupra tactum eſt, iſti duo articuli ſecundùm aſſignationem præcedentem, non ſunt niſi unus articulus. Tertius articulus eſt, Filium Dei eſſe paſſum, crucifixum, mortuum & ſepultum, & eſt iſte? *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus.* Quartus articulus eſt, Filium Dei deſcendiſſe ad inferos, & eſt iſte: *Deſcendit ad inferna.* Quintus articulus eſt, Filium Dei reſurrexiſſe à mortuis, & eſt iſte: *Tertia die reſurrexit à mortuis.* Sextus articulus eſt, Filium Dei aſcendiſſe ad cœlos, ſedereque ad dexteram Patris, & eſt iſte: *Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* Septimus articulus eſt, Filium Dei judicaturum bonos & malos, & eſt iſte: *Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.* D

Tractatûs primi qui eſt de expoſitione Articulorum Fidei,

FINIS.

TRACTATUS II.

DE X. PRÆCEPTIS

Legis, & eorum Expoſitione.

CIRCA Tractatum de Præceptis Legis ſummatim tangenda ſunt. Quid eſt Præceptum. Qualiter Præcepta diſtinguantur. Expoſitio Præceptorum. De numero & ſufficienta Præceptorum. Qualiter in ipſis Præceptis ſeptem capitalia, proinde alia peccata prohibeantur.

De Definitione Præcepti & ejus Expoſitione.

DEFINITUR autem Præceptum ab aliquibus ſic: *Præceptum eſt imperium obligans ad obſervationem rei vel actus imperati.* Extrahitur radicaliter hæc definitio à definitione Præcepti, quam dat Auguſtinus lib. *de virginit.* dicens: *Præceptum eſt cui non obedire peccatum eſt.* Dicitur in dicta definitione, *obligans ad obſervationem*, ad differentiam Conſilii quod per ſe numquam obligat, ut dicit Auguſtinus; quamvis per accidens id quod conſulitur videatur obligare, utpote ſi in caſu Præceptum non poſſit impleri niſi fiat Conſilium; ut ſi non poſſim ſuſtentare parentes, ſcilicet Patrem & Matrem, niſi vendam omnia, tunc tenerer omnia vendere: quod quidem de ſe Conſilium nec obligat, niſi in caſu per accidens, ut exemplificatum eſt. Et ſi objiciatur quod ſimiliter obligat votum ad obſervationem, & ſic convenit ei Præcepti definitio. Reſponde. Aliquid vovere eſt tantùm Conſilii, nec quemquam obligat; nullus enim contra ſuam voluntatem obligatur ad vovendum: ſed qui voverit, obligatur neceſſariò ad reddendum; Et hoc ideo eſt, quia reddere votum eſt Præcepti, ſed vovere eſt Conſilii.

De varia diſtinctione variaque aſſignatione Præceptorum in Tabulis Legis.

DIſtinctio autem ponitur varia Præceptorum: Joſephus enim dicit quinque Mandata eſſe ſcripta in una Tabula, & quinque in alia: Origenes autem ponit quatuor in una & ſex in alia: Auguſtinus autem ponit tria in una & ſeptem in alia, utpote tria quæ pertinent ad Deum in prima Tabula, & ſeptem quæ pertinent ad proximum in ſecunda. Et hunc modum Auguſtini ſequitur communis opinio: quod enim Auguſtinus ponit tria eſſe in una Tabula & ſeptem in alia, hoc magis dicere videtur pro dignitate, quam pro ſcriptura, eò quod tria pertinent ad dilectionem Dei, & ſeptem ad dilectionem proximi. Unde ſi conſiderentur ipſæ Tabulæ & earum ſcriptura in ſe, ſicut conſiderant Hebræi & Joſephus, ſic utraque Tabula continebat quinque mandata ſeu Præcepta: ſi autem conſiderentur ſecundùm reſpectum & relationem eorum ad quæ dicta Mandata ordinabant, cum tria ordinentur ad Deum, & ſeptem ad proximum, poterit tali fine & conſideratione, dici tria eſſe in una, & ſeptem in alia.

Expoſitio Præceptorum Legis. Et Primò primi.

NUNC autem accedendum eſt ad expoſitionem ſingulorum Præceptorum. Et cum *Lex* Præceptorum *poſita ſit propter tranſgreſſiones* cohibendas (ut patet ad Gal. 3.) & tripliciter tranſgreſſio fiat ſcilicet corde, ore & opere, & hoc quidem tam quoad Deum, quàm etiam quoad proximum: ut perfecta ſit cohibitio tranſgreſſionis, perfecta ponitur Lex prohibitionis, & ſic Mandatorum ſeu Præceptorum ſubſequitur injunctio. Et primò quantum ad Deum, prohibet

hibet primum præceptum cor ab idolatria ut Deus scilicet diligatur toto corde: est enim de colendo Deo, & colere Deum, ut dicit glossa, *est sese toto mentis affectu illi mancipare*, & est illud. *Non habebis deos alienos coram me.* Exod. 20. 3. quasi dicat. Me habebis Deum, non alienum; exponensque quod dixit *deos*, subdit. *Non facies tibi sculptile*, id est imaginem sculptam, Ibid. a. 4. quod vocat Augustinus idolum, *neque similitudinem omnium quæ in cœlo sunt desuper: & quæ in terra deorsum* &c. quæ expositio est verbi præcedentis. Vel secundum Origenem sculptile sive idolum est, quod non habet similitudinem in natura, sicut chymera: similitudo autem est eorum quæ aliquam habent in natura similitudinem, ut imago hominis vel bovis ad verum hominem vel ad verum bovem; quod videtur per hoc quod sequitur, *quæ in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum.* Sed ex hoc videtur quod prohibeantur imagines quæ ad litteram sculptilia sunt, quia sculpuntur: sed respondetur, quod ante Incarnationem quando data fuit hæc Lex nulla in ligno vel in lapide sculpi potuit incorporalis Dei imago, quia imago spiritus fingi non potest, & propterea ante Incarnationem reprobandæ erant imagines; sed quia hoc fieri potuit post Incarnationem Filii Dei, propter hoc ex tunc fieri conceduntur, & ab ipso quidem qui Legem tulit, & dispensare potuit, scilicet Christo. Unde refert Damascenus quod Christus Abagaro Regi misit in panno imaginem suam, eò quod pictor ab eodem Rege missus ad depingendum imaginem Christi non poterat vultum ejus præ claritate intueri, ut ejus singula lineamenta & membra propriè describeret. Sed quia hæc responsio nihil omnino apud unum populum Judæum valeret, quoniam nostras imagines reprehendunt, ideò aliter dici potest, quòd non simpliciter prohibentur omninò fieri imagines. Unde Beda. „Imagines fieri nulla littera divina vetuit; harum etenim aspectus multum compunctionis solet præstare contuentibus, & eis qui litteras ignorant, quasi vivam de Christi Passione exhibent recordationem. Salomon enim instinctu divino eas fecit in Templo Dei.„ Sed omninò prohibentur fieri ad hunc videlicet finem, ut adorentur & colantur. Unde sequitur. *Neque adores, neque colas ea.* Exod. 20. 5. Ad adorandum igitur & colendum prohibentur imagines fieri. Nos autem non adoramus imagines, sed refertur honor & adoratio ad imaginatum, scilicet ad Deum, vel ad Sanctum ejus cujus est imago, ut dicit Augustinus libro tertio de *Doctrina Christiana.* Sequitur. *Non adorabis neque coles.* Ibid. Inter quæ sic distingue. *Non adorabis* scilicet veneratione corporis, ut inclinando eis, vel genu flectendo. *Neque coles* scilicet affectione mentis. Unde glossa. *Aliud est colere, aliud est adorare.* Potest quis invitus, vel adulando Regibus idolatris, vel tormentis victus adorare, cum tamen sciat idolum nihil esse, & sic nulla mentis affectione ad idolum moveri & per consequens nec colere: colere enim est toto mentis affectu & studio mancipari. Sequitur, *Ego enim*, discretivè dicit, quasi diceret; *Ego*, non alius, *sum Dominus* & ideo timendus. *Deus tuus*, & ideo diligendus. *Fortis zelotes* Exod. 20. 5. idest diligens amator. Unde Deut. 5. 9. *Deus tuus Deus æmulator visitans*, scilicet puniendo, *iniquitates Patrum* scilicet non custodientium præcepta data, *in filios* idest puniens etiam ipsos filios si Patres ista non custodierint: puniuntur enim quandoque filii pro peccato Patris temporaliter, non æternaliter. Et sic intellige illud Ezech. 18. *Filius non portabit iniquitatem Patris* &c. scilicet æternaliter: vel *visitans peccata Patrum in filios* etiam æternaliter; non autem quia sunt peccata Patrum, scilicet quia sunt peccata filiorum imitantium peccata Patrum. *Usque in tertiam & quartam generationem.* Ibid. Hoc dicit, quia quandoque solent Patres in tertiam & quartam generationem vivere, & plerumque filiorum vel nepotum suorum molestiùs ferre cruciatus, quam proprios. *Eorum qui oderunt me*, id est peccatorum & malorum, & contra, *faciens misericordiam in multa millia* id est in omnes. Et ponit ibi finitum numerum pro infinito. *Diligentibus me & custodientibus præcepta mea.* Ibid. Iste terminus *&*, ponitur ibi expositivè pro *idest custodientibus.* Qui enim diligit Deum, præcepta ejus servat. Unde Joan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Sed quæritur, qualiter istud posset dici primum præceptum, cum dilectio Dei dicatur primum mandatum, Matt. 22. Hoc est (loquens de dilectione Dei) *primum & maximum mandatum.* Respondetur quod illud mandatum de dilectione Dei, idem est cum hoc primo Præcepto Decalogi: jubet enim primum Præceptum Decalogi, unum Deum coli, & nihil ei in amore præferri, & sic idem est vel æquipollet primo mandato juxta præallegatum Matt. 22. cap. Vel potest dici quod dilectio speciale mandatum non est, scilicet radix & stipes ceterorum, ad quod scilicet cetera mandata reducuntur. Unde primum mandatum dicitur, non ordine sed dignitate, idest inter cetera præcipuum & maximum, cum omnia comprehendat.

Expositio secundi Præcepti.

SECUNDUM Præceptum cohibet os à perjurio, à blasphemia, à mendacio, & est illud: *Non assumes in vanum nomen Dei tui*, scilicet falsè vel superfluè, vel dolosè per nomen Dei jurando, vel mentiendo, vel ipsum nomen blasphemando, vel perversè de Deo sentiendo. Et si objiciatur quòd secundum istam expositionem istud pertinet ad quintum præceptum secundæ Tabulæ scilicet ad illud. *Non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium*, ubi agitur de perjurio: dic quod jurans falsum, dupliciter peccat. Primò scilicet contra proximum suum eum decipiendo, & isto modo ex parte verbi quod ordinatum est ad proximum, & quoad hoc cadit sub dicto quinto mandato seu præcepto secundæ Tabulæ. Item secundò peccat invocando ad confirmationem falsitatis, vel deceptionis testem divinam veritatem, & isto modo peccat in Deum, & quoad hoc habetur sub isto secundo mandato seu præcepto primæ Tabulæ scilicet in isto loco. *Nec enim habebit Dominus hominem insontem*, id est innocentem, scilicet quin apud Deum nocentis pœnas exolvat scilicet *qui assumpserit nomen Dei frustra.* Exod. 20. 7. Unde Deut. 5. *Non usurpabis nomen Dei frustra; quia non erit impunitus qui super re vana nomen Dei assumpserit.* Vel non habebit Dominus insontem, idest, innocentem, hoc est à culpa immunem, eum qui assumpserit nomen Dei frustra, quia ut habetur Eccles. 23. *Vir multum jurans, replebitur iniquitate, & non discedet a domo ejus plaga.* Sed quid dicetur de istis Magnatibus & secularibus, qui consuetudinem habent jurandi; numquid transgrediuntur istud præceptum seu mandatum, & peccant mortaliter? Aliqui respondent distinguendo, dicentes quòd perjurium multipliciter dicitur, scilicet indiscreta juratio utpote quando quis inutiliter jurat verum, vel quando sine deliberatione jurat; & tunc non credunt esse mortale peccatum: nam tunc fit præter præceptum, sed non contra præceptum, nisi forsan nimia esset assuefactio. Alio modo sumitur perjurium, ubi vel quando quis jurat cum deliberatione illud quod juramento non esset asserendum, immò nec simpliciter dicendum seu loquendum, sed potius oppositum, & tunc creditur esse mortale peccatum. Alii distinguunt dicentes, quod perjurium multipliciter dicitur. Uno modo falsa juratio, quæ si fiat ex ignorantia, adhibita tamen priùs diligentia debita, non est peccatum: sed si fiat non adhibita diligentia debita, peccatum quidem est, sed veniale: si autem falsa juratio fiat scienter, utpote cum mendacium juramento confirmatur, tunc nisi tantum jocando fieret, semper est peccatum mortale. Alio

modo dicitur perjurium transgressio juramenti jam facti; quod si fuit licitum, semper est ipsa transgressio mortale peccatum: si verò illicitum, transgressio illius non est peccatum, sed illud illicitum scienter jurasse, fuit peccatum. Tertio modo dicitur perjurium indiscretum juramentum, quod ponunt (nisi alia aggravaret circumstantia) veniale peccatum. Item nomen Dei Patris est Filius, quia ipsum Patrem notificat. Nomen ergo Dei in vanum assumit qui ipsum Christum puram creaturam ponit seu asserit, quia sic ponit ipsum esse vanum, vel vanitatem. Unde ad Rom. 8. *Vanitati subjecta est omnis creatura.* Sed cum Christus veritas sit, unde Joan. 14. *Ego sum via veritas & vita*, nullatenùs poterit esse vanitas, & sic nec pura creatura. Quid ergo absurdius, quam illam firmissimam veritatem ponere vanitatem, & illud verbum virtuosum sustentans omnia (ut habetur ad Hebr. 1.) ponere vanum & sustentatum. Denique tertio modo nomen Dei assumit ille in vanum, qui nomen Christi, unde dicitur Christianus, per peccatum vanum reddit & mortuum. Nomen quippe super homines scriptum ut vivant ipsi, juxta quod loquitur Christus Apoc. 3.12. *Et scribam super eum nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, quæ descendit de cœlo à Deo meo & nomen meum novum.*

Expositio tertii Præcepti.

TERTIUM Præceptum pertinens ad Deum, cohibens transgressionem in opere est. *Memento ut* B *diem sabbati sanctifices*, id est sanctum & feriatum habeas, cessando ab omni opere servili. Ubi nota quod in quantum sabbatum designat quietem interiorem à pravis affectionibus, & exteriorem ab omnibus servilibus, præter illius diei determinationem, morale est hoc Præceptum & scriptum in corde humano, sicut alia Decalogi Mandata seu Præcepta: natura enim dictat esse vacandum aliquando quieti, & orationi & divinæ laudi. Sed quia tali die scilicet sabbato, & à talibus rebus grossioribus abstinere non dictat conscientia, sed sola exterior jussio divina; quantum ad hoc fuit ceremoniale hoc mandatum, & solvendum, id est solvi poterat. Circa quod est advertendum quod in Dominica Resurrectionis Dominicæ, ex Statuto Ecclesiæ mutatum est sabbatum in Dominicam, ne videremur judaïzare: quia ex quo veritas luxit, transiit Legis umbra & hoc quoad ceremonialia. Et si quæratur, quare aliæ Judæorum Festivitates non præcipiebantur in Decalogo: dic quod C ceteræ eorum Festivitates fuerunt tantum ceremoniales, nec ab omnibus sunt observandæ; hoc autem Præceptum magis morale est, quam ceremoniale, ideo in Decalogo ad quem omnes tenentur, semper præcipiendum erat. Sequitur Deut. 5. unde sumitur hoc præceptum. *Sex enim diebus facies opera tua, septima autem die qui est dies sabbati, non facies in eo quidquam operis*: & subdit rationem Præcepti. Sex enim diebus fecit Deus cœlum & terram, (ut patet Gen. 1.) *& requievit die septimo*, Ibid. 3. non quasi lassus; sed ponitur ibi requievit, pro cessavit, sicut dicitur Apocal. 4. *Requiem non habebant die ac nocte dicentia, Sanctus Sanctus* &c. id est dicere non cessabant. Ita sumitur in dicto passu requievit, pro cessavit. Nihil enim ulterius fecit novum, cujus non fecerit priùs materiam, utpote corporalium; vel similitudinem, utpote spiritualium. Operatur tamen adhuc quotidie creaturas gubernando, ut dicitur Joan. 5. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Circa quod dicitur Augustini libro IV. super Gen. *Sic requievit ut novam* D *creaturam ulterius conderet nullam, non ut quæ condiderat continere & gubernare cessaret. Et benedixit diei septimo*, qui est dies sabbati, *& sanctificavit eum*, id est sanctum & celebrem eum habere voluit, ut scilicet non fieret opus servile in eo: & sic non interdicitur opus charitatis, nec necessitatis, ut patet quod potuerunt exhiberi Ecclesiastica Sacramenta; sicut enim poterant circumcidere sabbato, & nos etiam die Dominica Sacramenta possumus exhibere & opera charitatis, ut eleemosynas, & opera necessitatis exercere, ut bibere & comedere.

Expositio quarti Præcepti.

A HIc quoad Deum ponuntur tria Præcepta. Quantum autem ad proximum ponuntur septem sequentia, quorum unum est affirmativum, & sex sunt negativa. Affirmativum autem & quartum in ordine principali, sed primum in his quæ respiciunt proximum, est illud? *Honora Patrem tuum & Matrem tuam.* Per quod mandatum natura quæ corrupta est, ad ordinem naturalem revocatur. Nec fuit necesse hujusmodi Præceptum dari parentibus respectu suorum filiorum: crescente enim virtute in filiis, decrescit virtus in parentibus secundùm naturam, & deficienti virtuti debetur justè subsidium. Unde quia minoratur virtus seu vigor in parentibus, & augetur in filiis, datur Præceptum ut filii subveniant parentibus. Nec fuit necesse dare hujusmodi Præceptum parentibus de filiis, quamvis primò ipsi filii fuerunt impotentes, quia natura etiam corrupta ad id cogit, eò quod naturaliter succus ascendit à radice ad ramos, & non è converso. Et Chrysostomus. *Hoc est amor in hominibus, quod est humor in arboribus.* Ait ergo. *Honora Patrem tuum*, duplici scilicet honore, & reverendo, & necessaria præbendo. Patrem tam spiritualem quàm carnalem. Intelligitur etiam de Patre Deo, qui potissimè est honorandus. Unde Malach. 1. *Filius honorat Patrem, & servus Dominum. Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? Et Matrem tuam* carnalem, nec non & spiritualem scilicet Ecclesiam. De qua ad Galat. 4. *Illa autem quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est Mater nostra.* Nomine etiam Patris & Matris omnes proximi intelliguntur, ut dicit Augustinus. Unde secundùm ipsum omnia vendenda sunt, & danda pauperibus in extrema necessitate, quod si non fit, transgreditur istud mandatum. Si ergo nomine Patris & Matris omnis proximus intelligitur, & nobilissimum inter proximos ponit pro omnibus scilicet Patrem & Matrem, clarum est quod illis præcipuè honor debetur & subsidium. Et ut firmiùs observetur adhuc hoc Præceptum, subjungit præmium dicens, *ut sis longævus super terram.* Exod. 20. 12. & Ecclc. 3. 7. *Qui honorificat Patrem & Matrem, vita vivet longiore.* Justum enim est ut qui alterius vitam sustentat, vita illius prolongetur. *Super terram*, inquit, scilicet tam morientium quàm viventium, eò quod *pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ.* 1. ad Timoth. 4. 8.

Expositio quinti Præcepti.

QUINTUM autem Præceptum principale, & secundum in ordine eorum quæ respiciunt proximum, & primum negativum, est istud. *Non occides.* Ubi præcipitur quod non lædatur proximus in sua persona. *Non occides* igitur, supple hominem, teipsum videlicet vel alium; dupliciter, videlicet anima vel corpore. Sed contrarium huic Præcepto videtur haberi Exod. 22. *Et maleficos non patieris vivere.* In quo verbo præcipit Dominus fieri occisionem, hìc verò prohibet; unde contrarius sibiipsi videtur in legislatione. Sed ad hoc dicitur quod personæ privatæ quæ nullam habet Jurisdictionem vel auctoritatem, hìc prohibet occidere; Legi autem, vel ministro justitiæ præcipit occidere *Exod.* 23. & sic non est contrarietas, quia non est circa idem, seu respectu ejusdem. Sed numquid aliquo modo privatæ personæ licet absque transgressione occidere? Videtur quod sic, ad minus in sui defensionem, hoc enim jura permittunt, scilicet injuriam propulsare & tem-

temperatè vim vi repellere. Item ex ordine charitatis debeo potiùs subvenire vitæ propriæ, quam alienæ; unde volentem me perimere, potiùs occidere debeo, quam permittere me occidi. Sed contra hoc videtur esse illud Matt. 5. *Si quis te percusserit in unam maxillam, præbe ei & aliam.* Et ideo dicunt quidam, quod nullo modo licet occidere, etiam defendendo; maximè autem viro perfecto, & hæc A videtur esse opinio Anselmi: nec secundùm eos debeo opinari quod me occisurus sit, si eum non occidero, sed quod Deus præstabit mihi auxilium vel evasionis, aut fugæ beneficium. Alii volunt quod in suam defensionem liceat occidere, eò quod Lex occidere jubendo, vel saltem permittendo, talem defendentem se in dicto casu judicem constituit in adversarium; unde ipsum vice Legis interficit, unde Lex præbendo auctoritatem excusat à peccato: hoc tamen intellige si necessitas est inevitabilis; quoniam si te percusserit adversarius & fugerit, vel percutere destiterit, eum repercutere non licet, vel sequi fugientem; quia hoc non fieret ad propulsationem injuriæ sed ad ultionem, quæ spectat ad solum Judicem. Et respondent isti ad illud Math. 5. *Si quis te percusserit in unum maxillam* &c. quod illud continet Consilium, non Præceptum. Et nota hic quod homicidium multis modis fieri dicitur: fit B enim quandoque sola mente per odium fraternum. Unde Joan. Epistola 1. c. 3. *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Item pravum exemplum relinquendo. Ut enim dicit Gregorius. *Tot mortibus digni sunt, quot pravitatis exempla reliquerunt.* Item lingua, & hoc tripliciter, vel scilicet contra Legem quemquam morti adjudicando. Unde 2. Reg. 12. dicitur David *Vriam percussisse gladio, quia morti dolosæ & injustæ adjudicavit.* Item mentiendo. Unde Sap. 1. *Os quod mentitur, occidit animam.* Item cuiquam detrahendo. Unde dicit Bernardus quod *detractor uno ictu tres animas interficit, suam scilicet & illius quem sua detractione inficit, & illius de quo detrahit: quia sibi forsan præjudicium mortis vel damni irreparabilis, sua detractione parat & acquirit.* Item fit homicidium manu, qualicumque scilicet peremptione exteriori, sive per gladium, sive per venenum, sive per aliam pœnam. Item fit homicidium per subtractionem victus scilicet corporis. Unde Ambrosius *Pasce fame morientem, quod si non pascis, occidis*: Sive victus subtractione id C est verbi Dei. Unde Ezech. 3. *Si loquente me ad impium* &c. *non annunciaveris ei* &c. *ut avertatur à via sua impia* &c. *& ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem ejus de manu tua requiram.* Unde versus.

Exemplum, mens, lingua, manus, subtractio victus
Corporis & animæ dici faciunt homicidam;

Expositio sexti Præcepti.

SEXTUM Præceptum in ordine principiali, & tertium eorum quæ respiciunt proximum, est istud: *Non mœchaberis*, ubi præcipitur ut non lædatur proximus in re sibi conjuncta per Legem scilicet in uxore. Et accipitur hic sub nomine mœchiæ, omnis illicitus concubitus & quicumque coïtus fornicarius, quamvis mœchia magis propriè adulterium dicatur: mœchos enim græcè, adulterium dicitur latinè. Et ad hanc reduci potest fornicatio spiritualis, sicut idolatria, de qua Jerem. 3. *Mœchata est cum lapide & ligno.* Potest etiam ad hanc reduci expositio prava sacræ Scripturæ: unde 2. ad Corinth. 2. 17. *Non sicut plurimi adulterantes verbum Dei.*

Unde hìc nota quod fornicatio est mortale peccatum. Videtur tamen contrarium, eò quod sit actus naturalis: actus autem naturalis non est peccatum. Insuper cum coïre sit necessarium ad conservationem speciei sicut comedere ad conservationem individui; & in necessitate, ut fame, liceat etiam non sua rapere & comedere, quia tempore necessitatis omnia sunt communia; videtur similiter quod in ferventi desiderio coëundi posset quis non suam rapere & cum ea coïre. Ad quod dicitur quod actus fornicationis dupliciter dicitur. Uno modo dicitur naturalis, eo scilicet quia naturaliter fit: alio modo dicitur contra naturam; & juxta istum secundum dupliciter dicitur adhuc contra naturam. Uno modo quando fit contra naturalem concubitum qui est maris cum femina, & isto modo potest dici actus innaturalis, quia contra naturalem commixtionem. Alio modo dicitur contra naturam, quia scilicet naturam in suis naturalibus vulnerat & spoliat gratuitis, scilicet bono gratiæ & virtutis. Et isto ultimo modo omnis fornicatio est contra naturam, sicut omne peccatum mortale: corrumpit enim naturalia & destruit omnia gratuita. Et quia isti sunt effectus mortalis peccati, propter hoc patet fornicationem esse peccatum mortale: & sic patet solutio argumenti, quia licet fornicatio sit actus naturalis, quia scilicet naturaliter fit, est tamen innaturalis quia naturam corrumpit. Nec sequitur quod sit actus naturalis quia naturaliter fit, quod propterea non sit peccatum, ubi non debito modo fit. Et intellige quod coïtus qui de se naturalis est, post contractam per peccatum primi parentis concupiscentiam, est sicut cibus veneno junctus, qui quamvis de se naturalis sit, tamen propter veneni admixtionem interficit, nisi beneficio theriacæ comedenti subveniatur. Pari modo & animam concupiscentia carnalis inordinata interficit, nisi beneficio Matrimonii & honestate nuptiarum intercipiatur. Nec est simile de extrema necessitate famis & desiderio ferventi coïtus, quia si in necessitate famis non subveniatur per alienum esurienti, periret individuum; non sic autem periret species generis humani, si non satisfiat per coïtum alicujus cum aliena; nam salvatur in aliis: etiam ipse posset aliter salvare, scilicet cognoscendo suam propriam uxorem.

Sed quare ponuntur duo Præcepta circa prohibitionem illiciti coïtus, scilicet *Non mœchaberis & non concupisces uxorem proximi tui*, cum unum sub alio possit intelligi? Et similiter de istis duobus. *Non furtum facies*, & *non concupisces rem proximi tui*, cum omnis qui furatur, rem proximi concupiscat, & sic possit primum contineri sub secundo? Augustinus solvit quod in duobus Præceptis, scilicet non mœchandi & non furandi, omnia opera interdicta sunt: in aliis autem duobus interdicitur etiam omnis concupiscentia; & quia utrobique est peccatum, utrobique est Mandatum prohibitorium. Nec similiter fit prohibitio de voluntate occidendi, sed tantum de actu; quia naturaliter sunt proni homines ad velle luxuriari, & ad actum luxuriandi, similiter ad voluntatem habendi alienum & ad actum, sicut ad rapinam & furtum: & ideo duæ sunt prohibitiones & data duo Præcepta prohibitoria, unum cohibens ipsam voluntatem; aliud cohibens ipsum actum. Non sic autem est in occidere, quia homo naturaliter abhorret tam voluntatem occidendi, quam actum: quælibet enim creatura suam speciem amat, & nititur eam servare, non destruere; nisi cum extra se exit per furorem iræ, vel temeræ concupiscentiæ.

Expositio septimi Præcepti.

SEPTIMUM Præceptum in ordine principali, & quartum in ordine eorum quæ respiciunt proximum quo scilicet prohibetur lædi ipse proximus, in rebus sibi non per Legem conjunctis, sed fortuitis est D istud. *Non furtum facies.* Est autem furtum *contractio rei alienæ, invito Domino animo lucrandi.* Notanter dicit, *contractio*, quia quis furtum non facit, nisi opere contractet? Dicit etiam, *rei alienæ*, quia in re quæ plenissimè mea est, non facio furtum; secus autem si quis habeat mecum rem communem. Dicit, *invito Domino*, quia si credat Dominum permissurum, & subsit justa causa sic credendi, etiamsi Do-

Dominus non erat concessurus non tenetur furto: si autem non subsit justa causa sic credendi, tenetur furto. E contra si crederet contrectare rem *Domino invito*, licet etiam contrectet Domino volente, peccat tamen mortaliter & furtum facit; quia in peccatis contrahendis, & committentis intentio principaliter attenditur. Dicit etiam, *animo lucrandi*; quia si quis ancillam alienam in meretricem rapuerit non lucri, sed libidinis causa, furtum propriè non facit, secùs autem si eam rapiat ut vendat. Et nota quod in extrema necessitate excusatur fur, quia tempore tantæ necessitatis omnia sunt communia. Et intellige quod sub nomine furti intelligitur prohibita omnis usurpatio illicita rei alienæ, *animo* dico *lucrandi*, qualis est rapina, usura, negotiatio fraudulenta & hujusmodi. Et nota quod non dicit: non facies rapinam, quamvis rapere sit generalius quam furari; nam omnis qui furatur, rapit, & non è converso: quod fecit ideo, quia Judæi quibus hujusmodi præcepta data sunt, proniores sunt ad furtum quod est occultum, quam ad rapinam, ubi testis adest; & ideo occurrendo magis periculoso, furtum in prohibitione nominavit; non rapinam: voluit tamen à parte totum intelligi, utpote per furtum omnem rei alienæ usurpationem. Per hoc etiam prohiberi videtur, ne fiant violentiæ & nimiæ exactiones & talliæ Principum & militum in populum suum, quia hoc videtur rapina esse, & species furti: propter quod dicitur Isai. I. *Principes tui infideles, socii furum*. Sed circa hoc distinguitur ab aliquibus; quia aut talliæ istæ fiunt super servos, aut super colonos terræ: si super servos, cum nihil habeant nisi nomine Domini sui, videtur quod Dominus servum suum talliare possit & onerare quantumcumque vult; potest tamen Dominus nimis angariando servum suum, nimisque exigendo & opprimendo eum, ita graviter sic contra istud præceptum faciendo peccare, quia justitia Dei exigit ut unusquisque re sua debitè utatur. Non tamen ut sit rapina dicunt, nec oportet de necessitate restituere, licet pietas hoc exigat. Si autem fiat super colonos terræ sive inhabitantes terram, tunc taxanda est illarum talliarum seu exactionum acceptio, secundùm laborem Principis vel militis quem habent in defensione illius terræ, quam ipsi coloni sic talliati inhabitant, & etiam secundùm expensas quas necesse est Principi vel militi facere secundùm suam moderatam & honestam familiam, & si ultra exigant, rapina est, & per istud præceptum inhibetur.

Expositio octavi Præcepti.

OCTAVUM Præceptum in ordine principali & quintum in ordine eorum quæ respiciunt proximum, quo scilicet prohibetur quis contra proximum transgredi, ore scilicet ferendo falsum testimonium, est istud: *Non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium*. In quo & perjurium & mendacium prohibentur; quia ut dicit Augustinus Lib. de mendacio; *omne mendacium hoc genere verbi complectitur*: quisquis enim aliquid enunciat, perhibet testimonium animo suo; unde si mentitur, falsum testimonium animo suo perhibet. Per hoc autem quod hìc dicit, *contra Proximum*, ut dicit Augustinus de quæstionibus Exod. non videtur prohibere mendacium quod prodest alicui, & nihil obest ei cui mentitur. Est argumentum quod est aliquod genus mendacii, quod non est mortale peccatum, illud scilicet quod non fit cum libidine decipiendi vel nocendi: nec enim omnis intentio vel libido fallendi efficit mortale peccatum: prædicatur enim hoc complexum, intentio fallendi, & de mendacio pernicioso, & de mendacio jocoso, & de mendacio officioso; sed tamen per prius & posterius, & de se secundum suam primariam intentionem non dicitur nisi de mendacio pernicioso. Et ideo solum secundùm se mendacium perniciosum à multis reputatur esse mortale peccatum, ut videtur velle Præpositivus & Magister Guillelmus Antissiodorensis & alii Magistri magni Decretorum.

A Sunt autem secundùm Augustinum octo genera mendaciorum, quorum sufficientiam sic accipe. Tria enim in genere sunt moventia ad mendacium scilicet nocivitas, libido mentiendi & utilitas: si autem nocivitas sit in causa, hoc est si quis mentiatur ut noceat: aut ergo intendit inferre alicui nocumentum spiritus, ut scilicet subvertatur à Fide Catholica, aut à regulis bonorum morum, ut sunt qui dicunt Christum non incarnatum, vel luxuriam non esse peccatum mortale & hujusmodi, & tunc est primus modus seu primum genus mendacii, scilicet mentiri in doctrina pietatis & religionis, & hoc est mortale peccatum: aut intendit nocumentum totius hominis, quod contingit dupliciter, scilicet vel intendendo nocere universaliter & totaliter & secundùm genus quod omnibus nocet & nulli prodest, ut qui mendaciter persequitur hominem ad mortem; & est secundus modus seu secundum genus mendacii, & istud est peccatum mortale: aut intendendo nocere particulariter, & secundùm genus quod alicui nocet, & alicui prodest, ut est mendacium mercatorum & calumniatorum; & est tertius modus seu tertium genus mendacii, & istud simpliciter est peccatum mortale, & vocatur quodlibet

B istorum trium generum, mendacium perniciosum. Si autem libido mentiendi sit in causa, hoc est si quis mentiatur ex sola libidine, tunc aut movetur tantum ex affectione & intentione mentiendi & non propter aliud; & est quartus modus seu quartum genus mendacii, quod vocatur mendacium libidinosum, & ponitur mortale peccatum: aut movetur ex intentione movendi auditorem ad complacentiam vel risum; & est quintus modus seu quintum genus mendacii, quod vocatur mendacium jocosum, quod ponitur ut communiùs veniale peccatum: aut utilitas aliqua est in causa, hoc est si quis mentiatur ut sibi vel alteri prosit, & tunc aut utilitas illa consistit in bonis fortunæ quæ perdi possunt, ut si quis mentiatur ne per raptores suam pe-

C cuniam amittat & est sextus modus seu sextum genus mendacii: aut illa utilitas consistit in bonis corporis, ut cum quis mentitur pro salvando vitam hominis, ut si homo requiratur ad eum occidendum, aut ad mortem ducendum, & mentiendo dicat se non vidisse vel nescire ubi sit, & est septimus modus seu septimum genus mendacii: aut illa utilitas consistit in bonis animæ, quæ tamen sic sunt in anima, ut quodammodo etiam habeant esse in corpore, ut cum quis mentitur pro sua aut alterius pudicitia vel virginitate servanda, & est octavus modus seu octavum genus mendacii, secundùm debitam assignationem Augustini, & vocatur quodlibet istorum trium ultimorum generum mendacium officiosum, & de se ponuntur esse peccata venalia.

De triplici genere mendacii.

D IN summa, nota quod in genere est triplex mendacium scilicet perniciosum, libidinosum & officiosum. Primum, scilicet perniciosum continet sub se tria prima genera supra posita & declarata, & est semper peccatum mortale. Secundum, scilicet libidinosum continet sub se quartum genus suprà positum & declaratum, quod ponitur mortale. Et quintum quod dicitur jocosum, & ab omnibus ponitur veniale. Tertium, scilicet officiosum continet sub se sextum, septimum & octavum, genera etiam suprà posita & declarata. Et est semper veniale nisi ex accidenti efficeretur mortale.

Expositio noni & decimi Præceptorum Legis.

NOnum & decimum Mandata in ordine principali, & sextum & septimum in ordine eorum quæ respiciunt proximum, eò quod diverso modo ordinantur secundùm ordinem textus Exodi & Deuteronomii, simul pertractentur, in quibus prohibetur transgressio in corde contra proximum. Fit autem transgressio in corde dupliciter, videlicet quantum ad concupiscentiam carnis, contra quam ponitur nonum Mandatum, quod est. *Non considerabis uxorem proximi tui*; quod ponitur nonum Præceptum secundùm Magistrum in Lib. Sententiarum, & secundùm Augustinum & secundùm librum Deuteronomii; licet aliter ordinetur in Exodo. Item fit transgressio contra proximum in corde quantum ad concupiscentiam oculorum; contra quam ponitur decimum Mandatum, quod est: *Non concupisces domum proximi tui*, quod ponitur in Exodo nonum.

In quibus notandum quod prohibetur speciali Mandato concupiscentia carnis & concupiscentia oculorum potiùs quàm concupiscentia aliorum malorum actuum; quia istæ duæ concupiscentiæ habent delectationes suas etiam ante opus, & non tantum conjunctas operi, ut dicit Augustinus; & cum hoc etiam habent in opere nocumentum proximi, quod non sic est in concupiscentiis aliorum actuum: & ideo propter istam turpitudinem istarum concupiscentiarum quæ sic sunt ante opus, reprimendam, data sunt ista Mandata quæ prohibent cordis cogitatum; vel propter causam supra in fine sexti Mandati assignatam.

Porrò quod subditur, *non servum non ancillam &c.* quod annectitur nono mandato secundùm ordinem Exod. decimo, scilicet de non concupiscendo domum proximi secundùm ordinem Deuter. 5. specialiter ad decimum pertinet Mandatum: ordinatur tamen cum nono secundùm dictum ordinem Exodi, eò forte quòd ea quæ ibi enumerat, sunt res mobiles sicut uxor, de qua est nonum Mandatum.

Unde sumitur numerus seu sufficientia Præceptorum Legis.

NUnc restat videre numerum & sufficientiam istorum decem Præceptorum seu Mandatorum Legis. Circa quod nota, quòd sicut supra dictum est, *Lex* Præceptorum *posita est propter transgressionem*. Galat. 3. 19. Transgressio autem in primo suo genere quantùm ad materiam præsentem attinet; dupliciter habet fieri, scilicet directè contra Deum, vel directè contra proximum.

De triplici modo transgressionis contra Deum.

COntra Deum autem contingit directè transgressionem fieri tripliciter scilicet corde, ore & opere. Corde autem fit contra Deum transgressio, cum quis scilicet à Deo avertitur per idolatriam vel hujusmodi, quod per primum Præceptum seu Mandatum prohibetur, in quo dicitur. *Non habebis deos alienos coram me* &c. Ore fit contra Deum transgressio per nomen scilicet suum mentiendo, blasphemando, perjurando &c. quod per secundum Præceptum seu Mandatum prohibetur in quo dicitur. *Non assumes nomen Dei tui in vanum* &c. Opere autem fit contra Deum transgressio, quando scilicet tempore debito & ad Dei cultum principaliter deputato fit operatio non licita, vel illi cultui seu illi tempori non conveniens; quod per tertium Præceptum seu Mandatum prohibetur, in quo dicitur. *Memento ut diem sabbati sanctifices* &c.

Contra proximum contingit directè transgressionem fieri dupliciter. Vel omissione scilicet boni, ad quod quis erga proximum tenetur: vel illatione mali, quod quis sibi inferre non deberet. Contra primum, scilicet contra omissionem boni ad quod quis erga proximum tenetur, datur quartum Præceptum seu Mandatum, quod est. *Honora Patrem tuum & Matrem tuam* &c. Illatione verò mali A contingit tripliciter contra proximum trangressionem fieri scilicet opere, ore, & corde: opere quidem dupliciter: vel scilicet malum proximo inferendo in seipso idest in sua propria persona; quod per quintum Præceptum seu Mandatum prohibetur, in quo dicitur. *Non occides*: vel proximo inferendo in re sua, & hoc iterum dupliciter: vel scilicet in re sua sibi per Legem conjuncta, ut est uxor; quod per sextum Præceptum seu Mandatum prohibetur, in quo dicitur. *Non mœchaberis*: vel in re sua sibi per Legem conjuncta, sed omnino separata, qualia sunt bona fortuita; quod per septimum Præceptum seu Mandatum prohibetur, in quo dicitur. *Non furtum facies.* Ore fit contra proximum transgressio sibi mentiendo, fallendo, decipiendo, falsum testificando; quod per octavum Præceptum seu Mandatum prohibetur, in quo dicitur: B *Non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium* &c. Corde denique fit contra proximum transgressio dupliciter: vel scilicet quantum ad concupiscentiam carnis; contra quod datum est nonum Præceptum seu Mandatum: in quo dicitur: *Non desiderabis uxorem proximi tui*; vel quantùm ad concupiscentiam oculorum; contra quod datum est decimum & ultimum Præceptum seu Mendatum, in quo dicitur: *Non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam &c.*

Qualiter per decem Præcepta Legis omne peccatum mortale prohibetur.

POstremò notandum est qualiter in Decalogo fit virtualiter & effectivè omnis peccati mortalis prohibitio: prohibentur enim ibi septem capitalia peccata.

C In primo quippe Præcepto seu Mandato prohibetur superbia: ipsa etenim orationi, intimo debitoque cultui contrariatur. Unde Eccles. 10. *Initium superbiæ hominis apostatare à Deo.*

Invidia autem prohibetur, in quarto Præcepto seu Mandato: ibi enim ut à parte totum intelligatur, præcipitur unicuique honorem debitum impendere, quod facere non sinit invidia.

Ira autem prohibetur in quinto Præcepto seu Mandato: ibi enim perfectè intelligendo prohibetur occisio seu homicidium, omneque nocumentum in persona proximi, ad quæ inducit ira.

Luxuria verò tam corporalis quàm mentalis prohibetur in sexto Præcepto seu Mandato, & in nono: ibi enim prohibetur mœchia, omnisque illicitus concubitus, & etiam omnis illicita carnis concupiscentia.

Gula autem quæ deservit luxuriæ, in eisdem duobus Præceptis effectualiter prohibetur: sicut enim in D naturis nutritiva deservit generativæ, ita in vitiis gula deservit luxuriæ: vel secundùm alios, Gula in primo Mandato prohibetur; gulosi enim ut communiùs Deum non colunt, sed ventrem suum. Unde ad Philip. 3. *Quorum Deus venter est* &c.

Acedia verò in tertio Præcepto seu Mandato prohibetur: ibi enim præcipitur debita sabbati sanctificatio, quod propriè fit per spiritualem animi quietem in Deum, ferventemque & diligentem laudem Dei, cujus contrarium omnino efficit acedia, quæ in seipsa quietem extra Deum quærens tabescit, & à laude divina torpet.

Avaritia tam realis seu exterior quàm etiam mentalis prohibetur in septimo Præcepto seu Mandato, & in decimo: ibi enim prohibetur furtum, omnisque rei alienæ usurpatio, indebitaque detentio, & etiam omnis mentalis bonorum & rerum illicita concupiscentia.

Quod

Quod effectualiter in primo Præcepto prohibetur omne peccatum.

POtest etiam & aliter dici, quia scilicet in primo Præcepto seu Mandato prohibetur non tantum omne capitale peccatum, quin etiam omne peccatum mortale: tunc enim est peccatum mortale A cum homo plus vel æquè aliquam creaturam diligit sicut Deum; quod planè in primo Præcepto seu Mandato, quod est de uno Deo super omnia diligendo & colendo prohibetur, & sic ex consequenti omne mortale peccatum in illo primo Præcepto effectualiter censetur prohibitum.

Alius modus ponendi prohibitionem septem peccatorum mortalium per decem Præcepta Legis.

SUnt & alii aliter imaginantes, qui adhuc ampliùs ipsa septem peccata capitalia per dicta decem Legis Præcepta seu Mandata prohiberi concipiunt & ponunt; considerando scilicet plenariam ipsorum Præceptorum seu Mandatorum intentionem, finem & effectum: dicunt enim superbiam prohiberi per primum Præceptum.

De prohibitione superbiæ per primum, per secundum, per tertium, per quartum.

ETenim, ut dicunt, (juxta quod supra tactum est) superbia facit apostatare à Deo; superbia proclivis est ad contemnendum blasphemandumque nomen Dei; superbia non se faciliter ad debitam sabbati sanctificationem, devotumque cultum Deo exhibendum disponit; superbia non libenter debitum Patri & Matri ac aliis quibus convenit, honorem impendit.

De prohibitione invidiæ.

DIcunt enim ut supra, invidiam prohiberi per quartum Præceptum, per quintum, per octavum: etenim invidia non faciliter ad debitum tam Patri & Matri, quàm aliis quibus convenit honorem impendendum animum inclinat; invidia sæpe proximum animo & interdum verbo necat, ejusque mortem optat, & in ea exultat; invidia libenter proximo detrahit, falsumque de eo testimonium perhibet. C

De prohibitione iræ.

ITem dicunt iram prohiberi per secundum Præceptum, per quintum & octavum. Etenim ira facilis est ad nomen Dei in vanum sumendum & blasphemandum: ira proclivis est ad occisionem seu læsionem proximo in sua propria persona inferendum; ira etiam inclinata est ad proximum verbis injuriandum & damnificandum.

De prohibitione duplicis luxuriæ.

PER sextum Præceptum & nonum dicunt prohiberi duplicem luxuriam, actualem scilicet & mentalem: luxuria etenim prout in nomen transit vitii capitalis, dicitur omnis illicitus & indebitus actualis concubitus; dicitur etiam omnis illicita concupiscentia D carnalis.

De prohibitione gulæ.

DIcunt gulam prohiberi per primum Præceptum, per tertium, per sextum, per nonum. Per primum quidem eo respectu quo supra declaratum est: etenim gulosi, ut communius, Deum non debitè colunt, sed ventrem suum. Gula respectu tertii Præcepti non faciliter inclinatur ad debitè sanctificandum sabbatum, eaque supportandum quæ ad dictam sanctificationem spectant. Per sextum verò & nonum Præceptum, eo respectu ut supra declaratum est, prohiberi dicitur, quo luxuria cui deservit.

De prohibitione acediæ.

DIcunt acediam prohiberi per tertium Præceptum & per quartum. Per tertium quidem eo respectu, quo supra declaratum est. Respectu verò quarti Præcepti, quia acedia quæ de se negligens incuria & torpens est, omnino impeditiva & opposita videtur debitæ honorationis, provisionis & sustentationis parentum, eorumque quibus convenit.

De prohibitione duplicis avaritiæ.

DUplicem avaritiam, exteriorem scilicet & mentalem dicunt prohiberi per primum Præceptum, per quartum, per septimum, per decimum. Etenim respectu primi Præcepti avaritia (quæ juxta dictum Apostoli ad Eph. 5. *propriè idolorum servitus est*) Deum non debitè colit. Respectu quarti Præcepti manifestum est avaritiam debitè contrariari honorationi, subventioni & provisioni parentum & aliorum quibus convenit. Respectu verò septimi Præcepti & decimi satis facta est supra declaratio. Possent & aliis modis aliisque respectibus & rationibus ista septem peccata capitalia, per dicta decem Legis Præcepta & Mandata prohibita dici & assignari juxta varios conceptus, variasque imaginationes hominum. B

Secundi tractatus qui est de expositione decem Præceptorum seu Mandatorum Legis, finis.

TRACTATUS III.
DE
VII. SACRAMENTIS
ECCLESIÆ,
Et eorum declaratione.

AD compendiosam Sacramentorum novi Testamenti notitiam, videndum est summatim in genere quid sit Sacramentum. Quibus de causis instituta sunt Sacramenta. In quibus consistant. An aliqua possint iterari. Quot sunt, & qualem ad vitia & ad virtutes contrarietatem & ordinem habeant. Deinde de quolibet Sacramento tangendum est aliquid in speciali.

Definitio Sacramenti & ejus expositio.

DEfinitio autem Sacramenti ex verbis Magistri in IV. Sententiarum elicitur, quæ est ista. *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma, imaginem ipsius gerens & causa existens.* Quam sic intellige. *Sacramentum est forma*, non intrinseca quidem, ut est forma essentialis; sed exterior, ut est accidens. *Visibilis*, sic scilicet, ut sicut visus pro quolibet sensu, ita visibile pro quolibet sensibili: quasi dicas. Sacramentum est sensibile signum vel sensibile signatum seu figuratum. *Invisibilis gratiæ*, id est gratiæ quæ non videtur vel non sentitur sensu exteriori: & hoc dicit ad differentiam decoris corporis & hujusmodi, quæ sunt gratiæ visibiles. *Imaginem gerens*, id est similitudinem ipsius, scilicet gratiæ. Verbi gratia. Proprietas quædam naturalis connexa est aquæ quæ in Sacramento Baptis-

Baptismi gratiam repræsentat invisibilem, utpotè refrigerium quod est in aqua, repræsentat refrigerium gratiæ ab incendio fomitis; & vis ablutiva quæ est in aqua, repræsentat ablutionem à macula originali. Sequitur *& causa existens*, scilicet ipsius gratiæ, communiter & largè sumendo causam; sic scilicet quod illud dicatur esse causa alicujus rei, sine quo res ipsa non fit; quamvis sine eo fieri posset: Deus enim propriè & per se causa est remissionis peccati & collationis gratiæ. Quia tamen hoc communiter non facit nisi ad existentiam Sacramenti ubi Sacramentum haberi potest; ideo dicitur communiter Sacramentum ipsorum causa, quasi illud sine quo hæc non fiunt Quod si objiciatur de Corpore Christi vero, quod est Sacramentum corporis mystici, ut infra dicetur, quod tamen non est signum sensibile, nec forma visibilis: dic quod corpus illud est sensibile & forma visibilis in annexo; licet in se non sit: licet enim in sua vera & propria natura non sit visibile aut sensibile; est tamen visibile & sensibile in forma vel specie panis annexi. Unde cum dicitur. *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma*, intellige; scilicet in se, vel habens annexum visibile vel sensibile.

Quibus de causis instituta sunt Sacramenta.

SECUNDUM Magistrum in IV. Sententiarum instituta sunt Sacramenta propter humiliationem, propter eruditionem, propter exercitium. Propter humiliationem, videlicet ut propter Deum subjiciatur peccator curandus creaturæ, qui per aversionem à Deo per inordinatum amorem creaturæ subjectus est: æquum enim est ut ubi oritur peccatum, ibi & moriatur. De eruditione. Propter eruditionem verò, ut per ipsa exteriora Sacramenta, ad aliqua spiritualia cogitanda & considerandа erudiamur & excitemur: excitamur etenim ut advertamus per ea quæ exteriùs videntur, purgationem animæ intrinsecam in Sacramento fieri: si enim Deus animam curaret, nulla exteriùs dum purgatur, vel ante, vel post composita specie; nunquam cogitaret rudis homo de aliqua interiori purgatione; sed per hæc quæ exteriùs fieri videtur, instruitur & excitatur ad recogitandum purgationem fieri interiùs. De exercitio. Propter exercitium verò, ut scilicet homo in his exerceatur, ut pericula otiositatis devitet, quod non refertur hìc ad actum Sacramenti, qui in pluribus iterari non potest, sed ad actum gratiæ sacramentalis, qui frequenter iterandus est. Alius modus. Vel prædicta secundùm quosdam distingue; quod scilicet Sacramenta data sunt Clericis in exercitationem sive exercitium: hi enim exercitium habent in ipsa, scilicet Sacramenta ministrando, ut celebrando, pœnitentias injungendo, infirmos ungendo, & tam ipsos quam sanos communicando & alia Sacramenta exhibendo. In quibus sufficienter poterunt occupari tam Sacerdotes quam alii Clerici, qui tenentur eorum esse ministri & coadjutores. Sic ergo data sunt ipsa Sacramenta Clericis in exercitationem; laïcis autem data sunt in eruditionem, ut supra monstratum est; utrisque autem tam Clericis quam laïcis data sunt in humiliationem, quia utrique Sacramenta suscipiunt, in quibus propter Deum se creaturæ subjiciunt, cui ante immoderatè amando, contra Deum se subjecerunt.

In quibus consistunt Sacramenta.

CONSISTUNT autem Sacramenta (ut dicit Magister in IV. Sententiarum) in duobus, scilicet in rebus & in verbis; & per res intellige omnia sensibilia ad Sacramentum necessaria præter verba, ut aquam, oleum, linitionem, panem, vinum, impositionem manuum, & cetera hujusmodi; in Sacramento tamen in quo necessaria sunt: per verba autem, intellige omnia verba necessaria ad Sacramentum, sive sint invocatio Trinitatis, sive alia quæcumque verba ad ipsum Sacramentum necessaria. Unde per aquam & oleum quæ hìc quasi causa exempli ponit, intellige omnes res necessarias in omnibus Sacramentis; & per nomen Trinitatis, omnia verba necessaria ad Sacramenta: hoc tamen scias quod non in omnibus Sacramentis æqualiter sunt hæc duo necessaria.

A Potest enim Matrimonium contrahi nutu vel signo, quæ succedunt loco verborum, ut in mutis: potest etiam vera Pœnitentia sine Confessione & Satisfactione in aliquo casu haberi. Veruntamen de Pœnitentia dicunt aliqui quod tota virtus Pœnitentiæ potest haberi sine Confessione & Satisfactione, sed non Sacramentum Pœnitentiæ in quantùm Sacramentùm; quia sic, id est in quantum Pœnitentia est Sacramentum, Contritio, Confessio & Satisfactio ad esse suum exiguntur, ut partes suæ integrales: & sic in casu prædicto habetur virtus Sacramenti, sed non Sacramentum in quantùm Sacramentum. Unde si homo sic contritus, sine Confessione & Satisfactione decederet & ex post resuscitaretur, ipse tenetur ad Confessionem & Satisfactionem.

B

In quibus differunt Sacramenta novæ Legis à Sacramentis veteris Legis.

HIC notandum venit qualiter & in quibus differant Sacramenta novæ Legis à Sacramentis veteris Testamenti. Et secundùm Augustinum tota differentia est timor & amor; quia veteres sua Sacramenta adimplebant timore, nos verò Sacramenta Evangelica ex amore: & ad litteram, datio veteris Legis tota fuit in timore & igne & fumo & aliis terribilitatibus; sed nova Lex tota in benignitate & gratia. Hugo de sancto Victore inter Sacramenta novæ Legis & Sacramenta veteris Legis ponit triplicem differentiam. Prima est, quòd nostra Sacramenta sunt immediatè signa gratiæ; sed illa non sic immediatè sunt signa gratiæ sicut nostra. Secunda differentia est, quòd nostra Sacramenta sunt signa & causæ, illa verò sunt signa tantum. Tertia differentia est, quòd illa Sacramenta veteris Legis tantùm promittunt gra- C tiam quam non continent, nostra autem dant gratiam quam continent.

Quot modis Sacramenta iterentur.

TRIBUS autem modis dicitur Sacramentum iterari. Uno modo ex parte efficientis, utpotè conferentis; & sic omne Sacramentum est iterabile, quoniam idem Episcopus frequenter confirmat, frequenter ordinat: idem etiam Sacerdos frequenter baptizat, consecrat Corpus Christi, & hujusmodi. Alio modo dicitur Sacramentum iterari respectu suscipientis, ut cum ab eodem idem Sacramentum non numero, sed specie suscipitur; & hæc iteratio est in quibusdam Sacramentis, & in quibusdam non: sunt enim aliqua Sacramenta instituta in remedium malorum quæ frequenter personæ accidere solent, & in quibus non imprimitur character, sicut Pœnitentia in remedium mortalium actuum, & Eucharistia in remedium venialium, & Extrema-unctio in remedium utrorumque, & etiam corporalis morbi. Et D hæc Sacramenta, sicut mala (in quorum remedium instituta sunt) frequenter accidunt; ita frequenter conferri & iterari possunt. Sunt & alia Sacramenta in quibus imprimitur character, & hæc Sacramenta propter dignitatem characteris quem sic imprimunt (qui semel impressus indelebilis est) iterari non possunt. Tertio modo iterari dicitur Sacramentum, sic scilicet quod eadem forma verborum numero, super

per eamdem materiam numero, ad eamdem sanctificandam proferatur. Et isto modo nullum Sacramentum iteratur, quia sic verba sanctificata seu sanctificantia viderentur insufficientis efficaciæ respectu sanctificationis illius materiæ. Quod si objicias de Extrema unctione, in qua videtur eadem forma verborum iterari super eumdem infirmum: dic quod non iteratur illa forma verborum super eumdem infirmum nisi se aliter habentem & sic alteratum; hoc est, nisi alia ei infirmitas numero superveniat, vel ejusdem infirmitatis magna fiat immutatio, & sic propriè non videtur super eumdem fieri.

Assignatio numeri Sacramentorum secundùm septem virtutes.

De numero Sacramentorum sciendum est, quod septem sunt; scilicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordo, Matrimonium, quæ continentur in hoc versu.

Abluo, firmo, cibo, piget, ungit, & ordinat, uxor.

Quæ convenienter septem assignantur secundùm septem virtutes; ut videlicet Baptismus sit Sacramentum Fidei: in ipso enim initiatur ipsa Fides. Extrema unctio sit Sacramentum Spei: qui enim inungitur sperat specialiter de meritis Ecclesiæ & de misericordia Dei. Eucharistia sit Sacramentum Charitatis: unde Hilarius lib. VIII. *de Trinitate* dicit Sacramentum esse amoris. Confirmatio sit Sacramentum Fortitudinis, quæ necessaria est ad pugnam spiritualem, ad quam quis confirmatur. Pœnitentia sit Sacramentum Justitiæ, propter satisfactionem in qua unicuique reddere debet quod suum est. Ordo sit Sacramentum Prudentiæ, propter clavem scientiæ quæ confertur ordinato. Matrimonium sit Sacramentum Temperantiæ, eò quod libido in illo Sacramento honestate excipitur nuptiarum.

Alia assignatio per contrarietatem ad septem peccata capitalia.

Potest & aliter numerus ipsorum Sacramentorum accipi, secundùm contrarietatem quam habent ad vitia capitalia: videlicet Baptismus sit contra superbiam, eò quod homo ibi se maximè humiliet communissimo Elemento scilicet aquæ. Eucharistia contra invidiam, quæ contrariatur Charitati, & ita Eucharistiæ quæ est Sacramentum amoris. Confirmatio contra acediam; eò quod homo confirmatur, ut fortis efficiatur in spiritualibus, in quibus deluber est acediosus. Extrema unctio contra iram; ira enim tumere facit, & tumoris mitigatio est ab unctione. Ordo contra avaritiam; quia ordinati Deum esse suam portionem profitentur, non aliquod mundanum: unde in susceptione Clericatus, qui omnium initium est Ordinum, dicitur illud Psal. *Dominus pars hereditatis meæ &c.* Ps. 15. 5. Pœnitentia contra gulam; quia inducit abstinentiam & carnis macerationem. Matrimonium contra luxuriam; ubi turpis voluptas honestate excipitur nuptiarum.

DECLARATIO

Particularis Sacramentorum, & primò de Baptismo.

Post hæc accedendum est ad ipsorum Sacramentorum declarationem, & primò de Baptismo. Ubi primò videndum est quid sit, scilicet quid sit nomine & ratione. Quot modis fit, seu quotuplex est. Quæ sit propria ejus materia. Quæ sit ejus propria forma. Quis sit ejus effectus. Quis Minister. Quæ conditiones accedentium ad Baptismum. De Patrinis, & quod est eorum officium.

Quid sit Baptismus nomine & ratione

Videtur autem baptismus quoad nomen idem esse quod lavacrum, sicut baptizare idem est quod lavare. Unde glossa Can. IV. *Baptismus & lavacrum sunt ejusdem rei nomen, sed unum Latinum est, alterum Græcum.* Sic ergo baptismus dum generaliter sumitur idem est quod lavacrum; specialiter verò aliquando ipsum designat Sacramentum: aliquando autem ipsam actionem scilicet ipsam lotionem; unde dicitur Baptismus Joannis, id est ablutio qua abluebat Joannes: aliquando verò designat ipsam passionem seu susceptionem lotionis; unde Marc. 7. 8. *Relinquentes enim mandatum Dei tenetis traditiones hominum, batismata urceorum & calicum*, id est, quibus lavantur urcei & calices: aliquando autem nominat, seu designat ablutionem sacramentalem; ut cum dicitur, baptismus est tinctio, ut in subjuncta definitione exprimitur: unde Baptismus ab Augustino sic definitur. *Baptismus est tinctio in aqua verbo vitæ sanctificata.* Et intellige tinctionem passivam scilicet qua intingitur baptizatus, sicut vult Magister in Sententiis, & multi alii. Et si objiciatur quod Baptismus manet in baptizato, tinctio autem illa transit, quare ut videtur, non potest dici Baptismus. Responde, quòd quamvis tinctio illa in se transire videatur, manet tamen in suo effectu; scilicet in charactere quem imprimit, qui quidem indelebilis est, & ideo non omnino transit illa tinctio, cum in suo effectu maneat. Et in dicta definitione dum dicitur, *tinctio*, scilicet facta *in aqua verbo vitæ sanctificata*, id est in aqua quæ per verbum vitæ, id est per invocationem sanctæ Trinitatis *sanctificata* est.

Quotuplex sit Baptismus.

Est autem triplex Baptismus scilicet fluminis, flaminis & sanguinis. Baptismus quidem fluminis est qui fit in aqua secundùm modum Ecclesiæ consuetum, qui omnino à culpa liberat, tam scilicet peccati actualis si ipsum invenerit sicut in adultis, quàm originalis sicut in parvulis, qui tantum originalem culpam habent; liberat etiam à pœna debita: insuper imprimit characterem. Baptismus flaminis est cum quis habens Fidem, volens baptizari caret Baptismo aquæ, non quidem per negligentiam vel contemptum; sed propter impotentiam, quia scilicet habere non potest, ubi defectum supplet gratia Spiritus sancti. Et iste liberat à culpa & à pœna debita. Baptismus sanguinis est ut in Martyribus qui non valentes habere Baptismum aquæ, proprio sanguine baptizantur, vel potiùs merito pretiosissimi Sanguinis in Cruce effusi. Et hic similiter liberat à pœna & à culpa.

Isti duo ultimi modi extenso nomine dicuntur Baptismi, quia quoad evacuationem culpæ & pœnæ supplent locum fluminis; sed tamen non imprimunt characterem.

Unde extat opinio quod si contingeret aliquem talium sic baptizatorum resuscitari, teneretur denuò baptizari Baptismo aquæ.

Nec tunc diceretur Baptismus iterari, quia non eadem species iteraretur.

Quæ sit propria materia in Sacramento Baptismi.

Propria materia in Sacramento Baptismi est sola aqua, eò quod ut dicit Magister IV. Sententiarum. *Hoc Sacramentum tantùm in aqua celebratur*: cujus causæ & rationes sunt multæ, & assignari possunt.

Una, quia aqua vim refrigerandi habet & abluendi, & ideo signat gratiam abluentem culpæ maculam, & refrigerantem incendium quod est in æstu fomitis

mitis & concupiscentiæ; quæ duo sunt principales effectus Baptismi. Et ideo ad designationem hujus duplicis gratiæ, fit in aqua.

Secunda causa est communitas hujus Elementi & facilitas habendi, quia nullus etiam inopum prohibetur ab aqua. Et ideo quia Sacramentum necessitatis est, fit in communissimo Elemento, ut nullus à suscipiendo excusetur.

Tertia causa est communitas & facilitas aquam inveniendi, quia ubique est & in omni parte mundi invenitur ubi habitant homines, & hoc iterum competit huic Sacramento sic generaliter necessario.

Quarta causa est, quia non vinum vel oleum; sed aqua de latere Salvatoris fluxit, ubi secundùm quosdam initium sumpsit hoc Sacramentum.

Quinta causa est, quia Spiritus sanctus vivificans, primò super aquas apparuit: unde Genes. I. *Spiritus Domini ferebatur super aquas.*

Sexta causa est quia Salvator noster in rivis Jordanis sua mundissima ac sanctissima carne hoc Elementum tetigit, dans ei virtutem ut spiritiferas aras facere possit, ut dicit Chrysostomus.

Sed numquid in quolibet aqueo liceat baptizare? Numquid primò in aqua marina, quæ non videtur aqua simplex; quia habet immixtum adustum terrestre, ob quam causam est salsa? Ita numquid in brodio vel cerevisia vel medone? Item numquid in aqua calida, ut in balneo? Circa hæc ab aliquibus sic destinguitur: quia vel illa commixtio aquæ tollit speciem & proprietatem Elementi, & ipsum trahit in aliam speciem, aut non. Si autem tollit, tunc in illa commixtione non potest fieri Baptismus, sicut nec in medone, nec in cerevisia, nec in lixivio & in urina, nec in aqua quam alchimistæ faciunt ad mutanda metalla, quæ vehementissimam vim habet purgandi & dissolvendi. Si autem non tollit proprietates & speciem aquæ, quin ipsa aqua remaneat in virtute refrigerandi & abluendi, & non dissolvendi ad modum aquarum acutarum; tunc in illis potest fieri Baptismus: unde in mari & in aquis turbidis potest fieri Baptismus, & etiam in brodio, si non sit remotum, & alteratum in specie Elementi per illud quod coctum est in eo.

Unde adhuc quæritur, utrum in aqua calida sicut in Balneo possit fieri Baptismus? Constat quod sic, eò quod illa aqua per accidentalem caliditatem non amisit suam naturalem frigiditatem, quinimò consultiùs facerent Sacerdotes (ut dicunt aliqui) si in tempore frigido facerent aquam pro baptizando calefieri; quia aliquando parvuli baptizandi adeo frigore aquæ penetrantur, quod inde contrahunt mortales infirmitates & moriuntur.

Sed quid si alius liquor admisceatur aquæ, utpotè cerevisia vel vinum; numquid in illa aqua fit Baptismus? Dicitur quod sic, si aqua in illa commixtione prædominetur, aliàs non.

De forma præscripta Sacramenti Baptismi.

De forma præscripta hujus Sacramenti dicendum est quid sit, quoad verba proferenda. Quoad immersiones faciendas. Quoad quædam præparatoria quæ de hujus sunt solemnitate Sacramenti.

De forma Sacramenti Baptismi quoad verba.

Forma autem verborum talis est. *Ego baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Ubi nota hoc pronomen *Ego*, secundùm omnes fere Doctores etiam Decretistas, non est de necessitate Sacramenti, & potest omitti sine magna culpa, tutiùs est tamen apponere: sed reliqua verba sunt de forma quoad necessitatem, adeò quod si aliquid eorum omittatur, non fiat Baptismus.

Quod autem Apostoli baptizaverunt in nomine Christi, & non expressè invocando Trinitatem, triplex causa assignatur. Una quia illo tempore odiosum erat illud nomen salutare, & ideò ut homines videntes Spiritum visibiliter ad ejus invocationem descendere, magis illud nomen revererentur; cautum ad tempus apud eos, donec illud nomen ampliùs publicaretur, ipso invocato, baptizare.

A

Alia causa fuit significatio nominis, quæ implicitè exprimit Trinitatem; quia in hoc nomine Christus qui interpretatur unctus intelligitur ungens Pater, unctus Filius, unctio Spiritus sanctus.

Tertia causa fuit revelatio divina eis facta; quæ licet non legatur; non tamen putatur Apostolos hoc præsumpsisse, nisi Spiritus sancti instinctu & jussione monerentur.

Sed quid si modò in nomine Christi baptizaretur? Dicunt quidam Magistri Doctorum quòd non debet in nomine Christi baptizari, si tamen baptizatum fuerit; valet Baptismus. Ambrosius, Hugo de sancto Victore in Lib. *de Sacramentis* & Magister in Lib. IV. Sententiarum videntur idem sentire, & etiam modernorum aliqui. Alii quidam, licet pauci quos viderim, sentiunt contrarium, eò quod secundùm ipsos non fit Baptismus his diebus nisi per invocationem Trinitatis explicitè.

B

Sed quid si ex turbatione animi una tantùm persona nominaretur, ut si diceretur solum, *baptizo te in nomine Patris?* Item quid si fiat aliqua transpositio aliquarum dictionum, ut *Baptizo te in nomine Filii & Patris*, &c. Item quid si fiat appositio aliarum dictionum, ut *Baptizo te in nomine Patris & Beatæ Mariæ?* Item quid si in prolatione verborum fiat aliqua interpositio, utputa, *Baptizo te in nomine Patris*, & interponatur, veni huc, vel porta sal & hujusmodi & postea dicatur, *& Filii* &c. Quid si fiat corruptio verborum, ut *Baptizo te in nomine patria & filia*, & hujusmodi? Responsio. In primo casu, Hugo de sancto Victore baptizatum dicit: ait enim; *vides ergo qualiter in Fide Trinitatis, solo Patre & Filio nuncupato, plenum sit Baptismatis Sacramentum.* Alii volunt quod non sit Baptismus, sicut plenè vult Huguelinus *in Apparatu* suo super Decretales. Magister etiam Albertus idem dicit, & plenè contradicit in Lib. Sententiarum in hac parte ubi per unius personæ nomen intelligi dicit Trinitatem; in quo nomine Apostoli baptizaverunt, ratione jam dicta, scilicet quod cujuslibet istorum trium nominum significatio, implicitè exprimit Trinitatem. In secundo casu, cum fit aliqua transpositio dictionum, secundùm Huguelinum & secundùm aliquos modernorum Magistrorum, qui volunt quod cum ipse ordo verborum sit de forma Baptismi, non est baptizatum. Alii dicunt quod peccat qui transponit; tamen si nihil aliud faciat nisi transpositionem, nec intendit deridere, vel hæresim inducere, baptizatum est, quod ego melius credo. In tertio casu, scilicet cum aliquid apponitur, distinguunt aliqui, quia aut apponitur aliquid non corruptum, ut patet in exemplo superius posito, ubi addit, & *Beatæ Mariæ*: & tunc dicunt esse peccatum in appositione, sed quod baptizatum est. Aut apponitur aliquid corruptum, ut si dicatur. *Non baptizo te in nomine Patris* &c. Vel *Baptizo te in nomine Patris* &c. & Diaboli. Et tunc dicunt non esse baptizatum, nec aliquid fieri: & eodem modo in quarto casu cum fit interpositio aliqua, maximè si casu vel aliqua necessitate aliquid interponatur quod non corrumpit, ut patet in dicto exemplo. Et istam opinionem videtur confirmare Augustinus in *de unico Baptismo* Lib. VI. Alii volunt quod in isto quarto casu non sit baptizatum, maximè interposito aliquo quod sit præter vel contra formam. In ultimo casu dicitur, quod si dicantur corruptè verba ex ignorantia vel impotentia rectè sonandi; tamen non intendit baptizans hæresim sequi vel inducere, baptizatum est.

C

D

Secus tamen esset si fieret corruptio in principio dictio-

dictionis; quia corruptio in principio dictionis, variat & aufert signatum ipsius dictionis, nec sic est dum corruptio fit in fine. Unde verbi gratia. Istæ dictiones Sortes, Sortis, Sortem, eamdem personam signant & repræsentant; non sic autem istæ dictiones fortes, & mortes. Et ideo dicunt quod corruptio in principio dictionis tollit formam Baptismi, non autem corruptio in fine.

De forma Baptismi quoad immersiones.

FORMA autem Baptismi quoad immersionem hæc est; ut accipiatur puer per latera facie ejus versa, capite etiam ad Orientem verso, & mergatur, & simul mergendo dicatur. *Ego te Baptizo in nomine Patris.* Secundò, capite ad Aquilonem verso dicatur, & Filii. Tertiò capite ad Austrum verso dicatur, *& Spiritus Sancti*: ut sic pedibus semper versus orientem tentis formetur Crux Christi, in cujus morte baptizamur. Hoc tamen scito, quod si prima mersione omnia verba proferantur, completum est Sacramentum & perfectè baptizatum. Sed quid si moriatur puer in prima mersione Patre nominato, vel in secunda Patre & Filio nominatis? Creditur quod baptizatus sit plenè; quia tunc summus Sacerdos supplet quod Minister supplere non potuit: idem dicitur si Sacerdos vel quicumque baptizans una mersione facta, vel una persona nominata moriatur. Sed quid si fiat mersio nihil dicendo præ turbatione vel ignorantia, vel si mutus sit qui baptizat? Dicitur ab omnibus quod nihil tunc fit, cum ipsa Trinitas nec explicitè nominetur. Sed quid, si non adsit tantùm de aqua ut infans ex toto mergi possit? Dic quod tunc illud quod est principalior pars, utpote caput, vel mergatur vel aqua perfundatur: si enim una extremitatum utpote manus vel pes immergatur, dicunt quidam quod non baptizatum est. Aliqui alii Decretistæ dicunt, quod si aqua in quacumque parte corporis cadat, baptizatum est, & ponunt argumentum per simile. Sicut sufficit possidere partem agri ad hoc ut quis totum possidere videatur, dum tamen ejus sit animi ut totum possidere intendat: idem sentiunt quidam de his qui non totaliter egressi sunt uterum maternum, videlicet quod si principalior pars egressa fuerit, poterit baptizari. Quod utrum verum sit, nescio, præsertim cum oporteat quemlibet nasci ad hoc ut renascatur.

De forma aliquorum quæ sunt de solemnitate Baptismi.

FORMA autem quæ servari debet in Baptismo, quæ concernit aliqua quæ sunt de solemnitate Baptismi, in his constat. Ut primò scilicet catechizetur baptizandus.

Circa quod multa diversimodè fiunt, secundùm diversas consuetudines Ecclesiarum. Sed ut frequentiùs; Primò exsufflatur; ut virtus dæmonis exterior expellatur.

Secundò signum Crucis fit ei in pectore & fronte; ut diabolus se cognoscat pelli ab illo tam in occulto cordis quam in aperto confessionis.

Tertiò accipit sal in ore; ut sapor sapientiæ præparetur, & fœtor fomitis restringatur.

Deinde fit linitio aurium & narium cum sputo; ut discretionem Fidei habeat & gratiam, quæ per salivam à capite descendentem signatur; ut scilicet sensus ejus quoad Doctrinam Fidei in auditu, & discretio in naribus significata, aperiantur Christo. Deinde fit inunctio in pectore, propter cor Deo præparandum, & in scapulis, ut fortitudinem accipiat ad portandum onus Domini.

Post Baptismum autem fit inunctio Chrismatis in vertice, ut appareat mens imputribilis Deo; vel ut Spiritui Christi participando, meritò deinceps Christianus appellaretur, heres jam regni effectus.

Deinde fit vestitio de veste candidissima, in signum innocentiæ quæ accipitur in Baptismo, & gloriæ, quam exspectat in resurrectione.

Tandem cereus accensus sibi ponitur in manu; ut sic luceat vita ejus coram hominibus ut glorificetur Pater qui in cœlis est. Et si adest Episcopus, confirmatur. Et si adultus est, datur ei Eucharistia post Confirmationem.

Quis sit effectus Sacramenti Baptismi.

QUIS autem sit effectus Baptismi, liquet ex doctrina Magistorum qui ponunt triplicem ejus effectum. Primus effectus est omnimoda evacuatio culpæ originalis in parvulis, & tam originalis quàm actualis in adultis, præter exteriorem pœnitentiam. Secundus est debilitatio fomitis. Tertius est collatio gratiæ.

Quis sit idoneus Minister Sacramenti Baptismi.

MINISTER autem in hoc Sacramento quoad Deum & Ecclesiam, est habens Ordinem Sacerdotalem, Jurisdictionem & laudabilem vitam. Tempore tamen necessitatis est vel esse potest quilibet, nec sexum virilem, nec Ordinem, nec Jurisdictionem habens, nec laudabilem vitam; immò etiam vetula. Largissima etenim pietas Dei qui neminem vult perire, sicut ad hoc Sacramentum tam necessarium providit communem materiam, quæ ab omnibus potest haberi & ubique inveniri; ita etiam in casu necessitatis de generali Ministro providit, voluitque ut ipsius necessitatis tempore quilibet alium possit baptizare. Unde quamvis talis non habeat potestatem ex Ordine, habet tamen potestatem ex tempore. Sed numquid licet aliquem in necessitate à Sacerdote simoniacè recipere Baptismum, maximè cum aquam ad se vel parvulum suum baptizandum aliter habere non possit nisi eam emat? Item numquid ebrius qui jam amisit usum linguæ possit baptizare? Item numquid hæreticus potest baptizare? Numquid potest unus duos baptizare dicendo. *Ego baptizo vos* &c. Et è converso plures unum, dicendo. *Nos Baptizamus te* &c. Item potest-ne aliquis in ultima necessitate, cum non est alius præsens, baptizare seipsum? Item quid si jocosè vel joculatoriè quis aliquem baptizaret, numquid baptizatus est?

Respondetur in primo casu secundùm quosdam, quod si Sacerdos non vult te baptizare vel parvulum nisi des pretium; non dabis, sed hoc facies quod si Sacerdos præsens non esset facturus esses, eò quod nullo modo facienda sunt mala ut eveniant bona. Sed plures alii dicunt quod in dicto casu possit ab eo baptizari, eò quod quærens Baptismum non emit aquam, nec emit actum Baptismi, sed tempore necessitatis potest redimere vexationem sui juris, & pro se si ipse baptizandus est, & pro parvulo si quem habeat baptizandum: & tunc non fiunt mala ut eveniant bona, nec committitur simonia ex parte quærentis Baptismum, nec etiam committit se discrimini pro salute sua vel alterius.

In secundo casu scilicet in ebrio; aut in tali ebrio omnino suffocatur ratio aut non suffocatur, sed tantum patitur impedimentum linguæ. Si autem omninò suffocatur ratio, dicitur quod baptizare non potest: si autem impedimentum tantùm linguæ patitur, habetque discretionem, potest niti ad formandum dictiones cum studio; unde si non adsit alius, potest talis baptizare: sed si nullam posset dictionem exprimere, secus esset; sed non videtur quod ebrietas quæ non ligat rationem, tan-

tantum impedimentum præstet ut cum diligenti studio non possit exprimere verbum.

In tertio casu scilicet de hæretico dicitur quod hæreticus baptizans in forma hæretica, non baptizat; sed hæreticus baptizans in forma Ecclesiæ, dummodò habeat intentionem baptizandi, baptizat in Fide Ecclesiæ, & baptizatum est. Et ponit de hoc Augustinus contra Donatum hæreticum conveniens exemplum. Quia sicut Jacob semen benedictum non tantùm genuit per uterum liberarum, sed etiam per uterum ancillarum; ita Christus non tantùm spiritualiter regenerat ministerio fidelium; sed etiam ministerio infidelium, eò quod actus suus sit, non hominis.

In quartò casu dicitur, quod unus potest tot baptizare quot potest simul mergere vel perfundere pro necessitate. Dico quod præter necessitatem nullatenus est hoc faciendum: nec est lis, in tali casu de necessitate formæ, quia Dominus tradens formam baptizandi dixit, *eos*, cui tantùm consonat *vos* quantùm *te*, Sed secus est si duo baptizent unum, dicendo baptizamus te, quia secundum Huguelinum in *Apparatu* suo super *Decret.* non est baptizatus. Sed si plures simul mergant puerum proferentes singuli formam Ecclesiasticam, *ego baptizo te* &c. confertur Baptismus; nec est iteratum Sacramentum propter illam verborum iterationem seu multiplicationem, ut dicunt, nisi cum hoc etiam iteraretur & mersio simul. Sed esto quod duo sint baptizantes aliquem, quorum unus sit mancus & dicat verba, & alius mutus & mergat puerum, numquid est baptizatus: dicitur quod non, quia in omni Sacramento habente præscriptam formam, illud quod solemnitatis est, benè dividitur, sed illud quod est necessitatis nequaquàm. Et ideo quia utrumque scilicet forma verborum & mersio sunt de necessitate Sacramenti, dividi non possunt, unde non est baptizatus.

In quinto casu scilicet utrum aliquis possit seipsum baptizare, secundùm Canones constat quod non, & fortè ideo, quia sub hac spe posset nimis differri baptismus, eò quod quando vellet posset seipsum baptizare. Insuper sicut contra naturam est quod quis seipsum generet, ita contra rationem videtur esse quod quis seipsum possit regenerare. Veruntatem si desideret Baptismum & non sit alius qui ipsum possit baptizare; si in illo statu moreretur salveretur, eò quod esset baptizatus Baptismo flaminis, qui supplet in necessitate Baptismum fluminis.

In ultimo casu dicitur quod si jocosè, cum intentione tamen faciendi quod facit Ecclesia, super non baptizatum proferat verborum formam, mergendo in aquam, ipso tunc, vel ante non reclamante, baptizatus est; quia tunc non totum fuit jocosum vel joculatorium, eò quod intentio faciendi quod facit Ecclesia joculatoria non fuit. Si autem totum fuit joculatorium vel ipse reclamasset, tunc nihil fieret. Et ponunt Jurisperiti exemplum per simile in stipulatione. Nam cum ludendo dicuntur hæc verba *spondes*, *spondeo*, non inducitur obligatio.

De qualitatibus seu conditionibus accedentium ad Baptismum.

Nunc dicendum est de conditionibus accedentium ad Baptismum. Et primò quæritur de fictè accedente, utrum Baptismum recipiat? Item utrum dormientes possint baptizari? Item an amentes? Item an inviti?

Ad primum dicitur quod fictus suscipit Baptismi Sacramentum, sed non rem Sacramenti vel effectum, eò quod ponat obicem Spiritui sancto & gratiæ sacramentali: vult enim aliquis quod stare non potest cum gratia sacramentali, sed cessante fictione suscipit effectum. Quis autem dicatur fictus, & quis fictus recipiat characterem, & quis non? Dic in effectu post Raymundum in Summa, quod ille fictus qui se simulat velle suscipere Baptismum, & omninò suscipere non intendit; non recipit Sacramentum, nec rem Sacramenti. Sed qui exteriùs suscipiens se simulat interiùs dispositum cum non sit, vel quia non credit, vel quia indevotus, ideſt cum proposito peccandi accedit, vel contemnit Sacramentum, ideſt non reveretur, ille non suscipit rem Sacramenti, ideſt gratiam; characterem tamen suscipit.

In secundo casu scilicet de dormientibus, distinguitur. Aut quia ante dormitionem habebant voluntatem omnino contrariam & repugnantem, & in ipsa contradictione perstiterunt, aut non: si sic, tunc dormientes si baptizentur nihil recipiunt nec Sacramentum nec rem Sacramenti, ut patet *extra: de bapt. c. majores. in fi. in antiquis.* Si autem non apparuerit talis voluntas eorum, sed vigilantes institerint baptizari, nunc sitimeatur de periculo, possunt dormientes baptizari. Idem dicendum est de lethargico & de amentibus. De amentibus tamen distingunt aliqui. Aut furia est perpetua aut non. Si sic, pro infantibus habendi sunt, qui & si nunquam voluerint baptizari, nunquam tamen etiam noluerint, quod sufficit ad baptismalem characterem imprimendum. Si autem furia non est perpetua, utputa quando aliquis incidit in furorem vel amentiam, tunc distinguendum est, sicut supra distinctum est de dormientibus. Ad illud autem quod quæritur de invitis, distinguendum est, quia aut omninò ita fuerunt nolentes baptizari, ut pro posse suo resisterent, & resisterent cum usu rationis, quod dico propter amentes; & tales nullo modo recipiunt Sacramentum, nec ut priores sunt rebaptizandi.

De Patrinis & ad quid tenentur.

Postremo de Patrinis tangendum est, qui sint & ad quid tenentur: in cujus persona respondeant: an excusentur à mendacio. Solutio secundum Hugonem de sancto Victore, Patrini vocantur qui parvulos ad Baptismum offerunt ut regenerentur ad vitam novam. Et scias quod Patrini idonei non possunt esse infideles, cum teneantur instruere parvulum in Fide Catholica quod non potest infidelis. Item nec Religiosæ personæ, propter susceptam familiaritatem quæ generatur per talem Compaternitatem. Ad quid autem Patrini teneantur? scias quod secundùm Augustinum maximè tenentur ad duo scilicet monere ad virtutes, & docere Symbolum & Orationem Dominicam. Dicit autem Magister Albertus quod Patrini ad istam diligentiam obligantur; si tamen aliter non instruantur parvuli: sed quia parentes sunt communiter in istis circa parvulos diligentes; *Credo* etiam & *Pater noster*, cantantur in Ecclesia, & mores prædicantur ac in bonis operibus ostenduntur, in magna parte excusantur modò Patrini. Secùs autem fuit in primitiva Ecclesia, quando parvuli inter infideles nutriebantur. Deinde Patrini in persona parvulorum respondent, & tantum valet cum ipsi Patrini dicunt, *Credo*, ac si parvuli met dicerent, Sacramentum Fidei paratus sum suscipere. Quod verum videtur, cum non habeant obicem contrariæ voluntatis vel dissensus, & ad credendum ista non reperiatur in eis usus liberi arbitrii. Patet ergo quod Patrini ita pro parvulis respondentes non mentiuntur.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS

Et pertinentibus ad ipsum.

IN materia autem Sacramenti Confirmationis videndum est primò. Utrum istud Sacramentum sit necessarium ad salutem. Quæ sit propria materia in hoc Sacramento. Quæ sit propria forma. Quis Minister. Quis ejus effectus. Quales ad Confirmationem accedere debent. Et an aliquis possit seipsum repræsentare.

An Sacramentum Confirmationis sit necessarium ad salutem.

AN autem Confirmatio sit necessaria ad salutem dubitari potest: & videtur quod sic, loquendo etiam non quoad esse bene institutum; sed quoad esse necessarium, maximè cum dicat Hugo de Sancto Victore, *Quid prodest si per Baptismum a lapsu erigeris, nisi etiam per Confirmationem ad standum confirmeris.* Ad quod dici potest, quod uno modo loquendi, Confirmatio necessaria est, alio modo non: necessitas enim duplex invenitur, quædam absoluta & quædam conditionata.

Absoluta est, quia illud sine quo res esse non potest, necessarium dicitur. Sic Baptismus necessarius est ad salutem, quia sine eo non est salus nisi cum necessitas excluderet Sacramentum. Sic etiam Pænitentia necessaria est ad salutem post lapsum in mortalem culpam; & isto modo Confirmatio non est ad salutem necessaria. Alio modo dicitur necessitas conditionata idest secundùm quid; ut si homo non debeat debilitari, necesse est bene comedere: & isto modo dici potest quod Confirmatio ad salutem est necessaria; nam ad hoc quod debeat vita spiritualis & salus in Baptismo adepta robustè contra hostes spirituales custodiri, necesse habet hoc Sacramento confirmari & confortari: datur enim hoc Sacramentum ad robur. Unde dicit Hugo de sancto Victore illud quod supra allegatum est. *Quid prodest* &c. Non quia sine Confirmatione non valeret Baptismus ad salutem, quia hoc falsum est, sed quia frequenter in pugna spirituali ex debilitate virtutis spiritualis accideret etiam facilitas cadendi, & proinde damnatio, nisi esset Confirmatio.

Quæ sit propria materia in Sacramento Confirmationis.

MATERIA autem hujus Sacramenti debita, est Chrisma, quod conficitur ex oleo olivarum & balsamo per Consecrationem & Sanctificationem Pontificis.

Rabanus *De naturis rerum. Balsamus in Chrismatis confectione liquori olivæ commisceri, & Pontificali benedictione solet consecrari.* Unde aliud oleum quàm oleum olivarum, ut communiter dicitur; vel oleum & balsamum non consecrata, non sunt nec esse possunt materia hujus Sacramenti.

Nec est simile de Baptismo, in quo in necessitate potest esse materia aqua non consecrata; quia Baptismus Sacramentum est necessitatis, & ideo in necessitate sine mora benedictionis cum forma Ecclesiastica baptizatur. Confirmatio autem non est Sacramentum necessitatis, eò quod multi non confirmati salvantur, dummodo contemptus Sacramenti non interveniat. Ideo etiam in necessitate, oleo non consecrato non potest quis confirmari.

Quæ sit forma in Sacramento Confirmationis.

FORMA autem verborum quibus utuntur Episcopi duplex est. Et secundùm quosdam talis est. A *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris*, &c. Secundùm alios talis est. *Firmo te signo Crucis & Chrismate salutis in nomine Patris*, &c. Sed primus modus generalior est, eò quod generaliùs dicantur priora verba in Consecratione. Et nota cum hoc Sacramentum ordinatum sit contra debilitatem ex fomite surgentem, quæ non tota purgatur in Baptismo; sed remanet debilitas ad exercitium, & sit duplex debilitas in nobis, scilicet interior & exterior; indigemus primò ut tollatur à nobis interior, quæ est verecundia noxia confitendi nomen Christi, quæ tollitur de jure in consignatione & impressione Crucis in fronte, in qua conscribuntur vexillo summi Imperatoris, in quo ipse de hoste triumphavit, quod omnem pudorem debet evacuare, & gloriam superinducere multiformem. Exemplum de portantibus insignia Regis in armis suis. Unde dicit Paulus ad Galatas ultimo cap. *Mihi absit gloriari nisi in Cru-* B *ce Domini nostri Jesu Christi.* Ad absolutionem ergo hujus verecundiæ fit in Confirmatione consignatio Crucis in fronte, ubi locus est verecundiæ & dicitur, *consigno te signo Crucis.* Indigemus etiam ut tollatur à nobis debilitas exterior quæ est flexibilitas seu instabilitas ad standum exteriùs in Confessione nominis Christi coram Regibus & Principibus mundi. Ad hoc fit Confirmatio Chrismate salutis quod designat ipsa inunctio; ut sicut inunctio per subintrationem in substantiam corporis ministrat ei fomentum humoris, ne desiccetur & rigescat in pugna; ita ipsa inunctio Chrismatis robustos & intrepidos nos efficit ad resistendum contra Principes hujus mundi, hoc est contra peccata, & contra principes tenebrarum, hoc est contra dæmones. Et ad istud robur conferendum dicit. *Confirmo te Chrismate salutis.* Et notandum quod quamvis nulla forma verborum legatur quibus confirmabant Apostoli, immò ut videtur *Act.* 8. tantum usi sunt pro Confirmatione impositione C manuum: tamen credunt Majores eos nunquam sine verbis, nec sine materia Chrismatis determinata confirmasse. Cujus argumentum est quod in Libro *de Ecclesiastica hierarchia* beati Dionysii, qui cum Apostolis fuit, habetur expressum capitulum de perficiendis & in templo offerendis, ubi loquitur de sanctificatione Chrismatis. Possunt hìc multa quæri & similiter solvi ut supra quæsitum est in Tractatu de Baptismo.

Quis sit Minister Sacramenti Confirmationis.

EST autem Minister in hoc Sacramento solus Episcopus cujus ratio assignatur: nam rem aliquam statuere vel facere minorum est, sed factam confirmare est majorum. Et ita baptizare omnium Sacerdotum minorum est, confirmare verò post Baptismum, majorum est, scilicet Episcoporum. Insuper res hujus Sacramenti Spiritus sanctus est, vel D gratia ejus collata ad robur contra debilitatem & timiditatem ex fomite procedentem, & ideo conveniens, quòd quoad signum Sacramentale, ab eo qui plenitudinem potestatis & vigoris habet, descendat.

Si autem objicias; si solus Episcopus hoc facere potest, aut ergo hoc habet ex Ordine aut ex Jurisdictione. Si ex Ordine ergo hoc etiam poterit simplex Sacerdos, quia Episcopus nullum habet Ordinem quem non habeat Sacerdos, ad minùs secundùm eos qui Episcopatum non ponunt esse Ordinem

nem: si autem Episcopus hoc habet ex Jurisdictione, sequitur quod electus confirmatus ante Consecrationem omnimodam habet Jurisdictionem.

Tu dic quod hoc, scilicet quod solus Episcopus potest confirmare, nec ex Ordine tantùm nec ex Jurisdictione tantùm habet, sed ex utroque simul. Unde hoc annexum est officio Episcopali sicut Consecratio Ecclesiarum, & Ordinatio Clericorum & Velatio Virginum, & hujusmodi.

A

Sed quid si aliquis Episcopus confirmet Chrismate nondum baptizatum, sive nondum Christianum, & fiant omnia quæ exiguntur ad collationem hujus Sacramenti; numquid Sacramentum tale est isti non baptizato collatum? Dicunt fere omnes quod non, eò quod Baptismus sit janua & fundamentum omnium Sacramentorum. Et sic ubi non nisi per Baptismum potest ad alia Sacramenta iter haberi, sic nec ad alia Sacramenta potest sine Baptismo superædificari. Sunt alii qui videntur modo contrario sentire.

Quis sit effectus Sacramenti Confirmationis.

Denique effectus hujus Sacramenti per supradicta in parte patet: secundùm enim Rabanum, *effectus hujus Sacramenti est roboratio per Spiritum sanctum, ut scilicet intrepidè prædicet aliquis quod ipse accepit*. Et dicit Magister in. iv. Sentent. quod *effectus ejus est donatio Spiritus sancti ad robur, scilicet contra debilitatem vel instabilitatem à fomite procedentem.* Si quis autem obviaverit dicens, quod idem est effectus Eucharistiæ scilicet robur Spiritus sancti, quia panis cor hominis confirmat, & quod ita superfluit istud vel illud Sacramentum. Dic quod vario modo est robur & effectus istius & illius Sacramenti, quia effectus Confirmationis est per se, effectus verò Eucharistiæ est per accidens: vel dic quod ad duo tenemur, scilicet ad credendum Articulos Fidei firmiter, & confitendum exteriùs audaciter, juxta illud Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et ideo duplici indigemus roboratione.

C

Una quæ intùs nutriat nos & confirmet ad credendum, & *est panis vitæ qui cor hominis confirmat*: & alia quæ confortet & confirmet nos ad audaciùs confitendum nomen Christi exteriùs; & hæc est Confirmatio. Unde quantum ad hunc respectum rectè recipitur Eucharistia interiùs & confirmatio exteriùs.

De qualitate accedentium ad Sacramentum Confirmationis.

De qualitate accedentium quæritur primò, qua ætate accedere debent? Item an jejuni vel pransi, quia *de Consec. Dist. 5.* dicitur, *ut jejuni veniant perfectæ ætatis, & moneantur Confessionem priùs facere, ut mundi donum Spiritus sancti valeant accipere.*

Sed dic quod utriusque ætatis homines scilicet puerilis & juvenilis simul accedere possunt. Et meliùs ac securiùs est quod pueri confirmentur, quia quamvis ætas immatura tentationes & fortes motus concupiscentiæ non sentiat; præparantur tamen ad pugnam spiritualem, cum tempus tentationis advenerit, & bonum ac securum est semper paratum esse. Decretum autem illud allegatum, de adultis loquitur qui tenentur ad illa quæ tangit.

Ad aliud dicitur quod propter Sacramenti reverentiam decet ut jejunus recipiat, & à jejuno conferatur: si tamen aliter propter raritatem & carentiam Episcoporum fiat, non nocet; meliùs est etiam post prandium confirmari dum potest haberi Episcopus, quàm ipso recedente Sacramenti pati dilationem.

Sed numquid aliquis ad hoc Sacramentum suscipiendum posset seipsum præsentare Episcopo? Dicitur quod non; quia confirmandus debet significari seu præsentari tanquam non habens propriam virtutem ad standum, sed indigens ut ab alio statuatur, seu stabiliatur & ideo ab alio est præsentandus.

In fine nota, quod confirmatus secundùm morem communem se debet per septem dies observare à lotione capitis & frontis, propter inunctionem Chrismatis & dignitatem hujus Sacramenti.

Insuper ut dicit Hugo de Sancto Victore, *tanto tempore debet confirmatus unctionem conservare in capite, ut scilicet caput non lavet, quanto adventus Spiritus sancti celebratur*, hoc est diebus septem, ut adventum Spiritus sancti ad se totidem diebus agat, quot agit universalis Ecclesia adventum Spiritus sancti super Apostolos scilicet in Pentecoste. Quid autem sit hic res, & quid Sacramentum? Dic quod Sacramentum est ipsa consignatio quæ per manus Episcopi fit in fronte confirmati, ex Chrismate (ut supra tactum est) sanctificata. Res verò Sacramenti est ipsa gratiæ spiritualis datio, ad robur contra debilitatem seu instabilitatem ex fomite procedentem.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

Et pertinentibus ad ipsum.

Tertio loco se offert Tractatus de Corpore Christi seu de Eucharistia. Ubi primò tangendum venit tempus institutionis ejus. Quæ utilitas ejus. In qua materia celebretur. Quæ in eo sit præcisa forma verborum. Quis ejus effectus. Deinde tanguntur aliqua de vero Corpore Christi. De conditione recipientium. De conditione Ministri.

De tempore institutionis Sacramenti Eucharistiæ.

Hoc Sacramentum ut plures volunt, in die Cœnæ plenè institutum fuit, & habuerunt verba Consecrationis plenam efficaciam à tempore illo usque nunc, quantam modo habent. Alii volunt quod tunc forma verborum perfectè tradita fuerit; sed quod virtus verborum usque ad Pascha suspensa est. Unde secundùm eos non potuit Corpus Christi confici in illo triduo, eò quod verba illa virtutem suam ex passione, sepultura, lateris apertione, & Resurrectione Christi contraxerunt, quæ omnia repræsentantur per signacula quæ in Missa fiunt. Sed credo quod prior sententia verior sit: alioquin si Christus ulteriùs per decem annos post cenam illam vixisset, non confecissent Apostoli virtute illorum verborum; quod non reputatur verum.

Quæ sit utilitas.

Assignantur hic plures utilitates, quæ causæ sunt quare institutum est hoc Sacramentum. Est autem prima & principalis, ut sicut homo per esum ligni vetiti perdidit vitam, ita recuperet per esum ligni vitæ. Secunda causa proxima huic est, ut hic scilicet sit aliquod nutrimentum hominis spirituale, secundùm illud Psal. 77. 25. *Panem Angelorum manducavit homo.* Tertia, ut uniantur membra corporis Christi suo capiti: hic enim cibus convertit cibantem in se, unitque sibi membra cibantia. Unde Augustinus *in Libro Confessionum* loquens sub nomine Christi. *Non me mutabis in te sicut cibus carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Quarta causa est, ut augeatur meritum

D

ritum Fidei quæ in hoc Sacramento maximè meretur: quam cauſam tangit Magiſter in. IV. Sentent. Diſt. 12. Quinta, eſt ſublevatio Spei, ut recipiamus in cœlo ſua, quò hic recipimus ſemetipſum: quam cauſam tangit Chryſoſtomus ſuper Joann. Sexta, eſt dilatatio Charitatis quæ hujus Sacramenti ſumptione augetur, eò quod ſit Sacramentum amoris, ut dicit Hilarius. Septima, diminutio venialium, ſicut infra tangetur.

De materia Sacramenti.

MATERIA hujus Sacramenti non eſt res una, ſed triplex, ſcilicet panis triticeus, & vinum aqua mixtum, quibus Chriſtus ea in Carnem & Sanguinem ſuum convertendo contulit vim talem, ut eſſent materia hujus Sacramenti. Unde Alexander Papa de Conſec. Diſt. 2. *In Sacramentorum oblationibus, quæ inter Miſſarum ſolemnia Domino offeruntur, panis tantum & vinum aqua permixtum in Sacrificium offerantur.* Unde quamvis non legatur in Evangelio, æſtimatur tamen aqua ſimul cum vino in calice Domini fuiſſe. Unde Damaſcenus. *Capiens calicem ex vino & aqua, tradidit eis, dicens. Bibite ex hoc omnes.* Item de Conſec. Diſt. 2. *A Domino admoniti & inſtructi ſumus, ut calicem Domini cum aqua mixtum, ſecundum quod Dominus obtulit, offeramus.*

Sed hic plura ſcire oportet. An ſcilicet primo deficiente aliquo iſtorum conficiatur? Item an poſſit confici de pane ſiliginoſo? Item an de azimo tantum vel de aliquo modo fermentato? Item an confici poterit ſi vinum tam modicum fuerit, ut omnino ſit ab aqua abſorptum? Item an ſine aqua poſſit quis conficere; & quantùm de aqua in calice ſit apponendum? Item an panis tranſeat in Carnem & Sanguinem & Animam & Deitatem, & ſimiliter vinum in hæc etiam omnia? Item an aqua tranſeat tantùm in Sanguinem vel primò tranſeat in vinum, & deinde illud vinum in Sanguinem? Item an in alio liquore liceret hoc Sacramentum celebrare?

Reſponſiones. Ad primum dicitur, ſecundùm opinionem eorum qui dicunt quòd in ultimo inſtanti prolationis primæ clauſulæ ſcilicet *Hoc eſt Corpus meum*, Matth. 26. 26. fit tranſſubſtantiatio panis in Carnem Chriſti, & eſt ibi Chriſtus perfectus ſub ſpecie panis: deinde prolatis verbis ſuper vinum, fit ibi Sanguis Chriſti per converſionem, & ibi eſt totus Chriſtus. Secundùm hanc, inquam, opinionem quæ probabilior apud multos habetur, dicendum eſt, quòd antequam aliquid dicatur ſuper vinum eſt facta panis tranſſubſtantiatio in corpus Chriſti; alioquin deciperetur Eccleſia adorando illam Hoſtiam in elevatione: unde quamvis vinum deeſſet, facta tamen eſſet illa tranſſubſtantiatio panis in Corpus Chriſti. Eadem ratione dicunt quod dictis verbis ſuper vinum, etiam abſente pane fieret Sanguis Chriſti, & totus Chriſtus eſſet ſub ſpecie vini: peccaret tamen mortaliter qui ſcienter prætermiſſo altero conſecraret, niſi forte ab infidelibus tempore conſecrationis impediretur: ſi autem aliàs & aliter defectum alicujus prædictorum, Miſſa jam incœpta, deprehenderet, non deberet conſecrare, niſi ante prolationem verborum conſecrationis, poſſet defectum cautè ſupplere: ſi autem pane conſecrato vi ab infidelibus aut aliis, vel infirmitate vinum conſecrare impediretur, tunc unus alius Sacerdos ad verba ſequentia deberet incipere, ſcilicet ea, quæ pertinent ad conſecrationem Sanguinis & perficere: ſi verò tantum deeſſet aqua, dicitur quod omittens graviter peccaret, & graviſſimè ſi ſcienter, conſecraret & conficeret tamen. Quamvis enim aqua ſit de neceſſitate Sacramenti, non tamen adeò eſt de neceſſitate, quin tunc ſine ea fieret Sacramentum in ſpecie vini; cujus ratio ex hoc habetur; quia ſi aqua vino admiſceatur ad hoc quod inde conficiatur, oportet ita modicam eſſe, ut abſorbeatur aqua à vino ut totum ſit vinum, & tunc inde conficitur; unde priùs tranſit aqua in vinum quam inde conficiatur. Quare ergo ex hoc vino non commixto, ſicut ex illo mixto, cum ejuſdem ſpeciei ſint, confici non poſſit, non video. Veruntamen Decretum quoddam *De Conſec. Diſt.* 2. videtur velle contrarium, ubi *Apparatus* dicit quòd A ſecundùm aliquorum opinionem in prædicto caſu non ſit conſecratio.

In ſecundo caſu; utrum ſcilicet de pane ſiliginoſo poſſit confici. Dicitur quod non: ſicut enim non poteſt baptizare niſi in aqua, immò merſione facta in vino ceteris etiam omnibus aliis ritè ſervatis, non eſt baptizatum: ſic propter inſtitutionem primariam hujus Sacramenti, quæ ſtatuit fieri in pane triticeo, non poteſt confici de pane alio. Sed quid ſi tritico fuerit ſiligo admixta? Dic quod dummodò major pars ſit frumentum, ſufficit: & dico majorem partem in quantitate & virtute, ut ſcilicet à frumento abſorbeatur quidquid eſt ibi de non frumento; alioquin non eſſet panis triticeus, & perinde in eo confici non poſſet.

In tertio caſu, quando ſcilicet conficitur de pane fermentato, ſicut conficiunt Græci; dicunt ferè omnes quod non ſine gravi peccato conficitur de fermenta- B to: quia tamen fermenti admixtio ſpeciem & virtutem frumenti ſive panis triticei non deſtruit; dicunt quòd ſi conficitur de fermentato quòd conſecratum eſt. Et ponunt exemplum de Baptiſmo, qui debet fieri in pura aqua, & tamen ſecundùm eos ſi aliquid de alio liquore admiſceatur, quod poſſit ab aqua omnino abſorberi, & ita aliquis baptizatus fuerit, quòd verè baptizatus eſt, eò quod adhuc remaneat aqua in ſpecie & virtute ſua. Secundùm tamen Huguelinum in *Apparatu* ſuo, *qui de fermentato conficit, nihil agit.* Prior tamen opinio eſt probabilior.

In quarto caſu dicitur à magnis, quòd ex quo tam modicum apponitur de vino, ut omnino ab aqua abſorbeatur; cum aqua tunc magis colorata dici debeat & ſit, quam vinum, & de aqua confici non poſſit; per conſequens nec de tali commixtura confici poterit. Unde ſecundùm iſtorum opinionem illi non conficiunt qui pannum lineum in vino intinctum per totum annum conſervant, & in tempore ſacrificii particulam ejus in aqua calicis abluunt, ut legitur *De Conſecr. Diſt.* 2. c. *cum omne.* Opinio quorumdam de- C cretiſtarum tenet contrarium, ſcilicet quod conficiatur cum vino ab aqua abſorpto, ſicut recitat Magiſter Gal. *in Summa.*

Quoad quintum verò, ſcilicet an ſine aqua poſſit confici, & quantum ſit apponendum de aqua; patet per antedicta reſpondendo ad primum, & ad hoc præcedens, ſcilicet quod tam modicum ut à vino abſorberi poſſit.

Ad ſextum autem in quo quæritur an panis tranſeat in Carnem, Sanguinem, Animam & Deitatem, & ſimiliter vinum. Dicendum quod totus Chriſtus eſt ſub utraque ſpecie; ſed tamen panis tranſit in carnem Chriſti, & vinum in Sanguinem. Sed quia totus Chriſtus inſeparabilis eſt, ideo ſub ſpecie panis eſt Caro per converſionem & tranſſubſtantiationem, & Sanguis & Anima, & Deitas per concomitantiam; eò quod Caro ejus ſine Sanguine, Anima & Deitate nunquam ſit; virtute enim verborum eſt principaliter ibi Caro & conſequenter cetera omnia Chriſti. Unde Chriſtus totus eſt ibi verborum virtute; ſed D tamen Caro principaliter, & cetera conſequenter: & ſub ſpecie vini tantùm eſt Sanguis Chriſti per converſionem & tranſſubſtantiationem; reliqua autem Chriſti omnia per concomitantiam.

Ad ſeptimum verò quo quæritur, an aqua tranſeat in Sanguinem vel tantùm in vinum. Dupliciter reſpondetur, ſecundùm duplicem opinionem: ponit enim quædam opinio quod aqua non tranſeat in Sanguinem Chriſti verum; ſed tantùm eſt ibi ad ſignifican-

ficandum populum secundùm quod dicitur de Consec. dist. 2. can. *cùm omne*. *Cum in calice Christi aqua vino miscetur, Christo populus adunatur*: idest adunari signatur. Alia opinio (cui magis credere possumus) ponit quod aqua transit in Sanguinem, sed hoc cum priùs est à vino absorpta, & ita verum est quodammodò quod aqua non transit in Sanguinem scilicet immediatè, quia non transit nisi priùs sit absorpta à vino, & quasi facta vinum, & sic non contradicit priori opinioni.

Ad ultimum, scilicet an de aliquo alio liquore liceret conficere. Dic quod non. Sed numquid confici possit in aggresta? Item numquid de aceto? Ad primum istorum dic quod non, nisi tunc cum visibiliter in ipso aspectu incœperit vinum apparere, & gustus judicet vinum esse vel vini saporem habere. Ad secundùm istorum dicendum quod si acetum fuit de vino, tunc potest de eo confici, aliter non. Quibus ego non credo, eò quod (ut vult Philosophus in Metaphysica sua) acetum non est vinum neque potest fieri vinum, & ideo de aceto non potest fieri confectio; sed de vino acido potest, licet non sit tutum de vino acido conficere propter reverentiam Sacramenti. Et ita sentiunt Doctores Theologi, priori verò consentiunt quidam Decretistæ.

Quæ sit forma verborum præcisa in Sacramento Eucharistiæ.

FORMA autem verborum quæ pertinent ad Consecrationem, hæc est: *Hoc est Corpus meum*, Matt. 26. 26. & nihil ampliùs, ut volunt fere omnes: quod enim additur, *accipite & comedite*, Ibid. ad usum pertinet Sacramenti & non ad confectionem, & ideo non dicitur esse de forma. Hæc etiam est forma verborum in Consecratione Sanguinis. *Hic est Calix Sanguinis mei novi & & aeterni testamenti, mysterium Fidei qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Unde quamvis non legantur omnia verba hæc seriatim in Evangelio, credendum tamen est quod illa habeat Ecclesia ex speciali Traditione Domini. Quod patet ex verbis Apostoli. 1. ad Corint. 11. 23. *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis quia Dominus &c.* Et quia forma verborum illorum vehementer impressa fuit cordibus Discipulorum & in quotidiano usu, ideo non est adeò diligenter ab Apostolis scriptum, sicut fuit à Christo factum & dictum, ut videtur velle Damascenus.

Sed tunc quæres an solis his verbis possit nunc confici, non additis orationibus præcedentibus? Item an immutatâ in aliquo istâ formâ, possit verbis illis confici Corpus Christi, utpote si adderetur aliquid vel minueretur vel mutaretur vel corruptivè pronunciaretur?

Ad primum dicitur secundùm multos & magnos, quod possit confici solis illis verbis Domini prolatis à Sacerdote; tamen & cum apparatu conveniente secundùm constitutionem Apostolorum & Ecclesiæ; cum his solis verbis in primaria institutione, facta benedictione, hoc Sacramentum completè consecratum sit. Quod confirmare videtur sententia Alberti in suo Libro *De Sacramentis* qui ait: *Quomodo potest qui panis est, Corpus Christi esse? Confectione quidem verbis & sermonibus Domini Jesu: nam per omnia alia quæ dicuntur, laus Deo defertur.* Veruntamem gravissime peccaret qui aliter faceret, etiam in quacumque necessitate, hoc est qui verba præcedentia scienter omitteret, eò quod hoc Sacramentum non est simplicis necessitatis. Unde sic non posset eum necessitas excusare. Alii æstimant quod sine præcedentibus, quæ dicuntur in secreto Missæ, non fieret confectio, & hoc propter Statutum Ecclesiæ. Primum tamen videtur aliquibus verius.

In Secundo casu suprapposito Principali distinguitur: quia in tali transmutatione vel corruptione verborum aut intenditur hæresis aut non; si sic, creditur quod illis verbis non conficiatur, ut superiùs est dictum in consimili de Baptismo; si autem non intenditur hæresis, adhuc distinguitur, quia aut tali facta mutatione seu corruptione vel additione stat adhuc sufficienter sensus verborum aut non: si non stat, creditur quod non conficitur; ut si dicatur. *Non est hoc corpus meum, vel hoc est corpus meum, scilicet Thomæ vel hujusmodi.* Si autem sensus verborum stat, creditur quod prolatis verbis, quacumque etiam transpositione vel corruptione, etiam in quocumque vulgari fiat, conficitur Sacramentum, quoniam (ut dicit Huguelinus) *non multum curandum est de modo sermonis, dummodò res integra sit.* Aliqui videntur oppositum sentire, quos tantum videtur movere Statutum Ecclesiæ, quod nec addendo vel minuendo, nec transponendo permittunt irritare.

Quis sit effectus Sacramenti Eucharistiæ.

EFFECTUS autem hujus Sacramenti ponitur duplex secundùm Magistrum in Sententiis: secundùm ipsum enim duo efficit, scilicet charitatis augmentum, & infirmitatis, hoc est venialis peccati, diminutionem. Possunt & alii assignari hujus Sacramenti effectus, juxta ejus supra tactas & declaratas utilitates. Hos autem effectus seu utilitates ibi recitat, quia isti sunt notabiliores.

Sed ex quo ponitur quod valet ad diminutionem venialium, quæres an ejus sumptio in aliquo casu deleat omnia venialia? Item an in aliquo casu valeat ad deletionem peccati mortalis? Item an si deleat veniale, deleat ei debitas pœnas?

Ad primum dicitur; secundùm illos qui dicunt quod sine veniali non possit hìc quis vivere, quod nunquam delet omne veniale quin aliquid relinquat: semper enim relinquitur in anima minor amor Dei quàm esse debeat; eò quod in via secundùm Augustinum non impleatur ex toto hoc Præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* Et minor amor Dei, est peccatum veniale, secundùm Augustinum.

Ad secundum scilicet an deleat mortale peccatum, dicitur quod non; quia istud Sacramentum non ordinatur contra mortale peccatum: cum enim triplex sit culpa scilicet originalis, contra quam specialiter Baptismus ordinatur, & actualis quæ duplex est, scilicet mortalis, contra quam specialiter ordinatur Pœnitentia, & venialis, contra quam ordinatur Eucharistia; patet quod de se tantùm veniale delet.

Ad Tertium dicitur, quod delet veniale & pœnam ei debitam; hoc tamen intellige secundùm magis & minùs, secundùm scilicet quod magis aut minùs afficitur conficiens vel recipiens hoc Sacramentum ad mortem & ad Passionem Christi, quæ in ipsius Eucharistiæ Sacramento repræsentantur.

Aliqua de vero Corpore Christi.

HIc breviter tanguntur aliqua de ipso Corpore Christi. Primò scilicet qualiter post fractionem factam in speciebus panis, totus Christus sit sub qualibet particula, qui priùs totus fuit sub tota Hostia. Item an Corpus Christi in ventrem intret, & si sic quamdiù ibi existat.

Ad intelligendnm autem qualiter totus Christus est sub qualibet parte Hostiæ, qui priùs fuit totus sub tota Hostia, datur aliquale exemplum de speculo; in speculo enim integro apparet unica imago, scilicet inspicientis, si tamen sit solus unus inspiciens: fracto autem speculo, in qualibet parte fractionis eadem apparebit imago, si tamen inspiciens easdem particulas inspiciat. Ita Christus qui est imago Dei Patris, sub Hostia integra totus est, & post fractionem Hostiæ imago eadem idemque Christus sub qualibet fractionum particula remanet.

Ad Secundum, ſcilicet utrum in ventrem vadat? Dicitur ſecundùm quoſdam quod dum eſt in ore, adhuc præſens eſt ſub illis ſpeciebus; ſed ſtatim cum glutitur Corpus Chriſti, tranſit in mentem, & ſpecies illæ panis & vini in ventrem. Alii quibus magis credendum eſt, dicunt quod intrat in ventrem, & ibi tamdiù remanet, quamdiù ſpecies illæ ſunt incorruptæ, & cum ſpecies deſinunt ibi eſſe panis & vini, deſinit etiam ibi eſſe Caro & Sanguis Chriſti: quod etiam A contingeret in pyxide, ſi per diutinam conſervationem corrumperentur, & perirent illæ ſpecies. Nec obſtat verbum Auguſtini quod videtur movere eos qui ſunt in priore opinione, ſcilicet *quod quamdiù eſt in ore, tamdiù eſt in mente*; nec datur in ſeceſſum, ſed rapitur in excelſum: per hoc enim non negat Auguſtinus quin vadat in ventrem, ſed negat quod trajiciatur in alimentum corporis, & quod digeratur in ſtomacho, & quod pars trahatur ad hepar & formetur in ſanguinem quo reſtaurarentur deperdita corporis, & pars impurior in ſeceſſum vadat, ſicut eſt videre in cibo corporali: hoc enim nefas eſſet dicere, immò etiam cum aſſentione cogitare.

De qualitate ſeu conditione recipientium.

NUNC de conditione recipientium reſtat aliquid tangendum. Et primò quæritur, an poſſit ſumi ab illo qui eſt in peccato mortali? Et an debeat hoc B Sacramentum in aliquo caſu, exiſtenti in peccato mortali dari? Item an exiſtenti in peccato mortali, poſſit loco Euchariſtiæ dari hoſtia non conſecrata. Item an poſſit ſumi ab eo qui nocturna illuſione pollutus eſt; & an à menſtruata? Item an ab eo qui nocte præcedente cognovit uxorem ſuam. Item an licet cognoſcere uxorem ſuam die receptionis. Item quæritur quare non datur Euchariſtia populo ſub utraque ſpecie? Reſpondetur in primo caſu, & dicitur quod aut aliquis ſcit ſe eſſe in peccato mortali, aut non. Si ſcit, peccat mortaliter ſumendo, nec debet aliquo modo ſumere. Si non ſcit ſe eſſe in peccato mortali, ſit tamen; ſed poſt ſufficiens conſcientiæ ſuæ ſcrutinium hoc deprehendere non poteſt; & tunc ſumere poteſt, nec peccat ſi ſumat. An autem debeat exiſtenti in peccato mortali dari ſi petat? Diſtingue, quia aut ille qui petit eſt in mortali publico, aut in occulto: ſi in occulto quamvis illud certiſſimè ſciat Sacerdos; petenti tamen in C publico debet dari, alioquin peccatum ſecretum publicaret, quod fieri non debet; ſi autem petat in ſecreto, vetare poteſt Sacerdos & debet. Si autem ſit in peccato mortali publico, tunc publicè negare debet; ut publicis meretricibus & hiſtrionibus, & hujuſmodi petentibus & non petentibus, quibus negare debet, ut plenè dicit Canon *de conſec. diſt.* 2. De hoc autem quod ſecundò quæritur, ſcilicet an exiſtenti in peccato mortali debeat dari ſimplex hoſtia loco Euchariſtiæ? Dicunt majores quod non, tum quia hoc non videtur Deus facto ſuo approbare, immò contrarium; nam Corpus ſuum dedit Judæ, quem ſciebat eſſe in mortali peccato, tum quia neſcitur an viſitaverit eum Dominus; quia neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia, tum quia ſimulatio talis eſſet ei cui daretur inutilis; ex quo enim Corpus Chriſti petit, per eum non ſtat quin accipiat, & ſic æqualiter peccat. Secùs ſi expreſſè peteret ſibi hoſtiam non conſecratam dari; tunc enim ei dare poſſet, D ita tamen quod illa hoſtia ſeorſum poneretur à conſecratis, ne Eccleſia deciperetur dando ei non conſecratam ac ſi conſecrata foret. Propter quam etiam cauſam reprobatur conſcius ſibi mortalis criminis, ſimulans ſe conficere ubi non conficit, ut habetur extra. *De Miſſ. celeb.* c. *ab homine*.

Ad tertium, quo ſcilicet quæritur. An pollutio nocturna impediat ſumptionem? Reſpondetur; aut quia venit pollutio ex ſuperfluitate humorum, vel ex infirmitate naturæ, vel ex illuſione diabolica, & tunc nullus dicitur ibi eſſe reatus culpæ, nec cogitur quis propter talem pollutionem abſtinere à miniſterio Altaris vel à ſumptione Euchariſtiæ. Et dico notanter, non cogitur, quia cauſa reverentiæ à tali celebratione aut ſumptione abſtinere laudabile eſt: ſi autem contingat dicta pollutio nocturna ex crapula, vel ex aliqua fœdæ delectationis præmeditatione; tunc ſi poteſt fieri ſine ſcandalo debet abſtinere, niſi neceſſitas cogat, utpote ubi alius qui celebret, non invenitur: magna enim reverentia exhiberi debet ſumptioni, & ſi fieri poteſt, multo major Conſecrationi. Ceterùm menſtruata non eſt arcenda à Communione, eò quod paſſio ſit, & pœna ſit hoc pati, & non culpa. Et propter pœnam quis arcendus non eſt.

Ad aliud ſequens quod eſt quartum. An ſcilicet ab eo qui nocte præcedenti cognovit uxorem ſuam ſuſcipi poſſit Euchariſtia? Dicitur quod reddens debitum propter fidem thori & juſtitiam, vel etiam exigens propter bonum prolis, non debet prohiberi à Communione, ſed ſuo judicio eſt circa hoc relinquendus, an velit ſcilicet abſtinere ex humilitate, vel accipere ex devotione. Secùs autem eſt ſi ex infirmitate carnis hoc exigat, quia iſte monendus eſt ne accipiat, & non eſt ſuo judicio quoad hoc relinquendus. Si autem omnibus modis ex devotione ſe ingerat, non eſt prohibendus.

Hoc etiam ſervandum eſt reſpectu quinti, quod die ſcilicet Communicationis, cauſa reverentiæ, nullo modo reddendum eſt debitum, niſi alter conjugum inſtanter petat. Si etiam alter reddat, vel etiam ſi petat, peccat quidem ſed non mortaliter.

Ad ultimum verò ſcilicet ſextum, quare non datur populo ſub utraque ſpecie. Dicitur quod triplex eſt ratio. Una, quia non legitur Chriſtum Corpus ſuum Sanguini intinctum præbuiſſe: nec eſt contrarium de Juda, cui videtur Dominus intinctum panem porrexiſſe. Quia ſecundùm Auguſtinum priùs verum Corpus dedit, & poſtea panem uſualem intinctum. Alia cauſa, eſt imminens periculum; quia ſcilicet faciliùs caderet gutta Sanguinis quàm mica Hoſtiæ, quia in Hoſtia partes cohærent ſibi, non ſic in Sanguine. Tertia cauſa eſt præcedens ſignum, quia in Lege qua in Sacrificiis offerebant libamina, de libamine nihil habebant offerentes, ſed Sacerdotes tantùm, licet de aliis haberent. Ut ergo congruat veritas ſigno, non datur populo Euchariſtia cum ſanguine.

De qualitate ſeu conditione Miniſtri Sacramenti.

ULTIMO reſtat dicere de Miniſtro, ſcilicet quis poſſet conſecrare. Et ſcias quod habens Ordinem ſacerdotalem, & ſolus talis poteſt conſecrare Euchariſtiam, & Corpus Chriſti conficere. Quinimò & ſi malæ vitæ fuerit & hæreticus, dummodò formam Eccleſiæ teneat & intentionem habeat conſecrandi, conficere poteſt Corpus Chriſti; quamvis Magiſter in Sententiis videatur ſentire contrarium, niſi intelligat de his qui præciſi ab Eccleſia non obſervant ritum celebrandi ab Eccleſia traditum, quia tunc conſtat quod non conficiunt. Nec obſtat quod ſecundùm Canones prohibetur quod Miſſa aut aliqua Sacramenta recipiantur ab hæreticis, ſimoniacis, ſchiſmaticis, fornicariis, quia per hoc non dicitur quin conficiant. Solus ergo (ut dixi) habens Ordinem ſacerdotalem conficere poteſt.

Sed quæritur utrum non jejunus poteſt conficere? Item an poſt ſumptionem medicinalium vel potum aquæ? Item ſi non debito loco, utpote in Altari non conſecrato, vel ſuper terram ubi non eſt Altare, vel ſine Sacris veſtibus poſſit celebrari?

Ad primum dicendum eſt, quod propter inſtitutionem Eccleſiæ Apoſtolicæ peccat mortaliter qui pranſus celebrat; conficit tamen, dummodò intentionem habeat ſervandi formam & debitam materiam.

Quod

Quod autem à jejuno conficiatur, non est de Sacramenti essentia.

Ad secundum dicitur quod post medicinalium sumptionem, vel etiam potum aquæ non est celebrandum, eò quod omnis cibus quem usualiter cibum vocamus, hoc est qui transit in ventrem, etsi non convertatur in corpus, frangit jejunium, & impedit celebrationem. Insuper hujusmodi medicinalia in hoc impediunt, quia frequenter inducunt abominationem. Si tamen iste de facto confecerit, consecratum est, sed graviter peccat.

In tertio Articulo sive casu dicitur, quod hujusmodi, si tamen habet intentionem conficiendi conficit, sed mortalissimè, scilicet qui in non debito loco vel sine Sacris vestibus celebrat. Et si posset inveniri, foret degradandus.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ

Et pertinentibus ad ipsum.

QUONIAM de Sacramento Pœnitentiæ sufficienter in Summa Raymundi tractatur, quæ passim apud fratres habetur, ideo pauca hìc de hoc Pœnitentiæ Sacramento dicenda sunt. Et primò de ipso Sacramento in genere aliqua dicantur. Secundò aliqua de ejus partibus tangantur. In genere ergo priùs videndum venit quid est Pœnitentia. Quot & quæ ejus species. Quid in ea sit Sacramentum. Et quid res. Et quis sit ejus effectus. An necesse sit quod fiat in charitate voluntariè. Et an quis possit pro uno peccato mortali pœnitere non pœnitendò de omnibus. An Pœnitentiam pro se factam teneatur quis dum convaluerit, iterum facere. An Pœnitentiæ hìc diminutæ à Confessore injunctæ, superaddet Deus quod deest in Purgatorio. Quæ sunt Pœnitentiæ Regulares & Canonicæ. Et quare pro peccato mortali tenetur quis ad septennem Pœnitentiam. An Pœnitentiæ sint arbitrariæ. Quis sit Minister in hoc Sacramento.

Quid est Pœnitentia in generali.

EST autem Pœnitentia secundùm Ambrosium: *Mala præterita plangere, & iterum plangenda non committere*, id est non habere propositum iterum committendi. Et nota quod secundùm Magistrum in Lib. IV. Sentent. *Est Pœnitentia interior* scilicet Confessio *& exterior* scilicet Contritio & Satisfactio. Interior verò Pœnitentia quodammodò radicaliter omnis Pœnitentia est: ipse enim dolor exerit se in ore per Confessionem, exerit etiam se in opere per Satisfactionem. Et hæc interior Pœnitentia, id est Contritio, habetur specialiter secundùm Ambrosium; quia ipsa principaliter est Pœnitentia, radicabiliterque omnis Pœnitentia.

Quot & quæ sunt Pœnitentiæ species.

DISTINGUUNTUR autem tres species Pœnitentiæ scilicet solemnis quæ fit in Capite Jejunii cum illa solemnitate de qua habetur *de Pœnitentia, Dist.* 5. c. *in capite*. Item publica, cum injungitur scilicet alicui peregrinatio per mundum cum baculo cubitali, & cum aliqua veste religiosa tali Pœnitentiæ apta. Item privata, quæ quotidiè imponitur his qui secretiùs sua confitentur peccata. Cetera circa hæc quære in Summa Raymundi, Tit. *de Pœnitentiis.*

Quid in Pœnitentia sit res, & quid Sacramentum, & de ejus effectu.

QUID autem in ea sit res & quid Sacramentum. Dicitur quod sicut in Sacramento Eucharistiæ species panis & vini sunt Sacramentum geminæ rei, scilicet Corporis Christi veri & mystici, ita hìc Confessio & Satisfactio sunt Sacramentum Contritionis & remissionis peccati. Unde virtute Contritionis efficiunt quod figurant, scilicet remissionem peccati. A Sic ergo intelligendo, patet quod Contritio diversis respectibus & res est & Sacramentum. Res scilicet Confessionis & Satisfactionis quæ sunt ejus Sacramentum, & Sacramentum remissionis peccati quæ est ejus res. Ex quo in parte patet quis sit effectus Pœnitentiæ, scilicet remissio peccatorum, & commutatio pœnæ æternæ in temporalem, & ex consequenti collatio vitæ æternæ.

An quis possit de uno peccato pœnitere; non pœnitendo de omnibus.

AN autem existens in uno mortali peccato possit agere Pœnitentiam famosam de aliis; priùs est inquirendum? Et dic quod non. Quia etiam apud homines, remanentibus inimicitiis, non recipitur satisfactio lædentis. B Unde cum, retento uno mortali peccato, inimicus Dei fiat peccator & ab eo aversus; patet quod valere non potest Pœnitentia pro pluribus commissis, uno tantum retento, quia in illo uno inimicatur Deo. Et hoc satis clamat Apostolus. I. Corint. 13. dicens. *Si habuero Prophetiam, &c. & corpus meum tradidero ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Unde opinio quæ in IV. Sentent. ponit contrarium, manifestè hæretica est. Si juxta hoc quæras, an oporteat quod Pœnitentia sit voluntaria ad hoc quod satisfaciat? Dic quod sic. Distingue tamen quod aliquid dicatur voluntarium dupliciter. Aut propter se, ut sanum esse est voluntarium propter se, idest propter ipsam sanitatem; quia enim bonum est sanum esse, ideo sanari volo: aut propter aliud, scilicet propter bonum exinde sequens, C sicut secari voluntarium est, non quidem propter se, sed propter consequentem sanitatem. Sic ad propositum dico, pœnam quæ est in Pœnitentia oportere voluntariam esse, non quidem propter se, quia nullus propter se, id est propter ipsam Pœnitentiam vel pœnam eam vult, aut libenter accipit; sed benè ex consequenti, scilicet propter salutem animæ consequendam.

An Pœnitentiam pro se factam teneatur homo dum convaluerit iterare.

CETERÙM cum quæritur, an Pœnitentiam per alios factam teneatur quis dum convaluerit iterum facere, puta ægrotus aliquis dum adhuc sanus erat, Pœnitentiam condignam suscepit à Sacerdote, deinde de vita sua desperans ipsam amicis imponit, qui eam peragunt antequam plenè convaluerit. Quæritur utrum iste post suam convalentiam, ad Pœnitentiam injunctam sic per amicos suos peractam teneatur? D Respondetur quòd quia potest apud talem dubium esse, utrum illi sui amici ipsam Pœnitentiam ex charitate fecerint, quæ talis non sufficeret; insuper quia non tam efficaciter satisfacit Pœnitentia ab aliis facta, sicut illa quæ ab ipsomet pœnitente fit: ideo securum est quod iste de ea iterum satisfaciat postquam fuerit redditus sanitati, immò & eam facere tenetur ne incerto se discrimini committat. Et expedit quidem, quoniam si prior Pœnitentia per aliquos facta satisfecit pro culpa, secunda quam ipse faciet, cedet ei in augmentum gloriæ.

An Pœnitentiæ diminutæ addet Deus in Purgatorio quod deest.

SEQUENTI verò Articulo quæstionis scilicet, an Pœnitentiæ diminutæ inflictæ, addet Deus quod deest in Purgatorio? Dicit Magister in Lib. Sentent. quod sic. Ait enim. *Si interior Pœnitentia, scilicet Contritio in vindictam peccati, non sufficit, nec exterior pœnitentia hic impletur; Deus qui modos & mensuras peccatorum novit, pœnam sufficientem addet.* Unde quoniam condignam pœnam non injungit Sacerdos, vel si injungit non tamen impletur, non absolvitur pœnitens à condigna vel tota pœna correspondente; sed à tanta scilicet quantam facit hic. Unde de tanta erit absolutus non autem de residua, quin scilicet in Purgatorio compleat. Tamen magnitudo Contritionis & fervor implendi quod injungitur, multum poterit facere ad hoc quod condigna reputetur. Unde dicit Hugo de Sancto Victore Libro suo *De Sacramentis. Sæpe quod minùs foris agitur, efficaciùs intus operatur*: in aliquo enim opere sine apparentia exteriori magna potest devotio esse.

Quæ sunt Pœnitentiæ Canonicæ, & quare pro peccato mortali agi debet Pœnitentia septennalis.

QUÆ autem Pœnitentiæ Canonicæ sint, ex hoc accipe, quod regulariter pro peccato mortali debet agi septennis Pœnitentia, ut dicit Canon. XXXIII. q. 2. Cujus dicti multiplex ponitur ratio, præter eam quam Canon. de Maria scilicet sorore Moysi, quæ jubetur excludi per septem dies extra castra, videlicet propter septemplicem gratiam Spiritus sancti recuperandam, quam peccando perdidimus. Item propter septemplicem concursum peccatorum; quia uno peccato perpetrato, concurrunt omnia septem capitalia, secundum opinionem dicentium, quod habito uno habentur omnia. Juxta illud *pro sexdecim septendecim nequitiæ in corde ejus.*

Item propter recuperationem septem dotum; quia per Pœnitentiam septem dotes recuperamus, quatuor scilicet corporis & tres animæ. De quibus supra in fine Tractatus de Symbolo Fidei, in declaratione scilicet duodecimi Articuli. Item propter recuperationem septem illorum ex quibus constat homo, scilicet quatuor elementorum quoad corpus & trium virium scilicet rationabilis, irascibilis, & concupiscibilis quoad spiritum. Pro enormitate tamen criminis debet quocumque major Pœnitentia quam septennis infligi. De qua materia require in Summa Raymundi Tit. *de Pœnitentia.*

Utrum Pœnitentiæ sint arbitrariæ vel non.

UTRUM etiam Pœnitentiæ arbitrariæ sint nec ne, & qualiter sic, & qualiter non; dicit idem Raymundus eodem Tit. *de Pœnitentia.* Nota tamen, circa hoc duplex est opinio. Una ponit quod omnes Pœnitentiæ arbitrariæ sunt, id est quia in voluntate Sacerdotis est dare vel plus vel minus, & hoc ex potestate & vi clavium. Et huic opinioni ferè omnes Confessores innituntur. Alia ponit quod ita arbitrariæ sunt quod Sacerdotum est judicare de omnibus circumstantiis contingentibus, & tamen à Canonibus non recedere id est à Pœnitentiis à Canone injunctis; consideratis enim circumstantiis si graviores fuerint, pœnam Canonicam aggravare possunt: Si verò leviores fuerint, sic scilicet quod factum diminuant, tunc de pœna Canonica poterunt diminuere. Et hæc est opinio securior.

Quis sit idoneus Minister in Sacramento Pœnitentiæ.

MINISTER autem hujus Sacramenti est Sacerdos. Nam solis Sacerdotibus dedit Dominus potestatem ligandi & solvendi. Et licet quilibet Sacerdos ex vi Ordinis hujus Sacramenti Minister sit; non tamen cuilibet Sacerdoti indistinctè permissum est ista potestate uti; immò respectu aliquorum est hujusmodi potestas ligata, ut tangit Raymundus in Summa sua tit. *de Pœnitentia* dist. 2. quæ est *de Confessione. §. tenetur pœnitens*, & pluribus paragraphis sequentibus usque in finem dictæ secundæ distinctionis. Et infra etiam aliqualiter tangetur ubi de ipsa Confessione agetur.

De partibus Sacramenti Pœnitentiæ in generali.

NUNC ad partes Pœnitentiæ attendendum est, quod sunt tres secundùm triplex peccatum, cordis, oris & operis: vel secundùm triplex allectivum ad peccatum, scilicet concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum & superbiam vitæ. Et sunt istæ, Contritio, Confessio & Satisfactio. Hæc est triplex dieta qua devenitur in cœlum. De qua Exodi. 3. *Ibimus viam trium dierum* &c. De prima, scilicet de Contritione tangendum est primò quid sit. An dolor minimus sufficiat ad hoc quod quis virtutem habeat Contritionis. An oporteat Contritionem cum tota vita protendi.

De prima parte Pœnitentiæ. Quid sit Contritio.

DEFINITUR autem Contritio ab aliquibus sic. Contritio est dolor voluntarius pro peccatis semper in se puniens quod dolet admisisse. Quæ definitio licet generaliter Pœnitentiæ convenire videatur; tamen maximè convenit propter Contritionem In Contritione enim esse ipsius Pœnitentiæ maximè salvatur, eò quod oportet semper illam actu cum pœnitentia esse. Alias autem partes Pœnitentiæ in casu sufficit ut adsint secundùm votum & voluntatem. Definitur etiam & ab aliis sic. Contritio est dolor pro peccatis assumptus cum proposito confitendi & satisfaciendi. Quoniam nisi adsit propositum confitendi & satisfaciendi, non est Contritio; scilicet potiùs Attritio nominatur. Quod si objicias quod in valida Contritione deletur culpa & pœna, unde cum Confessio & Satisfactio pœnæ sint; tam intensa poterit esse Contritio, quod neque oportebit adesse Confessionem neque Satisfactionem. Ad quod dici potest quod nemo novit se talem Contritionem habere quæ delere possit utrumque. Unde ut non committat se quis discrimini, oportet quod quamvis habeat validam Contritionem, habeat nihilominùs propositum confitendi & satisfaciendi, maximè cum ista sint in Præcepto Ecclesiæ, & non parere Præcepto, transgressio & peccatum mortale sit. Hoc tamen scito quod Contritio sola in articulo mortis ubi non apparet cui possit fieri Confessio, sufficit ad salutem; sed quoniam incertum est utrum tunc Contritio possit haberi, stultum est illud tempus exspectare; & tanto se discrimini reservare.

An minimus dolor sufficiat ad habendum virtutem Contritionis.

AN dolor minimus possit esse Contritio, vel sufficiat ad deletionem culpæ præcipuè cum dicatur Thren. 2. *Magna velut mare contritio tua*; dubitari potest. Sed dicunt Magistri, minimus dolor sufficit ad deletionem culpæ, dummodo informatus fue-

fuerit charitate, utpote qui exerat à se propositum confitendi & satisfaciendi, quia talis dolor Contritio dicitur. Est ergò talis dolor Contritio minima; hæc delet tantùm culpam & reatum seu debitum pœnæ æternæ. Qui si major fuerit, delet partem pœnæ temporalis debitæ; si verò maximus fuerit, totam pœnam & totam culpam delet. Quæ autem talis sit, nescio, Deus scit. Et dicitur magna, vel major, vel maxima Contritio, secundùm quod ad majorem dolorem movemur; eò quod proni sumus ad dolorem minorem debito, qui non liberat à gehenna. Et quia per majorem dolorem evacuatur culpa & tota pœna, hinc Contritio dicitur minor & major & maxima. Sed numquid oportet quod tantus sit dolor vel pigentia, ut nollet homo pro toto mundo vel pro vita conservanda, iterum mortaliter peccare? Planè dicitur quod sic, eò quod minus bonum semper debet velle amittere, ne majus amittat: Deus enim in infinitum majus bonum est toto mundo, qui tamen amittitur in peccato mortali. Unde si pœnitens profiteatur se esse in tali proposito, amplectendus est, quia benè validam habet Contritionem; si autem profiteatur se in ambiguo esse, utrum cederet vel sustineret mortem antequam peccaret mortaliter, adhuc fovendus est, non abjiciendus: sufficit enim aliquo modo istud ambiguum eò quod nullus certus est utrum cederet vel sustineret, ut dicit Augustinus in Lib. *de virginitate*. Sed si ex deliberata conscientia dicat se certum esse, quod priùs peccaret quam cederet toti mundo, vel mortem pateretur; istum dicunt esse non contritum, nec ullam recipere remissionem peccatorum, eò quod nullam habet Contritionem. Hanc tamen quantitatem Contritionis non debet Confessor exigere, ut coram se confiteatur pœnitens, sed per signa debet eam in ipso supponere. Si ita tamen de facto profiteatur, tenendum est quod dixi.

An Contritionem oporteat cum tota vita protendi.

DE excessione Contritionis, utrum videlicet oporteat ipsam cum tota vita protendi, maximè cum medicina non protendatur ultra morbum, dubitari potest. Sed dic quod dolor Contritionis non finitur, nec finiri debet in hac vita, immò sicut infinita est offensa in peccando, quia in Deum qui est infinitus; ita exigitur ut dolor de offensa pro modo possibili sit infinitus, ut scilicet æternitatem saltem vitæ hominis habeat, cum æternitatem simpliciter habere non possit, eò quod nemo sit qui semper vivat, hoc est, si in æternum in hac vita viveret, in æternum de peccato dolere deberet. Insuper morbus peccati quanvis evacuatus sit quantum ad culpam & reatum; semper tamen manet & manere debet quantum ad detestationem in memoriam perpetrati delicti, ut dicit Hugo de Sancto Victore. *Cum quo morbo protenditur dolor, ut ejus medicina, qui non est curans morbum præteritum, sed præservans à futuro.* De effectu verò Contritionis, & an in Contritione deleatur peccatum antequam deveniat ad Confessionem, invenies in Summa Raymundi tit. *de pœnitentia. Dist.* 1. quæ est *de contritione.* §. *Sequitur quis sit effectus &c.* §. *Qualiter autem hoc sit intelligendum.*

De secunda parte Pœnitentiæ scilicet de Confessione in generali.

DE Confessione & Satisfactione non est opus multa tangere, eò quod diffusè de his tractetur in Summa Raymundi. Nota tamen quid sit Confessio. An sit necessaria ad salutem. Et an cadat sub Præcepto. Et sub quo. Cui facienda est. Quantum differri possit.

Quid sit Confessio in speciali.

DEFINITUR autem sic Confessio. *Confessio est legitima coram Sacerdote peccatorum declaratio.* Dicitur in ista definitione, *peccatorum declaratio*, contra illos qui peccata sua celando occultant. Dicitur *peccatorum* contra eos qui recitant bo-
A na sua in Confessione, vel qui confitentur per abnegationem peccatorum, ut non sum adulter, non sum homicida, & hujusmodi. Dicitur, *coram Sacerdote* scilicet qui clavem habet & potestatem solvendi, non coram quolibet de populo. Poterit tamen in necessitate, ut in periculo mortis, coram non Sacerdote fieri. *Legitima*, dicit, quod importat omnes conditiones quæ, exiguntur ad veram Confessionem, quas quære in Summa Raymundi. tit. *de pœnitentia. Dist.* 2. quæ est *de Confessione* §. *sequitur quæ sunt necessaria ad veram Confessionem.*

An Confessio sit necessaria ad salutem.

PROPTER eos qui dicunt Confessionem non esse necessariam ad salutem, eò quod non cadat sub aliquo Præcepto divino, ut patet discurrendo Præcepta Decalogi Exod. 20. Notandum est & inviola-
B biliter observandum, quod absque vocali Confessione vel signo quod loco vocis sufficiat, non est salus, dummodo Confessor haberi possit. Eò quod dicit Ambrosius: *Non potest quis à peccato justificari, nisi peccatum fuerit confessus.* Et concedendum est quod sub Præcepto cadat, sicut omne necessarium ad salutem. Sed attendendum est aliquid sub Præcepto cadere dupliciter, scilicet vel principaliter explicitè, vel secundariò & implicitè. Primo modo, Confessio non cadit sub Præcepto, eò quod non inveniatur expressè in aliquo decem Mandatorum seu Præceptorum. Cadit tamen secundariò & implicitè sub Præcepto, & dici potest quod sub illo Præcepto. *Honora Patrem tuum & Matrem tuam.* Ubi præcipitur honor & obedientia facienda Matri Ecclesiæ. Quia igitur Ecclesia statuit & præcepit Confessionem homini fieri, ex consequenti in Mandato illo præcipi videtur, ut homini fiat Confessio. Ubi autem Confessio instituta sit & præcipiatur ab Ecclesia, require
C in Summa Raymundi. titul. *de pœnitentia.* dist. 2. quæ est *de Confessione.* §. *cui sit.*

Cui facienda sit Confessio.

CUI autem facienda sit Confessio, in Summa prædicta Raymundi dicitur. Veruntamen breviter dici potest, quod soli proprio Sacerdoti est facienda, quia ille solus habet potestatem absolvendi suos subditos; præterquam in casibus specialibus, scilicet cum Dominus Papa vel Episcopus in Dioecesi sua dat proprio Sacerdoti Adjutores, sicut facit cum transfert potestatem suam in Pœnitentiarios suos, vel ordinat aliquos qui prædicando & exemplum bonæ vitæ dando moneant populum, & eos quos monuerint, audiant & absolvant: vel cum plebs multa est, & non sufficit proprius omnes audire, tunc potest Episcopus dare Coadjutores. Sunt & alii casus; scilicet cum Sacerdos licentiat suum subditum, ut alii confiteatur. Et creditur quod tenetur licentiare in sequentibus casibus subditos: & si non licentiaverit, potest sub ratihabitione alicujus peti, scilicet cum quis habet
D indiscretum Sacerdotem. Item cum probabiliter credit quòd revelet Confessionem suam. Item cum quis fornicatus fuerit cum filia, sorore, Matre, vel concubina proprii Sacerdotis, propter quod incurrere credit ejus odium si confiteatur ei. Item cum probabiliter credit quod velit inclinare animum confitentis ad consensum mortalis peccati. Item cum quis occultus hæreticus deprehenditur. Item secundum aliquos, cum

cum propriam ovem cognoverit. In hujusmodi casibus peti potest licentia proprii Sacerdotis, ne contemni videatur. Et si non dederit, creditur vel quod Major adeundus, vel aliquibus illorum qui à superiore suo vel Domino Papa potentiam absolvendi acceperunt confiteri possit, eò quod fatuitas judicaretur comittere se discrimini, præsertim cum, omnibus contradicentibus, possim cavere periculum in A corpore & fatuum esset dicere quod aliquo casu tenerer sequi eum qui me vult præcipitare in mente. Sunt & alii casus in quibus non oportet exspectare nec adire proprium Sacerdotem. Ut cum quis peccaverit in Parochia alterius, ubi ratione delicti efficitur de Jurisdictione ejus in cujus Parochia peccavit. Item cum quis mutaverit domicilium & in alterius Parochia habitat. Item si est vagabundus per terras. Item cum est in articulo mortis: in quo casu sive habenti claves ligatas sive solutas, licet confiteri. Sed hic attende quod Raymundus & alii valde magni dicunt, cum proprius Sacerdos dat suo parochiano licentiam ubi voluerit confitendi, oportet illum parochianum aliquem adire habentem generalem potestatem Confessiones audiendi, eò quod ipse proprius Sacerdos parochianum suum licet possit de confitendo alteri licentiare; non potest tamen illum alienum Sacerdotem licentiare quod talem possit Confessionem B audire, nisi accepta ab Ordinario potestate. Et tamen nos passim videmus quod Plebani assumunt sibi in adjutorium multos qui nunquam licentiati fuerunt ab aliquo Ordinario. Unde vult & scribit Magister VI. *de trano* in Summa sua *de titulis*, quod à Jure in Ordinatione data est eis potestas absolvendi, & hanc recipit quilibet in sui Ordinatione. Unde cum assumuntur à Plebanis in adjuorium, possunt secundùm ipsum Confessiones audire; nam cum á Jure licentiam habent, non egent licentia Ordinariorum. Ceterum de verbo quodam quod dicit ipse. VI. *de trano*. tit. *de pœnit*. & tit. *de gradibus peccatorum*, videlicet quod usus contra naturam execrabiliter fit in meretrice sed execrabiliùs in uxore, dubitatio oritur apud magnos, eò quod ipse VI. per verbum prædictum videtur velle, quod ille usus etiam cum uxore propria semper mortale sit, quod aliquibus non placet. Dicunt enim quidam quod propter necessitatem ut propter nimiam pinguedinem, C vel apostema, vel vulnus in ventre, dummodò fieret in debito vase, si cognosceret vir uxorem modo inconsueto, excusabitur vir à peccato, dummodò causa prolis habendæ hoc fieret. Et vocant illi usum contra naturam solum quando quis non ea parte corporis utitur, quæ ad generandum instituta est, sed alia. Magister Alexander de Ales dicit, quod peccat vir uxorem suam modo brutali cognoscendo, nec necessitas excusat à toto, licet diminuat quantitatem peccati. Unde graviter peccaret, & ut creditur mortaliter secundùm ipsum, qui sic cognosceret, nulla existente necessitate. Magister Albertus dicit quod nihil eorum quæ facit maritus cum uxore servato vase debito, est secundùm se peccatum mortale, sed potest esse signum concupiscentiæ mortalis, scilicet quando non sufficit modus quem natura determinat; sed habet modos brutorum animalium, nulla existente necessitate. Unde secundùm ipsum quando alter eorum nimis pinguis est; vel quando contingit D ventrem mulieris apostemari vel imprægnari; ita quod interiùs non est membrum applicabile; tunc causa prolis habendæ, vel causa reddendi debitum, vel causa fornicationis vitandæ, non est prohibendum aliter convenire, nisi dumtaxat ubi, nulla præcdente necessitate, sed tantùm ex libidine fieret. Istud tamen non expedit populum scire.

Quantum possit Confessio differri.

QUANTUM autem differri possit Confessio, apud aliquos dubitatur: dicunt enim aliqui quod Confessio differri potest sine peccato usque in tempus determinatum. Et quod Confessionem facere, non sic est Præceptum quod oporteat quolibet tempore fieri. Sunt qui distingunt. Quia aut ille qui peccavit, nondum est contritus, sed manet adhuc in mortali peccato: & tunc non confiteri data oportunitate, sicut non converti vel non conteri, est ei omni hora peccatum; sed non novum peccatum, immò aggravatio prioris, eò quod diuturnitas sit circumstantia aggravans peccatum: si autem ille qui peccavit, jam contritus est, dic quod tenetur confiteri aliquando, sed non tunc vel tunc; & ex Præcepto Ecclesiæ infrà annum, juxtà formam Decretalis, *Omnis utriusque*. Quod si non confitetur, peccat mortaliter propter inobedientiam factam Matri Ecclesiæ. Unde illud Præceptum de confitendo, non obligat sub pœna mortalis, dummodò fiat infra tempus statutum, si tamen homo semper conteratur. Sed quid si ante tempus sic ad confitendum statutum, contingat aliquem antequam confiteatur, subitò mori, nec habuerit tempus conterendi de transgressione divini Præcepti, quo jubetur aliquando Confessionem facere eò quod sit morte præventus? Puto quod damnatur tanquam Legis divinæ transgressor, eò quod in quo instanti priùs fuit solvendo, idest potens solvere Confessionem quia potuit confiteri vel dolere, quod non fuit confessus: sed in ultimo instanti jam factus est transgressor. Hoc tamen non intelligatur de eo qui ex causa Confessionem differt, ut scilicet habeat Confessorem discretiorem, vel alia utili causa, dummodò diligentiam apponat ut habeat.

De tertia parte Pœnitentiæ scilicet Satisfactione.

DE Satisfactione breviter dicendum est. Et primò quid sit. Quæ ejus partes. An necesse sit ipsam fieri in charitate.

Quid sit Satisfactio in speciali.

DEFINITUR autem sic Satisfactio secundùm Gregorium à Magistro in IV. Lib. Sentent. *Satisfacere est causas peccatorum excidere, & earum suggestionibus aditum non indulgere*. Et vocat causas peccati, occasiones allicientes ad peccandum. Quarum quædam propinquæ sunt peccato: & hæ sunt in nostra potestate, ut eas possumus amovere vel excidere. Verbi gratia. Cena splendida causa propinqua est luxuriæ, ut Jerem. 5.7. *Saturavi eos & mœchati sunt*. Et hanc causam seu occasionem possumus amovere & excidere. Sunt & aliæ causæ seu occasiones peccati remotiores quæ in nostra potestate non sunt, ut puta oblatio talis cenæ, vel alicujus rei delectabilis oculis cordis nostri, vel suggestio diabolica de tali splendida cena: non est enim in nostra potestate arcere diabolum, quin talia oculis mentis nostræ offerat. Occasiones ergo peccatorum propinquas debemus excidere, quia in nostra potestate sunt. Sed occasionibus peccatorum remotioribus; si veniant à parte diaboli vel carnis vel mundi; non debemus consentiendo aditum indulgere, eò quod nostra in potestate sit eas non recipere.

Aliter autem definitur sic. Est Satisfactio damni vel injuriæ illatæ recompensatio secundùm judicium & ordinem Juris.

Quot & quæ sint partes Satisfactionis.

SATISFACTIONIS autem ponuntur tres partes scilicet Oratio, Eleemosyna, Jejunium; quæ generaliora sunt in Satisfactione cujuslibet peccati: cum enim quis peccat, delinquit in Deum, & contra hoc specialiter satisfacit Oratio. Item delinquit in Eccle-

Ecclesiam, hoc est in proximum; & contra hoc specialiter satisfacit eleemosyna. Item delinquit in seipsum; & contra hoc specialiter satisfacit jejunium. De quibus illud dicitur. *Bona est oratio cum jejunio & eleemosyna*. Tob. 12. 8.

An necesse sit Confessionem & Satisfactionem fieri in charitate.

ULTIMÒ quæritur causa brevitatis de Confessione & Satisfactione simul, utrum necesse sit quod fiat in charitate? Et an qui confitetur & satisfacit extra charitatem, teneatur iterum confiteri & iterum satisfacere? Et dicunt hìc plures quod utrumque debet fieri in charitate, & repeti si fiat extra charitatem.

Alii circa utrumque distinguunt. Et primò de Confessione dicunt quod oportet quod fiat in charitate, ex quodam tamen consequenti, ita quod oportet quod fiat illud quod statutum est ab Ecclesia. Et oportet etiam quod dum fit, quod charitas habeatur, quia semper sive confiteamur, sive non, nos tenemur habere charitatem. Et sic ut tactum est, nos tenemur ex quodam consequenti confiteri in charitate: sed si fiat extra charitatem, non oportet (ut dicunt) eam repetere, sed solum satisfacere & confiteri quod confitendo priùs ficti fuerimus, idest extra charitatem; dum tamen idem sit prior & posterior Confessor, & memoriam habeat peccatorum confitentis: alioquin oporteret repetere, quia integra debet esse Confessio. Et isti dicti sui ponunt rationem, quòd scilicet ad hæc duo, scilicet confiteri & charitatem habere tenemur divisim: nam propter Statutum Ecclesiæ tenemur confiteri sive habeamus charitatem, sive non: & similiter tenemur habere charitatem sive confiteamur sive non. Et ideo potest unum solvi sine alio. Ut gratia exempli. Si teneor ire ad Ecclesiam, & cum hoc teneor tota die esse capatus in Ecclesia: si vado ad Ecclesiam sine capa, non oportet me iteratò ire ad Ecclesiam, sed solum satisfacere de eo quod non fui tota die in Ecclesia capatus. Consimiliter in proposito. De Satisfactione autem dicunt quod in Satisfactione duo sunt consideranda: scilicet ipsa solutio debiti, & ipse modus solvendi, ita ut per datum sive factum fiat solutio debiti, & per modum solvendi placeat solutio. Si autem per aliquem fiat extra charitatem solutio debiti puta pœnæ taxatæ à Sacerdote, sicut jejunare per annum & hujusmodi, dicitur quod de rigore non exigitur quod iteratò reddat cum charitatem & gratiam adeptus fuerit; sed solum quod illud quod defuerit in modo, ipse pœnitendo solvat. Unde qui tenebatur Deo injunctam pœnitentiam facere, quod respicit debitum; & cum hoc in charitate & bene ordinata voluntate facere, quod respicit modum solvendi; debitum solvet, sed non modo debito: oportebit talem confiteri & satisfacere de indebito modo solvendi. Et tunc erit debita Satisfactio; quia scilicet erit satisfactum priùs, quantùm ad debitum, nunc verò posteriùs satisfit quantùm ad debitum modum. Reliqua plenè tractantur in Summa Raymundi Tit. *de Pœnitentia*, propter quod multa, causa brevitatis transeo.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ-UNCTIONIS

Et pertinentibus ad ipsum.

SEQUITUR aliqua tangere de Sacramento ultimæ-Unctionis. Et primò quid sit. De ejus institutione. Quæ forma. Quis debitus Minister. Quis ejus effectus. Quid hìc res, & quid Sacramentum. Quis sit perceptibilis hujus Sacramenti, & quoad morbum & quoad ætatem. De loco unctionis.

Quid sit Extrema-unctio.

DEFINITUR autem sic Extrema-unctio à quibusdam. Extrema-unctio est linitio olei sanctificati A facta ad relevationem utriusque infirmitatis, scilicet mentis & corporis. Et ponitur Unctio extrema pro nomine unico definiti quod quia non habemus; circumloquimur per duo. Iste verò terminus linitio qui ponitur in definitione, sonat in actum vel in passionem quæ est in suscipiente ipsum Sacramentum; sicut cum dicitur, *Baptismus est tinctio* &c. designatur tinctio passiva, quâ intingitur baptizatus. Veruntamen si quis totum esse Extremæ-unctionis vellet definire, posset ita notificare. Extrema-unctio est Sacramentum ex Unctione infirmis per oleum sanctificatum facta, conferens infirmis remedium contra peccati reliquias, & si expediat, alleviationem ferens corporis infirmati.

De ejus Institutione.

QUANDO autem & ubi sit hoc Sacramentum institutum, est duplex opinio. Una dicit ab Apo- B stolis hoc Sacramentum esse institutum, quæ videtur confirmari per glossam super illud Marc. 6. 13. *Ungebant oleo multos ægrotos, & sanabantur.* Quæ glossa sic dicit. „Ab Apostolis patet hunc morem esse tra„ditum ut energumeni & alii ægroti certo loco ungan„tur oleo à Pontifice consecrato. Secundum hoc ergo dicendum est, quod Apostoli à Deo inspirati, divina auctoritate & voluntate instituere potuerunt istud Sacramentum, immò ipse Deus in ipsis; licet forsitan tunc non ungerent modo & forma quâ nunc secundùm ordinationem Ecclesiæ fit Unctio. Sed forsan ad tempus istam formam ex causa servaverunt, sicut ipsi (ut supra tactum est) ad tempus ex causa rationabili formam Baptismi mutaverunt, ut scilicet baptizarent in nomine Christi. Alii volunt quod istud Sacramentum Christus per se instituerit, quoniam juxta præallegatum. c. VI. Marc. 12. 13. narrato quomodò Christus suos misit Discipulos ad prædicandum, statim sequitur: *Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent, & dæmonia multa ejiciebant, & un-* C *gebant oleo multos ægros & sanabantur* quod non creditur sine institutione Domini fuisse. Nec simile est de immutatione Baptismi, quia aliud est mutare formam Sacramenti, & aliud instituere totum Sacramentum de novo celebrandum: nam & fortè nunc per Ecclesiæ auctoritatem, aut aliquam sibi datam inspirationem, sicut Apostoli habuerunt, possent aliqua ad tempus, justa de causa, circa formam alicujus Sacramenti immutari; sed totum, Sacramentum instituere nullus posset (ut creditur) nisi solus Deus.

Quæ sit materia Sacramenti Extremæ-unctionis.

MATERIA hujus Sacramenti est oleum simplex ab Episcopo benedictum sine alterius rei admixtione: cum enim oleum significet nitorem conscien- D tiæ, & balsamum suavitatem famæ, & moriturus maximè indiget nitore conscientiæ & non multum suavitate famæ, apparet quod morituri simplici oleo convenienter perunguntur, non Chrismate, quod compositum est ex oleo & balsamo. Et quoniam in exitu constitutus indiget gratia sanante non tantùm cor; sed etiam alia membra quibus abusus est: indiget non tantùm unctione cordis; sed etiam aliorum membrorum quibus maximè peccavit: ut sicut trina mersio in Baptismo signat submersionem trium peccatorum quæ in mundo regnant, scilicet concupiscentiæ carnis, concupiscentiæ oculorum & superbiæ vitæ, sic hìc multiplex

tiplex inunctio signat eliminationem ex divina misericordia membrorum singulorum.

Quæ sit forma hujus Sacramenti.

De forma autem sciendum est, quod sicut forma aliorum Sacramentorum consistit in sermone A & opere ut Baptismus in verbis illis, *Baptizo te* &c. & in opere scilicet in mersione baptizati, & sic de aliis Sacramentis: sic hujus Sacramenti forma consistit in opere & sermone. In opere quidem, in illa scilicet signatione membrorum in forma crucis: in sermone verò, in prolatione horum verborum. *Per istam suavissimam unctionem & suam piissimam misericordiam dimitat tibi Deus quidquid per visum peccasti.* Et sic de ceteris membris. Nec iteratur ista forma super eamdem materiam per replicationem verborum, quia non omninò sunt eadem verba, ut patet, licet in parte eadem esse videantur.

Sed cum multiplex sit unctio & multiplex verborum prolatio; quia ad singula membra singulæ fiunt unctiones, & propria verba dicuntur; numquid ad inunctionem oculorum dimittuntur eorum peccata, B & similiter ad alias inunctiones aliorum membrorum, alia eorum peccata, vel an omnia peccata simul dimittantur? Dicitur quod omnes aliæ illæ inunctiones, licet fiant diversis temporibus; tamen pro eodem tempore scilicet pro ultimo instanti prolationis & completæ inunctionis factæ censentur, sicut in simili dictum est suprà in Consecratione Eucharistiæ: nam sic est hìc; tunc enim omnia peccata simul dimittuntur, scilicet in ultimo instanti totius inunctionis & prolationis verborum, pro quo fiunt omnes inunctiones.

Quis sit debitus Minister in Sacramento Extremæ-unctionis.

De Ministro autem hoc est tenendum, quod solus Sacerdos potest hoc Sacramentum conferre, & solus Episcopus hoc oleum consecrare. C Quod patet tum ex auctoritate B. Jacobi qui in sua Canonica c. ult. dicit. *Infirmatur aliquis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini* &c. Tum quia istud Sacramentum consummativum est Pœnitentiæ. Et ideo pertinet ad claves quæ solis Sacerdotibus conferuntur.

Quis sit effectus istius Sacramenti.

Effectus autem huius Sacramenti secundùm Magistrum in Lib. Sententiarum ponitur duplex, scilicet sanatio corporis & spiritus, ut sicut homo ex duobus constat scilicet ex corpore & anima, ita sit effectus huius Sacramenti sanatio utriusque: sed principaliùs mentis, quia iste effectus semper sequitur in verè pœnitente. Et ista sanitas mentis in duobus D consistit, scilicet in peccatorum remissione, & in virtutum ampliatione.

Quid hìc res & quid Sacramentum sit.

Denique ut sciatis quid sit hìc res, & quid Sacramentum. Notandum quod secundùm quosdam Sacramentum hìc est ipse usus olei, sive consignatio cum oleo. Res autem est ipsa gratia Spiritus sancti, quæ dicto modo efficit sanationem mentis, & etiam quandoque corporis, quando scilicet expediens fuerit. Secundùm alios autem Sacramentum est ipsum oleum: Res autem gratia Spiritus sancti &c. Est autem invenire inter illa plurimam similitudinem, quia gratia Spirtus sancti, ad modum olei lenitiva est morbi spiritualis, lætificat etiam & consolatur ab hac vita exeuntem. Unde in Psalm. 103. 15. *Ut exhilaret faciem in oleo* idest mentem quæ facies interior est, *in oleo* Extremæ-unctionis. *Et panis*, idest Eucharistia quæ inunctis exhibetur, *cor hominis confirmet.*

Quis sit perceptibilis huius Sacramenti.

Quis autem perceptibilis sit huius Sacramenti. Dicitur quod non omni morbo vexatus, sed solùm morbo graviori in quo timetur periculum mortis. Tamen quia omnis ægritudo corporis crescendo potest reducere hominem ad obitum, in omni morbo cum cœperit imminere periculum mortis, poterit istud Sacramentum dari. Sed numquid parvuli & ignorantes & amentes possunt inungi? Dicitur quod non; cum enim hoc Sacramentum non debeat dari non recognoscentibus, & non postulantibus ipsum; tales autem sunt parvuli & ignorantes, qui omninò usum rationis amiserunt, & furiosi nisi habuerint dilucida intervalla; dicitur quod huiusmodi inungendi non sunt: posset enim esse periculum tam in irreverentia, quàm etiam in immunditiis, quæ huiusmodi homines concomitantur. Si tamen furiosi habuerint lucida intervalla, possent in illis intervallis inungi, si immineret periculum mortis.

De loco unctionis.

De locis autem unctionis est variatio apud diversas Ecclesias. Hoc tamen semper tenendum est quod loca quinque sensuum principaliter inungenda sunt, sicut oculi, aures, nares, pedes & manus. Quidam autem addunt pectus & renes & umbilicum, in quibus delectatio est venerea, licet non oporteat. Sed ubi inungendi sunt mutilati? Dicitur quod in loco mutilationis; quia licet membro careant, non tamen carent potentia qua completur actus peccati ab intra, licet non ab extra. Et ideò ut expietur peccatum, cum membrum non supersit, in loco incisionis, vel in loco illi membro maximè vicino inungendus est.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Et pertinentibus ad ipsum in generali.

In Sacramento Ordinis primò occurrit dicendum, Quid sit Ordo. Quid ibi pro materia & quid pro forma. Quot sunt gradus & sufficientia eorum. Quot sunt de necessitate huius Sacramenti. Qui Ordines Sacri, & quare sic dicantur.

Quid sit Ordo & quomodo definitur.

Definitur autem sic à Magistro in Lib. Sent. Ordo est signaculum quoddam sacrum, quo spiritualis potestas traditur ordinato & officium. Item quidam antiquornm Magistrorum ita definiunt. Ordo est Sacramentum Spiritualis potestatis ad aliquod officium in Ecclesia ordinatum.

Quid in Sacramento Ordinis sit materia, & quid res Sacramenti.

Quid autem sit hìc pro materia & quid pro re Sacramenti. A quibusdam dicitur quòd sicut in Baptismo tria sunt, unum scilicet quod tantùm est Sacramentum, scilicet aqua vel tinctio cum verbo; & aliud quod est res tantùm, scilicet remissio peccati vel collatio gratiæ; & tertium quod est res & Sacramentum, scilicet

scilicet character baptismalis. Sic hic est aliquid quod est Sacramentum tantùm, scilicet illa signa visibilia cum verbis, quibus spiritualis potestas tradi ostenditur; ut in ostiariis traditio clavium cum verbis ad hoc pertinentibus; in lectoribus traditio Libri Prophetarum cum verbis ad hoc institutis, & sic de aliis: & aliquid quod est res tantùm, scilicet gratia Spiritus sancti infusa vel potestas spiritualis: est & aliquid quod est Sacramentum & res, scilicet character qui imprimitur. Alii ponunt duo priora pro Sacramento & re.

Sed tunc circa hoc oritur dubium, cum dicatur quod hoc Sacramentum sit aliquod sacratum signum exterius cum verbis ad hoc ordinatis; & in quibusdam Ordinibus sicut in Sacerdotio sit pro Sacramento impositio manuum cum forma verborum: an si ab uno verba proferantur & ab alio manus imponantur, Ordo conferatur. Et patet quod non. Ut in Decreto dist. XXIII. c. *quorumdam Clericorum* & ex textu & glossa.

Quot sunt Ordinum gradus & unde eorum numerus & sufficientia.

QUOT autem sint Ordinum gradus; dicit Magister in. IV. Sentent. quod sunt septem, scilicet Ostiariatus, Lectoris, Exorcistæ, Acholyti, Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri: quorum est conficere Corpus Christi, quod est excellentissimum officiorum humanorum. Et ideo supra Sacerdotium non est Ordo superior, immo nec Episcopatus nec Archiepiscopatus. Quorum numerum & sufficientiam sic poteris accipere. Ordinum unus est supremus & principalis scilicet Sacerdotium. Alii secundarii & huic deservientes: Supremus Ordo duos habet actus, scilicet principalem, qui est conficere Corpus Christi, & secundarium, qui est populum præparare ut idoneè communicet. Secundarii autem Ordines & huic supremo Ordini deservientes, aut deserviunt ei quoad actum suum principalem, aut quoad actum suum secundarium. Si quoad actum suum principalem, qui est conficere Corpus Christi, tunc est potestas super hostias ex quibus conficitur Corpus Christi. Et hoc potest esse dupliciter. Quia aut in comparatione quoad populum qui eas offerunt templo; & sic est Ordo Subdiaconatus; Subdiaconi enim interest accipere hostias à populo & reponere in presbyterio, ut ipsas ministrare possit Diacono ut dicit Isidorus: aut est potestas super hostias in comparatione quoad Sacerdotem, & sic est Ordo Diaconatus, cujus est hostias oblatas ponere super Altare & ordinare ut eas ibi consecret Sacerdos. Si autem est Ordo deserviens Sacerdotio quoad actum suum secundarium, scilicet ad præparandum populum, tunc aut deservit ei in amovendo malum, aut in ordine ad bonum. Si primo modo, tunc iterum contingit hoc dupliciter, scilicet aut amovendo malum quod est ab extra, & sic est Ordo Ostiariorum quorum officium est indignos & viles excludere, ne violent locum communionis fidelium; aut amovendo malum quod est ab intra, & tunc est Ordo Exorcistarum, quorum est arcere vim dæmonum per adjurationes, ne impediat perceptiouem Sacramentorum. Si autem Ordo deservit Sacerdotio in ordine ad bonum, tunc potest esse dupliciter; aut ex parte intellectus, & tunc est Ordo Lectorum quorum officium est legere apertè & distinctè ad illuminationem intellectus, aut ex parte affectus, & tunc est Ordo Ceroferariorum, qui in signum ignis spiritualis accendendi in cordibus nostris, cereos flammiferos deferunt, & hi sunt Acholyti. Acholytus enim Græcè, ceroferarius dicitur Latinè. Alii volunt quod novem sunt Ordines in Ecclesia Militante, sicut sunt novem Ordines Angelorum in Ecclesia Thiumphante. Et secundùm quosdam illorum Episcopatus & Archiepiscopatus constituunt duos gradus, qui additi septem præcedentibus, faciunt novem. Secundùm alios corona est primus Ordo & Episcopatus ultimus, & sic fiunt novem cum septem prænominatis. Sed prior sententia potior est in conspectu modernorum.

Quot & quæ sunt de necessitate hujus Sacramenti.

A SEQUITUR dicere quot & quæ sunt de necessitate huius Sacramenti. Et dicitur quod sex; præcipuè scilicet sexus virilis: unde mulier non est susceptibilis Ordinis. Item præcedens Baptismus qui etiam est fundamentum ceterorum Sacramentorum, excepto Conjugio: unde si aliquis non baptizatus ordinaretur, nihil reciperet, unde oporteret post Baptismum si vellet aliquem Ordinem exequi, quod iterum ordinaretur. Item potestas ordinantis quia qui non est Episcopus Ordines conferre non potest. Item intentio recta, ut scilicet ordinans intendat facere quod facit Ecclesia, & similiter ordinandus secundùm quosdam. Item materia seu Sacramentum, ut traditio Libri & similium cum forma verborum. Item tempus seu ætas, secundùm aliquos; quoniam si parvulus ordinetur etiam præcedentibus aliis gradibus nihil reciperet, cum secundùm eos in B hoc Sacramento exigatur tam intentio recipientis Ordinem quàm conferentis: parvulus autem quia non habet usum liberi arbitrii, non habet intentionem. Alii volunt quod ætas sit de congruitate, & non de necessitate hujus Sacramenti; & ideò in prædicto casu parvulus secundùm eos recipit characterem, nec secundùm eos est reordinandus. Frater Albertus vult quod in aliis Ordinibus ætas sit de congruitate, sed in ultimo Ordine qui est Sacerdotium, est de necessitate. Unde planè vult quod Ordo Sacerdotii non possit parvulo conferri. Item jejunium secundùm aliquos, eò quod secundùm eos pransus non conferret Ordinem nec susciperet. Alii ferè omnes volunt contrarium. Multa præterea de honestate & congruitate tam ex parte conferentium Ordines quàm ex parte temporis, quæ reperies expressè in Summa Raymundi Lib. III. in principio & consequenter. C

Qui Ordines sint Sacri & quare Sacri dicantur.

POstremò notandum quod licet omnes prædicti septem gradus Sacri sint; quatuor tamen primi minores Ordines non dicuntur Sacri, sed solum tres majores, scilicet Ordo Subdiaconatûs, Ordo Diaconatûs, & Ordo Presbyteratûs. Et hoc propter dignitatem quæ inducitur ministrantibus in tribus majoribus Ordinibus: oportet enim eos vovere continentiam vel simpliciter vel secundùm tempus. Simpliciter ut in tota Ecclesia Occidentali, ubi non dantur isti tres Ordines nisi voventibus ipso facto perpetuam castitatem. Secundùm tempus, ut in Orientali Ecclesia, ubi qui in Matrimonio Ordinem recipiunt in Matrimonio permanent: sed tamen dum ministrant, abstinent ab uxoribus. Insuper illis mortuis alias ducere non possunt. D

DE SACRAMENTO CONJUGII

& pertinentibus ad ipsum.

DE Sacramento Conjugii non multa necesse est hic dicere eò quod in Summa Raymundi Lib. IV. de hoc Sacramento sufficienter tractetur. Sunt quædam tamen quæ ibidem non tanguntur, de quibus

quibus hìc aliqua breviter memoranda sunt, videlicet, an istud Sacramentum sicut alia Sacramenta conferat gratiam & efficiat quod figurat. Quis sit ejus effectus. An opus conjugale possit fieri sine peccato. An debeat reddi debitum conjugale tempore impraegnationis. Item an debeat reddi tempore & loco Sacro. Item an semper debeat reddi cum petitur. Quid hìc sit materia & forma, & quid res & Sacramentum.

An Sacramentum Conjugii conferat gratiam & efficiat quod figurat.

PRæsupposito quod Matrimonium est viri & mulieris conjunctio legitima, individuam vitæ consuetudinem retinens; quæ definitio datur secundùm naturam optimè institutam, quia tunc una & pura fuit: prætermisso etiam Tractatu de causa institutionis hujus Sacramenti & ubi institutum fuit & qui possunt contrahere & qui non, cum aliquibus aliis circa hoc Sacramentum necessariis, quæ expressè Lib. IV. Summæ Raymundi invenies: nunc quærendum venit an hoc Sacramentum sicut alia confert gratiam, & efficiat quod figurat? Ubi triplex cadit opinio. Prima dicit quod non confert aliquam gratiam: sed cum alia Sacramenta significent gratiam & conferant, istud tantùm signat gratiam, sed non confert. Hæc est opinio Magistri in Lib. Sentent. & Præpositi Antisiodorensis. Secunda opinio dicit quod confert gratiam, scilicet recessum à peccato, non tamen in ordine ad bonum. Et dicunt quod gratia illa est quod virtute hujus Sacramenti mitigatur concupiscentia ne ferveat ultra nuptiarum honestatem. Et hæc opinio probabilior videtur. Tertia & satis peritorum opinio est, quod confert gratiam etiam in ordine ad bonum; non quidem generaliter; sed ad bonum hoc tantùm quod debet facere conjugatus: & istud bonum est ut fideliter conjugi assistat, opera sua illi communicet, prolem susceptam religiosè nutriat, & hujusmodi. Et secundùm hoc patet quod efficit gratiam quam figurat; sed non omnem quam figurat, sicut nec oportet. Figurat quippe conjunctionem fidelis animæ cum Christo, quæ quidem est effectus ejus, non contentus quidem, sed significatus.

Quis sit ejus effectus.

EX præmissis igitur habes quod duplex est effectus Matrimonii. Unus scilicet non contentus; sed tantùm significatus, scilicet conjunctio fidelis animæ cum Christo. Alius contentus & significatus, gratia scilicet qua mitigatur fomes & qua fideliter conjugi assistitur.

An amplexus matrimonialis possit fieri sine peccato.

UTrum autem fieri possit amplexus matrimonialis sine peccato vel meritoriè, post hæc venit dicendum. Et dicitur quod causæ quatuor præcipuè sunt propter quas fit commixtio conjugalis. Aut enim fit causa suscipiendæ prolis, & hoc dupliciter: aut scilicet ad cultum divinum ampliandum, & hæc causa sic cognoscendi uxorem ab omni peccato excusat & reddit opus meritorium, dummodo ista intentio ante finem operis per delectationem non corrumpatur: vel fit causa prolis, ut scilicet habeatur successor hereditatis, & hæc causa non excusat à veniali, sed à mortali. Aut fit causa reddendi debitum, & hæc causa excusat à culpa, & secundùm aliquos meretur sic faciens; dum tamen ista intentio per inordinatam voluptatem ante finem operis non supplantetur. Aut fit causa fornicationis vitandæ, & hæc causa excusat à mortali. Aut fit causa exsaturandæ libidinis, & hæc causa non excusat à mortali. Vel secundum alios in hoc ultimo casu distingue; quia aut illa libido, causa cujus exsaturandæ fit commixtio conjugalis, tantum repressa erat quod eam nollet alter conjugum cum alio vel alia explere, & tunc dicunt quod adhuc est peccatum veniale; aut in tantùm creverat illa libido ut indifferenter vellet quis eam sive cum sua, sive cum non sua explere; & tunc dicunt esse mortale peccatum.

A

An tempore impraegnationis debeat reddi debitum conjugale.

DE tempore impraegnationis dicitur quod propter periculum non debet in tempore impraegnationis uxor cognosci. Unde si vir eo tempore moveatur ad coïtum, debet ratione talem motum propter timorem prædicti periculi refrenare, maximè quatuor primis mensibus: si tamen vir uxorem dicto tempore cognoverit, non propter hoc peccat mortaliter. Verumetiam quia mulier illo tempore maximè coïtum ut frequenter appetit, si ipsa petat & ipse vir exactus reddat, sic reddens leviùs peccat, exigens verò graviùs, uterque tamen venialiter tantùm.

An tempore & loco Sacris debeat reddi debitum.

B

DE tempore Sacro similiter dicitur quod tempore Quadragesimæ & Quatuor temporum & Rogationum, & præcipuarum Solemnitatum non debet alter conjugum debitum petere: si tamen petierit, cum pigentia tamen animi quod sine conjugii usu esse non possit, venialiter peccat. Si autem alter petierit, reddat; ex actu tamen justitiæ & fide thori excusatur à peccato, nisi in his casibus præter temporum hujusmodi Solemnitatem aliquid juxta distinctiones supra positas, gravius incideret quod peccatum aggravaret. Sed secus est de loco, ut volunt aliqui, quod scilicet non tenentur in loco Sacro reddere debitum, si aliquis alius locus haberi possit: si autem alius locus non possit haberi ut contingit in tempore guerræ, ubi multis noctibus in locis Sacris jacent viri cum uxoribus suis; tunc si alter conjugum solvat exactus, habens de hoc dolorem cordis, peccat tantùm venialiter, immò si exigat cum planctu & pigentia, quod sine usu conjugii esse non potest, non credunt multi quod peccat mortaliter. Nec credas quod tunc contaminetur locus, ita quod reconciliatione indigeat, quia contaminatio Sacri loci distinguitur dupliciter. Una quæ procedit ex incongruitate operis quod fit in ipso, respectu dicti operis in se; & alia quæ procedit ex incongruitate operis; non quoad se, sed quoad consecrationem seu actum ipsius loci in quo fit: nam illa quæ procedit ex incongruitate respectu loci tantùm & non operis in se, non contaminat locum in tantum quod indigeat reconciliatione; sed illa verò quæ procedit ex incongruitate ad Sanctificationem loci, respectu operis in se, ut est in magnis facinoribus, sicut in stupro, adulterio, homicidio, & hujusmodi. Et hæc locum contaminat in tantum quod reconciliatione indiget: maximè respectu aliquorum facinorum ubi sunt manifesta.

C

An semper debeat reddi debitum conjugale cum petitur.

D

DE solutione autem debiti conjugalis hoc tenent aliqui, quod omni tempore petenti debitum est reddendum secundùm opportunitatem loci: quod ideo dicitur, quia ille actus verecundiam quamdam habet sibi annexam. Unde non oportet quod solvatur in publico; sed in omni hora omnique dimisso negotio, si scit alterum esse in periculosa concupiscentia,

centia, tenetur captare secretum cubile & debitum reddere.

Alii distingunt quod sicut in Præceptis affirmativis semper ad ea tenentur, sed non pro semper, ut verbi gratia, semper teneor honorare parentes meos; sed non pro semper, sed solum pro loco & tempore. Ita hìc (ut dicunt) quis ad semper tenetur reddere debitum, sed non tenetur pro semper, sed solùm cum opportunitas loci & temporis hoc exegerit.

Et nota duos versus qui determinant quinque casus in quibus quis potest reddere debitum sine peccato, sed non petere.

Festa, sacerque locus, jejunium, menstrua, partus.
Si petas his peccas, reddis quandoque licenter.

Quid sit materia & quid forma in Sacramento Conjugii.

QUID autem sit materia & quid forma, dicitur quod materia sunt legitimæ personæ in potentia commixtionis sexuum existentes. Circa quod multi difficiles & diversi casus occurrunt hoc Sacramentum Matrimonii impedientes, qui sufficienter in Summa Raymundi determinantur: quare hìc causa brevitatis non exprimentur, sed solum pro quadam compendiosa annotatione ponuntur sex versus sequentes.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum.
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.
Error, conditio, votum, cognatio, crimen.
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Si sis affinis, si forte coire nequibis;
Hæc socianda vetant connubia, juncta retractant.

Forma autem est consensus per verba expressus, ut *Accipio te in meam* &c. vel hujusmodi. Secundùm alios consensus animorum est materia in Conjugio. Forma autem est debita verborum prolatorum forma, scilicet *Accipio te in meam* &c. Sed numquid & iste consensus debeat ferri & esse ad carnalem copulam? Et dicit Magister in Lib. Sentent. quod non in carnalem copulam nec in cohabitationem corporalem, sed in societatem conjugalem; quod sic exponitur, hoc est in carnale debitum, non in carnalem actum.

Nec obstat illud de Matrimonio Beatæ Virginis, quæ secundùm Beatum Augustinum ita in Matrimonio consensit quod nisi aliter Deus juberet, debitum conjugale non redderet. Ait enim sic: „Committens autem virginitatem suam divinæ dispensationi, & consensit in carnalem copulam, non illam appetendo; sed divinæ inspirationi in utroque, scilicet virginitate & commixtione, obediendo. Sed virginitatem quam nondum voverat, in desiderio habuit & cum firmo proposito; commixtionem verò illam, nisi Deus aliter disponeret, in sufficientia. „

Ex his satis patet quid hìc sit Sacramentum & quid res: nam Sacramentum est consensus animorum & conjunctio corporum. Res autem duplex est, scilicet unio Christi & Ecclesiæ. Item unio duarum naturarum in Christo: nam sicut in Matrimonio conjunctio est animorum unius cum una, ita unitur Christus cum Ecclesia quæ una est, ut dicitur Cant. 6. *Una est columba mea* &c. De qua etiam unione dicitur. 1. Cor. 6. *qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo.* Item sicut in Matrimonio est commixtio diversorum sexuum, ita in Christo est unio duarum diversarum naturarum scilicet divinæ & humanæ.

TRACTATUS IV.

DE SEPTEM VIRTUTIBUS

& earum declaratione.

A NUNC aliqua tangenda sunt de virtutibus. Et primò quid sit virtus in genere. Quot sunt in numero, & de earum sufficientia. Deinde de singulis in speciali erit aliquid dicendum.

Quid sit Virtus in generali.

EST Virtus secundùm Augustinum *bona qualitas mentis qua rectè vivitur & qua nullus malè utitur, quam solus Deus in homine operatur.* Notanter dicitur *bona qualitas*, ad differentiam malarum qualitatum, cujusmodi sunt prodigalitas, avaritia. Addit, *mentis*, ad differentiam corporalium qualitatum, quales sunt albedo, nigredo. Et subjungit, *qua* scilicet *virtute rectè vivitur*, ad differentiam scientiæ, quæ quamvis sit bona qualitas mentis, non tamen necessario eâ rectè vivitur, sed potiùs eâ rectè intelligitur. Et additur, *quâ nullus malè utitur*, ad differentiam potentiarum naturalium quibus contingit & benè uti, & malè uti, cujusmodi sunt rationabilitas & concupiscibilitas & irascibilitas, quæ propriè potentiæ dicun-
B tur. Dicitur etiam, *quam solus Deus operatur in homine*; quod ponitur ad differentiam virtutum politicarum, quæ (ut vult Philosophus in Ethicis) generantur ex frequenti benè agere, cum virtutes Theologicæ à Deo infundantur. Ex quo apparet quod præcedens definitio est propriè virtutis Theologicæ. Sed prout virtus comprehendit tam quatuor virtutes Cardinales quàm tres Theologicas, sic potest definiri. Virtus est amor habendi se ad omnia ut debetur. Unde Augustinus, in Lib. *de moribus Ecclesiæ*, singulas definiens virtutes, in omnibus definitionibus ponit amorem tanquam genus & adjungit diversos actus quasi diversas differentias.

Quot sunt Virtutes & de earum sufficientia.

EX dicta autem definitione extrahi potest numerus septem Virtutum, scilicet quatuor Cardinalium
C & trium Theologicarum: cum enim virtus sit amor habendi se ad omnia ut debetur; aut erit amor habendi se ut debetur ad Creatorem, aut ad creaturam. Si primo modo, tunc vel erit amor ad Creatorem ut recognoscatur, & sic erit Fides quæ est illuminatio mentis ad cognoscendum Deum; aut erit amor ad Creatorem ut possideatur, & hoc dupliciter, scilicet vel ut habendus in futuro, & sic est Spes; vel ut quomodo hìc jam habitus & tentus, & sic est Charitas, quâ quis, licet per quemdam modum imperfectum, habet hìc Deum. Quia *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* 1. Joan. 4.

Si autem sit amor habendi se ut debetur ad creaturam; tunc vel ad creaturam quæ sub nobis est, ut caro, & talis amor sic habendi se ad eam ut debetur, est Temperantia: aut ad creaturam quæ juxta nos est, sicut est proximus, & talis amor sic se rectè habendi ad eum, est Justitia: aut ad creaturam quæ contra nos est, & tunc aut illa creatura est nobis insidians, & talis amor sic se habendi ad eam ut debe-
D tur, est Prudentia: aut illa creatura est nos molestans, & talis amor sic se habendi ad eam ut debetur, est Fortitudo.

DE TRIBUS VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

Et primò de Fide.

IN speciali tangendum est de Virtutibus Theologicis. Et primò de Fide, de qua primò dicendum. Quid sit. Quot modis dicatur. Quæ sit Fides informis & quæ formata, & utrum una sit alia; & an dæmones habeant Fidem. Utrum parvuli baptizati habent Fidem. Utrum in aliquo casu sufficiat servare Fidem corde & diffiteri ore. Utrum Fidei possit subesse falsum. An omnes teneantur ad Fidem explicitam.

Quid sit Fides & quomodo definitur.

SEcundùm autem Apostolum ad Hebræos. 11. 1. *Fides est rerum sperandarum substantia, argumentum non apparentium.* Et definitur hìc Fides prout est fundamentum in ædificio spirituali: subsistit enim omnibus aliis virtutibus, & eas collocat in nobis, id est facit eas in nobis collocari. Et hanc sic intellige definitionem. *Fides est sperandarum rerum substantia*, id est Fides facit modo res speratas subsistere in nobis Spe, quæ tandem subsistent re. Fides dicitur *argumentum* id est ostensio vel præmonstratio *non apparentium rerum.*

Sed nonne Apostoli crediderunt Christum passum? utique, quia in eorum Symbolo hoc pro Articulo ponitur, & tamen apparuit eis passio sua. Sed dic quod aliud viderunt, & aliud crediderunt, quia hominem passum viderunt, & Deum passum crediderunt. Deum autem passum esse est Articulus Fidei secundùm Augustinum, non hominem illum passum esse: quia hoc crediderunt Judæi, qui Fidem non habent Catholicam. Secundùm autem Augustinum *Fides est illuminatio mentis ad videndum Deum.*

Quot modis Fides dicatur.

DICITUR autem Fides multipliciter. Aliquando enim accipitur pro habitu Fidei informis. Unde Jacobi 2. *Fides sine operibus* &c. Aliquando accipitur pro habitu Fidei formatæ. Unde ad Hebræos. 11. *Sancti per Fidem vicerunt regna.* Aliquando pro actu Fidei formatæ, secundùm quod dicit Augustinus *Fides est credere quod non vides.* Aliquando pro facultate credendi. Unde Matt. 7. *Non inveni tantam Fidem in Israel.* Aliquando pro objecto Fidei, scilicet pro eo quod creditur, cuiusmodi sunt Articuli Fidei. Unde in Symbolo Athanasii dicitur: *Hæc est Fides Catholica*, quod intelligitur de Articulis ibi positis.

Quid sit formata & quid informis & utrum una possit fieri sine alia.

FIDES autem formata est Fides quæ operatur per dilectionem, quæ scilicet informatur gratiâ & Charitate. Fides autem informis est huic contraria, utraque formabilitate privata, qualem habent existentes in peccato mortali, quæ nihil aliud est quam potentia naturalis assentiendi veritati utili. Utrum autem Fides informis fiat, quando que formata vel non, & an quotiens peccatur mortaliter, omnino pereat Fides formata; & cum ad statum gratiæ per Pœnitentiam reditur, utrum nova Fides creatur? Multi videntur dubitare: dicunt enim aliqui quod Fides informis eadem est in essentia cum Fide formata; sed differunt secundùm intentionem majorem & minorem, ut assensus veritati aliqua illustratione gratiæ irradiatus, sit Fides informis, assensus autem vehemens multa illustratione gratiæ illuminatus, sit Fides formata. Et volunt isti quod Fides informis hìc finiri possit, formata verò non. Alii dicunt quod non sunt eadem in substantia, sed evacuata sive recedente Fide formata, totum perit; & relinquitur
A tantum modica quædam lux in anima quæ non facit hominem gratum, quæ dicitur Fides informis. Alii distingunt quod dupliciter dicitur Fides informis: uno modo per privationem actualem formæ debitæ; & per hunc modum dicitur Fides informis esse in peccatoribus, quia non est in eis gratia gratificans vel Charitas: alio modo dicitur Fides informis per privationem possibilitatis ad formam debitam; & hæc Fides informis est in dæmonibus, qui non habent possibilitatem ad gratiam. Et primo modo dicta Fides informis sic differt à formata, quod tamen formata fieri possit, scilicet quod illud quod Fidei informi subjacet, potest formari. Unde materialiter loquendo hæc potest fieri illa, sicut cæcitas in oculo potest fieri visus per miraculum. Sed secundo modo dicta Fides informis omnino differt à Fide formata, sic quod nullo modo potest fieri formata: & illud plus placet aliquibus. Ex his patet an dæmones ha-
B beant Fidem; habent enim Fidem informem, ut dicunt Sancti: sed, ut dixi; multo aliter quam peccatores; quoniam Fides informis dæmonum non est possibilis ad formam debitam, sicut Fides peccatorum, in qua est aliqua quamvis modica illustratio gratiæ. In Fide verò dæmonum nulla; sed tantùm credulitas quædam ex cogitatione naturali exorta.

Utrum parvuli baptizati habeant Fidem.

AD id quod quæritur, utrum parvuli baptizati Fidem habeant? Dicunt quidam quod nec Fidem habeant nec ceteras virtutes; eò quod hæ non conferuntur eis in Baptismo; sed tantum purgatio ab originali peccato. Dicunt tamen, quod si anima parvuli post Baptismum separetur; in illa separatione illi infundi Fidem ceterasque virtutes ab ipso Deo; & similiter cum adultus efficiatur, si tamen retineat
C innocentiam baptismalem. De hac opinione est Hugo qui fecit Apparatum super Decret. Alii dicunt parvulis plenè Fidem & ceteras virtutes in Baptismo infundi, sed non usus earum. Quam opinionem tenet Magister in Lib. *de Sentent.* & alii plures. Est & alia opinio inter has duas media, quæ ponit quod parvuli nec habent completum habitum virtutum neque actum, quia nondum sunt capaces virtutis completæ, ut est habitus vel actus: sed accipiunt virtutes ad potentiam, quæ potentia aliquid habet de natura habitus, & fit habitus completus si anima separetur, vel cum veniunt ad ætatem adultam.

Utrum in aliquo casu sufficiat corde servare Fidem, & ore diffiteri.

UTRUM autem in aliquo casu sufficiat veram Fidem corde tenere, & pro vita salvanda ore ne-
D gare, nullus discretus dubitat: negans enim Fidem ore, quantumcumque retineat firmiter corde (præcipuè requisitus) peccat mortaliter. *Corde enim* (ut ait Apostolus) Rom. x. 10. *creditur ad Justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Unde sine confessione Fidei non videtur esse salus, quantò minùs cum negatione. Insuper talis impugnat Fidei veritatem agnitam, & sic videtur quodammodo peccare in Spiritum sanctum. Unde hæc est hæresis Priscillianistarum, qui dicunt quod *pro vita salvanda licet Fidem ore negare, si tamen verè teneatur in corde.*

Utrum

Utrum falsum possit subesse Fidei.

HIc dubitatur utrum falsum possit subesse Fidei, hoc est utrum falsum possit credi vel id quod non est, puta cum Sacerdos elevat hostiam non consecratam, utrum sit vera Fides qua à toto populo creditur ibi esse, vel illud esse Corpus Christi? Et dicitur ad hoc quod Fidei nunquam potest subesse falsum nec dubium, immò nec etiam potest quidquam credi nisi sit infallibiliter verum. Unde in prædicto casu credere quod illud, sive illa hostia sit Corpus Christi, non est Fides, sed opinio tantùm quæ potest esse de falso: sed credere quod sub illa hostia, si in forma debita consecrata fuerit, sit Corpus Christi, est Fides: & hoc semper infallibiliter est verum. Unde illa conditio semper apponenda, vel ad minùs supponenda est quando hostia adoratur vel sumitur, scilicet si ritè consecrata fuerit. Hostia ritè consecrata infallibiliter est Corpus Christi.

An omnes teneantur ad Fidem explicitè credendam.

DEnique an omnes teneantur ad Fidem explicitam, scilicet ad credendum Articulos Fidei explicitè, dubium est apud quosdam: dicunt enim aliqui quod nec ante adventum nec post adventum Christi tenebantur homines scire omnes Articulos Fidei explicitè, nec etiam omnes explicitè credere, nisi in quantùm docti erant à majoribus, & illam doctrinam intellectu capere poterant. Sed tamen adhuc illi qui præcesserunt minùs tenebantur propter umbram quæ tunc erat, isti autem plus, propter doctrinam & veritatem expressam. Unde nunc quilibet quantumcumque simplex qui humanam habet discretionem, tenetur ad minùs explicitè scire & credere primum Articulum & reliquos nullatenùs diffiteri; sed in generali credere quidquid sancta & universalis credit Ecclesia. Et tenetur præter hoc se paratum exhibere ad ampliùs discendum, cum Doctorem Catholicum habuerit. Et quoniam obtusum sensum habent simpliciores, non credo quod teneantur ita explicitè scire sicut explanatur eis, quia sufficit quod ipsi accipiant explanationem secundùm suam potestatem intelligendi & non secundùm voluntatem aut facultatem explanatoris. Si autem primum Articulum vel plures etiam alios explicitè crederent, uni tamen pertinaciter contradicerent, hæretici judicarentur. Quia hoc fieri non posset nisi egressi judicium Ecclesiæ, pueruli hæreticorum jam per doctrinam perversam esse inciperent.

Secus tamen est de sapientioribus qui tenentur explicitè omnes Articulos scire. Et maximè Prælati aut quicumque alii qui se fatentur Doctores, cum ignorantia Juris non cadat in Principem aut Doctorem.

DE VIRTUTE SPEI

Et pertinentibus ad ipsam.

SEquitur aliquid dicere de Spe. Primò quid sit Spes. An Spes possit esse malarum rerum. Quorum sit Spem habere. An ipsa simul cum Fide evacuabitur. Et quid succedit eis.

Quid sit Spes & quomodo definitur.

DEfinitur autem sic Spes ab Augustino: *Spes est certa exspectatio futuræ beatitudinis, proveniens ex* A *gratia & meritis præcedentibus.* Quam sic expone. *Spes est certa*, quod dicit propter hæsitationem: nam Spes usquequaque absque fluctuatione hæsitationis est. *Exspectatio*, quod dicit ad differentiam comprehensionis quæ erit in patria, ubi nihil exspectabitur, sed omnia præsentialiter habebuntur. *Futuræ beatitudinis*, quod dicit ad differentiam timoris servilis qui est exspectatio futuræ miseriæ. *Exspectatio*, dico, *proveniens ex gratia* idest benignitate Dei considerata: quod enim dicitur ex benignitate Dei considerata dicitur ad differentiam desperationis quæ severitatem tantùm Dei considerat. Et ex meritis præcedentibus, quod dicitur ad differentiam præsumptionis, quæ ex Dei benignitate tantùm considerata & non cum hoc ex meritis beatitudinem adipisci credit. Et sic definitur hìc motus Spei.

Aliter sic à Magistris communiter definitur. *Spes est audacia mentis de largitate Dei concepta, habendi vitam æternam per bona merita.*

An Spes possit esse malarum rerum.

B AN autem Spes possit esse malarum rerum? Dicit Magister in III. Sentent. quod Spes est tantùm bonarum rerum & earum quæ ad eum spectant qui earum Spem gerere videtur; quia propriè Spem habemus de bonis nostris, non de alienis. Unde ad hoc quod sit propriè Spes, tria concurrere debent, scilicet quod sit respectu boni & proprii & futuri. Unde si aliquando legatur, Spes dici malorum; sicut apud Poëtam:

Hunc ego si potui tantum sperare laborem.

vel etiam bonorum & communium; sicut speramus salutem bonorum qui sunt in via; vel etiam boni præsentis, intellige in talibus Spem non propriè accipi, sed largo modo.

Quorum sit habere Spem seu sperare.

C DE eo autem quod quæritur, quorum sit sperare, scilicet an sit Angelorum, an animarum beatarum in cœlo, & an Christus Spem habuerit, & etiam an antiqui Patres in Limbo, vel animæ nunc detentæ in Purgatorio Spem habuerunt aut habeant?

Dicendum est ad tria priora, quod propriè sumpto nomine Spei, neque Angeli, neque animæ beatæ neque Christus Spem habuerunt. Cujus ratio est, quia propriè non est nisi de substantiali beatitudine, quam nunc habent Angeli & animæ beatæ, eo quod stola corporis non sit secundùm Doctores de substantiali præmio ipsarum; sed tantùm ipsa contemplatio divinitatis & humanitatis Christi. Quia ut habetur Joan. 17. 3. *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Et quoniam Christus beatitudinem substantialem in via habuit; quia comprehensor fuit, ideo Spem propriè non habuit. Et si aliquando legatur ipsum Spem habuisse, intelligendum est de propriè dicta, scili-D cet de aliqua Spe de accidentali beatitudine, utpote de glorificatione corporis sui, cujus non est Spes nisi per posteriùs, ut de ipso loquitur Scriptura de gratia membrorum. De Patribus autem in Limbo & de animabus in Purgatorio existentibus dicitur, quod Spem habuerunt & habent aliquantulum extenso nomine: cum enim Spes sit boni futuri exspectatio, potest esse exspectatio cum omnimoda hæsitatione, & tunc non est Spes, vel cum certitudi-

ne opinionis, & tunc propriè est Spes qualem habent electi in via. Vel potest esse cum certitudine scientiæ, quod scilicet sciant se bonum æternum adepturos, & sic minùs propriè dicitur Spes. Et sic isto modo sumendi-Spem dicitur, quod Patres in Limbo & in Purgatorio animæ, Spem habuerunt & habent.

An Spes, & Fides evacuabuntur & quid eis succedet.

DE ultimo quod ponebatur in quæstione, scilicet an Spes & Fides evacuabuntur, & quid ipsis succedet. Dicitur quod utraque evacuabitur. *Cum enim venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* 1. Cor. 13. 10. Et ideo quia Fides & Spes imperfectionem habent, evacuabuntur, nec erunt Sanctis in cœlo sed loco Fidei succedet visio; loco autem Spei succedet amplexus, ubi videbitur & gustabitur quam bonus est Dominus.

DE VIRTUTE CHARITATIS

Et pertinentibus ad ipsam.

JAM de Charitate aliquid dicatur. Et primò quid sit Charitas. Quæ sint diligenda Charitate. Et quis ordo sit observandus in diligendis. An omnes teneantur ad dilectionem inimicorum. Et iterum de quodam alio ordine diligendorum.

Quid est Charitas.

CHaritas secundùm Magistrum in. III. Sentent. est dilectio qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum vel in Deo. Nec hìc diffinitur idem per seipsum, scilicet Charitas per dilectionem; quia dilectio quodammodo genus est ad Charitatem, & ea quidem communior, quamvis in frequenti usu Scripturæ, unum pro alio aliquotiens ponatur. Alia datur ab Augustino in Lib. *de moribus Ecclesiæ. Charitas est affectio animi recta, conjungens nos Deo.* Et sciendum quod quantùm ad priorem diffinitionem, eadem est dilectio qua Deus & proximus diligitur; quia quando unum propter aliud amatur, unico utrumque amore amatur, sicut idem est amor quo amatur vinum & dulcedo vini. Geminata dicitur hæc dilectio propter duo dilecta, scilicet Deum & proximum, propter quod etiam dicuntur duo Mandata de dilectione. Primum de dilectione Dei, quod continet tria prima Præcepta seu Mandata Decalogi pertinentia ad Deum, vel quibus ordinamur ad Deum: secundum est de dilectione proximi, continens septem alia Decalogi Præcepta seu Mandata quæ nos ordinant ad proximum, sicut in superioribus declaratum est.

Quæ Charitate diligenda sunt, & quo ordine.

CEterum ut sciamus quæ Charitate diligenda sunt. Attendamus Doctrinam Augustini Lib. 1. *de Doctrina Christiana.* Quatuor enim secundùm eum, diligenda sunt. Unum quod supra nos est, scilicet Deus. Alterum quod nos sumus, scilicet anima. Tertium quod juxta nos est, scilicet proximus. Quartum quod infra nos est, scilicet corpus. De secundo autem & quarto nulla Præcepta specialia data sunt: quamtumcumque enim homo excidat à Charitate; semper tamen illi remanet affectio ad seipsum & ad carnem suam. Sed quis ordo servandus est in his diligendis, utrum videlicet in aliquo casu extranei præponendi sint consanguineis? Item an filii parentibus? Item an uxor parentibus? In primo quidem casu distingunt quidam, quia aut beneficium conferendum est spirituale, aut temporale. Si est spirituale; cum beneficium spirituale ad neminem jure consan-
A guinitatis devolvatur, debet extraneus melior præferri consanguineo minus bono: si autem sit temporale, puta de bonis acquisitis vel jure hereditario possessis, dicunt quod consanguineo pariter indigenti etiam minùs bono priùs est subveniendum quam extraneo. Unde si unus est consanguineus, & alter non, & utrique dandum non sufficeret, tunc dandum est consanguineo. Si verò utrique sufficiat, uterque accipiat, sed consanguineus prior.

Respectu verò secundi, scilicet an filii præponendi sint parentibus, scilicet Patri & Matri. Dicunt plures quod parente & filio in æquali necessitate constitutis, priùs est subveniendum parenti quàm filio, cum ad hoc nos cogat tam Lex naturæ, quam dominicum Præceptum. Vidi aliquos sentire contrarium, & aliquos distinguere de dilectione affectuali & effe-
B ctuali, dicendo quod dilectione affectuali plus diligendi sunt parentes propter præstita beneficia, effectuali verò plus diligendi sunt filii, quia ut plurimùm plus indigent. Sed pone æqualem utrobique indigentiam, tunc puto plus subveniendum esse parentibus scilicet Patri & Matri, quam filiis. De uxore autem quod erat tertium, dicitur quod præferenda est parentibus quantùm ad cohabitationem, non quantùm ad dilectionem. Unde illud Ephes. 5. 31. *Relinquet homo Patrem & Matrem suam & adhærebit uxori suæ &c.* Intelligendum est quod magis adhærendum est ei quam parentibus cohabitatione, non tamen magis dilectione, eò quod multa plura beneficia à parentibus exhibita sunt quam ab uxore.

An omnes teneantur ad dilectionem inimicorum.

C DE dilectione autem inimicorum, an teneamur omnes ad eorum dilectionem; & an teneamur eis omnes ostendere signa familiaritatis? Et dicitur quod sic, scilicet quod omnes tenentur inimicos diligere, eò quod super hoc extat Præceptum divinum. Matt. 5. 41. *Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Sed hoc quoad affectum dilectionis, quo simpliciter tenentur omnes inimicos diligere, quo verò ad signa dilectionis & ad effectum, non tenentur omnes (ut dicitur) inimicum diligere, nisi viderint eum necessitatem patientem, vel veniam, non fictè seu irrisoriè, sed veraciter postulantem. Unde si salutat non irrisoriè, salutandus est. Perfecti verò saltem Religiosi ad ampliùs tenentur: propter scandalum enim evitandum coram his, præcipuè qui sciunt quod offensi sunt, tenentur offerre signum dilectionis. Nec tamen intelligas de tali inimico, qui Fidem Christianam & Fidem Catholicam impugnat, quia sic impugnanti nisi in ultima necessitate, non est subveniendum.

D

De quodam alio ordine diligendorum.

IN summa nota secundùm Augustinum & Ambrosium & alios expositores quod primò diligendus est Deus, deinde anima propria, deinde anima proximi, deinde corpus proprium & postea corpus proximi. Inter proximos autem primò parentes, scilicet Pater & Mater, secundò filii, deinde alii cognati. Utrum autem uxor sit præferenda filiis, certum non habeo, post filios & uxorem, domestici, scilicet noti, deinde extranei non inimici deinde inimici. Quod autem jube-

jubemur diligere proximos sicut nosmetipsos, sic inteligendum est, quod scilicet æquè optandum est eis bonum æternum sicut nobis: non enim tenemur temporalia æqualiter eis ut nobis ministrare; sed nobis primò, postea autem ipsis.

DE QUATUOR VIRTUTIBUS CARDINALIBUS

In generali.

SEquitur breviter aliquid dicere de virtutibus Cardinalibus scilicet de Justitia quæ secundùm Augustinum est in subveniendo miseris; de Prudentia, quæ est in cavendis insidiis: de Fortitudine quæ est in perferendis molestiis: & de Temperantia, quæ est in pravis delectationibus coercendis. De quibus primò dicendum est, quare dicantur Cardinales & Civiles & Politicæ. Deinde de singulis, quæ sit quælibet virtus in se, & qui sunt proprii earum actus tam in via quàm in patria. Postremò de ordine earum ad septem vitia capitalia.

Quare dictæ virtutes dicantur Cardinales, Civiles & Politicæ.

DIcuntur autem secundùm quosdam virtutes Cardinales quasi cordiales, ad differentiam virtutum corporalium: cardo enim secundùm Isidorum à corde derivatur, quia à *cardian* Græcè, quod est cor Latinè. Vel ut alii volunt, dicuntur Cardinales, quia in eis sicut in cardinibus omnis alia virtus maximè Civilis volvitur. Secundùm autem Philosophos qui de ipsis tractaverunt, dicuntur Cardinales, quia in his sicut in cardine est revolutio totius vitæ humanæ secundùm statum honestum & civilem. Civiles autem dicuntur, quia constituunt bonum statum unius cum altero in ordine civium: his enim virtutibus secundùm Plotinum Philosophum & Macrobium, boni viri Reipublicæ consulunt, urbes tuentur, parentes venerantur, proximos amant. Politicæ autem dicuntur eadem de causa, quia idem est *Polis* Græcè, quod Civitas Latinè, & ideo Politicæ dicuntur quasi Civiles.

De virtute Justitiæ in speciali.

EST autem Justitia secundùm Augustinum virtus tribuens unicuique quod suum est. Quæ definitio convenit Justitiæ tam secundùm statum viæ, quàm secundùm statum patriæ. Alia autem definitio quæ ponit, quod Justitia est subvenire miseris, convenit Justitiæ tantùm secundùm statum viæ.

Ponuntur autem secundùm Magistrum in III. Lib. Sententiarum duo ejus actus, scilicet actus ejus in patria, qui est Deo regenti subesse, & actus ejus in via, qui est miseris subvenire. Hi sunt actus generales ad quos tenentur omnes. Sunt autem & alii actus ejus speciales ad quos non ita indifferenter omnes tenentur, qui sic (quantùm ad propositum præsens sufficere potest) distinguntur. Jam tactum est quod actus generalis Justitiæ est unicuique tribuere quod suum est; hoc est superioribus, paribus & inferioribus. Superioribus quidem præeminentiam, & hoc dupliciter: quia vel generaliter, & sic dicitur actus ejus inferiora potioribus subdere, quam ponit Augustinus *de libero arbitrio* Lib. II. vel specialiter, & sic dicitur actus ejus soli Deo deservire; de quo Augustinus Lib. VI. *sua Musica*. Si autem sit in tribuendo quod suum est paribus, sic est triplex actus ejus. Unus paria sibimet copulare, de quo Augustinus *de libero arbitrio* Lib I. alius nullis coæquari, nisi purificatis animis: tertius nullis dominari appetere, nisi naturæ corporali vel bestiali. De quibus duobus Augustinus in Lib. VI. *sua Musica*. Si autem in tribuendo quod suum est inferioribus; hoc est dupliciter: vel quoad pœnam sublevandam, & sic ejus actus est miseris subvenire, secundùm Magistrum in III. Libro Sentent. vel quoad culpam corrigendam, & sic ejus actus est iniquos moribus corrigere & punire. De quo Augustinus super Genesim ad litteram Lib. XII.

De virtute Prudentiæ in speciali.

PRUDENTIA secundùm Magistrum in III. Sentent. est in præcavendis insidiis. Unde sic apertiùs definitur. *Prudentia est virtus rerum bonarum vel malarum neutrarumque discretio, cum fuga mali & electione boni.* Et dicitur *neutrarumque*, hoc est indifferentium, quæ scilicet neque bonæ, neque malæ sunt; quale est frangere festucam, vel hujusmodi. Et trahitur definitio præsens ex verbis Augustini Libro VI. ubi dicit quod *Prudentia est bonarum rerum & neutrarum scientia.* Ponuntur autem plures Prudentiæ actus. Actus ejus in patria duplex est: unus nullum bonum Deo præponere vel æquare, qui ponitur per Magistrum in III. Lib. Sentent: alius ipsam concupiscere veritatem, de quo Augustinus in VI. *sua musica*. Actus Prudentiæ viæ ponuntur quinque, scilicet præcavere insidias, qui ponuntur per Magistrum in III. Libro Sentent. Item mala devitare, de quo Augustinus super Genesim. ad literam Libro XII. Item incorruptionem corruptioni præponere, de quo Augustinus *de libero arbitrio* Lib. I. Item discernere bonum à malo, de quo Augustinus *de Civit. Dei.* lib. XIX. Item æterna præponere temporalibùs, de quo Augustinus in VI. *sua musica*.

De virtute Fortitudinis.

FORTITUDO autem est in perferendis molestiis. Unde secundùm quosdam sic apertiùs definitur. Fortitudo est immobilis animi inter adversa laborum & periculorum æqua susceptio. Cujus quadruplex assignatur actus viæ. Unus firmare animam contra temporales molestias, de quo Augustinus ut supra. Alius non adversitatem nec mortem temporalem formidare, de quo Augustinus in VI. *sua musica*. Alius à sapienter electo nullis terroribus, nullisque pœnis depelli, de quo Augustinus de *libero arbitrio*. Lib. I. Alius pro dilecto habendo adversa tolerare, de quo Augustinus super Genesim. lib. XII. Actus patriæ duplex est. Unus firmissimè Deo adhærere, qui ponitur per Magistrum in IV. Sentent. Alius nihil molestè pati, qui ponitur per Augustinum in VI. *sua musica*.

De virtute Temperantiæ in speciali.

TEmperantia est in pravis dilectationibus coercendis. Definitur autem sic ab Augustino in Libro De libero arbitrio. *Temperantia est affectio coërcens appetitum ab his rebus quæ turpiter delectant.* Cujus actus assignantur in via. Substrahere se ab amore inferioris pulchritudinis, de quo Augustinus in VI. *sua musica*. Item coërcere cogitationes pravas, de quo in III. Sentent. Idem libidinem refrenare, de quo Augustinus super Gen. XII. Item refrenare cupiditates ab his quæ temporaliter delectant, de quo Augustinus *de libero arbitrio* Actus autem patriæ est nullo respectu noxio delectari, de quo in III. Sentent. Item immaculatum manere, de quo Augustinus in VI. *sua musica*.

De

De effectu dictarum virtutum, & an sint in patria.

ISTæ quatuor virtutes hominem ad virtutes Theologicas habendas habilitant. His nihil utilius est in vita dummodo informentur Charitate: tunc enim æquè meritoriæ sunt vitæ æternæ, sicut Theologicæ. A

An autem hæ virtutes futuræ sint in patria, dicit Magisterni in III. Lib. Sentent. quod sic, secundùm aliquos earum actus, ut patet per singulas, juxta supra tactas.

ULtimò dicendum qualiter per has septem virtutes septem vitia capitalia expellantur: Fides enim quæ mentem illuminat, expellit superbiam quæ cor excæcat: Spes quæ gaudio futurorum cor lætificat, expellit iram quæ præsenti miseria mentem conturbat. Charitas quæ gaudet de proximi prosperitate, delet invidiam quæ est odium felicitatis alienæ. Fortitudo per quam in actus viriles consurgimus expellit acediam per quam circa desideria tabescimus. Justitia quæ sua unicuique tribuit, eliminat avaritiam quæ aliena retinet & rapit. Temperantia quæ excessum reprimit, expellit gulam quæ modum excedit. Prudentia quæ secundùm Augustinum incorruptionem corruptioni præponit, evacuat luxuriam quia corrumpitur corpus & anima.

Quarti Tractatus hujus libelli qui est de explanatione virtutum: Finis. B

TRACTATUS V.

DE SEPTEM PETITIONIBUS

contentis in Oratione Dominica, & earum expositione.

TRACTATUM de septem Petitionibus quæ in Oratione Dominica continentur, aliqui secundùm ordinem hujus libelli ponunt, scilicet immediatè post Tractatum de Articulis Fidei, & ante Tractatum de decem Præceptis Legis. Hìc verò quinto loco poni placuit scilicet inter Tractatum de septem virtutibus, & C Tractatum de septem Donis Spiritus sancti, ea scilicet consideratione, quod in ipsis septem Petitionibus sic in ipsa Oratione Dominica contentis effectualiter ipsæ septem Virtutes, ipsaque septem Dona Spiritus sancti peti videantur. Circa quem Tractatum primò videndum venit de efficacia modi petendi, qui describitur in procemio dictæ Orationis Dominicæ. De distinctione & expositione ipsarum Petitionum particulariter. De numero & sufficientia earum. De ordine earum ad septem vitia capitalia.

De efficacia modi petendi contenti in procemio dictæ Orationis.

PATER NOSTER. Cum hæc Oratio à sapientissimo utpote ab eo qui est ipsa sapientia infinita, & veracissimo, ut pote ab eo qui est fons & origo totius veritatis, condita sit. Patet quod nihil ei deesse poterit, sive quoad petendi modum, sive quoad sufficientiam bonorum petendorum. Modus autem petendi efficacissimus describitur in tribus primis verbis petitiones præcedentibus, quibus ad misericordiam flectitur animus Patris misericordiarum; ideoque ea his septem Petitionibus præmisit, quasi quoddam procemium in quo ostendit orantem in consequenter petendis fore exaudiendum. D

Cum enim ad sufficientem agentem tria concurrere debeant, scilicet quod sit sciens, volens & potens. In hoc quod dicit *Pater*, ostendit eum scire & advertere nostram id est filiorum suorum indigentiam, juxta illud Matth. VI. *Sit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.* In hoc autem quod dicit *noster*, ostendit eum subvenire volentem; suis enim omnes boni diligenter subveniunt, alioquin boni non essent. Unde 1. ad Timot. V. *Si quis autem suorum & maximè domesticorum curam non habet Fidem negavit & est infideli deterior.* In hoc etiam quod dicit, *qui es in cœlis*, ostendit ipsum potentem. Quia ut habetur primo Mach. 3. *De cælo fortitudo est.* Cum igitur his verbis ostenderimus ipsum scientem nostram indigentiam & subvenire potentem, necessario flectemus ipsum ad misericordiam.

Ait ergo. *Pater noster.* Et hìc stat hoc nomen *Pater* essentialiter sive pro essentia, & non personaliter sive pro persona; dicitur enim isto modo Deus Pater omnium. Quod & adhuc potest tripliciter dici, scilicet communiter, propriè & magis propriè. Communiter per creationem, & sic non tantùm persona Patris, sed tota Trinitas dicitur Pater omnium & non tantùm electorum, sed etiam perversorum. Unde Deut. 32. *Popule stulte & insipiens, numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, fecit te, & creavit te?* Propriè autem dicitur *Pater* per adoptionem, & sic tantùm dicitur Pater bonorum. Unde ad Rom. 8. 15. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Propriissimè autem dicitur *Pater* per generationem, & sic persona Patris tantùm dicitur Pater unigeniti Filii sui. Duobus primis modis dicitur Pater noster tota Trinitas; sed tertio modo non dicitur Pater noster Deus, sed tantùm Filii sui. Ex quo Patet, quod hæc Oratio non dirigitur ad Patris personam tantùm, sed ad totam Trinitatem.

Sequitur, *qui es in cœlis.* Non excluditur tamen per hoc quin sit ubique. Et quamvis ubique sit essentialiter, potentialiter, & præsentialiter, magis tamen in cœlis dicitur esse; quia ubi magis videtur relucere virtus sua & operatio, ibi dicitur potiùs esse quàm alibi. Sicut anima licet ubique sit in corpore, tamen magis dicitur esse in corde secundùm aliquos, vel in capite secundùm alios; quia ibi nobiliores apparent operationes suæ. Et hoc est quod dicit Augustinus: *de Spiritu & anima. Sicut Deus ubique totus est in toto mundo & in omni creatura sua, sic tota anima in toto corpore suo tanquam in quodam mundo suo est, & in omni ejus parte, intentiùs tamen in corde & cerebro, quomadmodum Deus est & dicitur præcipuè esse in cœlo.* In his autem septem Petitionibus omne bonum generi humano necessarium petitur. Ut enim dicit glossa ex Augustino. *Nihil homini deest quod his septem Petitionibus non contineatur, sive ad præsentem, sive ad futuram pertineat vitam.* Petitur enim in eis accessus omnis boni, tam creati quàm increati. Item recessus omnis mali tam scilicet præsentis, præteriti quàm futuri, ut patebit inferius.

De effectu primæ Petitionis.

PRIMA ergo Petitio est, ut confirmetur in nobis notitia sive cognitio veri Dei quæ habetur per Fidem Orthodoxam. Et hoc est quod dicit. *Nomen tuum* id est notitia tua vel notamen tuum; *Sanctificetur* id est confirmetur in nobis: sanctum enim idem quod firmum, & sanctificare idem quod confirmare est. Secundùm Papiam enim dicitur sanctum à sanctio sancis, quod idem est quod confirmare. Quasi diceret, firmetur in nobis per Fidem veram notitia tua, ut sicut tu semper in te firmus es, quia æternus & incommutabilis, ita da quod te firmiter cognoscamus. Vel *nomen tuum* scilicet paternitatis, quo Pater noster diceris, *sanctificetur*, id est firmetur in nobis scilicet ut filii tui per gratiam semper maneamus. Unde glossa. *Oramus ne à sanctificatione nominis in aliquo discrepemus, ne Patris nomen in filiis, moribus & vita offendatur.* Vel *nomen tuum* quod in se venerabile & sanctum est, *sanctificetur* id est sanctum in nobis ostendatur, sic quod sicut

sicut sanctum est in se, ita nos sanctificet. Unde glossa. *Nomen Patris petimus sanctificari in nobis, non ut ipsum sanctius sit; sed ut in nobis augmentum suæ sanctificationis operetur.*

De effectu secundæ Petitionis.

Secunda petitio est qua petitur regnum seu gaudium futurum, sive etiam speciale Dei regimen quoad præsentem statum, cum ait: *Adveniat regnum tuum* scilicet, in nobis, id est ad nos veniat. Unde Augustinus *Per hoc desiderium nostrum excitamus ut regnum suum nobis veniat, & in eo regnare mereamur.* Et signanter dicit, *adveniat*, id est ad nos veniat; quia virtute meritorum nostrorum ex condigno ad ipsum pervenire non possumus, scilicet oportet ut gratuitò ad nos accedat. Unde ad Rom. VI. *Gratia Dei vita æterna.* Similiter Matt. III. 5. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Vel sic, *regnum tuum* id est Ecclesia tua adhuc in terris militans. De quo regno Luc. XVII. *Ecce regnum Dei intra vos est. Adveniat* id est ad aliud regnum tuum veniat, scilicet ad Ecclesiam triumphantem. Vel *adveniat* id est ad te veniat, scilicet ut te videat per speciem, sicut nunc videt per Fidem. Vel *regnum tuum* id est spirituale. vel speciale regnum tuum, adveniat nobis: ut scilicet in nobis per specialem effectum regnare cognoscaris & percipiaris. Unde glossa. *Regnum Dei semper præsto est, sed petimus ut veniat, id est ut manifestetur hominibus a quibus velut lux a cæcis non videtur.*

De effectu tertiæ Petitionis.

Tertia petitio est qua petimus ut conformis fiat voluntas nostra voluntati divinæ. Et est hæc: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.* Sicut scilicet fit in cœlo ab electis, hoc est: Da ut conformes tibi fiamus in terris, sicut conformes tibi facti sunt Sancti in cœlis. Vel secundùm alios. Voluntas idest volitum tuum, scilicet illud quod vis fieri circa nos, quod specialiter est justificatio nostra. Unde primæ Thess. IV. *Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra. Fiat* id est adimpleatur. Non voluntas quidem in se quam fieri vis quia illa æterna est, nec in se aliter fieri potest; sed fiat per executionem & effectus adhibitionem, fierique cognoscatur. Vel sic, fiat voluntas tua in terra, id est in homine qui terra est, unde Gen. II. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*, & Eccli. XVII. 1: *Deus creavit hominem de terra.* Et iterum. *Omnis homo terra & cinis.* Quod propriè potest intelligi in homine peccatore convertendo: sicut scilicet fit in cœlo, id est in homine sancto jam converso & justificato; quasi dicat: convertantur mali & faciant quæ tibi placita sunt, scilicet justa & bona opera, sicut faciunt boni jam conversi. Quæ tamen intelligenda sunt de volitis quæ procedunt à voluntate beneplaciti, quæ semper bona sunt, & non de his quæ procedunt de voluntate permissionis, quæ mala plerumque fiunt: nec enim erit malum in civitate quod dominus non fecerit Amos. III. Exponit etiam sic. *Fiat voluntas tua in terra*, id est in Ecclesia, *sicut*, supple fit, *in cœlo*, id est in Christo, qui cœlum dicitur; quia in eo Deitas cælata est. Unde Isaiæ XLV. *Verè tu es Deus absconditus.*

De effectu quartæ Petitionis.

Quarta petitio est qua petitur temporale subsidium ad sustentationem vitæ. Et est hæc: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quod autem hæc petitio pertineat ad corporalem necessitatem, specialiter testatur Chrysostomus super Matth. ita inquiens. *Quia hominibus loquebatur carne indutis & necessitati naturæ subjectis, docuit subsidium peti naturæ infirmitati.* Dicit igitur. *Panem nostrum quotidianum*, id est corporalem vel usualem; id est nobis quotidie necessarium. Unde Matth. VI. loco *quotidianum* habetur *supersubstantialem*: ante enim peccatum fuit panis, id est cibus homini substantialis; sed post peccatum factus est sibi supersubstantialis, id est necessarius ad hoc ut sustentetur in vigore. Unde nec per diem naturalem sine languore virium potest homo eo carere; & ideo subditur, *da nobis hodie*: Et ponitur hìc panis pro omni genere sustentamenti corporis. Unde panis dicitur à *pan*, quod est totum secundùm Isidorum. Exponitur etiam de pane spirituali, scilicet de Corpore Christi seu de Eucharistia; sic scilicet *panem nostrum* Christum scilicet, vel Eucharistiam quæ verissimus panis est, & efficacissimus animæ cibus Joan. VI. *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi. quotidianum*, id est quotidie necessarium, *da nobis hodie.* Sed numquid secundùm hoc debet quilibet de Ecclesia quotidie communicare? Dic quod tripliciter contingit communicare, scilicet corporaliter seu sacramentaliter tantùm; & isto modo communicant mali quando in peccato mortali sumunt Corpus Christi. Item spiritualiter tantùm, scilicet credendo Sacramentum; credere enim, est spiritualiter manducare, secundùm illud Augustini *Crede & manducasti.* Et isto modo communicant quotidie omnes boni. Item corporaliter seu sacramentaliter & spiritualiter, & isto modo communicant quotidie omnes boni. Item corporaliter seu sacramentaliter & spiritualiter & isto modo communicant quotidie boni Sacerdotes qui celebrant, & alii boni de Ecclesia dum communicant: quod quilibet Christianus debitæ ætatis tenetur facere ad minus semel in anno scilicet in Pascha. Sed cum completa refectione corporali vel spirituali habeamus quod in ista petitione petimus; ut quid post prandium istam orationem iteramus? Ad quod dicitur quòd sensus hujus petitionis duplex est, scilicet ut panis detur, & ut in comedentis nutrimentum, non autem in detrimentum convertatur. Et ratione primi habet locum hæc Oratio ante susceptionem cibi. Ratione verò secundi habet locum post susceptionem.

De effectu quintæ Petitionis Orationis prædictæ.

In quatuor igitur præcedentibus petitionibus petitur accessus omnis boni: in tribus vero sequentibus ponitur amotio omnis mali. In hac igitur quinta petitione petimus absolvi à malo præterito. Et est hæc: *Dimitte nobis debita nostra*, id est peccata quæ nos pœnæ debitores constituunt. *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quasi dicat, sic te velis habere ad nos in debita nostra dimittendo, sicut nos habemus erga debitores nostros quibus debita dimittimus. Et intelligas quod hæc Oratio profertur in persona totius Ecclesiæ, quæ in bonis stat, qui peccantibus in se debita dimittunt. Alioquin si in persona sua intentionem imputando diceret peccator, in se peccantibus non dimittens, mentiretur, sibimet imprecans malum, secundùm quod dicit Augustinus *Si non dimittis, mentiris, & ei mentiris quem non fallis.*

Sed secundùm aliquos istud in peccatore videtur posse salvari orando juxta priorem modum, per hoc quod *ly* nos & *ly* nobis supponant pro diversis. Et hìc fit sensus. Dimitte nobis infirmis debita nostra, sicut & nos boni & perfecti dimittimus debitoribus nostris. Sed istam expositionem ut nimis extortam credo derelinquendam. Expone sic igitur. *Dimitte nobis debita nostra*, id est peccata quæ nos constituunt debitores. Vel *debita nostra*, id est pœnas nobis pro prædictis peccatis nostris debitas, commutando saltem æternas, quas peccando meruimus, in temporales, sicut & nos dimittimus, idest justè dimittere debemus debitoribus nostris, ut saltem eos nolimus vel hìc vel in futuro obligari, cum aliquid scilicet fecerint quare obligare desierint, ut pcte cum satisfecerint si possint, vel saltem cum petie-

tierint veniam, si non possint. Unde hic nota quod dupliciter contingit alicui dimittere. Uno modo dimittendo rancorem, sic scilicet quod nec malum inimici velis procurari, nec ejus bonum minui; benè tamen velis illud quod in te deliquit aliquatenùs satisfieri. Et ad hoc tenentur omnes indifferenter, quia hoc omninò præceptum est, saltem sub intellectu. Alio modo dimittere contingit non solum dimittendo rancorem; sed omninò sine satisfactione injuriarium sineque restitutione rerum, nec non sine interventu precum omnia dimittere, ac ex puro corde diligere, & ad hoc tenentur tantùm perfecti; quia isto modo solum consilium est.

De effectu sextæ Petitionis.

SEXTA petitio est respectu amotionis mali futuri, in quod variis temporibus ex carnis, mundi & dæmonis tentationibus incidere formidamus. Et est hæc: *Et ne nos inducas in tentationem.* Quod intellige permissivè, id est non induci sinas in tentationem, hoc est, ne permittas nos succumbere tentationi: aliud est enim in tentationem duci, & aliud induci. In tentationem enim ducitur qui à tentatione pulsatur, sed non dejicitur: in tentationem verò inducitur qui à tentatione pulsatur, & eò quòd à gratia non supportatur, sed sibi relinquitur, à tentatione frangitur & absorbetur. Quia ergo non est malum à tentatione probationis vel etiam suggestionis duci, quinimò est occasio exercendæ virtutis, quia *Beatus vir qui suffert tentationem.* Jac. I. non petimus hìc ut non ducamur in tentationem; sed ne inducamur, id est ne interiùs inducamur & succumbamus. Unde glossa. *Non precamur non tentari; sed nec etiam modicum a tentationibus vinci*: tentatio enim necessaria est ad coronam. Et cum duplex sit tentatio, scilicet probationis & suggestionis; non dicitur Deus propriè inducere in tentationem suggestionis, quia ut dicitur Jacobi I. *Ipse enim Deus neminem tentat.* Sed ideo (ut dicit Augustinus) dicitur aliquem inducere in tentationem, non quia ipse inducit; sed quia aliquando induci permittit, vel saltem quod inducamur non impedit.

De effectu septimæ Petitionis.

SEPTIMA & ultima petitio est respectu amotionis mali præsentis sive instantis. Unde glossa ordinaria super isto passu Matth. VI. *Sed libera nos à malo.* „ In illam quæ nondum est, supple tentationem, ne „ nos sinas induci: quod, intellige, petitione præcedenti petitum est, & ab ea in quam inducti sumus, libera nos „. Et hoc est quod dicit. *Libera nos a malo*, tam scilicet, visibili quàm invisibili, & tam pœnæ quàm culpæ. Unde simpliciter dicit à malo, nihil determinando, dans hoc de omni malo intelligi posse & debere; unde sic intelligendo petit amotionem omnis mali instantis. Est autem quadruplex malum: unum originale, aliud actuale, quod est duplex; nam aliud est mortale, aliud veniale. Quartum malum est, pœna peccatum consequens: primum autem malum est innatum; duo sequentia sunt malum additum, quartum est malum inflictum; & ab omnibus his petimus liberari, dum in persona Ecclesiæ orantes & loquentes dicimus. *Sed libera nos à malo*, &c.

De numero & sufficientia prædictarum Petitionum.

NUMERUS verò & sufficientia prædictarum petitionum sic accipitur. Omne quod rationabiliter peti potest, aut est collatio boni, aut amotio mali. Si est collatio boni, aut boni increati, scilicet Dei, aut boni creati: si est collatio boni increati, hoc potest esse dupliciter: vel scilicet ut per veram Fidem confirmetur ejus notitia in nostro aspectu, & hoc petitur ibi. *Sanctificetur nomen tuum.* vel ut sua voluntas confirmetur in nostro affectu, & hoc petitur ibi. *Fiat voluntas tua, &c.* Si verò petatur collatio boni creati, hoc iterum potest esse dupliciter: vel scilicet ut conferatur bonum æternum, ut est regnum cœlorum, & hoc petitur ibi; *Adveniat regnum tuum*: vel ut conferatur bonum temporale ad sustentationem, & hoc petitur ibi: *Panem nostrum quotidianum.* Si autem fiat petitio pro amotione mali, hoc potest esse tripliciter: vel scilicet ut amoveatur malum præteritum sive in præterito commissum, & hoc petitur ibi: *Et dimitte nobis debita nostra*: vel petitur ut amoveatur malum futurum, & hoc petitur ibi: *Et ne nos inducas in tentationem*: vel petitur ut amoveatur malum præsens, & hoc petitur ibi: *Sed libera nos a malo.*

De ordine ipsarum Petitionum ad septem vitia capitalia.

NUNC videndum venit qualiter in his septem petitionibus cohiberi petuntur septem capitalia vitia. In prima igitur petitione cohibetur superbia: superbi enim non sanctificant nomen Dei; sed nomen suum proprium, secundùm quod dicit Psalm. *Vocaverunt nomina sua in terris suis.* Ps. XLVIII. 12. In secunda petitione eliditur invidia, quæ est dolor alieni boni, quæ non considerat ut proximo adveniat bonum; sed potiùs malum, & è contrario in ista petitione petitur commune omnium bonum. In tertia petitione resecatur ira quæ voluntatem Dei non sequitur; sed proprium impetum, & è contrario in ista petitione petitur voluntatem Dei fieri. Vel aliter secundùm aliquos dici potest, quod in secunda petitione eliditur ira, quæ bonum homini non patitur evenire; ibi enim advenire petitur: & tunc in tertia resecatur invidia, quæ specialiter sanctam Dei persequitur voluntatem, ut dicit Hieronymus cujus contrarium in dicta petitione oratur. Et secundùm istum secundum modum ponendi, ordinantur petitiones ad vitia in secunda tabula per aliquos circa hæc confecta. In quarta autem petitione expellitur acedia: ibi enim petitur robur tam spirituale quam corporale, quod confertur in pane corporali & spirituali, quod quidem evacuat acediam, quæ est ignavia & tædium vitæ. In quinta petitione eliditur avaritia, quæ est immoderatus amor congregandi & retinendi temporalia; unde & debita semper exigit nec dimittit: cujus contrarium ibi petitur & offertur. In sexta petitione exstirpatur gula, ex qua ortum habuit primaria hominis tentatio, cum ibi petatur amotio tentationis futuræ. In ultima petitione resecatur luxuria, quæ specialiter semper habet secum malum tam corporis quod ipsa debilitat, quia *qui fornicatur in corpus suum peccat*; I. Cor. VI. 18. quàm etiam spiritûs, cujus vires enervat, cum ibi petatur amotio omnis mali præsentis.

Tractatûs quinti de septem petitionibus Orationis Dominicæ Finis.

TRACTATUS VI.

DE

SEPTEM DONIS

SPIRITUS SANCTI,

Et eorum declaratione.

POSTMODUM de Donis Spiritus sancti sub compendio agendum est. Ubi primò dicendum erit, utrum idem sint quod septem virtutes denominatæ. Et si non, in quo ab eis differunt. Quot sunt Dona, & quæ sint. Deinde de singulis Donis in

in se aliqua tangenda erunt. Postremò qualiter per ipsa Dona excluduntur septem peccata capitilia.

Utrum septem Dona Spiritus sancti sint idem quod septem virtutes. Et in quo differunt.

OMNIUM autem ferè opinio est quod Dona non sunt virtutes : sed differentiam inter virtutes & A Dona assignando magna est diversitas.

Quidam dicunt quod virtutes principaliter sunt ad agendum ; & quod ideo definiuntur per actus & operationes suas. Dona verò principaliter sunt ad resistendum tentationibus, quæ viam jam habitæ virtutis impugnant. Alii sic dicunt & meliùs, quod virtutes simpliciter sunt ad agendum; sed Dona sunt ipsarum expeditiones virtutum, & sic sunt ad magis expeditè agendum. Sunt alii qui distingunt, dicentes quod in Donis illa quæ pertinent ad affectum, sunt virtutes : illa verò quæ pertinent ad aspectum rerum, sunt propriè Dona. Et hi solvunt facilè quæ ex utraque parte objici possunt, scilicet utrum sint virtutes vel non. Et quia opinio media innititur sententiæ Beati Gregorii, à pluribus probabilior habetur.

Quot sint Dona Spiritus sancti & quæ sint.

QUOT & quæ Dona sint patet per Isai. 11. cap. 2. ubi tanguntur septem Dona Spiritus sancti hoc ordine : *Requiescet super eum*, scilicet Christum, *Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* B Duo autem prima digniora sunt qui regunt vitam contemplativam, scilicet sapientia & intellectus : alia autem quinque sufficienter regunt vitam activam. Et secundùm hoc sumitur ab aliquibus numerus & sufficientia ipsorum septem Donorum, sic scilicet: nam aut ipsa Dona quæ (ut tactum est) sunt quædam ipsarum expeditiones seu perfectiones virtutum, ipsam virtutem perficiunt respectu vitæ contemplativæ, vel respectu vitæ activæ: si respectu vitæ contemplativæ, quæ circa divina & cœlestia versatur; aut ipsam virtutem perficiunt per modum cujusdam experientiæ & gustus, & hoc fit per Donum sapientiæ; aut per modum cujusdam intimæ investigationis & speculationis, & hoc fit per Donum intellectûs. Si respectu vitæ activæ quæ circa agibilia versatur; aut perficiunt ipsam virtutem quantum ad recessum à malo, & hoc fit per Donum timoris ; aut ipsam virtutem perficiunt quantum ad operationem boni; C & tunc vel boni ad quod omnes tenentur, & quod est in communi operatione ; vel boni ad quod non omnis tenetur, ut est bonum arduum. Si quantùm ad operationem boni ad quod omnes tenentur ; hoc contingit dupliciter : nam vel Donum in tali operatione virtutem perficit tanquam ipsum opus exequens, & tunc est Donum pietatis; vel tanquam ipsum opus regens & dirigens, & tunc est Donum scientiæ. Si quantum ad operationem boni ad quod non omnis tenetur : hoc iterùm contingit dupliciter ; nam vel Donum in tali operatione virtutem perficit tanquam opus ipsum arduum exequens, & tunc est Donum fortitudinis; vel tanquam ipsum opus arduum regens & dirigens, & tunc est Donum consilii. Aliter per alios sumitur iste numerus & sufficientia prædictorum Donorum, secundùm aliquas ipsorum Donorum rationes, & hìc inserere visum est causa brevitatis non expedire. Nota insuper quod illud Donum quod in prædicta Isaiæ assignatione ultimo loco ponitur, scilicet Donum timoris, est primum in ascendendo, juxta illud Prov. 7. D *Initium sapientiæ timor Domini.* A quo timoris Dono fit quidam per alia Dona gradalis ascensus; ne enim timor conceptus gelidus foret aut aridus, sequitur donum pietatis quæ ad omnia utilis est: & ne pietas ipsa nimis remissa, aut nimis prodiga, aut aliquo modo inordinata esset, adjungitur ei Donum scientiæ quæ opera pietatis regat ut discretæ fiant: & ne scientia invalida foret, additur ei Donum fortitudinis, ut quod aliquis per scientiam benè facere novit, per fortitudinem exequi facto possit : & ne fortitudo præsumptuosa vel impetuosa esset, adjungitur ei Donum consilii, quo regi possit opus fortitudinis & debito modo comprimi ; quia secundùm Gregorium fortitudo sine consilio præcipitat: & ne consilium incautum foret, adjungitur ei Donum intellectûs, qui est cognitio bonorum spiritualium, quo consilium in ipsa spiritualia dirigi possit: & ut intellectus modo debito temperetur & ordinetur, datur ei sapientia quæ est cognitio per gustum divinæ dulcedinis. Quæ sapientia à sapore, non à sapere dicta est.

DE DICTIS

SEPTEM DONIS

IN SPECIALI

Et primò de Dono Timoris.

NUNC breviter de singulis Donis in se aliqua tangenda sunt. Et primò de Dono timoris. Ubi primò dicetur, Quid sit timor. Deinde quot sint ejus species. Et quæ earum sit Donum.

Quid sit Timor, & quot sunt ejus species.

TIMOR secundùm Augustinum super Joannem sic definitur : *Timor est fuga animi, ne perdat quod diligit.* Idem in Lib. de Civit. Dei. *Timor est affectio vel amor fugiens quod ei adversatur.*

Species autem timoris ponuntur sex: est enim timor mundanus, humanus, naturalis, servilis, initialis, filialis. Timor mundanus, est quo quis timet amittere quæ mundi sunt, & ideo non peccat si ea amittat. Humanus, est quo quis ex deliberatione tantùm timet pœnam sui corporis. Naturalis, est quo quis naturaliter timet mortem sive horribile aliquid, ante deliberationem rationis ; qui timor vitiosus non est sicut duo priores. Servilis, est quo quis offendere timet tantùm ne incurrat pœnam gehennæ : iste aliquantulam habet utilitatem, quia frequenter introducit charitatem, sicut seta introducit filum sutoris, ut perhibet Augustinus. Initialis, est qui quasi duplicem habet oculum seu respectum ; unum ad fugam pœnæ, alium ad amorem gloriæ : servit enim Deo partim timore gehennæ, partim amore gloriæ vel justitiæ. Filialis, sive castus est quo timemus ne Christus animæ nostræ sponsus aut tardet, aut discedat, aut aliquatenùs offendatur. *Hic est timor sanctus qui permanet in seculum seculi.* Ps. 18. 10. qui alio nomine dicitur reverentialis. Quis autem timorum istorum sit Donum Spiritus sancti patet; quia nec timor mundanus, nec timor humanus qui simpliciter mali habentur; nec naturalis, quia Donum est quidem divinitus infusus, non innatus; timor verò naturalis innatus est : nec servilis timor; propriè tamen sumendo Donum, nisi generaliter sumeretur, sicut generaliter dicitur Donum de omnibus quæ dantur à Deo & sunt supra naturam ad ordinandum aliquo modo vitam in bonum gratiæ, sicut & Fides informis dici potest Donum Dei: sed initialis timor & castus sive reverentialis propriè dicuntur Donum Spiritus sancti. Concedunt tamen aliqui simpliciter, quod timor servilis sit Donum Spiritus sancti, & tamen negant quod simul insit cum Spiritu sancto. Quod qualiter esse possit non video.

De secundo Dono Spiritus sancti, scilicet Dono Pietatis.

SEQUITUR de Dono proximo quod est in ascendendo, scilicet de Dono pietatis. Ubi primò videndum quid sit; quot modis dicatur, & secundùm quem modum sit Donum Spiritus sancti. Definitur autem sic pietas ab Augustino. *Pietas est cultus Dei*, quam Græci *Eusebian* vocant. Item Gregorius super Job. *Pietas est quæ docet opus misericordiæ.* Secundum Tullium in fine primi suæ Rhetoricæ. *Pietas est benevolentia in parentes.* Magistralis verò definitio hæc est: *Pietas est ex benigna mentis dulcedine omnibus auxiliatrix affectio.*

Quot modis dicatur Pietas.

DICITUR autem pietas multis modis. Quandoque motus ipsius affectionis tendens in Deum, & sic dicitur pietas cultus Dei, & sic est in genere virtutis quæ est latria. Quandoque dicitur motus affectionis tendens in ejus imaginem, scilicet in hominem; & hoc potest esse tripliciter: vel ille motus affectionis tendit in imaginem Dei, quæ est sibiipsi per sanguinem conjuncta, & sic est benevolentia in parentes, & est species justitiæ naturalis. Quandoque etiam dicitur affectio tendens in imaginem Dei, id est in hominem tanquam miseriis oppressum, & sic pietas est quæ docet opera misericordiæ, ut dicit Gregorius & sic potiùs virtus est quam Donum. Quandoque etiam est affectio tendens in imaginem Dei, non quidem in quantum est sanguine conjuncta vel miseriis oppressa ut sic; sed motu quidem generali, scilicet in quantum est imago Dei, hoc est in quantum est rationalis creatura. Et tunc propriè dicitur Donum Spiritus sancti, quod habilitat & expeditum reddit hominem ad habendum se benevolentem seu benevolum ad rationalem creaturam, scilicet ad quemlibet hominem sui indigentem; sive non indigentem. Et sic maximè ei convenit ista definitio magistralis priùs posita. Secundùm primum modum definitur ab Augustino. Juxta secundùm modum definitur à Tullio. Secundùm tertium modum definitur à Gregorio. Et secundùm quartum modum definitur à Magistris, quia illo modo est propriè Donum Spiritus sancti.

De tertio Dono Spiritus sancti, scilicet de Dono Scientiæ.

DE Dono autem scientiæ duo videnda sunt, scilicet quid sit, & in quo differt à Dono sapientiæ, à quo secundùm Augustinum distare non videtur. Quando scientia propriè Donum est, sic definitur. Scientia est lumen spirituale acceptum à Deo, in quo videntur rationes operabilium pertinentium ad vitam, per quas sanctè & meritoriè vivamus, sicut dicit Apostolus ad Tit. 2. 12. *Abnegantes omnem impietatem & sæcularia desideria, sobriè & justè & piè vivamus in hoc seculo.* Unde sicut Fides est illuminatio quædam ad credibilia, ita Donum scientiæ est illuminatio quædam ad operabilia.

In quo differt Donum Scientiæ à Dono Sapientiæ.

DICITUR autem in hoc à Dono sapientiæ differre; quoniam sapientia est cognitio quædam divina per gustum; scientia autem est lumen quoddam divinum ad operabilia pertinentia ad hanc vitam. Unde sicut dicit Magister in Libro Sent. *Scientia docet benè conversari in medio hujus pravæ & perversæ nationis.* Et hoc satis videtur consonare verbis Augustini, qui dicit quod *sapientia est de æternis, scientia verò de temporalibus.*

A

De quarto Dono Spiritus sancti, scilicet de Dono Fortitudinis.

POST hæc de Dono fortitudinis duo etiam dicenda sunt, scilicet quid sit, & qualiter differt à fortitudine, prout fortitudo est virtus.

Quid sit Fortitudo, & quomodo differt à Fortitudine, prout est virtus.

SECUNDÙM autem quod fortitudo est Donum, sic notificatur. Fortitudo est affectio animi qua cupiditas terrena deprimitur, nullaque adversitas formidatur. Et videtur hæc notificatio sumi ex verbis Augustini in Lib. *de spiritu & anima*, & in v. Lib. *sua musica*. Differt autem à fortitudine prout est virtus, licet utraque sit circa difficile & arduum. Quoniam fortitudo prout est virtus, sustinet periculum, quando scilicet necesse pati vel à bono virtutis cedere; sicut quando quæritur fides vel justitia, vel libertas patriæ vel hujusmodi: sed fortitudo prout est Donum, se gratis & ex abundanti illi statui offert, in quo

B talia sæpe quæruntur, ut est status perfectionis consiliorum. Si autem dicatur quod secundùm hoc non haberent Donum fortitudinis nisi tantum perfecti, & quod sic habita una gratia gratificante non omnes haberentur. Dico quod non est verum, nec ex prædictis sequitur, quoniam perfecti istud Donum habent in actu; omnes verò in charitate existentes habent in habitu. Unde qui imperfectus est habet in habitu: unde opus perfectionis facere potest qui vult.

De quinto Dono Spiritus sancti, scilicet de Dono Consilii & quid sit.

POSTREMÒ de Dono consilii duo similiter videnda sunt; scilicet quid sit, & qualiter sit Donum, cum in Christo non videatur fuisse, in quo tamen sunt & fuerunt omnia Dona. Definitur autem sic à Tullio in Rhetorica sua? *Consilium, est faciendi vel non faciendi verè excogitata ratio.* Sed hæc definitio non videtur

C convenire consilio prudentum prout est Donum, ideo aliqui corrigunt eam sic: *Consilium, est faciendi vel non faciendi verè excogitata ratio, earum scilicet rerum in quibus propter arduitatem indiget quis adjutorio.* Unde consilium prout hìc sumitur, non est de dubio, sed de arduo, ad quod propter difficultatem non omnes tenentur. De reliquo dic quod isto modo ultimo consilium est Donum, & quod verissimè hoc Donum fuit in Christo, sicut & cetera Dona fuerunt & semper erunt. Unde consilium secundùm quod ponit dubitationem & circa eam quærit ab aliis certificationem, non fuit in Christo qui certissimè omnia novit; quia nec sic est Donum Spiritus sancti: sed consilium quod est lumen immissum à Spiritu sancto, omnia dubia dissolvens & indubitanter in aggressionem arduorum dirigens, quæ Deus ad statum perfectionis pertinere propalavit, sic est Donum. Et isto modo fuit in Christo.

De sexto Dono Spiritus sancti, scilicet Intellectûs.

D SEQUITUR de Dono intellectûs. Circa quod attende & primò quid sit; deinde qualiter differt à sapientia. Definitur autem sic ab Augustino in sermone quodam suo *de Timore*. *Intellectus vocatur quo ab omni infirmitate carnali corda mundantur, ut pura intentio dirigatur in finem suum*, scilicet Deum. Est intel-

tellectus quoddam lumen spirituale infusum ad cognitionem Dei in creaturis. Differt autem à Dono sapientiæ, quia sapientia est cognitio per gustum: est enim quoddam lumen sub quo vel in quo videntur & gustantur divina per experimentum. Unde sapientia prout est Donum est propriè gustus Dei in Donis suis. Intellectus autem non est per gustum, scilicet potiùs est lumen quoddam datum à Deo ad cognitionem Dei in creaturis illis, in quibus resultat Deus per gratiam, vel in illis in quibus habet resultare per gratiam & gloriam. Unde intellectus est Donum quo gratuitè cognoscimus dispositiones cœlestium, per easque tendimus in Deum sic disponentem.

De septimo Dono Spiritus sancti, scilicet Sapientiæ, & quid sit.

DENIQUE de Dono sapientiæ dicendum est. Et quoniam ex superiùs dictis in parte, patet quid sit, & qualiter se habet ad Donum scientiæ & ad Donum intellectûs, ideo sufficit hìc ponere eius notificationem. Secundùm autem Augustinum sic definitur. *Sapientia est cognitio rerum divinarum.* Item ex littera III. Lib. Sent. Sapientia ad solius æternæ veritatis contemplationem & delectationem pertinet, ipsâque tantùm creator conspicitur, & quod semper & incommutabiliter manet, quod Deus est. Gregorius sic definit: *Sapientia est Donum spe & certitudine æternorum mentem reficiens.* Quæ definitio dicit operationem ejus propriam, quæ est mentem per gustum reficere, quod sonat nomen eius: sapientia enim à sapore dicta est.

Quomodo per septem Dona Spiritus sancti excludun tur septem vitia capitalia

ULTIMÒ, dicendum est qualiter per septem Dona excludantur septem peccata capitalia. Et sciendum est quod timor (quia per eum quis se deprimit ne super alium se extollat) excludit superbiam, quæ super alios se extollit. Pietas quæ sibi illatas remittit injurias expellit iram, quæ vindicari quærit. Scientia quæ mentem illuminat, evacuat invidiam, quæ mentem excæcat. Fortitudo quæ excellit in arduis, pellit acediam quæ torpet in imis. Consilium quod docet pro transitoriis æterna mercari, removet avaritiam, quæ in terrenis & pro terrenis tantùm quærit negotiari. Intellectus quo verè delectamur in bonis spiritualibus, excludit gulam, quæ vanè & miserè delectatur in carnalibus. Sapientia per quam purè delectamur in Deo, extirpat luxuriam, qua quis impudicè in suo misero corpore delectatur.

Tractatus sexti hujus compendii de septem Donis Spiritus sancti; Finis.

TRACTATUS VII.

DE OCTO

BEATITUDINIBUS

Et earum explanatione.

NUNC breviter restat aliquid de octo Beatitudinibus dicere. Et primò quid dicatur Beatitudo, scilicet an ipsa virtus: an id quod promittitur? ut gratia exempli, respectu ejus quod dicit Christus. *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Matth. 5. 3. An Beatitudo sit ipsa paupertas vel promissio regni? Qualiter se habeant ad Dona & ad virtutes. Quare ultimæ Beatitudini idem præmium reddatur sicut primæ. Deinde de qualibet Beatitudine in se quid est, & qualiter, &c. cum quo Dono convenit, & cui vitio capitali contrarietur.

Quid dicatur Beatitudo, an scilicet ipsa virtus, vel id quod promittitur.

A SCiendum est autem quod Beatitudo duplex est, scilicet viæ & patriæ. Beatitudo autem viæ consistit in perfecta evacuatione unius miseriæ, scilicet culpæ, & quo ad essentiam, & quo ad occasiones. Unde quia istæ virtutes de quibus infra, evacuant culpam & culpæ occasiones, disponuntque ad Beatitudinem patriæ, ideo dici possunt & dicuntur Beatitudines. Beatitudo autem patriæ consistit in omnimoda evacuatione utriusque miseriæ, scilicet & culpæ & pœnæ. Et isto modo dicuntur propriè Beatitudines præmia prædictis virtutibus respondentia. Sicut est illud: *Ipsorum est regnum cœlorum.* Vel illlud? *Ipsi saturabuntur*, &c. Ibid. art. VI. Et sic varia ratione & consideratione poteris dicere quod virtutes illæ sint Beatitudines, & quod similiter præmia eis correspondentia Beatitudines sunt.

Qualiter se habeant Beatitudines ad Dona & ad virtutes.

B QUaliter autem se habeant istæ Beatitudines ad Dona & ad virtutes, hoc scito quod secundùm glossam super isto passu Matth. V. per virtutes ad Dona, & per Dona ad Beatitudines pervenitur. Unde virtutes dicunt initium operationis bonæ, & evacuationem culpæ quoad essentiam; Dona autem dicunt bonum & expeditum progessum, quia Donum expeditum reddit actum virtutis ut expeditè operetur: Beatitudines autem, dicunt consummationes sive terminum, quatenùs in via haberi potest, ita ut omnem culpam evacuet, & omnem culpæ delectationem, & bonum delectabiliter operetur quantùm facere possibile est viatori. Et ideo dicuntur istæ Beatitudines virtutes purgati animi, quia scilicet animam purgant ultima purgatione viatori possibili.

Quare ultimæ Beatitudini idem redditur præmium sicut primæ.

C ULTIMÆ autem Beatitudini idem præmium redditur quod & primæ; sed non eadem ratione. Quia regnum cœlorum duo in se comprehendit, scilicet exaltationem & abundantiam. In Beatitudine autem quæ prima ponitur, quæ est paupertas spiritus, est summa rerum abdicatio sive abjectio, & ideo promittitur ei regnum in quantum dicit abundantiam. In Beatitudine verò quæ ultima ponitur, quæ est persecutionem pati propter justitiam, est summa dejectio, & ideo promittitur ei regnum in quantum nominat exaltationem. Unde quamvis Regnum cœlorum omnibus Beatitudinibus debeatur, istis tamen solum promittitur, quia per quamdam appropriationem istis magis debetur.

De Beatitudinibus in speciali. Et cum quo Dono conveniant.

Et primò de Prima.

D NUNC attendendum est ad aliqualem singularem determinationem. Prima igitur virtus seu Beatitudo est paupertas spiritûs, quæ adaptatur Dono timoris, & expellit superbiam cui contrariatur, eò quod paupertas Spiritus, vera humilitas sit. Huic Beatitudini in præmium promittitur Regnum cœlorum. Et nota quod paupertas hìc dicitur abdicatio temporalium, secundùm rem & secundùm voluntatem: quia cum Beatitudines perfectam dicant peccati exclusionem, tam quoad peccati essentiam quam quoad

quoad peccati occasionem, cum abdicatio solum secundùm voluntatem non sit evacuatio perfecta occasionis peccati; quia est alia utilior quæ magis occasionem peccati evacuat, scilicet illa quæ est secundùm rem & secundùm voluntatem: patet quod illa prima est propriè Beatitudo.

De Secunda.

SEcunda virtus seu Beatitudo est mititas sive mansuetudo, quæ congruit Dono pietatis, & expellit iram, quia mitis est quem ira vel rancor non afficit. Cui respondet in præmium possessio terræ viventium.

De Tertia.

TErtia virtus seu Beatitudo est luctus, qui est dolor animi charitate informatus, qui facit cognoscere miseriam propriam & lachrymabilem præsentis vitæ statum, & delectationem futuræ gloriæ, quæ sufficiens causa luctus sunt. Quem dolorem inducit scientiæ Donum. *Qui* enim *addit scientiam*, istam scilicet, *addit & dolorem*. Eccl. 1. 18. Cui pro præmio respondet æterna consolatio, in qua *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum, & jam non erit ampliùs neque luctus neque clamor, &c.* Apoc. 21. 4. Et hæc evacuat invidiam, quæ dolet de bono alieno & lætatur de malo; hæc autem Beatitudo è converso. Et quamvis luctus ipse miseria quædam videatur, congrue tamen Beatitudo propter sibi annexam dulcedinem dicitur, eò quod dicit Gregorius *Dulciores sunt lachrymæ pœnitentium, quam delitiæ Regum.* Et Augustinus Lib. Confess. *Currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum illis.*

De Quarta.

QUarta virtus seu Beatitudo est esuries & sitis Justitiæ quæ Dono fortitudinis adaptatur, quæ est in sustinendis periculis pro Justitia & Fide, quæ expellit tædium boni, hoc est acediam. Cui respondet pro præmio æterna saturitas.

De Quinta.

QUinta virtus seu Beatitudo est misericordia, quæ appropriatur Dono consilii, quod docet aliis dimittere minora, ut nobis dimittantur majora, vel conferre terrena, ut obtineamus cœlestia. Hæc expellit avaritiam, cujus proprium est congregare, & non remittere vel conferre. Præmium autem huic Beatitudini respondens est consecutio misericordiæ.

De Sexta.

SExta virtus seu Beatitudo est munditia cordis, cui convenit Donum intellectûs, qui est cogitatio cœlestium, oculos cordis mundans & illuminans. Hac eliminatur gula, quæ corrumpit & exæcat cor. Unde Oseæ 4. *Fornicatio & vinum & ebrietas aufert cor.* Præmium huic Beatitudini respondens est visio Dei.

De Septima.

SEptima virtus seu Beatitudo est pax seu esse pacificum, cui respondet Donum sapientiæ, quæ est delectari in Deo, qui est pax nostra. Hæc expellit luxuriam, quæ animum non pacificat; sed vagum reddit & instabilem: cui correspondet præmium esse filium Dei.

De Octava.

OCtava virtus seu Beatitudo, quæ est pati persecutionem propter justitiam, clarificat & ostendit quoddam factum habens respectum ad singula præ-
A cedentia. Et per quod omnes aliæ Beatitudines ab ultima usque ad primam probantur, si veræ sint. Unde Gregorius. *Qualis unusquisque apud se lateat, illata contumelia probat.* Et hinc est quod Beatitudo ipsi facto pro præmio respondens, quod idem est cum præmio primæ Beatitudini promisso, redire dicitur ad caput tanquam circulus perficiens & omnes Beatitudines ambiens & comprehendens. Hæ virtutes seu Beatitudines tanguntur Matt. 5. *Beati pauperes Spiritu quoniam ipsorum est Regnum cœlorum.*

Unde accipitur numerus seu sufficientia Beatitudinum.

HARUM verò Beatitudinum numerus & sufficientia secundùm integritatem perfectionis hominis accipitur: ad perfectionis autem integritatem requiruntur tria, scilicet recessus à malo, profectus seu progressus in bono, & perfectus status in optimo. Sanè respectu primi, malum procedit aut ex tumore superbiæ, aut ex rancore malitiæ, vel ex languore libidinis seu concupiscentiæ. Contra quæ tria sunt, seu sumuntur tres primæ Beatitudines, scilicet pau-
B pertas spiritus contra malum tumoris superbiæ. Mititas contra malum rancoris malitiæ. Luctus contra malum languoris libidinis seu concupiscentiæ. Respectu verò secundi, profectus seu progressus in bono attenditur circa divinam imitationem, quæ est duplex, secundùm duas vias quibus intendi potest scilicet misericordiam & veritatem. De quibus in Psalmis. *Universa viæ Domini, misericordia & veritas.* Psal. 24. 10. Et secundùm has duas vias sumuntur duæ aliæ Beatitudines, scilicet respectu veritatis, esuries justitiæ; & respectu misericordiæ, perfectus status in optimo attenditur in duobus, scilicet in limpida cognitione, & in tranquilla affectione. Et secundùm hoc sumuntur duæ aliæ ultimæ Beatitudines, scilicet respectu limpidæ cognitionis, munditia cordis ad Deum videndum; & respectu tranquillæ affectionis, pax mentis ad Deo perfectè fruendum. Et adverte quod sicut in enumeratione Donorum juxta quod supra in Tractatu de Donis declaratum est, est ordo quidam artificialis, quo primo loco ponuntur & enumerantur digniora; ita in enumeratione
C Beatitudinum est ordo quidam naturalis, quo digniores ultimo loco ponuntur.

EX supradictis colligitur, quod habitus Virtutum Cardinalium principaliter disponunt ad exercitum vitæ activæ. Habitus verò Donorum, maximè disponunt ad actus vitæ contemplativæ. Habitus autem Beatitudinum disponunt ad perfectionem utrorumque.

Tractatûs septimi de octo Beatitudinibus: Finis.

TRACTATUS VIII. ET FINALIS DE VITIIS

Tam naturæ quàm voluntatis.

D IN finalibus aliqua de vitiis summatim tangere convenit. Et quia sunt vitia naturæ & vitia voluntatis; tangitur primò aliqualiter de vitiis naturæ, & deinde de vitiis voluntatis.

De

De numero & sufficientia Vitiorum naturæ.

VItia autem naturæ, quantùm ad hujusmodi compendium attinet, satis erit enumerare, quæ sunt septem; scilicet extollentia seu præsumptio, duritia, ignorantia, timiditas, præcipitatio, hebetudo, stultitia. Quorum numerus sive sufficientia, licet de se satis clareat; nam reperibile non videtur vitium naturæ aliud à prædictis, vel quod saltem ad aliquod præmissorum non sit reducibile; per oppositionem tamen ad septem Dona Spiritus sancti sumunt aliqui numerum & sufficientiam ipsorum vitiorum naturæ. Etenim tres animæ sunt vires seu potentiæ, scilicet concupiscibilis, irascibilis & rationalis, quæ quasi continuè in suis virtuosis actibus & operationibus, per ipsa vitia quæ naturæ ex sua corruptione insunt, variis modis impugnantur & impediuntur: contrà quæ cum septem sint, data sunt in adjutorium septem Dona Spiritus sancti, quæ sunt lumina quædam sive lux divinitùs inspirata & infusa, ad efficacius tam contrà ipsa septem vitia naturæ, quàm vitia alia voluntatis & tentationes viam jam habitæ virtutis impugnantes resistendum, liberiusque & expeditius ipsos actus virtutum exequendum.

De vitiis naturæ circa vim concupiscibilem. Circa igitur vim seu potentiam concupiscibilem reperitur vitium naturæ, retrahens à debitè compatiendo & subveniendo proximo, quod vocatur duritia. Contrà quod disponit Donum pietatis.

De vitiis naturæ circa vim irascibilem. Circa verò vim seu potentiam irascibilem duplex reperitur vitium naturæ. Unum immoderatè retrahens ab agendis quod vocatur timiditas, contrà quod disponit Donum fortitudinis. Aliud immoderatè accedens, quod vocatur præsumptio, contrà quod disponit Donum i moris.

De vitiis naturæ contrà vim rationalem. Contrà vim autem seu potentiam rationalem duplex contingit vitium naturæ, scilicet vel respectu finis, vel respectu eorum quæ sunt ad finem. Si respectu finis, duplex reperitur naturæ vitium. Unum impediens ne cognoscatur, quod vocatur hebetudo, contrà quod disponit Donum intellectus: aliud retrahens, ne animus ad ipsum finem debitè afficiatur, quod vocatur stultitia, contrà quod disponit Donum sapientiæ. Si respectu eorum quæ sunt ad finem, duplex similiter naturæ vitium reperitur. Unum impediens ne sciatur quid ad persecutionem finis expediat, quod est ignorantia; contrà quod disponit Donum scientiæ: aliud quo quis in his quæ agenda sunt, magis ex passionis impetu quàm ex debita electione ducitur, quod est præcipitatio; contrà quod disponit Donum consilii.

Quibus contrarientur vitia naturæ? Contrariantur etiam ista septem naturæ vitia, singula scilicet singulis virtutibus, singulis Orationis Dominicæ petitionibus, & singulis Beatitudinibus; & conveniunt cum septem principalibus seu capitalibus vitiis voluntatis. Quod clariùs ex tabula in fine hujus Tractatus posita concipi poterit & perpendi.

De Vitiis voluntatis seu de malo culpæ in generali.

DE vitiis voluntatis, id est, de malo culpæ seu de peccato, opportunum foret & utile specialem & longum Tractatum subjungere: sed cum à pluribus notabilibus hæc sint diffusè explanata; sufficiet interim ad præsentis compendii processum continuandum, ejusque complementum, summatim dicere quid sit peccatum in genere. Quotiens fit, sive quot sunt ejus genera. Deinde venient aliqua de quolibet genere explananda.

Quid sit Peccatum in genere. & quomodo definitur.

PEccatum autem in genere sic definitur. *Peccatum est aversio ab incommutabili bono ad bonum*
A *commutabile.* Quam definitionem sic intellige. *Peccatum est aversio* scilicet voluntatis, quia propriè & per se talis aversio est peccatum *ab incommutabili bono*, scilicet Deo, qui omninò incommutabilis est. Nec est aversio aliud quàm disconformitas voluntatis creatæ à voluntate divina, quod est in omni peccato, ubi aliquid vult voluntas creata, quod non vult Deus. Sequitur *ad bonum commutabile*, supple conversio, scilicet ad bonum creatum quod continuò mutatur, vel saltem mutabile est. Et licet peccatum in sui definitione duo contineat, scilicet aversionem ab incommutabili bono, & conversionem ad commutabile bonum, essentialiùs tamen in peccato est primum quam secundum: si enim fuerit conversio ad creaturam, ita tamen quod non fieret aversio à Creatore, sicut contingit quando quis amat creaturam propter Deum tantùm; tunc non fieret peccatum, immò in isto casu meritoriè fieret.

Licet plures aliæ sint definitiones peccati, non tractatur nisi de una. Plures aliæ à Doctoribus assignantur peccati definitiones, secundùm causas efficientem, materialem & formalem ipsius peccati. Sed
B quantum ad præsentem Tractatum attinet, supradicta definitio, quæ secundùm causam finalem peccati sumitur, sufficiat.

De duplici divisione Peccati in genere.

PLures etiam à Doctoribus assignantur peccati divisiones secundùm diversas peccati causas & origines. Quantùm verò ad præsentem Tractatum sufficit, de duabus peccati divisionibus principaliter tangetur. Et primò de una quæ sumitur secundùm quamdam peccati qualitatem & quantitatem. Secundò de una quæ sumitur juxta peccati causam materialem. Respectu primæ divisionis tria principalia reperiuntur genera peccatorum; quia omne peccatum aut est originale aut actuale: si actuale, hoc iterum est dupliciter, quia aut est mortale, aut veniale.

C

DE PECCATO ORIGINALI:

Et quid est.

ORiginale autem peccatum est illud quod à nostra vitiosa origine trahimus: & est aversio quædam habitualis à Deo qua anima prona effecta est non reddere justitiam quam debet. Unde omnes ferè Doctores respectu effectus ipsius peccati originalis consonant in ipsam aversionem habitualem secundùm Augustinum. Hugo de sancto Victore dicit, quod *originalis culpa, est corruptio seu vitium quod nascendo contrahimus per ignorantiam in mente, & concupiscentiam in carne.* Alii volunt quod originalis culpa sit necessitas concupiscendi cum debito non concupiscendi: & ponunt exemplum de radio contiguato aquæ qui movetur aqua mota, & quiescente quiescit; & hoc patet ex contiguatione
D sui cum aqua. Unde cum major sit unio animæ & carnis quam in casu prædicto radii & aquæ, cum caro de se valde mobilis sit ad concupiscendum; anima eo ipso quod tali carni unita est, habet statim talem quamdam necessitatem concupiscendi. Cum igitur caro parvuli cui infunditur anima, per peccatum primi hominis ad concupiscendum sit mobilis, inerit

inerit ipsi animæ jam illi carni unitæ necessitas quædam ad concupiscendum, nec potest anima illam carnem seu sensualitatem cohibere, sicut anima Adæ ante peccatum potuisset, quæ habuit potestatem super sensualitatem, & etiam libertatem concupiscendi vel non concupiscendi.

Patet igitur quod per peccatum & post peccatum primi hominis inest animæ duplex necessitas. Una non possendi sensualitatem retinere seu cohibere, & alia necessitas concupiscendi: & prima est quædam necessitas non valendi facere quod debet, & secunda est quædam necessitas faciendi quod non debet. Et ita inest ei carentia utriusque partis justitiæ, quæ sunt declinare à malo, & facere bonum. Ex quo patet quod peccatum originale & est in carne & est in anima; sed in carne originaliter & materialiter, in anima verò formaliter & tanquam in subjecto: sola enim anima est susceptibilis virtutis & vitii, & tamen (sicut dictum est) ex conjunctione ipsius ad corpus, contrahit vitium illud, sicut quando quis cadit in lutum, fœdatur & maculatur. Talis autem animæ infectio non tantùm est pœna, sed etiam culpa; ipsa verò culpa quæ macula est, deletur in Baptismo: pœna autem quæ fomes sive peccandi pronitas appellatur, remanet post Baptismum; sic enim in Baptismo curatur culpa quantùm ad reatum damnationis æternæ; sed non quin remaneat ipsa pœna quantùm ad motum & actum concupiscentiæ, cum qua oportet nos quandiù vivimus pugnare, nisi extinguatur concupiscentia per specialem gratiam, sicut in Beatissima Virgine in Conceptione Filii Dei. Originale etiam peccatum sic in homine per Baptismum curatur, quod nihilominùs ab eo qui curatus est, transmittatur in prolem quam generat, sicut Judæus circumcisus generat filium cum præputio, & granum nudum & purum seminatum, procreat granum cum palea. Quod hinc est, quia homo non generat filium secundùm quod in mente curatus est; sed secundùm quod in carne.

De nominibus Peccati originalis secundùm quod operatur ad animam.

ORIGINALE peccatum diversis in sacra Scriptura nominibus, multiplicibus de causis nominatur. Secundùm enim quod originale peccatum comparatur ad animam, vocatur quandoque infirmitas, quia reddit animam impotentem ad resistendum motibus: quandoque vocatur fœditas, quia per ipsam anima maculatur: vocatur quandoque pronitas propter continuam appetitus inclinationem ad malum: vocatur quandoque corruptio; quia ad nihilum ducit & peccatum: vocatur quandoque vitium, quia est diminutio bonorum naturalium: vocatur quandoque languor naturæ, quia durat in natura corrupta. Habet etiam nomina secundùm quod comparatur ad corpus: vocatur enim quandoque lex carnis, eò quod Lege divina sit carni inflicta; unde quandoque lex membrorum vocatur; quia movet organa ad operationem concupiscentiæ: vocatur quandoque tyrannus propter dominationem quasi violentam in ipsa concupiscentia: vocatur quandoque fomes, quia sicut ignis fovet ignem, ita per ipsum fovetur in carne peccatum secundùm actus generativæ & nutritivæ: vocatur quandoque stimulus carnis, quia stimulat carnem ad primos motus, & animum ad consensum. Habet quoque nomina secundùm quod comparatur ad actus delectabiles; & secundùm hoc vocatur concupiscentia quæ sonat vitium in actu, prout est in adultis: item concupiscibilitas quæ sonat vitium in potentia, prout est in parvulis. Habet etiam nomen secundùm quod comparatur ad primum hominem à quo contrahitur, & sic vocatur originale, quod est carentia debitæ justitiæ.

DE PECCATO ACTUALI MORTALI:

A

Et circa ipsum in generali occurrentibus.

CIRCA peccatum autem actuale mortale aliqua sunt videnda. Primò quid sit. Secundò de diversis ejus nominibus seu appellationibus. Tertiò de hujus peccati effectibus. Quartò de diversis ejus generibus seu divisionibus. Quintò de quolibet septem peccatorum capitalium ac eorum filiabus seu speciebus aliquid in speciali declarabitur.

Quid sit peccatum actuale mortale in speciali, & quomodo definitur.

B

PECCATUM igitur actuale mortale sic definitur secundùm Augustinum. *Peccatum, est dictum vel factum vel concupitum contra Legem Dei.* Et ponitur in dicta definitione *dictum*, propter peccatum oris, *factum*, propter peccatum operis, *concupitum*, propter peccatum cordis. Definitur & aliter secundùm eumdem Augustinum. *Peccatum, est voluntas retinendi, faciendi vel consentiendi quod justitia vetat.* Insuper sciendum quod peccatum propriè non est substantia vel res aliqua, sed defectus & corruptela: circa quod tamen advertendum est, quod aliud est peccati actus, aliud est peccati habitus, aliud peccati reatus. Peccati actus aliquid est: sed quando non ampliùs fit, definit esse, etiam sine gratia. Sed peccati habitus qui ex malis actibus relinquitur, etiam aliquid est, & remanet interdum cessantibus etiam ipsis actibus, ac etiam post infusam gratiam, peccatique remissionem. Peccati verò reatus sive macula secundùm rem nihil est, deformat tamen animam non per modum positionis, sed per modum

C

privationis; sicut truncatio membri per modum privationis corpus deformat & maculat. Dicit etiam Augustinus, quod „ sicut abstinentia nulla substantia „ vel res est, & tamen ex ea corpus languescit; ita „ peccatum non est aliqua substantia vel res, ex eo tamen natura minuitur & corrumpitur; deletur tamen „ semper per gratiam.„ Notandum præterea quod peccatum quandoque transit actu, & remanet reatu, sicut peccatum actuale actu completo ante pœnitentiam: quandoque è contra peccatum transit reatu, & remanet actu; sicut in peccato originali post Baptismum: quandoque transit peccatum actu simul & reatu; sicut peccatum actuale actu completo, & post pœnitentiam: Quandoque peccatum remanet actu & reatu, sicut peccatum originale ante Baptismum.

De diversis nominibus peccati actualis mortalis.

DIVERSIS frequenter nominibus peccatum ipsum mortale per Doctores nominatur secundùm di-

D

versas ejus proprietates & operationes & effectus: vocatur enim quandoque macula, & hoc ideo, quia imaginem Dei deformat & maculat. Vocatur quandoque reatus, quoniam ad æternam pœnam obligat: vocatur quandoque pollutio, & hoc quantum ad contagionem contractam ex terrena delectatione: vocatur quandoque delictum, & hoc secundùm quod est recessus à dignitate gratiæ habitæ: vocatur quandoque culpa, & hoc prout respicit pœnam quam meretur & incurrit: vocatur quandoque offensa, & hoc est quia contra Deum est, & contra Deum facit:

cit: vocatur quandoque prævaricatio, & hoc in quantum Mandatum Dei respicit quod transgrediendo prævaricatur: vocatur quandoque peccatum prout conversio fit ad bonum commutabile cum aversione à bono incommutabili: vocatur quandoque scelus propter magnam injuriam quæ peccando Deo fit: vocatur etiam quandoque nefas prout est illicitum personæ perpetranti: vocatur etiam quandoque crimen, prout est dignum accusatione & pœna.

De diversis effectibus peccati actualis mortalis.

HUJUSMODI autem peccati multiplex secundùm Doctores reperitur effectus; sed quantum ad præsentem concernit Tractatum, satis erit aliquos enumerare. Unus effectus. Et primò naturalia vulnerat; quod signatur in illo qui juxta Evangelium descendens ab Jerusalem id Jerico, incidit in latrones. Alius, intellectum obscurat in cognitione veri, & affectum tepescere facit in opere boni. Alius, gratuitis spoliat; ne tamen bonum aliquod pereat, bona opera quæ quis peccando mortificat, aliis juxta dispensationem Dei elargitur salvandis. Alius, animam maculat, ad pœnam æternam obligat, conscientiam amaricat, cor indurat. Alius, hominem quasi insensibilem reddit: exemplo canis submergendi, qui lapidem in collo suo non sentit, donec ab eo in fundum aquæ trahitur. Alius, animam occidit, quia Deo qui vera vita est, privat. Alius, ad alia peccata trahit. Unde Gregorius *Peccatum quod per Pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit.* Alius, bona quæ in peccatis fiunt, infructuosa & quantùm ad meritum & quantùm ad præmium reddit. Alius, ex homine quemdam effectivè infirmum facit; nam in peccatore est ignis avaritiæ, fœtor luxuriæ, tenebræ ignorantiæ, vermis conscientiæ, sitis concupiscentiæ, & dæmones per effectum, & hujusmodi. Alius, vacuum hominem tandem relinquit, & meritò; quia mundo adhærentia sugunt ubera arentia: fallendo decipit, sicut esca in hamo vel lignum putridum de nocte lucens. Alius, hominem verè stultum demonstrat, serviendo scilicet illi qui ipsum torquere quærit, & tandem torquebit, componendoque & congregando supra se unde torqueatur & cremetur. Unde Augustinus Lib. de Civitat. Dei. *Hoc vitium adimit integritatem, pulchritudinem, salutem, virtutem, & quidquid boni per vitium detrahi seu minui consuevit.*

In quo Peccatum habet esse ortum.

NOTANDUM est ulterius quod quamvis peccatum ipsi bono contrarium sit; non tamen habet esse nisi in bono, nec ortum nisi à bono; quod quidem bonum est liberum arbitrium ac voluntas à qua peccatum est, sicut à prima origine, & in qua est sicut in proprio subjecto. Voluntas igitur est causa peccati, causam dico non efficientem, sed deficientem: voluntas enim secundùm quod habet respectum ad suum principium à quo est, scilicet Deum, non est nata elicere ex se nisi bonum; sed secundùm quod habet respectum ad principium ex quo est, quod est omnino nihil, cum ipsa voluntas ex nihilo sit, semper tendit ad defectum. Si ergo velimus scire unde malum culpæ sit materialiter, dicendum quod ex nihilo: si verò velimus scire unde sit terminaliter, dicendum quod ex absentia debiti modi, debitæ speciei & debiti ordinis; sed si velimus scire unde sit originaliter, dicendum quod à voluntate sive à libero arbitrio.

De Progressu peccati.

NOTA quod peccatum initiatur in cogitatione, procedit & crescit in delectatione, perficitur in consensu. Circa processum autem peccati notandum est, quod aliqua ipsum peccatum antecedunt, aliqua ipsum subsequuntur, aliqua ipsum concomitantur. Item respectu primi. Aliqua peccatum antecedunt ex parte aversionis, & aliqua antecedunt ex parte conversionis: ex parte autem aversionis, id est quando quis à bono incommutabili quod Deus est, averti & separari incipit, antecedunt peccatum contemptus, omissio, ingratitudo, inobedientia; ex parte verò conversionis, scilicet quando homo se in peccatum convertit, antecedit peccatum cogitatio, libido, concupiscentia, delectatio, perversa intentio, consensus. Peccatum autem subsequuntur macula, id est deformatio imaginis Dei, reatus & obligatio ad pœnam æternam. Peccatum concomitantur circumstantiæ, quæ ipsum vel aggravant vel minuunt, & sunt octo, quæ ex versu sequenti notificari possunt. Unde versus:

A

Quis, quid, ubi, per quos, quotiens, cur, quomodo; quando.

De tribus actionem depravantibus.

PER tria etiam principaliter depravari solet actio, etiam illa quæ est de genere bonorum. Quandoque in sui principio; quandoque in sui medio; quandoque in sui fine, scilicet per malam intentionem, per negligentiam, per vanam gloriam.

Quibus causis unum peccatum dicitur majus.

B

MULTIS etiam causis seu respectibus unum peccatum dicitur majus seu gravius altero; videlicet causalitate, ut peccatum Luciferi. Generalitate, ut peccatum primi hominis. Deformitate, ut peccatum Judæ proditoris. Remissionis seu veniæ difficultate, sicut peccatum in Spiritum sanctum. Periculo, sicut peccatum ignorantiæ. Inseparabilitate, ut peccatum cupiditatis. Pronitate, ut peccatum carnis. Offensione, ut pecatum idolatriæ. Expugnandi difficultate, ut superbia & vana gloria. Mentis cæcitate, ut peccatum iræ.

De quinque operum generibus.

NOTANDUM est etiam quod inter cætera quinque reperiuntur genera operum: nam quædam sunt mala in se, ut illa quæ de sui natura seu in suo genere mala sunt; sed tamen per aliquas circumstantias bona fieri possunt, ut homicidium quod in se malum est; sed per circumstantiam aliquam potest effici bonum, utputa quando fit per debitam Justitiam: vel se legitimè defendendo, cum mortis periculum evadi non possit, & hujusmodi. Quædam sunt mala secundùm se, ut illa quæ secundùm totum suum esse mala sunt, nec per circumstantias aliquas bona effici possunt, sicut est odire Deum vel fornicari, & hujusmodi. Quædam è contrario sunt bona in se, ut illa quæ de sui natura sunt bona ex genere; sed tamen per aliquas circumstantias possunt fieri mala, sicut est dare eleemosynam, quod in se bonum est; sed per circumstantiam aliquam potest fieri malum, utputa si daretur pro sola vana hominum laude acquirenda, vel hujusmodi. Quædam sunt bona secundùm se, ut illa quæ secundùm totum suum esse bona sunt, nec per circumstantias aliquas possunt fieri mala, sicut diligere Deum ex charitate. Quædam sunt indifferentia, scilicet quæ suo esse nec bona nec mala sunt; possunt tamen secundum circumstantias bona vel mala fieri: sicut movere pedem sine deliberatione, vel quandoque comedere, quod secundùm circumstantiam aliquam bonum fieri potest, utputa in necessitate corpus suum debitè sustentandi, ut efficaciùs Deo servire possit; & è contrario malum, utputa si ad superfluitatem & ex sola libidine vel voluntariè Præcepta Ecclesiæ transgregiendo fiat.

C

D

De quatuor generibus seu divisionibus peccati mortalis.

LICET plures peccati mortalis diversis respectibus & causis possent assignari divisiones seu genera; quantùm tamen ad præsentis Tractatus compendium attinet, quatuor solummodo tangentur. Circa quarum adhuc solùm quartam diffusè insistetur; quia per ejus declarationem aliæ tres clarè & faciliter poterunt intelligi, immò ipsas tres effectualiter comprehendit.

De prima Divisione.

PRIMA igitur dictarum quatuor divisionum est, quod peccatorum mortalium aliqua sunt carnalia, alia spiritualia. Carnalia autem majoris sunt infamiæ, spiritualia verò majoris culpæ.

De secunda Divisione.

SECUNDA divisio est, quod peccatorum mortalium aliqua sunt commissi, alia delicti; quod in effectu est dicere. Aliqua committuntur in faciendo, alia in omittendo. Prima peccata sunt prævaricatio seu transgressio Legis, quoad Præcepta negativa, utputa, *Non occides, non mœchaberis*. Secunda sunt prævaricatio seu transgressio Legis quoad Præcepta affirmativa, sicut sunt: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. *Honora Patrem tuum*, &c. Et secundùm hanc etiam divisionem dicitur peccatum mortale esse & fieri contra duas partes justitiæ, quarum una est declinatio à malo, alia est facere bonum.

De tertia Divisione.

TERTIA divisio est, quod peccatorum mortalium aliqua directè committuntur in Deum, alia in proximum, alia in seipsum. Peccatum autem in Deum iterum subdividitur: nam quandoque peccatur in Patrem, quandoque in Filium, quandoque in Spiritum sanctum. De quibus latior fiet speculatio infra in fine declarationis quartæ divisionis: peccatur enim alio respectu in Deum quadrupliciter. Primò malè de ipso per infidelitatem sentiendo; secundò ipsum blasphemando; tertiò ejus Sacramenta indignè ministrando & tractando; quartò eum tentando. Rursus Deum tentando peccatur tripliciter: nam tentatur vel ejus potentia, signa scilicet ab eo petendo; vel tentatur ejus justitia, per humanas scilicet probationes, utputa per candens ferrum vel duellum vel similia judicium ejus exquirendo; vel tentatur ejus misericordia, suam scilicet quasi examinando bonitatem, se stultis periculis committendo. In proximum verò peccatur etiam tripliciter. Vel bona sua ei indebitè auferendo; vel bona propria sibi in sua necessitate non communicando; vel mala persuasione, aut malo exemplo eum in peccatum trahendo & inducendo. In semetipsum autem peccat quis etiam tripliciter. Vel sibiipsi necessaria substrahendo, vel superflua sumendo, vel ultra vires ac debitum moderamem quippiam aggrediendo.

De quarta Divisione.

QUARTA divisio peccati mortalis sumitur per septem vitia capitalia. Quæ sunt superbia, invidia, ira, acedia, avaritia, gula, luxuria. Et quia (ut supra tactum est) de ista quarta divisione expediens est diffusiorem hìc facere declarationem; tum quia per eam supradictæ tres aliæ divisiones clariùs intelligi poterunt, immò eas effectualiter comprehendit; tum quia propriè loquendo in ipsa & ex ipsa principalis effectus principalisque intentio hujus octavi Tractatuli consistit & dependet. Ideo de ipsis septem peccatis capitalibus hìc fiet quoddam speciale Capitulum, & juxta divisionem in principio hujus principalis Capituli, quod est de peccato actuali positam, de his scilicet quæ in eo videnda sunt.

ALIQUA CIRCA MATERIAM

septem vitiorum capitalium prænotanda.

A INTERIM antequam ad specialem seu particularem declarationem ipsorum septum vitiorum capitalium veniatur, aliqua sunt circa ipsa advertenda. Et primò notandum venit quod peccatum veniale, sive sit quantùm ad actum, sive quantùm ad maculam, nullo modo potest fieri mortale; sic scilicet quod illud idem secundùm substantiam quod priùs fuit veniale, fieret mortale. Et ratio est, quia nulla res potest mutare speciem. Peccatum autem mortale & veniale sunt duæ diversæ peccati species. Veruntamen aliquis actus qui de sui natura est de genere peccati venialis, bene potest fieri mortalis, & hoc quatuor modis. Primo modo ratione conscientiæ quæ de illo actu fieri potest, quia quidquid fit contra conscientiam formatam, ædificat ad gehennam, etiam si sit contra conscientiam erroneam. Et

B hæc est ratio; quia cum in peccato duo sint, scilicet aversio & conversio: penes primum judicatur qualitas siue gravitas peccati; quoniam aversio à Deo est in peccato quasi formale & conversio ad creaturam quasi materiale. Quamvis ergo levare festucam de terra videatur leve vel indifferens; si tamen fiat contra conscientiam, est peccatum: quia tunc in animo spernitur realiter bonum incommutabile, & ita fit aversio à Creatore. Secundo modo ex complacentia quæ in illo actu posset capi & caperetur. Unde Augustinus. *Nullum peccatum adeò veniale est, quod non fiat mortale dum placet.* Tertio modo ex dispositione seu proclivitate quæ exinde contrahitur; quia per frequentem lapsum in venialia disponitur homo ad mortale. Et secundùm hoc intelligitur illud dictum Gregorii. *Vitasti grandia, vide ne obruaris arena.* Hoc autem dicit, quia sæpe de minimis peccatis, dum frequenter fiunt & sic quasi contemnuntur, venitur ad magna; sicut de modica scintilla surgit quando-

C que magnus ignis. Quarto modo ex progressu; quia quando insurgit veniale, si non prohibetur, possit progredi usque ad mortale. Non quod ipsum veniale (ut supra tactum est) in sua substantia fieret mortale; sed quia ex ipso occasionaliter fieret progrediendo mortale, ut patet in primis motibus, qui inter venialia computantur: sed quando delectatio convalescit in tantum quod consensus accedit, jam est peccatum mortale.

Unde sumatur numerus & sufficientia septem vitiorum capitalium.

NOTANDUM insuper, quod (ut aliqualiter supra tactum est) septem sunt peccata seu vitia capitalia, scilicet superbia, invidia, ira, acedia, avaritia, gula, luxuria, quorum sufficientia seu numerus potest colligi; voluntatem enim humanam frequenter contingit deordinari: aut ergo deordinatur, quia ap-

D petit quod non est appetendum, aut deordinatur, quia refugit quod non est refugiendum. Si primo modo; aut appetit quod non est appetendum interiùs, & tunc peccatur peccato superbiæ seu vanæ gloriæ; aut appetit quod non est appetendum exteriùs, & tunc peccatur peccato avaritiæ; aut appetit quod non est appetendum inferiùs, quale est corpori delectabile, & istud iterum est in duplici differentia. Quia aut illud delectabile quod sic inordinatè appetitur tendit ad conservationem individui, & tunc peccatur

tur peccato gulæ; aut tendit ad conservationem speciei, ut coïtus, & tunc peccatur peccato luxuriæ. Si secundo modo, quando scilicet voluntas deordinatur refugiendo quod non est refugiendum, aut illud non refugiendum refugit secundùm perversum instinctum potentiæ rationalis, & tunc peccatur peccato invidiæ; aut illud refugit secundùm perversum instinctum potentiæ irascibilis, & tunc peccatur peccato iræ; aut illud refugit secundùm perversum instinctum potentiæ concupiscibilis, & tunc peccatur peccato acediæ. Et sic patet quod quia sunt quatuor principalia appetibilia, in quibus voluntatem humanam deordinari contingit, & tres solùm sunt vires seu potentiæ animæ, secundùm quarum instinctum est fuga, ideò tantummodo sunt septem peccata seu vitia capitalia.

Duplici modo septem vitia capitalia se ostendunt, nunc palam, nunc palliatè.

NOTANDUM insuper, quod ista vitia septem seu peccata capitalia quandoque palam & publicè sese ostendunt, ut quando directè fiunt; quandoque verò sub quadam specie boni palliata se ingerunt & decipiunt. Unde superbia quandoque sic sibi persuadet: volo præesse ut possim prodesse. Invidia sic sibi persuadet: bona aliis non cupio, nec opto, ne in prosperitate successuum nimis extollantur. Ira verò sic persuadet: non debeo mala mihi illata tolerare, ne mihi inferri consuescant. Acedia sic sibi persuadet, ad hoc mihi in laboribus parco, ne indiscretè aliquid aggrediens deficiam, & indiscretionis arguar. Avaritia sic sibi persuadet: mihi multa adhuc congreganda veniunt, ne propter casus fortuitos qui supervenire possunt, in inopiam incidam, & sic furtum, rapinam, vel aliud injustum committam. Gula sic sibi persuadet, corpus meum cibis & potibus delicatis nutrio, quatenùs in sanitate conservetur, fortiusque efficiatur, ut sic aptius sit & valentius ad Deo serviendum. Luxuria sic sibi persuadet: non est malum aliquanto tempore ad libitum & complacentiam vivere, & postea fortiter pœnitere.

Septem vitia capitalia septem ferocibus bestiis comparantur.

NOTANDUM præterea quod prædicta septem vitia seu peccata capitalia septem tam ferocibus quàm immundis bestiis comparari consueverunt. Superbia seu vana gloria, comparatur leoni. Invidia, comparatur cani. Ira, comparatur lupo. Acedia, comparatur asino. Gula, comparatur urso. Luxuria, comparatur porco. Avaritia, comparatur ericio. Similiter etiam comparari consueverunt septem gravibus infirmitatibus. Superbia seu vana gloria, comparatur corporis inflationi. Invidia, comparatur lepræ. Ira, comparatur phrenesi. Acedia, comparatur lethargiæ. Avaritia, comparatur hydropisi. Gula, comparatur epilepsiæ. Luxuria, comparatur febri. Est insuper notandum & benè considerandum, quod ista septem peccata seu vitia capitalia, devota ac frequenti Passionis Christi meditatione curantur. Nam qui debitè ea quæ ipse Dominus noster Jesus Christus in sua sacratissima Passione egit & sustinuit contemplatur, reperiet quod hæ septem mortiferæ pestes ibidem mirabiliter curantur: etenim sui Sacri capitis in Cruce humillima inclinatio curat superbiam; sui Sacri lateris apertio curat invidiam; Oratio sua pro inimicis, curat iram; portatio Crucis, curat acediam; traditio sui Spiritus Patri, sui Corporis Cruci, suæ Matris Discipulo, & suarum vestium suis crucifixoribus, curat avaritiam; potatio aceti & fellis curat gulam: & sua flagellatio curat luxuriam.

Notandum insuper, quod prædictorum peccatorum unum ex alio nascitur, quod sic apparet: superbia enim, quia omnes præcellere vult & appetit, statim quando aliquem sibi æquari videt aut timet, in se dolere & conturbari incipit, ac exinde contra illum ad ipsum suum bonum, quo sic eum sibi æquari timet, impediendum ac diminuendum movetur, A & sic ex superbia nascitur invidia. Invidus verò quia de facili ei cui sic invidet irascitur, & contra eum quasi toto spiritu commovetur, ideo ex invidia nascitur ira: cum autem sit contra alium commotus & iratus, vindictam de illo appetit, & se vindicari quærit, in quo si eum deficere contingat, in animo suo contabescit & contristatur, ideo ex ira nascitur quædam mentalis tristitia, quæ à Doctoribus acedia nuncupatur. Cum verò sic animo tristis & contabescens, consolationem & quamdam sui exaltationem, quam in seipso non habet, in rebus exterioribus quærat; quantò plura congregare poterit, majorem se habiturum sperat; ideo ex acedia nascitur avaritia. Avarus autem qui bonis temporalibus abundat, & sic ea quæ ad delectationem in cibis & potibus faciunt, faciliùs comparare, & ad sui libitum habere potest; ideo ex avaritia nascitur gula. Gula verò propter ventris repletionem variasque ciborum & potuum delectabilium species quibus reficitur, facillimè despumat in libidinem, ideo ex gula nascitur luxuria. B

Notandum insuper: quod plura prædictorum septem vitiorum seu peccatorum capitalium dicuntur radices & initia seu causæ aliorum, diversis tamen respectibus: *Superbia* enim primò dicitur *radix & initium omnis peccati*, Eccli. x. 15. propter tres causas seu rationes. Primò propter causam quæ in omni peccato invenitur, scilicet contemptus Dei, qui est quædam causa omnis peccati: iste autem contemptus est aversio à Creatore, quæ in omni peccato est; quia in omni peccato præponitur bonum commutabile bono incommutabili. Iste contemptus non nisi ex superbia procedit, & ex ea quam-maximè; & ideo dicitur, quod sicut sine charitate aliæ virtutes nihil sunt, ita sine superbia alia vitia nihil sunt. *Abstrahe superbiam, & habebis gratiam.* Quia *superbis Deus resistit, humilibus autem dat* C *gratiam.* Jacob. iv. 6. Secundò dicitur superbia radix & initium omnis peccati, quia fuit primum peccatorum: hoc enim peccato peccavit primò diabolus in Cœlo, & primus homo in Paradiso. Tertiò dicitur *superbia radix & initium omnis peccati*, quia ex ea secundùm prius & posterius, hoc est mediatè vel immediatè nascuntur alia vitia & peccata, ut aliqualiter supra ostensum est in notabili immediatè præcedenti.

Libido etiam prout Augustinus ponit, dicitur causa omnis peccati, scilicet alio respectu, propter scilicet inordinatam delectationem quæ ex ipsa libidine habetur in creatura, quæ delectatio inordinate afficit & attrahit animam, & avertit à summo bono: est enim libido voluntas improba qua movetur anima rationalis ad hoc quod inordinatè delectetur in creatura; & ex hac libidine omnia alia peccata secundùm prius & posterius, hoc est mediatè vel immediatè, alia tamen via seu ordine quam à superbia insurgunt.

D Cupiditas etiam sicut ponit Apostolus, *radix* dicitur *omnium malorum*, quasi eodem respectu juxta suum esse, sicut dicitur libido juxta suum. Nam sicut libido (ut statim dictum est) dicitur causa omnis peccati, propter inordinatam delectationem quæ ex ipsa libidine habetur in creatura, quæ delectatio inordinatè afficit & attrahit animam, & avertit à summo bono; sic cupiditas in suo esse dicitur radix omnium malorum ex inordinato amore, qui ex ipsa cupiditate habetur ad creaturam, qui inordinatus amor similiter afficit & attrahit animam, & à summo

mo bono avertit. Ex quo inordinato amore omnia alia peccata secundùm prius & posterius, hoc est mediatè vel immediatè, alia tamen via seu ordine quam à superbia, & quam à libidine insurgunt & oriuntur.

Luxuria etiam secundùm Cassianum dicitur radix omnis peccati, quia carnales delectationes sunt nobis naturales, & ad naturalia proni sumus & inclinati, ac eis cum difficultate resistimus. Attracta igitur & A affecta per luxuriam anima, in omnia alia vitia faciliter & sine consideratione ac moderamine, secundùm tamen prius & posterius, hoc est mediatè vel immediatè, ex uno scilicet in aliud prolabitur, alia tamen via & ordine quam per superbiam & quam per libidinem, & quam per cupiditatem.

Possent ista profusiùs declarari, sed quantùm ad brevitatem hujus Tractatuli convenit: satis sint quæ tacta sunt; qui ampliora videre voluerit, Doctores adeat solemnes, & inter cæteros beatum Thomam Secunda secundæ, & Summam *de vitiis & virtutibus.*

DE SEPTEM VITIIS CAPITALIBUS IN SPECIALI

B

Et primò differentia inter superbiam & inanem gloriam.

ISTIS sic prænotatis dicendum venit de quolibet prædictorum septem vitiorum capitalium in specie seu in particulari. Et primò de superbia. Circa quam notandum est quod licet communiter non fiat distinctio inter superbiam & inanem gloriam, immò ponatur inanis gloria filia superbiæ; Gregorius tamen inter eas differentiam ponit, immò superbiam dicit Reginam & Matrem omnium vitiorum. Quod intelligendum est Gregorium accepisse prout superbia consideratur secundùm quamdam redundantiam & generalitatem quam habet in alia peccata, in quantum scilicet ex ipsa omnia peccata oriri possunt; & hoc duplici via seu ratione. Uno modo per se & directè in quantum scilicet alia peccata ordinantur ad finem C superbiæ quæ est propria excellentia, ad quam potest ordinari quidquid homo indebitè & inordinatè appetit. Alio modo indirectè & quasi per accidens removendo prohibens, in quantum scilicet per superbiam homo Legem divinam contemnit, per quam prohibetur à peccando, & transgreditur Mandata; intelligitur tamen hoc, quando illa transgressio Mandatorum fieret ex contemptu: nam fieri posset ex ignorantia vel infirmitate, quod ibi non esset superbia. Ut igitur semper natura ipsorum vitiorum clariùs elucescat, procedatur, opinionem Gregorii insequendo. Differentia autem quæ communiter inter superbiam & inanem gloriam assignatur, est quia licet in utraque sit immoderatus & inordinatus propriæ excellentiæ appetitus, qui scilicet non est secundùm rectam & debitam rationem; in hoc tamen differunt, quia superbia excellentiam propriam inordinatè appetit; inanis vero gloria excellentiæ propriæ manifestationem, ita quod superbia propriè con- D siderat, in quantum ille inordinatus propriæ excellentiæ appetitus habetur ab intra, etiam si non ab extra progrediatur. Inanis gloria transit ab extra, quia illam excellentiam appetit ab extra apparere, & in ore aliorum apparere & manifestari.

De superbia in particulari, prout distinguitur ab inani gloria, & ponitur quasi Regina aliorum vitiorum

DICETUR ergo primò de superbia, quæ sic, ut aliqualiter tactum est secundùm Augustinum, definitur. Superbia est perversus propriæ celsitudinis appetitus. Dicit etiam Augustinus quod superbia omnibus hominibus invidet, scilicet superioribus; quia eis non æquatur; paribus quia sibi æquantur; inferioribus, ne sibi æquentur.

Dicitur etiam superbia omnis peccati radix & initium, propter tres rationes supra in penultimo capite immediatè præcedenti tactas. Gregorius XXXI. *Lib. Moralium* quatuor species superbiæ assignat. Prima est, cum homo bonum quod habet, æstimat se à seipso habere. Secunda species est, cum homo bonum quod habet, sibi desuper datum credit; sed tamen se reputat illud pro suis meritis accepisse. Tertia species est, cum homo jactat se habere bonum quod non habet. Quarta species est, cum homo despectis cæteris, appetit singulariter videri habere bonum quod habet. Et est advertendum quod hic jactantia accipitur quantùm ad interiorem cordis arrogantiam: quia si caperetur jactantia quantùm ad exteriorem actum, quo quis falsò se diceret vel laudaret habere bonum quod non habet; magis propriè pertineret ad peccatum inanis gloriæ, & etiam ad peccatum mendacii quam ad peccatum superbiæ, prout sumitur hic & à Beato Gregorio. Istarum autem quatuor specierum numerus & sufficientia sic sumitur. Dictum est superbiam esse inordinatum propriæ excellentiæ appetitum: omnis autem excellentia accedit homini ratione alicujus boni quod habet; bonum autem quod habet homo, tripliciter potest considerari. Uno modo secundùm se. Alio modo ex parte causæ quâ habetur. Tertio modo ex parte modi ipsum bonum habendi. Respectu primi certum est, quòd quantò bonum quod quis habet majus est, tantò per hoc majorem excellentiam consequitur. Ex quo contingit, quod homo cujus appetitus inordinatè vel ultra modum sibi convenientem, in suam propriam excellentiam tendit, sibi in animo suo attribuit bonum quod non habet, vel majus quam habet, & tunc est tertia species superbiæ supra posita, quæ est scilicet cum quis jactat se habere bonum quod non habet. Respectu secundi certum est, quod quando homo bonum quod habet, habet ex seipso, ipse excellentius habet quam si haberet ab alio. Et exhinc procedit, quod homo cujus appetitus inordinatè & ultra modum debitum & sibi convenientem, in suam propriam excellentiam tendit, illud bonum quod habet ab alio, æstimat in suo animo & sibi attribuit habere à seipso. Et quia dupliciter aliquis potest esse causa boni sui, uno modo efficienter, alio modo meritoriè, secundùm hoc sumuntur duæ primæ species superbiæ supra positæ: nam si homo illud bonum quod à Deo habet, æstimet & reputet se à semetipso habere, & sic efficienter, tunc est prima species superbiæ supra positæ; si verò illud bonum quod à Deo habet, æstimet se & reputet à Deo habere, sed suis meritis, & sit meritoriè, & tunc est secunda species. Respectu tertii certum est, quod quantò aliquis bonum quod habet excellentiori modo quam alii possidet, tantò per hoc majorem excellentiam consequitur. Et hinc est quod homo cujus appetitus inordinatè & ultra modum debitum & sibi convenientem, in suam propriam excellentiam tendit, illud bonum quod habet, æstimat in suo animo & sibi attribuit excellentius habere quam cæteri, & tunc est quarta species superbiæ supra posita, scilicet cum quis despectis cæteris appetit singulariter videri habere bonum quod habet. Ex quibus apparet clara sufficientia spe-

specierum superbiæ per Gregorium assignata. Est tamen advertendum quòd secundùm diversos Doctores plures & aliæ assignantur superbiæ species. Hieronymus assignat ingratudinem speciem superbiæ. Augustinus dicit, quod se excusare de peccato commisso, ad superbiam pertinet: etiam præsumptio, qua quis tendit ad assequendum aliquid quod est supra se, ad superbiam pertinere videtur. Bernardus etiam duodecim gradus ponit superbiæ, qui sunt curiositas, mentis levitas, inepta lætitia, jactantia, singularitas, arrogantia, præsumptio, defensio peccatorum, simulata confessio, rebellio, libertas, peccandi consuetudo. Sed qui debitè considerat omnes hujusmodi species seu gradus; ad quatuor species per Gregorium, ut tactum est, assignatas reduci possint, & sub eis comprehenduntur: nam prima ingratitudo de qua loquitur Hieronymus reducitur ad primam speciem; quia ingratus sibi propriè & in effectu attribuere videtur habere à semetipso illud bonum quod ab alio habet, cum illud recognoscere nolit. Excusatio de peccatis, de qua loquitur Augustinus, propriè pertinet ad tertiam speciem; quia sic se excusans, videtur se jactare habere bonum quod non habet, scilicet bonum innocentiæ. Præsumptio autem qua quis tendit in id quod supra ipsum est, propriè ad quartam speciem pertinet secundùm quam quis appetit præ aliis singulariter videri. Duodecim verò gradus superbiæ quos ponit Bernardus licet secundùm quid & secundùm modum accipiendi ipsius Bernardi ad superbiam pertineant; non omnes tamen accipiuntur secundùm ipsam propriam naturam seu essentiam superbiæ cui assignantur. Sed sumuntur aliqui tam secundùm diversas hominum conditiones, quàm secundùm comparationem ad gradus hominum, qui vel sunt majores vel æquales, vel minores. Non solum etiam in dictis duodecim gradibus tanguntur species aliquæ superbiæ; sed etiam quædam ipsam superbiam antecedentia, & quædam consequentia. Sumuntur etiam prædicti duodecim gradus superbiæ à Bernardo assignati per oppositum ad duodecim gradus humilitatis, quos Beatus Benedictus in sua Regula ponit.

Primus enim gradus humilitatis ab ipso Beato Benedicto assignatus, est corde & opere semper humilitatem ostendere, defixis in terram aspectibus. Contra quem ponit Bernardus primum gradum superbiæ, curiositatem; nam juxta quod dicitur. Mens hominis suiipsius incuriosa, quod ex propriorum meritorum vana æstimatione procedit, aliorum communiter curiosa efficitur, & jam vel ad ea quæ ad ipsam non spectant immoderatè cognoscenda, vel mores vitiaque aliorum inquirenda se transfert; hinc inde oculis vagari, capiteque erecto ac auribus suspensis incedere incipit.

Secundus gradus humilitatis à dicto Beato Benedicto assignatus, est ut pauca verba & rationabilia quis loquatur, & non clamosa voce. Contra quam ponit Bernardus secundum gradum superbiæ; levitatem mentis, quam ex gradu præcedenti oriri ponit: Nam ut dicit, animus hominis nulla sui cura aggravatus, dum mores & vitia aliorum curiosè circumspicit, in quamdam levitatem & instabilitatem transit. Nam dum nunc aliquos sibi superiores aspicit jam se superari dolet, & per invidiam tabescit. Dùm vero nunc alios sibi inferiores cernit, per quamdam vanam excellentiam pueriliter hilarescit: nunc pauca & mordacia loquitur; nunc multa & inania; nunc risu, nunc luctu plena.

Tertius gradus humilitatis à Beato Benedicto assignatus, ut quis non sit facilis aut promptus in risum. Contra quem ponit Bernardus tertium gradum superbiæ, ineptam lætitiam, quam ex duobus gradibus immediatè præcedentibus oriri dicit: nam dum per curiositatem ad animi seu mentis levitatem quis devenit, & gaudium quod ex sui præsumptione concepit, per tristitiam quam interdum de alienis bonis contrahit, interpolari metuit; statim ad remedium falsæ consolationis confugit, ita ut bene sibi conscius vel sui oblitus, vel ab omni culpa absolutus putetur: nunc apparet in fronte hilaritas, nunc in signis scurrilitas, nunc ad jocum pronitas, nunc vanitas in incessu, nunc facilitas in risu.

Quartus gradus humilitatis à dicto Beato Benedicto assignatus, est taciturnitas usque ad interrogationem. Contra quem ponit Beatus Bernardus quartum gradum superbiæ, jactantiam quam ex præcedenti gradu oriri dicit. Nam dum mente in ineptam lætitiam resoluta, vanitas crescere & grossescere incœperit, jam necesse est ut laxato sinu ad extra erumpat; quærit tunc quibus omne quod sentit effundat, prævenit interrogantem, non quærenti respondet: nunc quærit & solvit, nunc jejunia laudat, commendat vigilias, somnia profert & visiones.

Quintus gradus humilitatis à Beato Benedicto assignatus, est tenere quod habet communis observantia. Contra quem Beatus Bernardus quintum gradum superbiæ ponit singularitatem, quam ex præcedenti gradu oriri dicit: turpe etenim esset ei qui se supra cæteros extollit & jactat, nisi plus, vel aliter quam cæteri aliquid speciale ageret, quo ultra eos apparere possit. Talis plus sibi de aliquo particulari bono, quod se facere æstimat blanditur, quàm si decies plus in communitate faceret. Pallorem suum in vultu, & maciem in manibus, & talia quæ in seipso videre potest, speculatur; ad sua particularia strenuus, ad communia piger, vigilat in lecto, & dormitat in choro, & hujusmodi.

Sextus gradus humilitatis, à dicto Beato Benedicto assignatus, est credere & pronunciare se omnibus viliorem. Contra quem ponit Bernardus sextum gradum superbiæ arrogantiam, quam ex præcedenti gradu oriri dicit. Nam cum quis talia opera sic singulariter agit, jam apud simpliciores eius fama seu opinio crescere incipit, qui ipsa ejus opera quæ vident probant, quia discernere nesciunt qua intentione procedant. Sicque dum miser ille ab aliis beatificatur, apud se in errorem inducitur: credit enim quod audit, sed quid intendat non attendit, & dum plus de seipso aliis quàm sibi credit, non solum verbo aut operum ostentatione probitatem demonstrat; sed interno etiam sui cordis affectu, se aliis sanctiorem credit & reputat.

Septimus gradus humilitatis ab ipso Beato Benedicto assignatus, est se ad omnia indignum & inutilem credere & confiteri. Contra quem ponit Beatus Bernardus septimum gradum superbiæ, præsumptionem, quam ex præcedenti gradu oriri dicit. Nam qui se in animo alios præcellere putat, quomodò esse potest quando plus de se quam de aliis præsumit? Talis primus in conventibus residet, primus in consiliis respondet, non vocatus accedit, non jussus se intromittit, quidquid ipse fecerit, rectè factum, quidquid verò non fecerit, inordinatè factum reputat; si ut optat non promoveatur, superiorem suum aut invidum aut deceptum judicat, in minoribus obedire indignatur, quia ad majora se reputat idoneum.

Octavus gradus humilitatis à dicto Beato Benedicto assignatus, est confessio peccatorum. Contra quem ponit Bernardus octavum gradum superbiæ, defensionem peccatorum, quam ex præcedenti gradu oriri dicit. Etenim qui se faciliter ad omnia ingerit, impossibile quasi est, quin aliquando deficiat. Cum ergo talis à suo superiori corrigi cœperit, culpam suam (quia habere non putat) non agnoscit, & tunc in varias peccatorum suorum excusationes se ponit: aut enim fecisse negat, aut fecisse confitetur, sed quod benè fecit: aut si malè se fecisse fateatur; dicit tamen quod non multum malè, & si multum malè, quod non mala intentione: & si iterum de mala intentione convincatur, aliena se dicit suasione peccasse. Et quomodo talis qui aperta defendit, malas sui cordis cogitationes revelaret?

Nonus gradus humilitatis à dicto Beato Benedicto assignatus est, pro obedientia in duris & asperis patientiam amplecti. Contra quem ponit Bernardus nonum gradum superbiæ, simulatam confessionem, quam ex præcedenti gradu oriri dicit: nam qui (ut dictum est) sic ex arrogantia & præsumptione, peccata sua excusant, si (ut interdum contingere potest) de manifestioribus culpis arguantur, scientes quod si defenderent, non crederetur eis, ad subtiliora se convertunt argumenta defensionis, verba respondendo dolosæ Confessionis: nunc etenim vultum demittunt, corpus prosternunt, lachrimas sibi si possunt extorquent, suspiria & gemitus emittunt; sed si eis levis aliqua contumelia aut exigua pœna inferatur, jam suam simulationem dissimulare non valentes, murmurare, frendere, irasci & conturbari incipiunt.

Decimus gradus humilitatis à dicto Beato Benedicto assignatus, est ut cum obedientia quis se subjiciat majori. Contra quem ponit Bernardus decimum gradum superbiæ, rebellionem, quam ex præcedenti gradu oriri dicit: cum enim sic simulatè suam culpam confitens, pœnam sibi impositam impatienter sustinet, seque jam ab aliis notari, suam falsitatem conspici & exinde suam opinionem & laudem diminui videt, grandem in corde suo superbo confusionem habet; valde tunc difficile est talem hujusmodi universorum judiciis tacitum acquiescere; sed mox frontosus impudens, & quasi desperatus in rebellionem corruit, & qui priùs solum fratres contempserat, jam impudenter & potenter inobediens, etiam contemnit Magistrum.

Undecimus gradus humilitatis à dicto Beato Benedicto assignatus, est ut quis voluntatem propriam non delectetur implere. Contra quem ponit Bernardus undecimum gradum superbiæ, libertatem peccandi, quam ex præcedenti gradu oriri dicit: nam cum subditus Magistrum vel Superiorem non timere incipit, nec proximos seu fratres, aut sodales habet quos veretur, in quadam securitate majorique libertate ad sua desideria implenda profluit, in ipsisque adimplendis delectatur; & quamvis forsitan non penitùs in principio, Dei formidine abjecta quasi vadum tentans, illicita cum quodam timore perficiat; postmodum tamen pedetentim in vitiorum gurgitem intrat.

Duodecimus gradus humilitatis à dicto Beato Benedicto assignatus, est ut quis Deum timeat, & memor sit omnium quæ præcepit. Contra quem ponit Bernardus duodecimum gradum superbiæ, consuetudinem peccandi, quam ex præcedenti gradu oriri dicit: nam postquam terribili Dei judicio prima flagitia impunitas sequitur, tunc per quamdam frequentiam malorum actuum, homo in quamdam peccandi consuetudinem trahitur; ex hincque carnalibus desideriis absorptus, rationisque ac timoris Dei oblitus, indifferenter suis libitis utitur, nec ab illicitis cogitandis & peragendis restringitur; sed quidquid sibi in corde, in ore, in manu occurrit, machinatur, garrit & operatur malevolus quidem, magniloquus, facinorosus.

Istorum duodecim graduum numerus ex hoc accipitur, quia homo per superbiam communiter injuriatur vel Deo vel homini cui debet esse inferior, vel homini cui debet esse par. Sex primi gradus determinantur secundùm injuriam quæ per superbiam fit homini, cui debet quis esse par. Quatuor alii sequentes gradus determinantur quantùm ad injuriam quæ per superbiam fit homini, cui quis debet esse inferior: duo verò ultimi gradus determinantur quantùm ad injuriam quæ per superbiam immediatè Deo fit. Et notanter dicitur immediatè, quia etiam alii gradus redundant in Deum, sed non immediatè, immò mediante proximo: gradus autem dicuntur, quia à minori ad majorem fit progressus; etiam propter gravedinem peccatorum, quæ juxta illos gradus committuntur. Primus enim gradus malus est, secundus pejor, & sic ascendendo usque ad ultimum, qui reperietur esse pessimus omnium. Unde injuria quæ fit respectu paris, est minor; illa quæ fit respectu superioris, est major; sed illa quæ fit respectu Dei est maxima, propter quod prædicti gradus taliter ordinantur.

De Vitio seu peccato inanis Gloriæ.

A NUNC dicendum est de inani gloria, quam Gregorius ponit esse primum vitium capitale, quæ sic describitur. Inanis gloria est inordinatus appetitus laudis, gloriæ & honoris: finis enim principalis inanis gloriæ est manifestatio propriæ excellentiæ.

Inanis gloriæ septem à Beato Gregorio XXXI. *Lib. Moralium* filiæ assignantur, scilicet inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentio, pertinacia, discordia, novitatum præsumptio; quarum numerus seu sufficientia sic sumitur. Finis inanis gloriæ, ut supra dictum est, est manifestatio propriæ excellentiæ. Ad manifestationem autem propriæ excellentiæ potest quis dupliciter tendere. Uno modo directè, alio modo indirectè. Si directè, aut fit per verba, aut fit per facta. Si per verba, tunc est jactantia. Si per facta, aut illa facta sunt vera, & B aliquam admirationem importantia, aliàs nulla consequeretur gloria, & tunc est novitatum præsumptio; nam eas solent homines magis admirari: si autem per facta, & aliquam admirationem (ut dictum est) habentia, sed tamen non vera, immò ficta, & tunc est hypochrisis: si autem tendit homo ad manifestationem propriæ excellentiæ secundo modo, scilicet indirectè; & hoc potest contingere quadrupliciter, scilicet vel quantùm ad intellectum, vel quantùm ad voluntatem, vel quantùm ad locutionem, vel quantùm ad factum. Si primo modo scilicet quantùm ad intellectum, & tunc est pertinacia, per quam scilicet homo ad suam excellentiam ostendendam nimis innititur suæ propriæ sententiæ, nolens cedere sententiæ meliori. Si secundo modo, scilicet quantùm ad voluntatem, & tunc est discordia, per C quam scilicet homo ad suam excellentiam ostentandam, non vult à propria voluntate discedere, ut in alium seu in alio concordet. Si tertio modo, scilicet quantùm ad locutionem, & sic est contentio, per quam scilicet homo ad suam excellentiam ostentandam, clamosè verbis contra alium litigat, volens vincere & obtinere. Si quarto modo scilicet quantùm ad factum, & sic est inobedientia, per quam scilicet homo ad suam excellentiam ostentandam, non vult exequi præceptum superioris, ne exequendo videatur in aliquo inferior.

De vitio seu peccato Invidiæ.

SUBSEQUENTER de invidia tractandum venit, quæ secundùm Augustinum est dolor seu odium felicitatis alienæ: secundùm verò Joannem Damascenum est tristitia de alienis bonis. Et dicitur invidia à non videndo, quia scilicet bona aliorum videre D non potest, seu non libenter videt. Et quia displicentia boni alterius quæ interiùs habetur, potest quodammodo per actum visionis exteriùs denotari seu percipi, ideo propriè dicitur invidia à non videndo, id est non libenter videndo. Nam sicut dicit Seneca, *Quidquid mente fugimus, ingestum oculis vix videmus.* Et ideo illa interior displicentia propriè invidia dicitur. Ipsius autem invidiæ quinque per Gregorium assignantur filiæ, XXXI. *Moralium* scilicet odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, afflictio in ejus prosperis. Quarum numerus seu sufficientia sic accipitur. In conatu enim invidiæ, quando scilicet aliquis contra alium invidiâ in animo motus, ipsam ad effectum perducere nititur; aliquid est tanquam principium, aliquid tanquam medium, aliquid tanquam terminus: seu finis. Illud autem quod est tanquam principium, est

est ut primò invidus apud alios verbo diminuat gloriam seu famam hominis. Et hoc potest contingere dupliciter. Vel in occulto, & tunc est susurratio, quæ est quando aliquis malum occultè de suo proximo dicit ejus famam denigrando: & juxta Isidorum dicitur à sono locutionis; quia propriè fit in aure & secretè, non in facie hominum. Vel intendit invidus gloriam alterius diminuere in manifesto seu in aperto, & tunc est detractio, quæ est quando aliquis apertè malum de suo proximo dicit, ejusque famam denigrat, lædit & diminuit. Est tamen circa ista duo peccata advertendum; quia secundùm Thomam ipsa in materia conveniunt, & etiam in forma sive modo loquendi, quia utrobique malum de proximo occultè dicitur; & intellige hic occultè, id est non audiente eo de quo sic malum dicitur. Et hinc est quod propter istam similitudinem unum pro alio sæpe sumitur; differunt tamen in specie respectu finis ad quem fertur intentio: nam principalis intentio detractoris est, famam proximi denigrare. Unde illa præcipuè mala de proximo profert, ex quibus ipse proximus infamari possit, vel ejus fama diminui. Susurronis verò intentio principalis est, illum cui sic invidet, per mala quæ de eo dicit, ab amicitia aliorum separare. Detractor etiam propriè est, qui apertè & in facie hominum mala de aliquo loquitur. Susurro autem ad partem & secretè, & quasi in aure, ut jam tactum est. Illud autem quod est tanquam medium, est quo invidus facto per se, nec per alium, commodum & utilitatem seu profectum alterius impediat seu diminuat. Et tunc aut illud facere & adimplere potest, & tunc exinde venit & oritur exultatio in adversis proximi; aut non & tunc exinde venit & oritur afflictio in prosperis proximi. Illud autem quod in invidia est tanquam terminus seu finis, consistit in ipso odio, quod invidus de persona cui invidet habet: nam sicut bonum quod delectat, causat amorem, sic illud quod contristat, causat odium.

Est tamen pro clariori præmissorum intellectu advertendum, quod afflictio in prosperis proximi dupliciter potest considerari. Uno modo secundùm quamdam generalitatem, quando scilicet aliquis de prosperis alicujus in quantum habet aliquam gloriam seu famam, tristatur. Et tunc afflictio in prosperis proximi non est filia invidiæ, immò est ipsamet invidia. Alio modo magis particulariter; in quantum scilicet quis de prosperis proximi, quæ ipse nitebatur impedire, tristatur; in quantum scilicet contra suum conatum eveniunt, & tunc est propria filia invidiæ. Exultatio in adversis proximi non est directè idem quod invidia; sed ex ea sequitur & nascitur exultatio de malo ejusdem.

Est etiam notandum, quod est quædam invidia quæ inter gravissima peccata computatur, scilicet invidentia fraternæ gratiæ; quando scilicet aliquis non solum de bono proximi dolet; sed etiam de ipso augmento gratiæ Dei quod ipse proximus habet. Et hujusmodi invidia ponitur peccatum contra Spiritum sanctum: quia per hujusmodi invidiam homo quodammodo videtur Spiritui sancto invidere, eò quod in suis operibus glorificatur. Et ideo ponitur hujusmodi invidia species peccati in Spiritum sanctum, ut latiùs infra videbitur, ubi de peccato in Spiritum sanctum agetur.

Notandum etiam quod licet interdum invidia zelus nominetur, & interdum pro zelo accipiatur, est tamen inter ea realis differentia. Pro quo sciendum quod tristitia de alienis bonis potest quatuor modis seu causis contingere. Uno modo, quando aliquis dolet de bono alicujus in quantum ex eo timet sibi ipsi vel aliis bonis viris nocumentum provenire, & talis tristitia non est invidia, & potest esse sine peccato. Secundo modo, quando aliquis dolet de bono alterius, non in quantum ille alter illud bonum habet, sed ex eo in quantum ipse qui invidet simile bonum in se non habet; immò sibi deest, pro utendo tamen ad bonum finem, & ista tristitia non est invidia, sed est propriè zelus. Et si iste zelus sit circa bona virtuosa, seu honesta laudabilis est. Juxta illud I. ad Cor. XIV. *Æmulamini spiritualia.* Si autem sit de bonis temporalibus, potest esse & cum peccato & sine peccato, juxta hominis sic zelantis intentionem. Tertio modo, quando aliquis de bonis alterius dolet seu tristatur, in quantum ille cui illud bonum accidit, est ipso bono indignus. Et ista tristitia non potest propriè oriri ex bonis virtuosis seu honestis, ex quibus aliquis justus & virtuosus effici potest, quia jam quodammodo sibi ipsi repugnaret. Si verò oriatur & veniat ex bonis temporalibus, cum secundùm doctrinam Fidei temporalia bona quæ indignis proveniunt, ex justa Dei ordinatione disponantur, vel ad eorum damnationem, & hujusmodi bona temporalia quasi nihil sunt in comparatione ad bona futura quæ servantur bonis, ideo hujusmodi tristitia prohibetur. Juxta illud Ps. XXXVI. I. *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem.* Et alibi. Ps. LXXII. *Pene effusi sunt gressus mei; quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns.* Quarto modo quando aliquis dolet seu tristatur de bonis alterius; in quantum scilicet ille alter ipsum in dictis bonis excellit seu excedit: & hæc tristia est propriè invidia, & est semper prava & peccatum; quia dolet de eo de quo gaudendum est, scilicet de bono proximi, & sic propriè accipitur hic.

De vitio seu peccato Iræ.

Dicendum inde venit de ira, quæ secundùm Augustinum sic describitur. *Ira est ulciscendi libido* Secundùm verò Cassiodorum sic describitur. *Ira est immoderatus animi motus, concitatus ad pœnam seu vindictam.* Et intelligitur hæc definitio non de ira quæ procedit seu denominatur per zelum, quæ est quando quis contra ipsa vitia movetur secundùm ordinem rationis ad bonum finem; quia etiam interdum sibi ipsi propter sua peccata & vitia irascitur; sed intelligitur de ira quæ procedit & nominatur per vitium, de qua etiam solum hic agendum est: ira enim duplex habet esse, scilicet naturæ & moris. Quoad esse naturæ non est propriè nisi passio quædam, ratione cujus passionis sic purè seu absolutè consideratæ ira non est peccatum, immò magis est pœna, quo verò ad esse moris seu morale in quantùm illa passio deordinat à debito ordine rationis debitoque fine, tunc dicit & importat vitium & peccatum. Nam ira isto modo non dicit puram passionem, immò quamdam actionem qua deordinatur homo & quantùm ad Deum & quantùm ad proximum: vult enim à se vindictam exquirere; quam non debet nisi à Deo vel à Judice constituto expetere. Vel illam vindictam exercere appetit contra illum qui non meruit, vel ultra id quod meruit, vel non secundùm legitimum modum & ordinem, vel non propter debitum finem. Gregorius XXXI. *Lib. Moral.* sex assignat iræ filias quæ sunt, rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, blasphemia; quarum numerus seu sufficientia sic accipitur. Tripliciter potest ira considerari: uno modo, secundùm quod est in corde; secundo modo, prout est in ore seu locutione; tertio modo, ut est in facto seu opere. Quoad primum modum, scilicet in quantum ira est in corde, nascuntur duo vitia. Unum in respectu ad illum contra quem homo irascitur, quia scilicet eum quodammodo abhorret & indignum reputat ut sibi tale vel tale quid fecerit, & tunc est indignatio. Aliud vitium quod inde nascitur est in respectu ad ipsum hominem & qui irascitur, in quantum scilicet in animo suo diversas vindictæ vias excogitat, & talibus excogitationibus animum suum replet, & tunc est tumor mentis. Quo verò ad secundum modum, scilicet in quantum ira ostenditur in ore seu locutione, hoc contingere potest dupliciter. Uno modo, quando homo suam demonstrat iram per verba inordinata, confusa, alta & indignativa, & tunc est clamor. Alio modo, quando suam demonstat iram in verba injuriosa prorumpendo; & hoc iterum; dupliciter.

Nam

Nam illud vel fit in Deum aut Sanctos, & tunc est blasphemia, aut fit in proximum, & tunc est contumelia. Quoad tertium modum, scilicet in quantum ira ostenditur in opere, scilicet quando procedit usque ad factum, & tunc oriuntur rixæ, per quas hic intelliguntur & accipiuntur omnia nocumenta, quæ A facta occasione rixæ proximis inferri solent, ut sunt pulsationes, percussiones, & hujusmodi.

Et insuper advertendum quod (ut supra aliqualiter tactum est) aliquod vitium potest esse filia unius vitii capitalis, & nihilominùs interdum ex alio vitio capitali procedere; & hoc diversis respectibus & considerationibus, sicut in hoc præsenti proposito blasphemia in quantum aliquis in eam ex deliberata mente prorumpit, tunc procedit ex superbia hominis contra Deum se erigentis. Unde Eccl. x. 14. *Initium superbiæ hominis apostatare à Deo.* id est, ab ejus veneratione seu honoratione recedere. In quantum verò homo non ex deliberata mente, sed ex quadam commotione seu furore animi in blasphemiam prorumpit, sic procedit ex ira & est filia iræ. Similiter tumor mentis non accipitur hìc pro vana & superba excogitatione propriæ excellentiæ, qua quis animum suum implet; quia tunc idem esset in effectu quod superbia; sed accipitur hìc pro quodam exteriori conatu, sive ex cogitatione hominis vindictam ex ira appetentis, & in animo excogitantis. Similiter posset dici de odio quod ex ira nasci potest; cum tamen ponatur ex invidia nasci, & ejus filia sit, sicut supra declaratum est Capitulo immediatè præcedenti.

Utrum autem teneatur quis injuriam sibi factam inimico requirenti remittere, distinguendum est. Ex injuria enim tria oriri solent. Primum est rancor in affectu. Secudum, rancoris signum in effectu. Tertium, est actio contra injuriantem. Primum tenetur quilibet statim remittere etiamsi non rogetur. Secundum tenetur quis remittere, si rogetur, scilicet veniam petenti, & juxta suam facultatem emendare parato. Tertium non tenetur quis remittere.

An autem ille cui facta est injuria, debeat amicitiam quærere; sciendum est quod duplex est debitum, primum est necessitatis, secundum est perfectionis. Quantum ad primum, scilicet debitum necessitatis, sine quo scilicet non est salus, injuriatus non tenetur ad reconciliationem & amicitiam quærere. Quantum verò ad secundum debitum, dicit Chrysostomus quod talis injuriatus debet reconciliationem & amicitiam quærere, & hoc maximè ut exinde duplicem coronam accipiat. Unam quia injuriam passus est, alteram quia prius rogavit.

Notandum postremò quoad hoc Capitulum: quod reddere malum pro malo est fragilitatis, reddere malum pro bono est perversitatis, reddere bonum pro bono est æquitatis: reddere bonum pro malo est charitatis.

De vitio seu peccato Acediæ.

SUBSEQUENTER dicendum venit de acedia, quæ secundùm aliquos sic describitur. Acedia est de virtutum laudabili exercitio, utriusque hominis languida dejectio. Aliter sic describitur: acedia est diffidentia de propriis viribus & Dei auxilio quoad ardua bona implendo. Secundùm alios sic: Acedia est torpor mentis bona inchoare aut perficere negligentis.

Notandum autem quod Isidorus acediam à tristitia distinguit, dicens *tristitiam esse in quantum homo recedit a bono ad quod tenetur, tanquam à gravi & laborioso.* Acediam verò dicit esse in quantum homo ab illo bono divino seu spirituali se convertit ad quietem indebitam. Gregorius verò acediam tristitiam nominat, & ut videtur convenientiùs, quia tristitia de se secundùm quam aliquis à gravi laborioso opere recedit, vel secundùm quam aliquibus aliis causis tristatur, non est vitium speciale ab aliis distinctum: sed tunc solum speciale vitium dicitur, in quantum homo contristatur de bono divino seu spirituali; & tunc clarum est ad rationem acediæ pertinere, quæ se ex eo ad quietem indebitam convertit, in quantum scilicet bonum divinum seu spirituale aspernatur. Et secundùm hæc duo nomina, habetur propria ratio acediæ, quia in quantum est aversio à bono divino, ex eo quod grave æstimatur, tunc dicitur tristitia: sed in quantum est, spreto ipso bono divino, conversio ad creaturam, scilicet ad quietem indebitam, ex eo quia levis æstimatur & placens, ratione hujus dicitur acedia. Ex quibus patet, quod hoc vitium in quantum est vel dicitur tristitia, opponitur lætitiæ spirituali: sed prout est & vocatur acedia, opponitur virtuti fortitudinis, quæ consistit in arduis aggrediendis & in sustinendis adversis. Et denominatur acedia ab acedine, quia per eam anima quamdam habet acedinem, quamdamque gustus spiritualis indispositionem de bono divino seu Spirituali difficili. Sed secundùm Beatum Gregorium XXXI. *Lib. Moral.* sex assignantur acediæ filiæ, scilicet malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, evagatio mentis circa illicita; quarum numerus seu sufficientia sic accipi potest: cum enim juxta Philosophum in Ethicis nullus diù absque delectatione possit cum tristitia manere, & ut tactum est, acedia B sit tristitia de bono divino tanquam de gravi & laborioso; evenit quod acediosus tendit & laborat ad hoc quod à sua tristitia se eximat & liberet seu recedat. Duplici autem via potest aliquis à tristitia recedere. Uno modo ut a contristantibus recedat: secundo modo ut ad alia in quibus delectari possit transeat; sicut secundùm eumdem Philosophum communiter videtur quod illi homines qui non possunt in delectationibus spiritualibus gaudere, se transferunt ad delectationes corporales. Respectu primi membri in recessu seu fuga à contristantibus talis processus attenditur: nam primò homo ipsa contristantia fugit. Secundò interdum ultra progreditur, ita ut ipsa quæ tristitiam ingerunt impugnet. Respectu iterum primi istorum duorum, scilicet fugæ contristantium bona spiritualia, de quibus acedia tristatur, sunt vel ipse finis scilicet Deus, vel ea bona quæ ordinantur ad ipsum finem: fuga C autem ipsius finis fit per desperationem. Eorum autem bonorum quæ sunt ad ipsum finem, siquidem sint ardua, utputa ea quæ subsunt consiliis Evangelicis, fuga fit per pusilanimitatem. Si verò non sint ardua, sed solum quæ pertinent ad communem justitiam, fuga fit per torporem circa præcepta. Respectu secundi istorum duorum dupliciter fit ipsorum bonorum spiritualium impugnatio: quandoque enim fit indirectè, contra scilicet homines qui ad ipsa bona spiritualia inducunt, & tunc est rancor; quandoque verò ulterius se extendit, directè scilicet ad ipsa etiam spiritualia bona quæ contristant. In quorum detestationem aliquis ex ipsa tristitia adducitur, & tunc est propriè malitia. Respectu secundi membri principalis, in quantum scilicet aliquis propter tristitiam bonorum spitualium se ab ipsis bonis spiritualibus ad delectabilia exteriora transfert, ponitur filia acediæ, evagatio mentis circa illicita. Est tamen hìc advertendum, ut clariùs prædicta intelligantur, quod malitia non capitur hìc in sua generali acceptione, secundùm quam est quoddam genus omnium D vitiorum; sed capitur pro quadam particulari malitia qua quis, ut tactum est, bona spiritualia impugnat, in quantum ex ipsis contristatur. Similiter rancor non accipitur hìc, ut communiter accipitur, scilicet pro odio; sed pro quadam animi radicata indignatione, qua quis contra homines ipsum ad bona spiritualia inducentes movetur, in quantum scilicet illa bona spiritualia ipsum contristant.

Est

Est etiam notandum quod Isidorus aliam differentiam quam ut supra tactum est, ponit seu assignat inter tristiam & acediam: alias etiam ipsius tristitiæ & acediæ filias assignat: nam tristitiæ quatuor ponit esse filias, quæ sunt rancor, pusillanimitas, amaritudo, desperatio: acediæ verò septem ponit esse filias, quæ sunt otiositas, somnolentia, importunitas mentis, curiositas, verbositas, inquietudo, corporis instabilitas. Sed istæ filiæ sic per Isidorum assignatæ reducuntur & in effectu idem sunt cum illis, quas Gregorius assignat. Nam priùs Gregorius ponit rancorem esse filiam acediæ, quam & tristitiam nominat, & sic quoad hoc Isidorus cum eo concordat; similiter & respectu amaritudinis, quia est propriè quidam affectus rancoris. Quo verò ad pusillanimitatem Isidorus similiter cum Gregorio in effectu concordat, licet vario modo. Otiositas autem & somnolentia quas assignat Isidorus filias acediæ, comprehenduntur & reducuntur ad torporem circa præcepta, quam assignat Gregorius filiam acediæ: nam otiosus in bono spirituali præcepta prætermittit, somnolentus verò ea negligenter implet. Aliæ verò quinque filiæ quas assignat Isidorus ex acedia oriri, pertinent & reducuntur ad evagationem mentis circa illicita, quam ponit Gregorius filiam acediæ, quæ quidem evagatio secundùm quod in ipsa arce mentis residet volentis se importunè ad diversa diffundere, vocatur importunitas mentis: secundùm autem quod illa evagatio mentis pertinet ad vim cognitivam, dicitur curiositas; in quantum autem se vagando diffundit ad locutionem, dicitur verbositas; in quantum verò respicit vagationem corporis, per quam communiter indicatur vagitas mentis, hoc contingit dupliciter. Vel respectu corporis in eodem loco manentis, sed per varios & inordinatos membrorum motus se vagè & instabiliter agentis, & tunc est inquietudo corporis: vel respectu corporis se per diversa loca vagè agitantis seu discurrentis, & tunc est instabilitas, licet etiam instabilitas possit secundùm vagam & inconstantem mutabilitatem & variationem propositi accipi. Et sic patet quod Gregorius & Isidorus in effectu concordant.

Est tamen pro clariori dictorum intellectu advertendum, quod non omnis motus acediæ est peccatum, immò frequenter in viris Sanctis inveniuntur aliqui imperfecti motus acediæ. Motus enim acediæ quandoque est in sola sensualitate propter repugnantiam carnis ad spiritum, & tunc est solum peccatum veniale: quandoque verò pertingit usque ad rationem quæ consentit in fugam & horrorem & detestationem boni divini, carne omninò contra spiritum prævalente, & tunc acedia est peccatum mortale. Est etiam advertendum quod ubi in superioribus dictum est acediam esse tristitiam de bono spirituali, non est accipiendum bonum spirituale communiter, quia tunc acedia non haberet rationem specialis vitii, cum omne vitium refugiat spirituale bonum virtutis sibi oppositæ. Smiliter etiam in quantum acedia refugit bonum spirituale, prout est laboriosum vel molestum corpori, aut delectationis impeditivum, non destinguitur ab aliis vitiis carnalibus, quibus aliquis quietem & delectationem corporis quærit: sed propriè acedia, dum vitium speciale ponitur, prout hic, est tristitia mentalis de bono spirituali divino, vel in bonum divinum ordinato, ea sola ratione qua in bonum divinum ordinatur, cum consensu rationis in ipsius boni fuga, horrore & detestatione: nam mentem hominis adeò oportet bono divino de necessitate inhærere, ut non contristetur, fugiat, horreat seu detestetur ea quæ sibi propter Deum imminent facienda.

De vitio seu peccato Avaritiæ. Et quare dicitur Idolorum servitus.

NUNC transeundum est ad declarationem avaritiæ, quæ sic secundùm Tullium describitur: *Avaritia est immoderatus amor habendi.* Secundùm verò Bernardum sic describitur. *Avaritia est quarumlibet rerum insatiabilis & inhonesta cupido. Avaritia*, secundùm Apostolum dicitur, *idolorum servitus* Ephes. v. 5. quia avarus propriè in effectu & opere exhibet creaturæ, scilicet pecuniæ illud quod deberet Creatori, & præcipuè finem, spem & dilectionem: nam ibidem tanquam in eo unde sibi speciale auxilium proventurum credit, suam principaliter spem constituit, exinde in ardorem dilectionis transit. Et in hoc specialiter reprehenduntur avari, quia rei vilissimæ, scilicet pecuniæ quæ de terra venit & accipitur & propriè terra est, quam natura infimam ordinavit, tantum amorem suum exhibent & impendunt. Et hinc in *Ecclesiastico* x. 9. dicitur quod *Avaro nihil est scelestius.* Et hoc propter quatuor causas. Prima, quia vix est scelus seu vitium ad quod perpetrandum avaritia non inducat, ut sunt furta, homicidia, proditiones, perjuria, & cetera hujusmodi. Secunda, quia est contra Legem naturæ seu humanitatis qua quisque alteri tenetur facere quod sibi vellet fieri. Tertia, quia est contra Legem universalem in omnibus rebus existentem, per quam se dari & communicari volunt, immò quodammodo compellunt: avari verò eas captivas detinent ne communicari possint. Quarta, qui est contra Legem Divinam scriptam. Unde Luc. vi. *Estote misericordes sicut & Pater vester misericors est.*

Utrum autem liceat cuiquam thesauros condere. Notandum quod dupliciter thesaurizari potest. Uno modo ex affectu avaritiæ absque omni intentione necessitatis propriæ vel alienæ, & hoc modo thesaurizare est omnibus prohibitum. Alio modo thesaurizari potest ex providentia, & hoc iterum dupliciter. Uno modo vel consideratione necessitatis, & sic conceditur Parentibus sæcularibus, ob necessitatem filiorum educandorum vel filiarum conjugio tradendarum, non tamen ditandarum, sed debito servato modo juxta statum personæ. Alio modo ex consideratione publicæ utilitatis, utputa Regni defendendi, vel cultus Dei ampliandi, & sic concessum est Regibus & Dominis temporalibus thesaurizare. Personis verò Ecclesiasticis particularibus propriè nunquam thesaurizare licet, nec etiam pecuniam tenere intentione servandi. Unde Ambrosius *Aurum habet Ecclesia, non ut servet sed ut eroget.*

Ex prædictis patet quod duplex est amor pecuniæ & temporalium. Unus respectu necessitatis. Alius respectu superflui. Contra primum prohibet Dominus præfocantem sollicitudinem. Contra secundum prohibet thesaurizationem.

Avaritiæ autem per Gregorium xxxi. *Libro Moralium*, septem assignantur filiæ, quæ sunt, proditio, fraus, fallacia, perjurium, inquietudo, violentia, contra misericordiam obduratio. Quarum numerus sive sufficientia sic sumi potest. Avaritia, ut dictum est, est superfluus amor habendi divitias. Ista ergo superfluitas seu excessus aut est in ipsas divitias retinendo, & ex hoc oritur obduratio contra misericordiam, qua scilicet cor hominis misericordia non emollitur ut de divitiis suis subveniat miseris & indigentibus; aut iste excessus seu superabundantia est in accipiendo seu in acquirendo pecunias. Quod iterum potest considerari dupliciter: vel scilicet in quantum est in affectu vel in quantum est in opere seu effectu. Si primo modo, scilicet in quantum est in affectu, sic ex avaritia oritur inquietudo, in quantum scilicet avaritia ingerit homini nimiam sollicitudinem curasque superfluas: *Avarus enim*, ut dicitur Eccle. v. *non impletur pecunia.* Si secundo modo scilicet in quantum est in opere seu effectu, & hoc item dupliciter contingere potest: vel enim

enim ista immoderata & indebita acquisitione utitur quis vi, vel dolo. Si utatur vi, tunc est violentia: si utatur dolo, hoc iterum tripliciter fieri potest; vel enim fit ipse dolus in verbo, & siquidem verbum sit simplex tunc est fallacia, si autem ipsi verbo addatur confirmatio juramenti, tunc est perjurium: si autem committatur ipse dolus in opere, tunc vel erit quantùm ad res, & sic est fraus; vel erit quantùm ad personas & sic est proditio, ut patet de Juda qui per avaritiam prodidit Christum.

Isidorus autem novem ponit filias avaritiæ, quæ sunt mendacium, fraus, furtum, perjurium, turpis lucri appetitus, falsum testimonium, violentia, inhumanitas, rapacitas. Et sic apparet quod Isidorus tres ponit filias avaritiæ, quas etiam Gregorius ponit, & sex de quibus Gregorius nullam facit mentionem. Sed qui debitè considerat, istæ sex filiæ, quas sic assignat Isidorus reducuntur & comprehenduntur sub illis quas assignat Gregorius: nam mendacium & falsum testimonium quæ propriè non differunt ab invicem nisi sicut genus & species (etenim falsum testimonium nihil aliud est quam quædam specificatio mendacii) continentur sub fallacia, sicut furtum, quod est quædam specificatio fraudis, continetur sub fraude. Appetitus autem turpis lucri pertinet ad inquietudinem, & sub ea comprehenditur. Rapacitas autem cum sit species volentiæ, sub violentia continetur. Inhumanitas verò idem est propriè quod induratio contra misericordiam.

Et etiam notandum quod avaritia quæ propriè est immoderata cupido circa divitias & specialiter pecuniæ, ex eo quia per pecuniam omnia alia habentur & recuperantur, juxta quod dicitur, *pecuniæ obediunt omnia*, Eccle. x. 19. dupliciter potest considerari. Uno modo circa acceptionem & acquisitionem pecuniarum, in quantum scilicet aliquis pecuniam acquirit ultra debitum, aliena surripiendo vel indebitè retinendo. Et hoc modo opponitur avaritia justitiæ. Alio modo considerari potest prout importat immoderantiam circa interiores affectiones divitiarum, puta cum quis nimis amat vel desiderat divitias, aut nimis delectatur in eis, etiam si forsan non velit capere aut retinere aliena. Et hoc modo avaritia opponitur liberalitati quæ hujusmodi affectiones moderatur. Et licet uterque istorum modorum hìc accipitur, magis propriè tamen avaritia secundo modo accipitur.

Est etiam notandum quod Philosophus in *Ethicis* multa ponit genera hominum vitiosorum vitiis ad avaritiam spectantibus, quæ sub filiabus supra enumeratis non videntur comprehendi; videlicet parcos, tenaces, kimibiles, illiberales operationes operantes, de meretricio pastos, usurarios aleatores, mortuorum spoliatores, latrones. Sed circa hoc tam pro jam dictis quàm pro dicendis est advertendum, quod licet in communi usu loquendi idem reputetur aliquod peccatum esse filiam alicujus alterius vitii seu peccati & esse ejus speciem: est tamen magna differentia, ita quod aliud est peccatum habere filias, & aliud peccatum habere species; species enim alicujus peccati seu vitii capitalis oportet semper ad idem genus vitii pertinere, filias verò non, immò ad finem alicujus vitii possunt etiam peccata alterius generis ordinari & ex eo oriri: illa autem peccata quæ sic ex alio oriuntur & ad ipsum ordinantur secundùm appetitum finis, propriè dicuntur ejus filiæ, sicut gratia exempli in materia præsenti. Proditio & fallacia ponuntur & debitò filiæ avaritiæ, quia ex ipsa oriuntur, præcipuè secundùm appetitum finis: ut quando scilicet fit proditio vel fallacia ad pecunias & divitias acquirendas; & tamen proditio & fallacia per se consideratæ non sunt propriè species avaritiæ nec propriè ad genus avaritiæ pertinent. Ad propositum igitur revertendo illa quæ (ut tactum est) ponit Philosopus sunt magis species avaritiæ quam illiberalitatem vocat, quàm sint ejus filiæ; licet tamen aliqui eorum possint ad filias supra enumeratas reduci, ut sub ipsis effectualiter comprehendantur, utputa latrocinium sub fraude, parcitas & tenacitas sub obduratione contra misericordiam, etiam sic ad avaritiam pertinere videntur: potest enim aliquis illiberalis seu avarus dici ex eo quod deficit in dando. Et siquidem quia parum dat, vocatur parcus: si autem quia nihil dat, tunc dicitur tenax; si autem quia cum magna difficultate dat, tunc vocatur kimibilis quasi kimi venditor, quia scilicet de parvis magnam vim facit. A Quandoque etiam dicitur illiberalis vel avarus, quia excedit in accipiendo. Et hoc iterum dupliciter. Uno modo quia turpiter lucratur, vel scilicet vilia & servilia opera per illiberales operationes exercendo: vel quia de aliquibus vitiosis actibus lucratur, sicut de meretricio vel aliquo hujusmodi: vel quia lucratur de eo quod gratis deberet concedere, sicut usurarii: vel quia lucratur parum cum multo labore. Alio modo quia injustè lucratur, vel de vivis, vim inferendo, sicut latrones; vel mortuos spoliando; vel ab amicis per deceptionem auferendo, sicut aleatores. Et intellige hæc omnia juxta supra tacta, quando scilicet ex immoderato amore lucri fiunt seu procedunt. Et sic patet concordantia eorum quæ ponit Philosophus cum illis quæ ponit Gregorius.

De vitio seu peccato gulæ.

NUNC dicendum est de vitio gulæ. Quæ sic secundùm Augustinum describitur. Gula est immodera- B ta cibi aviditas. Vel sic. Gula est vorax edacitas, naturæ finibus non contenta. Et est advertendum quod gula non dicit seu denominat quemlibet appetitum edendi vel bibendi, sed solum inordinatum: quia ex eo inordinatus dicitur, quod recedit à debito ordine rationis. Nec vitium gulæ in substantia seu quantitate cibi propriè consistit, sed in concupiscentia non regulata ratione: & ideo si aliquis excedat in quantitate cibi, non propter concupiscentiam, sed quia illud sibi necessarium esse existimat, hoc non pertinet ad vitium gulæ, sed ad aliquam imperitiam. Sed tunc pertinet ad gulam quando aliquis propter concupiscentiam cibi delectabilis scienter excedit mensuram edendo. Et sic accipitur cibus etiam pro potu.

Notandum insuper quod Gregorius xxx. *Lib. Moral.* quinque esse species gulæ assignat sub his verbis: Sciendum est, quia quinque nos modis vitium gulæ tentat. C Aliquando namque indigentiæ tempora prævenit. Aliquando ordinem temporis sequitur, sed cibos lautiores quærit. Aliquando etiam quælibet sumenda præparari accuratiùs expetit. Aliquando autem & qualitati ciborum & tempori congruit, sed in ipsa quantitate sumendi mensuram refectionis excedit. Nonnunquam verò & abjectius est quod desiderat, & tamen ipso æstu immensi desiderii deteriùs peccat. Et continentur in hoc versu.

Præproperè, lautè, nimis, ardenter, studiosè.

Quarum specierum numerus & sufficientia sic sumi potest. Gula, ut dictum est, importat inordinatam concupiscentiam edendi. In esu autem duo considerantur, scilicet vel ipse cibus qui sumitur, vel ipsa ejus sumptio. Respectu primi, scilicet ipsius cibi qui sumitur, triplex potest concupiscentiæ inordinatio contingere, D scilicet vel quantùm ad substantiam cibi, vel quantùm ad qualitatem cibi, vel quantùm ad quantitatem cibi. Quantùm ad primum contingit concupiscentiæ inordinatio quando scilicet quæruntur cibi lauti, idest pretiosi: & tunc est secunda species supra posita, denotata per illud verbum versus supra positi, *lautè*. Quantùm ad secundum contingit concupiscentiæ deordinatio, quando scilicet cibi nimis accuratè & delitiosè præparantur: & tunc est tertia species supra assignata, denotata per illud verbum *studiosè* versus prænominati. Quantùm ad tertium contingit concupiscentiæ deordinatio, quando exceditur in nimis comedendo. Et tunc est quarta species supra assignata, denotata per hoc verbum, *nimis*. Respectu secundi membri principalis, scilicet ipsius sumptionis cibi, potest dupliciter concupiscentiæ inordinatio contingere, scilicet vel quantùm ad tempus ipsius sumptionis, vel quantùm ad modum. Quantùm ad primum contingit concupiscentiæ inordina-

dinatio, quando prævenitur debitum tempus seu debita hora comedendi. Et tunc est prima species supra assignata, denotata per hoc verbum *præpropere*. Quantùm ad secundum contingit concupiscentiæ inordinatio, scilicet quando non servatur debitus modus in edendo. Et tunc est quinta species supra assignata, denotata per hoc verbnm, *ardenter*.

Notandum insuper quod Gregorius XXXI. *Lib. Mor.* quinque assignat gulæ filias, quæ sunt inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam: quarum numerus seu sufficientia sic sumi potest. Gula, ut supra tactum est, propriè consistit circa immoderatam concupiscentiam quæ est in cibis & potibus: & ideo illa vitia quæ ex immoderata concupiscentia cibi & potus consequuntur seu oriuntur computantur inter filias gulæ. Ipsa autem vitia quæ ex immoderata concupiscentia cibi & potus insurgunt seu oriuntur, considerantur dupliciter. Vel insurgunt ex parte animæ, vel insurgunt ex parte corporis: si insurgunt ex parte animæ, hoc potest contingere quadrupliciter, scilicet vel primò quantùm ad rationem, cujus acies ex cibi & potus immoderantia hebetatur; propter scilicet ciborum & vini fumositates caput hominis perturbantes; & hinc ponitur filia gulæ hebetudo sensus, seu mentis circa intelligentiam, sicut & è contrario abstinentia confert ad sapientiæ perceptionem: vel secundò quantùm ad vim appetitivam, qui sopito gubernaculo rationis per ipsam cibi & potus immoderantiam multipliciter deordinatur, & in varias transit dissolutiones; & hinc ponitur inepta lætitia filia gulæ, ex eo quod omnes inordinatæ passiones ad lætitiam & tristitiam inordinantur, ut dicit Philosophus: vel tertiò quantum ad inordinationem discretionis circa debitum modum proferendi verba, qui frequentissimè ex immoderantia cibi & potus contingit; & hinc multiloquium assignatur filia gulæ. Juxta quod dicit Gregorius in Pastorali. *Nisi gula deditos immoderata loquacitas comitaretur, dives ille qui epulatus quotidie splendidè dicitur, in lingua graviùs non arderet*: vel quartò quantum ad inordinationem discretionis circa gestus & actus exteriores: nam sicut ex immoderantia cibi & potus provenit in ipsa discretione defectus & inordinatio circa debitam & moderatam prolationem verborum, ita similiter provenit in ipsa discretione deordinatio circa exteriores gestus; & hinc ponitur scurrilitas filia gulæ, quæ est quædam vana jocularitas quærens homines ad risum & complacentiam commovere, ex defectu discretionis seu debitæ provisionis proveniens. Quantùm autem, respectu secundi membri principalis, de vitiis scilicet quæ ex parte corporis insurgunt, certum est quod ex ipsa inordinata & immoderata cibi & potus concupiscentia & sumptione, frequentissimè sequuntur emissiones inhonestæ superfluitatum: & hinc est quod immunditia ponitur filia Gulæ.

Est tamen advertendum quod si ex ipsa superfluitate cibi & potus contingat emissio superfluitatum per modum seminis naturalis, tunc immunditia licet etiam ad gulam pertinere videatur, in quantum scilicet materiam ministrat, magis propriè tamen pertinet ad peccatum libidinis seu luxuriæ. Si contingat emissio aliarum superfluitatum, ut vomitus & vacuationum fœtidarum & hujusmodi, tunc immunditia propriè ad vitium gulæ pertinet.

Est etiam advertendum quod hebetudo quantum ad eligibilia non est propriè filia gulæ, immò communiter in omni peccato invenitur. Sed hebetudo sensus circa speculabilia, maximè etiam ex gula provenit propter rationem jam tactam, scilicet propter fumositates caput perturbantes, & tunc propriè est filia gulæ. Similiter lætitia quæ est de actu peccati, juxta illud Proverb. II. 14. *Lætantur cum male fecerint*, & quæ propriè ex habitu peccandi procedit, non est filia gulæ, immò ad omne peccatum consequi potest. Sed illa lætitia quæ est vaga, dissoluta & incomposita, quod importat hoc verbum inepta, maximè oritur ex inordinata sumptione cibi & potus, & isto modo assignatur filia gulæ. Similiter est quædam scurrilitas quæ ex voluntate, seu appetitu luxuriæ, & quædam quæ ex appetitu inordinato lucri seu pecuniæ procedit; dum scilicet quæritur persona per quamdam vanam jocularitatem ad risum seu complacentiam promoveri, vel ad ipsam faciliùs ad actum venereum promovendum, vel ad aliquid commodi ab ea consequendum, & istis modis magis pertinent ad illa vitia, scilicet luxuriæ & avaritiæ. Sed illa scurrilitas quæ ex A immoderata concupiscentia & sumptione cibi & potus procedit juxta modum satis supra declaratum, est propriè filia gulæ.

De vitio seu peccato Luxuriæ.

SEQUITUR de luxuria, quæ sic describitur. Luxuria est ex immundis desideriis veniens lubrica mentis & carnis prostitutio. Secundùm alios sic describitur. Luxuria est libidinosæ voluptatis appetitus. Et intelligas hunc libidinosum appetitum quando est ex consensu rationis, sic scilicet quod ipsa ratio cum cohibere posset, non tamen cohibet; quia tunc talis libidinosus appetitus est peccatum mortale. Adhuc secundùm alios sic describitur. Luxuria est corporis incontinentia, ex pruritu carnis originem contrahens.

Notandum quod, sicut sæpe supra dictum est, magna differentia est ponere aliquod peccatum filiam alterius vitii & illud ponere ejus speciem. Quod manifestè apparet in isto vitio seu peccato luxuriæ: nam ut B clarè videbitur, istud vitium aliqua habet peccata tanquam filias, ea scilicet quæ ex eo oriuntur, præcipuè secundùm appetitum finis, licet tamen secundùm proprium esse ad ipsum vitium non pertineant. Habet etiam species quæ propriè ad ipsum luxuriæ vitium pertinent.

Octo igitur, secundùm Gregorium XXXI. *Lib. Moral.* assignantur filiæ luxuriæ, scilicet cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror seu desperatio futuri. Quarum numerus seu sufficientia sic sumi potest. Certum est quod secundùm doctrinam Philosophorum quando inferiores animæ vires seu potentiæ ad sua vehementer objecta afficiuntur & se applicant, consequens est quod superiores animæ vires in suis actibus impediantur seu deordinentur: maximè C autem per vitium luxuriæ appetitus concupiscibilis, qui est una de inferioribus potentiis animæ, vehementer afficitur, & intendit suo objecto scilicet delectabili venereo, propter suam scilicet vehementiam delectationis. Ex quo consequens est & communiter contingit quod maximè per concupiscentiam luxuriæ ratio & voluntas quæ sunt superiores animæ vires, impediuntur seu deordinantur.

Rationis autem quatuor sunt actus in agendis. Primus quidem actus est simplex intelligentia, quo ipsa ratio aliquem finem apprehendit ut bonum. Et hic actus per concupiscentiam luxuriæ impeditur. juxta illud Dan. XIII. 56. *Species decepit te.* Et illud, *Concupiscentia convertit cor tuum.* Et quantùm ad hoc ponitur filia luxuriæ cæcitas mentis. Secundus actus rationis est consilium de his quæ sunt agenda propter finem, & hic etiam actus per concupiscentiam luxuriæ D impeditur. Et quantùm ad hoc ponitur filia luxuriæ præcipitatio, quæ prout hìc sumitur, importat substractionem consilii, quando scilicet homo ex luxuriæ vehementia per impetum voluptatis seu passionis, non adhibito consilio, ad aliquid agendum subitò & inordinatè fertur. Tertius actus rationis est rectum judicium de agendis. Et hic etiam actus per concupiscentiam luxuriæ impeditur. Ut de senibus luxuriosis dicitur Dan. XIII. 9. *Everterunt sensum suum ut non recordarentur judiciorum justorum.* Et quantùm ad hoc ponitur filia luxuriæ inconsideratio, quæ prout hìc sumitur importat defectum recti judicii, quando scilicet homo ex luxuriæ vehementia in rectè judicando deficit; quia scilicet

licet contemnit vel negligit attendere ea ex quibus rectum judicium procedit. Quartus autem rationis actus est præceptum quod ipsa ratio facit de aliquid agendo. Et iste etiam actus per concupiscentiam luxuriæ impeditur, in quantum scilicet homo ex impetu ipsius concupiscentiæ impeditur ne exequatur illud quod ratio decernit esse faciendum. Et secundùm hoc ponitur filia luxuriæ inconstantia, quæ prout hìc sumitur, A importat recessum à bono proposito & cœpto propter aliquid quod inordinatè placet; quod maximè causat vehementia luxuriæ, per quam homo trahitur ad repudiandum quod rectè priùs acceptaverat, quod ex sui defectu venit; quia cum posset illi impulsui luxuriæ resistere, non resistit, eò scilicet quod non tenet firmiter & constanter se in bono cœpto. Ita quod cæcitas mentis est defectus circa actum simplicis intelligentiæ. Præcipitatio est defectus circa actum consilii. Inconsideratio est defectus circa actum judicii. Inconstantia est defectus circa actum præcepti: qui sunt quatuor principales actus rationis circa agibilia, qui maximè per delectationem quæ in actibus venereis est, quæ totam animam absorbet, impediuntur, ut tactum est.

Ex parte autem voluntatis duplex est actus quem per concupiscentiam luxuriæ deordinari contingit. Unus est appetitus finis. Et quantum ad hujus actus deordinationem ponitur filia luxuriæ amor sui, in quantum scilicet homo pro venerea delectatione quam in- B ordinatè appetit & concupiscit, seipsum inordinatè diligit, & ea quæ ad dictam delectationem seu complacentiam conferunt, sibi procurat & quærit. Et per oppositum respectu ipsiusmet actus voluntatis ponitur alia filia luxuriæ, odium Dei. Quod importat quamdam Dei ac suorum Mandatorum in animo displicentiam & contemptum, in quantum scilicet ipsam delectationem veneream sic concupitam non prohibet. Alius actus voluntatis est appetitus eorum quæ sunt ad finem. Et quantùm ad hujus actus deordinationem ponitur filia luxuriæ affectus præsentis sæculi; in quantum scilicet homo pro ampliùs & diutiùs venerea delectatione ad sui libitum fruendo, præsens sæculum & ea quæ in eo sunt, inordinatè diligit & in eis complacet. Et per oppositum respectu istiusmet actus ponitur alia filia luxuriæ desperatio futuri sæculi, quia dum homo ut præfertur nimis delectationibus carnalibus detinetur, non curat ad delectationes spirituales quæ propriè ad gaudia futuri sæculi pertinent & disponunt pervenire, immò eas fastidit & quodammodo desperat.

Est tamen advertendum quod Isidorus quatuor po- C nit ex ipsa luxuria orientia, quæ sub prædictis filiabus comprehendi non videntur, scilicet turpiloquia, verba scurrilia, verba ludicra, stultiloquia. Sed qui benè considerat, prædicta quatuor sub præcedentibus continentur: nam ipsa quatuor quæ sic ponit Isidorus non sunt nisi quidam inordinati actus exteriores & adhuc præcipuè ad locutionem pertinentes, quæ ex ipsa vi concupiscentiæ luxuriæ oriuntur. In qua locutione potest ex vi ipsius luxuriæ aliquid inordinatum esse quadrupliciter; vel propter materiam, vel ex parte causæ, vel quantùm ad finem, vel quantùm ad sententiam. Si quantùm ad materiam, tunc sunt turpiloquia: cum enim ex abundantia cordis os loquitur, luxuriosus cujus cor turpibus concupiscentiis est plenum, de facili in turpia verba prorumpit, quod propriè pertinet ad inconsiderationem. Ex parte verò causæ: cum (ut dictum est) concupiscentia luxuriæ maximè inconsiderationem & præcipitationem causet, consequens est quod prorumpere faciat in verba leviter & inconsideratè dicta, quæ scurrilia dicuntur. Quantùm verò ad finem: cum luxuriosus ex vi suæ concupiscentiæ delectationem quærat, consequens est D ut verba sua ad immoderatam delectationem ordinet, & sic in verba ludicra prorumpat, quæ propriè jocularia dicuntur ad luxuriam maximè pertinentia, quod propriè ad amorem sui pertinere videtur. Quantùm verò ad sententiam seu gravitatem verborum; cum concupiscentia luxuriæ inconsiderationem mentis quamdam causet, consequens est quod rectum judicium debitamque gravitatem in verbis impediat, ex quo fit ut luxuriosus in stultiloquia prorumpat, utpotè verbis suis delectationes quas appetit, quibuscumque aliis rebus præferens seu præponens. Est etiam advertendum quod amor sui non capitur hìc sub quadam sui generalitate quantùm scilicet se extendit ad quæcumque bona quæ aliquis sibi ipsi appetit, quia isto respectu amor sui non est filia luxuriæ, immo commune omnium peccatorum principium: sed capitur hìc quadam speciali acceptione seu consideratione, in quantum scilicet aliquis propter suam complacentiam & delectationem inordinatè appetit & concupiscit delectabilia carnis venerea, & tunc est propriè filia luxuriæ. Similiter inconstantia in quantum opponitur constantiæ, prout ipsa constantia est pars fortitudinis & circa ardua & terribilia versatur, non est filia luxuriæ; sed hìc ponitur filia luxuriæ in quantum opponitur constantiæ, quæ habetur in abstinendo à delectationibus venereis, quæ propriè pertinet ad continentiam, quæ ponitur pars temperantiæ. Et isto modo inconstantia ponitur propriè filia luxuriæ, in quantum scilicet ex ipsius luxuriæ concupiscentia oritur & causatur, & per eam emollitur cor hominis & effeminatum redditur. Et ita de aliis supra tactis suo modo: quia, ut supra tactum est, non refert aliqua vitia ex uno vitio oriri secundùm appetitum finis & eadem vitia ad genera aliorum vitiorum pertinere.

Species vero luxuriæ communiter assignantur septem, scilicet simplex fornicatio, stuprum, adulterium, sacrilegium, incestus, raptus, peccatum contra naturam: quarum specierum numerus seu sufficientia sic sumi potest. Peccatum luxuriæ in hoc propriè consistit quod aliquis delectatione venerea utitur non secundùm rectam rationem & debitum modum; quod quidem contingere potest dupliciter. Uno modo respectu materiæ in qua hujusmodi delectatio quæritur, seu sumitur, prout in ea est deordinatio: alio modo respectu ipsius materiæ, quæ licet debita existat, non servantur tamen circa eam debitæ circumstantiæ. Et quia circumstantia de se, in quantum scilicet circumstantia nomen dat seu imponit speciem actui morali, ideo ejus species non communiter à circumstantiis, immò sumitur ab objecto quod est materia actus; ideo oportuit species luxuriæ assignari à parte materiæ seu objecti, in habendo scilicet respectum ad ipsam materiam vel objectum: circa ipsam autem materiam in qua exercetur actus venereus, potest aliquid non convenire rectæ rationi dupliciter. Primo modo respectu proprii esse ipsius materiæ, scilicet recipientis, quæ propriè in actu venereo pro materia reputatur & recipitur, in quantum scilicet ipsa materia repugnantiam habet ad finem debitum, propter quem actus venereus exerceri debet, eò scilicet quod per eam impeditur generatio prolis, & tunc est una specierum luxuriæ, scilicet peccatum contra naturam, quod hìc accipitur seu sumitur pro omni actu venereo, ex quo non potest generatio humana sequi: vel in quantum ipsa materia repugnantiam habet ad debitam educationem, directionem & promotionem prolis jam natæ, in quantum scilicet per eam impeditur debitus ordo educationis, directionis & promotionis ipsius prolis susceptæ, & tunc est alia species luxuriæ scilicet simplex fornicatio. Secundo modo in quantum ipsa materia in qua exercetur actus venereus, potest esse non conveniens rectæ rationi, non quidem ex esse sui seu de directo; sed per quemdam indirectum respectum eorum quæ circa ipsam materiam fiunt tam in se quam in comparatione ad alios homines. Et hoc iterum potest contingere dupliciter; quia aut pro dicto actu venereo committendo & exercendo infertur violentia, & tunc est alia species luxuriæ scilicet raptus; aut pro dicto actu venereo committendo & exercendo non infertur violentia. Et hoc iterum contingere potest dupliciter. Primo quidem modo ex parte ipsius materiæ, sci-

scilicet feminæ cui aliquis commiscetur; quia scilicet non servatur ei debitus & congruus honor, & tunc est alia species luxuriæ, scilicet incestus, qui est concubitus cum consanguinea vel affine, in quo ipsius feminæ tam respectu sui suæque famæ ac nominis, quàm in respectu suæ progeniei honorificentia quamplurimùm læditur: ex quo apparet quod gravius sit peccatum incestus quam peccatum simplicis fornicationis. Alio modo ex parte illius in cujus potestate est ipsa femina. Et hoc iterum tripliciter. Vel respectu feminæ quæ est in potestate Viri, & tunc est alia species luxuriæ scilicet adulterium, quod committitur cum violatione matrimonii; aut respectu feminæ quæ est in potestate Patris, & tunc est stuprum, quod committitur in deflorando & corrumpendo virginem quæ communiter in potestate Patris consistit; aut respectu feminæ in speciali (ut ita dicatur) Dei potestate existentis, tanquam scilicet suo cultui & servitio specialiter deputatæ & dedicatæ, & tunc est alia species luxuriæ, scilicet sacrilegium, quod committitur cum persona religiosa & Deo sacrata.

A

Et advertatur hic pro intellectu præmissorum quod species supradictæ luxuriæ magis ex parte feminæ diversificari ponuntur, quam ex parte viri, quia in actu venereo femina se habet quasi patiens & per modum materiæ, vir autem per modum agentis. Et, ut supra tactum est, species luxuriæ non possunt convenienter nisi secundùm differentiam seu diversitatem materiæ assignari, quia diversitas materiæ habet annexam diversitatem formalem objecti, quæ accipitur secundùm diversos modos repugnantiæ ad rectam rationem, debitumque ordinem & modum qui in actibus venereis commmittuntur. Est etiam advertendum quod licet in suprascripta specierum luxuriæ assignatione meretricium non transiens in graviorem speciem, intelligatur sub simplici fornicatione comprehensum: aliqui tamen inter ipsa duo realem differentiam assignant: dicentes fornicationem simplicem esse soluti cum soluta, quodammodo sibi invicem determinatè associatis & appropriatis: meretricium verò dupliciter fieri dicunt. Uno modo per vagam libidinem hinc inde cum diversis, nunc cum ista, nunc cum alia peccando: alio modo cum publicè venali concumbendo. Est etiam advertendum quod aliqui non ponunt sacrilegium de per se propriam speciem luxuriæ, quia ut dicunt, non propriè de per se pertinet ad luxuriam, secundùm seipsam; sed solum posset poni ejus species inquantum ordinaretur ad finem ipsius: sed nec adhuc ponunt tunc ipsum sacrilegium speciem determinatam luxuriæ; quia ut dicunt potest concurrere cum diversis aliarum specierum luxuriæ supra tactarum, ut gratia exempli. Si quis abutatur persona sibi secundùm spiritualem cognationem conjuncta, committit sacrilegium per modum incestus, seu quemdam spiritualem incestum: si autem abutatur Deo sacrata, tunc eo respectu quod est sponsa Christi committit sacrilegium per modum adulterii, seu quoddam spirituale adulterium. Eo verò respectu quod est sub spiritualis Patris cura & potestate, committit sacrilegium per modum stupri, seu quoddam spirituale stuprum: & si violentiam inferatur, committitur sacrilegium per modum raptus, seu quidam spiritualis raptus, qui gravissimè etiam in solo conatu per Leges civiles punitur. Communior tamen usus & opinio habet quod sacrilegium ponitur determinata species luxuriæ & committitur ut supra declaratum est.

B

C

Est etiam advertendum quod peccati contra naturam quatuor communiter species seu modi assignantur. Primus est, quando absque omni concubitu causa delectationis venereæ pollutio procuratur, & vocatur propriè mollities, pertinetque ad peccatum immunditiæ venereæ seu lubricosæ. Secundus modus est, si fiat per concubitum ad rem non ejusdem speciei, & vocatur propriè bestialitas. Tertius modus est, si fiat concubitus ad rem ejusdem speciei, sed non ad debitum sexum, utputa masculi ad masculum, vel feminæ ad feminam. Et vocatur propriè peccatum sodomiticum. Quartus modus est, si fiat concubitus ad rem ejusdem speciei & debiti sexus; sed non fiat in debito instrumento, vel aliàs fit monstruosa quædam deordinatio & vilitas in modis concumbendi.

D

Est etiam advertendum quod concubitus conjugalis secundùm aliquas circumstantias potest fieri cum peccato vel mortali vel veniali. Et communiter dicti concubitus assignatur triplex modus scilicet licitus, fragilis, impetuosus. Licitus iterum fit tripliciter, vel scilicet causa prolis suscipiendæ ad honorem Dei & cultum; vel causa reddendi debitum dum exigitur; vel causa fornicationis vitandæ, non quidem in se, sed in conjuge. Primus est pietatis, secundus est justitiæ, tertius est cautelæ, & in his nullum dicitur esse peccatum. Fragilis est quando fit causa delectationis. Et tunc distinguitur, quia si amor illius delectationis sit ita fervens & præponatur Deo, tunc est deccatum mortale. Si verò non præponatur Deo, tunc est peccatum veniale. Quinque modis fit concubitus impetuosus. Impetuosus est qui ex sola libidine proveniens, metas rationis & honestatis transcendit, quod fit quinque modis. Primo modo per quasdam meretricias blanditias ad magis exsaturandam libidinem. Secundo modo quando fit contra naturalem modum. Tertio modo quando fit tempore prohibito, ut magnarum Solemnitatum Ecclesiæ & Vigiliarum. Quarto modo quando fit in loco prohibito, utputa Ecclesia vel Cœmeterio. Quinto modo cum ad prægnantem partui vicinam, vel ad eam quæ menstruosa est, acceditur.

Quomodo ex speciebus & filiabus septem vitiorum capitalium, alia etiam peccata oriantur.

Generaliter autem circa prædictas tam filiarum quam specierum omnium supradictorum septem vitiorum seu peccatorum capitalium assignationes & declarationes notandum est, quod licet cuilibet prædictorum vitiorum non sint assignatæ nisi filiæ & species supradictæ declaratæ; quod non aliter fieri debuit; quia, ut sæpe supra tactum est, nulli vitio capitali debent peccata alia quæcumque pro filiabus aut speciebus assignari, nisi illa quæ secundùm præcipuè appetitum finis cujuslibet vitii primariè & magis principaliter ex eo oriuntur & descendunt; vel quæ ad ipsius vitii genus & naturam magis immediatè pertinent: sunt tamen alia peccata ex ipsis septem vitiis capitalibus orientia, & ad genus seu naturam eorum pertinentia, quæ tamen nec tanquam filiæ, nec tanquam species eorum assignantur, ex eo quia non primariè & principaliter ex eis oriuntur & descendunt, nec ita immediatè ad ea pertinent, immò magis propriè ex ipsis filiabus vel speciebus suis oriuntur & descendunt, ita quod propriè loquendo possunt magis dici ramusculi orientes ex principalibus ramis ipsorum septem vitiorum capitalium; ex quibus iterum ramusculis qui debitè exquirere voluerit, reperiret virgulas alias seu folia iterum nascentia, secundùm qualitates personarum circumstantiasque modorum faciendi, nec non temporum ac locorum, ut gratia exempli. Ex inobedientia, quæ ponitur prima filia inanis gloriæ, nascitur seu procedit rebellio. Ex jactantia, quæ ponitur alia ipsius inanis gloriæ filia, nascitur seu procedit fastus & pompositas tam gestuum quàm vestium, quàm hujusmodi plurium. Ex discordia, quæ ponitur alia filia inanis gloriæ, nascitur seu procedit schisma & bellum, iterum ex bello homicidia, mutilationes, incarcerationes, & hujusmodi. Ex contumelia, quæ ponitur filia iræ, nascitur seu procedit subsannatio, derisio, maledictio, & sic de pluribus aliis quæ promptum est reperire; quæ omnia cognoscere non est inutile, immò expediens permaximè

curam animarum habentibus ac aliis viris litteratis; ut magis perpendere & attendere possint proprias radices & origines singulorum peccatorum, & sic facilius & melius tam in respectu sui quàm respectu eorum quos in Confessionibus audiunt possint tentationibus resistere, radicesque earum principales ac fomenta evellere & dissipare. Et ista hic ad longum declare non patitur intenta hujus Tractaculi compendiosa brevitas. Qui verò ampliora ac magis particularia videre voluerit, recurrat (ut jam supra tactum est) ad Secundam secundæ Beati Thome nec non ad illam Summam notabilem *de vitiis* quæ à nonnullis *Summa Legis* nuncupantur.

Quod non semper vitia seu peccata capitalia, eorumque filiæ & species peccata mortalia existunt.

EST tamen circa supradictam septem peccatorum seu vitiorum capitalium declarationem advertendum, quod licet ipsa septem vitia capitalia cum suis filiabus & speciebus supra etiam specificatis pro peccatis mortalibus assignentur, & frequentiùs in naturam & actum peccati mortalis transeant: non tamen semper peccata mortalia existunt, immò nonnunquam secundùm aliquas circumstantias & qualitates committi possunt, quod non nisi peccata venialia sunt. Et licet per nonnullos istud amplè declaratum sit, & specialiter benè, diffusè & eleganter per Beatum Thomam Secunda secundæ suæ Summæ, ex qua multa in hoc octavo Tractatulo dictorum sumpta sunt, ac etiam benè & succinctè in quodam solemni Tractatu, qui *Compendium Theologiæ* nuncupatur, cujus initium veritatis Theologiæ sublimitas, ad quos, attenta brevitate hujus dicti Tractatuli, rationabiliter veniebat facienda remissio: tamen quia non omnes libros habent, interdumque non facile ab aliquibus reperiuntur; ne omninò istud quod poterit conscientias plurimorum à multiplicibus scrupulis relevare, hìc indeterminatum præteriretur; expediens visum est ac congruum hìc aliquo modo explicare & pro majori parte dicendorum juxta effectum eorum quæ circa hoc in supradicto *Compendio Theologiæ* ponuntur. Et qui in simili (ut supra dictum est) ampliora & specialiora videre voluerit, ad alios Doctores specialiter ad ipsam Secundam secundæ Beati Thomæ recurrat.

QUANDO SUPERBIA *Sit peccatum Mortale.*

PROCEDENDO igitur juxta ordinem cœptum hujus Tractatuli secundùm quem insequendo Beatum Gregorium fit distinctio inter superbiam & vanam gloriam; est sciendum quod superbia prout accipitur hic & ponitur Regina & Mater omnium vitiorum cum suis quatuor speciebus, quas etiam, ut supra tactum est, ponit Gregorius, est de suo genere peccatum mortale; quia est inordinatus & perversus appetitus propriæ excellentiæ, sibi indebitè attribuens quæ non habet, vel alio modo & intentione quàm habeat. Quæ omnia tamen intelligenda sunt, quando ex deliberato judicio seu consensu rationis procedunt.

Quando vana gloria sit peccatum mortale.

VANA gloria ex suo genere est veniale peccatum, quia genus operis, scilicet mortale sumitur ex objecto. Vanum autem secundùm se, non est objectum mortalis peccati, sed venialis. Unde cum vana laus sit hujus peccati objectum, patet, quod non semper vana gloria est mortale peccatum; sed aliis respectibus est vana gloria mortale peccatum, quod dupliciter contingere potest. Uno modo ratione finis propter quem laus ipsa appetitur; opus namque tale est quale est illud propter quod appetitur: alio modo ratione operis in se in quo ipsa laus quæritur.

Circa primum modum advertendum est quod quadruplici fine laus appeti potest. Primò, ad vitandum malum infamiæ, quod potest homo per suspicionem vel detractionem aliorum aut aliàs incurrere, sicut A Samuel se laudavit. I. *Reg.* XII. Secundò, propter utilitatem aliquam spiritualem, ut esset gloria Dei vel ædificatio proximorum, sicut Paulus se commendavit. Tertiò, propter lucrum avaritiæ, vel aliquem alium finem seu actum peccati mortalis sicut Pharisæi qui devorabant domos viduarum, simulantes longam orationem, ut habetur *Matth.* XXIV. Quartò, propter aliquem finem seu actum venialis peccati, sicut quando quis laudari appetit, eò quod vanè in laude delectatur. Primum est providentiæ, secundum est charitatis, tertium est mortale peccatum; Et idem intelligendum est de omni opere & actu cujus finis qui principaliter intenditur, est mortale peccatum; quartum est veniale, si illa delectatio quæ in laude habetur, sit venialis.

Circa secundum modum, ratione scilicet operis propter quod ipsa laus quæritur, est advertendum, quia tria sunt genera operum per quæ laus ipsa quæri potest: B vel enim sunt opera illicita, vel sunt opera virtuosa, vel sunt opera indifferentia. Si per prima opera scilicet illicita quæritur laus, tunc vana gloria est tale peccatum, quale est illud opus illicitum per quod quæritur: nam si illud opus illicitum sit mortale, tunc vana gloria erit mortalis, si sit veniale, tunc vana gloria erit venialis. Si quæratur laus per secunda opera, scilicet virtuosa, hoc iterum potest contingere dupliciter: quia vel appetitus laudis adjungitur seu supervenit operi virtuoso tanquam incidens & non principaliter intentus, sicut sæpe in cantu & aliquando, immò frequenter in prædicatione, aliisque sanctis operibus, & tunc vana gloria non est nisi peccatum veniale: vel ipsa laus est finis principaliter intentus in opere virtuoso, ipsique actui virtuoso præstitus, ita quod illud opus virtuosum operans ibi constituit finem ultimum sui operis, & sic est vana gloria peccatum mortale, quia tunc inhæret ei ut fini ultimo.

Circa quod adhuc advertendum est quod majus C est peccatum gloriari de bonis spiritualibus, quam de bonis temporalibus: quia bona spiritualia minùs habent motiuum vanitatis & vanæ delectationis, eò quod minùs apparent ab extra quam temporalia. Si quæratur laus per tertia opera, scilicet indifferentia, ut est habere divitias vel vestes pretiosas; tunc si illa opera ulteriùs non pregrediantur in deterius nisi in solam laudem habendam, vana gloria non erit nisi veniale peccatum: si autem talia opera ultra in deterius progrediantur, de seque ordinata ut sint occasio mortalis peccati, utputa quando mulier ornatu meretricio ad alliciendos homines animasque capiendas se præparat; vel sint illa opera de se indifferentia ex prohibitione superioris effecta illicita, ut torneamenta & hujusmodi, & tunc vana gloria est peccatum mortale.

Quando invidia sit peccatum mortale, & quando non.

INvidia ex suo genere est peccatum mortale: cum enim invidia (prout in superioribus dictum est) sit dolor de felicitate seu bono alterius, gaudiumque de malo alieno, clarum est quod directè contrariatur charitati, ut I. *Cor.* XIII. Charitati autem nihil est D contrarium quod non sit peccatum mortale.

Est tamen advertendum quod interdùm illud peccatum quod ex suo genere est mortale, potest secundùm aliquas sui qualitates solùm esse veniale, utputa quando in solo primo motu consistit: vel propter aliquam aliam intentionem extra suam rationem trahitur. Pro quo sciendum est quod quadrupliciter potest dolor de alieno bono homini accidere.

Pri-

Primo modo prout est primò primus motus ex natura proveniens; qui interdum etiam ex ipsius naturæ corruptione in aliquibus plùs & frequentiùs provenit: sunt enim aliqui ex corruptione inordinatæ naturæ magis proni ad motus invidiæ, quam alii, ut in simili est videre inter diversos canes; & iste dolor seu motus invidiæ nullo modo est peccatum, quia tales motus primò primi, non sunt in potestate nostra. Et A ita intelligendum est respectu quorumcumque aliorum vitiorum seu peccatorum de omnibus primò primis motibus naturalibus ubi tamen delectatio seu consensus non se adjunxerit; quia tunc posset in peccatum vel veniale vel mortale transire.

Secundo modo, potest ille dolor seu tristitia de bono alieno esse secundò primus motus, quando scilicet fit in sensualitate, sine tamen completa deliberatione, etiam si tali dolore seu passione afficitur; quod propriè contingit quando ille secundò primus motus non ita citò ab initio removetur sicut posset; removetur tamen ante plenum consensum, immo quodammodo displicere incipit, & tunc invidia non est nisi veniale peccatum: & ita (quod bene advertatur) intelligendum est etiam generaliter in omnibus aliis vitiis seu peccatis. Qui autem dicantur primò primi motus, & secundò primi motus, declarabitur aliqualiter infra, ubi de peccato veniali agetur.

Tertiò potest ille dolor seu illa passio in animo accidere, quod nihilominus propter aliquam aliam intentionem trahitur extra suam propriam rationem, suamque propriam naturam; utputa quando dolor ille seu tristitia de alieno bono consurgit alicui ex bona ratione seu causa, sicut quando aliquis de bono seu prosperitate alterius dolet, ut quia efficitur potens, vel aliàs quia illud videt in alterius detrimentum & præjudicium redundare, vel scilicet animæ propriemet illius qui illud bonum habet, vel Reipublicæ, vel aliquarum bonarum personarum quæ affligi non merentur Et talis dolor seu motus bonus est, nec peccatum est, cum majus bonum magis sit appetendum.

Quarto modo, potest ille dolor seu tristitia de bono alterius accidere & haberi ex certa scientia consensuque deliberato voluntatis & sine justa ac rationabili causa; & isto modo invidia est semper peccatum mortale.

Et per ista potest etiam clarè videri quando detractio est peccatum mortale vel veniale: nam si malum de aliquo dicatur ad bonum finem, pro impediendo scilicet quod malum alteri faciat vel pro sua C correctione vel ratione officii quod incumbit, vel perhibendo testimonium veritati, vel hujusmodi, & tunc detractio non est peccatum, dum tamen perversa voluntas ex deliberato proposito non se adjungit. Si vero dicatur malum de alio ex quadam solum levitate loquendi sicut sæpe contingit, & malum quod dicitur non vergat in magnum damnum seu præjudicium illius de quo dicitur aut suæ famæ, & tunc detractio est peccatum veniale. Posset tamen illud damnum seu præjudicium tam grave esse quod illa levitas loquendi non excusaret, quia unusquisque, maximè in talibus gravibus & respectu aliorum, debet ponere custodiam ori suo.

Quando Ira sit peccatum mortale & quando non.

IRA ex suo genere est peccatum mortale. Quia juxta superius ubi de ira actum est, ira est immoderatus animi motus concitans ad pœnam provocanti inferendam. Hic autem motus contrariatur charitati quæ ut habetur. 1. ad Corinth. XIII. *Non irritatur: non cogitat malum.*

Ira tamen, ut etiam supra aliqualiter tactum est, multipliciter considerari potest. Uno modo prout importat seu denominatur per zelum quo quis contra vitia movetur & ipsa detestatur: & hæc ira non est peccatum sed magis est perfectionis, immò per istum modum potest etiam sibimet quis irasci. *Quid enim* (ut dicit glossa super illud Psalm. IV. 5. *Irascimini & nolite peccare*) *est homo pœnitens, nisi sibiipsi irascens.* Alio modo potest ira considerari prout dicit & importat quamdam erga proximum affectûs remissionem, per quam scilicet homo nec de malo proximi dolet, nec de ejus bono gaudet; licet etiam non doleat de bono nec gaudeat de malo ejus, sed est ei & erga eum indifferens: & hæc species iræ non est mortale peccatum; sed est imperfectio quædam charitatis; nisi tamen ubi proximus esset in extrema necessitate, quia tunc sub pœna peccati mortalis tenetur homo ipsi succurrere si potest.

Alio modo potest ira considerari prout dicit & importat quamdam impatientiam actualem, absque tamen reali appetitu vindictæ; & talis motus etiam deliberativus est solum peccatum veniale: quia sicut patet ex supradictis iræ descriptionibus, non habet completam rationem iræ. Alio modo potest ira considerari prout dicit & importat actualem impatientiam, etiam cum appetitu vindictæ. Et hoc tripliciter contingere potest: quandoque enim hoc à naturali complexione seu dispositione procedit, (sicut est in melancholicis & senibus) in quibus secundùm Philosophum, continuè movetur natura, propterquod semper turbulenti existunt: & talis ira nullum est peccatum cum sit motus naturalis: quandoque, etiam est hoc & procedit ex appetitu subi- B to & non perfectè deliberato, & talis ira non est nisi veniale peccatum, sicut alii primi motus. Quandoque autem est hoc & procedit ex voluntate deliberata consensuque perfecto, & talis ira est semper peccatum mortale.

Quando Acedia sit peccatum mortale, & quando non.

ACEDIA ex suo genere est veniale peccatum; quia secundùm superius tacta, acedia in effectu non est nisi tædium de bono spirituali laborioso: hoc autem de se non opponitur charitati; sed solum dicit quamdam fervoris charitatis diminutionem, in qua fervoris charitatis diminutione consistit omne peccatum veniale.

Multipliciter potest tædium de bono spirituali contingere. Uno modo prout est solus motus naturalis laborem abhorrens, & talis motus nullum est peccatum; quia talis motus non est in nostra potestate. Alio modo prout est motus appetitûs de opere spirituali laborioso contristati; & talis motus etiam si appetitus ille sit deliberativus, non est nisi peccatum veniale, quia consensus in illud quod de sui natura non est nisi veniale, peccatum non est nisi veniale. Alio modo potest istud tædium de bono spirituali laborioso tale esse, taliterque ultra motum naturalem motumque appetitus transire, quod per illud homo illa adimplere dimittit quæ suæ saluti vel ex vi Præcepti, vel aliàs necessaria sunt, & tunc est peccatum mortale. Potest adhuc istud tædium in gravius transire & tantum esse quod ex omissione ipsius boni spiritualis laboriosi difficultateque ipsum aggrediendi, homo in quamdam suæ vitæ displicentiam inducitur, & exinde in desperationem cadit; & tale tædium est peccatum mortale; acceditque ad peccatum in Spiritum sanctum, & adhuc gravius, immò gravissimum, si illud tædium illaque displicentia vitæ in tantum crescat & procedat, quod quis sibiipsi manus injiciat ac se occidat: nam tunc talis similis erit Judæ qui se per desperationem laqueo suspendit.

Quando Avaritia sit peccatam mortale.

CIRCA avaritiam autem, quæ juxta superius dicta est immoderatus amor habendi, est considerandum, quod iste immoderatus amor consistere potest D vel appetendo vel in acquirendo vel in retinendo. Si appetendo, hoc iterum quinque modis contingere potest: vel enim appetuntur aliena appetitu completo & deliberato ac absoluto, qui etiam in actum & opus

si

si adesset facultas, transiret & procederet, & tunc est mortale: vel appetuntur appetitu simpliciter completo, deliberato & absoluto illicita, utputa homo se indignum Beneficio aliquo Ecclesiastico vel Officio sentiens & cognoscens, vel sentire & cognoscere debens, illud Beneficium Ecclesiasticum vel illud Officium scienter appetituque deliberato & absoluto appetit, & tunc etiam est peccatum mortale: vel appetuntur prædicta scilicet aliena vel illicita etiam appetitu completo & deliberato; sed non tamen puro & absoluto, sed conditionato, utputa si talia sine Dei offensa ac injuria proximi haberi possent, & tunc vel nullum est peccatum, vel est veniale; sive talis conditio actualiter expresse addatur sive habitualiter intendatur: quod tamen intelligendum est dummodo scilicet per tales appetitus seu desideria homo non se vanè pascat ac perdat, seu intermittat facere illud bonum ad quod aliundè tenetur; vel non generet in corde suo aliquos malos motus seu habitus, quos quando voluerit removere non possit; quia tunc posset esse mortale peccatum: vel appetuntur non necessaria & superflua, etiam quamvis non aliena nec de sui natura illicita appetitu nimis ardenti, & tali quod mens ex hoc quodammodo suffocata impeditur omninò à consideratione Divinorum ac eorum quæ ad suam salutem spectant; & hæc est illa perniciosa cura seu sollicitudo quæ in Evangelio prohibetur & est peccatum mortale: vel appetuntur seu desiderantur non necessaria & superflua nimio appetitu; sed tamen tali qui est infra Dei amorem & timorem, quia talia sic appetens, nec propterea Deo displicere vellet, nec etiam impeditur à consideratione eorum quæ ad suam salutem pertinent, & hoc est nisi veniale peccatum; quinimò posset talis amor seu appetitus ita moderatus esse quod non esset peccatum, immò talem principaliter finem & intentionem habere, quod esset meritorius.

Si verò respectu secundi membri principalis, ille immoderatus amor habendi, non solum consistat in appetitu, sed ultra transeat scilicet in acquirendo, & hoc iterum potest contingere tripliciter: vel enim acquiruntur res injustæ & indebitæ indifferenter à quocumque, quocumque modo fieri potest, ut per furta, rapinas, injustitias, extorsiones, aliasque fraudes & vias illicitas, & tunc est peccatum mortale: vel acquiruntur res respectu acquirentis & illius à quo acquiritur de suo esse non illicitè; nisi quia per artem seu officium aut aliud opus illicitum acquiruntur, quod de per se, etiam sine acquisitione & lucro esset peccatum mortale, ut est in meretricibus, in falsas mercantias scienter vendentibus, & usurariis, & hujusmodi, & tunc est peccatum mortale: vel acquiruntur per artem aut officium seu opus, quod licet de se sit illicitum, non est tamen de per se nisi peccatum veniale, ut est in istis joculatoribus qui pro complacentia Principum vel populi ad lucrum habendum otiosa, jocosa & interdum mendosa (salva tamen aliqua honestate) dicunt, vel diversas corporum gesticulationes faciunt, & tunc non est nisi veniale peccatum; nisi tamen propter solam talis dissolutionis delectationem homo se ex toto talibus daret; tunc enim esset peccatum mortale. Et notanter dicitur propter solam talis dissolutionis delectationem; quia si quis propter necessitatem se etiam ex toto talibus daret & applicaret, suam per talia sustentationem quærens, cum aliam artem seu alium modum lucrandi nesciret vel non haberet, non esset talis in statu damnandorum reputandus. Si verò respectu tertii membri, principalis amor ille habendi immoderatus consistat in retinendo, hoc iterum potest quinque modis contingere: vel enim scienter & animo retinendi retinentur ea quæ quis restituere tenetur, utputa quia contra voluntatem ejus ad quem spectat detinere se scit vel credit, & tunc est peccatum mortale. Et intelligitur quis animum retinendi habere quando non habet propositum & voluntatem restituendi vel concordandi tempore & loco, licet facultas sibi suppetat vel quando sibi suppetet: vel retinentur illa quæ ad necessitatem alicujus & suorum, sive præcisam, sive secundùm sui status vel dignitatis vel facti quod justè manu tenet congruentiam & condecentiam faciunt & spectant, & tunc nullum est peccatum: vel retinentur superflua sive sit respectu necessitatis præcisè retinentis, sive necessitatis congruentiæ sui status & dignitatis &c. ut supra tactum est; & hoc tempore extremæ necessitatis alicujus, de qua notitia habetur, & cui de prædictis superfluis succurri potest & non succurritur; & tunc etiam est peccatum mortale, quia homini in tali necessitate constituto tenetur homo succurrere, non solum de sibi superfluis, verumetiam de sibi necessariis respectu quidem manutentiæ sui status vel dignitatis &c. sed non de his quæ simpliciter & precisè pro sua vita necessaria sunt; quia in tali casu homo magis tenetur propriæ suæ vitæ succurrere quam alienæ: vel retinentur superflua modo statim declarato, supra declarato etiam extra vel citra extremam necessitatem alterius cujuscumque; sed hoc fit ex quadam insatiabili cupiditate & ardore habendi, cujus insatiabilitatis seu ardoris signum evidens est quod quis res potius penes se putrescere & deperire dimittit, quam quod utiliter aliis liberaliter distribuit & dispensat, & tunc etiam est peccatum mortale: vel retinentur superflua ex immoderato seu inordinato amore habendi; non tamen ita insatiabili & ardenti sicut statim supra tactum est, sed solum quadam immoderantia seu inordinatione quæ modicum, non tamen in totum, a medio virtutis; scilicet largitatis deficit & declinat; & tunc est peccatum veniale, nisi ut supra statim dictum est, apparet homo in extrema necessitate constitutus, cui succurri posset & deberet.

Ex præmissis apparet quod avaritia ex suo genere est peccatum mortale; etiam ut in superioribus tactum est; ab Apostolo idololatriæ comparatur, non quia sit de specie illius peccati, cum non habeat aliquem actum ejus; sed quia aliquid idololatriæ simile facit scilicet creaturæ serviendo potiùs quam Creatori, ut latiùs supra ubi de avaritia agitur, declaratum est.

Quando Gula est peccatum mortale, & quando non.

GULA ex suo genere est peccatum veniale, quia appetitus comedendi vel bibendi ex sua ratione non subjacet dominio voluntatis. Circa tamen istud, gulæ peccatum quod juxta in superioribus dicta, est immoderatus edendi appetitus seu immoderata cibi aviditas: est advertendum quod quinque modis potest iste immoderatus appetitus contingere seu considerari. Uno modo prout est solummodo naturalis sicut naturaliter homo comedere & bibere appetit, dum famescit & sitit: & hic appetitus non est peccatum; immò nec etiam delectatio naturalis quæ ipsum appetitum in ipsa cibi sumptione consequitur seu committitur, est peccatum: & hoc in quantum ordinatur super defectum naturæ contrarium, quia hæc naturalia sunt, nec in potestate nostra consistunt; & ideo nec in talibus est meritum vel demeritum.

Vel illi appetitui seu desiderio naturali qui quodammodo necessitatis est, superadjungitur quidam appetitus delectationis & voluptatis in cibo, & tunc est solum peccatum veniale: Et hoc verum est nisi ille appetitus edendi ultra progrederetur, sic scilicet quod propter illam delectationem seu voluptatem quæ sic sibi superadjungitur, fieret sine quacumque necessitate transgressio Præcepti Ecclesiæ vel superioris, utputa quod solveretur jejunium per Ecclesiam indictum, vel Religiosus contra prohibitionem in suo Ordine sub præcepto factam, come-

comederet carnes vel hujusmodi, nam tunc esset peccatum mortale. Et notanter dicitur, sine necessitate; quia si hujusmodi transgressiones ex necessitate fierent, utputa nimiæ senectutis vel nimiæ juventutis, vel infirmitatis vel laboris necessarii & hujusmodi, tunc non esset peccatum, immò posset illa necessitas talis esse quod quis hujusmodi Præcepta observando peccaret. In talibus tamen observantiis ad quas homo ex Ecclesiæ Præcepto, vel voto, vel injunctione pœnitentiæ tenetur, & propter necessitatem aliquam eas adimplere non potest, bonum est petere licentiam à suo Prælato vel à suo Curato vel à suo Confessore.

Vel nisi ille appetitus edendi esset cum tanta libidine & ardore, quod homo nimio & finali affectu illi delectationi cibi inhæreret, ita ut præponeret amori & timori Dei, & tunc est peccatum mortale.

Vel nisi quando ille appetitus vel illa delectatio in talem consuetudinem ducitur, quod facit totam vitam hominis talibus delectationibus occupari & deputari: & hic posset esse peccatum mortale. Immò sunt talia ita peccato mortali vicina, quod ebrietas ab Apostolo inter mortalia peccata computatur.

Ebrietas tamen quandoque est peccatum veniale, ut quando ultra necessitatem quis accipit, sed hoc est secundùm mensuram imperceptibilem: quando verò egreditur quis à mensura perceptibili, quæ scilicet secundùm rationem benè ordinatam discerni potest, & hoc in tali mensura ex qua evertitur status mentis, hocque effrenata quadam libidine fit, ut scilicet quando hoc Dei amori & timori præponitur; tunc ebrietas est peccatum mortale. Si quis autem alium inebriat, ita scilicet eum ad potum invitans, ut intendat statum mentis ejus evertere, & hoc facit in ejus nocumentum, peccat mortaliter; quia tunc magis sibi aufert, quam si auferret aliquod temporale, quia usum rationis tollit.

Quando Luxuria sit peccatum mortale & quando non.

LUXURIA suo genere est peccatum mortale; quia est contra illud Præceptum Decalogi, *Non mœchaberis.* Circa tamen istud peccatum luxuriæ (quæ juxta in superioribus tacta, est libidinosa quædam circa actus venereos voluptatis concupiscentia) est advertendum quòd concupiscentia ipsa luxuriæ dupliciter contingere seu considerari potest. Uno modo prout est solùm in corde, alio modo prout etiam ab extra consistit in opere. Quantùm ad primum modum potest hoc iterum contingere tripliciter. Primo modo prout ipsa concupiscentia in solo primo motu consistit, & tunc non est nisi veniale peccatum. Pro quo iterum sciendum est, quod differentia est inter primos motus virtutis generativæ, & primos motus virtutis nutritivæ: nam primus motus in virtute generativa est semper peccatum, non autem sic est in virtute nutritiva; quoniam potentia concupiscibilis non tantùm corrupta est in virtute nutritiva sicut in virtute generativa. Secundo modo potest ipsa concupiscentia considerari prout ipsum motum naturalem sequitur consensus in delectationem, licet non in opus, & sic est peccatum mortale. Et intelligitur hoc, sive ille consensus in delectatione sit respectu suiipsiusmet, sive sit respectu aliorum, utputa quando homo cogitando (ut interdum contingere potest) ad delectationem quam aliqui alii in actu venereo habent delectatur in se, & in illa delectatione habenda ex deliberatione consentit, etiam si forsan ex se non vellet illum actum venereum exercere. Et notanter dicitur consensus in delectationem, quia si delectatio ut quandoque fit insurgeret, & in illam delectationem homo ex deliberatione non consentiret, non esset tunc nisi veniale peccatum. Tertio modo ipsa concupiscentia considerari potest prout etiam ex deliberatione consentitur in opus, & tunc est mortale peccatum, etiam si pro tunc non transeat in actum ab extra: respectu verò secundi membri principalis, scilicet prout concupiscentia luxuriæ consistit ab extra in opere, hoc iterum contingere potest dupliciter. A Uno modo prout ipsa concupiscentia transit & progreditur in actum venereum completum & consummatum, & tunc constat esse peccatum mortale: alio modo prout ipsa concupiscentia transit & progreditur in aliquos actus disponentes ad ipsum actum venereum vel ipsum circumstantes seu concomitantes. Et hoc iterum contingere potest tripliciter; vel enim hoc fit per visum, vel per linguam, vel per tactum. Si primo, ut scilicet quando ipsa concupiscentia ab extra visu pascitur, ut quando quis animo & fine concupiscendi mulierem, in ipsam prospicit & intendit, & tunc est peccatum mortale: nam illud (ut dicit Augustinus) non est titillari, sed plenè libidini consentire, juxta illud Matth. v. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Et notanter dicit, *ad concupiscendum eam*, quoniam si aliquis mulierem inspiceret ut rem pulchram, & non in deterius procederet, tunc parvum vel nullum esset peccatum, vel solùm esset peccatum curiositatis. Si verò secundo istorum trium ultimorum modorum fieret, ut quando B quis mulierem propter libidinem provocat, vel colloquia familiaria secum habet, vel per verba adulatoria & deceptiva attrahere conatur, & tunc est pecatum mortale. Si verò tertio istorum trium modorum ultimorum fieret, quod fit per oscula, amplexus, hujusmodique mulierum contrectationes, & tunc etiam est peccatum mortale, & tantò gravius quantò magis per talia libido accenditur propter nimiam approximationem ad ignem; & vocatur ab Apostolo *turpitudo.* Quod tamen ita accipi debet, si præmissa ex libidine seu propter libidinem fiant: nam tangere mulierem immò & osculari non libidinis intentione, sed ex necessitate; seu quadam honestate, ut interdum fit, non esset peccatum; dummodo nihil fit in intentione corruptum.

Præmissa etiam omnia intellige, nisi per Sacramentum Matrimonii cum debita moderatione debitisque circumstantiis supra, ubi de peccato luxuriæ actum est, aliqualiter declaratis, excusarentur.

C

DE PECCATO IN SPIRITUM SANCTUM

Et diversis ipsius peccati acceptionibus.

EXPEDITA igitur juxta ordinem in hoc Tractatulo exponendorum declaratione quartæ divisionis peccati mortalis, quæ (ut supra tactum est) per septem vitia capitalia sumitur; ipsorumque septem vitiorum capitalium explicata natura; venit nunc aliqualiter circa unam particulam tertiæ divisionis peccati mortalis supra etiam positæ tangendum, scilicet in Spiritum sanctum.

Circa quod sciendum est quod licet omnia essentialia omnibus tribus personis sanctissimæ Trinitatis æqualiter conveniant; communiter tamen attribuitur seu appropriatur personæ Patris potentia, personæ Filii sapientia, & personæ Spiritus sancti bonitas. Et ex hinc D insurgit quod illi qui peccant ex infirmitate quæ propriè contrariatur sapientiæ, dicuntur peccare in Patrem, idest contra Patrem: qui enim peccant ex ignorantia, quæ propriè contrariatur sapientiæ, dicuntur peccare in Filium: qui autem peccant ex propria malitia

quæ propriè opponitur bonitati, dicuntur peccare in Spiritum ſanctum. Et eſt propriè peccare ex propria malitia, quando voluntas ſcit & poteſt alicui malo reſiſtere, & tamen ex ſola malitia illud eligit. Ex quo clarè apparet peccatum in Spiritum ſactum gravius eſſe aliis peccatis quæ in Patrem & Filium committuntur, cum majus ſit & gravius peccare ex propria malitia quam ex infirmitate vel ignorantia; de qua ipſius peccati in Spiritum ſanctum gravitate latior fiet infra declaratio. A Et quia generaliter omnia peccata tam in ſuperioribus delarata quàm alia, vel ex infirmitate vel ex ignorantia vel ex propria malitia committuntur, non fuit neceſſe ſpecialem de ipſis qualitatibus peccatorum Tractatum facere niſi ſolum de illo peccato in Spiritum ſanctum, quod ultra alia peccata quamdam ſpecialitatem quamdamque gravitatem importat.

Circa quod peccatum pro clariori naturæ eius declaratione & intellectu, & eo per maximè quia multi frequenter de ipſo loquuntur, qui propriam ejus naturam non intelligunt, eſt advertendum, quòd triplex de iſto peccato in Spiritum ſanctum reperitur poſitio ſeu acceptio. Aliqui enim ut Hilarius, Ambroſius, Hieronymus & Chryſoſtomus ponunt & dicunt peccatum in Spiritum ſanctum eſſe quando ad litteram aliqua blaſphemia contra Spiritum Sanctum dicitur, ſive Spiritus ſanctus accipiatur ſecundùm quod eſt nomen eſſentiale toti Trinitati conveniens, quælibet B enim perſona Spiritus eſt & Sanctus; ſive prout eſt nomen ſpeciale unius in Trinitate perſonæ. Et ſecundùm hanc acceptionem diſtinguitur in Evangelio Matth. XII. *Blaſphemia in Spiritum ſanctum* contra blaſphemiam in Filium hominis; ubi exemplum de iſta blaſphemia habetur de Judæis, qui illa quæ Chriſtus in virtute Spiritus ſancti operabatur, attribuebant principi dæmoniorum, & ideo dicuntur in Spiritum ſanctum blaſphemaſſe. Auguſtinus & aliqui eum ſequentes dicunt & ponunt peccatum in Spiritum ſanctum eſſe finalem impœnitentiam, quando ſcilicet aliquis in peccato mortali uſque ad mortem incluſivè perſeverat; quia ut dicunt, talis in Spiritum ſanctum blaſphemare videtur, quod quidam dicunt non ſolum verbo oris fieri poſſe; ſed etiam verbo cordis & verbo operis, nec uno ſolum, immò multis & multotiens. Et dicunt quod verbum ſic acceptum dicitur eſſe blaſphemia contra Spiritum ſanctum, quia eſt contra remiſſionem peccatorum, quæ fit per Spiritum C ſanctum qui eſt charitas Patris & Filii. Alii & tertii ponunt & dicunt peccatum in Spiritum ſanctum eſſe, quando ex certa malitia, id eſt ex ipſa deliberata electione mali peccatur, quod ex improba voluntate liberi arbitrii procedit, quia ut tactum eſt, peccatur tunc contra bonitatem quæ attribuitur & appropriatur Spiritui ſancto. Et in propoſito præſenti ſecundùm communem uſum loquendi & ponendi accipitur iſto tertio modo ſeu ſecundùm iſtam tertiam acceptionem: quia capiendo juxta primam acceptionem ſeu primum modum ponendi, magis propriè eſt peccatum ſpeciale ad infidelitatem pertinens, quæ opponitur confeſſioni Fidei; juxta verò ſecundam acceptionem ſeu ſecundum modum ponendi, poteſt ad omnia vitia pertinere & in omni genere peccati contingere, etiam in peccatis à principio ex infirmitate vel ignorantia commiſſis; immò poteſt contingere hominem in peccato mortali mori vel ex incuria vel ex negligentia pœnitendi, vel ſubitò vel ex improviſo; & ideo juxta hanc tertiam acceptionem D ſeu ipſum tertium modum ponendi fiet hìc declaratio de ipſo peccato in Spiritum ſanctum. Circa quod iterum pro veraciori intellectu eſt advertendum, quod non omne peccatum quod ex certa malitia committitur, dicitur eſſe peccatum in Spiritum ſanctum, prout hìc & communiter accipitur: dupliciter enim contingere poteſt aliquem ex certa malitia, ideſt ex ipſa electione mali peccare. Uno mòdo ex inclinatione habitus vitioſi ſeu aſſuefactione, immò ſecundùm aliquam circumſtatiam, ex propria ſcientia & deliberatione, quod tamen non peccaretur in Spiritum ſanctum, immò illud (ut tactum eſt) in quolibet genere peccati contingere poteſt. Alio modo poteſt quis ex propria malitia peccare, ex eo ſcilicet quod ipſe ſcienter & per contemptum abjicit & removet à ſe illud quod in eo poterat electionem ſeu continuationem pecccati impedire. Et cum omnia quæ peccati electionem ſeu continuationem impedire poſſunt & impediunt, ſint propriè effectus Spiritus ſancti in homine, ideo ille qui (ut tactum eſt) ipſa ſic peccati electionem ſeu continuationem impedientia à ſe ſcienter & per contemptum abjicit & removet, dicitur ex propria malitia & in Spiritum ſanctum peccare: & ita propriè accipitur in hoc propoſito etiam ſecundùm communem acceptionem ex propria malitia peccare, prout adhuc inferiùs latiùs declarabitur.

Hujus autem peccati in Spiritum ſanctum ſecundùm Auguſtinum & communem acceptionem ponuntur eſſe ſex ſpecies, ſcilicet deſperatio, præſumptio, impœnitentia, obſtinatio, impugnatio veritatis agnitæ, invidentia fraternæ gratiæ. Quarum numerus ſeu ſufficientia ſic ſumitur. Peccatum in Spiritum ſanctum (prout juxta ſupra tacta hìc & communiter accipitur) fit & committitur per remotionem ſeu contemptum eorum per quæ homo ab electione peccati ſeu continuatione, quod idem eſt in effectu, poteſt impediri. Illa autem quæ ſic hominem ab electione peccati impedire ſeu trahere poſſunt, procedunt ſeu oriuntur vel ex parte divini judicii, vel ex parte Donorum Dei, vel ex parte ipſius peccatimet. In judicio autem divino duo inſunt ſcilicet Juſtitia & Miſericordia. Reſpectu Miſericordiæ, ex qua conſurgere habet Spes, ex conſideratione ſcilicet divinæ Miſericordiæ peccata remittentis & bona præmiantis; quia hanc ſpem quæ hominem ab electione peccati retrahere & impedire habet, à ſe per contemptum removet & abjicit, non ſperans ſcilicet Deum peccata debitè pœnitenti remittere velle, peccat per primam ſpeciem peccati in Spiritum ſanctum, quæ eſt deſperatio. Reſpectu verò juſtitiæ ex qua conſurgere debet timor; ex conſideratione ſcilicet divinæ juſtitiæ rectè & rigidè peccata punientis, qui hunc timorem qui meritò hominem ab electione & continuatione peccati impedire ſeu retrahere habet à ſe per contemptum removet & abjicit; ſperans ſcilicet ſeu præſumens gloriam ſempiternam ſine meritis, vel etiam ſine pœnitentia adipiſci, peccat per ſecundam ſpeciem peccati in Spiritum ſanctum quæ eſt præſumptio. Et intelligantur hæc ſanè juxta declarationem ſtatim tactam: nam peccatum deſperationis & præſumptionis prout hìc ſumitur non conſiſtit in hoc quod quis Dei miſericordiam vel juſtitiam non credat; quia tunc non pertinet ad peccatum in Spiritum ſanctum, prout hìc ſumitur, ſed potiùs pertineret ad peccatum infidelitatis. Sed conſiſtit in hoc quod in ipſa Dei miſericordia vel juſtitia contemnitur ſeu vilipenditur.

Reſpectu autem ſecundi membri principalis ſcilicet Donorum Dei quibus homo à peccato retrahitur, ipſa duo principaliter ſunt.

Primum eſt agnitio veritatis Fidei quæ maximè hominem habet ab electione peccati retrahere ſeu impedire: quam qui à ſe ſcienter & per contemptum abjicit, veritatem ſcilicet agnitam impugnando ut licentiùs peccare valeat; peccat per quintam ſpeciem peccati n Spiritum ſanctum, quæ eſt impugnatio veritatis agnitæ. Aliud Donum Dei ab electione peccati impediens ſeu retrahens eſt auxilium interioris gratiæ divinitùs collatæ, contra quam ponitur ſexta ſpecies peccati in Spiritum ſanctum, ſcilicet invidentia fraternæ gratiæ, dum ſcilicet aliquis non ſolum perſonæ fratris ſeu proximi invidet, quinimò invidet etiam gratiæ Dei creſcenti & apparenti in in mundo.

Reſ-

Respectu verò tertii membri principalis, id est peccati in se, duo sunt principaliter quæ hominem à peccando impedire seu retrahere possunt & debent. Primum est inordinatio, turpitudo ac vilitas actus peccati in se; cujus debita consideratio solet in homine pœnitentiam inducere de peccato commisso. Et contra hoc homo peccat per tertiam speciem peccati in Spiritum sanctum, scilicet per impœnitentiam. Secundum est pravitas & brevitas boni seu delectationis A quam aliquis in peccato quærit & invenit: cujus consideratio inducere solet hominem ad hoc quod ejus voluntas in peccato non firmetur. Et contra hoc peccat homo per quartam speciem peccati in Spiritum sanctum scilicet per obstinationem. Et intelligantur ista duo sanè: non enim hìc sumitur impœnitentia prout dicit perseverantiam in peccato mortali usque ad mortem inclusivè, quia jam non esset speciale peccatum; sed quædam peccati circumstantia quæ esset & contingere posset in quolibet peccato ut aliqualiter suprà in secunda acceptione peccati in Spiritum sanctum tactum est: sed accipitur hìc impœnitentia secundùm quod importat propositum non pœnitendi, & est propriè respectu præteritorum. Similiter obstinatio non capitur hìc pro perseverantia seu continuatione in peccato; sed quando homo suum propositum in hoc firmat quod vult peccato inhærere & est propriè respectu futurorum; juxta illud Jerem. VIII. 6. B *Nullus est qui agat pœnitentiam* id est agere velit *super peccato suo dicens, quid feci;* quantùm ad primum. *Omnes conversi sunt ad cursum quasi equus impetu vadens ad prælium;* quantùm ad secundum. Est etiam advertendum quod Bernardus in Libro *de Præcepto & Dispensatione* ponit quod *nolle obedire est resistere Spiritui sancto.* Glossa etiam ordinaria. *Lev.* VII. dicit quod *simulata pœnitentia est blasphemia Spiritus sancti.* Schisma etiam rectè contra Spiritum sanctum committi videtur; namque per eum Ecclesia unitur. Quæ tria non videntur sub sex speciebus peccati in Spiritum sanctum supra declaratis comprehendi. Sed qui bene considerat, prædicta tria sub ipsis speciebus effectualiter continentur & comprehenduntur, & ad ipsa reduci possunt: utputa nolle obedire pertinet & reducitur ad obstinationem. Simulatio pœnitentiæ, pertinet & reducitur ad impœnitentiam, & sub ea continetur. Schisma pertinet & reducitur ad invidentiam fraternæ gratiæ, per quam gratiam membra Ecclesiæ uniuntur. C

Quare irremissibile.

EST etiam notandum quod peccatum in Spiritum sanctum dicitur communiter irremissibile; juxta illud verbum Christi. Matth. XII. 32. *Qui peccaverit in Spiritum sanctum, non remittetur ei in hoc seculo neque in futuro.* Quod sic potest intelligi, & secundùm omnes tres acceptiones peccati in Spiritum sanctum suprà positas. Juxta enim secundam acceptionem quæ est Augustini, clarum est quod finalis impœnitentia quam ponit peccatum in Spiritum sanctum, realiter est irremissibilis, quia nullo modo remittitur: quomodo enim remitteretur peccatum mortale in quo usque ad mortem perseverat? Non enim hìc in hac vita, cum de eo nulla pœnitentia habita & facta sit; nec etiam in vita futura, ubi nullus locus est misericordiæ; sed puræ justitiæ, ubi etiam quis meritoriè pœnitere non D potest. Secundum autem alias duas acceptiones, scilicet primam & tertiam, dicitur etiam peccatum in Spiritum sanctum irremissibile: non quia nullo modo remittitur, sed quantùm est de se & sui natura, habet meritum non remissionis, mereturque quod non remittatur, & hoc dupliciter. Uno modo, quantùm ad pœnam, alio quantùm ad culpam: quantùm enim ad pœnam, certum est quod qui ex ignorantia vel infirmitate peccat, minorem pœnam meretur, majoremque quodammodo excusationem habet; unde ejus pœna minui debeat quam qui ex certa malitia peccat. Ut gratia exempli; ad propositum verbi Christi supra, juxta primam acceptionem peccati in Spiritum sanctum allegati, Judæi qui blasphemabant in Christum tanquam in filium hominis, vocando eum voracem, vini potatorem & publicanorum amatorem, majorem excusationem habere poterant propter infirmitatem carnis quam in ipso Christo aspiciebant, & sic minorem circa hoc pœnam merebantur; ideo dicti sunt à Christo blasphemasse in Filium, quod remissibile est: sed quando ipsam Divinitatem quæ etiam erat in Christo, blasphemabant, curationem scilicet infirmitatum, ejectiones dæmoniorum, illuminationes cæcorum, & aliorum opera miraculorum, quæ sunt propriè opera Divinitatis, & non nisi per Spiritum sanctum fieri poterant attribuendo diabolo, nullam excusationem habebant unde pœna eorum minui mereretur; Et ideo tunc dicti sunt à Christo blasphemasse in Spiritum sanctum; quod peccatum non fuit ad litteram eis remissum, neque in hoc sæculo neque in futuro, immò secundùm expositionem Chrysostomi pro illo peccato pœnam passi sunt, & in præsenti vita per Romanos, & in futura vita apud inferos. Quantùm autem ad culpam, dicitur peccatum in Spiritum sanctum irremissibile ex ipsa dispositione remittendi: sicut enim aliquis morbus corporalis secundùm sui naturam incurabilis dicitur, quando in se habet illud per quod tolluntur ea ex quibus morbus curari potest, utputa quia tollit virtutem naturæ, vel inducit fastidium cibi & medicinæ; licet Deus sua gratia & miraculo possit illum morbum curare: ita suo modo iste morbus spiritualis qui peccatum in Spiritum sanctum dicitur, secundùm suam naturam incurrabilis & irremissibilis dicitur, ex eo scilicet quod de sui natura excludit & abjicit ab homine illa per quæ fit peccatorum remissio. Non tamen propter hoc intelligenda est omnino præclusa via sanationis & remissionis, secundùm omnipotentiam & misericordiam Dei per quam aliquando tales quasi miraculosè spiritualiter sanantur, licet rarò & difficulter: de nullo etenim quamdiù durat hæc vita, desperandum est, considerata scilicet omnipotentia & misericordia Dei; sed considerata natura & conditione peccati, aliqui *filii diffidentiæ* dicuntur; ut habetur per Apostolum ad *Eph.* V. 6. Sunt alii alio modo istam irremissibilitatem peccati in Spiritum sanctum exponentes; sed effectualiter juxta ea quæ supra notata sunt: notat enim quod hoc nomen irremissibile tripliciter sumi potest. Uno modo negativè, scilicet quod nullo modo remitti potest: & isto modo peccatum Angeli & damnatorum irremissibile dicunt. Alio modo privativè, quod scilicet ex se congruentiam non habet quod remitti debeat, licet ex congruentia divinæ bonitatis remitti possit: & hoc modo omne peccatum mortale irremissibile dicunt. Tertio modo contrariè, quod scilicet ex se importat & includit dispositionem contrarium ad remissionem: & hoc modo peccatum in Spiritum sanctum irremissibile dicunt; quia importat ex se & includit dispositionem contrariantem gratiæ remittenti peccatum, per desperationem scilicet vel præsumptionem, aut alias ejus species: & juxta istum modum ponendi capiunt etiam numerum seu sufficientiam sex specierum peccati in Spiritum sanctum supra enumeratarum, hoc scilicet modo. In remissione enim (ut dicunt) tria concurrere habent, videlicet ipse remittens, ille cui remittitur, & dispositio remittendi in eo cui remittitur. In ipso remittente duo sunt, scilicet misericordia, & justitia. Contra primum quorum peccatur per desperationem, contra secundum per præsumptionem. In eo cui remittitur, duo esse convenit scilicet dolorem de commisso, & propositum ulterius de non committendo. Contra primum quorum peccatur per obstinationem, contra secundum per finalem impœnitentiam. Dispositio verò remit-

remittendi in eo cui remittitur, duplex est scilicet cognitio veri & amor boni; contra primum quorum peccatur per impugnationem veritatis agnitæ, contra secundum per invidentiam fraternæ gratiæ: & accipitur hic finalis impœnitentia, prout in superioribus declaratum est, non quidem prout importat continuationem in peccato usque in finem; nam in quolibet peccato mortali contingere potest sed negative, prout scilicet dicit seu importat propositum non pœnitendi. Et isto modo est species peccati in Spiritum sanctum.

Breviter ut jam tactum est, iste ultimus modus ponendi in effectu, reincidit in ea quæ superius dicta & declarata sunt. Sed ideo hic inseri placuit, ut legentes capere possint, quod eis magis sedebit & placebit.

DE PECCATO

ACTUALI VENIALI

Et circa ipsum in generali occurrentibus.

EXPEDITA igitur juxta incœptum hujus octavi Tractatus præsentis libelli ordinem declaratione duorum principalium membrorum primæ divisionis peccati supra tactæ & positæ scilicet peccati originalis & peccati actualis mortalis: nunc de alio tertio membro principali ejusdem divisionis, scilicet de peccato actuali veniali aliqua dicenda veniunt; & primò quid sit & unde dicatur. Secundò de diversis ejus nominibus seu appellationibus. Tertiò de aliquibus ipsius peccati effectibus.

Quid sit peccatum veniale & unde dicatur.

PECCATUM veniale secundùm Augustinum est quod licet pœnam mereatur, non tamen hominem usque ad reatum perpetuæ mortis gravat seu obligat; sed facilè indulgetur. Pro quo ad majorem declarationem sciendum est, quod licet definitio Augustini in superioribus peccato mortali attributa, scilicet quod est dictum vel factum vel concupitum contra Legem Dei seu Legem æternam, peccato actuali in generali seu tanquam generi ab aliquibus attribuatur, & sic secundùm eos posset etiam peccato veniali (secundùm tamen majus & minus) competere seu convenire; secundùm tamen Beatum Thomam 1. 2. suæ Summæ, illa definitio sic supra peccato mortali attributa, magis propriè ipsi peccato mortali convenit: nam in eo est perfecta ratio peccati quam propriè dicta definitio importat. Nam ut dicit idem Doctor: quod peccatum veniale dicatur peccatum, hoc solum est secundùm imperfectam rationem peccati; immò in ordine ac respectu ad peccatum mortale potest eo modo peccatum veniale dici peccatum, sicut accidens in ordine ac respectu ad substantiam dicitur ens, id est secundùm imperfectam rationem entis: peccatum enim veniale ex se non fit seu committitur contra Legem. Nam homo in quantum venialiter peccans, non facit quod Lex prohibet, nec prætermittit illud ad quod Lex ex Præcepto obligat, quia jam non peccaret venialiter, sed mortaliter; sed facit præter Legem, quia scilicet non observat modum rationis quem Lex intendit, & ideo ut dicit idem Beatus Thomas „ Divisio „ peccati in mortale & veniale, non est divisio gene- „ ris in species, quæ æqualiter rationem ipsius ge- „ neris participent, sed solum est divisio analogi in „ species, scilicet rationem generis secundùm prius „ & posterius participantes. „

Pro quo adhuc notandum, quod duplex est regula humanæ voluntatis. Una propinqua, quæ est ipsa humana ratio: alia est prima regula scilicet Lex æterna; quæ est quasi ratio Dei. Et per comparationem ad istas regulas sumitur & attenditur rectitudo voluntatis, & omnis commensuratio cujuscumque actus, quæ talis debet esse ut voluntas non declinet à suis extremis, scilicet à Deo principio & à
A Deo fine; ut videlicet omnia à Deo se habere cognoscat, & in Deum omnia referat. A qua rectitudine & commensuratione si divertat, incommensurata & deordinata erit. Et ex hoc habet actus humanus quod sit bonus vel malus, ex eo scilicet quod debitam habet commensurationem vel ea caret; & quantò plus recedit ille actus à debita commensuratione, tantò efficitur pejor & deterior. Et hinc (ut tactum est) sumitur ratio peccati mortalis & peccati venialis, secundùm scilicet diversitatem inordinationis quæ complet rationem peccati. Duplex enim est inordinatio. Una per substractionem principii & finis ordinis scilicet Dei, & hæc inordinatio facit peccatum mortale, quando scilicet anima per peccatum deordinatur usque ad aversionem ab ultimo fine, qui etiam principium ordinis est, & cui per charitatem uniri debemus. Alia inordinatio est qua salvato ipso principio & fine ordinis, fit inordinatio solum circa ea quæ sunt circa ipsum principium & finem. Et hæc inordinatio facit solum peccatum veniale, quia tunc anima non deordinatur per peccatum usque ad aversionem ab ultimo fine, qui (ut
B jam dictum est) etiam ipsum principium ipsius ordinis est. Et dat ipse Beatus Thomas exemplum de inordinatione complexionis, quæ contingit in aliquo animali: nam si illa inordinatio procedat usque ad destructionem vitalis principii, tunc sequitur mors; si verò salvo principio vitali sit solum quædam inordinatio humorum, tunc solum quædam est ægritudo.

Dicitur autem peccatum veniale à venia, ex quo insurgit quod aliqui rationem hujus imponentes dicunt triplici consideratione seu respectu aliquod peccatum dici veniale, scilicet ex eventu, ex causa, ex genere. Ex eventu quidem, quia realiter veniam consecutum est. Et hinc est quod dicit Ambrosius quod *omne peccatum* (intelligendo etiam de mortali) *per pœnitentiam fit veniale.* Sed ista consideratio seu acceptio peccati venialis larga est, nec proposito cœpto benè conveniens. Ex causa verò, quia illud peccatum licet forsan ex suo esse mortale existat, habet tamen in se seu importat aliquid unde veniam consequi possit, non quidem ex se simpliciter, sed
C ex quadam causa indirecta; quia scilicet habet in se seu importat aliquid suam culpam diminuens, ut sunt peccata quæ ex infirmitate vel ignorantia committuntur respectu eorum quæ committuntur ex propria malitia: & ista adhuc consideratio seu acceptio non congruit nostro proposito. Ex genere autem, quia illud peccatum de se non tollit ordinem ad ultimum finem, & sic non meretur pœnam æternam: sed quia aliquam inordinationem & obliquitatem à recta regula importat, meretur pœnam sed temporalem, ut jam satis supra expositum est. Et secundùm istam acceptionem intelliguntur ea quæ jam hic de peccato veniali tractata sunt & tractabuntur: nam secundùm ipsam considerationem seu acceptionem distinguitur & dividitur peccatum veniale contra peccatum mortale, dum communiter dicitur quod peccatorum actualium aliud est mortale, aliud veniale. Quæ differentia seu distinctio inter peccatum mortale & veniale sumitur ex objecto seu ex parte objecti: cum enim (ut jam supra aliqualiter tac-
D tum est) voluntas peccantis fertur in aliquod quod secundùm se repugnat charitati, quæ est principium vitæ spiritualis, & per quam homo ordinatur ad ultimum finem scilicet Deum; tunc illud peccatum ex suo objecto seu ratione sui objecti habet quod sit mortale ex genere, sive sit contra Deum directè, ut puta con-

contra eius propriam dilectionem & honorem, ut sunt infidelitas, hæresis, blasphemia, & huiusmodi; sive sit contra Deum indirectè, utputa contra dilectionem proximi quam vult & præcepit, sicut homicidium, adulterium, & similia. Cum verò voluntas peccantis fertur in id quod in se continet quamdam inordinationem, quæ tamen non contrariatur dilectioni Dei & proximi, sicut sunt verbum otiosum, risus superfluus, & alia hujusmodi; tunc illud peccatum ex suo objecto seu ratione sui objecti non habet quod sit mortale ex genere, sed solum veniale; & hoc est idem in effectu cum illo quod communiter dicitur, quod peccatum mortale est libido seu voluptas in creatura supra Deum, id est plus quàm Deo vel æquè ut Deo: & veniale est complacentia seu voluptas in creatura infra vel citra Deum, id est quod non plus quàm Deo, nec æquè sicut Deo, quia scilicet non vellet quis illi finaliter adhærere, vel propter illud Deo displicere, aut scienter contra eius Præcepta & Mandata quidquam facere.

Pro ampliori insuper tam dicendorum quam etiam jam dictorum & specialiter supra ubi tactum est, quando vitia capitalia mortalia & quando venialia existant, declaratione est sciendum; quod quia actus morales non solum recipiunt rationem boni & mali ex objecto seu ratione objecti; sed etiam ex aliqua dispositione seu intentione agentis; quandoque contingit quod ille actus qui aliàs ex suo genere scilicet ratione sui objecti esset peccatum veniale; ex parte dispositionis ipsius agentis efficitur mortale, vel quia ipse agens in illo constituit finem suum ultimum, vel quia illud ad aliquid aliud ordinat, quod ex genere suo peccatum mortale existit. Utputa gratia exempli. Si juxta supra tacta aliquis de dilectione alicujus boni commutabilis quam citra Deum haberet, in tantum transiret quod illi tali bono commutabili tanquam ibi suum ultimum finem constituens adhæreret; jam illud quod aliàs ex suo genere non esset nisi veniale peccatum, ex ipsius agentis dispositione seu intentione fieret mortale. Vel in alio exemplo met superius posito, ubi quis verbum otiosum quod de suo genere non est nisi veniale, ordinaret ad adulterium committendum, tunc verbum otiosum esset peccatum mortale. Et secundùm hoc propriè habent intelligi illi quatuor modi quibus peccatum veniale dicitur effici mortale, supra ubi de peccato mortali actum est, specificati. Similiter etiam ex opposito contingere potest quod ille actus qui aliàs ex suo genere, scilicet ratione sui objecti, esset peccatum mortale, ex parte seu dispositione agentis fit veniale; propter hoc scilicet quod actus est imperfectus, idest non perfectè a ratione quæ est primum actuum moralium directivum seu regulativum principium deliberatus, sicut de subitis seu primis motibus infidelitatis vel blasphemiæ & aliis exemplificari posset: vel etiam juxta in superioribus tacta de invidia, quæ ex suo genere rationeque sui objecti est peccatum mortale, cum sit dolor & displicentia de bono alterius quæ rectè contrariatur charitati; si tamen in motu imperfecto & non plenè à ratione deliberato consistat, manet solum veniale peccatum. Et sic de pluribus exemplificari posset, de quibus magis in loco jam allegato, ubi quando vitia capitalia mortalia vel venialia existant, actum est.

Quod autem tàm in superioribus quàm in sequentibus ubi de peccato mortali & de peccato veniali agitur; additur hoc nomen actuale, cum tamen plura sunt peccata tam mortalia quàm venialia quæ in non faciendo seu omittendo consistunt, quæ communiter peccata omissionis appellantur; ratio principalis fuit ad clariùs denotandam differentiam inter peccatum originale & peccatum non originale, quod communiter per actuale, ab originali distinguitur; quia non nisi actu ab extra vel ab actu quodam interiori voluntatis committitur, quod non sic est in peccato originali, ut satis in superioribus declaratum est.

Circa quæ peccata omissionis quantùm ad præsentem materiam spectat, est advertendum quod omissio eorum scilicet ad quæ homo tenetur, quia aliàs propriè non esset omissio, aliquando contingere potest ex sola inadvertentia seu oblivione. Utputa gratia exempli. Cum aliquis hora debita qua tenetur ire ad Ecclesiam obliviscitur ire: & talis omissio nullum vel modicum est peccatum, quia jam extra actum voluntatis est. Adhuc si illa oblivio ex aliqua alia causa vel occasione, sive propinqua, sive remota præcedente, circa quam homo providere poterat & debebat contingeret, esset majus peccatum circa illa, quàm circa ipsam omissionem in se. Aliquando vero contingere potest omissio ex aliquibus aliis causis seu occasionibus, quæ tamen non sunt in potestate hominis, utputa in exemplo jam cœpto. Si aliquis propter gravem infirmitatem vel aliàs contra suam voluntatem detentus seu impeditus, non iret ad Ecclesiam hora qua tenetur, & tunc ipsa omissio non habet rationem peccati, immò nec propriè in isto casu debet dici omissio. Aliquando autem contingere potest omissio ex causis vel occasionibus quæ subjacent voluntati hominis: & tunc omissio habet rationem peccati, quia tunc semper oportet quod illa causa seu occasio in quantum est voluntaria, habeat aliquem ad minus interiorem actum voluntatis, quod potest contingere seu considerari dupliciter. Uno modo quando ille actus interior voluntatis directè fertur in ipsam omissionem, utputa in exemplo jam tacto, aliquis hora debita qua tenetur, omittit ire ad Ecclesiam, solum quia vult non ire, vitans laborem vel hujusmodi, & tunc talis actus voluntatis propriè & de se pertinet ad omissionem: voluntas etenim cujuslibet peccati propriè & de per se ad illud peccatum pertinet, eò quod voluntarium est de ratione peccati, in tantum ut dicat Augustinus *peccatum adeò voluntarium esse quod si non sit voluntarium, peccatum non est.* Alio modo contingere seu considerari potest, quando scilicet ille actus voluntatis non fertur directè in ipsam omissionem; sed fertur in aliquod aliud, per quod contingit omissio illius ad quod quis tenetur: & iste vocatur actus exterior & de per accidens; quod iterum dupliciter considerari potest. Quia vel illud in quod sic fertur ipsa voluntas, est ipsi omissioni conjunctum, ut puta, continuando exemplum jam cœptum; aliquis omittit ire ad Ecclesiam horâ debitâ qua tenetur, quia tunc vult ludere vel bibere, & ludit vel bibit, certum est quod ille actus ludendi vel bibendi illâ horâ est actus conjunctus illi omissioni: vel illud in quod voluntas fertur, non est ipsi omissioni conjunctum, sed est præcedens & remotum, utputa aliquis vult diù vigilare de sero & vigilat, ex quo contingit quod omittit ire ad Ecclesiam horâ matutinarum; certum est quod ipse actus vigilandi de sero non est conjunctus ipsi omissioni. Ex quibus patet quod licet ipsa peccata omissionis de per-se & simpliciter possint esse absque aliquo actu ab extra; respectu tamen actuum tam interiorum ipsius voluntatis & de per se, quàm exteriorum & de per accidens non sunt sine aliquo actu, & exinde actualia dici possunt. Per jam hìc tacta potest quisque apud se perpendere, quando peccata omissionis sunt mortalia vel venialia, vel gravia vel levia, consideratis scilicet obligatione qua quis ad faciendum aliquid tenetur, & necessitate vel utilitate illius ad quod sic tenentur, & causis seu occasionibus ex quibus omissio contingit.

DE NATURA PRIMORUM MOTUUM

Et quando peccata existunt.

QUIA verò omne peccatum actuale sive mortale sive veniale communiter à primis motibus ortum habet, immò ipsi primi motus inter peccata venialia computantur: in omni enim tentatione est communiter iste successus, quod primò insurgit primus motus quem sequitur delectatio, & exinde consensus. Ordo enim tentationis hic communiter est, quod per tria successivè in peccatum inducimur, scilicet suggestione, delectatione, consensu, ita quod per suggestionem quæ sive ab extra ut à diabolo & mundo, cujusmodi tentatio, non est peccatum, sed materia exercendæ virtutis; sive ab intra, ut à fomite qui nobis inest procedat, excitatur primus motus, & ibi tentatio inchoatur, per delectationem progreditur, & per consensum consummatur, quæ tamen consummatio intelligatur de consensu in actum; nam aliquem est reperire consensum in delectationem; in quo licet consistat peccatum, non tamen ibi propriè dicitur tentatio consummari, ut latiùs infra declarabitur. Ideo pro clariori intellectu tam jam dictorum quam etiam dicendorum venit aliquid de ipsis primis motibus, delectatione & consensu in generali tangendum.

Pro quo sciendum quod anima sensibilis duplicem habet potentiam. Unam apprehensivam, aliam motivam. Apprehensiva iterum dividitur in apprehensivam deforis & in apprehensivam deintus; seu ab intra. Vires apprehensivæ deforis seu ab extra sunt quinque sensus particulares sive exteriores, scilicet visus, auditus, gustus, odoratus, tactus; & sunt vires apprehensivæ passivæ, quia sensatio fit in ipsis sensibus, ab intra suscipiendo & non ab extra mittendo: & sunt isti sensus solum perceptibiles rerum singularium & non universalium, & habent omnes unam originem à sensu communi, à quo veluti lineæ à centro exeunt: & ad causandum in eis debitam sensificationem quatuor oportet concurrere scilicet objectum præsens, medium deferens, & dispositum organum conveniens & sanum, & actualem animæ intentionem; & in multis conveniunt & differunt ad invicem, quæ pro materia præsenti non est necessarium exprimere. Vires autem apprehensivæ ab intus sunt quinque potentiæ interiores animæ sensibilis, quæ sunt sensus communis, imaginatio, æstimatio, phantasia & memoria; & sunt etiam omnes istæ quinque potentiæ passivæ, quia ab intùs suscipiendo apprehendunt & patiuntur à formis rerum singularium; & sunt etiam circa particularia tantùm. Et est sensus communis potentia quæ omnium sensuum particularium objecta apprehendit: nam alii sensus similitudines suorum sensatorum ad sensum communem reducunt, quo mediante de singulorum proprietatibus judicant & discernunt; quia secundùm judicium sensus communis apprehendimus nos videre quando videmus, & audire quando audimus, & sic de aliis. Virtus autem imaginativa est potentia apprehensiva, in qua imaginationes rerum sensibilium reservantur. Ista virtus plus abstrahit quam sensus, quoniam sensus non accipit formam rei nisi ipsa re præsente. Imaginatio verò formam rei reservat, re etiam ipsa absente, & in hoc differt à sensu communi; quia sensus communis indiget præsentia rei exterioris, sicut sensus particularis: imaginatio verò non. Ista virtus vocatur thesaurus formarum; quoniam sicut dictum est, formæ rerum à particularibus sensibus receptæ in ea retinentur & servantur. Et de istis duabus potentiis sufficiant quæ dicta sunt summatim, pro intellectu dicendorum tetigisse. Qui ampliora & etiam de aliis tribus potentiis quæsierit, ad Philosophum recurrat.

De vi sensibili motiva spiritualiter.

A VIS sensibilis motiva quandoque movet spiritualiter, quandoque corporaliter. Quando movet spiritualiter dicitur appetitiva, quæ etiam dupliciter movet, scilicet aut diligendo aut odiendo. Juxta quæ dividitur in concupiscibilem & in irascibilem, per quas anima appetit bonum vel insurgit contra malum. Et exinde oriuntur quatuor affectiones scilicet gaudium, spes, dolor, timor.

De Sensualitate.

SENSUALITAS etiam est vis animæ sensibilis motiva, & ad idem movet ad quod vis concupiscibilis, & irascibilis; sed ab eis differt. Primò, quia semper appetit quæ delectabilia sunt corpori, & quæ ei nociva sunt refugit: concupiscibilis verò & irascibilis bene versantur & moventur etiam circa bonum vel malum non delectabile nec nocivum corpori. Secundò, quia sensualitas magis corpori conjungitur, estque magis ad carnem depressa; & sicut in brutis, ita in homine, suo proprio motu movetur nec aliqua lege stringitur, quando semper in appetitu rerum ad corpus pertinentium moveatur. B Nobilius tamen est in homine, quàm in brutis, quia in homine ei convenit aliqualiter subjectam esse & obedientem voluntati & rationi. Sed concupiscibilis & irascibilis conjunguntur rationi, & prout sunt in homine, ratione frenantur ac reguntur virtutibus quæ in ipsis fundantur, ut temperantiâ quæ est in concupiscibili, & fortitudine quæ est in irascibili. Vis sensibilis motiva movens corporaliter, dividitur in virtutem naturalem, in vitalem, in animalem. Prima, scilicet naturalis motiva est humorum, mediantibus arteriis, quæ radicantur in hepate, & hoc per spiritum naturalem. Secunda, scilicet vitalis, est motiva pulsuum, mediantibus arteriis, quæ radicantur in corde, & hoc per spiritum vitalem. Tertia, scilicet animalis, est motiva membrorum mediantibus nervis qui radicantur in capite, & hoc per spiritum animalem. Et secundùm istorum diversitatem (ut videtur) dicitur spiritus naturalis, vitalis & animalis: qui tamen unus & idem est in substantia; licet secundùm comparationem dictorum motuum diversificetur in ratione. C

De aliquibus potentiis animæ rationalis.

EST insuper sciendum, quod quantùm ad præsentem materiam spectat & sufficit: potentiæ animæ rationalis secundùm Philosophum principaliter seu primaria divisione dividuntur in cognitivam, quam Theologi intellectum vocant, & in motivam, quam Theologi affectum nominant: tunc enim potentia animæ, intellectus dicitur, quando est apprehensiva, & voluntas dicitur, quando est motiva. Item sciendum quod anima quasdam vires habet separatas à corpore, & secundùm quas non innititur corpori, licet eis utatur utente corpore, ut sunt velle & intelligere: quasdam verò habet inseparabiles à corpore, maximè respectu hominis quantùm ad operationem; quia scilicet anima extra corpus earum operationem exercere non potest, ut sunt vires sensibiles, de quibus D suprà. Habet etiam aliquas quoad se duntaxat, ut sunt ratio, voluntas, liberum arbitrium: aliquas verò habet quibus corpori permiscetur, ut sunt vis naturalis, vitalis & animalis, de quibus suprà tactum est.

Vis

VIS MOTIVA

Animæ rationalis dividitur.

EST insuper sciendum quod vis motiva animæ rationalis dividitur per imperativam, in consiliatricem, in affectivam, & in consiliatricem & affectivam simul. Prima est liberum arbitrium & synderesis: secunda est ratio: tertia est voluntas: quarta dicitur ipse intellectus practicus. De tribus primis solum exigit materia præsens facere mentionem.

De libero arbitrio.

LIBERUM arbitrium secundùm Augustinum dicitur facultas rationis & voluntatis, qua eligitur bonum gratia existente & malum gratia desistente. In qua definitione ponitur ratio ut consiliarius, & voluntas ut imperans: ratio enim dicit aliquid esse bonum vel malum, & voluntas facere vel non facere imperat. Ex qua etiam definitione ac etiam ipsa liberi arbitrii denominatione, clarum est quod liberum arbitrium rationem & voluntatem comprehendit. Arbitrium est ipsius rationis, libertas autem est ipsius voluntatis: est tamen circa hoc advertendum quod liberum arbitrium dupliciter considerari potest. Uno modo simpliciter secundùm se & suam essentiam, & tunc liberum arbitrium nihil addit supra rationem & voluntatem, & isto modo considerando non propriè sibi competeret definitio suprapposita, nec propriè tunc deberet dici vis animæ rationalis imperativa: alio modo potest considerari secundùm quid & secundùm quamdam relationem, & tunc aliquo modo addit ultra rationem & voluntatem; non quidem quod in ratione & voluntate ponat aliquam novam qualitatem esse; sed solum quamdam liberam & naturalem aptitudinem & facultatem concurrentiæ rationis & voluntatis ad aliquem actum, & tunc propriè sibi competit definitio prædicta, quod scilicet est facultas sive consensus voluntatis & rationis; & importat seu dicit illa facultas quoddam dominium ad aliquid disponendum & faciendum quod non est rationis tantùm, nec voluntatis tantùm, nisi alia concomitante & contradicente. Sicut per quoddam exemplum ex concursu virtutis manus & virtutis oculi resultat potestas scribendi, ad quod tamen altera ipsarum virtutum per se non sufficeret: sic ex concursu rationis & voluntatis resultat quædam libertas sive quoddam dominium ad aliquid disponendum & faciendum, ad quod altera ipsarum per se non sufficeret. Et istud propriè dicitur liberum arbitrium, & tunc propriè dicitur vis motiva animæ rationalis imperativa.

De synderesi quid est.

SYNDERESIS est vis motiva seu potentia naturalis animæ rationalis, quæ semper nata est figi in superioribus, naturaliter movens & stimulans ad bonum & abhorrens malum, & in istis nunquam est errans, nec secundùm synderesim est peccare. Et dicunt aliqui synderesim esse conscientiam vel conscientiæ judicium. Et dicitur etiam vis imperativa, quia semper de se imperat & inclinat ad bonum.

De ratione quid est.

RATIO dicitur ipsa vis motiva animæ rationalis consiliatrix, & discernit conferendo inter bonum & malum, & inter bonum & melius, comparando scilicet unum ad alterum, & dicitur simul cognitiva & motiva: cum enim judicat aliquid esse bonum vel malum & ibi sistit, tunc dicitur cognitiva. Si verò ulterius procedat judicando aliquid bonum, ut scilicet fiat, vel malum evitetur, tunc dicitur esse motiva. Si verò adhuc ampliùs procedat, & non solum judicat aliquid esse bonum ut fiat, sed cum hoc etiam illud fieri appetat; tunc jam transit in liberum arbitrium, quod comprehendit rationem & voluntatem, ut supra dictum est. Hæc vis animæ, scilicet ratio, dividitur in partem superiorem & in partem inferio-
A rem. Pars superior, communiter ratio superior nominatur, & pars inferior ratio inferior. Et licet istæ duæ partes idem sint in re & essentia, diversificantur tamen secundùm rationem suarum operationum seu officiorum ac etiam suarum dispositionum, sicut diceretur de eodem oculo nunc sursum nunc deorsum aspiciente: superior enim pars rationis seu superior ratio, divinis & æternis intendit; inferior verò, de transitoriis judicat & ea disponit. Item superior pars rationis innititur & ratiocinatur per Leges seu per rationes divinas & æternas, utputa hoc est faciendum vel non faciendum, quia Deus præcipit vel prohibet. Nec habet motum circa res transitorias & temporales, nisi in quantum ad eas per modum consilii rationes æternas & divinas deducit. Inferior verò pars innititur & ratiocinatur per Leges & rationes humanas, utputa tale quid faciendum est vel non faciendum, quia honestum vel inhonestum est, vel
B quia Reipublicæ expedit vel non expedit. Item superior pars regit, & hinc vocatur superior, inferior verò regitur & hinc vocatur inferior. Superior pars comparatur homini Adæ, & sibi communiter attribuitur consensus; quia dum ratio ad superiora convertitur, purgatur & illuminatur, dumque rationes æternas conspicit, in bono fortificatur & vigoratur: inferior verò pars comparatur mulieri Evæ; quia dum ratio ad hæc inferiora convertitur, & circa res corporales versatur, jam per sensualitatem cui conjuncta est molliri incipit, & sæpe ab eis allicitur & trahitur: videt enim sibi semper pomum porrigi, id est illecebram quæ est carnalis concupiscentia & delectatio, vicinam habet.

De Voluntate & quadam ejus divisione.

VOluntas dicitur vis affectiva motiva, immò inter motivas præcipua, cum sit generalis motrix om-
C nium virium: cum enim intellectus apprehendit aliquid ut bonum vel ut conveniens, voluntas viribus affixis ipsis organis sensuum imperat, sicut est visui ad videndum, auditui ad audiendum, & sic de aliis sensibus. Similiter in motu locali voluntas imperat virtuti animali motivæ membrorum & virtuti quæ est in nervis, & ita movet ad ambulandum & currendum, & hujusmodi similia. Inter potentias animæ nulla est liberior; quia nec obligatur organo, nec cogitur objecto, propter quod dicit Augustinus quòd *nihil adeò in nostra potestate est sicut voluntas.* Et dividitur in voluntatem naturalem & in deliberativam. Prima, scilicet naturalis, dirigitur per synderesim. Secunda verò, scilicet deliberativa, dirigitur per rationem. Et sunt idem in essentia, sed differunt in modo appetendi seu volendi: naturalis enim semper inclinat & instigat ad bonum honestum, & remurmurat contra malum, quia cum per synderesim dirigatur, immutabiliter appetitus ejus ad beatitudinem inclinatur; deliberativa verò post rationis deliberationem, aliquando adhæret bono; aliquando malo: &
D prout appetit facere hoc vel illud, dicitur deliberativa, & secundùm judicium rationis per quam dirigitur, potest ad malum inclinari, quia sæpe contingit rationem in deliberando deficere.

An

AN PRIMI MOTUS

Sint peccata, & quæ.

ISTIS sic præsuppositis, videndum nunc occurrit de ipsis primis motibus, an scilicet sint peccata & quæ; quod in effectu est quærere, an in sensualitate possit esse peccatum, cum ipsa sensualitas hujusmodi motuum principium sit & subjectum. Circa quod varii sunt modi dicendi; sed quantùm ad hunc Tractatum sufficit, tangetur communior. Pro cujus declaratione est adhuc ultra superius notata sciendum, quòd sensualitas in hoc proposito dupliciter considerari potest. Uno modo in se & simpliciter, & isto modo sensualitas in furiosis & infantibus sicut & in aliis hominibus esse dicitur, immò isto modo considerando, in ea (ut dicit Augustinus, utque supra tactum est) cum brutis communicamus: & isto modo accipiendo, in sensualitate nullo modo potest esse peccatum. Alio modo potest sensualitas considerari non ita simpliciter; sed quodammodo respectivè, prout scilicet est quodammodo ad rationem ordinabilis & ab ea persuasibilis. Et isto modo considerando quando contingit sensualitatem ad illicitum moveri, & sic quodammodo à regula justitiæ deordinari; talis ejus deordinatio habet rationem peccati, in quantum tamen peccatum dicit & importat quamdam rationem vitii, quamdamque deordinationem quæ potest esse via ad opus prohibitum & vituperio dignum; non tamen in quantum peccatum dicit culpam, quia actus vitiosus ea sola ratione dicitur culpa qua est à voluntate. Et juxta hunc duplicem modum considerandi, verificatur illud quod à nonnullis dicitur, quod est aliquis actus proprius sensualitatis simpliciter consideratæ, qui non est proprius actus sensualitatis in quantum humana.

A

B

Est etiam sciendum quòd, ut ex supra tactis satis elici potest, triplex in anima quantùm ad hanc materiam spectat, reperitur esse motus seu appetitus, scilicet naturalis, sensitivus, rationalis: motus autem animæ prout hic accipitur, nihil aliud est quam animæ inclinatio in aliquid, & ideo illis animæ viribus seu potentiis quibus inclinatio non convenit, non attribuitur propriè motus: inclinatio autem est in appetitu qui movet in aliquid agendum vel habendum, & ideo actus appetitivarum virtutum animæ motus propriè vocantur, non autem actus virtutum apprehensivarum. Motus seu appetitus naturalis est quem non imaginatio gignit seu causat, sed ipsa qualitatum naturalium dispositio, quibus naturales animæ vires suas actiones exercent. Occurrit iste motus repentè & quasi subitò, ut esset dare exemplum in repentino motu seu appetitu cibi vel alterius delectabilis. Hic motus in nullo rationi subjacet nec obedit; sed nec voluntas super eo quodcumque habet dominium, cum naturalis sit & sit extra genus moris seu morale, & ideo nec in eo peccatum esse potest; & licet effectualiter in sensualitate sit primo modo considerata, non tamen communiter nominatur motus sensualitatis, sed motus naturalis, ex eo quia (ut tactum est) ad naturalium qualitatum actionem consequitur & vocatur iste motus ab aliquibus primò primus motus: motus autem seu appetitus sensitivus, est qui ex præcedenti imaginatione, vel ex præcedenti motu naturali consequitur, & vocatur iste motus secundò primus quia est ille motus qui primò post motum naturalem (de quo statim supra) insurgit seu occurrit. Et attribuitur iste motus sensualitati secundo modo consideratæ in quantum scilicet humana & ad rationem ordinabilis; & isto modo sumendo sic describitur. Primus motus est motus sensualitatis secundùm impulsum fomitis, tendens impetuosè ad fruitionem creaturæ delectabilis. Hujusmodi primi motus sensualitatis quodammodo in nostra potestate sunt & quodammodo non: si enim quilibet eorum sigillatim consideretur, sic in nostra potestate sunt; quia quemlibet eorum possumus prævidendo declinare & impedire ne insurgat. Si autem omnes simul considerentur, non sunt in potestate nostra; quia licet impedire possumus ne iste vel ille insurgat, non est tamen in potestate nostra facere quin aliquis insurgat, immò dum uni obviare nitimur, ex altera parte potest alius motus surripere; non enim potest esse similis intentio voluntatis retinentis contra diversa in actu: ut dari potest exemplum de nauta, qui singula foramina suæ navis obstruere potest, ne per illa aqua intret, sed non potest omnia simul obstruere ut aqua nusquam intret; & ratio est, quia huiusmodi primi motus sensualitatis, sicut sunt peccata, ita sunt pœna peccati, scilicet originalis, & ideo meritò dicuntur venialia, quia hoc ipso veniâ digna sunt. De tertio motu seu appetitu scilicet rationali, dicetur infra ubi de delectatione & consensu tangetur.

C

D

Est insuper notandum quod triplex in respectu ad ipsam voluntatem reperitur differentia actuum, & intellige sive interiorum sive exteriorum, ut etiam motus interiores comprehendantur: aliqui enim sunt super quibus ipsa voluntas nullum habet dominium neque completum neque incompletum; immò quin etiam eos sigillatim considerando, nullo modo sunt in potestate nostra, ut sunt actus quos voluntas non solum non imperat, sed nec impedire aut reprimere potest, ut sunt primi motus naturales, de quibus supra, & in talibus nullum est peccatum nec veniale nec mortale: & ratio est, quia nullus actus ponitur in genere moris seu moralis nisi habita consideratione ad voluntatem, quæ est principium omnium actuum moralium. Et hinc est quod ibi dicitur genus moris incipere, ubi primum dominium voluntatis invenitur. Alii sunt actus in quibus voluntas dominium quoddam habet, non quidem completum & perfectum, sed incompletum & imperfectum, ut sunt actus qui non per imperium ipsius rationis procedunt; sed tamen potest eos voluntas si voluerit impedire & reprimere, non quidem ne insurgant; sed ne ulterius, usque scilicet ad delectationem & consensum procedant, quales sunt actus qui præcedunt apprehensionem rationis, & istorum actuum dicitur voluntas causa, non quidem de per se, quia non imperat; sed de per accidens, quia non impedit cum impedire possit, & isto modo dicitur voluntas causa primorum motuum; & in talibus si deordinatio contingat, rationem peccati habet, non quidem peccati perfecti & completi, ut est peccatum mortale; sed tantùm incompleti & imperfecti, quale est peccatum veniale. Alii sunt actus in quibus voluntas completum & plenum habet dominium, ut sunt actus qui ex ejus imperio procedunt, & qui non solum apprehensionem, sed etiam deliberationem rationis sequuntur: & in istis consistunt actus virtutis vel peccati mortalis, nisi ex electione procedat; electio autem non nisi ex imperio voluntatis progreditur. Et ideo non potest esse virtus vel peccatum mortale nisi in illis actibus qui ex imperio voluntatis procedunt & ejusmodi actuum dicitur voluntas esse causa de per se & simpliciter, quia ut tactum est, ipsos imperat; & de istis actibus latior in sequentibus venit faciendus sermo: & secundùm hanc distinctionem intelligi & accipi debet, dum scriptum reperitur, quod omne peccatum est in voluntate; non enim est intelligendum quod sit in voluntate tanquam in subjecto, sed tanquam in causa, ut tactum est, de per se & simpliciter, vel de per accidens.

Ex præcedentibus clarè liquere potest quando primi motus seu motus sensualitatis peccata sunt, & quæ: motus enim seu appetitus naturalis qui dicitur primò primus, nullo modo est peccatum, quia ut

satis

satis supra declaratum est, voluntas nullum super eum dominium habet, neque completum neque incompletum, nec est in potestate nostra. Motus seu appetitus sensitivus qui secundò primus dicitur, & propriè sensualitati attribuitur, cum talis motûs (ut tactum est) ipsa sensualitas sit principium & subjectum, peccatum est, sed veniale. Peccatum quidem, tùm propter quandam inordinationem, quandamque delectationem annexam quæ in eo est, tùm quia quodammodo voluntarius est, non quidem secundùm se, sed quia à voluntate quæ super eo dominium, licet incompletum habet, & quæ semper secundùm judicium rationis moveri debet, ipsum dùm præsentit, non statim reprimit, vel scilicet inquantum potest impediendo, vel non consentire deliberando, vel cogitationem in aliud divertendo. Veniale quidem quia illud dominium quod sic super hujusmodi primum sensualitatis motum ipsa voluntas habet, non est dominium completum nec est in ejus plenaria potestate illud ad quod sic ille motus seu appetitus sensualitatis inclinat à se statim abjicere, & ideo in eo nulla potest esse ratio peccati mortalis, sed solum venialis. Aliam rationem quare in sensualitate, modo quo supra considerata, potest esse peccatum sed non mortale, assignant alii, quæ licet in effectu in idem cum supra tacta redire videatur, ad majorem tamen declarationem, & quia frequenter diversi intellectus diversis rationibus moventur, visa est non debere omitti. Et est ista, quia aliter vitiat & deordinat mortale peccatum, & aliter veniale: mortale enim vitiat & deordinat deordinatione perfecta & consummata, respectu finis ultimi, quæ deordinatio consistit in aversione ab ipso ultimo fine qui est Deus, ac ejus contemptu, cum deliberato consensu, quæ omnia solius sunt rationis, cum (ut sæpe in superioribus dictum est) ejus sit actus humanos regulare, & in finem ultimum dirigere. Deordinatio verò peccati venialis, non est deordinatio perfecta & consummata; sed solum inchoata: non enim habet peccati deordinatio in potentia inferiori consummari, sed solùm inchoari, & in potentia superiori fit consummatio; & hinc est quod in ratione quæ est potentia superior, consistit peccatum mortale: in sensualitate verò quæ est potentia inferior, non consistit nisi veniale. Et intelligantur prædicta etiam de primis motibus actuum prohibitorum, quorum scilicet delectatio & consensus, & à fortiori actus exterior, de suo genere sunt, aut esse possunt peccata mortalia: nam de aliis quorum delectatio, consensus & actus de suo genere non sunt nec esse possunt nisi peccata venialia, ridiculum esset quærere & non benè sanum dicere & ponere eorum primos motus quæ in sensualitate sunt, peccata mortalia esse.

Ex quibus omnibus liquet, quod licet ipse primus motus sensualitatis non habeat rationem mortalis peccati; potest tamen peccatum mortale concurrere, immò vix sine eo potest peccatum mortale committi; licet aliqui aliter dicere ausi sint, distinguentes circa hoc duo genera peccatorum, scilicet spiritualia, quorum aliqua contingere dicunt circa objectum apprehensum à sensualitate, & à talibus rationem inferiorem sine sensualitate non peccare, ut exemplificant in odio felicitatis alienæ in se. Aliqua verò contingere dicunt non circa objectum à sensualitate apprehensum, & in talibus rationem inferiorem sine sensualitate peccare posse, ut in debita curiositate scientiæ. Carnalia autem semper dicunt circa objectum sensualitatis contingere, & ideo in his rationem inferiorem nunquam sine sensualitate peccare; sed qui benè radicem & originem cujuslibet peccati investigare voluerit, reperiet nullum esse peccatum in quo ipsius sensualitatis motus non concurrat, immò quin in eo propinquè vel remotè inchoetur.

Octo autem communiter assignantur rationes seu causæ, quare homo pronior est & proclivior ad malum, quam ad bonum. Prima causa est, quia ut dicit Sapiens. Sap. IX. 15. *Corpus quod corrumpitur aggravat animam*, eam scilicet trahens ad malum, & non sic erigens ad bonum. Secunda causa est, quia ut dicit Augustinus *plus valet malum inolitum quam bonum insolitum.* Quod sic exponi potest. *Plus valet*, id est, fortius est ad movendum, scilicet & attrahendum *malum inolitum*, id est, naturale & innatum, *quam bonum insolitum*, id est, non consuetum. Tertia causa est, quia naturaliter faciliùs est descendere quàm ascendere, immò magis trahit unum deorsum, quàm decem sursum. Quarta causa est, quia communiter ea quæ nos ad malum incitant & inducunt, nobis præsentia sunt; finis verò & præmium virtutis nobis absens est. Quinta causa est, quia plures circumstantiæ ad bonum actum requiruntur quàm ad malum, immò bonum non fit nisi ex concursu omnium circunstantiarum ad illud debitarum; malum verò contingit ex defectu unius. Sexta causa est, quia continuè ad nostrum principium, scilicet ad nihilum tendimus. Septima causa est, quia fomes qui nos ad malum movet & pronos facit, semper intra nos est; gloria verò quam quærimus, extra nos. Octava causa est, quia vires animæ ad diligendum temporalia sunt activæ; ad ea verò quæ sunt gratiæ & gloriæ, sunt quodammodò materiales & passivæ: virtutes etenim per modum acquisitionis haberi non possunt, sed solum per modum receptionis; quia malum ex nobisipsis & per nos facere possumus, bonum verò facere non nisi gratia Dei adjutrice valemus.

DE NATURA
DELECTATIONIS,
ET AN SIT PECCATUM,
Et quod.

EXPEDITIS his quæ circa primos motus sensualitatis dicenda occurrebant, venit aliquid de delectatione tangendum, an scilicet sit peccatum, & quod. Pro quo intelligendo, expediens est aliquas ex multis & variis delectationum divisionibus & speciebus, quæ per nonnullos assignari solent, quantùm ad præsentem materiam sufficit, declarare.

Una igitur inter ceteras divisio ponitur, quod delectationum aliquæ sunt corporales & sensitivæ, aliæ sunt spirituales seu intellectuales. Delectationes corporales & sensitivæ dicuntur, quæ in appetitu sensitivo & de bono sensibili, seu bono secundùm sensum fiunt; spirituales verò seu intellectuales sunt, quæ in appetitu intellectivo & de bono intelligibili, seu bono secundùm intellectum consistunt: certum est enim delectationem frequenter apprehensionem rationis sequi, apprehendentis scilicet aliquid tanquam bonum & conveniens; ad quam rationis apprehensionem non solum contingit commoveri appetitum sensitivum per applicationem ad aliquam rem particularem; verumetiam appetitum intellectivum, qui propriè nihil aliud est quàm voluntas per applicationem ad aliquid intelligibile, & secundùm hoc in appetitu intellectivo est delectatio, sicut & esse potest in appetitu sensitivo. Sed inter hujusmodi istorum appetituum delectationes multùm interest: nam delectatio appetitus sensitivi semper est cum aliqua transmutatione corporali, & isto respectu propriè debet accipi & intelligi, dum communiter dicitur delectatio quædam passio esse; quamvis etiam & de delectationibus intellectualibus ita intelligi possit, sed non ita propriè. Quod tamen in utrisque delectationibus intelligendum est, capiendo passionem non propriè & strictè, prout scilicet convenit passionibus corruptivis & in malum tendentibus, ut ægritudines, timor, tristitia & hujusmodi; sed

sed largè & quodam modo impropriè, prout scilicet dicit quandam corporalem alterationem, seu animæ affectionem. Delectatio verò appetitus intellectivi de se semper est sine transmutatione corporali; quia propriè nihil aliud est quàm simplex motus voluntatis se ad aliquid complacenter applicantis; & hinc dicit Augustinus quod *cupiditas & lætitia nihil aliud est quàm voluntas in eis consentiens quæ volumus.*

Primæ delectationes scilicet corporales & sensitivæ, licet à corpore & sensu denominentur, sunt tamen delectationes totius compositi: nam in eis est tam corporis quàm animæ delectatio. Corporis quidem, propter apprehensionem sensus qui est virtus in organo corporeo, & qui non nisi mediante organo corporis apprehendere potest, ex qua apprehensione dùm (ut tactum est) fit de bono & convenienti secundùm sensum, sequitur quædam virtutis appetitivæ quies, in eo quod amat seu optat, & hinc creatur illa delectatio corporalis. Animæ verò, tàm ex eo quod omnes hujusmodi vires appetitivæ & apprehensivæ in eo consistunt, quàm etiam propter apprehensionem ipsius rationis, quæ similiter illud idem quod per sensum tanquam sibi bonum & conveniens apprehensum est, etiam tanquam bonum & conveniens toti corpori apprehendit. Si enim ratio nihil apprehenderet, tunc propriè non esset delectatio, ut esset dare exemplum in infantibus & in insensatis, quorum licet sensus suum objectum tanquam sibi bonum & conveniens apprehendere possit, & ex hinc, ut tactum est, sequi quædam virtutis appetitivæ in eo quod amat & desiderat quies; quia tamen in eis ratio nihil apprehendit nec dijudicat, & sic nec se delectari intelligunt aut cognoscunt, ideo propriè delectari non dicuntur. Et hoc est in effectu quod per aliquos dicitur, quòd ad propriam delectationem tria habent concurrere, scilicet duo quorum est conjunctio seu applicatio delectabilis, utputa appetentis & illius quod appetitur; & tertium est hujusmodi conjunctionis seu applicationis cognitio: ex quo insurgit quod communiter dicitur delectationem propriè non sine cognitione fieri, nec propriè delectationem esse, ut jam exemplificatum est. Nec mirum si in hujusmodi delectationibus totius compositi seu totius hominis, dicantur sensus & ratio, quamvis diversæ sint eorum operationes, circa idem delectari: nam certum est quod sicut idem potest per sensum & per rationem apprehendi, ita contingere potest illud idem secundùm sensum & rationem considerari, & ex hinc provenire quod sensus & ratio circa illud idem delectabuntur; sed non fit eodem modo: nam sensus in eo in quo delectatur, solum delectatur inquantùm illud apprehendit tanquam bonum & conveniens, & sic delectabile in sensu: ratio verò in illo eodem delectatur; sed solum inquantùm illud apprehendit in ratione boni vel convenientis ad regimen & sustentationem totius corporis. Et intelligantur prædicta de inferiori parte rationis seu de inferiori ratione; quia superiori rationi delectatio non attribuitur, sed solùm consensus in actum qui deliberationem sequitur, ut latiùs infra tangetur.

Secundæ verò delectationes scilicet spirituales & intellectuales sunt delectationes solius animæ; quia in eis nulla est necessaria apprehensio seu operatio sensus, ut facilè est considerare.

De alia divisione delectationis.

ALIA divisio reperitur, quod delectationum aliquæ sunt spirituales, aliæ carnales. Nec hìc accipitur spiritualitas & carnalitas prout statim supra, inquantùm scilicet solùm animæ vel corporis delectationem importet; sed ut capit Apostolus, distinctionem faciens inter hominem spiritualem & carnalem 1. *ad Corinthios* III. & in pluribus aliis locis.

De delectatione spirituali.

DELECTATIO spiritualis prout hìc accipitur, est quæ est in Deo Creatore vel propter Deum. In Creatore quidem, quando scilicet homo in eo directè delectatur, considerando scilicet & contemplando suam immensitatem, majestatem & virtutem & bonitatem, & hujusmodi: juxta illud Psalmi LXXVI. 4. *Memor fui Dei & delectatus sum.* Et illud. XXXVI. 4. *Delectare in Domino; & dabit tibi petitiones cordis tui.* Propter Deum vero, quando scilicet aliquis in aliquo bono alio à Deo, sive sit intellectuale sive corporale, debitè delectatur; non tamen illic sistendo, sed delectationem illam purè in Deum reflectendo: ut si quis exempli gratia, in scientia sibi data delectaretur, inquantùm se per eam in Deum, ad laudemque suam & sui nominis exaltationem proficere posse speraret, vel in aliqua re magna, pulchra vel admirabili, manuducendo per illud intellectum suum in admirationem & delectationem infinitæ potentiæ, sapientiæ & bonitatis Dei. Juxta illud Psalm. XCI. 5. *Delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.* Et de hujusmodi delectationibus non est hìc longior protrahendus sermo, tùm quia materiam præsentem propriè non concernunt; nisi inquantùm speciem diversam à carnalibus constituunt, de quibus hìc tractandum venit, tùm quia hujusmodi delectationes spirituales non solum peccata non sunt, sed meritoriæ; immò tantæ esse possent quod ad magnam perfectionem hominem ducerent.

De delectatione carnali.

CARNALIS verò delectatio quæ prout hìc sumitur, & à spirituali, de qua statim tactum est, distinguitur, potest juxta supra tacta tam de bono intelligibili quàm de bono sensibili esse; duplex iterum quantùm ad hunc Tractatum sufficit reperitur. Una naturalis, alia voluntaria. Naturalis, prout à voluntaria distinguitur & strictè capiendo (nam largè sumendo, delectatio etiam voluntaria naturalis dici potest) est cum unaquæque vis animæ in suo objecto, quod tanquam sibi bonum & conveniens apprehendit delectatur, utputa ratio in cognitione veri, visus in coloribus maximè mediis, auditus in sonis mediocribus, & sic de aliis: & licet talis delectatio vix unquam haberi possit, quin in ea sit aliquis concursus rationis & voluntatis, immò ut supra tactum est, non propriè aliàs delectatio dici deberet; tamen ut in simili superiùs de primo motu in sensualitate dictum est, in se considerata, nullam importat seu respicit rationis vel voluntatis operationem, immò propriè nihil aliud est quàm quædam naturalis virtutis appetitivæ quies in aliquo bono sibi convenienti amato seu desiderato; ut possit poni exemplum de delectatione quæ habetur in calefactione post magnum frigus, vel potu post vehementem sitim. Et hujusmodi delectatio sic considerata, de se nec laudabilis nec vituperabilis est: quia ut frequenter supra tactum est; quod actus dicuntur virtuosi vel defectivi, hoc habent à ratione & voluntate, inquantùm scilicet ab eis imperantur vel consentiuntur.

Voluntaria verò delectatio est propriè quæ apprehensionem rationis consequitur: cum enim ratio aliquid tanquam bonum conveniens apprehendit, causatur in ea quidam motus seu appetitus ad illud sic apprehensum, quem consequitur delectatio, quæ propriè nihil aliud est nisi quædam voluntatis complacentia in eo quod sic ipsa ratio apprehendit. Et hic motus seu appetitus rationis, est ille motus seu appetitus qui rationalis nominatur, de quo supra ubi de primis motibus sensualitatis actum est, fiebat à motu seu appetitu naturali & à motu seu appetitu sensi-

sensitivo districtio; & licet hujusmodi delectatio voluntaria, ut statim supra tactum est, possit etiam largè sumendo naturalis dici; hìc tamen solummodò consideratur inquantùm à ratione quæ voluntatem regulare habet (juxta quod infra latiùs declarabitur) imperatur aut consentitur, & inquantùm ipsa voluntas in cujus libertate erat apprehensionem & motum rationis sequi vel non sequi: propter quod hujusmodi delectatio voluntaria appellatur, ad ipsam etiam movetur & inclinatur, quia sub ista consideratione & non aliàs venit hìc de hujusmodi delectatione, an scilicet peccatum sit & quod investigandum.

Nunc igitur ad propositi cœpti declarationem accedendo, hujusmodi rationis apprehensio & exindè delectatio voluntaria consequens, aut est debitè regulata, debitèque mensurata, ut scilicet sit in rem licitam & quantùm debet & quomodò debet, ut exemplificari posset de delectatione etiam in se bonarum operationum, immò etiam ad magis materiam declarandam in actu venereo, in legitimo tamen matrimonio, & cum debitis circumstantiis; vel delectatione cibi & potus, & hujusmodi, etiam post apprehensionem rationis contingentibus; & talis delectatio non est peccatum: nec enim possibile esset aliquem humanitùs sine aliqua sensibili & corporali delectatione vivere. Aut hujusmodi delectatio voluntaria sic rationis apprehensionem consequens non est debitè regulata & moderata, immò defectiva & inordinata, utputa quia est in rem illicitam, vel quia debitam mensuram aut debitum modum excedit, quod ex vitio fomitem movente procedit, propter quod & vitiosa dicitur; & hoc iterum contingere potest dupliciter: aut enim illa rationis apprehensio, & ex hinc delectatio voluntaria ex ipsa consequens est, & fertur circa aliquid quod ex suo genere solum est peccatum veniale, & tunc sive ratio superior verè vel interpretativè (juxta quod infra latiùs declarabitur) consentiat sive non, hujusmodi delectatio de se non est nisi veniale peccatum, ut esset in verbo otioso vel risu superfluo, & hujusmodi. Notanter dicitur de se, quia ex circumstantiis posset effici mortale, utputa propter nimiam libidinem aut contemptum, aut quia cum intentione in aliquod aliud quod de suo genere esset peccatum mortale, prout supra in pluribus locis, maximè ubi mentio facta est quomodò peccatum veniale possit mortale effici, satis declaratum est. Aut illa rationis apprehensio, & ex hinc ipsam consequens delectatio est & fertur circa id quod de suo genere est mortale peccatum: & hinc magis advertendum venit; tum quia de hujusmodi delectatione major est difficultas quomodò & quod peccatum sit; tum quia circa eam major est diversitas positionum Doctorum, qui tamen, licet in suis modis ponendi diversi videantur, effectualiter coincidunt. Est igitur circa hoc distinctio aliquorum bene cummunis: quia si hujusmodi delectatio non est morosa, tunc non est nisi veniale peccatum: si verò morosa fuerit, est peccatum mortale: intelligentes (ut dicunt) de mora consensus in delectationem & non de mora temporis. Notanter dicitur in delectationem, quia de consensu in actum nullum esset dubium.

Sed istud latiori indiget declaratione; tum quia iste modus ponendi innuere videtur aliquam esse delectationem morosam mora temporis, quæ non est morosa mora consensus. De qua tamen an sit peccatum & quod, non satis videtur exprimere; tum quia sic simpliciter dicere consensum in delectationem esse peccatum mortale, non est usquequaque verum: etenim (ut infra videbitur) est consensum in delectationem sub aliqua qualitate reperire, quod non erit nisi peccatum veniale. Et ideo pro ipsa declaratione, quantùm ad præsentem Tractatum sufficit facienda, est advertendum, quod juxta positionis supradictæ effectum, positionemque communiorem, hujusmodi delectatio quæ sic circa id quod de suo genere peccatum mortale existit, est & fertur, in triplici differentia reperitur. Una quidem non morosa, nec mora temporis, nec mora consensus: alia morosa mora temporis, sed non mora consensus; & alia morosa mora consensus, quod tamen intelligendum venit de consensu deliberato.

Est insuper advertendum, quod communiter per omnes Doctores peccatum delectationis præcipuè morosæ, rationi attribuitur, & in ea dicitur esse: cum A enim, ut sæpe supra dictum est, ratio directiva humanorum actuum, & non solum exteriorum, sed etiam interiorum passionum, quotiescumque ratio illarum interiorum passionum directione deficit, meritò dicitur peccatum in ipsa ratione inquantùm earum directiva esset, sicut etiam quando deficit in directione exteriorum actuum. Cum igitur (ut etiam supra tactum est) delectatio sit quædam animæ passio, & per consequens ejus directio & regulatio ad ejus rationem pertineat, & sic circa ipsam delectationem non posset propriè indirectio contingere, quin ex defectu rationis procedat; clarum est omnem indirectionem quæ circa delectationem contingit, rationi debere imputari. Et hinc dicitur peccatum delectationis in ratione esse; immò ampliùs cum delectatio licet sit in vi appetitiva tanquam in primo & proximo principio, sit nihilominus etiam in ratione tanquam in principio motivo, habeatque ipsa ratio (ut jam in effectu tactum est) non solum directionem circa seipsam, sed etiam circa omnia objecta inferiorum animæ virium quæ per eam dirigi possunt; consequens est indirectionem & irregulationem, quæ circa delectationem contingit, cum non nisi rationis consensu vel B defectu contingere possit, debere ipsi rationi imputari, sicque peccatum delectationis in ea esse.

Est insuper ad majorem super propositi cœpti declarationem advertendum, quod licet propriè loquendo peccatum delectationis præcipuè morosæ, quæ juxta supra tacta dicitur ipse consensus in delectationem, posset etiam ad rationem superiorem dici pertinere. Tum primò, quia (ut in superioribus satis tactum est) licet ipsa ratio superior & inferior secundùm rationem suarum operationum & officiorum diversificentur; sunt tamen idem in re & essentia, & sic vix possibile sit rationem ipsam inferiorem circa aliquid & gratia materiæ, de qua sermo, circa delectationes concurrere, quin etiam ipsa ratio superior effectu aliter concurrat. Tum secundò, quia ipsa ratio superior quæ regulis legis divinæ & æternæ quæ superior est innititur, regulare habet ipsam rationem inferiorem, quæ solum C regulis legis humanæ quam inferior est intendit. Et ideo vix est possibile ipsam rationem inferiorem circa indirectionem delectationis deficere, quin verè scilicet imperando, vel interpretativè scilicet reprimere, negligendo ipsa ratio superior consentire dicatur. Tum tertiò, quia nihil est de quo ratio inferior, quæ (ut tactum est) regulis legis inferioris intendit, judicare possit, de quo non est etiam ipsa ratio superior, quæ regulis legis superioris, & ad quam leges aliæ reduci habent innititur, judicare etiam valeat. Quidquid enim (ut communiter dicitur) judicio rationis inferioris subjicitur, subditur etiam judicio superioris, & non è contra. Et hinc (ut jam tactum est) ipse consensus in delectationem, si facta inquisitione circa ipsum per leges divinas D & æternas, homo in eo perseveraverit; ad ipsam rationem superiorem dici possit pertinere. Tamen propriè delectatio ipsa in ipsamque delectationem consensus, solum rationi inferiori attribuuntur. Consensus verò in actum seu actus executionem, ipsi superiori rationi. Et ratio est quia rationi superiori (ut magis infra declarabitur) propter supremitatem legis cui innititur, reservatur judicium finale & supremum de eo quod in actibus humanis ultimum occurrit, quale est ipse actus seu ipsius actus executio: nam ultra actum seu actus complementum, non est ulterior progressus. Ipsi verò rationi inferiori quæ non intendit nisi cir-

circa legem inferiorem, convenit etiam judicium, sed non finale, immò solum quoddam præambulum respectu aliquorum quæ ad actum seu ipsius actus executionem ordinantur, quales sunt ipsa delectatio & in ipsam delectationem consensus: & ideo ipsi rationi inferiori attribuuntur & non superiori. Etiam propriè delectatio & consensus in delectationem, non sunt diversi secundùm genus, qui diversitatem potentiæ exigant; sed differunt solum per deliberatum & non deliberatum, sicque non est inconveniens utrumque rationi inferiori attribui.

Est insuper advertendum, quod magna respectu terrenorum seu humanorum actuum est inter motus superioris rationis & motus inferioris rationis & exhinc voluntatis varietas. Apprehensio namque inferioris rationis, quæ ut sæpè dictum est, de se & per se ipsis actibus & negotiis humanis disponendis & regulandis intendit, dupliciter se habere potest, & secundùm hoc etiam dupliciter potest eam motus voluntatis sequi. Uno modo simpliciter & absolutè, cum scilicet ipsa ratio subitò aliquid apprehendit, & exinde statim sine aliqua discussione illud sic per eam apprehensum tanquam bonum vel malum, conveniens vel nocivum, delectabile vel non delectabile, & hujusmodi dijudicat. Si igitur talem subitam rationis apprehensionem indiscussamque dijudicationem voluntas in unum vel aliud se inclinando sequatur, tunc dicitur voluntas non deliberata & motus seu appetitus non deliberatus. Alio modo inquisitivè, cum scilicet ipsa ratio postquam aliquid sic ut prætertur apprehendit, de illo sic per eum apprehenso, an ut tactum est, bonum vel malum, conveniens vel nocivum, delectabile vel non delectabile existat, ratiocinando investigat; tunc si talem investigationem voluntas sequatur, dicitur voluntas deliberata & motus seu appetitus deliberatus. Rationem verò superiorem, quia, ut etiam supra dictum est, actibus ipsis & negotiis terrenis & humanis de se & per se non intendit, & nunquam in objecta inferiorum animæ virium, quæ per ipsam etiam dirigi habent, fertur; nisi solum inquantùm de ipsis rationes divinas & æternas consulit, quod clarum est fieri non posse nisi per modum investigationis & deliberationis, nunquam respectu ipsorum actuum & negotiorum terrenorum & humanorum sequitur motus aliquis nisi deliberatus. Et notanter dicitur hic, dum de ipsa ratione superiori fit mentio respectu objectorum inferiorum animæ virium, ac negotiorum terrenorum & humanorum: nam respectu sui proprii objecti aliquando benè habet subitum & inordinatum motum, quod non est præsentis speculationis declarare.

Quia etiam sæpe, quod in superioribus dictum est, in subsequentibus forsan repeti continget rationem ipsam ad aliquid moveri & se applicare vel consentire, quod tamen proprium videtur esse voluntatis; est advertendum quod cum ipsa ratio (ut supra tactum est) sit virtus non solum cognitiva, & sic deliberativa, verumetiam motiva, imperare est ejus actus, non tamen absolutè; sed præsupposito actu ipsius voluntatis per modum cujusdam motionis: nec enim cum juxta superius tacta, dividitur ratio in superiorem portionem & inferiorem, accipitur ratio prout distinguitur contra voluntatem; sed pro tota parte animæ intellectivæ, quæ intellectum & voluntatem comprehendit. Immò ampliùs isti duo actus scilicet rationis & voluntatis (quod bene notandum est) se invicem prævenire, ac super se invicem ferri possunt, frequenterque præveniunt & feruntur. Aliquando etenim ipsa ratio de volendo ratiocinatur & deliberat, & ipsa etiam voluntas aliquando de ratiocinando volitionem habet, seu ratiocinari vult. Aliquando etiam contingit motum voluntatis à motu rationis præveniri & moveri, & tunc motus ille voluntatis dicitur motus rationalis, & è converso etiam motum rationis à motu voluntatis præveniri & moveri, & tunc motus ille rationis dicitur motus voluntarius. Ideoque autem sic in istis casibus dicuntur seu appellantur isti motus, quia semper virtus prioris actus seu motus, remanet in actu seu motu sequenti. Et secundùm hoc in ratione invenitur peccatum, vel prout ejus defectus est voluntarius, vel prout actus ejus est principium actus voluntatis. Imperare tamen est essentia-A liter actus ipsius rationis, juxta quod supra tactum est. Dupliciter autem hujusmodi imperandi actum ipsa ratio exercere potest & solet. Uno modo absolutè per modum cujusdam intimationis seu denunciationis & quasi per verbum indicativi modi, utputa tale quid faciendum est vel non faciendum, bonum est tale quid facere vel non facere & hujusmodi. Alio modo per modum cujusdam motionis seu incitationis & quasi per verbum imperativi modi, utputa fac hoc vel non fac hoc. Et licet, ut jam in superioribus aliqualiter tactum est, ipsa ratio in ipsis actibus humanis seu passionibus interioribus per hujusmodi modum directionis intimationis vel incitationis sit imperans & primum movens, ipsa tamen voluntas quoad exercitium & executionem actus, est primum movens in viribus animæ.

Ex sic prænotatorum seu præsuppositorum effectu colligi potest quod circa hujusmodi delectationum de quibus hic agitur (quæ scilicet circa illud sunt quod ex suo genere peccatum mortale existit) directionem, ipsa ratio interdum superior, interdum inferior, & B consecutivè ad eam ipsa voluntas seu voluntatis motus, sex modis seu sub sex qualitatibus habere potest. Uno modo ut abjiciens seu recusans. Alio modo ut præceps vel subita. Alio modo ut reprimens. Alio modo ut inadvertens. Alio modo ut negligens. Et alio modo ut expressè consentiens. Qui sex modi seu sex qualitates applicari possunt, immò effectualiter correspondent tam principali distinctioni trimembri superiùs ad hoc propositum positæ, quàm etiam aliquibus positionibus & distinctionibus benè communibus nonnullorum Doctorum in hac materia loquentium. Ex quorum omnium ad invicem applicatione & declaratione sufficiens, quantùm ad præsentem Tractatum spectat, resultabit ipsius materiæ declaratio & intellectus.

Nunc igitur ad propositum, cum sensualitas illecebra, id est, carnali & voluptuosa delectatione rationem inferiorem tangere & pulsare incipit; seu (quod idem est) illecebra in appetitu sensitivo; vel prout C interdum (juxta quod in superioribus monstratum est) contingere potest, in appetitu intellectivo insurgere incipit.

Ut abjiciens seu recusans.

Aut ratio ipsa inferior statim quod hujusmodi sic insurgentem illecebram seu carnalem & voluptuosam delectationem percipit, & agnoscit eam ex consideratione & applicatione ad legem seu regulam humanam, utputa quod est contra virtutem moralem, & sic vitiosa vel inhonesta vel hujusmodi omninò à se abjicit & repellit; vel forsan utraque ratio concurrenter, scilicet inferior ex ipsa (ut statim tactum est) consideratione & applicatione ad legem seu regulam humanam, & ratio superior ex consideratione & applicatione ad legem & regulam divinam & æternam, quod concurrenter fieri potest, omnino abjiciunt & repellunt: & tunc in utroque istorum duorum casuum dicitur ratio primo sex modorum supra tactorum, seu sub prima qualitate se habere, scilicet ut abjiciens seu recusans. Qui modus seu qualitas se habendi D communis ipsi rationi inferiori attribuitur; quia istud communis ipsa ratio inferior ex seipsa facit. Et tunc nullum est in ratione peccatum. Immò nec tunc propriè dici debet delectatio, sed potiùs quædam delectationis oblatio, & quædam passio seu pœna peccati originalis; & si peccatum aliquod existat, hoc solum est in primo motu sensualitatis, de quo satis in superioribus actum & declaratum est.

Ut

Ut præceps vel subita.

Aut hujusmodi sic insurgentis illecebræ, seu carnalis & voluptuosæ delectationis apprehensionem sequitur quidam præceps & subitus & ante quamcumque præhabitam deliberationem ipsius rationis inferioris in ipsam illecebram seu carnalem delectationem consensus ex ipsius rationis propter vitium fomitis corruptione proveniens, quo casu propriè surreptio fieri dicitur & appellatur. Et tunc ratio dicitur secundo sex modorum supra tactorum, seu sub secunda qualitate se habere, scilicet ut præceps vel subita, qui modus seu qualitas se habendi (ut clarum est) soli rationi inferiori attribuendus est. Correspondetque iste modus seu ista qualitas primo membro principalis distinctionis trimembris superius ad hoc propositum positæ: nam talis illecebra seu carnalis delectatio, sic in se & secundùm se considerata non est morosa, nec mora temporis, nec mora consensus; estque tunc peccatum solum veniale. Quod autem primò talis illecebra seu carnalis delectatio sit non morosa morâ temporis, apparet propter subitam, & præcipitem, & sic minimam prædicti consensus ipsius rationis inferioris durationem in eam: nam si circa eam ratio ipsa inferior ultra prædictum suum subitum & præcipitem consensum, vel ipsa forsan ratio superior aliter se haberet, utputa vel magis immorando, vel expressiùs consentiendo; jam tunc ex isto modo seu ista secunda qualitas recederetur, & ad aliquem aliorum quatuor modorum seu aliarum quatuor qualitatum transiretur, ut statim infra declarabitur. Et ideo hìc notanter additum est, sic in se & secundùm se considerata.

Quod etiam talis illecebra seu carnalis delectatio sit non morosa morâ consensus (capiendo tamen consensum prout juxta duas distinctiones superiùs in hac materia positas, & maximè juxta primam capitur & capi debet, cum dicitur consensus in delectationem peccatum mortale esse, scilicet pro consensu deliberato) apparet respectu etiam utriusque rationis.

Et primò respectu inferioris propter talis sui consensus subtilitatem & præcipitationem, quibus ipsa ratio inferior à recurrendo ad proprium suum actum, qui est deliberare & ratiocinari, & sic à debitè in se circa talem sic insurgentem illecebram seu carnalem delectationem deliberando, legesque & regulas humanas C quibus innititur, consulendo impeditur. Et sic propriè consentire, saltem deliberatè, consentire dici non debet. Immò quod talis subitus motus seu talis qualitas se habendi, ipsius rationis inferioris consensus dicatur & appelletur, hoc est valdè impropriè & imperfectè, & valdè largè. Sed ideo ita dicitur, quia cum ipsa ratio (ut sæpe tactum est) sit virtus cognitiva, & sit deliberativa, vix est possibile ipsam rationem inferiorem sic circa talem illecebram seu carnalem delectationem quantumcumque subitò & præcipitanter commoveri & se applicare, quin aliqualiter (ut adhuc magis infra declarabitur) dijudicet, propter ipsam dijudicationem quodammodo consentire dicatur, licet impropriè & imperfectè, ut supra declaratum est. Et propter istud dum ut præfertur in superioribus, de consensu in delectationem, prout hìc intelligitur, peccatum mortale esse notanter & expressè, ad differentiam istius subiti & præcipitis rationis inferioris consensus, additum est illud verbum deliberato. Quod etiam secundò talis illecebra seu carnalis delectatio non morosa sit mora consensus respectu ipsius rationis superioris patet, quia cum ipsa ratio inferior per ea quæ jam dicta sunt, D dicatur à recurrendo ad suum proprium actum; qui est deliberare & ratiocinari, & sit à debitè in se circa talem sic insurgentem illecebram seu carnalem delectationem deliberando legesque & regulas humanas quibus innititur consulendo per talem sui dicti consensus subtilitatem & præcipitationem impedita, à fortiori & per ampliùs à recurrendo ad judicium rationis superioris impedita dici & reputari debet, & ex consequenti etiam ipsa ratio superior, quæ ab inferiori ratione consulta non fuit; similiter debitè circa A talem sic insurgentem illecebram seu carnalem delectationem deliberandi, ad legesque & regulas æternas quibus innititur, & quæ altiores sunt recurrendi tempus & occasionem seu motivum non habuisse dici & reputari debet. Et sic ipsa ratio superior nullo modo, nec verè nec interpretativè consentiens dici & reputari debet.

Ut reprimens.

Aut hujusmodi illecebram seu carnalem & voluptuosam delectationem sic insurgentem, ipsamque rationem inferiorem pulsare, & jam forsan attrahere incipientem, ratio superior se ex consideratione Legis seu regulæ æternæ, utputa Præcepti divini vel offensæ Dei statim reprimit, & tunc dicitur ratio tertio sex modorum supra tactorum, seu sub tertia qualitate se habere, scilicet ut reprimens, qui modus seu qualitas se habendi, ipsi soli rationi superiori attribuendus est. Correspondetque etiam iste modus seu ista qualitas primo membro ipsius principalis distin- B ctionis trimembris superius ad hoc propositum positæ. Nam tunc talis illecebra seu carnalis delectatio non est morosa, nec morâ temporis, nec morâ consensus. Est etiam solum peccatum veniale. Quod autem talis illecebra seu carnalis delectatio non sit morosa morâ temporis, patet de se ex dictis, quia statim à ratione superiore reprimitur. Quod autem non sit morosa morâ consensus, capiendo tamen consensum prout statim supra tactum est, pro consensu scilicet deliberato & qui in hac materia mortale peccatum dicitur patet; quia licet ratio ipsa inferior à tali sic insurgente illecebra seu carnali delectatione pulsata fuerit, & forsan ut contingere potest, eam quodammodo acceptaverit & retinuerit, nec resistere de se se disposuerit, & propterea quidam imperfectus & indeliberatus ejus consensus intervenisse dici potest, propter quod peccatum est veniale; attamen quia regulationi superioris rationis sic (ut tactum est) talem insurgentem illecebram seu carnalem delectationem statim reprimentis illicò obedit, seque ab ea regulari permittit, non dicitur propriè & deliberatè consentire. Etenim ratio inferior interdum statim & immediatè non recurrendo, scilicet pro tunc ad Leges & regulas humanas quibus innititur potest à Legibus seu regulis divinis & æternis regulari & converti. Quia & si eis principaliter & ut regulans non intendat; per directum tamen & ut secundùm eas regulata intendere potest & sæpe intendit.

Ut expressè consentiens.

Aut hujusmodi sic insurgentem illecebram seu carnalem & voluptuosam delectationem post ipsius rationis apprehensionem, ipsa ratio superior non solum non reprimit, immò in eam expressè consentit, & tunc dicitur ratio ultimo sex modorum supra tactorum seu sub ultima qualitate se habere, scilicet ut expressè consentiens. Qui modus seu qualitas se habendi utrique rationi, diversis tamen respectibus (ut ex statim sequentibus apparebit) attribuendus est; inquantùm etenim ex inde causatur peccatum mortale, imputari & attribui debet rationi superiori: inquantùm verò juxta materiam præsentem consensus in delectationem dicitur, debet rationi inferiori attribui, correspondetque iste modus seu ista qualitas tertio membro ipsius principalis distinctionis trimembris superiùs ad hoc propositum positæ: nam tunc talis illecebra seu carnalis delectatio quantumcumque

modicum teneatur, ſicque forſan non moroſa ſit mora temporis, eſt moroſa mora conſenſus; eſtque tunc peccatum mortale, etiam ſi deſit plena voluntas perficiendi actum, immò ubi forſan expreſſa voluntas non perficiendi adeſſet, maximè ſi feratur ille conſenſus in ipſam illecebram ſeu carnalem delectationem tanquam in rem aut operationem ſeu actum, ſuper quo vel circa quem illa illecebra ſeu carnalis delectatio ſic inſurgit & verſatur, & qui talis illecebræ ſeu carnalis delectationis eſſet principale objectum, juxta quod modicum infra magis declarabitur. Nam tunc primò eſt verus & expreſſus rationis ſuperioris in ipſam illecebram ſeu carnalem delectationem conſenſus, qui ſemper in talibus delectationibus quæ circa ea ſunt, quæ ex ſuo genere mortalia exiſtunt, juxta tamen modificationem ſtatim tactam eſt peccatum mortale; nam ſemper in talibus & circa talia delectatio moroſa mora talis conſenſus, tale peccatum eſt qualis eſſet ipſe realis actus: quia tunc ratio ſuperior ſic expreſſè in talem illecebram ſeu carnalem delectationem, quæ eſt in creatura, conſentiendo, ſe à vera delectatione quæ eſt in Deo, circa quam ſolum intendere debet, ſcienter avertit, quod ſine contemptu facere non poteſt, cum nunquam expreſſè (ut in ſuperioribus monſtratum eſt) in aliquid circa tales res carnales & terrenas conſentire poſſit, conſentireque dicatur niſi deliberata. Deliberata autem facere non poteſt, quin leges & regulas divinas & æternas quibus innititur, conſuleret vel conſulere omiſerit & neglexerit, & ſic verè vel interpretativè contempſerit. Et etiam tunc in talem illecebram ſeu carnalem delectationem ipſius rationis inferioris conſenſus expreſſus, quia in talibus carnalibus & terrenis per ipſam rationem inferiorem apprehenſis, & circa quæ ſe applicant, nunquam ratio ſuperior (quæ ut ſupra dictum eſt, de ſe & ex ſe circa talia non intendit) propriè conſentire dicitur, nec conſentire poteſt, niſi ipſa etiam ratione inferiori realiter deliberata & conſentiente, ſed bene è contra contingere poteſt. Immò propriè loquendo talis expreſſus ipſius rationis ſuperioris in talem illecebram ſeu carnalem delectationem conſenſus, nihil aliud eſt quam quod ipſa ratio ſuperior dictam rationem inferiorem in hujuſmodi illicebram ſeu carnalem delectationem delectari, ac ipſam ab ea non reprimere ſeu retrahere, ac cum ea in tali delectatione concurrere verè & expreſſè deliberata conſentiatur. Et hinc eſt quod licet interdum (prout jam in ſuperioribus tactum eſt) ipſa ratio ſuperior in illecebram ſeu carnalem delectationem verè & expreſſè ſeu interpretativè conſentiat, tuncque talis illecebræ ſeu carnalis delectationis quæ tunc verè mora conſenſus moroſa eſt; moroſaque dicitur, peccatum poſſit ad ipſam rationem ſuperiorem dici pertinere: quia tamen ipſa ſuperior non propriè ex ſe, nec ad ſe hoc facit, illudque etiam non niſi ipſa ſimiliter ratione inferiori deliberata & conſentiente propriè facere poſſit, hinc eſt quod peccatum moroſæ delectationis communiter & propriè, dicitur ad rationem inferiorem pertinere, prout amplè in ſuperioribus declaratum eſt. Et hic eſt talis proprius & deliberatus conſenſus, de quali tam juxta ſæpè dictas duas diſtinctiones in ſuperioribus poſitas, quàm etiam communiter intelligitur, dum dicitur conſenſus in delectationem peccatum mortale eſſe.

Ut negligens.

AUT hujuſmodi ſic inſurgentem illecebram ſeu carnalem & voluptuoſam delectationem poſt ipſius rationis apprehenſionem ipſa ratio ſuperior non reprimit; ſed non etiam expreſſè in eam conſentit. Et reſpectu iſtius caſus poteſt ſe ratio duplici modo ſeu ſub duplici qualitate habere. Uno modo ſeu ſub una qualitate qua talem illecebram ſeu carnalem delectationem, quam ſic ratio ſuperior nec reprimit, nec etiam in eam expreſſè conſentit, ratio inferior poſt ſufficientem deliberationem debitamque animadverſionem periculi & peccati quod exinde imminet & incumbit, retinet & circa eam immoratur, nec eam ipſa ratio ſuperior ex divinæ & æternæ legis & regulæ conſideratione eſt diligens reprimere. Et tunc dicitur ratio quinto ſex A modorum ſupra tactorum ſeu ſub quinta qualitate ſe habere, ſcilicet ut negligens. Qui modus ſeu qualitas ſe habendi, licet quamplurimum & principaliùs (ut ex ſtatim ſequentibus apparebit) rationis inferioris in eo conſenſus occurrat & operetur, attribuendus eſt ſuperiori rationi; quia per iſtum modum ſeu per iſtam qualitatem ſe habendi rationis ſuperioris, cauſatur peccatum mortale, quod aliàs non eſſet. Correſpondetque etiam iſte modus ſeu iſta qualitas tertio membro principalis diſtinctionis trimembris ſuperiùs ad hoc propoſitum poſitæ: nam tunc talis illecebra ſeu carnalis delectatio quantumcumque modicum forſan (ut in ſimili ſupra dictum eſt) teneatur, ſicque non moroſa ſit mora temporis, eſt moroſa mora conſenſus; eſtque tunc (ut jam dictum eſt) peccatum mortale, etiam ſi deſit plena voluntas perficiendi actum, immò prout ſupra in ſimili dictum eſt, ubi forſan expreſſa voluntas non perficiendi adeſſet, maximè ſi (ut ibi etiam dictum eſt) B talis retentio ipſius illecebræ ſeu carnalis delectationis in ipſa ratione inferiori, & negligentia reprimendi in ipſa ratione ſuperiori eſſet tanquam in rem aut operationem ſeu actum; ſuper quo vel circa quem ipſa illecebra ſeu carnalis delectatio inſurgit & verſatur, & talis illecebræ ſeu carnalis delectationis eſſet principale objectum, juxta quod modicum infra magis declarabitur: tunc enim eſt utriuſque rationis in talem illecebram ſeu carnalem delectationem conſenſus, ſcilicet expreſſus ipſius rationis inferioris, quod patet de ſe ex dictis ipſius etiam rationis ſuperioris, licet non verus & expreſſus, interpretativus tamen & æquivalens, attenta tali deliberatione periculique & peccati advertentia ſeu animadverſione, quia qui aviſatus & deliberatus prohibere poteſt & non prohibet, conſentire videtur. Qui quidem conſenſus interpretativus & æquivalens ipſius rationis ſuperioris, quando eſt circa ea vel ſuper eis quæ de ſuo genere peccata mortalia exiſtunt, eſt ſemper peccatum C mortale, quia licet tunc non ſit expreſſus Dei contemptus, factivus ſeu activus & poſitivus; eſt tamen interpretativus, permiſſivus & æquivalens, permittens ſcilicet poſt talem ſufficientem deliberationem, talemque advertentiam ſeu animadverſionem periculi & peccati, &c. teneri à ratione inferiori, illa quæ ſtatim reſpui aut reprimi debuerant. Etenim ratio ſuperior quotiens non dirigit ſeu cohibet aliquem actum vel aliquam paſſionem interiorem alicujus peccati mortalis, & hoc poſt ſufficientem deliberationem & advertentiam talis periculi taliſque peccati quod ſic imminet & incumbit, ſive tunc de lege ſeu regula divina & æterna actu cogitet, ſive non, dicitur conſentire & contemnere, ſed diverſimodè: nam cum de ipſa lege ſeu regula divina & æterna actu cogitat, tunc verè & realiter contemnere dicitur, verèque & realiter contemnit; cum verò de ipſa lege ſeu regula divina & æterna actu non cogitat, quia hoc non niſi ex ſua negligentia & omiſſione D provenire poteſt, cum de ea in tali caſu cogitare deberet, per omiſſionem & negligentiam contemnere, cum talis omiſſio & negligentia in ipſa ratione ſuperiori poſt ſufficientem deliberationem, nullo modo ſine vero & effectuali contemptu, licet interpretativo eſſe & contingere poſſit, ut hic etiam effectivè & interpretativè eſt talis conſenſus, de quali tam juxta ſæpè dictas duas diſtinctiones in ſuperioribus poſitas, quàm etiam communiter intelligitur dum dicitur conſenſus in delectationem, peccatum mortale eſſe.

Ut

Ut inadvertens.

ALIO modo sub alia qualitate, respectu istiusmet casus statim tacti potest se ratio habere; quod scilicet hujusmodi sic insurgentem illecebram seu carnalem delectationem, quam sic post ipsius rationis apprehensionem ipsa ratio superior nec reprimit, nec etiam in eam expressè consentit, ipsa ratio inferior retineat & circa eam immoretur; sed hoc fit ante sufficientem deliberationem, debitamque advertentiam seu animadversionem periculi & peccati, quod exinde imminet & incumbit; immò quod sic dictam illecebram seu carnalem delectationem ipsa ratio inferior retineat, & circa eam immoretur, facit quasi suspensa & non benè advertens, nec debitè ad suum proprium actum, qui est deliberare & ratiocinari, recurrens, seque elevando leges seu regulas humanas quibus innititur consulens: vel si forsan ad dictum suum proprium actum recurrerit, seque levando leges seu regulas humanas consuluerit; non tamen plenè naturam & gravedinem ipsius periculi & peccati ex se cognoscit & advertit. Etenim (quod pro istius materiæ intellectu benè considerandum est) ratio ipsa inferior benè potest circa talem illecebram seu carnalem delectationem, sicut & circa alias interiores animæ passiones, quandoque versari & immorari, considerando & ratiocinando in se, quod tale quid accommodum est vel conveniens corpori vel hujusmodi. quod ipsa respectu talis illecebræ seu carnalis delectationis aut alterius interioris animæ passionis non recurret ad suum proprium actum qui est deliberare & ratiocinari; nec se elevabit considerando & attendendo circa periculum & peccatum, quod in sic illecebræ seu carnaliter delectando, ac circa talem illecebram seu carnalem delectationem vel aliquam aliam interiorem animæ passionem immorando, imminet & incumbit. Vel si forsan ad dictum suum proprium actum recurrat, seque circa dictum periculum seu peccatum considerando & attendendo elevet, non tamen ex se naturam & gravedinem ipsius periculi & peccati plenè cognoscet & advertet. Et tunc in isto scilicet casu dicitur ratio quarto sex modorum supra tactorum seu sub quarta qualitate se habere, scilicet ut inadvertens. Qui modus seu qualitas se habendi ipsi soli ratione inferiori, ut ex statim subsequentibus apparere poterit, attribuendus est; correspondetque iste modus seu ista qualitas secundo membro principalis distinctionis trimembris super hoc ad propositum positæ: nam tunc talis illecebra seu carnalis delectatio dicitur morosa mora temporis & non morosa mora consensus; estque tunc solum veniale peccatum.

Quod enim morosa sit mora temporis patet de se ex dictis & ex natura casus qui ponitur, scilicet propter immorationem ipsius rationis inferioris circa eam: nam si ipsa ratio inferior circa ipsam non immoraretur, sed eam ex se sola aut concurrenter cum ratione superiori statim à se abjiceret; jam ipsa ratio se non isto quarto modo seu sub ista quarta qualitate, sed primo modo seu sub prima qualitate supra posita, (ut satis ibi declaratum est) se haberet. Vel si à ratione superiori sola talis illecebra vel carnalis delectatio statim reprimeretur; jam ipsa ratio se non isto modo seu sub ista qualitate, sed tertio modo seu sub ista tertia qualitate supra jam positis (ut etiam ibi satis declaratum est) se haberet. Sed quod talis illecebra seu carnalis delectatio sit non morosa mora consensus, capiendo tamen consensum prout sæpè supra tactum est in hac materia capi, dum scilicet ponitur consensus in delectationem peccatum mortale esse; hoc satis etiam respectu utriusque rationis patet ex jam statim dictis, & etiam per aliqua eorum quæ in superioribus in declaratione secundi modi seu secundæ qualitatis se habendi ipsius rationis tacta sunt. Nam primò respectu ipsius inferioris rationis, licet per talem ejusdem in dictam illecebram seu carnalem delectationem immorationem videatur & dici possit quidam ejus improprius & imperfectus in ipsam illecebram & cetera intervenire consensus, propter quem est peccatum veniale; non tamen debet talis consensus proprius, perfectus ac deliberatus dici aut reputari: quia (ut ex jam dictis apparet) ante sufficientem deliberationem debitamque periculi & peccati advertentiam seu animadversionem, & sic antequam, ut jam dictum est, ipsa ratio inferior ad suum proprium actum qui est deliberare & ratiocinari, debitè recurreret, legesque seu regulas humanas quibus innititur, consuleret, vel forsan antequam naturam & gravedinem ipsius periculi & peccati plenè cognosceret & adverteret; talis ejus immoratio, talisque improprius & imperfectus consensus contingit: quæ omnia tamen dictam ipsius rationis inferioris immorationem, dictumque improprium & imperfectum præcedere debuissent, & omninò necessaria sunt antequam talis ejus immoratio talisque consensus dici possit, dicique debeat verus & perfectus esse, exinde peccatum mortale contingere possit.

Nec etiam in isto casu respectu ipsius superioris rationis debet talis illecebra seu delectatio morosa mora consensus reputari. Quia, ut sæpe in simili supra tactum est, ex quo ipsa ratio inferior quod sic circa talem illecebram seu carnalem delectationem immoretur, facit quasi suspensa & non bene advertens, nec debitè ante talem immorationem ad suum proprium actum qui est deliberare, ratiocinari, recurrens, seque periculum seu peccatum quod imminebat & incumbebat considerando & attendendo, legesque seu regulas humanas quibus innititur, consulendo elevans à minori, debet dici ad judicium superioris rationis quæ altior & sublimior est, eam scilicet consulendo recurrisse & se elevasse. Et sic non mirum si ipsa ratio superior que de se & per se circa tales actus carnales & terrenos non intendit, nec se semper ex seipsa circa eas leges seu regulas divinas & æternas consulendo applicat, quasi suspensa & non benè advertens, & sic indeliberata, & per consequens nec verè nec interpretativè consentiens, debet in hoc casu dici & reputari. Etiam ut jam tactum est, natura istius quarti modi seu istius quartæ qualitatis se habendi rationis, ut videre clarum est, hoc de se habet & importat, cum expressè importet rationem inferiorem circa talem illecebram seu carnalem delectationem, ante sufficientem deliberationem debitamque advertentiam seu animadversionem periculi & peccati quod exinde imminet & incumbit, immoratam esse. Nam si poneretur ipsa ratio inferior sic post sufficientem deliberationem debitamque advertentiam periculi & peccati immorata fuisse, jam ut in simili statim tactum est, non iste quartus modus seu ista quarta qualitas se habendi ipsius rationis esset, sed unus duorum modorum seu qualitatum immediatè explicatorum; scilicet vel sextus vel quintus.

Et intelligantur hæc omnia hic statim supra prædictorum sex modorum seu sex qualitatum se circa delectationem habendi ipsius rationis tractata principaliter de consensu in delectatione cogitationis, id est, quæ habetur cogitando: nam talis consensus, ut sæpè supra tactum est, principaliter ad rationem inferiorem pertinet, sicut ad ipsam pertinet cogitare, id est actus ipse cogitationis, & etiam ad ipsam quod est cogitare vel non cogitare, inquantùm accipitur ut ad illam actionem ordinatur. Quod notanter dicitur, nam est quemdam alium consensum in delectationem reperire, scilicet in delectationem actus seu operis; maximè dum ille actus seu illud opus est in fieri: qui consensus in talem delectationem sicut & ipse consensus in illum actum seu opus ad ipsam rationem superiorem spectat, & non ad inferiorem.

UTRUM

UTRUM CONSENSUS IN DELECTATIONEM

Sit semper peccatum, & quod.

QUIA in superiùs tactatis & specialiter modicum supra in declaratione sex modorum seu sex qualitatum se circa delectationem habendi ipsius rationis sæpè de consensu in delectationem facta est mentio interdumque tactum quomodo consensus etiam verus & deliberatus, & etiam ipsius rationis superioris in delectationem non semper est peccatam mortale. Pro hujus nec non aliquorum ex præcedentibus majori declaratione quinque rememoranda & advertenda veniunt.

Primum, quod omnis delectatio habet aliquod proprium & principale objectum circa quod fertur & versatur: nec enim aliter ut clarum est, posset delectatio causari & haberi, si non circa aliquid principaliter ferretur & versaretur.

Secundum, quod etiam juxta dictum Philisophi, omnis delectatio sive sit in appetitu sensitivo, sive in appetitu intellectivo, sive ut modicum supra tactum est, sit in cogitatione solùm sive in actu seu executione actus, aliquam operationem consequitur. Etenim ut in superioribus declaratum est, omnis delectatio ex trium concursu causari habet & causatur, scilicet ex boni & convenientiæ per viam appetitivam adeptione & ad eam applicatione, prout scilicet tale bonum & conveniens sentitur vel qualitercumque percipitur, quæ duo sunt, scilicet ipsum bonum & conveniens quod sic sentitur & percipitur, & ipsa vis appetitiva quæ sic illud sentit & appetit; & tertii scilicet cognitionis talis adeptionis & applicationis: nunc igitur ad propositum, clarum est istud fieri non posse, quin primò ut jam tactum est ibi sit aliquod proprium & principale objectum, scilicet illud bonum & conveniens quod sic adipiscitur & applicatur, quin etiam secundò ibi sit aliqua operatio, scilicet tam illa ipsius boni & convenientis adeptio & applicatio, quæ sine aliqua operatione fieri non potest, quàm etiam ipsius actualis talis adeptionis & applicationis cognitio, quæ etiam quædam operatio est, immò ipsa propria operatio etiam de se quoddam bonum & conveniens est. Exempli gratia. Delectatur aliquis in visione alicujus rei pulchræ, vel in gustu alicujus rei sapidæ seu saporosæ vel in rememoratione alicujus magni honoris habiti, vel aliqua simili cogitatione; clarum est in tali delectatione tria concurrere, scilicet primò ipsam rem quæ sic delectabiliter videtur, vel gustatur vel rememoratur, vel cogitatur & illa est illius delectationis proprium & principale objectum. Secundò, ipsam vim appetitivam, quæ per quandam operationem utputa talem visionem, gustationem, rememorationem vel cogitationem illam rem tanquam suum objectum complacenter adipiscitur, & sibi applicatum habet & in eo quietatur. Et tertiò, cognitionem illius adeptionis, & applicationis, quæ si non interveniret, nulla propriè esset delectatio, ut satis in superioribus exemplificatum est de infantibus & insensatis. Ex quibus iterum videri potest quomodo delectatio quælibet potest ad duo comparari seu referri, vel scilicet ad illum proprium & principale objectum circa quod vel in quo sic versatur, vel ad illam operationem quam sic consequitur.

Tertium, advertendum quod etiam ipse consensus in delectationem, qui multùm ampliùs quam ipsa sola delectatio ponit & importat, quique (ut in superioribus pluries tactum est) ipsi rationi semper attribuitur, consequitur, etiam si interveniat, quandam aliam ipsius rationis operationem, scilicet quandam dijudicationem seu ratiocinationem. Nec enim (ut clarum est) ratio ipsa in delectationem aliquam consentire posset, nisi priùs ejus apprehensionem de ea quodammodo dijudicaret seu ratiocinaretur. Ista autem dijudicatio seu ratiocinatio non est aliud nisi quidam ipsius rationis actus interior & in mente existens, qui propriè fieri non potest nisi per modum cujusdam cogitationis seu meditationis, quæ in hoc

A posito pro eodem accipiuntur & reputantur. Et hinc est quod talis ipsius rationis dijudicatio seu ratiocinatio valde frequenter & quasi communiter cogitatio dicitur & appellatur, immò ut modicum supra tactum est, quando consensus in delectationem principaliter rationi inferiori attribuitur, intelligendum est de delectatione quæ est in cogitatione, & non de illa quæ est in actu seu actus executione.

Quartum, advertendum quod quandoqne contingere potest, quod aliqua operatio erit metipsum proprium & principale delectationis objectum, sicut posset esse aliqua alia res ab extra, quia forsan illa operatio (ut jam tactum est) accipietur à ratione, ut bonum & finis in quo aliquis delectando requiescat. Juxta exemplum jam positum, cogitabit aliquis de aliqua magna complacentia quam aliàs habuerit, vel in visione alicujus rei pulchræ vel in gustatione alicujus rei sapidæ vel hujusmodi & in ista cogitatione seu rememoratione delectabitur, certum & clarum est quòd ista delectatio habet pro suo proprio & principali objecto illam operationem quæ sic cogitatur & rememoratur, scilicet illam visionem vel illam gustatio-

B nem, vel hujusmodi.

Quintum, advertendum quod ampliùs contingere potest, scilicet quod illamet propria operatio quam de facto ipsa delectatio consequitur, erit proprium & principale illiusmet delectationis objectum, scilicet vis animæ appetitiva, cujus est propriè delectari in illam operationem, sicut in quoddam sibi bonum & conveniens complacendo reflectetur. Ut gratia exempli juxta casum jam supra tactum. Cogitabit aliquis rememorando de aliqua magna complacentia quam aliàs in aliqua re vel in aliqua operatione habuerit, & in ista cogitatione seu rememoratione delectabitur, non quidem quod illam delectationem quam sic habebat, reflectat in illam rem seu in illam operationem de qua sic cogitabat; sed in ipsam propriammet cogitationem quam sic habebit, utputa quia delectabitur ex eo solum quod sic cogitat, vel quod sic rememoratur; certum & clarum est quod in isto casu ista delectatio habet pro suo proprio & principali objecto

C ipsammet cogitationem circa quam versatur.

Nunc igitur prædicta ad propositum applicando, triplex reperitur cujuslibet delectationis proprium & principale objectum. Aut enim delectatio sic aliquam (ut semper fieri jam tactum est) operationem sequens. Et ut sermo per aliquod particulare exemplum & quod juxta supra tacta communius contingit, clariùs procedat, ponatur, juxta casum jam pluries superiùs tactum, quod aliquam cogitationem consequatur: aut igitur talis delectatio habet pro suo proprio & principali objecto aliquam rem ab extra, quæ tunc forsan cogitatur: aut habet pro suo proprio & principali objecto aliquam aliam operationem quasi rem quæ cogitatur: aut habet pro suo proprio & principali objecto ipsammet cogitationem circa quam actualiter versatur.

Si primo modo, scilicet quod delectatio illa sic co-

D gitationem aliquam consequens pro suo proprio & principali objecto habeat rem aliquam ab extra quæ cogitatur, sic scilicet quod licet talis delectatio circa illam cognitionem versetur, non tamen ex principali ipsius cogitationis intuitu, nec in sola reflexione ad eam, sed principali intuitu, principalique reflexione in ipsam rem quæ sic cogitatur. Et tunc quando talis delectatio & etiam consensus in actum, peccatum sit & quale; satis ex eis quæ modicum supra circa na-

naturam ipsius delectationis tractata sunt, perpendi potest, considerando scilicet (ut ibi tactum est) an talis delectatio sit naturalis, an voluntaria, & an sit circa rem licitam aut illicitam, & an sit moderata aut immoderata, & an talis consensus sit verus & expressus, aut interpretativus & æquivalens, & an sit ipsius rationis superioris vel solùm inferioris, & hujusmodi quæ ibi diffusè explicata sunt.

Si verò secundo modo, quod scilicet illa delectatio pro suo proprio & principali objecto habeat aliquam aliam operationem quæ cogitatur, sic scilicet quod quamvis, ut jam statim tactum est, talis delectatio circa talem cogitationem versetur, non tamen ex principali ipsius cogitationis intuitu, nec in sola reflexione ad eam sed principali intuitu, principalique reflexione in ipsam aliam operationem quæ sic cogitatur: & tunc si talis operatio sic cogitata quæ est proprium & principale objectum illius delectationis, sit de se peccatum veniale, tunc consensus etiam verus & deliberatus in talem delectationem quæ sic circa talem delectationem versatur, non erit nisi veniale peccatum. Si autem illa operatio sic cogitata, quæ est proprium & principale objectum illius delectationis, sit peccatum mortale, tunc etiam consensus verus & deliberatus in delectationem quæ sic circa talem cogitationem versatur, etiam si tunc, juxta quod modicum supra declaratum est, non adsit voluntas deliberata perficiendi actum si facultas adesset, erit peccatum mortale: quia quod homo in cogitatione talis operationis principali ejus intuitu, principalique reflexione in eam delectetur, non contingit nisi ex eo quod ejus affectus seu appetitus est in illam operationem sic cogitatam inclinatus. Et ideo etiam quod in talem delectationem consentiat, nihil aliud est quam quod ipse ex deliberatione eligat seu in hoc consentiat quod affectus suus seu appetitus in illam operationem sic cogitatam inclinatus permaneat & persistat: nullus enim delectatur nisi in eo quod suo affectui seu appetitui est conforme. Quod autem aliquis ex deliberatione eligat seu consentiat quod affectus suus seu appetitus his quæ peccata mortalia sunt conformetur, est peccatum mortale. Et ideò talis consensus in talem delectationem quæ circa cogitationem operationis peccati mortalis tali respectu versatur, est peccatum mortale.

Si verò tertio modo, quod scilicet illa delectatio pro suo proprio & principali objecto, habeat ipsammet cogitationem circa quam actualiter versatur, sic scilicet quod ipsa delectatio circa talem cogitationem feratur in se principalique ipsius cogitationis intuitu, principalique reflexione in eam, utputà juxta supra tacta, quod quis in talem cogitationem ex eo solùm quod sic cogitat delectetur: & tunc quia talis cogitatio etiam si versetur circa rem aut operationem quæ de se peccatum mortale existat, non est tamen de se peccatum mortale, immò vel veniale tantùm; utputà cum aliquis (ut interdum contingit) vanè & inutiliter cogitat, vel omninò sine peccato, utputà cum aliquis utiliter sicut pro prædicando vel disputando de tali re vel operatione cogitat; ideò consensus etiam verus & deliberatus in talem delectationem, non est peccatum mortale, sed solum juxta quod jam tactum est, vel veniale tantùm vel nullum: quia quod homo etiam ex deliberatione suum affectum seu appetitum in his quæ de se peccata non sunt; vel non nisi venialia, eligat vel consentiat esse inclinatum, non potest esse peccatum mortale de se, nisi aliæ circunstantiæ concurrerent; quia cogitatio quæcunque sit in seipsam solum reflexa, nisi alia, ut jam tactum est, concurrerent, nunquam de se & secundùm se est peccatum mortale. Et quia istud nonnullis posset aliqualiter intricatum seu obscurum videri; ad clariorem intelligentiam exemplificant Doctores respectu duorum ultimorum membrorum istius distinctionis hìc immediatè suprapositæ de cogitatione fornicationis. Etenim ut dicunt, cogitans de operatione seu actu fornicationis, sic cogitando duobus principaliter respectibus delectari potest: aut enim sic cogitando, in ipsa sua cogitatione delectabitur in respectu & reflexione ad ipsum actum seu ipsam operationem fornicationis quam sic cogitat, sic scilicet quod principali intuitu talis operationis fornicationis principalique reflexione in eam in tali cogitatione delectatur: aut sic cogitando in ipsa cogitatione delectatur solo respectu, solaque reflexione in ipsa suam cogitationemmet, ex eo solùm scilicet delectatus quod sic cogitat. Si primo modo; tunc consensus deliberatus in talem delectationem quæ sic super tali cogitatione fornicationis versatur, etiam si desit voluntas deliberata perficiendi actum, est peccatum mortale; quia talis consensus juxta quod statim supra declaratum est, nihil aliud est quam quod ex deliberatione quis eligat seu consentiat quod affectus suus seu appetitus permaneat & persistat inclinatus in fornicatione, quod est peccatum mortale, cum fornicatio de se peccatum mortale existat. Ex deliberatione etenim, ut sæpè supra tactum est, eligere seu consentire quod affectus suus seu appetitus permaneat & persistat inclinatus in aliquid, seu conformetur alicui quod de se peccatum mortale existit, est peccatum mortale. Si secundò modo delectetur; cum talis cogitatio de se & secundùm se non sit peccatum mortale, immò ut suprà tactum est, possit utiliter ut pro prædicando vel disputando de fornicatione haberi, sic nec etiam consensus deliberatus in talem delectationem erit peccatum mortale, vel veniale tantùm, vel forsan nullum; quia, ut etiam sæpe supra tactum est, ex deliberatione eligere seu consentire affectum suum seu appetitum esse inclinatum in aliquod, seu conforme alicui quod de se & secundùm se peccatum mortale non existat, non est etiam mortale peccatum. Et propter ista, in declaratione ultimi sex modorum seu sex qualitatum se circa delectationem habendi ipsius rationis supra positorum, notanter addita est illa clausula, maximè si feratur ille consensus in ipsam illecebram seu carnalem delectationem, tanquam in rem aut operationem seu actum supra quo vel circa quem ipsa illecebra seu carnalis delectatio sic insurgit & versatur, & qui talis illecebræ seu carnalis delectationis esset principale objectum, ut est ibi videre. Et intelligantur semper in omnibus præmissis, juxta quod latè in modicum supra tactis declaratum est, consensus verus & deliberatus esse, quando scilicet ratio superior in hujusmodi delectationibus expressè consentiendo concurrit vel eas post sufficientem deliberationem debitamque advertentiam seu animadversionem periculi & peccati quod indè imminet & incumbit, reprimere negligit.

Et hæc quoad ea quæ circa materiam delectationis & consensus in eam, an scilicet & quando & qualia peccata existant, ex dictis Doctorum quantùm ad hunc Tractatum spectare & sufficere visum est, recolligi & elici potuerunt.

DE CONSENSU

In Actum an sit peccatum, & quod.

QUIA verò prout in superioribus, ubi de hac præsenti materia, scilicet de natura primorum motuum delectationis & consensus in actum peccati, tractari incœpit, actum est; licet ut jam proximè monstratum est, possit circa consensum deliberatum in delectationem peccatum mortale formaliter insurgere & contingere, immò communiùs, juxta tamen modificationes modicùm supra positas, insurgat & contingat, non propterea tamen in tali consensu in delectationem adeò est completa tentatio, quin ulteriùs progredi possit, scilicet usque ad ipsum consensum in actum exteriorem, immò in ipso solo consensu

ensu in actum exteriorem dicatur tentatio suppleri, ultraque progredi non posse cum non videatur quid ultra consensum in actum exteriorem ipsa tentatio operari posset: propter istud & etiam servando ordinem prædispositum, post expositionem & declarationem naturæ & qualitatis ipsorum primorum motuum ipsiusque delectationis, venit aliqualiter de natura & qualitate ipsius consensus in actum tractandum & de- A clarandum.

Circa quod primò rememorandum venit, quod jam modicum supra, scilicet de ipsa delectatione & de consensu in eam, cui parti rationis attribuantur, tractatum est, aliqualiter tangi incœpit, scilicet quod consensus in actum seu actus executionem, semper rationi superiori attribuitur; secundùm tamen quod in ipsa ratione voluntas includitur, propter quod juxta superiùs tacta, consensus ille voluntarius dicitur. Et causa est, quia jam ibi etiam aliqualiter aperiri incœpit: cum enim consensus in aliquid de se importet vel præsupponat quoddam judicium de eo in quod sic consentitur, nec enim aliter consensus propriè in aliquid fieri posset, nisi per priùs de illo in quo sic consentitur, ejusque qualitate & natura quodammodò judicatum esset; & in omni judicio, quod benè considerandum venit, ultima Sententia ad supremum Auditorium seu Judicatorium spectet & pertineat: cum insuper, ut etiam sæpè supra tactum est, omnium negotiorum B seu operationum humanarum judicium, ad rationem sive superiorem sive inferiorem spectet, secundùm tamen respectum ad duplicem regulam secundùm quam omnes operationes humanæ (ut sæpissimè etiam dictum est) regulari habent, scilicet vel regulam Legis humanæ, quæ sumitur ex rebus creatis quas naturaliter homo cognoscit, cui regulæ ratio inferior innititur; vel regulam Legis divinæ, quæ sumitur ex rebus æternis & increatis, ad quas homo spiritualiter inclinatur, cui regulæ ratio superior innititur, & ita fit quod ipsa regula Legis divinæ sit superior, immò suprema, & per consequens supremum Auditorium & Judicatorium, ultimaque Sententia ad illam partem rationis pertineat, quæ sic ipsi regulæ Legis divinæ (quæ suprema est) innititur, quæ est pars superior seu ratio superior: cum prætereà de pluribus se invicem consequentibus occurrit judicandum, finale judicium finalisque sententia sit de illo quod in tali consecutione seu concursu est ultimum ultimóque occurrit, & in negotiis humanis ultimum quod sequitur & occurrit, sit ipse realis actus, seu ipsius actus executio, & C per consequens judicium de ipso actu seu actus ipsius executione sit judicium finale sententiaque finalis, & sic ad supremum Auditorium, seu Judicatorium pertinens: sequitur manifestè quod ad ipsam rationem superiorem ad quam sic (ut tactum est) judicium supremum, finalisque sententia negotiorum seu operationum humanarum spectant, judicium de ipso actu seu ipsius actus executione spectat & pertinet, & per consequens etiam consensus in ipsum actum, seu ipsius actus executionem quando intervenit, cum non nisi, ut tactum est, post judicium supremum ac finale, de ipso actu habitum intervenire possit. Ex quo iterum sequitur quod (ut etiam in superioribus sæpe est tactum) quotiescunque talis ipsius rationis superioris consensus sive verus & expressus; sive æquivalens & interpretativus in actum aliquem qui ex suo genere vel aliqua circunstantia peccatum mortale existit, intervenit, talis consensus est peccatum mortale. Quia semper talis ipsius rationis superioris in talem actum peccati consensus, etiam si ipse realis actus, juxta D tamen modificationem, modicum infra tangendam non procederet seu subsequeretur, est tale peccatum quale esset ipse realis actus. Et ratio jam quodammodo in superioribus tacta est, ex præmissisque sumi potest.

Et primò respectu consensus veri & expressi ipsius rationis. Nam ipsa ratio superior, ad quam (ut sic statim tactum est) talis consensus in hujusmodi actum, qui de se ex suoque genere, vel ex aliqua circunstantia peccatum mortale est, pertinet; nullo modo in dictum verum expressum consensum inclinari posset, quin priùs de ipso actu ejusque natura & qualitate deliberaverit & judicaverit, aliàs ut supra tactum est, non esset verus & expressus consensus. Deliberare autem & judicare maximè circa tales actus humanos non potest, nisi regulam Legis divinæ & æternæ cui sic innititur, consulat. Consulta autem regula Legis divinæ & æternæ, in talem actum qui sic de se ex suoque genere vel ex circunstantia aliqua peccatum mortale existit, consentire non potest, quin ipsam regulam & Legem divinam & æternam, actu & realiter contemnat & spernat, seque ab ea totaliter & secundùm habitum avertat: actu autem & realiter regulam Legis divinæ & æternæ contemnere & spernere, seque ab ea totaliter & secundùm habitum avertere non potest, quin peccatum mortale existat. Sequitur ergo, prædicta simul adaptando & applicando, quòd ipsa ratio superior in talem actum peccati mortalis verè & expresè consentire non potest, quin peccatum mortale existat. Respectu verò consensus ipsius rationis superioris æquivalentis & interpretativi hoc idem patet, quia talis actus qui sic de se ex suoque genere vel aliqua circunstantia peccatum mortale existit; cum de ipso supremum & finale judicium, ut sæpè supra tactum est, ad ipsam rationem superiorem spectet & pertineat, committi non potest, nec in realem executionem deduci, quin ipsa ratio superior negligens fuerit ipsum impedire, voluntatemque respectu illius regulare & reprimere, & per consequens quin etiam regulam Legis divinæ & æternæ actu & realiter, si tunc de ea actu non cogitabat, vel per modum cujusdam inexcusabilis omissionis & negligentiæ, si tunc de ea non cogitabat, cum in tali actu cogitare debuisset, contempserit & spreverit, ac si ab ea totaliter & secundùm habitum averterit. Et exhinc dicit Beatus Thomas prima Secundæ suæ Summæ quod ratio superior in ipsum actum peccati consentire dicitur, non solum quia secundùm rationes æternas semper moveat ad agendum, sed etiam quia secundùm rationes æternas non dissentit. Ad propositum etiam istorum dicit Augustinus *de Trinitate*. ***Non potest peccatum efficaciter perpetrandum mente discerni, nisi illa mentis intentio, penes quam summa potestas est membra in opus movendi vel ab opere cohibendi*** (loquens de ratione superiori, prout etiam voluntatem juxta quod jam dictum est, includit) ***malæ actioni cedat vel serviat***; prout hæc latiùs, modicum suprà & specialiter in declaratione quinti sex modorum seu sex qualitatum se circà delectationem habendi ipsius rationis declarata sunt. Quæ ibi tacta possunt ad hoc propositum respectu consensus ipsius rationis superioris in ipsum actum applicari. Et adhuc perampliùs & efficaciùs, cum non tanta culpa ipsi rationi superiori imputari habeat, nec faciliter tam grave peccatum insurgat, dum ipsa verè & expresè, aut æquivalenter & interpretativè in delectationem quæ in sola cogitatione consistit & versatur consentit, sicut quando verè & expresè aut æquivalenter & interpretativè in ipsum actum peccati consentit, ipsiusque actus executionem.

Notanter in præmissis, ubi respectu consensus ipsius rationis superioris in id quod de se ex suoque genere vel aliqua circunstantia est peccatum mortale, de aversione à regula Legis divinæ & æternæ facta est mentio, addita sunt ista verba totaliter & secundùm habitum. Etenim averti à regula Legis divinæ & æternæ (prout jam in superioribus, ubi præcipuè de hac præsenti materia naturæ peccati venialis tractari incœpit, aliqualiter declaratum est) dupliciter contingere potest.

Vel

Vel scilicet totaliter, idest secundùm habitum, qui propriè in hoc proposito nihil aliud est quam quædam inordinatio mentis & intentionis dispositio, ponens seu constituens alterum finem. Quod fit & contingit in omni actu qui de se suoque genere aut aliqua circunstantia habet & importat quod peccatum mortale existat, licet forsan pro tunc talis inordinata mentis ac intentionis dispositio non attenderetur neque A occurreret.

Et exhinc etiam (ut jam satis declaratum est) consensus rationis superioris in talem actum, est mortale peccatum; quia sine tali aversione non potest in talem actum intervenire. Vel contingit talis aversio non totaliter, ideft non secundùm habitum, sed in actu solùm, ideft, pro illo actu qui fit seu exercetur, respectu cujus est benè aliqualis à regula ipsius divinæ & æternæ Legis inordinatio; sed non tanta nec talis mentis & intentionis indispositio, quod alium finem ponat seu constituat. Et sic est & contingit in omni actu qui de se ex suoque genere seu aliqua circunstantia non habet seu importat quod peccatum mortale existat, sed solum veniale. Nam si illud usque adeò procederet, quod illa aversio (juxta quod expositum est) esset totalis & secundùm habitum aliumque finem ponens & constituens, statim à natura peccati venialis excederet, & in naturam peccati mortalis transiret; ut ibi satis expositum est & exemplificatum. Et ex- B hinc similiter consensus rationis superioris in talem actum, qui sic de se ex suoque genere aut aliqua circunstantia non habet quod sit peccatum mortale, sed solùm veniale, non erit etiam nisi peccatum veniale, quia sine illa totali & secundùm habitum aversione, & cum sola quadam inordinatione potest in talem actum intervenire, ut satis ex dictis concipere est. Et intelligantur præmissa, quod scilicet consensus rationis superioris in actum qui de se ex suoque genere aut aliqua circunstantia peccatum mortale existit, est peccatum mortale; etiam si (ut jam supra tactum est) actus ille in quem sic ipsa ratio superior consentit realiter ab extra, non subsequeretur seu adimpleretur.

Si tamen hoc non ex parte ipsius rationis superioris ipsiusque voluntatis, utpote se post dictum consensum jam sic in illum actum seu illius actus executionem præstitum ampliùs avisantis & immutantis; sed propter defectum possibilitatis, facultatis vel alicujus alterius opportunitatis aut circunstantiæ contingeret: nam licet tunc realiter & effectu talis actus non subsequeretur & adimpleretur, proposito tamen C & affectu quantùm ad incursum peccati mortalis, subsecutus dicitur & adimpletus. Et hinc communiter dicitur, quod voluntas prò facto reputatur. Juxtaque istud propriè intelligendum venit illud dictum Christi: Matt. v. *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.*

Ex omnibus sic superiùs circa hanc præsentem materiam naturæ & qualitatis primorum motuum delectationis & consensus in actum peccati tractatis, ea quodammodò epilogando habetur quomodò primus motus primò primus ipsius sensualitatis qui naturalis dicitur, nullum peccatum est. Secundò verò primus motus ejusdem qui ex fomite procedit, peccatum veniale existit. Delectatio autem, sive morosa, sive non morosa morâ temporis, dum tamen non sit morosa morâ consensûs, per rationem scilicet superiorem verè & realiter, aut interpretativè & effectualiter deliberati; quod contingit in secundo, tertio & quarto sex modorum seu sex qualitatum se circa delectationem habendi ipsius rationis superioris superiùs de- D claratis, etiam si dicta delectatio sit & feratur circa ea quæ de se ex suoque genere vel ex aliqua circunstantia peccata mortalia existunt, est solum peccatum veniale. Delectatio verò morosa, morâ consensûs, per rationem, scilicet superiorem verè & expressè aut interpretativè & effectualiter deliberati, quod contingit in quinto & ultimo prædictorum sex modorum, seu sex qualitatum se habendi ipsius rationis, &c. nec non etiam consensûs in actum, quando tamen (ut sæpe supra tactum) sunt & feruntur super his quæ de se ex suoque genere, aut ex aliqua circunstantia peccata mortalia existunt; sunt etiam peccata mortalia. Et ad istud propositum per modum exempli applicant Doctores, licet diversimodè, tentationem quæ fuit in primis Parentibus, ex quorum dictis potest sensualitas ipsa serpenti comparari, ratio verò inferior, ut jam in superioribus tactum est; mulieri Evæ, & ratio superior viro Adæ. Cum igitur in ipsa, primo motu, secundò tamen primo ipsius sensualitatis illecebra insurgit, quod non nisi ex fomitis corruptione provenit, & quasi cum serpens comestionem pomi Evæ suggessit, ideoque tunc peccatum solum veniale est & levissimum. In delectatione vero non morosa, morâ consensûs, qui scilicet consensus fit per rationem superiorem verè & expressè, aut interpretativè & effectu aliter deliberatus, quantumcumque ista dicta delectatio sit forsan morosa morâ temporis, quantuncumque etiam ipsa ratio inferior juxta prædictos secundum, tertium & quartum sex modorum, seu sex qualitatum se habendi &c. vel circa talem delectationem non benè advertat, vel subitò àut impropriè etiam in eam consentiat; tunc mulier sine viro ipsoque ignorante comedere dicitur. Ideoque tunc solum peccatum veniale est; quia quod in delectatione peccatum mortale interveniat, à consensu viri, scilicet rationis superioris vero & expresso, aut interpretativo & effectuali & non aliàs procedit. In delectatione vero morosa morâ consensûs interpretativi & effectualis, quando scilicet ratio ipsa superior juxta quintum sex modorum prædictorum seu sex qualitatum se habendi ipsius rationis &c. talem delectationem reprimere negligit; tunc mulier sola, sed tamen viro sciente comedit, & tunc licet vir non comedat, propter illum tamen ejus consensum interpretativum & effectualem peccatum mortale efficitur, etiam si (ut sæpe dictum est) desit voluntas perficiendi actum &c. Quia mulier benè potest sine viro comedere, mortaliter autem sine viri consensu vero & expresso, aut interpretativo & effectuali non potest peccare. In delectatione vero morosa morâ consensûs veri & expressi, quando scilicet ratio ipsa superior juxta ultimum sex modorum prædictorum seu sex qualitatum se habendi ipsius rationis, &c. verè & expressè consentit; tunc vir non solùm consentit; sed sicut & mulier comedit, & etiam si desit voluntas perficiendi actum &c. est peccatum & gravius quam in casu præcedenti: gravius etenim est in talem illicitam delectationem verè & expressè consentire, quàm non reprimere interpretativè & effectualiter consensum præbere. In consensu vero in actum peccati seu ipsius actus executionem, qui (ut talè supra declaratum est) soli rationi superiori attribuitur, est ac si vir non solum sicut & mulier comederet; sed quodammodò ac si juberet & præciperet; & tunc etiam si juxta superiùs tacta, talis actus realiter ab extra non procederet & sequeretur, est peccatum mortale; & adhuc gravius quam in casibus præcedentibus inquantùm scilicet (ut etiam supra monstratum est) graviùs est in actum peccati seu ipsius actus executionem, quàm in solam ejus delectationem consentire. Vel aliter dici posset, quod scilicet in delectatione morosa morâ consensus veri & expressi ipsius rationis superioris (de qua statim supra) vir non comedit sicut mulier, sed solùm comestioni mulieris consentit (sicut supra dictum est) fieri in delectatione morosa morâ consensus interpretativi & effectualis ejusdem rationis superioris. Estque propter hujusmodi consensum verum & expressum peccatum mortale, sed gravius, ut jam tactum est, quàm in tali consensu interpretativo & effectuali, inquantùm scilicet graviùs est verè & expres-

se in aliquid malum consentire quàm interpretativè effectualiter. Sed in consensu ipsius rationis superioris in actum peccati seu in ipsius actus executionem, etiam si, ut statim dictum est, talis actus realiter ab extra non procederet & sequeretur vir non solùm consentit, sed sicut & mulier comedit, & tunc est tentatio de se consummata & perfecta. Et intelligantur hæ exemplificationes juxta superiùs declarata, quando scilicet hujusmodi delectationes consensusque in actum sunt & feruntur super his quæ de se ex suoque genere, aut ex aliqua circumstantia peccata mortalia existunt. Et hæc quoad talem materiam naturæ primorum motuum delectationis & consensus in actum, ordinisque & progressus tentationis, inquantùm de eis ad propositum hujus octavi Tractatus istius libelli tractandum occurrebat, dicta sufficiant. Qui latiora videre voluerit, habet (ut in superioribus in simili tactum est) Doctores plurimos, tàm Magistrum in. II. Sentent. quàm alios super dicto passu tractantes, quàm etiam Beatum Thomam prima & secunda secundæ partis suæ Summæ.

DE TRIBUS *AD* GRAVITATEM *Peccati conferentibus.*

QUIA verò jam recenter & etiam in superioribus, maximè in declaratione naturæ & qualitatis peccati mortalis dictum & monstratum est, quomodo nonnunquam actus aliquis qui de sui forsan natura ex suoque genere peccatum non esset; vel forsan veniale solum, ex intentionis corruptione; vel ratione remorsus conscientiæ, seu aliqua alia circunstantia potest peccatum mortale effici. Ea propter & etiam ad clariorem semper cognitonem distinctionis seu naturæ peccati venialis à peccato mortali, circa cujus declarationem præsens principaliter materia versatur, visum est expediens de his tribus hìc summatim aliqua perstringere. De intentione ac fine actionis seu operationis. De esse seu natura & qualitate conscientiæ. De natura, qualitate, ac numero circumstantiarum.

DE INTENTIONE, *ac fine actionis seu operationis.*

CIRCA primum est advertendum quod intentio in generali prout hìc & in materia morali scilicet virtutis & peccati sumitur, sic describitur. Intentio est actus voluntatis in aliquem finem tendentis, per aliquid vel aliqua ad illum finem ordinata: dicitur enim intentio quasi in illud tentio. Nam intentio semper respicit aliquid ut finem secundùm scilicet quod illud est terminus voluntatis. Ex quo clarè apparet quod intentio de se importat & denotat quandam distantiam illius quod sic intenditur. Et ideo quando voluntas fertur & intendit immediatè in aliquid, etiam si illud sit finis ultimus quem tunc sibi constituit, terminusque ipsius voluntatis quæ pro tunc habetur; non dicitur tamen propriè esse intentio, sed quando affectus seu voluntas in aliquid tanquam finem ultimum quem sibi tunc constituit, vel tanquam ad illum finem ordinatum fertur & intendit, non immeditatè, sed mediantibus aliis per quæ in illud in quod sic fertur & intendit, nititur pervenire, tunc propriè est intentio. Ut gratia alicujus exrmpli; fertur & tendit principaliter affectus alicujus seu voluntas in suam finalem salutem, & propter ipsam faciliùs assequendam intendit corpus suum domare & spiritui subjicere, & ut hoc congruentiùs & cum saniori consilio & auxilio facere possit, intendit Religionem aliquam intrare, & pro hoc faciendo ad aliquem locum talis Religionis ire. Iste talis respectu salutis suæ qui est ultimus finis quem tunc sibi constutuit, Respectu etiam domationis sui corporis ac ingressus Religionis qui sunt fines medii ad illum scilicet finem A ultimum ordinati, dicitur propriè habere intentionem. Respectu verò aditionis loci illius Religionis, licet sit quædam voluntatis dispositio, non tamen propriè dicitur esse intentio.

Ex præcedenti intentionis in generali descriptione clarè & faciliter elici potest descriptio intentionis rectæ, per additionem scilicet istorum verborum debitum & debito modo & etiam intentionis perversæ seu corruptæ per additionem oppositorum seu contrariorum verborum, scilicet indebitum & indebito modo, sic tamen quod in descriptione intentionis rectæ illa duo verba, scilicet debitum & debito modo, conjunctim accipiantur; cum ipsa duo ad hoc quod intentio sit recta, necessariò habeant concurrere. In descriptione verò intentionis perversæ seu corruptæ, illa duo verba opposita scilicet, indebitum & indebito modo accipiantur divisim, cum alterum eorum ad hoc quod intentio perversa vel corrupta existat, per se sufficiat. Etenim (ut sæpe dictum est) plura necesse est ad virtutem concurrere quam ad vitium, immò per defectum unius eorum quæ necessariò ad virtutem requiruntur transitur in vitium. B

Super quibus quantùm ad intelligentiam naturæ & effectus intentionis, respectu eorum quæ jam in hoc octavo tractatulo hujus libelli circa materiam peccati mortalis & peccati venialis tractata sunt & tractabuntur, spectare & sufficere videtur, subjiciuntur hìc aliquæ regulæ notabiles.

Prima regula est. Ex fine principaliter intento id est respectu finis ultimi, qui principaliter in aliquo actu intenditur, actus ille attendi, considerari & judicari habet, ad hoc scilicet quod dicatur & judicetur bonus vel malus, meritorius vel demetorius. Juxta quod intelligi & applicari potest dictum Christi Matt. VI. *Si fuerit oculus tuus simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Ubi Augustinus; *per oculum significatur intentio.* Et intelligitur hæc regula de his maximè actibus qui aliàs ex seipsis sunt indifferentes, id est qui de suo proprio esse propriaque natura, sine concursu alterius causæ seu alterius circunstantiæ non habent quod sint boni vel mali. Ut gratia exempli, C levare festucam de terra vel movere manum. Nam si tales actus de proprio suo esse, propriaque natura haberent quod essent boni vel mali, aliter esset dicendum, ut clarè per regulas sequentes videri poterit.

Secunda regulas est. Actus de se ipso malus, ex fine bono principaliter intento non efficitur bonus. Ut gratia exempli. Furari vel deprædari qui sunt actus de se mali etiam si ea principaliter intentione ad huncque principaliter finem fiant ut exindè in Dei honorem fiat eleemosyna, non propter hoc boni efficiuntur.

Tertia regula est & opposita. Actus de ipso bonus ex fine malo principaliter intento efficitur malus. Ut gratia exempli. De eleemosyna vel oratione vel prædicatione quæ principaliter propter vanam gloriam mundanam, vel propter lucrum temporale habendum & adipiscendum, vel hujusmodi fieret. Et ratio diversitatis istarum duarum regularum ex descriptione intentionis rectæ & intentionis perversæ seu corruptæ supra positis, aliisque etiam ibidem dictis clarè apparet. D Quia ad intentionem rectam duo requiruntur, scilicet quod tendentia voluntatis sit in finem debitum & quod sit per media ad illum finem debito modo ordinata. Ad intentionem vero perversam seu corruptam sufficit defectus vel malitia in uno istorum, scilicet vel quod finis principaliter intentus sit de se malus, ut ponit tertia regula, vel quod media per quæ ad illum finem

nem tenditur, sint de se mala, ut ponit secunda regula.

Quarta regula est ista, una & eadem principalis intentio finalis, idest in aliquem finem principaliter tendens, plures actus se invicem consequentes etiam diversimodè & distanter ab invicem factos potest in bonum & ad meritum vel in malum & demeritum informare. Ut gratia exempli. Respectu intentionis rectæ intendit aliquis unum solidum pro Deo in eleemosynam per duodecim sibinvicem succedentes dies elargiri & dare, sic scilicet quod qualibet die dabit unum denarium. Si à casu contingat istum hominem dationem aliquorum istorum denariorum pro aliquibus istorum duodecim dierum oblivisci & intermittere & in alios dies reparare & facere; donatio ista nihilominùs sic in aliis diebus facta, propter primam principalem intentionem erit meritoria; de intentione verò perversa faciliùs est dare exemplum, cum faciliùs contingere possit.

Quinta regula est ista. Finem sub fine seu intentionem sub intentione potest quis ad meritum vel demeritum, seu meritoriè aut demeritoriè (quod idem est) ponere, consentire & habere, dictosque fines seu intentiones sic sibi invicem subordinatos potest una & eadem principalis & finalis intentio in bonum vel malum, meritum vel demeritum informare. Ut gratia exempli. Respectu principalis & finalis intentionis rectæ, intendit aliquis ire ad forum ad hunc finem quod ibi emat medicinas, ipsas autem medicinas ad hunc finem emit ut ab aliqua infirmitate curetur, ad hunc verò finem ab illa infirmitate curari desiderat ut aptiùs & meliùs Deo serviat: clarum & certum est quod in isto casu omnes istæ præcedentes voluntates & intentiones, quæ sic circa istos diversos fines feruntur & tendunt, per illam principalem & finalem intentionem aptiùs & meliùs Deo serviendi in bonum & ad meritum informantur, & propter eam bonæ & meritoriæ existunt; immò in tali casu, quando scilicet voluntas in aliquos fines seu intentiones sic sibi invicem ad aliquem principalem & ultimum finem subordinatos principaliter propter ipsum principalem & ultimum finem fertur & tendit, licet illi fines seu intentiones plures sint & diversi; non tamen propriè debet dici nec propriè est nisi unus & idem ipsius voluntatis motus. Et intelliguntur hæc in ista regula dicta, etiam si tempore realis executionis seu adimpletionis illorum actuum super quibus sic dictæ præcedentes voluntates seu intentiones feruntur & tendunt, illa principalis & finalis intentio non realiter & de facto in mente haberetur, utputà quia pro tunc vel non occurreret, vel non attenderetur; sufficit enim quod præcesserit & in habitu habeatur. Ut verbi gratia in exemplo statim posito detur, quod ille talis qui sic ab aliqua infirmitate curari desiderat, ut aptiùs & meliùs Deo serviat, tempore quo emit medicinas ad hoc ut à dicta sua infirmitate curari possit; & tempore quo prædictis medicinis ad dictam suam curationem emendis ad forum vadit, & illam principalem & finalem intentionem aptiùs & meliùs Deo serviendi non realiter & de facto in mente habeat; quia tunc forsan ut dictum est vel non sibi occurrit, vel non attendit: nihilominùs tamen cum per priùs eam habuerit & adhuc in habitu (ut præsupponitur) habeat, illa principalis & finalis intentio aptiùs & meliùs Deo serviendi, istos actus emendi medicinas & eundi ad forum, seu voluntates & intentiones quæ super ipsis feruntur informabit & bonos & meritorios efficiet, ac si tunc illam principalem & finalem intensiùs aptiùs & meliùs Deo serviendi in mente rationaliter & de facto habuisset. Respectu verò principalis & finalis intentionis perversæ seu corruptæ faciliùs (ut statim in regula præcedenti tactum est) dari potest exemplum.

Intelligantur etiam prædicta respectu tamen principalis & finalis intentionis rectæ actuumquæ bonorum & meritoriorum, dum tamen inter dictos actus seu fines sic sibi ad ultimum finem, principaliter intentum subordinatos, & super quibus hujusmodi præcedentes voluntates seu intentiones sic feruntur & tendunt, non interveniat seu intendatur aliquis actus seu finis ex seipso suaque propria natura illi fini sic principaliter intento quoad meritum deformis & oppositus, & qui voluntatem seu intentionem quæ super ipsum fertur & tendit posset pervertere seu corrumpere. Pro quo apertiùs declarando ponitur sexta regula.

Sexta regula est ista, quotienscunque inter plures actus seu fines sibi invicem ad aliquem finem ultimum aliàs ex seipso bonum & meritorium principaliter intentum subordinatos, intervenit seu intenditur aliquis actus seu finis illi fini sic principaliter intento ex seipso suaque propria natura quoad meritum deformis & oppositus ad voluntatem seu intentionem quæ super ipsum fertur & tendit pervertens & corrumpens; talis actus seu finis medius sic interveniens non informatur ad meritum per illam principalem intentionem illius finis ultimi sic de seipso meritorii, quin potiùs ipsam principalem & finalem intentionem omnesque alios fines seu intentiones præcedentes etiam aliàs ex se ipsis bonos & meritorios deformat & quodammodo depravat. Verbi gratia. Intendit aliquis ire ad aliquam domum, & ad hunc finem in illam domum vult ire, ut ibidem luxurietur, ad hunc autem finem luxuriari vult ut sanior inde efficiatur, ad hunc verò finem vult sanior effici; ut aptiùs & meliùs Deo serviat. Iste finis ultimus principaliter intentus aptiùs & meliùs Deo serviendi, qui aliàs ex se ipso bonus est & meritorius, illam voluntatem seu intentionem quæ sic super illum actum luxuriandi fertur & tendit, & à minori illum actum si à casu committeretur, cum ex seipso suaque natura sit illi ultimo fini sic principaliter intento quoad meritum deformis & oppositus, ad prædictam voluntatem seu intentionem quæ sic super eum fertur & tendit, pervertens & corrumpens, nullo modo ad meritum reformare potest, quin potiùs illa perversa & corrupta voluntas & intentio ipsam ultimam & principalem intentionem, ac omnes alios fines & intentiones præcedentes deformat, & quodammodo depravat, peramplius que ac graviùs quam faceret actus si à casu committeretur. Et ratio horum est, quia una voluntas seu intentio ex seipsa perversa seu corrupta, plures voluntates seu intentiones alias ex seipsis bonas depravare potest; sed non è contra. Una etenim bona voluntas seu intentio non potest plures ex seipsis malas bonas efficere immò nec plures bonæ etiam se invicem consequentes unam ex seipsa malam bonam efficere possunt; quia ut in superioribus sæpe dictum est, ad bonitatem & rectitudinem alicujus voluntatis seu intentionis plura necesse habent concurrere, quàm ad ejus malitiam seu corruptionem; immò ad ejus malitiam seu corruptionem sufficit defectus unius eorum quæ ad bonitatem & rectitudinem constituendam neccessariò requiruntur. Intelligantur etiam ea quæ sic statim supra tàm de actuum interiorum ipsius voluntatis quàm etiam actuum exteriorum exinde consequentium per principalem & finalem intentionem quoad meritum vel demeritum, informatione dicta sunt; quando hujusmodi principalis & finalis intentio tales actus interiores voluntatis & à fortiori ipsos actus exteriores si exinde consequantur præcedit vel concomitatur. Nam si hujusmodi principalis & finalis intentio tales actus subsequeretur, aliter veniret dicendum. Etenim ut jam statim innui visum est, tripliciter quantùm ad hanc materiam concernit potest ipsa intentio sive de recta, sive de perversa & corrupta accipi velut respectu supra dictorum actuum, tam scilicet interiorum ipsius voluntatis, quàm exteriorum inde consequentium, consideratione comprehendi potest. Uno modo ut eos præcedens, alio modo ut eos concomitans, alio modo ut eos subsequens. De intentione autem prædictos actus præcedente, quomodò & quandò eos quoad me-

meritum & demeritum informare habeat & informet, satis in superioribus tractatum & declaratum est. De intentione verò hujusmodi actus concomitante, hoc idem, scilicet, quomodo & quando eos informare habeat & informet, ex superiùs etiam tractatis clarè elici & concipi potest. Etenim si intentio tales actus præcedens, ipsos quoad meritum & demeritum, juxta tamen modificationes & declarationes supra etiam tactas informare potest & quandoque informet, A hoc idem non dubium, juxta easdem tamen modificationes facere poterit & valebit intentio ipsos actus realiter & de facto concomitans. Quo verò ad intentionem, tales interiores voluntatis actus, ac etiam exteriores exinde provenientes subsequentem seu superaccedentem, advertenda sunt quæ sequuntur. Et primò quantùm ipsos actus interiores voluntatis in se & absolutè consideratos concernit, quod intentio hujusmodi interiores actus voluntatis subsequens seu superaccedens nullo modo ex seipsa potest eos quoad meritum vel demeritum informare idest meritorios vel demeritorios efficere, nisi quatenùs illi actus interiores voluntatis, cum illa subsequenti seu superaccedenti intentione reïterentur. Ut gratia alicujus exempli, ad clariorem semper intellectum; ut aliquis vult & in mente disponit ire de Roma in Jerusalem, & pro hoc sibi equum & alia necessaria præparat; non quidem pro tunc, nec per priùs relatione seu reflexione quacunque habita in Deum, B sed forsan (ut interdum contingit) sola causa societatatis vel alia: vult postmodum iste dictam suam voluntatem seu propositum quod sic habuit, in Deum referre, ut illud scilicet propositum & voluntatem quam sic de eundo in Jerusalem simpliciter habuit, habuerit intentionem Deo serviendi & complacendi. Ista intentio sic sibi superveniens, nullo modo potest ex seipsa illum actum interiorem voluntatis, seu illud propositum quod sic per priùs de eundo in Jerusalem habuit informare; sic scilicet quod ejus bonitas seu meritum ex ista subsequenti & superaccedenti intentione dependere possit; nisi iterum illum interiorem actum voluntatis seu propositum cum ista intentione subsequenti ille homo reiteraret, sic scilicet quod illam voluntatem & propositum quod sic de eundo in Jerusalem simpliciter habuit, rehaberet intentione Deo serviendi & complacendi: quod si faceret, & à casu in dicto suo proposito sine sua culpa impediretur, iste actus voluntatis sic cum ista in- C tentione subsequente reïteratus, meritorius esset, ubi prior & præcedens non fuisset. Et ratio clara est, quia jam ille interior actus voluntatis seu illud propositum, sic istam intentionem subsequentem præcedens tempore quo ista intentio accedit, est quasi in factum esse & quodammodò in præterito & non esse; quare nisi reïteretur, nullomodò videtur per subsequentem intentionem informari posse.

Quo verò ad ipsos actus exteriores, ex ipsis scilicet interioribus actibus voluntatis provenientes; hujusmodi actus sub duplici specie duplicique qualitate quantùm ad hanc materiam pertinet, considerationi occurrunt: sunt etenim aliqui respectu primæ speciei simplices in se, id est qui de sua natura, etiam si quemdam successum habeant, non tamen ex pluribus & diversis aliis actibus de se completis vel longo tractu temporis subsistere seu constare habent. Ut gratia exempli: dare unam eleemosynam, celebrare unam Missam, & hujusmodi. Alii verò sunt & se- D cundæ speciei compositi in se, id est qui de sui natura ex pluribus & diversis aliis actibus de se completis, vel ex longo & in diversa tempora tractu subsistere & constare habent. Ut gratia exempli: diù in Religione vivere, in longam peregrinationem ire, & hujusmodi. Rursus possunt prædictarum duarum specierum actus sub duabus diversis qualitatibus (ut tactum est) considerari. Vel scilicet prout sunt in factum esse idest perfecti & completi. Vel prout sunt adhuc in fieri, id est jam incœpti & nondum perfecti seu completi. De quibus magis per exempla subinserta liquere poterit.

Præmissa igitur ad propositum applicando, dici potest, quod actus primæ qualitatis, scilicet qui sunt in factum esse, id est perfecti & completi, cujuscumque prædictarum specierum existant, sive scilicet simplices sive compositi; intentio subsequens seu superaccedens nullo modo potest ex seipsa quoad meritum vel demeritum informare, nec talium actuum bonitas seu malitia ex dicta subsequenti seu superaccedenti intentione dependere. Ratio clara est: quia tales actus cum perfecti & completi, & sic transacti sunt, non sunt ampliùs in esse; quod autem ampliùs non existit, non potest ampliùs per aliquod subsequens informari, nec ab eo quoquomodò dependere. Nec etiam juxta modicum superiùs tacta, posset actus interior voluntatis, respectu talium actuum exteriorum sic transactorum, cum illa subsequenti seu post accedenti intentione reïterari.

Ut gratia exempli, & primò de actu simplici: dedit aliquis cuidam indigenti unum florenum, nihil tunc nec per ante respectu istius dationis de Deo cogitans, sed quia forsan ille indigens vicinus suus erat, vel alius sibi gratus. Si superaccedat isti vel subsequatur intentio, quod illum florenum voluerit dedisse ob Dei reverentiam & honorem, ista intentio sic subsequens seu superaccedens, nullomodò quoad meritum potest ex seipsa illum actum, scilicet illam dationem illius floreni informare, quod scilicet eam meritoriam faciat, quia jam illa datio ante accessum istius supervenientis intentionis transiit; nec est ampliùs in esse, sicut nec potest informari, nec etiam respectu ejus posset actus interior voluntatis cum ista subsequenti & supervenienti intentione reïterari. De actu verò composito similiter exemplificari potest de illo qui de Deo nihil tunc nec per antea respectu hujus cogitans, nec tunc quidquam in Deum deflectens seu referens, iverit de Roma in Jerusalem. Si enim talis completo dicto suo viagio, velit illud in Deum referre, intentioneque Dei honoris fecisse, ista intentio superveniens nullomodò potest illum actum sic completum scilicet illud viagium quoad meritum informare; nec etiam posset actus interior ipsius voluntatis respectu ejus cum illa subsequenti & superaccedenti intentione reiterari, juxta quod satis declaratum est. Actus verò secundæ qualitatis, qui scilicet sunt adhuc in fieri idest jam incœpti & nondum completi, quod sic notanter dicitur: etenim si nondum incœpti essent, intentio tunc superveniens non posset respectu eorum dici subsequens seu post accedens; si etiam completi essent, jam supra declaratum est quid talis intentio operaretur. Hujusmodi igitur actus prout in seipsis in suoque esse totali considerantur, intentio subsequens seu superaccedens potest ex seipsa quoad meritum vel demeritum secundùm quid informare, & secundùm quid etiam non informabit. Secundùm quid enim non informabit, quia scilicet pars illius actus, si sit actus de se simplex, omnes etiam alii singulares actus ex quibus una cum aliis ille totalis actus subsistit & constat, si sit actus compositus, qui dictam intentionem sic subsequentem & superaccedentem præcesserint, nullomodo quoad meritum vel demeritum poterunt ab ea informari. Secundùm quid autem informare poterit, quia illum totalem actum in se, nec non partem de eo restantem, si sit actus simplex ac omnes etiam alios singulares actus, ex quibus ille totalis actus subsistit & constat, si sit actus compositus, illam superaccedentem & supervenientem intentionem, subsequentes meritorios vel demeritorios efficeret. Ut gratia exempli, & primò de actibus simplicibus. Vult aliquis & disponit celebrare Missam, tunc nec per anteà respectu hujus celebrationis considerationem seu relationem in Deum habens, sed vel forsan pro pudore vitando vel alia causa. Celebrat iste usque ad Episto-

postmodùm vanitatem suam considerans compungitur, & intentionem suam respectu hujus celebrationis in Deum referre incipit, sic scilicet quod intentione honoris & reverentiæ Dei celebrare vult. Ista intentio superveniens & superaccedens istum actum simplicem qui est adhuc in fieri, secundùm quid informabit; quia scilicet ipsum in se, nec non partem quæ de eo post illam intentionem supervenientem agenda restabat, ac etiam omnes alios singulares actus, ex quibus ipse totalis actus subsistit & constat, meritorios efficiet, & maximè quia etiam respectu eorum actus interior voluntatis cum illa superaccedenti intentione reiteratus est: secundùm quid etiam ista intentio istum celebrationis Missæ actum non informabit; quia partem quæ de eo ante accessum dictæ supervenientis intentionis acta erat, scilicet omnia ante Epistolam dicta nullomodò informabit, nec meritoria efficiet, quod jam non sunt in se, nec etiam respectu eorum potest actus interior ipsius voluntatis cum illa supervenienti & accedenti intentione reiterari. De actibus verò compositis potest similiter exemplificari, & primò de actu composito, quoad longum & ad diversa tempora tractum seu successum, juxta exemplum jam superiùs positum de illo qui causa societatis vel alia vadit de Roma in Jerusalem, peractaque quarta & quinta parte itineris, mutat intentionem & propositum, & in Deum reflectit; ista intentio sic superaccedens & superveniens istum totalem actum quoad quid informabit, scilicet quoad totalem actum in se, & quoad omnia quæ de eo post accessum dictæ intentionis agenda restabant, utputa reliquum itineris, labores, pericula & expensas quas amodò sustinebit & faciet quos meritorios efficiet. Quoad quid etiam non informabit; quia scilicet illam partem itineris ante facti, laboresque & pericula & expensas per priùs habitos & factos, nullomodò potest ex se meritorios efficere, ut jam statim de celebrante Missam declaratum est. Potest etiam semper ad majorem declarationem de actu ex diversis singularibus actibus composito, similiter exemplificari de paupere qui sola causa victus lautioris habendi vel alia non de se meritoria, intrat in Religionem, & ibi sub tali intentione aliquandiù, utputa quatuor aut quinque annis vivit, pluresque actus ad regulam pertinentes, non mutata prima causa, seu primo proposito sui ingressus, facit & exequitur: cognoscit iste defectum suum, compunctusque propositum & intentionem suam mutat, omniaque in Deum referre incipit, & intentione Deo serviendi & ad regulam suam amodò in dicta Religione vult vivere. Ista subsequens superaccedensque intentio, istum actum vivendi, in Religione secundùm quid informabit, quia scilicet quoad ipsum actum in se, ac etiam omnes alios singulares actus qui post illam superaccedentem intentionem fient; quia eos meritorios, & istum verè Religiosum qui priùs non erat, efficiet: quoad quid etiam non informabit, quia omnes alios singulares actus præcedentes, meritorios efficere non potest; nec etiam respectu eorum, cum transacti sint, potest actus interior voluntatis cum ista superaccedenti intentione reiterari. Et ad istud propositum, respectu scilicet istorum actuum qui sic in fieri existunt & intentionis superaccedentis, satis pertinere videtur illud Beati Gregorii in homilia. *Restat ut quisque ille est, qui ad supernam patriam tendit, nequaquam se à vitiis pro mundi hujus honestate contineat.* Qui & si quædam aliquando bona pro honestate inchoat, in ejus intentione non debet permanere, nec pro bono opere præsenti hujus mundi gloriam quærere; sed totam spem in redemptoris sui adventu constituat &c. Ecce mentio de bonis inchoatis, & de mutatione intentionis, &c. Et prout in superioribus exemplificatum est, de informatione ipsorum actuum quoad meritum, simili modo exemplificari facile est de eorum informatione quoad demeritum, cum eadem quoad hoc ratio existat. Resolutio finalis est ista, quod intentio, actus tam interiores ipsius voluntatis, quàm exteriores ex ipsis procedentes, qui realiter transacti sunt, subsequens seu superaccedens nullomodò potest ex se ipsa eos quoad meritum vel demeritum informare. Quod verò dicatur actus interior voluntatis cum intentione subsequenti seu superaccedenti reiterari &c. jam propriè loquendo illa reiteratio esset novus voluntatis actus, & sic respectu ejus posset & deberet dici intentio concomitans & non subsequens. Sed ista pro mediocribus & simplicibus, & quo magis conscientiarum scrupuli cognosci & quietari valeant, ut sæpè tactum est; ita latè specificari & per exempla declarari libuit. Notandum insuper

A & potest poni ut septima regula.

Septima regula est, quod actio coporalis potest etiam meritoriè ad aliquem finem temporalem referri, dummodò finis ille temporalis in Deum finaliter referatur. Actio verò spiritualis, ut prædicatio, oratio, & hujusmodi, nullo modo potest meritoriè ad finem temporalem referri, etiam si illud temporale finaliter in Deum referatur. Et hoc est in effectu quod dicit: Augustinus: *Debemus manducare ut evangelizemus non autem evangelizare ut manducemus.* Advertendum præterea, quod etiam per modum cujusdam regulæ, & hæc pro octava poni potest.

Octava regula est ista, quod si in aliquibus actibus seu actionibus ad diversos fines sibi invicem subordinatos tendentibus, primus vel medius finis seu propinquior intentus ponatur seu constituatur aliquid temporale, ordo talis est perversus actusque hujusmodi sic ad istos fines ordinati demeritorii. Benè tamen

B etiam meritoriè licitum est duos fines in aliquo actu constituere & intendere; unum scilicet temporalem, & alium æternum; dummodò illud quod est æternum, sit principalis & ultimus finis intentus, & non è contra. Ut gratia exempli de istis duobus membris. Optabit aliquis sufficiens & idoneus, sed indigens, Beneficium Ecclesiasticum ut scilicet habeat unde vitam suam sustentaret, & ut etiam majorem habeat occasionem & facultatem Deo debitè serviendi; hìc sunt duo fines licitè intenti, unus temporalis, alius æternus. Si igitur juxta primum membrum hujus notabilis seu regulæ, finis primus seu propior sit ipsum Dei servitium debitè facere, & finis ultimus & principalis sit sustentationem vitæ habere; tunc ordo est perversus, & actus ad hos fines ordinati de se quoad salutem æternam acquirendam demeritorii. Si verò contrario modo procedat intentio, sic scilicet quod finis primus seu propinquior sit sustentationem vitæ habere: & finis ultimus ac principalis sit ipsum Dei servitium facere, tunc ordo est rectus & bonus, actusque ad hos fines debitè ordi-

C nati quoad salutem æternam acquirendam meritorii. Et hæc quo ad materiam intentionis ac finis actionis & operationis, quantùm huic Tractatui congruere visum est, dicta sufficiant.

DE ESSE NATURÆ

& qualitate conscientiæ.

Quo verò ad esse seu naturam ac qualitatem conscientiæ, est primò sciendum quod scientia (prout proprietas vocabuli de se satis connotat) duo dicit & importat. Primò dicit & importat scientiam, & secundùm hoc conscientia dici potest quidam habitus naturalis, non solùm cognitivus, sed etiam motivus: movet enim & inclinat animam ad bonum pro-

D sequendum & malum fugiendum. Et isto modo inquantùm scilicet scientiam dicit & importat, habet se ut superiùs, conjungiturque ipsi primo habitui naturali, superiorique lumini rationis quod synderesis dicitur, ita quod propter hoc aliqui; ut Hieronymus & alii, ipsam synderesim (prout in superioribus tactum est) conscientiam seu conscientiæ judicium dicere voluerint. Et tunc conscientia de se semper recta est:

nam

nam tunc circa universalia agibilium sicut ipsa synderesis versatur. Secundò vero dicit & importat conscientia & magis propriè quamdam acceptionem seu acceptationem ex parte rationis. Etenim conscientia propriè loquendo nihil aliud est quam applicatio quædam seu ordinatio scientiæ ad aliquem actum. Scientia autem in ratione est, quod satis denotat hæc præpositio, *cum*: dicitur enim conscientia quasi *cum* A
alio scientia. Et tunc conscientia propriè loquendo magis est actus quam habitus seu potentia. Istoque modo se habet ut inferiùs, magisque conjungitur rationi simplici, immò tunc dicitur quoddam dictamen rationis. Et hoc modo non semper de se est recta, immò frequenter errorem recipit; quia tunc cum scilicet sic ipsi rationi simplici conjungitur, habet circa particularia & per modum cujusdam cognitionis seu inquisitionis versari, in quibus frequenter error & errare contingit. Quæ clariùs per exemplum nonnullorum Doctorum concipi possunt : formant enim quemdam quasi conscientiæ syllogismum; cujus synderesis Majorem proponit quasi generalem & universalem sic : nullum malum est faciendum; cui conscientia se juxta primam sui importationem seu connotationem ipsi synderesi conjungens sine quacumque difficultate assentit nec tunc errat, quia circa hujusmodi Majorem non est error. Format deinde B
ratio sub ista Majore unam Minorem ad aliquem casum seu factum particulare descendendo sic : & hoc est malum: cui Minori si conscientia se juxta secundam sui importationem seu connotationem ipsi rationi conjungens assentiat, potest errare & potest non errare. Infert demum conscientia ex istis duabus præmissis conclusionem sic, ergo hoc non est faciendum; quæ Conclusio similiter erit falsa vel vera, prout scilicet ipsa ratio & conscientia se illi conjungens, in illa Minore erraverit. Quod etiam conscientia prout magis propriè & magis communiter sumitur, scilicet dum magis rationi simplici conjungitur, dicat quamdam applicationem seu ordinationem scientiæ ad aliquid, sicque magis actum quemdam quàm habitum seu potentiam importet, patet ex his quæ ipsi conscientiæ attribuuntur; scilicet testificari, accusare, remordere, reprehendere, excusare, instigare, stimulare, remurmurare, incitare, ligare, retrahere: quæ omnia (ut clarum est) consequuntur quamdam actualem applicationem alicujus cognitionis seu scientiæ ad ea C
quæ aguntur; quæ quidem applicatio tripliciter habet fieri secundùm diversitatem trium temporum, videlicet præteriti, præsentis & futuri. Uno etenim modo & respectu præteriti temporis habet dicta applicatio fieri, dum scilicet recognoscitur aliquid factum vel non factum esse : & secundùm hoc conscientia de hoc quod sibi vel in malo commisso vel in bono omisso, aut è converso conscia est, contra mentem testificatur, eamque vel accusat, remordet & reprehendit vel etiam excusat. Alio modo respectu præsentis temporis habet dicta applicatio fieri, dum scilicet aliquid faciendum imminet vel occurrit: & secundùm hoc conscientia prout de illo in bonum vel malum secundùm judicium rationis per applicationem scientiæ seu cognitionis ad illud judicantis sibi conscia est, mentem ipsam facere vel non facere instigat & stimulat & recalcitrat. Alio modo & respectu futuri temporis habet dicta applicatio fieri, dum scilicet conscientia ad aliqua in futurum facienda vel non facienda, prout sibi de eis secundùm judicium rationis per applicationem scientiæ seu cognitionis ad illam D
judicantis conscia est, mentem ipsam excitat, incitat & ligat vel retrahit. Plures à diversis Doctoribus assignantur conscientiæ descriptiones. Una à Joanne Damasceno, quod conscientia est Lex intellectus nostri. Alia à Basilio, quod conscientia est, rationale judicatorium. Alia, quod est cognitio sui ipsius. Alia, quod conscientia est habitus mentis boni & mali discretivus. Alia, quod conscientia est credulitas intentionis ad aliquid faciendum vel non faciendum, animi deliberatione firmata. Ex istis conscientiæ definitionibus seu distinctionibus quæ in effectu benè resolvendo in idem coincidunt, colligi potest quod conscientia respicit & concernit tam facta quam facienda, immò omnia tempora respicit ut satis declaratum est.

De conscientia indiscreta.

NOTARE solent aliqui conscientiam nimis largam & etiam nimis strictam cavendum fore; aliquas rationes assignantes, Unam scilicet quia conscientia nimis larga generat præsumptionem : nimis verò stricta desperationem. Aliam, quia conscientia nimis larga frequenter illud quod est malum, dicit bonum: nimis verò stricta è contrario sæpè damnat salvandum ; quod non prout verba jacent de se sic simpliciter accipiendum est; sed per quamdam denotationem, & maximè in indifferentibus, quæ scilicet, ut sæpè tactum est, non habent ex se suoque genere quod sint bona vel mala; meritoria vel demeritoria. Etenim conscientia larga communiter & de pluribus quæ frequentissimè occurrunt, nullum remorsum habet, & sic plura sæpè facit quæ sic faciendo non peccat: in quibus tamen si remorsum haberet, peccaret. Exindè plura peccata evitat, quæ alius incurreret & committeret. Conscientia verò nimis stricta è contrariò communiùs & quasi de omnibus & frequentissimè sine causa remorsum habet & dubitat: & cum plurima necessariò facere habeat, plurima facit, quæ sic cum remorsu faciendo peccat, in quibus tamen si remorsum non haberet non peccaret. Exindèque plura peccata incurrit & committit quæ aliàs non incurreret, nec committeret. Circa quod ac etiam circa plurima tam jam dictorum quàm dicendorum benè notandum & advertendum venit, quod aliud est conscientia, aliud timor conscientiæ: quod in effectu est dicere, quod magna est differentia inter habere de aliquo, seu facere conscientiam, & intelligatur formatam, & habere solum timorem conscientiæ, quem aliqui & benè, communiter scrupulum conscientiæ vocant. Conscientia etenim, prout jam dictum est, scilicet formata, est quando finaliter, idest post discussionem & deliberationem ex definitiva sententia rationis judicatur & firmatur aliquid esse faciendum aut prosequendum, vel non faciendum aut vitandum. Et contra talem conscientiam formatam facere, etiam si erronea sit, sic scilicet quod ratio in sic discutiendo, deliberando ac definiendo erraverit, est peccatum. Timor verò conscientiæ seu scrupulus est, quando non sic finaliter, idest post discussionem & deliberationem ex definitiva sententia judicatur & firmatur aliquid esse faciendum aut prosequendum, vel non faciendum aut vitandum; sed mens inter dubia vacillat, nesciens, quid sit melius; nec ad quid potiùs teneatur; non tamen quoquo modo vellet omittere quidquid sciret esse placitum divinæ voluntati. Et contra istum timorem seu scrupulum conscientiæ facere, non semper est peccatum, licet periculosus valde sit, & quantùm fieri potest abijciendus & extinguendus. Causæ istorum inferiùs subjungentur: pro quo sciendum, quod inter cetera quæ super præsenti materia conscientiæ per Doctores tractantur, duæ solent licet diversimodè formari & determinari quæstiones; ex quarum determinatione tam statim dicta, quàm adhuc inferiùs in hac eadem materia dicenda, quàm etiam plura alia quæ in hoc Tractatu circa materiam peccatorum mortalis & venialis tractata sunt, & adhuc forsan tractabuntur, clariùs intelligi poterunt. Prima igitur quæstio sic tractari solita; est utrum conscientia errans obliget. Secunda, utrum conscientia errans excuset. Circa primam istarum duarum quæstionum : utrum scilicet conscientia errans obliget; quod ut ponit Beatus Thomas prima Secundæ, suæ Summæ, est idem in effectu quod quærere, utrum

vo-

voluntas à ratione errante diſcordans, ſit mala & peccet: conformiter ad aliqua ſupra tactorum, triplicem diſtinxerunt nonnulli actuum qualitatem: videlicet quod aliqui ſunt de ſe ex ſuoque genere ſeu natura boni: alii ſunt de ſe ex ſuoque genere ſeu natura mali: alii ſunt indifferentes, ſcilicet qui de ſe ex ſuoque genere ſeu natura non habent quod ſint boni vel mali, ut levare feſtucam de terra vel movere manum. Dicunt ergo in effectu, quod reſpectu actuum duarum primarum qualitatum, ſi ratio vel conſcientia de ipſis judicet & dictet ſecundùm verum eorum eſſe ſuamque propriam naturam, utputa quia aliquid quod de ſe ex ſuoque genere ſeu natura bonum eſt, ratio judicat ut bonum, & exindè conſcientia dictat hominem teneri ad illud faciendum: vel aliquid quod de ſe ex ſuoque genere ſeu natura malum eſt, ratio judicat ut malum, & exindè conſcientia illud dictat eſſe prohibitum, & ſic non faciendum, nullus eſt ibi error, immò rectum judicium: eadem etenim ratione præcipiuntur bona, & prohibentur mala. Sed ſi ratio vel conſcientia de prædictis actibus judicet & dictet contra verum eorum eſſe, ſuamque propriam naturam, utputa quia aliquod de ſe ex ſuoque genere ſeu natura bonum eſt, ratio judicat ut malum, & exindè conſcientia illud dictat eſſe prohibitum & ſic fugiendum, vel aliquid de ſe ex ſuoque genere ſeu natura malum, ratio judicat ut bonum, & exindè conſcientia dictat hominem teneri ad illud faciendum; tunc ibi eſt manifeſtus error taliſque ratio & conſcientia dicitur errans. Et eodem modo reſpectu actuum tertiæ qualitatis, ſi ratio vel conſcientia de eis dictet & judicet contra verum eſſe, ſuamque propriam naturam, utputa quia aliquid de ſe ex ſuoque genere ſeu natura eſt indifferens; ratio judicet bonum vel malum, & exindè conſcientia dicet hominem teneri ad illud faciendum, vel prohibitum & ſic non faciendum; eſt etiam ibi error, ſed non tantus, eritque talis ratio ſeu conſcientia errans; ſed non tamen ſicut in caſu præcedenti. Juxta quæ dicunt inſuper prædicti, quod ratio vel conſcientia circa actus tertiæ qualitatis errans, ſcilicet qui de ſe ex ſuoque genere ſeu natura ſunt indifferentes, ſive ſit in præcipiendo ſive in prohibendo, obligat, ita quod voluntas à tali ratione, talique conſcientia ſic errante diſcordans, ideſt contrarium illius quod ſic judicat & dictat faciens, eſt mala & peccat. Sed ratio vel conſcientia circa actus duarum primarum qualitatum errans, judicando ſcilicet & dictando ea quæ de ſe ex ſuoque genere ſeu natura bona ſunt vel neceſſaria ad ſalutem, mala eſſe & ſic prohibita & fugienda; vel ea quæ de ſe ex ſuoque genere ſeu natura mala ſunt, bona eſſe, & ſic ex debito facienda; non obligat: undè in talibus voluntas à tali ratione talique conſcientia ſic errante diſcordans, contrariumque illius quod ſic judicat & dictat faciens, non eſt mala nec peccat. Et ratio poteſt eſſe, quia nullo modo videri poteſt quod aliquis ad id quod de ſe ex ſuoque genere ſeu natura malum eſt, poſſit & maximè ad hoc per errorem rationis & conſcientiæ teneri ſeu obligari, cum illud potiùs ex ſeipſo prohibitum videatur. Ergo cum ad tale quid quis obligatus non exiſtat, immò è contrario videatur ab illo prohibitus, videtur quod illud non faciendo nulla ratione peccare poſſet, immò potiùs mereatur. Similiter nec ab eo quod de ſe ſuoque genere ſeu natura bonum eſt, poſſet quis & maximè adhuc per errorem rationis & conſcientiæ (ut tactum eſt) prohiberi, cum potiùs ex ſeipſo faciendum videatur. Ergo cum à tali prohibitus non exiſtat, immò potiùs ad illud videatur obligatus, videtur quod illud faciendo nulla ratione peccare poſſit, immò potiùs mereatur. Non ſic autem eſt in indifferentibus quæ de ſe ex ſuoque genere ſeu natura nec bona nec mala exiſtunt; & ideo facilius ex aliqua occaſione ſeu circunſtantia, utputa ex judicio rationis & dictamine conſcientiæ poſſunt bona vel mala effici, & exindè ad talia quis teneri & obligari vel ab eis prohiberi, ut ſatis declaratum eſt. Sed iſtam poſitionem iſtumque modum dicendi partim approbat & partim impugnat Beatus Thomas Libro

A ſupra notato. Inquantùm enim ponit quod ratio vel conſcientia circa actus de ſe ſuoque genere ſeu natura indifferens errans obligat, voluntaſque à tali ratione talique conſcientia ſic errante diſcordans mala eſt & peccat; eam approbat: ſed inquantùm verò ponit, quod ratio vel conſcientia circa actus de ſe ex ſuoque genere ſeu natura bonos vel malos errans non obligat, nec voluntas à tali ratione talique conſcientia ſic errante diſcordans, mala eſt & peccat; ipſam impugnat, monſtrans quod idem eſt dicendum de ratione vel conſcientia circa actus de ſe ex ſuoque genere ſeu natura bonos vel malos errante ſcilicet obligat; & quod voluntas à tali ratione talique conſcientia ſic errante diſcordans, mala eſt & peccat; ſicut dicitur de illa quæ circa actus de ſe ex ſuoque genere ſeu natura indifferentes errat, & cauſam hujus ex ſequentibus effectualiter aſſignat: certum eſt enim quod

B proprium objectum voluntatis & à quo ac ſecundùm quod ipſius voluntatis bonitas & malitia dependet & accipi debet, eſt illud quod ſibi à ratione objicitur ſeu ſupponitur: non quidem ſecundùm quod illud ex ſe ipſo, de ſuique natura eſt; ſed ſecundùm illam qualitatem in bonitate vel malitia, ſecundùm quam ab ipſa ratione apprehenditur & ipſi voluntati objicitur ſeu proponitur. Etenim (ut frequentiùs ſupra dictum eſt) ratio voluntatem movere habet & movet ſecundùm ſui objecti apprehenſionem, & ſecundùm illud quod apprehendit. Certum eſt inſuper (ut jam modicum ſupra ſatis declaratum eſt) quod ratio, etiam (quod benè notandum eſt) credendo forſan ſe debitè voluntati divinæ conformare, licet tamen tunc erret; poteſt quandoque aliquod objectum apprehendere & voluntati objicere ſeu proponere ſecundùm aliam qualitatem, quam illud quod de ſe ex ſuoque genere ſeu natura non habet; ſic quod non ſolùm contingere poteſt in actibus de ſe ex ſuoque genere ſeu natura indifferentibus; ſed etiam & eodem modo in caſibus qui de ſe ex ſuoque genere & natura ſunt boni & mali:

C clarum eſt enim quod eodem modo poteſt ratio aliquid quod de ſe ex ſuoque genere ſeu natura bonum eſt apprehendere, ac voluntati objicere ſeu proponere ut malum, & è contra; ſicut illud quod de ſe ſuoque genere ſeu natura indifferens eſt, poteſt ut bonum vel malum apprehendere, ac ut tale voluntati objicere ſeu proponere. Cum ergo, prædicta magis ad propoſitum applicando, & gratia alicujus exempli, ratio aliquid quod de ſe ex ſuoque genere ſeu natura bonum eſt, apprehendit ut malum, & ſicut malum, & per conſequens dictante conſcientia fugiendum, ipſi voluntati objicit ſeu proponit, jam illud efficitur & eſt proprium objectum ipſius voluntatis; non quidem ſub ratione boni & tanquam bonum, quamvis de ſe ex ſuique natura bonum exiſtat, quia non eſt ut tale ab ipſa ratione apprehenſum, & ut tale ipſi voluntati objectum ſeu propoſitum; ſed ſub ratione mali & tanquam malum de per accidens, &

D ſic fugiendum: quia ut tale, eſt ab ipſa ratione apprehenſum, & ut tale, dictante etiam conſcientia, ipſi voluntati objectum ſeu propoſitum. Sic ergo ut videtur in iſto caſu proprium objectum voluntatis eſt malum & fugiendum: quamvis ut tactum eſt, in illud ut tale apprehendendo, ac ut tale ipſi voluntati objiciendo ſeu proponendo, ipſa ratio ipſiuſque conſcientiæ dictamen erraverit. Si nunc ergo ipſa voluntas tali rationi, talique conſcientiæ dictamini, quamvis erranti contradicendo, in tale ſuum objectum feratur & ſe applicet, certum eſt quod fertur & ſe applicat in objectum malum, & dictante conſcientia fugiendum, & per conſequens

est mala & peccat, cum voluntariè ferri & se applicare in malum & fugiendum, sit peccatum. Nec inspicitur quod (ut sæpe dictum est) illud in quod sic ipsa voluntas fertur, sit de se ex suoque genere seu natura bonum: quia ut in tale ipsa voluntas non fertur nec ferri potest in ipsum, quia ut tale non est suum proprium objectum, & per consequens etiam nec ab eo ut à tali, potest aut debet ipsius voluntatis bonitas dependere & attendi; cum, juxta suprà tacta, ipsius voluntatis bonitas vel malitia a sui proprii objecti non quidem vera essentia seu natura, sed qualitate, sub qua à ratione sive recta sive errante apprehenditur, ipsique voluntati objicitur seu proponitur, dependere habeat & attendi. Et similiter hic, eadem ratione, dici potest de illo quod de se ex suoque genere seu natura malum est, si ratio illud ut bonum apprehendat, & ut bonum & per consequens ipsa dictante conscientia, debitum & faciendum ipsi voluntati objiciat seu proponat. Nam illud proprium ipsius voluntatis objectum non quidem sub ratione mali & tanquam malum, quamvis de se suique natura malum existat; quia non est ut tale ab ipsa ratione apprehensum, nec ut tale ipsi voluntati objectum seu propositum: sed sub ratione boni & tanquam bonum de per accidens, & per consequens debitum & faciendum; quia ut tale est ab ipsa ratione apprehensum, & ut tale, dictante etiam conscientia, ipsi voluntati objectum seu propositum. Et ideo si voluntas tali rationi, talique conscientiæ dictamini contradicendo, tale suum objectum facere & adimplere recuset, clarum est quod bonum & dictante conscientia, debitum & faciendum recusat, quia ut tale est suum proprium objectum; & sic est mala & peccat, quia voluntariè quod debitum & faciendum est, recusare peccatum est. Et si in casibus prædictis opponendo diceretur, quod voluntas sic tali rationi talique conscientiæ dictamini erranti contradicendo benè movetur, quia fertur & se applicat in bonum & aufugit malum, & sic non est mala, nec peccat, immò bona est & benè facit, patet clarè responsio ex statim dictis. Non enim sequitur, si voluntas in illud quod de se ex suoque genere seu natura bonum est, feratur & se applicet; vel illud quod de se ex suoque genere seu natura malum est, aufugiat; quod propterea benè faciat & bona sit, nisi illud faciat sub debita qualitate ac debito modo, sic scilicet quod si in illud quod bonum est feratur & se applicet hoc faciat sub ratione boni & tanquam in bonum; vel si illud quod malum est, aufugiat, hoc faciet sub ratione mali & tanquam malum: non enim quoad Deum, seu quoad meritum vel demeritum inspicitur tantùm illud quod fit, sed sub qua qualitate & quo modo seu animo illud fit. Nunc ad propositum in casibus supra dictis: licet enim (ut ubi satis deductum est voluntas quoad primum casum feratur, & se applicet in illud quod de se ex suoque genere seu natura bonum est, non tamen hoc facit ratione boni & tanquam in bonum; quia ut tale non est suum proprium objectum, nec sibi ut tale à ratione propositum, sed fertur & se applicat in illud sub ratione mali & tanquam malum, quia ut tale est suum proprium objectum sibique ut tale à ratione propositum &c. Et sic licet in bonum feratur & se applicet, non tamen facit sub illa bona qualitate, nec bono modo seu animo; sed sub mala qualitate & malo modo maloque animo, & ideo talis voluntas non est bona, nec bene facit, sed est mala, & malè facit & peccat. Et idem de secundo casu respectu illius quod de se ex suoque genere seu natura malum est; sed à ratione errante apprehenditur, ipsique voluntati objicitur seu proponitur ut bonum: nam licet tunc voluntas aufugiat illud quod de se ex suoque genere seu natura malum est, non tamen illud facit sub ratione mali & tanquam malum, quia ut tale non est suum proprium objectum, nec sibi ut tale à ratione propositum; sed illud aufugit sub ratione boni & tanquam bonum; quia ut tale est suum proprium objectum sibique ut tale ab ipsa ratione propositum, &c. ut satis ibi deductum est. Et ideò talis voluntas non est bona, nec benè facit, sed mala, & male facit & peccat. Ad propositum prædictorum duorum casuum pro clariori eorum intellectu, possunt juxta effectum dictorum ipsius Beati Thomæ poni duo exempla. Primum exemplum respectu primi casus. Credere in Christum est per se bonum & necessarium ad salutem, sed

A voluntas in hoc bonum non fertur, nisi secundùm quod sibi à ratione objicitur & proponitur: si ergo ipsi voluntati à ratione errante proponatur ut malum, & sic dictante conscientia non faciendum, & nihilominùs ipsa voluntas tali rationi talique conscientiæ dictamini contradicendo in illud feratur & se applicet, clarum est quod in illud feretur & se applicabit sub ratione mali & tanquam malum & non faciendum; non quia de se suique natura malum sit &c. sed est malum &c. de per accidens ex tali scilicet apprehensione rationis quæ ut malum &c. illud apprehendit, & ut malum ipsi voluntati proponit. Et sic talis voluntas de se erit mala & peccabit, quia voluntariè in malum &c. ferri & se applicare, malum est & peccatum. Et ad hoc propositum dicit Philosophus VII. *Ethic.* quod per se loquendo ille *incontinens est qui non sequitur rationem rectam, sed de per accidens ille etiam incontinens est, qui non sequitur rationem falsam idest erroneam.* Secundum exemplum respectu secundi casus. Fornicari de se ex suoque genere seu natura est quoddam malum, sed voluntas in istud malum non fertur, nisi secundùm quod sibi à ratione objicitur

B & proponitur: si ergo à casu ipsi voluntati à ratione errante proponatur ut bonum & necessarium ad salutem, & sic dictante conscientia ut debitum & necessariò faciendum, & nihilominùs ipsa voluntas tali rationi talique conscientiæ dictamine contradicendo illud aufugiat, facereque recusat; clarum est quod illud aufugiet & facere recusabit sub ratione boni & necessarii ad salutem &c. & tanquam bonum & necessarium ad salutem: non quia de se suique natura bonum sit & necessarium &c. sed est bonum & necessarium &c. de per accidens, ex tali scilicet apprehensione rationis, quæ ut bonum & necessarium &c. ipsi voluntati proponit, & sic talis voluntas de se erit mala & peccabit, quia voluntariè bonum & necessarium ad salutem aufugere & recusare, facere malum & peccatum est. Non tamen (ut omnia sanè intelligantur) innui credatur per prædicta, quod voluntas in

C casu istius ultimi exempli, tali rationi talique rationis dictamini sic erranti se conformando benè faceret; sed solum quod etiam contradicendo malè facit & peccat, quod quomodo fieri possit, inferiùs latiùs declarabitur. Concludit igitur finaliter & simpliciter ipse Beatus Thomas post multa hinc inde per eum allegata, quòd omnis voluntas à ratione sive recta sive errante discordans, sive sit in illis seu circa illa quæ de se ex suoque genere seu natura indifferentia sunt, sive in his & circa ea que de se ex suoque genere seu natura bona vel mala existunt, semper mala est & peccat. Ex quibus & per quæ satis effectualiter ad primam duarum principalium quæstionum supra formatarum per affirmativam respondere videtur, quod scilicet conscientia errans obligat: quod tamen respectu voluntatis à ratio-

D ne & conscientia errante seu erronea discordantis sic intelligendum est; quod licet talis voluntas semper de se sit mala & peccet, non propterea tamen (ut statim aliqualiter tactum est) sequitur quod quotienscunque tali rationi & conscientiæ sic erranti concordat ipsa voluntas, bona sit & benefaciat. Est etenim dare casum; in quo voluntas rationi & conscientiæ erranti seu erroneæ discordando & contra id quod dictarent faciendo esset mala & peccaret, & nihilominùs etiam cum eis concordando & faciendo quod dictarent mala esset & peccatum committeret. Utputa quando ratio & conscientia ut est in ultimo exemplo statim supra posito, errando

rando dictarent aliquid quod esset contra Deum ejusque Legem & Præcepta: discordando verò facit contra dictamen rationis & conscientiæ, in quo est semper, saltem interpretativè Dei contemptus. Et hic est propriè casus in quo cadit perplexitas, & exinde etiam dum ad dictam primam quæstionem supra positam respondendo dicitur, quod conscientia etiam errans semper obligat, non est intelligendum quod semper simpliciter obliget ad faciendum & subsequendum illud quod ipsa dictat; sed sub distinctione ad faciendum, scilicet & sequendum illud quod ipsa dictat, vel ad se deponendum, ut clariùs inferiùs ex dicendis patere poterit. Pro quo clariùs intelligendo & quia materia ista frequenter occurrit, nec clarè ab omnibus prout benè expediret intelligitur, utile visum est positionem circa hoc Domini Bonaventuræ quam ad dictam primam quæstionem effectualiter, licet sub aliis terminis respondendo ponit, hìc applicare. Format enim quæstionem sic. *Utrum teneamur ad omne id quod conscientia dictat esse necessarium ad salutem.* Et sub prædicto titulo quæstionis format etiam tres alias quæstiones quasi subalternas, quas per idem quasi medium solvit; & sunt hæ in effectu. Utrum omnis conscientia liget, & utrum liget ad omne quod dictat. Utrum homo sit perplexus quando conscientia sibi unum dictat, & Lex divina dictat contrarium: cui sit magis obtemperandum, vel conscientiæ dictamini vel Præcepto Prælati, cum sibi invicem obviant & contrariantur.

Circa quarum quatuor quæstionum dissolutionem, ponit dictamen conscientiæ triplici respectu ad tria genera actuum considerari posse, satis ad propositum distinctionis suprapositæ, licet sub aliis verbis: & intelligatur ut ponit de dictamine conscientiæ per modum præceptionis vel prohibitionis, non per modum consilii sive persuasionis, quod propriè est dicere quòd intelligendum est de conscientia formata, & non de solo timore seu scrupulo conscientiæ quorum satis supra notata est differentia: aliquando etenim conscientia dictat ea quæ sunt secundùm Legem Dei, aliquando dictat ea quæ sunt contra Legem Dei, aliquando dictat ea quæ sunt præter Legem Dei. Quando autem conscientia dictat ea quæ sunt secundùm Legem Dei, ipsa simpliciter ligat ad faciendum illud quod ipsa dictat, immò cum in isto casu homo jam ad ea quæ sic conscientia dictat sit per Legem divinam ligatus & obligatus; conscientia quæ sic Legi concordat, non solum ligat, immò & ligatum ostendit, ita quod in effectu duo ligamina concurrunt; & talis conscientia nullo modo est deponenda seu abjicienda, immò toto effectu sequenda. Quando vero conscientia dictat ea quæ sunt contra Legem Dei, ipsa etiam conscientia simpliciter ligat & obligat, non quidem ad faciendum quod ipsa dictat; sed ad deponendum: quia cum talis conscientia erronea, errore repugnante Legi divinæ, quandiù ipsa manet, ponit & tenet hominem extra statum salutis, & ideò necesse est eam deponere; quia sive tunc homo faciat quod ipsa conscientia dictat, sive ejus oppositum, peccat mortaliter: faciendo etenim in isto casu quod ipsa conscientia dictat, facit contra Legem Dei, quod clarum est peccatum mortale esse; faciendo verò oppositum illius quod ipsa conscientia dictat, adhuc peccat mortaliter, non ratione quidem operis quod tunc facit; sed quia malo modo facit: facit enim in contemptum Dei, quia licet illud quod tunc facit de se non displiceat Deo, facit tamen ac si displiceret Deo, cum faciat illud quod sua conscientia sibi Deo displicere dictat. Sic ergo facit quod Deo displicere credit, Deum contemnit; quia Deus non tantùm attendit quid homo faciat, sed quo animo faciat, & sic mortaliter peccat. Et bene circa tam hìc quàm in superioribus dicta & tractata advertatur, quod quotienscunque fit mentio quod voluntas à ratione proponente & dictante ea quæ sunt contra Legem seu Præceptum Dei discordans, mala est & peccat; intelligatur prout intelligendum est; quando non clarè & evidenter cognoscitur utrum illa quæ sic ipsa ratio proponit & dictat, sint contra Legem seu Præceptum Dei, immò intelligi debet ubi talia quæ sic ipsa ratio proponit & dictat, creduntur esse secundùm Legem & Præceptum Dei: nam si clarè cognosceretur quod ratio humana proponeret & dictaret aliquid contra Legem seu Præceptum Dei, talem rationem nullus teneretur sequi, nec tunc ratio esset totaliter errans; sed potiùs quasi malitiosè agens & corrupta: sed quando ratio errans, aliquid quod est contra Legem & Præceptum Dei proponit & dictat ut Dei Præceptum ac suæ Legi conforme, tunc est verè errans; & tunc dictamen talis rationis contemnere, est idem quod Dei Præceptum contemnere, saltem interpretativè, ut satis suprà declaratum est. Item dum in superioribus fit frequenter mentio de eis quæ de se ex suoque genere seu natura bona vel mala sunt, & de eis quæ sub ratione boni & mali apprehenduntur; intelligatur semper de bonis vel malis secundùm Legem & Præceptum Dei, utputa quia de se vel ex aliqua circumstantia talia sunt, vel ut talia apprehenduntur; quia aliàs nec virtutes nec peccata, & per consequens nec merita essent, & sic non propriè ad materiam præsentem jactarent & congruerent. Quando autem conscientia dictat ea quæ sunt præter Legem Dei, ipsa conscientia ligat & obligat, sed non simpliciter, immò secundùm quid & sub quadam disjunctione seu alternativa. Secundùm quid enim ligat & obligat; quia quamdiù manet sub disjunctione seu quadam alternativa, ligat & obligat, quia ligat & obligat ad faciendum quod ipsa dictat, vel ad se deponendum; ita quod homo in isto casu tenetur talem conscientiam deponere vel adimplere quod ipsa dictat: utpote si conscientia dictat quod necessarium est ad salutem levare festucam de terra, vel non portare capitium in Ecclesia; oportet vel istam conscientiam deponere, vel quandiù manet, festucam de terra levare, aut capitium in Ecclesia non portare; & ratio hujus est, quia cum talia sint præter Legem Dei, nullus ad ea facienda vel non facienda de eorum natura obligatur; sed cum circà ea accedit dictamen conscientiæ, jam homo ex tali dictamine obligatur ad ea facienda vel non facienda, cùm priùs non obligaretur, quia contra dictamen conscientiæ facere est peccatum. Cum igitur quandiù manet tale conscientiæ dictamen, maneat talis obligatio, oportet eam necessariò idimplere, aliàs esset peccatum. Quando verò tale conscientiæ dictamen depositum est; tunc sublata est illa obligatio, quæ ad talia faciendum vel non faciendum obligabat: & tunc illa talia sunt ut priùs de sui natura erant, scilicet indifferentia, & tunc ea facere vel non facere similiter indifferens est, & sic non est aliquod peccatum. Nunc ergo juxta effectum dictorum ipsius Domini Bonaventuræ, prædicta ad solutionem ipsarum quatuor quæstionum per modum cujusdam epilogi applicando. Respectu primæ & principalis quæstionis, patet ex prædictis, quod non semper tenemur ad omne id quod conscientia dictat esse necessarium ad salutem, & tamen quandiù manet peccamus, si non facimus illud quod conscientia dictat: ergo non tenemur facere illud quod ipsa dictat; quia (ut ex præmissis patet) illam obligationem alio modo evadere seu tollere possumus, scilicet talem conscientiam deponendo. Respectu verò secundæ quæstionis patet ex prædictis quod omnis conscientia ligat; sed non semper ligat ad omne quod dictat: in eis enim quæ dictat secundùm Legem vel præter Legem ipsa (ut jam dictum est) ligat ad id quod dictat, in primis quidem simpliciter, in secundis verò sub disjunctione scilicet ad id quod dictat, vel ad se deponendum: in eis verò quæ dictat contra Legem Dei, ipsa ligat, sed nullo modo ad ea quæ dictat, sed simpliciter ad deponendum. Respectu autem tertiæ quæstionis patet ex præmissis, quod licet homo in casu dictæ quæstionis possit dici perplexus ad tempus quandiù scilicet talis conscientia sibi manet; sim-

simpliciter tamen loquendo non est nec debet dici perplexus; quia potest, immmo tenetur talem conscientiam deponere per aliquem modorum infra tactorum.

Respectu verò quartæ quæstionis patet ex præmissis quod quando Prælatus præcipit ea quæ sunt secundùm Legem Dei vel præter Legem Dei, magis est sibi obediendum quam dictamini conscientiæ; immò in his casibus talis conscientia quæ tali præcepto Prælati contrariatur, simpliciter est deponenda; quia jam in his casibus contra præceptum Prælati facere, esset contra Legem Dei facere. De primis non est dubium, cum tunc secundùm Legem Dei præcipiat. De secundis verò quæ scilicet sunt præter Legem Dei, hoc idem patet; quia præceptum Prælati jam ea quæ sic preter Legem Dei erant, facit secundùm Legem Dei esse. Quando verò Prælatus præcipit ea quæ sunt contra Legem Dei, magis est obediendum dictamini conscientiæ quam Prælato, quia in hoc casu manifestum est, quod contrarium illius quod Prælatus præcipit scilicet illud quod tunc conscientia dictat, est secundùm Legem Dei. Et sic juxta suprataćta ad illud faciendum sunt quasi duo ligamina, scilicet ligamen Legis Dei, & ligamen conscientiæ. Ex parte verò præcepti Prælati nullum est in hoc casu ligamen, quia simpliciter non obligat, quia contra Legem Dei præcipit. Et intelligatur hoc juxta modicum supra tacta, de dictamine conscientiæ formatæ, quæ scilicet clarè & evidenter cognoscit, vel finaliter in animo judicat & firmat tale præceptum Prælati esse contra Legem Dei, quia si solùm esset timor vel scrupulus conscientiæ, necesse esset aliter & magis per priùs consulere & discutere antequam tale præceptum Prælati contemneret.

Triplex autem modus conscientiam deponendi reperitur. Primus est ex seipso per fortem scilicet & ferventem meditationem & discussionem casus incumbentis ac rationum circa ipsum occurrentium, diligensque studium opinionum ac sententiarum Doctorum; & hoc quando homo notitiam Legis divinæ lumenque scientiæ ex seipso habet. Secundus modus est per discretam & diligentem inquisitionem & investigationem à literatis & peritis ipsius Legis divinæ, & maximè eis quos quis peritiores & magis probatæ vitæ, judicio suo commodè reperire poterit; & interdum juxta gravedinem casus, vehementiamque motus seu dictaminis ipsius conscientiæ pluries ac frequenter, & hoc quando homo de se nescit de dicta sua conscientia casuque sibi incumbente judicare, utputa quia notitiam Legis divinæ non habet. In his duobus modis necessaria omninò est humiliatio spiritus, ac quædam sui intellectus captivatio, ut scilicet piè velit credere & consentire obedireque eis quæ per se legit, vel ab aliis audit; juxta dictum Apostoli. *Captivantes omnem intellectum in obsequium Christi.* 2. Cor. x. 5. Hoc est dicere, quod quilibet in credendis plus debet consentire Fidei quam sibi, & in agendis plus credere aliis quam sibi. Tertius modus est per conversionem mentis & reversum ad Deum ejusque consilium per humilem & devotam ac frequentem orationem, ubi & quando deest consilium humanum. Juxta illud sacræ Scripturæ: *Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te,* 2. Paralip. xx. 12. quamvis & hic modus non debeat ab aliis duobus præcedentibus deesse, immò cum eis concurrere. Qui autem alio modo ut frequenter apud plures contingit, conscientiam suam deponit, magna pericula & plus quam plures forsan credant incurrit. Tunc non est propriæ conscientiæ depositio, sed contemptus gravis & superba præsumptio. *Beatus enim homo qui semper est pavidus*, Prov. XXVIII. 14. in eis scilicet quæ ad salutem pertinent. Ex istis tribus modis cum nonnullis superiùs tractatorum possunt notari octo ex quibus causari & provenire solet ipsius conscientiæ error. Primùm est ignorantia, quando scilicet quis nescit quid sibi eligendum vel declinandum sit. Secundùm est negligentia, cum quis scilicet negligit conscientiam suam discutere, vel si post discussionem se expedire nesciat, negligit tunc ab aliis quærere. Tertiùm est superbia, quando scilicet quis non humiliat intellectum suum, ut melioribus & sapientioribus se credere velit. Quartùm est singularitas, quando scilicet homo suum proprium sensum sequens, non vult se aliis conformare, nec sequi vias communes bonorum contra quod Libro *Numerorum* IX. 1. scribitur: *Extrema castrorum consumpsit ignis.* Quintùm, est affectio inordinata, quæ sæpe inclinat conscientiam ad id quod homo tunc appetit, & sic facit eam à sua rectitudine deviare. Juxta dictum Senecæ: *Perit omne judicium, cum res transierit in affectum.* Sextùm, est pusillanimitas, propter quam scilicet quis frequenter timet ea quæ secundùm rectum judicium rationis timenda non sunt. Septimùm est perplexitas, quando scilicet homo se inter duo peccata positum esse credit, & utrumque declinare, quin scilicet in unum incidat judicat impossibile: sed ad verum (ut ex supra tactis satis patet) perplexitas propriè loquendo nihil est simpliciter, sed secundùm quid tamen potest esse aliquis perplexus, secundùm scilicet conscientiam erroneam, sed statim (ut etiam supra tactum est) eam deponendo potest liberari. Octavùm est humilitas, cordisque puritas. Unde Gregorius *Bonarum mentium est ibi culpas agnoscere, ubi culpa non est.* Septem prima sunt mala & reprehensibilia, & error ex eis proveniens valde periculosus. Octavum verò laudabile est, errorque ex eo proveniens, pius & meritorius, immò nec error propriè dici debet, sed quædam humilis suorum defectuum suæque fragilitatis recognitio, dum tamen non sit nimius.

Respectu secundæ duarum quæstionum principalium, qua scilicet quæritur. Utrum conscientia errans seu erronea excuset, quod juxta eumdem Beatum Thomam ut de prima quæstione principali in simili dictum est, est idem in effectu quod quærere, utrum voluntas rationi erranti seu erroneæ concordans sit bona; veniunt juxta intentionem ipsius Beati Thomæ consideranda quæ sequuntur.

Primò (ut frequenter in superioribus dictum est) bonum & malum in moralibus, & magis clarè ad propositum cœptum loquendo, quoad meritum & demeritum, consistit in actu inquantùm est voluntarius; ita quod bonitas vel malitia alicujus actus ab ipsa voluntate seu voluntatis imperio dependet: quia si actus esset involuntarius, nec meritorius nec demeritorius esset. Et hinc est illud sæpe allegatum Beati Augustini quod *omne peccatum voluntarium est*, adeò quod si voluntarium non esset, peccatum non esset.

Advertendum est insuper, quod quoad propositum præsens ignorantia sub duplici qualitate invenitur. Una est quæ causat involuntarium, idest quæ dum contingit seu occurrit, reddit seu efficit actum involuntarium, & hoc proprié indirectè, quia scilicet privat hominem à cognitione quæ præexigitur ad hoc quod aliquid voluntarium existat. Alia est ignorantia quæ non causat involuntarium idest quæ dum contingit seu occurrit, non propterea actum involuntarium reddit seu efficit, quæ inferiùs magis declarabuntur. Ex quibus duobus clarè sequitur, quod illa ignorantia quæ dum contingit seu occurrit, reddit seu efficit actum involuntarium, tollit à tali actu omnem rationem boni & mali moralis, meritique, & demeriti. Illa verò quæ dum occurit, non reddit seu efficit actum involuntarium, dictam rationem boni & mali, meritique, & demeriti non tollit. Patet ex prædictis quod (ut jam statim dictum est) talis ratio boni & mali, meritique & demeriti à voluntate dependet. Est preterea pro prædictorum & aliquorum subsequentium intellectu notandum, quod ignorantia triplici modo seu sub triplici respectu se potest ad actum voluntatis habere. Uno modo antecedenter, alio modo concomitanter, & alio modo consequenter. Ante-

tecedenter autem se habet ignorantia ad actum voluntatis quando non est volita; seu ut ita dicatur, voluntaria; & tamen est causa volendi aliquid quod aliàs homo non vellet, scilicet si talis ignorantia non esset, ut puta quando homo ignorat aliquam circunstantiam actus, quam scire non tenebatur, & ex hoc aliquid agit quod non faceret si illam circunstantiam sciret: ut ponit Beatus Thomas exemplum de illo qui diligentia de hinc inde circumspiciendo adhibita, ignorans aliquem transire per viam, projicit sagittam, qua transeuntem interficit: in isto enim casu ista ignorantia istius circunstantiæ, scilicet transitus istius hominis non est volita nec voluntaria, quia iste projiciens sagittam benè voluisset transitum illius hominis scire, & tamen est causa volendi, quia aliàs iste homo non voluisset, scilicet projiciendi illam sagittam, quam aliàs non projecisset, si scilicet illam circunstantiam transitus illius hominis scivisset; & ita de multis aliis quæ frequentissimè occurrunt. Et hæc ignorantia sic antecedens simpliciter causat involuntarium, id est dum contingit & occurrit actum involuntarium reddit seu efficit. Concomitanter autem se habet ignorantia ad actum voluntatis, quando est de eomet quod agitur; quod si etiam sciretur, nihilominùs ageretur, ita quod ipsa ignorantia non inducit ad volendum ut illud fiat; sed solum cum tali facto concurrit, ita quod simul contingit illud esse factum & esse ignoratum. Ut juxta exemplum Beati Thomæ de illo qui quærit hostem occidere, & animo suo occidere firmavit; contingit quod casu vel in nemore vel aliàs istum hostem sagitta vel lancea occidit, sed dum eum occidit, credit occidere cervum: in isto enim casu ista ignorantia quod tunc hostis ille ibi esset, & quod tunc occidat, concurrit cum ipso facto scilicet cum ipsa occisione, ita quod simul contingit illum hostem occidi: & occidi ignorari: nec ipsa ignorantia quod scilicet ille hostis tunc ibi esset, induxit istum occisorem ad eum occidendum, quia ita benè eum occidisset, si ibi tunc eum esse scivisset, sicut occidit quando ignorabat. Et talis ignorantia dum contingit seu occurrit, non reddit seu efficit actum involuntarium; quia non causat aliquid quod sit repugnans voluntati id est per quod voluntas si sciret impediretur facere quod tunc facit, ut satis est considerare in exemplo statim posito: sed talis ignorantia si benè advertatur, bene causat seu efficit actum pro illo instanti quo fit non voluntarium, sic scilicet quod pro illo instanti quo sic voluntas non habeat actualiter volitionem illum actum faciendi, ut etiam patet in dicto exemplo statim posito: clarum est enim quod ille occisor pro illa hora qua illum hostem sic à casu occidit, non habeat actualiter voluntatem eum occidendi, quia tunc ibi eum esse ignorabat immò cervum ibi esse: & cervum occidere credebat. Nec sequitur quod si talis ignorantia reddat seu efficiat actum non voluntarium, quod propterea eum reddat involuntarium: magna etenim inter ista duo est differentia. Reddere enim seu efficere actum non voluntarium, est facere quod voluntas pro instanti quo ille actus fit, non habeat actualem volitionem eum faciendi: reddere verò seu efficere actum involuntarium, est facere quod voluntas actualem seu habitualem volitionem habeat illum actum non perficiendi, quæ valdè inter se differunt. Magna differentia est inter non velle facere & velle non facere. Primùm prædictorum, ut jam tactum est, benè causat seu efficit ignorantia concomitans, de qua nunc agitur: sed secundum non causat nec efficit; & ratio est, quia idem non potest eodem instanti esse actualiter volitum & ignoratum, sed bene potest eodem instanti esse habitualiter seu dispositivè volitum & ignoratum: consequenter autem se habet ignorantia ad voluntatem, inquantùm ipsa ignorantia est volita seu voluntaria; quod duobus modis contingere potest. Uno modo directè, alio modo indirectè. Directè, quando actus voluntatis fertur in ipsam ignorantiam, sicut cum aliquis vult ignorare ut excusationem peccati habeat, vel ut à peccando non retrahatur. Juxta illud Job. XXII. *Scientiam viarum tuarum nolumus.* Et hæc dicitur ignorantia affectata. Indirectè verò iterum dupliciter contingere potest. Uno modo, cum aliquis actum non considerat quod considerare debet & potest; & hæc dicitur ignorantia malæ electionis, vel ex passione aliA qua, vel ex malo habitu proveniens. Alio modo cum aliquis notitiam quam de aliquibus deberet habere, non curat acquirere, & secundùm hunc modum ignorantia universalium Juris quæ quis scire tenetur, voluntaria dicitur quasi per negligentiam proveniens; cum enim non nisi propter negligentiam habeatur, voluntariè haberi videtur.

Nunc igitur prædicta ad propositum solutionis prædictæ secundæ quæstionis principalis juxta intentionem ejusdem Beati Thomæ applicando. Si ratio vel conscientia erret errore voluntario, qui scilicet non causat involuntarium, utputà quia provenit ex ignorantia vel concomitante, quæ scilicet cum actu concurrit, nec ad ipsum perficiendum inducit; vel consequentem, quæ scilicet volita, seu voluntariè est vel directè propter negligentiam, utputà quia est error, seu ignorantia circa id quod quis scire tenetur vel considerare debet & potest; tunc talis error rationis vel conscientiæ non excusat, quin voluntas tali rationi vel conscientiæ sic erranti concordans B sit mala. Si autem sit error qui causat involuntarium, utputà ex ignorantia antecedente quæ ex ignorantia alicujus circunstantiæ absque omni negligentia causatur, proveniens; tunc talis error rationis vel conscientiæ, voluntatem tali rationi vel conscientiæ sic erranti concordantem excusat, ut non sit mala; utputà gratia alicujus exempli, juxta eumdem Beatum Thomam si ratio & conscientia alicujus adeò errent, quod sibi dictent quod possit ad uxorem alicujus accedere; voluntas tali rationi & conscientiæ sic erranti concordans mala est, nec excusatur, eò quod error ille provenit ex ignorantia Legis Dei, quam scire tenetur vel inquirere: si autem ratio & conscientia prædicti hominis in hoc errent, quod aliquam mulierem quam loco suæ uxoris de nocte submissam ignorat, credat esse uxorem suam, & illa muliere debitum reposcente velit eam cognoscere, excusatur voluntas ejus ut non sit mala; quia error iste ex ignorantia alicujus circunstantiæ provenit, quæ involunC tarium causat, & sic excusat.

Possunt alia multa exempla concipi, & ad propositum applicari, immò frequenter occurrunt casus diversi in hac materia.

Pro ampliori adhuc tam prædictorum quam materiæ in se declaratione, expediens visum est determinationem trium quæstionum, quas super II. Sententiarum tractat Dominus Petrus de Tharentasia Ordinis Prædicatorum, olim Innocentius Papa. V. hic juxta effectum dictorum suorum breviter subnectere. Prima quæstio est. Utrum ignorantia sit peccatum? II. Utrum ignorantia excuset peccatum? III. Quæ ignorantia excuset peccatum?

Circa primam quæstionem notandum primò secundùm eum venit, quod cum culpa sit defectus voluntarius ejus rei quæ debet inesse, ipsa ignorantia in quantùm caret voluntario, caret culpa, sed inquantum habet de voluntario, habet de culpa. Cum insuper (ut etiam dicit) privationes per habitus cognosci habeant, utputà juxta propositum cœptum loD quendo, ignorantia per scientiam; advertendum venit quod triplex, quantùm ad materiam præsentem spectare videtur, reperitur scientia. Una est impertinentium ad salutem. Alia utilium ad salutem. Alia necessariorum ad salutem. Impertinentium ad salutem; ut scire Geometriam vel Arithmeticam vel hujusmodi. Utilium ad salutem; ut scire Epistolas Pauli: Actus Apostolorum: & hujusmodi. Necessariorum ad salutem; ut scire duodecim Articulos Fidei, decem

modi. Et intelligantur hæc secundùm status & gradus personarum; quia aliquid est necessarium ad salutem scire respectu unius, quod solùm esset utile respectu alterius. Aliquid etiam est necessarium uni ad salutem scire explicitè, quod sufficeret alteri scire implicitè, & similiter de pluribus. Respectu quorum per oppositum triplex etiam reperitur ignorantia, scilicet impertinentium ad salutem, utilium ad salutem & necessariorum ad salutem. Prima sive sit voluntaria sive involuntaria, non est peccatum. Secunda sive etiam voluntaria fuerit sive involuntaria, non est de se peccatum, licet homo eam contemnendò non peccare non posset. Tertia verò ignorantia, scilicet necessariorum ad salutem, iterum triplex reperitur. Una scilicet omninò involuntaria. Alia omninò voluntaria. Et alia partim voluntaria, partim involuntaria. Prima est in eis qui scire non possunt, ut sunt infantes, pueri, & hujusmodi, & hæc non est in culpa, & per consequens nec peccatum; sed solùm est quædam pœna, in quantùm scilicet ignorantia scientiæ carentiam, & sic quamdam imperfectionem dicit. Secunda est in eis qui scire possunt, sed nolunt, & sic ignorantiam velle habere videntur & affectare; & hæc propriè non dicitur pœna, cum sit volita; sed est culpa & peccatum, non ratione quidem ignorantiæ in se; ignorare etenim de se nullum est peccatum, sed ratione perversæ voluntatis ignorandi ea quæ quis scire tenetur, & quæ sibi necessaria sunt ad salutem. Nec enim malum actum culpæ velle, solummodò peccatum est; sed etiam velle malum pœnæ ordinantis ad culpam, qualis est ignorantia eorum quæ sciri debent, est peccatum. Tertia ignorantia est in eis qui scire possunt & benè vellent; sed scire negligunt: & hæc partim est pœna, partim culpa & peccatum. Pœna quidem, in quantùm scilicet talis ignorantia quæ (ut tactum est) quamdam imperfectionem dicit, non est propriè volita, immò quodammodò displicens: culpa verò & peccatum inquantùm ex defectu hominis, sua scilicet negligentia venit, quod ipse scientiam eorum quæ scire tenetur, & quæ sibi necessaria sunt ad salutem, non habet cum habere posset, & sic quodammodò voluntarie hanc ignorantiam habere videtur; non quidem voluntate efficiente, ut in præcedenti; sed voluntate omittente, quæ licet non propriè & verè, effectualiter tamen & interpretativè voluntas est. Et ex his patet solutio prædictæ primæ quæstionis.

Secunda verò prædictarum trium quæstionum eisdem quasi mediis, secundùm præfatum Doctorem dissolvitur: præsupponit enim primò illud jam sæpe supra tactum, quod scilicet omne peccatum in quantùm est voluntarium, in tantùm est peccatum. Ex quo infert quod illud quod diminuit de voluntario, diminuit de peccato. Deindè illam triplicem differentiam ignorantiæ in determinatione quæstionis præcedentis positam, effectualiter resumit, dicendo quod prima ignorantia omninò involuntaria quæ dicitur invincibilis, quia vinci non potest, ut quæ est in pueris & naturâ insensatis, à toto, id est totaliter excusat peccatum; secunda verò ignorantia, scilicet omninò voluntaria, quæ dicitur ignorantia affectata, nullo modo excusat peccatum; quia ut per Magistrum Sententiarum dicitur. Et si talis ignorantia excusat in quantùm ignorantia est, aggravat tamen inquantùm est affectata; unde tantùm aggravat quantùm excusat. Et circa hanc ignorantiam (quia de ipsa frequenter verbum occurrit) advertatur, quia nulla ignorantia de se est simpliciter affectata; etenim omnes homines (juxta Philosophum) naturaliter scire desiderant, sed est benè aliqua ignorantia de per accidens affectata, inquantùm scilicet scientia ei opposita creditur debere hominem movere seu inducere ad aliquid quod ipse non vult, & quod sibi displicet. Tertia verò ignorantia, scilicet partim voluntaria, & partim involuntaria; quia scilicet ut satis supra tactum est, à voluntate omittente, non autem à voluntate efficiente seu approbante procedit; excusat à tanto, sed non à toto, idest non totaliter excusat peccatum; sed benè gravitatem peccati diminuit, ita quod peccatum per talem ignorantiam commissum, non est de se ita grave sicut esset si talis ignorantia non haA beretur; & intelligatur hoc de ignorantia, quæ per aliquem modum dat causam ipsi peccato, sic scilicet quod si ipsa non esset, peccatum illud non committeretur, vel non eodem modo committeretur: nam est alia quædam species ignorantiæ, omne generaliter peccatum concomitans, de qua nihil ad præsens propositum.

Circa verò tertiam & ultimam prædictarum trium quæstionum sic distinguendo dicit præfatus Doctor, quod duplex est ignorantia. *Quædam est Facti, quædam est Juris.* Ignorantia Facti dupliciter contingere potest. Aut scilicet adhibita diligentia, & hæc excusat à toto; quod exponatur ut supra; & exemplificat de concubitu Jacob cum Lya primogenita filia Laban, quem concubitum talis ignorantia excusavit. Aut talis ignorantia facti contingit non adhibita debita diligentia, & hæc excusat à tanto, sed non à toto; quod etiam ut supra exponatur: & exempli-
B ficat de facto Lamech dum occidit Caïn, cum tamen feram putaret occidere; quod factum talis ignorantia non excusavit à toto, sed benè à tanto.

Ignorantia autem Juris (ut jam aliqualiter in superioribus declaratum est) sub duplici qualitate reperitur, una vincibilis, alia invincibilis. Vincibilis quam scilicet, ut etiam supra expositum est, quis vincere potest, iterum duplex reperitur. Una affectata, quando scilicet juxta etiam superiùs notata, aliquis ea quæ Juris sunt quæ scire tenetur & scire potest, scire non vult; immò illam eorum ignorantiam quodammodò ne à peccato retrahatur, se habere complacet. Et hæc ignorantia in nullo se excusat, nec scilicet à toto nec à tanto. Alia dicitur simplex, cum scilicet juxta etiam superiùs notata, aliquis ea quæ Juris sunt quæ scire tenetur bene scire vellet, sed cum scire possit, negligit. Et hæc ignorantia excusat à tanto, sed non à toto.

Ignorantia verò invincibilis sub duplici etiam quali-
C tate reperitur. Una innata, alia incidens. Innata omninò excusat & à tanto & à toto, ut in infantibus & à natura insensatis. Incidens verò iterum duplex est, secundùm scilicet quod dupliciter contingere potest. Una namque incidit sine culpa. Alia verò incidit ex culpa. Prima scilicet quæ sine culpa incidit, ut quando gratia exempli, homo dando operam rei licitæ efficitur furiosus, & hæc quando totaliter ligat seu impedit rationem, seu usum rationis, excusat à toto, aliàs non. De secunda verò, incidenti scilicet ex culpa, ut quando homo præstitit causam suæ ignorantiæ duplex est opinio. Una est quæ ponit, quod si talis ignorantia rationem seu usum rationis omninò ligat seu impedit, tunc peccatum quod sequitur excusat. Ut gratia exempli. Cum furiosus qui per suam culpam incidit in furiam, ex vi illius furiæ occidit hominem; talis enim non peccat, quia ut animal brutum ex solo impetu movetur, & non ratione. Alia est opinio quæ ponit, quod talis ignorantia non excusat à toto sed benè à tanto. Unde in casu præcedenti talis furiosus ut dicit, minùs peccat quam si furiosus non esset, peccat tamen. Prima opinio probalior videtur: propter dubium tamen talibus si sanentur, debet secundùm Canones Pœnitentia in-
D jungi. Et hæc quantùm ad naturam seu qualitatem conscientiæ dicta sufficiant.

DE

DE NATURA, QUALITATE

& numero circumstantiarum.

NUnc de natura & qualitate & numero circumstantiarum aliqua dicenda veniunt, etenim ut superiùs tactum est, ad cognoscendam differentiam naturæ & qualitatis peccatorum tam mortalis quàm venialis, non modicè confert hujusmodi circumstantiarum naturam cognoscere, diligentérque dum casus occurrunt, considerare ad debitè attendere. Et hinc est quod communiter per Doctores tres assignantur causæ principales propter quas hujusmodi circumstantiarum consideratio non solùm ad scientiam Moralem, sed valdè principaliter ad scientiam Theologicam pertinet, qualis, non dubium, est scientia regiminis, instructionis & directionis animarum, maximè in foro pœnitentiali, quæ ut dicit Gregorius in Pastorali, ***ars est artium, scientia scientiarum.*** Prima causa est, quia hujusmodi scientia Theologica considerare habet actus humanos, secundùm quod per eos homo ad beatitudinem, salutemque æternam ordinatur: omne autem quod ad aliquem finem ordinatur, oportet esse illi fini proportionatum. Actus autem humani fini proportionantur secundùm quamdam commensurationem quæ fit per debitas circumstantias; rationabiliter ergo ad prædictam scientiam Theologicam pertinet ipsarum circumstantiarum consideratio. Secunda causa est, quia ipsa etiam scientia Theologica considerare habet actus humanos, secundùm quod invenitur in eis bonum & malum, melius & pejus. Hæc autem in ipsis actibus humanis frequentissimè ex circumstantiis reperiuntur, secundùm quod ipsæ circumstantiæ ut infra declarabitur, diversificantur: rationabiliter ergo ipsarum circumstantiarum consideratio; ad hujusmodi Theologicam scientiam pertinere dicitur & pertinet. Tertia causa est, quia ipsa etiam scientia Theologica considerat actus humanos, secundùm quod sunt meritorii, vel demeritorii, quod quidem convenit actibus humanis, ad quod requiritur quod sint voluntarii. Actus autem humani frequentissimè judicari habent voluntarii vel involuntarii, secundùm cognitionem vel ignorantiam circumstantiarum. Rationabiliter igitur circumstantiarum cognitio ad hujusmodi scientiam Theologicam pertinere dicitur, & pertinet.

Ad declarationem igitur materiæ particulariùs descendendo, circumstantia sic describitur, quod est accidens actus humani. Et intelligatur ista descriptio non de accidenti quod inest rei ut sua qualitas, sicut album dicitur accidens rei albæ, sed intelligatur accidens quasi cum alio simul in eodem subjecto concurrens & existens, extra tamen substantiam ipsius cum quo sic concurrit & existit: sic enim circumstantia dicitur accidens actus humani, quia cum actu humano simul in eodem subjecto concurrit & existere potest. Est tamen extra substantiam ipsius actus humani, nec est de ejus substantia. Quod satis nomen de se importat & connotat: dicitur enim circumstantia quasi circum aliquid stans.

Circumstantiæ autem secundùm quas, ut supra tactum est, actus hujusmodi judicari habent boni vel mali, meliores vel pejores, meritorii vel demeritorii &c. & per consequens ad beatitudinem salutemque æternam ordinati, assignantur à Tullio *in sua Rethorica* septem, quæ continentur in isto versu

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Etenim juxta quod ipse Tullius dixit. In actibus humanis ad eorum bonitatem seu malitiam debitè dignoscendam, prædicta consideranda veniunt, scilicet ***quis*** est qui fecerit, ***quid*** est quod fecerit, ***ubi*** fecerit, ***quibus auxiliis***, instrumentis vel mediis fecerit, ***quare*** fecerit, ***quomodo*** fecerit, ***quando*** fecerit. Philosophus autem in III. *Ethic.* addit octavam circumstantiam, scilicet circa quid. Sed Tullius eam sub illa circumstantia, ***quid***, comprehendit. Hic tamen ipsarum circumstantiarum fiet delararatio secundùm numerum & positionem Philosophi. Numerus autem seu sufficientia istarum circumstantiarum sic sumi potest. Circumstantia enim, ut jam dictum est, dicitur quasi extra substantiam actus existens; sed tamen ipsum actum aliquo modo attingens. Triplici autem modo seu respectu potest circumstantia actum ipsum humanum attingere. Uno modo inquantùm attingit ipsum actum in se. Secundo modo inquantùm attingit causam ipsius actus. Tertio modo inquantùm attingit effectum ipsius actus. Respectu primi modi dupliciter potest ipsa circumstantia ipsum actum in se attingere, vel per modum scilicet cujusdam mensuræ seu commensurationis, & sic erunt circumstantiæ respicientes seu concernentes locum & tempus, quæ denotantur per hæc duo verba in prædicto versu posita, scilicet ***ubi*** vel ***quando***, vel per modum qualitatis ipsius actus, & sic erit circumstantia respiciens seu concernens modum agendi, quo scilicet actus ipse factus est quæ denotatur per hoc verbum, ***quomodo.*** Respectu verò secundi modi, scilicet respectu causæ ipsius actus, cum omnium actuum & effectuum humanorum quatuor sunt causæ principales, scilicet efficiens, materialis, formalis & finalis, quadruplex circa istas quatuor causas accipitur seu occurrit differentia seu qualitas circumstantiarium circa enim causam efficientem aliàs accipitur seu occurrit circumstantia ipsius agentis, quæ denotatur per hoc verbum ***quis.*** Circa causam materialem accipitur seu occurrit circumstantia circa objectum, quæ denotatur per hoc verbum quod addit Philosophus, scilicet ***circa quid.*** Circa causam formalem accipitur seu occurrit circumstantia circa causam coagentem seu cooperantem seu concurrentem, quæ denotatur per hoc verbum, ***quibus auxiliis.*** Et intellege, ut jam tactum est, vel instrumentis &c. vel hujusmodi quæ faciunt ad formam actus. Circa causam finalem accipitur seu occurrit circumstantia circa propositum & intentionem agentis, quæ denotatur per hoc verbum, ***cur***, id est propter quid, qua de causa &c. Respectu verò tertii modi, scilicet respectu effectus ipsius actus, accipitur seu occurrit circumstantia circa illud, quod ex tali actu contingit & secutum est, quæ denotatur per hoc verbum, ***quid.***

Hæ igitur sunt circumstantiæ, ex quibus (ut pluries tactum est) actus humani quoad bonitatem vel malitiam, meritum vel demeritum &c. judicari habent, nec plures reperientur, quin ad aliquam præmissarum sint reducibiles.

Et ad majorem instructionem mediocrium & simplicium quibus, ut superiùs tactum est, non tanta scientia vel Librorum facultas suppetit, expediens judicatum est de prædictis circumstantiis aliqualiter exemplificari, ut exindè in similia faciliùs manuduci possint, & servando ordinem versus supra positi. Respectu igitur primi verbi, scilicet ***quis***, certum est quod, ceteris paribus, graviùs peccat Sacerdos quam simplex Clericus, & graviùs Clericus quam simplex laïcus, graviùs vir quam fœmina. Respectu secundi, scilicet ***quid***: certum est quod, ceteris aliis paribus, homicidium est gravius peccatum quam furtum, & adulterium quam simplex fornicatio. Respectu tertii, scilicet ***ubi***, certum est quod ceteris aliis paribus furtum vel percussio vel fornicatio quæ fieret in Ecclesia vel alio loco sacro, est gravius peccatum quam fieret extra Ecclesiam, & in loco non sacro. Respectu quarti, scilicet ***quibus auxiliis***, instrumentis vel mediis &c. certum est quod domum ad prædandum intrare per falsam clavem, vel seram aperire per instrumenta subtilia, vel per subornationem famuli aut ancillæ, ceteris aliis paribus, est gravius peccatum quam à casu inven-

inventam apertam, vel per foramen muri non obstructum intrare. Respectu quinti scilicet *cur* seu propter quid, certum est quod latitare in nemore vel alio loco suspecto, seu conducere societatem aliquam intentione aliquem vel aliquos occidendi, ceteris aliis paribus, est gravius peccatum quam prædicta facere intentione sola deprædandi. Respectu sexti, scilicet *quomodo*, certum est quod ceteris aliis paribus, gravius est peccatum hominem ex proposito deliberato & per insidias, quam subito motu subitoque incursu occidere, & gravius, ceteris aliis paribus, veneno in convivio, quam gladio apertè invadendo occidere. Respectu septimi, scilicet *quando*, certum est quod domum ad prædandum de nocte intrare, ceteris aliis paribus, est gravius peccatum quam de die intrare: & fornicari die sancto Paschæ vel alio Solemni, ceteris aliis paribus, gravius est peccatum quam die non Solemni. Respectu verò octavæ circumstantiæ per Philosophum additæ scilicet *circa quid*, certum est quod machinamenta & deceptiones tendere & parare ad inducendam mulierem Religiosam vel uxoratam in fornicationem, ceteris aliis paribus, est gravius peccatum quam machinari ad inducendam unam aliam omninò solutam, sic de similibus.

Addunt aliqui ultrà omnes prædictas circumstantias unam aliam, scilicet, *quotiens*. Circa quam dupliciter dici potest, uno modo, quod cum juxta primum trium modorum actum humanum attingendi supra tactorum, ipsa circumstantia *quotiens*, videatur actum in se attingere per modum cujusdam commensurationis temporis, potest rationabiliter intelligi & comprehendi sub illa circumstantia, *quando*: nec enim debitè & sufficienter potest sive in Confessione sive aliàs, quantitas seu gravitas peccati per illam circumstantiam *quando*, perquiri & haberi, utputa scilicet quo tempore, qua die, qua hora &c. peccatum factum sit; quin etiam effectualiter dicti peccati quantitas & gravitas per dictam circumstantiam *quotiens*, perquiratur & habeatur, ut gratia exempli. Contingere potest, immò frequenter contingit quod homo pluries idem peccatum utputa fornicationem vel furtum committet, una vice tempore Quadragesimali & die solemni, & alia vice alio tempore & die non solemni, & sic de similibus valde quotidianis. Si igitur debitè & sufficienter ab isto perquiratur & sciatur, quando tale peccatum commiserit, satis etiam scietur quotiens ipse commiserit. Alio modo dicitur quod propriè ista circumstantia *quotiens*, non est nec dici debet circumstantia, quia propriè nec actum in se, nec causam ipsius actus, nec effectum ipsius actus respicit, immò nec peccatum in se quoquo modo aggravat, sed solùm & propriè quamdam reiterationem peccati & pluralitatem peccatorum dicit, ut clarè apparere potest per exemplum quod de ipsa, juxta similitudinem præcedentium circumstantiarum poni potest. Certum est enim quod, ceteris aliis paribus, gravius est peccatum ter aut quater mulierem de fornicatione vel adulterio sollicitare, quam semel: & gravius ter aut quater insidias ad aliquem occidendum tendere & parare, quam semel. Sed propriè ista non unum & idem peccatum sunt, immò plura & propriè quædam reiteratio peccatorum. Notanter autem in præmissis exemplificationibus addita sunt illa verba, ceteris aliis paribus: nam circa casus præmissos & similes possent etiam aliæ circumstantiæ contingere seu occurere, quæ de se aliter qualitatem & gravedinem peccatorum prædictorum disponerent & causarent. Nam (quod bene advertendum est) ex concursu plurium circumstantiarum circa aliquem actum, potest major ejus bonitas vel malitia, majusque meritum vel demeritum causari. Per prædictas etiam exemplificationes poterit faciliter discretus & intelligens de casibus, qui sibi vel in propria persona vel in personis aliorum, utputa in Confessione aut aliàs contingere possunt dijudicare & discernere.

Nam (ut sæpe in superioribus tactum est) pro hoc quoque etiam clariùs dando intelligi hìc de ipsarum natura & qualitate circumstantiarum principaliter actum est. Ex concursu alicujus aut aliquarum circumstantiarum actus qui aliàs de se ex suoque genere seu natura non esset nisi veniale peccatum, immò forsan actus meritorius, efficitur peccatum mortale, ut pluries exemplificatum est de verbo otioso, occasioneque seu provocatione risus, & de datione eleemosynæ; quæ de se ex suoque genere est actus meritorius. Quibus si addatur & concurrat circumstantia illa, respectu causæ finalis seu intentionis actus, de qua supra super illo verbo *Cur*, utputa quod fiant ad provocandum seu inducendum mulierem in fornicationem, efficiuntur peccata mortalia: & similiter de aliis juxta suum genus & naturam. Et hæc quoad naturam, qualitatem & numerum circumstantiarum, quantùm huic Tractatui congruere judicatum est, dicta sufficiant.

DE DIVERSIS NOMINIBUS

Peccati actualis & venialis.

QUo verò ad diversitatem nominum quæ peccato actuali veniali per nonnullos secundùm diversas ejus proprietates, operationes & effectus attribui solent; est advertendum quod sicut in superioribus ubi de ipso peccato veniali agi incœpit, dictum est; definitionem Beati Augustini quæ peccato actuali mortali (supra ubi etiam de ipso peccato mortali tactatum est, ex eo quod in ipso est perfecta ratio peccati) attribuitur; solere per aliquos peccato in generali, & tanquam generi attribui, & sic quodammodo, secundùm tamen magis & minus, posse ipso peccato veniali competere & convenire; ita de nominibus nominumque diversitate dici potest, quod scilicet in superioribus peccato mortali in se plura & diversa nomina attributa sunt, quæ benè comuniter peccato in generali, & tanquam generi attribui solent, & sic quodammodò secundùm tamen magis & minus possent etiam ipsi peccato veniali attribui & convenire. Ideo ad clariùs semper naturam & qualitatem peccati venialis cognoscendum, recitabuntur hìc aliqua nomina ipsi peccato veniali attribui solita. In quorum aliquibus (cum ipso peccato mortali convenit) intelligantur per priùs & principaliùs ipsi peccato mortali competere, cum in eo, ut tactum est, perfecta ratio peccati consistat, & secundariò ac minùs principaliter, immò per quamdam largam acceptionem ipsi peccato veniali, cum secundúm Beatum Thomam non consistat in eo perfecta ratio peccati: immò solùm quædam imperfecta.

Potest igitur primò peccatum veniale nominari, & interdum ab aliquibus nominatur macula, & hoc quia maculat animam. Quod quidem juxta Beatum Thomam intelligatur non propriè loquendo; sed solùm secundùm quid, inquantùm scilicet peccatum veniale impedit nitorem qui est ex actibus virtutum; quia non diminuit nitorem habitualem; nec enim habitum charitatis & aliarum virtutum diminuere habet, sicut facit peccatum mortale. Potest etiam nominari reatus, ex eo quod ad pœnam obligat, sed hoc etiam (ut jam statim tactum est) intelligatur largo modo & quasi impropriè, quia ad pœnam æternam præcisè non obligat ut facit peccatum mortale; sed solùm sub disjunctione, vel scilicet ad pœnam æternam vel ad pœnam purgatoriam, vel ad pœnam presentialiter satisfactoriam. Quod capitulo immeditatè sequenti ubi de dicti peccati venialis effectibus agetur, latiùs declarabitur.

Potest etiam nominari prævaricatio, inquantùm scilicet Mandatum Dei respicit quod transgrediendo præ-

prævaricatur: sed similiter ut priùs intelligatur largo modo & quasi impropriè; quoniam peccatum veniale non facit directè contra Legem Dei & Mandatum sed benè præter, ut latè in superioribus expositum est.

Potest etiam nominari peccatum prout & de facto nominatur, in quantùm scilicet est conversio ad bonum commutabile; sed ut etiam tactum est, hoc largo modo & minùs principaliter: quia illa conversio ad bonum commutabile, non est cum totali & habituali aversione à bono incommutabili, sicut est in peccato mortali. Nam in isto peccato veniali neque plus neque tantùm diligitur ipsum bonum commutabile ad quod sic fit conversio, sicut bonum incommutabile à quo fit aversio, ut benè, amplè & pluries in superioribus declaratum est.

Potest etiam nominari nefas, in quantùm scilicet est illicitum personæ perpetranti. Sed (ut frequenter dictum est) hoc etiam est largo modo sumendo & quodammodò impropriè.

Plura alia possunt ipsi peccato veniali secundùm diversas ejus operationes & effectus nomina attribui; interdum etiam per aliquos attribuuntur: sed supra dicta satis sit tetigisse & declarasse; sunt enim ea quæ magis propriè sibi convenire videntur & communiùs assignantur.

Peccata venialia intelligi per lignum, fœnum, stipulam aliqui volunt, inter quos sæpè præfatus Beatus Thomas super illo quod 1. ad *Cor.* III. dicit Apostolus quod *aliqui super fundamentum spirituale ædificant aurum, argentum, lapides pretiosos. Alii verò superædificant lignum, fœnum & stipulam.* Et quod ille qui super fundamentum spirituale sic lignum, fœnum & stipulam ædificat salvus erit, sic tamen quasi per ignem, id est patietur pœnam sed non æternam, intelligi per ista tria ultima volunt peccata venialia; quod tamen secundùm eundem Doctorem propriè intelligi habet de ipsis peccatis venialibus quæ admiscent se procurantibus terrena. Nam aliqua interdum peccata venialia se veris spiritualibus admiscent; sed quia levissima sunt non purgantur per ignem, sed frequentissimè per ipsum fervorem charitatis. Talia igitur peccata venialia, se terrena procurantibus admiscentia, ideo per lignum, fœnum & stipulam significantur; quia sicut prædicta tria in domo congregantur, nec tamen ad substantiam ædificii pertinent, immò comburi possunt, ædificio nihilominùs integro remanente: ita etiam peccata venialia multiplicari in homine possunt, manente spirituali ædificio. Et tunc pro istis patitur ignem, vel scilicet temporalis tribulationis in hac vita, vel Purgatorii, si ipsis nondum purgatis decedat; sed tamen salutem consequetur æternam. Dicuntur autem hujusmodi peccata venialia superædificari spirituali fundamento, non quasi directè super ipsum; etenim super bonum & spirituale malum propriè ædificari non potest, sed super, id est juxta, sicut in simili ibi in *Psalmo.* XIII. I. dicitur. *Super flumina Babylonis* &c. juxta flumina Babylonis. Notanter etiam & benè ad propositum aliquorum infra tangendorum dicuntur venialia peccata, sic per lignum, fœnum & stipulam significata, spirituali ædificio superædificari: nam nisi spirituali ædificio superædificata essent, homo talia habens non esset salvus, sic quasi per ignem. Undè cum peccato mortali & veniali simul decedens habet quidem lignum fœnum & stipulam; sed non habet spirituali fundamento superædificata. Et ideo talis non erit salvus sic quasi per ignem, quia simpliciter salvus non erit. Et important tria prædicta tres modos seu tres gradus adhærentiæ & gravitatis ipsorum peccatorum venialium, tresque modos seu gradus purgationis eorum, propter quod generaliter omnia peccata venialia complectuntur & concernunt: quia nullum est quod non sit alterius prædictorum trium modorum seu graduum adhærentiæ & gravitatis, & quod non per aliquem dictorum trium modorum seu graduum purgationis etiam purgetur. Lignum etenim quod respectu istorum trium diutiùs in igne manet, significat majora: stipula quæ citissimè comburitur, minima; & fœnum quod inter ista duo se quasi mediocriter habet, significat mediocria.

DE DIVERSIS EFFECTIBUS

Peccati actualis venialis.

A PLURES possent peccati venialis effectus enumerari prout plures existunt; ex quibus tamen per Doctores communiùs assignantur qui sequuntur.

Unus quidem quia ad pœnam obligat; non autem ut statim supra tactum est, quod ad aliquam trium pœnarum pro peccatis infligi solitarum scilicet æternæ vel purgatoriæ, vel in præsenti seculo satisfactoriè, præcisè & determinatè obliget, sed benè sub disjunctione ad alteram scilicet earum. Nam de peccato veniali hìc, idest in hoc seculo, vel satisfactione hìc non facta, in Purgatorio; si cum eo peccatum mortale non existat, vel in inferno si cum eo etiam peccatum mortale existat, satisfieri oportet. Et si hìc, in foro scilicet Ecclesiæ præsentis homo satisfaciat, leviter satisfaciet; si verò in foro Purgatorii satisfacere expectet, graviter valde punietur & satisfaciet; si verò in foro Inferni eum satisfacere oporteat, pro ipso etiam veniali gravissimè punietur, quia æternaliter, si tamen, ut tactum est, mortale cum ipso veniali existat, idest quod B homo cum ambobus decesserit. Et ad propositum istarum trium punitionum seu satisfactionum dari solet exemplum de mensura vini, quæ in uno forsan loco valebit solidum unum, si progrediatur ulteriùs reperietur valere solidos duos, si verò adhuc ulterior fiat progressus, reperietur valere solidos tres. Pœna tamen in Inferno pro veniali illata, incomparabiliter minor est quam ibidem pro mortali illata. Unde dici solet quod pœna in Inferno pro mortali illata, est sicut soliditas; illata verò ibidem pro veniali, est sicut superficies: in Purgatorio autem pro veniali illata, est sicut linea: in præsenti verò seculo pro veniali illata, est sicut punctus. Unde sicut ista quatuor sunt ad invicem improportionabilia, ita inter quatuor pœnas supra dictas improportionabilis est differentia.

Secundus effectus peccati venialis est quod animam maculat. Quod sic (juxta quod statim supra tractavimus) intelligatur, quòd scilicet nitorem illum animæ qui ex actibus charitatis & virtutum nascitur seu procedit, C respectu illius in quo incidit impedit. Et sic per indirectum maculam quamdam in animam inducit. Prout (juxta aliquos Doctores) potest exemplum poni de imagine picta, quæ aliquando denigrari potest in tantùm ut nullo modo videri possit: aliquando verò sic solùm obscuratur ut videri quidem possit, sed non plenè discerni. Propter quam similitudinem dicit beatus Gregorius quod peccatum veniale obscurat, mortale verò obtenebrat: respectu autem istius maculæ, dici solet quod in salvandis omne peccatum veniale in præsenti vita à gratia finali, idest quæ in finem habetur (aliàs salvandi non essent) deletur, & hoc secundùm aliquos quantùm ad culpam; sed non quantùm ad pœnam; immò pœna illa in Purgatorio solvetur.

Delet autem gratia finalis, scilicet quæ in morte habetur, peccatum veniale in ipsa dissolutione animæ & corporis; quamvis etiam forsan non sit ad illud motus contritionis pro tunc directus, & hoc ex virtute complexionis & sui status. Et secundùm hoc intelligitur D verbum Augustini qui dicit quod in Purgatorio potest esse absolutio à pœna & non à culpa, quod etiam similiter ab aliquibus Doctoribus dici solitum est. Sed modò communiter tenetur, cum peccatum veniale abhinc deferatur à multis, quod etiam quantùm ad culpam in Purgatorio purgari possit. Unde exponendo illud quod Dominus de quibusdam peccatis dixit, quod non remittuntur nec hìc, nec in futuro, dicit Gregorius quod venialia dimittentur in futuro.

Quod si intelligantur quod remittentur quantùm ad pœnam, tunc expositio sua in effectu nulla esset: nam etiam mortalia quantùm ad pœnam quæ pro eis soluta non est, ibidem purgantur. Ideò clarum est quod Gregorius intelligere voluit quod venialia in Purgatorio quò etiam ad culpam purgentur.

Tertius effectus peccati venialis est quod fervorem charitatis minuit; sicut videtur de aqua in igne projecta: quod licet non extinguat, fervorem tamen illius minuit & temperat.

Quartus effectus peccati venialis quod potentias animæ in bonis laxat; sicut per exemplum quando imponitur onus super equum, efficitur & redditur minùs promptus & expeditus ad ambulandum.

Quintus effectus peccati venialis est quod retardat à gloria: nam cum homo decedit, & posset, si in eo non essent venialia, statim ad cœlum evolare post mortem, propter ipsa venialia cogetur ad tempus in Purgatorio expectare. Nunquam enim facies Dei ab aliquo videbitur donec solvat minimum etiam peccatorum venialium quadrantem: oportet enim quemlibet ita mundum ante intriotum Paradisi esse, sicut fuit in innocentia Baptismali.

Sextus effectus peccati venialis est quod bona gloriæ cœlestis diminuit. Non quidem illa quæ jam debentur & quæ jam homo ibi habet per meritum reposita, sed illa quæ deberentur si venialia non fierent: nam illo medio tempore quo peccata venialia fiunt, possent aliqua bona fieri; quæ cum non fiant, de tanto ipsa gloria censetur effectualiterque est diminuta. Propter etiam illorum venialium perpetrationem oportet opera quædam bona ad solutionem & purgationem hujusmodi venialium facere & convertere, per quæ valde accrescere potuisset & accrescere debuisset cumulus præmii æterni.

Septimus effectus peccati venialis est, quia venialia sæpe sunt occasio mortalium peccatorum. Et hoc inter alios quatuor modos qui in superioribus (ubi de septem peccatis mortalibus tractari incœpit) latè expositi sunt, ubi monstratum est quod actus qui de se ex suique natura est solum de genere peccati venialis, potest vel ex conscientiæ remorsu vel ex complacentia vel ex proclivitate, vel ex progressu peccatum mortale effici.

Hoc autem etiam singulariter advertendum est, quod sicut ad remissionem peccati mortalis exigitur desertio actus peccandi cum voluntate firmoque proposito inposterùm abstinendi; sic similiter peccatum veniale in præsenti vita non dimittitur nisi etiam actu & proposito deseratur.

Et hæc quoad totalem materiam naturæ, qualitatis & effectus peccati actualis venialis, ac circa eam occurrentium, quantùm hunc præsentem istius Libelli octavum Tractatum concernere judicatum est, dicta sufficiant.

DE SECUNDA ET ULTIMA
DIVISIONE
PECCATI IN GENERE

Seu tanquam generis, quæ sumitur secundùm ipsius peccati causam materialem.

EXPEDITIS his quæ respectu primæ divisionis peccati in genere seu tanquam generis, quæ scilicet secundùm quamdam peccati qualitatem & quantitatem sumebatur & sumpta est, dicenda occurrebant: nunc de secunda & quoad hunc Tractatum ultima ipsius peccati etiam in genere seu tanquam generis divisione, quæ scilicet secundùm ipsius peccati causam materialem sumitur, aliqua etiam dicenda veniunt; nec hìc accipienda venit ipsa causa materialis propriè, ut in rebus corporalibus seu materialibus fieri posset, sed solùm per quamdam similitudinem, ut hìc causa materialis dicatur illud in quo fit seu causatur ipsum peccatum.

Prosecutio & declaratio ipsius primæ divisionis.

A DIVISIO igitur est ista, quæ peccatorum alia sunt cordis, alia oris, alia operis; vel secundùm alios, aliqua sunt cogitationis, aliqua locutionis, aliqua operationis.

De peccatis cordis seu cogitationis.

PECCATA cogitationis seu cordis sunt hæc. Cogitatio, delectatio, consensus, desiderium mali, voluntas perversa, infidelitas, superstitio, indevotio, præsumptio, desperatio, timor malè humilians, amor malè accendens, prudentia carnis, suspicio, invidia, ira, odium, timor servilis, exultatio in adversis proximi, dolor de ejus prosperis, contemptus pauperum, contemptus peccatorum: personarum acceptio, perfidia, affectus carnalis parentum, inepta lætitia, seculi tristitia, impatientia, avaritia, sollicitudo temporalium, superbia, perplexitas, obstinatio, malitia, tædium boni, acedia, inconstantia, pœnitentia pœnitentiæ, dolor quod ampliùs non est malè factum, hypocrisis, amor inordinatus placendi, timor displicendi, verecundia de bono opere, amor privatus, sensus singularis, ambitio dignitatum, vana gloria

B de bonis naturæ vel fortunæ vel gratiæ, verecundia de pauperibus amicis, contemptus admonitionum, immisericordia.

De peccatis oris seu locutionis.

PECCATA oris seu locutionis sunt hæc. Crebra juratio, perjurium, blasphemia, nomen Domini irreverenter assumere, veritatem impugnare, Deum de aura judicare, contra Deum murmurare, irreverenter Horas dicere, detractio, adulatio, mendacium, vituperium, maledictio, infamatio, contentio, comminatio, impugnatio veritatis agnitæ, impugnatio charitatis fraternæ, seminatio discordiæ, proditio, falsum testimonium, mala consilia, derisio, contradictio obedientiæ, invertere facta bona, in Ecclesiis placitare, ad iram hominem provocare, reprehendere in alio quod ipse facit, vaniloquium, multiloquium,

C stultiloquium, verba otiosa vel superflua vel curiosa proferre, jactantia, verborum politio, peccatorum defensio, clamor, risus, cachinnus, turpiloquium, lenocinium, cantilenas seculares cantare, in cantu divino magis studere vocem frangere quàm devotè psallere, murmurare, verba sæcularia proferre in injusta causa advocare, malum commendare.

De peccatis operis seu operationis.

PECCATA autem operis seu operationis sunt hæc: gula, luxuria, ebrietas, sacrilegium, simonia, sortilegia, violatio dierum solemnium, indignè commu-

D nicare, votorum fractio, apostasia, dissolutio in Officio divino, scandalizare sub exemplo malo, proximum corrumpere, lædere hominem vel in rebus vel in persona vel in fama, furtum, rapina, usura, deceptio ludus, venditio justitiæ, exactiones indebitæ ac telonia injusta, auscultare mala, joculatoribus dare, necessaria sibi subtrahere, superflua sumere, ultra vires quippiam aggredi, consuetudo peccandi, recidivatio, simulatio, tenere Officium ad quod non sufficit vel quod sine peccato non agitur, chorizare, novitates invenire, Majoribus rebellare, minores opprimere, delinquere visu, auditu, olfactu, tactu, gustu, lucta, osculis, mu-

muneribus, nutibus, mandatis, scripturis, circunstantias aggravantes admittere quæ sunt tempus, locus, modus, numerus, persona, mora, scientia, ætas, seipsum ad peccandum cogere seu inducere.

De peccatis omissionis.

PECCATA omissionis (quæ etiam ut faciliter debitè consideranti apparere potest, ad tria respectu quorum præcedens divisio sumitur, vel scilicet ad cor seu cogitationem, vel os seu locutionem, vel opus seu operationem pertinent) sunt hæc. De Deo non cogitare, ipsum non timere vel non amare, gratias sibi de beneficiis non agere, opera quæ fiunt ad ipsum non referre, de peccatis sicut deberet non dolere, ad gratiam recipiendam non se præparare, gratia accepta non uti nec eam conservare, ad inspirationem divinam non se convertere, voluntatem suam voluntati divinæ non conformare, ad orationes dicendas non attendere, orationes debitas omittere, ad ea quæ quis vel voto vel Præcepto vel Officio tenetur negligere, Communionem & Confessionem semel in anno non expetere, parentes non honorare, seipsum non cognoscere & reprehendere, conscientiam suam negligere, Ecclesias & Prædicationes fugere, tentationibus non resistere, pœnitentias injunctas negligenter facere, ea quæ statim facienda sunt differre, bonis proximi non congaudere & malis ejus non condolere, injurias non remittere, fidem proximo non servare & beneficiis ejus non correspondere, delinquentes non corripere, litem non sedare, ignorantes non instruere, afflictos non consolari, admonitionibus non acquiescere. Pauca & forsan nulla alia reperiri posse creduntur peccata, quæ non sub prædictis effectualiter comprehendantur & includantur, vel ad ea reducibilia sint.

A

B

Quando peccata prædicta mortalia sint vel venialia.

QUANDO autem peccata prædicta mortalia vel solùm venialia existant, facile est ex superiùs tractatis cognoscere, examinando, (scilicet sit apud se, sit apud alium) modos ea faciendi & committendi, intentionemque seu finem propter quem sunt, ac remorsum conscientiæ qui de ipsis habetur, cum aliis circunstantiis circa ea occurrentibus, de quibus latè superiùs actum est.

Et hæc quoad secundam & ultimam ipsius peccati in genere seu tanquam generis divisionem dicta sufficiant.

Quare multa in hoc Compendio, præcipuè in octavo Tractatu latè & planè dicta sint & exposita.

POTUISSENT nonnulla in hoc libello & præcipuè in octavo & ultimo Tractatu, in materia scilicet peccatorum tractata, breviùs & compendiosiùs dici; sed (ut frequenter in superioribus tactum est) libellus iste non scientificis, Librosque faciliter procurare valentibus compositus est; sed mediocribus & communioribus ac eis quibus non faciliter Librorum copia suppetit. Quibus expediens & forsan necesse fuit ea quæ hìc dicta sunt, & maximè circa difficiles materias per reiterationes & latas repetitiones, nec non materialia quædam exempla quasi palpando & per quamdam manuductionem dare intelligi. Alioquin non facile forsan fuisset pluribus comprehendere; sicque prædicta apud eos nullum fructum, nullumque profectum afferre potuissent.

Remissio ad Doctores.

QUI tamen ampliora videre voluerit, vel clariùs de præmissis materiis informari, adeat frequenter allegatos Doctores, Beatum Thomam & alios in superioribus notatos, & præcipuè in eorum Libris & Tractatibus superiùs etiam designatis.

FINIS.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

OPUSCULUM TRIPERTITUM DE PRÆCEPTIS DECALOGI,

De Confessione & de Arte moriendi.

Gallicè habetur in Cod. MS. Victorin. 1. Pars 288. 2. & 3. Pars in Cod. 602. 2. & 3. Pars in Cod. 774. Et integrum Latinè in duobus Codd. MSS. Navarricis.

MONITUM.

Hoc opus tanti fecere Gallicani Episcopi, ut Synodis suis ipsum elegerint ad institutionem tum Presbyterorum tum fidelium, legendum populo à Pastoribus præscripserint, & Libris suis Ritualibus inseruerint.

EJUSDEM EPISTOLA

Ad quemdam Episcopum super Opusculo Tripertito plebibus publicando.



Reverende in Christo Pater ac Domine metuende. Conqueritur Dominus per Prophetam Isaïam. c. v. 13. *Propterea inquit, ductus est populus meus in captivitatem, quia non habuerunt scientiam, & nobiles ejus interierunt fame, & multitudo ejus siti exaruit.* Hæc scientia non alia accipienda est quam cognitio Legis Dei & suorum Mandatorum ad salutem consequendam necessaria sive proficiens, de qua itidem scientia verum est illud Apostolicum. 1. Cor. XIV. *Ignorans ignorabitur*, nam cum qualibet alia ignorantia potest stare salus. Et quoniam multi sunt ex simplicibus quibus non prædicatur verbum, aut non taliter prædicatur quod ad præfatam scientiam deveniant, agente hoc vel ignorantia vel negligentia prædicantium; commodum fore existimavi si velut in tabula quadam tenorem nostræ Legis & suorum Præceptorum rememorationem sententioso compendio depingerem; aut velut in brevi speculo cernentibus objicerem: quatenùs ipsi haberent Curati minùs instructi aliquod solidum & aptum B quod in toto vel per partes diebus Dominicis & Festivis legere possent suis plebibus, ut scirent & intelligerent ad quid & propter quid & à quo factæ sunt: quid insuper credere, quid agere, & quid omittere divina Lege tenentur, & quemadmodum à peccato resurgere. Et forsan simile opus attentatum est jam à peritioribus & salubriori brevitate compositum. Quod si ita est, certè non invideo: tantummodò Reverende Pater, dignetur animadvertere vestra pastoralis sollicitudo, sive isto modo sive alio fiat, quod A singulis diebus Dominicis & Festivis divinæ Legis tenor per vestram Diœcesim ubilibet publicetur, ne per ignorantiam ejus plebs vestra pereat, & ducatur in captivitatem peccati: ne prætereà à speculatore qui non denuntiaverit interitum vel gladium, sanguis requiratur; sed liberetur denuntiatione tali, & rebelles soli suo sanguine depereant.

Mittit autem mea devotio Opusculum præfatum quod si dignum ad hoc putetur, poterit vestra liberalis charitas cum pauco scriptorum labore & levibus expensis bene expositis facere illud multiplicari, & correctum ad singulos Curatorum vestrorum destinari cum Edicto de publicando, ut tactum est, in absentia Sermonum & quantùm gratia Dei eos adjuverit exponendo.

Denique si quid addendum aut rescindendum aut corrigendum esse dictaverit vestra prudens Dominatio, jure suo id facere fas habebit. Scio tamen, post multam à me & multis aliis peritioribus examinationem, nihil deprehendi quod non videatur posse à benevolo interprete salva Fidei & morum puritate sustineri. Et adjici longè ampliora potuerant; sed brevitas modernæ amica desidiæ sectata est.

Benè valete. *Scriptum Parisiis.*

OPUSCULUM

TRIPERTITUM

Ejusdem Doctoris & Cancellarii Parisiensis de Præceptis Decalogi, de Confessione & de Arte moriendi.

CHRISTIANITATI suus qualiscunque zelator, prosperum ad virtutes, vitiis depulsis, incrementum.

Salubre duxi sequens Opusculum tripertitum, de Præceptis, de Confessione, de scientia mortis, brevitate qua potui tradere, quatuor præsertim Christianorum generibus profuturum. Primò, Sacerdotibus & Curatis illiteratis atque simplicibus qui Confessiones audire debent. Secundò, indoctis quibuscunque personis sæcularibus aut Religiosis, quæ Ecclesiæ solitis Sermonibus aut Prædicationibus pro divinorum Præceptorum notitia interesse non possunt. Tertiò, pueris & juvenibus qui à rudimentis infantiæ circa Fidei nostræ generalem tenorem & principalia puncta primitùs debent erudiri. Quartò, personis domos Dei vel Hospitalia loca frequentantibus & infirmorum sollicitudinem gerentibus.

Quocircà ad hujus doctrinæ publicationem quadruplex personarum status debet vigilare. Primò, Prælati, quos inferiorum Curatorum regimen de propinquo concernit, quibus insuper Curatorum ignorantia crassa divinæ Legis & insufficiens eruditio simplicis populi imputabitur in peccatum. Secundò, Parentes pro filiis apud scholarum Rectores instare deberent. Tertiò, domorum Dei & locorum Hospitalium gubernatores & magistri. Illi quartò generaliter qui in verbis aut factis & aliis signis alios ad peccandum induxerunt, quique ex officio alios docere debuerant, & id agere negligunt. Hi namque sumptibus suis & diligentiis, per hujus aut similis doctrinæ publicationem debent aliorum correctionem procurare; hoc enim agere pœnitentia quædam, hoc est satisfactio, hoc opus misericordiæ Deo acceptiùs quam eleemosyna corporalis. Agant igitur prænominati quod doctrina hujus Libri inscribatur, tabellis affigatur tota vel per partes in locis communibus, utpote in Parochialibus Ecclesiis, in Scholis; in Hospitalibus, in locis Religiosis.

Denique expediens videretur, ut super hoc fieret à principantibus Edictum, aut quod ab Ecclesiæ Prælatis Indulgentiæ conferrentur. Auctor verò seipsum exonerat apud tuam Christianitatem sanctissimam, agat quilibet qui in te & de te gloriatur quod bonum esse cognoverit.

Gloria sit Altissimo Deo, in cujus nomine præsens aggredior opus, ad salutem fidelium animarum ordinatum, ad eruditionem præcipuè rudis & idiotæ populi, & eorum quibus consuetis Ecclesiæ Sermonibus & Prædicationibus minùs interesse aut informari conceditur. In quo veluti tabella quadam & compendio brevi, tenorem Fidei Christianæ lucidè poterunt inspicere, & divina Præcepta, prohibitionesque, ut ex his quid agere, quidve fugere debeant, possint distinctiùs agnoscere.

Continet autem præsens Tractatulus Capitula XVIII. quorum quodlibet in duas vel tres vel quatuor particulas convenienter subdividi posset.

CAPITULUM I.

Affirmat mundum à Deo fuisse creatum. Et quod ipse Deus unus sit & trinus. Cur etiam aut ad quem finem homo creatus sit.

FIRMISSIME credendum est & nullatenùs dubitandum quod solum unus est Deus omnipotens, omnia sciens & omnem perfectionem habens in tribus personis distinctis, quæ sunt Pater & Filius & Spiritus sanctus, qui mundum creavit & creatum regit & gubernat sola sua liberrima voluntate & dignantissima bonitate. Speciali autem providentia humanam gubernat & dirigit creaturam, dans viris & mulieribus animas immortales, creans eas temporaliter tunc cum eas corporibus infundit, & ad imaginem & similitudinem suam formans eas; ut creatus homo suum conditorem Deum cognoscat, diligat, veneretur, & ejus Præceptis in hac mortali vita obediens, per opera bona & meritoria, vitam tandem immortalem beatitudinis plenam, in anima & corpore perpetuò consequatur, & ita sit bonis Angelis sociatus & in loco malorum angelorum sive dæmonum substitutus: qui dæmones propter peccatum in has inferiores partes terræ corruerunt, damnationis sententiam sustinentes; cum quibus etiam justissimè damnabuntur homines iniqui, divinis Præceptis inobedientes, & more bestiali quasi non haberent animam rationalem suis voluptatibus inservientes.

CAPITULUM II.

Ostendit humanum genus propter primorum Parentum transgressionem & peccatum, multiplicem incurrisse miseriam.

FIDEI veritate credendum est primos Parentes nostros Adam & Evam qui ad tam nobilem finem consequendæ beatitudinis creati fuerant, clausisse Paradisi januam & beatitudinis introitum toti suæ posteritati generis humani: quoniam per peccatum inobedientiæ, donum justitiæ originalis quadam hereditaria possessione pro se & suis posteris acceptum à Deo, ipsi proditores perdiderunt. Quo dono gratuito originalis justitiæ conservato, nos omnes à culpa immunes fuissemus, & ab omni miseria famis & sitis aut infirmitatis absoluti, & ab alia qualibet pœnalitate liberi; adeo quod omnis alia corporalis creatura nobis pacificè subjecta fuisset, & tandem absque mortis pœna in Paradisum fuissemus translati. Hoc autem dono per peccatum primorum parentum (ut præmissum est) perdito, nos moriendi necessitatem, & universam quam patimur pœnam atque miseriam incurrimus; quia nascimur in peccato originali scilicet in prædictæ originalis justitiæ carentia, contra quod peccatum tanquam remedium efficax à Christo institutum est Baptismi Sacramentum.

CAPITULUM III.

Declarat qualiter à Deo redempti fuerimus, quis etiam sit generalis tenor Christianæ Fidei & credendorum à singulis.

OMNIPOTENS Dominus ac piissimus Pater nolens humanum genus tot & tantis subjectum miseriis in æternum perire, & à Regno Paradisi in perpetuum exulare, occurrente justitia simul & misericordia,

corum, his remedium decrevit adhibere. Voluit siquidem idem piissimus Pater unigenitum Filium suum absque corruptione carnem sumere & hominem fieri intra intemeratæ Virginis Mariæ immaculatum uterum. Tantaque & tam mirabilis unio facta est duarum naturarum divinæ & humanæ in una persona Filii Dei, ut verè Deus homo diceretur & homo Deus. Ipse est Jesus Christus Salvator noster pariter & Redemptor. Qui anteà quidem à Patriarchis & Prophetis denunciatus, novissimè in fine temporum in hac ultima mundi ætate conceptus & natus, à Pastoribus est cognitus, à tribus Regibus Orientis adoratus, à Simeone sene & aliis quampluribus prædicatus, & à Beato Joanne Baptista digito demonstratus. Item Deus & Dominus noster Jesus Christus circiter annorum trium spatio Legem divinam Christianamque Religionem prædicavit & docuit, eam innumerabilibus miraculis confirmando, quam & in Scripturis quatuor Evangeliorum nobis per suos ministros exhibitam, observandam reliquit. Ordinavit insuper septem Sacramenta Ecclesiastica, qui sunt Baptismus, Confirmatio, Ordo, Eucharistia, Pœnitentia, Matrimonium, Unctio extrema. Ipse postremò ut nos redimeret & salvaret, sub Pontio Pilato supplicio Crucis acerbissimam sustinuit passionem & mortem, sepultus deindè, & tertia die resurgens, spatio dierum. 40. Discipulis suis veritatem suæ Resurrectionis declarans frequenter apparuit, & tandem videntibus Apostolis cœlos ascendens, sedet ad Patris dexteram in excelsis, venturus est postremò idem Dei Filius Jesus Christus in fine mundi, per ignem finiendi & in meliùs immutandi, Judex generalis hominum cunctorum in anima & corpore resuscitandorum, redditurus singulis præmia meritorum; bonis siquidem cœleste Regnum perennis beatitudinis, peccatoribus verò pœnale supplicium ignis æterni.

Hic est generalis tenor Orthodoxæ Fidei Christianæ, quam firmiter credere tenetur Catholicus quilibet ratione utens, absque curiositate, purè atque sinceriter sine falsitate & certitudinaliter rejecta dubietate, & nolens plus sapere quam oportet; sed occurrentibus difficultatum dubiis, humiliter se submittat credulitas simplicium intemeratæ Fidei sanctæ Matris Ecclesiæ, sapientium Prælatorum & Doctorum ac omnium Sanctorum & Sanctarum, qui in testimonium hujus inviolatæ Fidei usque ad mortem dimicaverunt.

Contra hanc Fidem illibatam gravissimè peccant hæretici, schismatici, idololatræ, sortilegi, incantatores & magici, ceterique artibus à lege divina prohibitis utentes, aut dæmonum invocatores, & generaliter qui Articulos Fidei nostræ totaliter aut in parte, palam vel occultè derident. Illi prætereà qui non credunt Deum omnia justissimè regere sua liberrima voluntate; sed potiùs asserentes omnia naturæ vel fortunæ, vel fato subjici; prætereà malorum quemadmodum bonorum finalem salvationem affirmantes; illi denique qui nostrorum actuum imputabilitatem ad meritum vel demeritum negant, qui Dei prædestinationem vel reprobationem dicunt operum nostrorum tollere libertatem. Horum similes contra Fidem Orthodoxam sunt errores innumeri, procedentes ex intellectu superbo humiliare se Deo recusante aut ex falsa Philosophia vel potiùs melancholia phantastica, aut demum voluptuosa carnalitate, rationis judicium & affectus pietatem subvertente.

CAPITULUM IV.

Manifestat quid Deus nobis observandum præcepit, enumerans decem Præcepta Decalogi.

A SI igitur (ut in superioribus habitum est) Deus Optimus atque Justissimus, nos homines ultra supraque irrationales creaturas adeò excellenter condiderit ad imaginem suam; scilicet dans memoriam, intellectum atque voluntatem, ut cognoscamus eum, serviamus & amemus; misericordissimè prætereà redemerit, passionem pro nobis talem perferendo, qualem nec ipsi pro delictis nostris sufferre vellemus: profectò justissimum est ut ipsi Deo fideliter serviamus tanquam subjecti supremo Domino, sicut filii naturales Patri legitimo, & velut servi ex dominio peccati, carcere, morteque redempti Salvatori liberalissimo; attento quod nobis ejus Præcepta servantibus gloria inexcogitabilis ab eodem promittitur, transgressoribus verò inæstimabilia tormenta reservantur. Cognoscens nihilominùs ipse piissimus Pater nostram fragilitatem & exiguam potentiam, nequaquam requirit à nobis omne servitium quod secundùm justitiæ rigorem exigere posset; dedit quin potiùs certum numeB rum Præceptorum, quorum observatio sibi sufficiens esset, quæ etiam Legis Decalogo continentur: quapropter ad hæc Præcepta scienda & intelligenda tenetur quilibet per se vel alium diligentiam apponere pro conservatione vitæ spiritualis, quantùm pro vitæ corporalis sustentatione poneret, & eò majorem quò immortalis anima est corpore præstantior; sine quorum notitia nullus potest convenienter peccata vitare aut ab eis resurgere, & quorum ignorantia ex desidia proveniens non excusat, sed accusat & condemnat. Sunt autem hæc decem Præcepta his metris cemprehensa:

Unum crede Deum, nec jures vanè per ipsum.
Sabbata sanctifices, & venerare Patres.
Non sis occisor, fur, mœchus, testis iniquus.
Vicinique thorum, resque caveto suas.

CAPITULUM V.

C *Est de explanatione primi Præcepti.*

PRIMUM Præceptum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, & ex tota virtute tua.* Deuter. VI. 5. Hoc est, non voles scienter rem quamcunque amare plus quam Deum, propter quod Dei amorem perdas. Hoc autem Præceptum convenienter ab homine servatur & non aliter, si Legem Dei & alia Præcepta operibus impleat: quisquis enim mortaliter peccat, Præceptum hoc infringit; quia voluntatem suam divinæ voluntati oppositum præcipienti anteponit. Specialiter autem contra hoc Præceptum agunt homines ingrati contra divina judicia & in ordinationes aut regimen erga se vel alias creaturas murmurantes, quasi non esset Deus omninò justus, bonus atque misericors & totus amabilis atque desiderabilis. Illi item qui in foveam desperationis seipsos præcipitant per impatientiam: illi prætereà qui urgente infirmitate aut necessitate aliqua sortilegos consulunt & divinatores, utentes pomis inscriptis aut brevibus chartulis sive schedulis collo suspensis, D aut characteribus aut aliis quibuslibet vanis credulitatibus, quasi Deus ipse non esset usquequaque bonus, potens & sapiens ad eis succurrendum quantùm sit eorum necessitatibus expediens. Faciat igitur homo in necessitate constitutus quantùm potest, procurans remedium naturali industria non tentando Deum, quod

quod grave peccatum est, aut nova miracula expectando desiderandoque. Reliquum verò quod naturæ vires excedit, Deo plena fide committat, & indubitanter Deus qui noscit omnia, quique optimus est, illud quod optimum est commodissimumque fuerit homini conferet; sæpe equidem infirmitas, paupertas, aut alia quævis tribulatio hominibus utilior est quam nimia prosperitas, qua faciliter abutimur: scit namque Pater quid filio prosit, Magister quid discipulo conveniat, & Medicus patienti de remedio A competenti novit meliùs providere. Peccant insuper contra Præceptum hoc illi qui mundano quodam timore irrisorum aut oblocutorum verba formidantes, divinis Præceptis obedire verentur: quapropter etiam gravissimè peccant hujusmodi irrisores, personas divino servitio deditas in statu Religionis, virginitatis aut viduitatis constitutas; aut studio Theologiæ deputatas, affectione carnali à bono opere retrahentes. Hoc rursus Præcepto nobis præcipitur honor & reverentia Sanctis exhiberi, specialiter Virgini Mariæ, & bono Angelo custodi nostro; ut nihil turpe ipso vidente & præsente faciamus quod præsentibus hominibus agere recusaremus, quod denique Sanctorum Reliquias, loca sancta & Beatorum Imagines debemus venerari, non pro ipsis, sed quia videndo eas, honorem impendimus rebus repræsentatis per eas, juxta ritum sanctæ Matris Ecclesiæ; alioquin peccatum idololatriæ committitur, Imaginem secundùm se adorando, credendo ipsam Imaginem pulchram sive turpem, novam aut veterem plus aliquid habere virtutis, & quidquam numinis includere vel divinitatis. B

Huic Præcepto plurimùm contrariatur nimius honor Dominis temporalibus aut Magnatibus, adulatione sive malo aliquo fine exhibitus. Omnis etiam simulatio vel hypocrisis ad inanem hominum gloriam aut fallacem deceptionem ordinata. Immoderatus item amor parentum erga filios, & generaliter auri & argenti aut alicujus creaturæ, sic quod homo ibi sistat, & in eis confidentiam ponat: non enim hæc omnia ab infernali morte nos poterunt liberare; solus quippe Deus est verus & fidelis amicus, qui in extrema necessitate opem præstare potest, unde & super omnia confidenter cum cordis sinceritate honorari debet, adorari & diligi.

CAPITULUM VI.

Est de secundo Præcepto.

Secundum Præceptum est, *non jurabis per nomen Dei tui in vanum* Exod. xx. 7. & sine causa.

Contra Præceptum hoc principaliter agunt qui scienter quod falsum est vel falsum esse credunt, jurant, perjurium committendo: valde namque hoc grave peccatum est, cum Deus assumatur tanquam testis falsitatis: & qui artificiosè jurat falsum, artificiosè degerat; quanquam enim pro loco & tempore convenienter veritas possit subticeri, non tamen dici falsum scienter & perjurium committi. C

Peccant etiam graviter contra Præceptum hoc qui turpia faciunt juramenta Deum blasphemantes, & animas suas jurando dæmonibus devoventes, quique de humanitate Christi & Sanctis inhonestè loquuntur. Contra quos omnes sic perjuros & blasphemos, statutæ sunt Leges punitivæ, tam à terrenis Principibus, quàm à Prælatis Ecclesiasticis; undè dolendum est quod propter negligentiam ipsorum ad quos pœnas exequi pertinet, non sortitur effectum. D

Multum verò diligenterque præmissa deberent attendere hi qui causa lucri de facili jurant, quemadmodum mercatores & mercatrices. Illi etiam qui absorpti passione aut ebrietate in ludis frequenter inhonestis sive prohibitis, ut est taxillorum ludus, enormiter jurant, & generaliter quicumque perversa consuetudine aut inclinatione præventi juramentum emittunt. In talibus quippe sæpe perjurium committitur, propter quod etiam tales aliqui pejores sunt in hoc Saracenis aut Judæis, & minùs Deum honorantes. Ad hoc autem genus peccati perjurii scilicet, reducitur votorum fractio, fœderis, & solutio fidei matrimonialis. Et generaliter infidelitas qua in alteriùs præjudicium secretum illius revelatur, sive per Confessionem ipsius sive alio modo secreto cognitum; Lege namque divina & naturali secretum teneri debet quod in secreto acceptum est, nisi alia via fuerit sibi detectum.

Postremò contra Præceptum hoc reductivè peccant qui vovent aut promittunt ea quæ sunt de se illicita; quod si promissa talia opere compleant, graviùs inde & damnabiliùs peccant.

CAPITULUM VII.

De tertio Præcepto.

Tertium Præceptum est: *Tu observabis dies Dominicos* & Festivos ab Ecclesia servari præceptos. Exod. xx. 9. Hæc observatio aut veneratio multipliciter accipienda est.

Primò quidem, ut quilibet Christianus illo die Dominico vel Festivo, legitimo impedimento cessante, Missam audire teneatur.

Secundò, ut quilibet eo die abstineat ab omni labore aut mercatione, aut alio quovis laborioso opere, secundùm ritum & consuetudinem patriæ quam inhabitat; quam consuetudinem Prælatus spiritualis loci illius cognoscens non prohibet; quod si apud aliquem super tali consuetudine servanda, aut aliis casibus dubietas occurrat, consulat ille Superiores & peritos, ne per amplam nimis aut strictam conscientiam in peccatum cadat.

Tertiò, accipienda est hæc observatio, ut unusquisque illo die propriam vitam & conscientiam discutiat, de commissis criminibus veniam à Deo petens. Recognoscere debet tunc Christianus multiplicia beneficia sibi à Deo præstita, non in aliquo murmurando, aut sibi guerram de bonis suis faciendo; sed gratias referendo. Debet tunc audiri Verbum divinum & spiritualis doctrina pacificè atque reverenter absque irrisione aut impedimento quocunque. Meditetur prætereà quilibet & coram oculis cordis quantùm potest constituat mortem sibi de propinquo imminentem, Infernum atque Paradisum, mortem etiam priorum hominum qui in hac vita præfuerunt, facta etiam memorabilia Sanctorum & Sanctarum. Dicat *Pater noster*? *Ave Maria*: *Credo*, & alias si quas didicerit Orationes devotas. Pœnitentias injunctas sibi diligenter perficiat. Requirat insuper divinum auxilium intercessione mediante Sanctorum & Sanctarum, à quibus velut pauper & mendicus eleemosynam spiritualem postulet, nunc ad unum, nunc ad alium se convertens, quousque bonum aliquod spirituale in saccum suæ paupertatis congesserit. Prætereà doceat quisque curam aliorum habens, filios aut filias & alios servitores diebus Solennibus & Festivis similia facere; horum enim omissio culpabilis est defectus.

Prædictis tamen non obstantibus licitè potest homo diebus Dominicis & Festivis aliquam recreationem & spaciamentum vel ludum honestum causa solatii assumere plus quam alio tempore, dummodò per peccatum mortale non offendatur Deus comedendo, bibendo, chorizando aut alium ludum exercendo. Quamquam frequentissimè in talibus ludis gravia peccata

cata committantur; quem ad modum perjuria, rixæ, dissensiones, desideria carnalia, opera, verba & carmina luxuriosa, contra Deum & æquitatem justitiæ; adeò ut sæpiùs die Dominico minùs malum esset arare quam talia perpetrare.

Contra Præceptum hoc peccant graviter impedientes Prædicationem aut divinum Servitium verbis aut factis intra Ecclesiam aut extra.

Quique circa Eucharistiæ Sacramentum irreverentes sunt, aut erga alia Ecclesiastica Sacramenta, sicut Baptismi & Matrimonii celebrationem quidam sunt irridentes, & Sacramenta Confirmationis & Unctionis extremæ suscipere contemnentes.

Ceterum contra idem Præceptum valde graviter delinquunt hi qui in certis Solemnitatibus anni irreverentias multas & abominabiles perpetrant. Illi etiam qui talia facientibus dant consensum: illi præsertim qui ex officio possent & deberent talia impedire, nec excusari possunt ludi prætextu. Asserit namque veridicum proverbium: *Non patitur ludum, fama, Fides, oculus.*

CAPITULUM VIII.

De quarto Præcepto.

Honora Parentes tuos, Exod. xx. 12. est quartum Præceptum. Hoc autem accipiendum est non tantùm de parentibus carnalibus, sed & de Prælatis Ecclesiasticis & Curatis nostris qui nos in Christo regeneraverunt, & generaliter de aliis præpositis & Superioribus; Magistris scilicet, Benefactoribus & terrenis Principibus.

Consimiliter etiam de mortuis & defunctis intelligendum est, quoad hoc quod pro ipsis Deum rogare tenemur. Contra Præceptum hoc graviter peccant hi qui sine causa rationabili suis Superioribus quibuscunque detrahunt aut maledicunt, & eos produnt vel mortem eis optant; quemadmodùm mali filii parentum mortem frequenter desiderant, ut eorum hereditatem possideant. Transgrediuntur etiam Præceptum hoc qui contemnunt Præcepta sanctæ Matris Ecclesiæ, veluti Excommunicationis Sententiam parvipendentes, & jejunia indicta ab Ecclesia sine causa rationabili solventes; cum tamen ea observare possent sine sui corporis notabili gravamine. Sicuti etiam Libertatum Ecclesiæ, quæ libertas Ecclesiæ concessa est, non tam favore Ministrorum Ecclesiæ quàm intuitu divini honoris; non enim propter malitiam aliquorum Ministrorum Ecclesiæ debet à quoque Fideli Christiano status Prælaticus aut Ecclesiasticus diffamari aut lædi; nec perdit virtutem suam Baptismus, aut Missa celebrata, sive aliud Sacramentum propter malitiam Ministrorum.

Tenetur prætereà hoc Præcepto laïcus fidelis (quanquam aliqui Ecclesiæ Ministri mali sunt) debitum reddere, Missam audire, decimas & oblationes & alia jura reddere ordinata pro sustentatione Ecclesiæ Ministrorum, qui vacando divino servitio toti Reipublicæ serviunt, plurimis aliorum hominum propter temporales & necessarias occupationes ab hoc ministerio præpeditis: qui sic Ecclesiæ debitum reddit, liber & immunis Deo, non hominibus servit.

Porrò Præceptum hoc infringunt qui leviter nimis & insipienter redarguunt terrenos Principes super eorum actus publicis sive Constitutionibus & Statutis: non attendentes sæpiùs eorum onera & sarcinas graves, quas subditus populus non potest nec debet cognoscere; quapropter nec eos de facili judicare debet, multa potiùs examini divino reservantes, coram quo sunt ipsi Principes actuum suorum rationem reddituri.

Denique solvunt hoc Præceptum qui nolunt Superiorum suorum aut sapientiorum acquiescere consiliis, propriis judiciis innitentes. Provenit quippe grave peccatum hoc ex inobedientia & dedignanti superbia, in errorem & deceptionem hominum inducens: contingit namque sæpiùs ut aliquis homo taliter deceptus superbia, tantæ se reputet sanctitatis, ut humano consilio non indigere se credat; fit proindè ut deceptus homo ille propter austeram nimis &
A indiscretam abstinentiam quam bonam esse credit, capitis furiam aut aliam infirmitatem incurabilem, malo fine periturus incurrat.

CAPITULUM IX.

De quinto Præcepto.

Quintum Præceptum est, *Non occides.* Exod. xx. 9. hominem. Et est intelligendum quod non est interficiendus homo autoritate propria vel particulari & per viam facti; prætermissa via justitiæ & æquitatis.

Hoc Præcepto districtè prohibetur omne perversum odium & desiderium vindictæ, seu mortis alienæ; malum item consilium, & iniquus consensus in alterius nocumentum, læsionem vel mortem. Quod si persona læsa Ecclesiastica fuerit, aut in statu Clericali constituta, gravius est peccatum, & incurrunt eo facto sic agentes & consentientes Excommunicationis
B Sententiam. Contra Præceptum hoc graviter delinquunt hi qui odio vel rancore principaliter moti, aut intuitu vindictæ, aut alieni gravaminis potiùs quàm zelo justitiæ instigati, proximos suos per placitationes & processus aut Judicia publica multipliciter vexant, etiam quod suum est requirentes: potest nihilominùs homo quod suum est, in Judicio publico repetere, & ordine Juris servato emendam rationabilem suæ damnificationis requirere, absque hoc quod odiendo proximum mortaliter peccet: quamquam sæpe pro pace propria & tranquillitate, & attenta proximi indigentia eligibilius esset omnem emendam absque lite publica remitti; vulgò nàm dicitur: *In denario litis non est obolus amoris.* Multùm verò is qui lædit alium debet attendere quod ex alterius mutilatione vel occisione sive læsione quacunque contingit interdum læsum cum suis heredibus depauperari, in quo casu lædens, quemadmodùm fur aut latro, ad omnium bonorum perditorum restitutionem tenetur.

Prætereà contra Præceptum hoc graviter peccant qui quoquomodò impediunt ex commixtione viri & mulieris fœtum nasci aut abortivum procurant, seu
C percussione violenta uteri, aut nimia ingluvie, aut propter angustiam vestimentorum ad lasciviam ordinatam, aut aliam quamcumque negligentem fœtus custodiam. Quod si fœtus jam erat animatus, gravius peccatum est: tunc enim verè homicidium perpetratur. Insuper contra Præceptum hoc specialiter peccant invidi, detractatores, odio pleni & iracundi; tunc præcipuè cum inter affines & alios guerras aut discordias implacabiles excitant, ex quibus mala plurima oriuntur; adeò ut is qui litem movit, eam cum vellet non sciret aut valeret sedare, unde & apud Deum damnorum indè provenientium reus constituitur. Occurrit denique contra Præceptum hoc damnabilis & horrenda consuetudo in aliquibus observata provinciis, qua pro unius delicto tota ipsius Progenies in mortem & persecu-
D tionem perquiritur. Hoc tandem Præcepto interdicitur omne duellum mortale aut torneamentum, quibus mortis verisimiliter imminet periculum.

CAPITULUM X.

De sexto Præcepto.

SEXTUM Præceptum est: *Non furtum facies.* Exod. xx. 14. Et est furtum vel latrocinium, A rem alienam rapere sive retinere alio cujus est ignorante, sic quod ipsi hoc cognoscenti displiceret. Hoc Præcepto districtè prohibetur omnis injusta mercatio, cultura quælibet terræ, aut labor, infidelis, & fallax quodlibet aut mendosum artificium, fictus etiam dietæ labor, & rerum venialium inutilium quomodolibet pro utilibus venditio; sive venditor earum eas emendo deceptus fuerit, sive non: non enim quia deceptus sum, licitè possum alium decipere.

Prohibetur item hoc Præcepto omnis usura, falsa advocatio aut patrocinatio, placitatio vel lis non ritè assumpta, fraudulenta procuratio aut injustum Judicium: & generaliter omnis deceptio manifesta, aut falso colore velata, qua quis alteri damnum facit quod sibi nollet fieri. Aggravatur autem peccatum hoc furti vel latrocinii ex circunstantiis loci & temporis, personæ & similibus: quemadmodum si rem sacram in loco sacro, aut tempore orationi deputato quis auferat, si etiam persona damnificata pauper fuerit, & in se vel in suo statu aut in suis here- B dibus ex hoc grave detrimentum patiatur. Requiritur autem ad personæ sic alium damnificantis absolutionem, ut ablata & damna ex integro, damnificato restituat, secundùm judicium boni viri, quemadmodum citiùs & commodiùs poterit. Quod si facultas non sit omnia reddere, saltem quod poterit restituat, & si damnificatus ignoretur, ablata nihilominùs in pios usus & eleemosynas distribuat, secundùm judicium superioris.

Hoc etiam Præcepto prohibetur omnis simonia quæ est sacrorum venalitas. Pluralitas item Beneficiorum absque rationabili causa. Et formatio vel usus falsæ monetæ. Item rem aliquam ad certos terminos ad credentiam plus justo vendere, & omnis Contractus illicitus. Præterea prohibetur hoc Præcepto omnis detractio & diffamatio, qua alterius fama bona omni argento præstantior, alteri injustè tollitur. Debet equidem sic diffamans alteri famam ablatam restituere quantùm potest, publicè quandoque veritatem confitendo, & se malè fecisse asserendo: & multò C magis si Communitatem aut totum aliquem Statum injustè diffamaverit. Insuper hoc Præceptum infringunt qui à subditis suis ultra Juris æquitatem & Reipublicæ necessitatem temporalia bona violenter diripiunt, qui etiam injustas Leges aut Præcepta condunt contra Deum & Ecclesiam, qui in eo facto Excommunicationem incurrunt. Ampliùs hoc transgrediuntur Præceptum adulteræ mulieres, illegitimos filios ad legitimorum hereditatem succedere facientes, quæque virorum suorum bona, eis ignorantibus, sumptuosè nimis consumunt. Consimiliter delinquunt filii Parentum bona, eis nescientibus inutiliter exponendo. Servitores etiam & dispensatores, Dominorum suorum aut Magistrorum bona infideliter ministrando. Ecclesiastici viri, Ecclesiæ bona luxuriosè aut pompaticè consumendo aut ea in thesauros cumulando. Illi item qui terminos agrorum dilatant, proximos defraudando. Qui tributa justè instituta solvere renuunt. Et hi quibus commissa est Testamentorum executio, eleemosynas & cetera legata in præjudicium defunctorum implere differentes aut solvere recusantes. Plurimi sunt horum modorum similes qui ex præcedentibus immoderatis sumptibus provenD niunt; cum quis multipliciter ultra redditus & proventus proprios sumptuosum gerit statum: sumptuosus namque status, sumptuosas requirit expensas. Postremò contra Præceptum hoc gravissimè peccant hi qui pecunia aut prece violenta, Parentes, propinquos aut servitores principaliter intuitu servitii, Ecclesiæ bona occupare procurant; cum præsertim Ecclesiastica Beneficia dignis & sufficientibus debeantur, & purè non simoniacè conferri debeant. Alioquin in Beneficio nullum jus acquirit, nec à crimine liber esse potest quousque Beneficium simpliciter resignet simoniacè promotus &c.

CAPITULUM XI.

Septimum continet Præceptum.

SEPTIMUM Præceptum est, *Non mœchaberis*, Exod. xx. 14. nec luxuriosus eris. Hoc Præcepto inhibetur sub pœna peccati mortalis omnis societas & carnalis commixtio viri & mulieris, excepta Matrimonii Lege: hujus namque oppositum asserere est error contra Fidem. Prohibetur etiam Præcepto hoc tam in matrimonialiter conjunctis quàm in solutis omnis luxuriosus attactus membrorum genitalium, quo non servatur naturalis ordo inditus à natura, vel non ritè copulantur partes ad generationem à natura deputatæ. Et tantò peccatum hoc gravius est, quantò à naturali ordine longiùs recedit, sive inter personas solutas, sive, quod crimen aggravat, inter conjunctas matrimonialiter; sive fuerit hujuscemodi attactus in se vel in alia persona, aut respectu bestiæ in altera specie, per turpissimam & illicitam complacentiam consummatus. Si denique specialiter attactus ipse innaturalis proveniat à fœdissima, vilissimaque delectatione, quæ mollities dicitur, vel pollutio. Si quis autem in his vel aliquibus horum culpabilis est, sufficienter intelligere potest quid isti modi generales loquendi significent; nec enim particulariùs extra Confessionem est abominabilis hæc immunditia explicanda, ne castæ aures, puræ & innocentes horum priùs ignotorum notitiam acquirant & scandalizentur.

Sunt etiam casus isti enormium contra naturam peccatorum, Prælatis majoribus, Episcopis scilicet & suis Pœnitentiariis ad absolvendum reservati, quorum aliqui secundùm Leges ignis pœnâ plectuntur. Nec potest aliquis quotcunque bona aut eleemosynas operetur, in æternum salvari, si pudore motus hæc peccata reticeat, vel adeò celet ut non possit Confessor peccati speciem distinctiùs perpendere: peccati namque perpetratio debuit majorem pudorem inferre quam ejus revelatio præsertim in Confessione.

Incidit autem homo in horrendum peccatum hoc variis de causis. Aliquando quidem ex sola malitia alterius impellentis, sicut juvenes aliqui perversi alios innocentes frequenter decipiunt. Aliquando ex nimio otio. Frequenter ex sumptione nimia potus aut cibi; potuum præsertim aut ciborum excessivè nimis supercalefactivorum. Sæpè ex inhonestis verbis aut aspectibus radicatis aut fixis. Quandoque ex diuturna cogitatione circa carnalem actum, vel commixtionem viri & mulieris, aut inordinato appetitu carnalis commixtionis cum tali vel tali persona. Interdum etiam ex perversa doctrina parentum, servitorum aut ancillarum, sive (quod magnum facinus est) Magistrorum cum quibus juvenis aliquis conversatur aut nutritur: vel postremò ex sola peccantis malitia. Ceterum propter detestandum peccatum hoc olim mundus consumptus est universali diluvio, & quinque civitates Sodomæ & Gomorræ igne cœlesti succensæ, ut habitatores earum vivi descenderent in Infernum. Propter idem peccatum hoc quod divinam exclamat vindictam, veniunt sæpiùs fames, guerræ, pestes, mortalitates, inundationes aquarum, proditiones Regnorum, & aliæ multiplices clades, prout Scripturæ

turæ testantur. Principale verò & efficax contra peccatum hoc & generaliter adversùs luxuriam remedium, est sobrietas victûs, malorum vitare consortia & otium, malas & noxias cogitationes statim repellere ne figantur in corde, ex toto conatu preces ad Deum, Virginem Mariam, Sanctos Sanctasque dirigere, cogitationes suas aliorsùm divertere, & interdùm corporalem pœnam libenter assumere; quemadmodùm quidam peritus linguam propriam mordens & tentationem alloquens spuendo dicebat, *phy*, *phy* horrenda immunditia, & tu nequissimè dæmon ausus es mihi hanc illusionem præsentare. Hujus denique peccati luxuriæ plurimæ sunt aliæ species secundùm varios hominum status; quemadmodùm carnalis commixtio affinium, parentum aut aliorum Religiosorum. Item personarum viduarum aut virginum constupratio, & quandoque raptus violentus, ex quibus infinitæ clades oriuntur; ut quod persona aliqua in via perditionis constituitur, aut perpetuam incurrit infamiam, vel seipsam occidet, aut infantem ex stupro natum continuò, non baptizatum jugulabit, aut denique totus unus Status aut Communitas infamiam, aut ruinam patietur. Sentimus postremò hujus peccati in somno phantasias & illusiones; tunc tamen est peccati periculum, cum quis anteà vel post in vigilia, in nocturna phantasia vel pollutione delectatur.

CAPITULUM XII.

De octavo canit Præcepto.

OCTAVUM Præceptum est. *Non falsum testimonium dices.* Exod. xx. 16. Hoc Præcepto omne mendacium prohibetur, illud quod in alterius perniciem committitur. Quod si juramentum intervenerit, graviùs peccat, quia perjurus est: nunquam enim pro salute etiam hominis corporali vel spirituali debet quis perjurium committere, sive coram Judice, sive seorsùm. Perjurium verò quod quis in Judicio publico committit, est casus Episcopo ad solvendum reservatus. Contra Præceptum hoc graviter peccant qui in Confessione mendaciter peccatum celant aut alium iniquè accusant. Insuper contra Præceptum hoc agunt qui delectabiliter nimis adinventis novitatibus aut aliorum diffamationibus aures credulas præbent, occasionem inde peccati assumentes, asserentes nimia levitate de proximis mala. Zelotypi prætereà vel suspiciosi proximos & actus eorum malè & sinistrè judicantes aut interpretantes; adeo ut ex hujusmodi credulitate falsa, injusta bella vel lites sæpiùs moveantur.

CAPITULUM XIII.

Nonum ambit Præceptum.

NONUM Præceptum est. *Non concupisces uxorum proximi tui* Exod xx. 17. & consimiliter nec femina virum concupiscat. Hoc Præcepto districtè prohibetur omnis motus vel gestus exterior malus quo trahitur alius, vel sollicitatur ad peccatum luxuriæ; sive per internuncium, sive per missionem litterarum, sive per minas violentas, sive etiam per munera, per promissiones, per mendacia, aut fictas adulationes, aut in superfluo vestimentorum ornatu, inordinato aspectu vel incessu, verbis turpibus, aut denique attactu quolibet luxurioso, sicut frequenter contingit in amplexibus & osculis: sciendum est namque quod omnis concupiscentia carnalis commixtionis, præter matrimoniale vinculum, etiam solo voluntatis consensu plenariè perpetrata, est mortale

peccatum, ubi carnalis copula minimè subsequeretur. Equidem vera est hæc regula magistralis: *Omnis completa voluntas sive bona sive mala, pro facto reputatur. Mala voluntas pro facto reputatur.* In quo peccati genere peccare potest persona matrimonialiter alteri copulata, quemadmodùm & soluta: ut si mulier alterius quàm viri sui carnalem societatem concupiscat. Omnis etiam consensus plenarius & deliberatus, quo quis in turpibus & carnalibus cogitationibus delectatur, ubi etiam deest voluntas actum exteriorem perpetrandi, secundùm plures Doctores est mortale peccatum. Patet igitur ex præmissis, quod omnes amplexus, oscula & consimiles attactus, principaliter ex luxuriosis cogitationibus priùs enumeratis procedentes sunt gravia delicta, tantòque graviora si personæ fuerint affines, aut Religiosæ vel ejusdem sexus; & quod enormius est, si in talibus attactibus vel osculis talis non servetur honestas qualis in publico servaretur. Quamobrem si quis in præmissis attactibus vellet alteri vim inferre, deberet alius ex adverso quemadmodùm pro vitæ corporalis tuitione viriliter resistere, sive verbis sive factis aut validis clamoribus, aut denique factum tale personis ipsum in hoc juvare valentibus & ad hoc astrictis revelando: alioquin talis quisquis ille est, non sinceriter suam diligit castitatem & honorem.

CAPITULUM XIV.

Decimum declarat Præceptum.

DECIMUM Præceptum est, *Non concupisces rem proximi tui*, Exod. xx. 17. hoc est alterius cujuscunque. Et intelligitur hæc concupiscentia prohiberi quemadmodùm supra in sexto Præcepto de furto & latrocinio explicatum est: prohibetur enim hìc concupiscentia & voluntas mala, cum mala voluntas (ut paulò ante dictum est) pro facto reputatur. Tali namque cupiditate cadit frequenter homo in invidiam & in impatientiam sui status & Dei blasphemiam; apud se non rectè cogitans, bona temporalia se justiùs meruisse, quàm talis suus vicinus; quod idcircò Deus injustus est, & sibi non nisi frustra & inaniter serviendum est: quod si incommodum aliquod aut damnum alteri contigerit, stultus ille lætatur & gaudet, asserens pro suis demeritis & occulta malitia hoc idem accidere. Contra Præceptum hoc reductive peccant operum misericordiæ tam corporalium quàm spiritualium, seu eleemosynarum retentores; veluti pauperibus indigentibus cum facultas adest, & occurrente evidenti necessitate non subvenientes, & specialiter parentes proprios, quod pudendum est, mendicare, aut deservientes esurire, aut egere permittentes. Consimiliter peccant qui servitorum suorum salarium vel lucrum injustè retinent, qui eleemosynarum prætextu aut fundationis Ecclesiarum, occupant iniquè aliorum bona, dicentes proprietarios nimis divites esse & eisdem abuti, nec proterea restituenda fore. Condemnat eos namque approbata Pauli regula, affirmans *non esse facienda mala ut inde bona eveniant*: nec quoquo modo per peccatum offendendus est Deus, ejus transgrediendo Præceptum, qualecumque bonum indè provenire contigerit.

CAPITULUM XV.

Ostendit qualiter in his decem Præceptis velut in mundo quodam speculo, facies conscientiarum nostrarum debemus inspicere.

HÆc igitur sunt decem Legis divinæ Præcepta superius enarrata, in quibus quasi speculo quodam polito, terso & mundo Religionis Christianæ veritatem perlegere, & totius vitæ nostræ ac animarum conscientiarumque nostrarum pulchritudinem atque fœditatem possumus distinctè conspicere. His mediantibus cognoscit homo vitæ suæ decursum, qualiter divina Præcepta servaverit, quantùm deviaverit, quibus modis secundùm varias peccatorum species Deum offenderit, qualis denique peccatorum Confessio habenda sit. Quia si prædictorum aliqua à quoquam non plenè intelligantur; consulat super his sapientes viros, potissimè autem devotos: omnis namque persona postquam ad annos discretionis pervenerit, si consensu voluntario, plenario & deliberato horum alicui Præceptorum per contemptum inobediens extiterit, dilectioni Dei amorem creaturæ præponendo, extra salutis statum efficitur, & in damnationis periculo statuitur, nec gratum aliquid Deo dignum beatitudine operatur. Quanquam, si in tentationem gravem aut diuturnam iræ sive luxuriæ, vel alterius peccati quis incidat; si ipsa tentatio homini displiceat, aut eidem homo resistat vel non plenè & deliberatè consentiat, mortaliter non peccet, immò sæpe nullo modo peccat; sed magnum erga Deum præmium meretur tentationi viriliter resistendo.

Hìc jam prospicere clarum est, quibus viis & modis decem hæc Præcepta infringantur septem mortalibus & capitalibus peccatis; quæ sunt superbia, invidia, ira, avaritia, gula, luxuria & acedia. Quinque item exteriorum sensuum ministerio, qui sunt visus, auditus, olfactus, gustus & tactus: sicque quisquis in his decem Præceptis speculi vitæ se diligenter intuetur, rectè se conspicit, verè se cognoscit, seque parvipendit, & his obediens discretè sapit.

CAPITULUM XVI.

Explicat qualiter triplicem veritatem ore vel corde profitendo, à statu peccati mortalis ad statum gratiæ resurgimus.

SCIENS nihilominùs noster misericordissimus Pater Deus & cognoscens nostram fragilitatem permaximam & ad malum pronitatem; multiplicibus viis, mortali vita durante, paratissimus est nobis delicta remittere & gratiam conferre; si duntaxat veraciter & ex corde sibi tres subscriptas veritates porrigamus.

Prima veritas est. Domine sic vel sic contra vestram bonitatem peccavi quod mihi displicet, ratione cujus & pœnitentiam ago, quia vos offendi qui totus estis venerandus & colendus, quòdque Mandatum vestrum trangressus sum.

Secunda veritas est: Domine bonum habeo propositum & desiderium, vestro juvamine mediante, mihi in futurum præcavendi ne incidam in peccatum, & occasiones peccatorum juxta possibilitatem virium evitandi.

Tertia veritas est. Domine bonam habeo voluntatem peccatorum meorum Confessionem integraliter faciendi, pro loco & tempore, secundùm vestrum & sanctæ Matris Ecclesiæ Mandatum & Præceptum.

A Has veritates quisquis qualicunque loco & sinceriter, non fictè aut mendaciter ex corde pronunciaverit, securus existat se in salutis & gratiæ statu consistere & vitam æternam mereri, quamvis omnia enarrata priùs crimina commisisset. Si etiam talis absque alia Confessione continuò decederet in absentia Sacerdotis dormiendo, aut alio quovis modo morte subita præventus, idem finaliter salvaretur, acerbissima Purgatorii pœna mediante. Ex quo notandum & salubre consilium elicitur, ut Christianus quilibet singulis diebus bis aut semel, serò & in mane, aut saltem Festivis diebus redeat ad cor suum, conscientiam examinans, an tres præmissas veritates proferre valeat cum cordis sinceritate; sicque intra statum salutis se esse confidat: quia si eas pura mente fateri non valet, obstante voluntate peccandi qua actualiter delectatur, aut iniquo proposito quo quis occasiones peccatorum vitare renuit, quemadmodùm illi qui peccatis B carnalibus mersi resurgere nolunt, aut usuras suas aut injustas mercationes & lucra continuant, vel injustè retinent alienum, quique alterius odio & vindictæ desiderio flagrantes, in nocendi proposito perseverant; certissimè sciant hi & consimiles non Episcopum aut Papam tales absolvere posse. Quanquam talibus salutare consilium detur, ut per seipsos vel alios bona quæ poterunt operentur, orando vel eleemosynas dando; quo Deus eorum corda illuminet, & ad bonum dirigat & convertat: nullum est enim bonum adeò exiguum quod non tandem Deus æterna vel temporali mercede remuneret, multòque melius est temporale bonum & minimum, quàm omninò nullum promereri; saluberrimum est etiam laudabilem consuetudinem illæsam servare, ne eam semel dissolvendo, nunquam in æternum fortè resumat.

C

CAPITULUM XVII.

Ostendit quis sit Confessionis modus, & dat circa hoc unum breve documentum.

QUOTIENSCUNQUE accedit homo ad Confessionem peccatorum explanandam (hoc est de necessitate semel in anno circa Solennitatem Paschalem, aut cum mortis imminet periculum, aut in Sacramentorum susceptione; ad frequentiorem enim Confessionem regulariter non tenemur, quamquam sæpiùs confiteri multum prodest ad augmentum gratiæ, & distinctiorem, cognitionem, & explicationem peccatorum) debet præmeditari confessurus quid aut in quo deliquerit, cum examine diligenti conscientiam discutiens, ac si magnum indè temporale bonum reportaret. Accuset se postmodùm peccator humiliter, non irrisoriè; veraciter, non fictè; vituperando se non laudando; purè, rectè atque sinceriter; facta D impertinentia dimittendo; discretè insuper, ut non revelentur hi quos consortes & socios habuit in peccato. De his enim Confessor inquirens graviter etiam peccaret, nisi forsan sodales hujusmodi, causa petendi consilii, ad eorum pellendam violentiam confitens detegeret, aut fortassis ad explicandam peccati speciem necessitas eos manifestari posceret; ut si quis cum sola sorore carnaliter commixtus

mixtus fuerit; in quo casu quærendus esset Confessor personam in Confessione detectam ignorans. Super casibus autem ad absolvendum Episcopo reservatis aut Superiori, remittat Sacerdos inferior confitentem ad Prælatum vel Superiorem, eum potentem absolvere: nisi forsitan confitenti mortis periculum immineret, aut magnum aliquod scandalum ex hoc oboriri, vel peccati revelationem sequi conjectura probabili formidetur. Hoc verò pro regula certa & documento salubri teneatur, ut nunquam pro peccato secretò vel occulto pœnitentia publica pœnitentibus injungatur, nec pœnitentia imponatur quam nequeant aut nolint sufferre. Non debet rursus confitens injunctam sibi pœnitentiam faciliter revelare; quo contingit interdùm peccatum suum prodi, aut Confessoris dicta aut interrogata nimia levitate detegere: hæc enim omnia secretæ Confessionis integritatem concernunt, nisi (quod absit) Confessor pœnitentem ad malum aliquod hortaretur. Est prætereà utile & efficax remedium diligentiùs retinendum ab his qui perversa inclinatione vel consuetudine incidunt in aliquod enorme peccatum, à quo non de facili retrahuntur; quod scilicet seipsos ad pœnam aliquam pecuniariam vel aliam usque ad certum temporis præfixum, cum certò rationis moderamine constringant, quotienscunque in id peccatum incidere contigerit: dicunt namque sæpiùs insipientes aliqui se à peccato iræ, luxuriæ, perjurii, & si quod est simile, abstinere non posse; qui tamen hoc ipso salubri remedio velut mendaces facillimè confutantur, cum unius Albi vel Franci in emenda cujuslibet transgressionis eis inflicta pœna, ipsos à perpetratione injusti operis retraheret. Undè manifestè convincitur eos divini Præcepti & propriæ salutis intuitu à consuetis vitiis abstinere posse, nisi fictam & perversam haberent voluntatem. Et tales velut fatui, veritati non credunt nec obediunt, quousque supplicia luant, & delictorum suorum seram & infructuosam pœnitentiam agant. Fitque justo Dei judicio, ut qui pœnitere de commissis cum possunt non volunt, cum velint nequeant.

CAPITULM XVIII.

Concludit non esse quemquam ab alio ad peccatum impellendum; sed ad bonum potiùs operandum.

POSTREMO quidquid agat homo in persona sua, supremè caveat alium ad malè agendum sollicitare, aut verbis aut factis; exemplis vel consiliis aliquid agere, quod de se sit occasio ruinæ peccati, specialiter coram juvenibus aut personis innocentibus: hoc enim proprium est singulareque dæmonum officium; quemadmodùm bonorum Angelorum interest specialiter homines inducere ad bonum.

Compertum est etiam frequenter accidere quod homines aliorum ad malum impulsores, vix aut nunquam delicti sui condignam pœnitentiam assecurantem perficiant; quia nequeunt eos corrigere ad bonum quos deceperunt: jam forte damnati sunt vindictam à Deo postulantes, æternamque eis maledictionem jugiter imprecantes. Sicuti ex opposito jam salvati aliorum doctrinis & factis, aut opera diligenti (qua nullum Deo opus ad sacrificium acceptius esse potest, & ad peccata delendum validius) pro suis adjutoribus preces indeficienter effundunt. Curet etiam prætereà fidelium quis, juxta cognitionis & veritatis à Deo sibi concessarum facultatem, monitionibus & exemplis alium ad benè agendum incitare; Pater filium, Doctor discipulum, & sapiens instruat ignorantem.

Rogemus tandem pro mutua pace & unanimi invicem charitate; quò post mortem corporis hujus, perennis beatitudinis participes simus, quam nobis concedat Deus unus essentialiter & personaliter trinus, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

SECUNDA PARS HUJUS OPUSCULI, DE CONFESSIONE.

QUISQUIS à morte peccati ad salutis & gratiæ statum volet resurgere, quodque actus sui & intentiones ad vitam æternam utiles sint & meritoriæ; necesse est quod delicta sua recogitet & cognoscat dolens de commissis, atque proponat auxiliante Deo, à peccato mortali sibi præcavere & abstinere in futurum. Firmum prætereà ac sincerum propositum habeat, competentibus loco & tempore, peccata sua saltem mortalia distinctè & integraliter confiteri.

Quod ut commodiùs fiat, priusquam confitens crimina sua revelaturus accedat, ipse circa ea maturâ morosâque diligentia præmeditari tenetur, quasi magnum aliquod emolumentum temporale inde reportare se crederet, ut completè magis ipsa Confessori suo ac lucidiùs exprimat.

Quia verò plurimi simplicium ob negligentiam aut ignorantiam non excusantem; sed potiùs accusantem modos & species nesciunt peccatorum, præsens confecta est tabula, quam inspicientes confessuri, cogitatione prævia instructi, sufficienter ad salutem poterunt sua peccata cognoscere, memoriterque tenere, & Confessoribus utiliter reserare.

Procedit autem tabula hæc secundùm numerum & ordinem peccatorum mortalium, quæ sunt superbia, invidia, ira, avaritia, acedia, luxuria, gula.

Confessurus ergo tuam primitùs conscientiam examinans, interroga te.

Circa peccatum Superbiæ.

SI vanam tui laudem & propriam excellentiam quæsivisti aut optasti propter bona fortuita & caduca, divitias scilicet, aurum & argentum terrenasque possessiones; aut propter naturalia bona, scilicet corporis pulchritudinem, fortitudinem, juventutem & similia; seu etiam ratione gratuitorum donorum, sicut est Dei cognitio, vel affectùs devotio. Si alios contempsisti propter alicujus horum bonorum præcedentium defectum. Si aliqua opera fecisti ut indè mundanam laudem acciperes, vel ut alii te meliorem quàm ipse sis reputarent, & multò magis si hoc fecisti prætextu hypocrisis fictæ quàm ut aliis esses exemplar in bonum ut eos à malo retraheres. Si nimium pertinaciter innisus es opinioni propriæ vel credulitati, alterius consilium contemnendo, specialiter in materia Fidei & Christianæ Religionis: ex hac enim radice pullulant hæreses, sortilegia & falsæ credulitates. Si per jactantiam aut inanem gloriam opera bona recitasti, vel te aliis præsentibus inculpasti, ut ob hoc humilis & devotus crederetis. Si gloriatus es corde aut ore de malo, ut quod alium defraudasti vel ei injuriam intulisti, quodque per te & tuos complices ad malè agendum potens existi. Si superioribus tuis inobediens extitisti & eos contempsisti, præcipuè carnales parentes & spirituales. Si intra Confessionem mentitus es, peccatum tuum aut ejus speciem mundano pudore celando; talis enim Confessio inutilis est, sed & novum crimen incurris. Si peccatorum tuorum excusationes quæsivisti, aut minuisti,

nuisti, culpam tuam sociis aut complicibus imponendo. Si te per inobedientiam & contemptum excommunicari permisisti, aut leviter nimis excommunicatis participasti. Si in Judicio publico vel alibi ob pudorem veritatis revelandæ perjurium commisisti. Si à bonis operibus aut verbis abstinuisti, propter obloquentium quorumdam fatuorum timorem. Si indignando contempsisti peccatores, pauperes, ignorantes, impotentes, aut infirmos, eos præcipuè qui tibi genere propinqui sunt, aut si eosdem irrisisti; signis aut verbis contempsisti eos qui student devotioni. Si præsumptione motus aggressus es ardua, scientiam tuam aut potentiam excedentia, aut tuo statui vel studio indecentia.

Circa peccatum Invidiæ.

SI de alterius incommodo lætatus es, cum ei infortunium aliquod contigerit, aut si diffamationem seu persecutionem incurrerit. Si de bonis alterius doluisti, quia benè famatus, bonus, pulcher, sapiens, eloquens, devotus, aut religiosus existat. Si malum alteri peroptasti vel bonam famam ipsius minorasti, verbis iniquis de eo publicè vel secretè, manifestè aut fraudulenter prolatis; ejus verba & opera sinistrè judicando, aut in pejorem partem frequenter interpretando.

Circa peccatum Iræ.

SI diù cum consensu iram contra proximum tenuisti, cum desiderio vindictæ vel appetitu nocendi per te vel per alium verbis aut factis. Si ira vel odio contra quemcunque contumelias protulisti, aut in rebus nocumentum præbuisti vel irrisisti. Si eum percussisti, vulnerasti, occidisti: & attendatur diligenter an læsus Sacerdos aut Clericus extiterit. Si à læsis à te vel injuriam passis veniam petere renuisti; cum præsertim æquales tibi forent, aut in nullo subjecti. Si arma invasiva ad nocendum tulisti. Si alteri mortem sive læsionem illicitè minatus es, etiam apposito juramento. Si secretum alienum revelasti. Si humiliter à te veniam petentibus indulgentiam denegasti. Si motus irâ jurasti nequiter vel perjurium commisisti, aut si Deum blasphemasti, ludum alearum aut alium exercendo. Si odio vel rancore potiùs quam justitiæ zelo, placitationibus vel litibus alium vexasti. Si alteri maledixisti, præsertim parentibus aut propinquis.

Circa peccatum Avaritiæ.

SI alio nesciente vel nolente retines illud quod est suum. Si furtum rei Sacræ aut Ecclesiasticæ, vel alterius cujuscunque intra Ecclesiam vel locum sacratum commisisti. Si contra Deum ingratus indignaris quod non tibi sicut & ceteris provenerint divitiæ, nec ad votum prosperè succedunt omnia; si ob hoc immemor Dei beneficiorum sibi servire contemnis. Si communia bona Dominorum vel parentum lautè nimis in usus proprios sumpsisti, aut mercenariorum servitorum justum lucrum non eisdem tribuisti. Si falsas & injustas mercaturas exercuisti, & modum inquiras; si falso & mendaci artificio usus es, modum quære. Si simoniam in te vel in alio perpetrasti. Si commutatione usuraria cum alio contraxisti; advertatur modus. Si fine lucri perjurus fuisti. Si ludis prohibitis, ut est taxillorum ludus, avaritiâ motus te immiscuisti. Si Festivis diebus spe lucri manualem laborem aut mercationem per te vel alium fieri consensisti. Si commissa tibi in Testamento vel aliter legata vel eleemosynas perficere & distribuere neglexisti. Si opera misericordiæ & eleemosynas, occurrente necessitate, oblationes & decimas perficere aut solvere contempsisti. Si ficta adulatione vel intentione pecunias extorquendi alium decepisti aut etiam irrisisti. Si Parentum vel mariti bona eis insciis abstulisti. Si proprias & alienas possessiones inutiliter consumpsisti. Si alieni damni causa vel occasio voluntariè & gaudenter extitisti, ut lucrum inde & commodum reportares; ut exempli gratia, si inter duos rixam moves, ut ex eorum mutua lite aut verbere vel occasione, emendam judiciariam aut patrocinii lucrum feras. Si famem aut pestilentiam optas, ut per eam diteris; aut de parentum morte gaudes, ut suam hereditatem accipias; aut si perjuras, aut alium ad perjurandum impellis vendendo & emendo. Si in artificio quocunque inutiles adinvenis novitates, ut ditatus abundes.

Circa peccatum acediæ.

SI Missam & Horas vel aliud divinum Officium & Servitium omisisti celebrare ad quæ dicenda tenebaris. Si in Festis specialiter ab Ecclesia observari præceptis aut aliàs per tristitiam, negligentiam, vanitatem aut otium, Ecclesiasticum Officium, Prædicationes & Sermones audire contempsisti. Si concessum tempus diebus præsertim Festivis in verbis aut factis otiosis inutiliter consumpsisti, aut Ecclesiasticum Officium sermonibus garrulis turbasti. Si idem præstitum tempus excessivè dormiendo in lecto tuo demorando, vel aliter malè occupasti. Si per negligentiam aut incuriam sanctas habere meditationes mortis, judiciorum & beneficiorum Dei erga te prætermisisti. Si pro benefactoribus tuis vivis ac defunctis preces fundere neglexisti. Si commissorum tuo regimini & curæ non rectè sollicitus extitisti. Si negligenter de peccatis contritus es aut confessus, vel ante Confessionem circa peccata tua præmeditationem habere noluisti. Si peccatorum tuorum oblitus es, vel injunctam pœnitentiam minùs debitè perfecisti. Si quælibet vota vel promissa infringendo transgressus es; & attendatur modus. Si denique Præceptorum Ecclesiæ fuisti transgressor; ut si publicam Eucharistiæ sumptionem vel aliorum Sacramentorum susceptionem distulisti. Si non rectè ipsa Sacramenta recepisti; ut si non præmissa debita integrali Confessione.

Circa peccatum Luxuriæ.

SI morosas cogitationes circa carnalem actum cum complacentia & delectatione nociva in corde tenuisti. Si cogitationibus talibus carnalibus vel aspectibus, aut verbis aut signis aliquibus motum carnis excitasti, nec eidem sufficienter restitisti. Si hujus peccati occasiones non fugisti, aut quod deterius est, easdem procurasti. Si per tales tentationes vel motus in luxuriosum consensum cecidisti, affectando exteriùs opus si posses vel auderes perficere. Si attactum aliquem inhonestum vel pruritum in membris pudendis exercuisti, ex quo carnalis delectatio secuta sit; & modus diligenter advertatur. Si talium peccatorum erga alios causa vel ruinæ occasio fueris, verbis, osculis, amplexibus aut aliis signis, vel fortè picturis & figurationibus inhonestis. Si dormiendo hanc carnalem delectationem vel pollutionem incurristi. Si cum alia persona in carnalem commixtionem incidisti; & attendatur cujus gradus vel conditionis foret persona, aut uxorata alteri, aut virgo; si genere propinqua, & in quo gradu; si Sanctimonialis Religiosa, aut in sacris Ordinibus constituta; si tibi consensit, aut ei violentiam intulisti; si denique ejusdem tecum sexus aut alterius erat, & exprimatur modus. Si luxuriæ peccatum opere consummasti alio ordine quàm natura dictaverit. Si Matrimonii legitimam honestatem non observasti, ratione operis in se vel circunstantiarum, quæ magis in Confessione certis sunt interrogationibus cognoscendæ quàm verbis vel scripturis

ris quibuslibet in publico referandæ. Si diebus Festivis minoribus aut minùs Solemnibus talia peccata perpetrasti, aut forsan in sacratis locis. Si abortivum procurasti, aut fœtum ex utero nasci impedisti, aut ob strictùram vestimentorum, aut per agitationem corporis immoderatam, vel choreis, vel aliis pluribus insuetatioribus modis. Si dissolutis & inhonestis aspectibus & choreis aut gestibus incompositis, vel A innata pulchritudine, aut fuco mendaciter colorata, vel denique vestimentis superfluis alios ad malum allicere voluisti, aut te concupisti ab eisdem affectari. Si tibi matrimonialiter conjunctæ personæ, carnalis copulæ debitum infirmitate aut alio legitimo impedimento cessante, denegasti.

Circa peccatum Gulæ.

SI jejunia ab Ecclesia observari mandata transgressus es, cessante infirmitate, impotentia vel alia rationabili causa. Si ex nimia cibi vel potus sumptione ebrietatem, luxuriam, dissensiones, aut corporis infirmitatem incurristi. Si ob eamdem causam studium, laborem, mercationem, vel aliud opus ad quod agendum tenebaris omisisti. Si per nimios sumptus in potibus & cibis te vel tuos heredes indigere aut mendicare coegisti. Si denique nimis avidè aut abundanter B cibum sumpsisti, vel delicata fercula curiosè præparasti, aut horam comedendi prævenisti, sic quod ex hoc Præceptum aliquod Dei vel Ecclesiæ solveretur, vel grande aliquod corporis incommodum sequeretur.

Per hæc autem omnia quæ de septem peccatis mortalibus jam explicata sunt, potest homo cognoscere quibus modis, quinque sensum exteriorum ministerio, contra decem Legis Præcepta, contra misericordiæ opera, & duodecim nostræ Fidei Articulos deliquerit, ut non sit opus hæc posteriora prioribus addere; nisi quis enumeratis prioribus, specialiora & particulariora adjungere voluerit.

AD plenarium autem præcedentium intellectum, ut agnoscatur qualiter ritè sit facienda Confessio, notanda sunt aliqua.

Primò. Quòd de communi regula est & de Ecclesiæ Præcepto tenetur quilibet ad minus semel in anno circa Pascha peccata sua confiteri, cum etiam Eucharistiam aut aliud Sacramentum suscipere intendit; tunc etiam cum mortis imminet periculum. Cum C prætereà ipse qui peccatorem absolvere potest, adest, cujus præsentia nunquam in posterum haberi formidatur; quamvis sæpiùs confiteri prosit, quater videlicet annuatim vel mensibus singulis, aut quolibet Solenni Festo, juxta personæ facultatem & statum.

Secundò. Quod Confessio in loco patenti vel publico fieri debet, ne occasione secreti loci & prætextu devotionis impellat diabolus ad malas cogitationes, & iniqua verba vel opera. Nunquam etiam Confessor confitentis vultum aspiciat.

Tertiò. Quòd multa sunt crimina à quibus peccatorem Sacerdos simplex absolvere non potest, nisi Pœnitentiarius fuerit, aut à Prælato superiori potestatem acceperit. Quemadmodùm sortilegium, quod per res sacras committitur; sacrilegium quod est furtum rei sacræ vel intra locum sacrum; percussio violenta Sacerdotis vel Clerici; simonia; hæresis; cete- D raque crimina quibus, eo facto, Excommunicationis Sententiam incurrunt delinquentes; homicidium, percussio Patris aut Matris, perjurium in judicio publico commissum, adulterium signanter notorium, mulierum raptus violentus, defloratio virginum, constupratio Sanctimonialium, & incestus cum consanguineis intra quartum gradum, votorum fractio, oppressio parvulorum infantium ob negligentem custodiam, peccatum item turpissimum & abominabile quod contra naturam dicitur, sive in propria persona per mollitiem perpetratum sit, sive in alio commissum qui ejusdem sexus existit, vel in persona alterius sexus, si fiat in aliis membris quàm natura ad generationem deputaverit, vel si denique in alia specie admissum sit: talia namque crimina graviora sunt quam sit esus carnium in Sacro-sancto die veneris. Undè & de eis tenetur peccator expressè confiteri sub pœna æternæ damnationis.

Quartò. Quòd persona confitens debet habere voluntarium propositum omnia peccata sua juxta vires integraliter explicandi, & ad interrogata veritatem sine mendacio respondere, nec ad sui excusationem quidquam celare. Item celare etiam debet peccatum alterius, nisi fortassis aliter suum peccatum revelare non possit; vel nisi personam talem ad suum commodum spirituale Confessori detegeret absque præjudicio cujuscunque. Quod si Prælatus superior vel Pœnitentiarius non singula peccata confitentis integraliter, sed solos casus reservatos audire voluerit; reservet peccator alia delicta minori Sacerdoti potestatem super his habenti confitenda.

Quintò. Quòd nullus injunctam pœnitentiam recipere debet nisi quam perficere voluerit, quam & celare tenetur unà cum aliis à Confessore prolatis aut interrogatis; nisi forsan (quod absit) idem Confessor confitentem verbis aliquibus ad malum inducere vellet.

Sextò. Quòd si grande quid alicui restituendum sit & is ignoretur cui debet restitui, vel etiam si votorum commutatio aut relaxatio facienda sit, consulatur Prælatus superior vel alius horum potestatem habens, non tantùm Sacerdos inferior.

Septimò. Quòd super peccatis in generali superiùs nominatis, si casus speciales occurrant vel numerus delictorum, tenetur hoc confitens explicare; tunc præsertim quando particularitas casus vel numerus, specialem haberet annexam malitiam mortalem, ut cum quis decem francos abstulit pauperi uxorem & filios habenti, vel in loco sacro, gravius peccatum est quam furtum præcisè in generali commisisse. Et pariformiter in aliis casibus particularitas exprimatur, prout confitens meminerit secundùm beneplacitum Confessoris, omissis circunstantiis aliis ad peccati gravitatem impertinentibus.

Octavò. Quòd si persona confitens in peccandi proposito perseverat, vel de novo peccatum iterare disposuit, aut quod ablatum alteri secundùm facultatem suam non vult dimittere vel restituere, aut quòd à carnali peccato luxuriæ recusat abstinere, vel quòd nocendi iniquum propositum retinet; nullus hanc personam à peccatis confessis potest aut debet absolvere, quanquam tali personæ salubriter consulatur ut bona quæ poterit interim perficiat, quatenùs eam Deus in viam rectam dignetur illustrare.

Nonò notetur. Quòd peccatum quodlibet tantò pejus ac deterius est, quantò pluribus intulit nocumentum. Propterea si quis fuerit alterius ruinæ causa & occasio, ut innocentes, præsertim juvenes aut puellas, suo consilio, hortatu vel alio quovis modo sollicitando ad peccatum; agat hujus rei districtam pœnitentiam, & procuret deceptorum à se correctionem aut emendationem totis viribus procurando & per se & per alios eos ad viam veritatis & sanam doctrinam reducendo: in hoc enim consistit portio principalis suæ Satisfactionis & Pœnitentiæ.

Decimò. Quòd si quis post conscientiæ suæ examinationem diligentem, ipse peccatorum quorumdam etiam mortalium à se commissorum non reminiscatur; tunc per solam generalem Confessionem de ipsis absque alia speciali salvabitur: si tamen ea priùs oblita postmodùm ad memoriam redierint, ea specialiter certis tempore & loco confiteri tenetur. Qua in re periculosum est commissorum à se delictorum mortalium

talium per negligentiam atque desidiam immemorem fieri.

Absolutio.

FORMA Absolutionis sufficiens & requisita pro peccatis de quibus Confessor intendit & potest absolvere confitentem.

Ego absolvo te à peccatis tuis in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.

Et si Confessio fiat de Excommunicatione, tantummodò dicatur sic.

Ego absoluo te ab Excommunicatione tua in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.

Et si cum hoc fiat Absolutio de peccato propter quod lata est Excommunicatio, vel de aliis; addatur forma prior. Additiones quædam aliæ conditionales aut involutæ tutiùs dimittuntur.

TERTIA PARS
HUJUS OPUSCULI,
DE
SCIENTIA MORTIS.

SI veraces fidelesque amici cujuspiam ægroti curam diligentiùs agant pro ipsius vita corporali, fragili & defectibili conservanda; exigunt à nobis multo fortiùs Deus & Charitas pro salute sua spirituali sollicitudinem gerere specialem: in hac enim extrema mortis necessitate fidelis probatur amicus. Quippe nullum est opus misericordiæ majus sive commodosius, quod & tanti apud Deum meriti & amplioris frequenter æstimatur, quemadmodùm personæ nostri Salvatoris Jesu Christi, si in terris nobiscum degeret, impensum servitium corporale. Quamobrem cura fuit præsenti scripto componere brevem quemdam exhortationis modum habendum circa eos qui sunt in mortis articulo constituti; valentem etiam generaliter omnibus Catholicis ad artem & notitiam benè moriendi conquirendam. Continet autem hoc Opusculum breve quatuor particulas, scilicet Exhortationes, Interrogationes, Orationes & Observationes.

Prima pars continet quatuor Exhortationes. Prima est.

AMICE dilecte aut dilecta, considera nos omnes subjectos esse potenti manui Dei & ipsius voluntati; omnes nos cujuscunque conditionis aut status, Reges, Principes, divites & pauperes, mortis tributum solvere necesse est: venimus in mundum peregrinorum more, ut ex eo transeamus, non ut mansionem in eo stabiliamus; quin potiùs ut hìc benè & meritoriè viventes & Deo servientes, horribiles inferni pœnas evitemus, & gloriam æternam habeamus. Recognosce diligenter, cum gratiarum actione, à Deo tibi concessa beneficia, quod tibi etiam in hac extrema hora sui cognitionem dederit, nec te morte subita præoccupaverit; gratias pro his & aliis innumeris donis tunc eidem refer, ad suam infinitam misericordiam confugiens, & de commissis à te criminibus veniam humiliter poscens. Sollicitè cogita te in vita tua plurima delicta perpetrasse, pro quibus pœnam ferre meruisti, unde & hujus infirmitatis & mortis pœnas patienter tolerare debes; rogans Deum ut præsentis doloris acerbitas, remissionem operetur peccatorum, & Purgatorii horribilis cruciatus in hanc afflictionem tuam per suam misericordiam commutetur: tolerabiliùs est namque hic præsentialiter quam in futuro puniri. Quod si sic, corde contrito, patiens pœnam necessariam, tanquam voluntariam feres, & omnem pœnam & culpam remittet Deus, certusque Paradisum introibis. Alioquin per impatientiam, æternam pœnam & damnationem incurres. Super omnia, in hac extrema hora constitutus, meditare circa tuam spiritualem salutem: nunquam enim fortassis in futurum hujus meditationis occurreret oportunitas; omnem aliam sollicitudinem & rerum terrenarum curam relinque, quas relinqui necesse est, quæ etiam nec ab Inferni præcipitio corruentem eripere valent. Plena Fide te Deo committe, & ei qui omnipotens, bonus & sapiens est, te & tua, & tuorum regenda præbe. Omnem prætereà cogitatum tuum in eum dirige; astantes solummodò & superstites rogans ut pro salute tua Deum precibus exorent.

Secunda particula sex habet Interrogationes.

DILECTE aut dilecta. Vis tu mori & vivere in soliditate Fidei Christianæ respectu Dei & Domini nostri Jesu Christi, tanquam verus fidelis & obediens sanctæ Matris Ecclesiæ filius? Respondeat, Volo. Petis à Deo veniam peccatorum tuorum commissorum & omissorum, quæ contra ejusdem amorem, majestatem atque bonitatem fecisti, nec eum prout debebas honorasti? Respondeat, Peto. Habes-ne sincerum propositum & explicitam voluntatem vitam tuam in melius commutare atque corrigere si vita comes superfuerit? Rogas etiam Deum ut tibi gratiam præstet hoc propositum continuandi veramque contritionem habendi? Es tu conscius tibiipsi alicujus peccati mortalis vel criminis de quo non sis confessus? Optas-ne etiam cor tuum illuminari ad oblitorum criminum (si quæ sint) habendam notitiam, & si tu libenter confitereris ea. Vis ablata per te restitui integraliter, quantùm ad id teneris, juxta tuarum facultatum valorem, etiam usque ad omnium bonorum tuorum cessionem & renunciationem, ubi aliàs satisfactio fieri non valeret, & coram Deo & hominibus veniam injuriæ petis? Indulges ex corde omnibus qui tibi nocumentum intulerunt, ob reverentiam & amorem Domini nostri Jesu Christi, à quo veniam speras? Petis similiter indulgeri tibi & remitti ab his quos verbis aut factis læsisti? Ad has omnes præmissas interrogationes affirmativè respondeat: Volo.

Tertia particula breves ministrat Orationes.

PRIMÒ dicat infirmus ex corde Deum orans: Deus meus piissime Pater, miserere mei. Deus meus piissime Pater, *In manus tuas commendo spiritum meum.* Ps. xxx. 6. Pater misericordiarum misericordiam fac huic pauperculæ creaturæ tuæ. Adjuva me nunc etiam in hac ultima necessitate. Succurre Domine jam animæ egenti & desolatæ, ut non à malignis spiritibus captivetur & a canibus infernalibus devoretur. Dulcissimè Jesu ob honorem & virtutem tuæ benedictissimæ passionis jube me recipi intra numerum electorum tuorum. Salvator meus & Redemptor meus, reddo me totum tibi, non me renuas; ad te venio, non me repellas. Domine Paradisum tuum postulo, non ob valorem meorum meritorum; sed in virtute & efficacia tuæ benedictissimæ Passionis, per quam me miserum redimere voluisti, & mihi Paradisum pretio tui sanguinis emere dignatus es: ipsum mihi conferre festina, propter quem nec tuæ divitiæ aut potentia minuetur, nec ipse Paradisus angustior aut minor invenietur. Salutet postmodùm Beatissimam Virginem Mariam, dicens: Regina cœlorum, Mater misericordiæ, confugium pecca-

cato-

catorum, reconcilia me unigenito Filio tuo; ejus clementiam pro me indigno peccatore interpella, ut ob amorem tui mea remittat crimina, perducens in gloriam suam. Angelos de hinc precibus invitet, inquiens: Spiritus cœlorum Angeli beatissimi, assistite quæso mihi migranti ex hoc seculo, & potenter eripite me ab omnibus adversariorum insidiis, & animam meam in vestrum consortium assumite. Tu præcipuè Angele bone custos meus. A

Post hæc inquiratur ab infirmo cui Sanctorum vel Sanctarum magis devotus extiterit, ut illi precem offerat, dicendo: O gloriosissime Sancte, vel Sancta, singularem in te dum viverem spem & confidentiam reposui, succurre nunc mihi in hoc extremo necessitatis articulo laboranti, nunc anxior supra modum, tempus nunc instat & hora; jam in adjutorium meum intende.

Quarta pars quasdam observationes edocet; ut sciatur qualis prædictorum usus habendus sit.

Si patiens nondum Eucharistiam aut Extremam Unctionem susceperit, interrogetur an eadem Sacramenta devotè paratus est recipere. Si etiam super interrogationibus præmissis verisimiliter appareant responsiones patientis non usquequaque sufficientes B existere, remedium apponatur, quantum id quod commodiùs fieri poterit, vel per ministrationem Sacramentorum Confessionis, Eucharistiæ aut Extremæ Unctionis; vel eidem manifestando periculum quod incurrit, non plenè satisfaciendo petitionibus super Fide sua & salute conscientiæ Prælatis. Moneatur ut decedat tanquam verus & fidelis Christianus. Attendatur si infirmus ipse Excommunicationis vinculo astrictus teneatur, & propterea submittat se totis viribus ordinationi sanctæ Matris Ecclesiæ ut absolvatur. Si moriturus prolixum temporis spatium ad suam recollectionem habeat, nec morte festina præveniatur, legendæ forent coram eo ab astantibus Historiæ & Orationes devotæ, in quibus sanus & vivens ampliùs delectabatur; vel recensenda essent divina Præcepta, ut profundiùs meditetur si quid adversùs ea negligenter oblitum deliquerit; vel similis coram eo instructio recitetur. Si patiens usum loquendi perdi- C derit; habet tamen sanam & integram notitiam ad interrogationes sibi factas vel Orationes coram eo recitatas, signo aliquo exteriori vel solo cordis consensu respondeat; hoc enim sufficit ad salutem. Præsentetur infirmo imago Crucifixi, vel alterius Sancti, quem sanus & incolumis specialiter venerabatur. Si non omnia præmissa dici brevitas sinat, præponendæ sunt Orationes, illæ præsertim quæ Salvatori nostro Jesu Christo dirigitur. Nullatenùs aut minimè si fieri possit morienti amici carnales, uxor, liberi, vel divitiæ ad memoriam reducantur, nisi in quantùm id exigit patientis spiritualis sanitas, & dum aliàs convenienter omitti nequit. Non detur infirmo nimia spes corporalis salutis consequendæ, ingeratur potiùs eidem prima monitio superiùs explicata. Sæpe namque per unam talem inanem & falsam consolationem, & incertam sanitatis corporeæ confidentiam, certam incurrit homo damnationem. Quinimò hortandus est per Contritionem & Confessionem animæ sanitatem procuret, quod & ad salutem corporis (si ibi fuerit expediens) valere poterit, & inde securior atque quietior erit. Quia verò frequenter corporalis D infirmitas ex animæ languore ortum habet, Papa per expressam Decretalem cuilibet Medico corporis districtè præcipit, ne cuiquam ægroto corpoream conferat medicinam priusquam de spiritualis Medici, Confessoris scilicet, requisitione eumdem monuerit. Hinc expediens videretur, ut in quibuslibet pauperum Hospitalibus vel Domibus Dei, Statuto firmaretur, ne quis ibidem æger suscipi posset, qui non primo ingressûs die Confessionem faceret, vel idoneo Sacerdoti ad hoc ipsum deputato paratus confiteri se continuò præsentaret, sicut in Domo Dei Parisiis laudabiliter observatur.

Opusculi tripertiti, finis.

TRACTATUS
SEU
EPISTOLA.

Joannis Gersonii Doctoris & Cancellarii Parisiensis, ad Provincialem Cælestinorum super versiculo Cantici Mariæ: Suscepit Israel puerum suum. DE SUSCEPTIONE HUMANITATIS CHRISTI. *Allegoricè per* XXIV. *Veritates: Tropologicè verò & Anagogicè per* XII. *Veritates.*

Exactus ad MSS. Codd. Vict. 699. Navarricum unum & M. Targny.

PROLOGUS.

Reverendo in Christo Domino Provinciali Cælestinorum Fratri Joanni Bassandi suus Joannes Cancellarius Parisiensis: Ea quæ ad pietatem sunt Christianæ Religionis & sursum actionis jugiter meditari. Cecinit Maria. *Suscepit Israël puerum suum.* Luc. I. 54. Cecinit huic notulæ sui Cantici Mater Ecclesia Christo jubilans. *Tu* inquit *ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum*, quod verbum sub hac proprietate suscipi debet: est enim improprium, Christus suscepit humanitatem, qua factum est ut Christus esset homo & homo Deus, quia Christus Deus; sed non semper Deus fuit Christus, quia nec semper Deus fuit homo, nec ex consequenti Christus, cum nondum susceperat humanitatem Christus Deus. De qua susceptione colligamus aliquas veritates accommodas petitioni tuæ Pater honorande.

Prima *Veritas*: Christus per hujusmodi susceptionem quæ dicitur Incarnatio, habuit ab instanti suæ conceptionis animam rationalem perfectè beatam secundùm portionem mentis superiorem. Hæc veritas credi debet de necessitate salutis.

Secunda Veritas: Christus in anima beatificata ut sic, cognovit totum decursum Ecclesiæ cum meritis futuris & demeritis hominum singulorum, etiam per infusam desuper cognitionem aliam quam in Verbo; qualis suo modo fuit cognitio infusa Adæ pro statu innocentiæ, & Angelis perfectiùs in sua prima creatione. Hæc veritas est certa Fide tenenda.

Tertia Veritas: Christus ut beatificatus in anima nunquam sensit dolorem pro peccatis hominum quorumcunque, nec pro pœnis alienis aut propriis in corpore suo, vel in portione rationis inferiore susceptis; patet, quia in beatitudine non est luctus neque dolor.

Quarta Veritas: Christus ut beatificus in anima habuit summam de peccatis omnibus singulorum hominum detestationem, quæ largo & tropico modo loquendi potest nominari displicentia cordis de peccatis; vel extensiori transsumptione dolor aut tristitia quandoque nominatur, etiam in Deo. Sicut est illud Genesis. VI. 6. *Tactus dolore cordis intrinsecùs*; diceretur simili modo de Beatis.

Quinta Veritas: Christus ab instanti suæ conceptionis quamvis habuerit clarissimam notitiam & apprehen-

henſionem ſuæ Paſſionis futuræ, & quod animam dulciſſimæ Matris pertranſierit gladius accerbiſſimæ Paſſionis; ipſe tamen non habuit hujuſmodi Paſſionis dolorem experimentalem in corpore; qualem habuit dum cæpit tædere & mæſtus eſſe, & conſequenter ab agonia uſque ad expirationem pertulit & ſenſit. Veritas illa pro prima parte patet ex præcedentibus; A ſed ſecundam concedit communis omnium Doctorum approbatorum ſchola, quia ſic & non aliter videtur poſſe ſalvari illud Lucæ, II. 52. quod *Jeſus proficiebat ætate & ſapientia*. Experiebatur enim per aſſiduum crementum notitias novas rerum, & ſi novas notitias ſenſuales, ita novas triſtitias aut delectationes iſto modo.

Sexta Veritas: Chriſtus noluit ab inſtanti ſuæ conceptionis quod beatitudo ſuæ mentis redundaret in corpus per influentiam gaudioſam, ſicut nunc facit in patria, ſicut & anima feliciſſimæ Matris in corpore glorificato vel carne dotata quadruplici dote ſua. Veritas hæc conceditur ab omnibus ut Catholica.

Septima Veritas: Chriſtus noluit quod beata mens ſua ut ſic, ſumeret influxum partis inferioris aut ſenſualis & hoc paſſibiliter & pœnoſè, licet benè cognoverit priùs pœnas ſenſus intellectualiter, immò & gaudioſè; alioquin non fuiſſet paſſus voluntariè, deſideranter & conſonè divinæ voluntati. Veritas hæc B eſt Catholica & conceſſa.

Octava Veritas. Chriſtus noluit quod præcognitio ſuæ paſſionis quam habebat ex viſione verbi, vel etiam ex revelatione, in ratione inferiori deſcenderet aut redundaret in ſenſualitatem, ſic quod apertè ſenſuum dolor experimentalis ſuſciperetur qualis in agonia vel in tota Paſſione, aut etiam qualis fuit per decurſum totius vitæ, nunc autem miſcendo læta cum triſtibus: ſicut enim puer & inſcius flebat ſic, ſugendo beata ubera conſolabatur, & arridenti Matri blandus erat; ſtultum eſt enim dicere quod nunquam gaviſus eſt, aut lætatus experimentali conſolatione, non enim perdiderat guſtum ciborum aut tactum ſuavium, ſed nunquam in vitium.

Nona Veritas: Chriſtus voluit quod dilectiſſima Mater ſua dolores & conſolationes haberet in vita ſua juxta modum ſuæ converſationis ad ipſum Filium & C virginalem ſponſum Joſeph, & ita proportionabiliter reſpectu proximorum: non enim fuit incivilis aut agreſtis aut lapidea, & inſenſibilis glorioſa Mater ſua.

Decima Veritas: Chriſtus voluit dilectiſſimam Matrem ſuam dolores & pœnalitates hujus vitæ deſtitutæ ſuſcipere, nedum voluntariè purè ſicut ſuſcepit, ſed ex conditione naturæ viatricis deſcendentis ab Adam, & cum neceſſitate contrahendi originale peccatum ſicut alii per generationem viri & mulieris concepti, niſi gratia ſupernaturalis preveniſſet caſum in hoc originalis culpæ præcipitium. Factum eſt perindè conſequenter in Maria quantùm ad pœnas naturæ debitas ex originali, ſicut in aliis ſanctificatis aut baptizatis, niſi quantùm ex privilegiis & gratiis ſpiritualibus fuit adjuvata. Veritas hæc probabili pietate cordis credi poteſt.

Undecima Veritas: Chriſtus præſervando Matrem ſuam ab originali, non ob hoc dedit dignitatem æqualem ſibi ipſi, etiam ſecundùm humanitatem viatricem. Ratio, quia nunquam Chriſtus habuit neceſſitatem originale peccatum contrahendi, quia non deſcendit per naturalem propagationem; propterea ratio ſumpta ex hac æqualitate quod Maria contraxit D originale, prorſus eſt invalida, ſimiliter & altera, quod Maria non indiguiſſet redemptione; nec valet Apoſtoli conſequentia, *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt*, 2. Cor. v. 14. hoc inquam argumentum potius eſt ad oppoſitum; quia ſi Chriſtus fuit omnium perfectiſſimus Redemptor mortem pro omnibus ſuſtinens, decuit quod Matrem perfectiſſimè redimeret, hoc autem non potuit convenientiùs fieri quam præſervando ne caderet, potiùs quam jam lapſam relevaret. Veritas hæc probabilis eſt & pia, ſuper quam mirum eſt quod nonnullli volentes Virginem benedictam ſuper limites honorare, prædicant nihilominùs quod contraxit originale, ſicut unus de quo infra.

Duodecima Veritas: Chriſtus contulit Matri ſuæ ab initio & conſequenter illas & tantas gratias quas & quantas cognovit eſſe convenientes ſecundùm ordinem ſuæ ſapientiæ: & in hac veritatis ſoliditate debet eſſe contentus quilibet Chriſtianus quamtumcunque ſibi devotus. Attamen quia particularizata præconia magis ad devotionem movent aliquando pios animos, placet adjungere aliquas veritates ſuper iſtis ad utrumque libratas.

Decima tertia Veritas: Chriſtus humanitatem ſuſcipiens dolores noſtros ſola voluntate, non neceſſitate portavit in corpore ſuo, & verè languores noſtros ipſe tulit præſertim in cruce; & hæc cum tanta acerbitate quantam voluit Deus ſecundùm ordinem ſuæ ſapientiæ ipſam humanitatem paſſibilem tolerare. Veritas hæc conſonat ultimæ veritati traditæ de Maria; & ſufficit ad ſalutem quod de Chriſto teneatur ſummatim Fide certa & neceſſaria: temerarium verò eſt aſſerere quod dolor ſuus fuit intentior & acerbior qualitativè quàm afflictio omnium aliorum hominum ſimul, immò quam & damnatorum.

Decima quarta Veritas: Chriſtus non habuit ab inſtanti Conceptionis omnem illum dolorem uſque ad inſtans mortis ſuæ qualem pertulit in Cruce aut priùs per decurſum pœnalis vitæ ſuæ; & oppoſitum ſcribendo vel prædicando aſſerere, eſt temerarium, falſum & præſumptuoſum.

Decima quinta Veritas: Chriſtus potuit dare multas gratias tam humanitati ſuæ quam dilectiſſimæ Matri purè gratis, quas tamen actualiter & de facto non contulit. Et oppoſitum aſſerere eſt falſum & temerarium, immò hæreticale. Patet hæc ſecunda pars, quia Chriſtus potuit ab utero Matris ſuæ dare de potentia abſoluta impaſſibilitatem ſuæ humanitati qualem habet de præſenti, ſimiliter & Matri ſuæ, ſaltem poſt conceptionem benedictæ prolis ſuæ. Et conſtat certa Fide quod neutrum fecit.

Decima ſexta Veritas: Chriſtus potuit dare ſuæ humanitati & Matri ſuæ pro ſtatu viæ gratias alias quàm contulerit de facto, & ſi contuliſſet hoc, utique fuiſſet decens dare vel dediſſe, qualiter tunc facere non erat decens, ſecundùm ordinem ſuæ ſapientiæ. Veritas hæc ſimilis eſt præcedenti, ſed addit aliud de decentia, pro quo ſit veritas ſequens.

Decima ſeptima Veritas: Chriſtus potuit & poteſt multa facere & hoc decet eum; ergo fecit aut faciet: conſequentia talis quæ fit a multis ſæpe fallit per fallaciam petitionis principii, quia videlicet præſupponit in minori propoſitione quod eſt æquè ignotum vel ignotiùs quàm principale: ratio, quia nihil decet Deum facere niſi ſecundùm quod vult fieri rectè per oppoſitam conſuetudinem ad voluntates creatas, quæ ideo volunt agere quia præſentatur eis aliquod objectum ſub ratione boni aut convenientis, & ideo agunt quia videtur eis bonum; & non ideo illud eſt bonum aut decens. Cauſa eſt, non enim ſunt regulæ primæ; ſed regulatæ à prima bonitate.

Decima octava Veritas: Chriſtus neſcitur aliquid velle quia decens niſi à ſemetipſo, aut ſi ab altero hoc eſt per revelationem vel operis exhibitionem, & hoc argumento à poſteriori & nullo modo à priori. Unde ſicut Chriſtus ſolus novit Patrem & ſe & Spiritum ſanctum, non excludendo ipſos Patrem & Spiritum propter unitatem eſſentiæ, ſic ſolus ſcit quid deceat eum ad extra producere, quia ſolus ſcit quid vult agere, & cui voluerit revelare.

Decima nona Veritas: Chriſtus ſi aſſeritur aliquid ad extra facere debere, quia decet eum ſic facere, fallitur aſſerens modo tacto; quia præſupponit quod eſt æquè vel plus ignotum, ut ſi quis ita paralogizet: Chriſtus potuit communicare Matri ſuæ in utero

utero quòd gloriosa & consummata felicitate nasceretur, & hoc decuit ipsum facere; quia decuit eum Matrem honorare: ergo sic fecit. Constat quod conclusio hæreticalis est, & tamen præmissæ communiter assumuntur à nonnullis in assertionibus suis confirmandis.

Vicesima Veritas: Christus non communicavit Matri suæ, statim dum concepta vel nata est, usum perfectæ rationis, quamvis hoc potuisset; & si fecisset, decuisset. Et oppositum asserere scribendo vel prædicando est penitùs temerarium, sicut & quod nunquam somniaverit, aut quod in omni somno semper actu Deum contemplata fuerit hìc in via. Quod autem ex Scripturis sanctis autoritatem non habet, junge nec ex probabili ratione, eadem facilitate contemnitur qua probatur.

Vicesima prima veritas: Christus potuit conferre dilectissimæ Matri suæ cognitionem lucidissimam totius decursus vitæ suæ & Filii, confestim dùm nata est, & si hoc fecisset utique decuisset; ergo fecit: temerarium est & contrarium sanctis Doctoribus hoc inferre. Contrarium insuper videtur Evangelicæ doctrinæ sic asserere factum esse. Siquidem perditus fuit Jesus ignorante Maria & Joseph, ideò dolentes per triduum quæsierunt ipsum & non intellexerunt responsum pueri Jesu. *Nesciebatis*, inquit, *quod in his qua Patris mei sunt oportet me esse*, Luc. II. 49. & ita in multis; sed non ob hoc dicenda fuit ignorans Beata Virgo, si non scierit omnia: dicit enim ignorantia privationem scientiæ debitæ inesse, & ex consequenti culpam; non sic nescientia quæ in Angelis reperitur.

Vicesima secunda Veritas: Christus etiam si dederit accelerationem usus rationis Matri suæ, sicut opinantur aliqui piè de exultatione Joannis in utero; non oportuit tamen talibus gratiis perseverantiam esse, quamvis sine pœnitentia,& retractatione sint dona Dei: sunt enim sine pœnitentia, supplendum est hoc modo quo donantur; quædam ad morulam parvam, quædam ad tempus majus, quædam in ævum; patet in gratiis gratis datis, in Prophetiis & gratiis sanitatum quæ durant ad tempus.

Vicesima tertia Veritas: Christus si perquiritur à talibus cur Matrem suam honoravit in gratiis istis, & non in aliis omnibus quibus poterat? Respondeas quis es ô homo ut investiges sensum Domini, quis es ut consiliarius ejus fias, quis es ut præsumas dicere cur ita facis? Ponat ergo humana loquacitas digitum ori suo, & terminis suis contenta sit.

Vicesima quarta Veritas: Christus posuit terminos nostræ conquisitionis, ut non liceat de divinis alia vel aliter asserere, quàm quæ divinis Scripturis habentur; vel evidenter concluduntur, vel ab Ecclesia quæ Spiritu sancto regitur, credenda traduntur. Hæc est regula beati Dionysii pluries repetita. Ceterum de opinione temeraria vel probabili vel de credulitate pia, latiùs potest dici, prout alibi notavimus; & hoc unum placet repetere hìc, quid sit pium credere, aut quæ propositiones de pietate Fidei sunt censendæ. Omnes illæ scilicet quæ nec evidenter sequuntur ex contentis in sacra Scriptura, nec etiam evidenter repugnant, & ædificant charitatem vel devotionem pii cordis temerariè nihil asserentis; tales sunt narrationes sanctorum Patrum, tales devotæ recogitationes circa totum Evangelii decursum erga Christum & Matrem suam, consideranda multa non explicita, quemadmodùm fieri potuerant, vel quid egerint Jesus & Joseph & Maria ab initio usque ad mortem Joseph; qualiter processum est in Josephino carmine heroicè, qualiter etiam inducunt Doctores illud, *misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt*, Ps. LXXXIV. 11. quasi sint res animatæ invicem colloquentes & concludentes *Dominus dabit benignitatem, terra nostra dabit fructum suum*, Ibid. v. 13. quod utique constat factum, dum *suscepit Deus Israel puerum suum.* Luc. I. 54.

Aliæ Veritates duodecim.

SUBJUNGUNTUR aliæ duodecim veritates propinquiùs ad interrogationem tuam, Pater amantissime, terminos non deserendo susceptos.

Prima Veritas: Susceptio sancti Israel nostri fuit per allegoriam Incarnatio Verbi: per tropologiam verò &
A anagogiam, susceptio sancti Israel pueri sui, est hominis per gratiam justificatio, & ipsius ad contemplationem cœlestium elevatio, nunc per intelligentiam; nunc per simplicem Fidem cum devotione quæ mentem elevat in Deum per pium & humilem affectum; nunc per utrumque, per intelligentiam scilicet & devotionem, Fide, Spe, Charitateque subnixam.

Secunda Veritas: Susceptio talis mystica nutritur maximè & roboratur per susceptionem dignam benedictæ Eucharistiæ Sacramenti quo Deus ipse sumitur, recolitur memoria Passionis ejus, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur, qua super re Tractatus est specialis in notulam Cantici Mariæ, *Esurientes implevit bonis. Luc.* I. 53.

Tertia Veritas: Susceptio Israel pueri sui Dei quamvis possit agnosci per probabiles conjecturas ab illo qui suscipitur; non tamen evidenter, revelatione super hoc non habita. Signa quædam sunt si quis sit Israel per certam Fidei illuminationem seu visionem;
B si sit puer non sensibus, sed malitia per humiliationem; si sit possessio Dei, idest servus per dignativam adoptionem in Charitate, quæ patiens est & mitis sub suavi jugo Christi

Quarta Veritas: Susceptio per gratiam gratum facientem nos semper latet ad certum, quatenùs impleamus illud. *Servite Domino in timore*, & ne servitus mœsta & gravis videatur, *exultate ei.* Verùm ne sit exultatio dissoluta, jungitur *cum tremore*, & subsequitur, *apprehendite disciplinam.* Ps. XI. 11. 12.

Quinta Veritas: Susceptio gratificans videtur hìc in via potissimùm cognosci per cordis sentimenta, sumendo cor pro toto ejus triclinio, secundùm triplex cenaculum, mentis scilicet & orationis & animæ, juxta tractata super hac decachordi Psalterii Mariæ fidicula. *Dispersit superbos mente cordis sui*, Luc. I. 51. *præsentiam* verbi, inquit Bernardus, *ex motu cordis accepi.* Sic alii omnes comtemplationi vacantes signa tradiderunt, nunc hæc, nunc illa multiplicia
C valde variaque cordis sentimenta, usque ad profusionem lachrymarum; de quibus non est hìc dicendum per singula, sed sub cautelæ generalis monitione sistendum.

Sexta Veritas: Susceptio gratificans stat frequenter sine quibusdam sentimentis actualibus cordis; patet in pueris baptizatis, patet in justis dormentibus, aut in solo gratiæ habitu sine quavis actione, gratis Deo, simul & acceptis.

Septima Veritas: Susceptio gratificans sæpe fit & est in suo actu intrinseco & formali elicito, vel exteriùs imperato, sine perceptibilibus certitudinaliter gratiæ sentimentis in corde vel sensibus: patet in activis per varia distractis, nullam in corde suo spiritualium sentimentorum mollitiem, aut liquefactionis suavitatem habentibus; immò maxima Christianorum pars absque talibus sentimentis aliàs servit Deo, quos judicare damnandos vel extra statum salutis ob hoc es-
D se, perversissimæ est temeritatis & intolerabilis arrogantiæ apud illos qui sentimentis hujusmodi crebrò gaudent, qui suam in illis totam salutem ponunt & gloriam. Sed heu sæpe quàm profundè fallit eos stulta præsumptio cordis sui, quàm frequenter illuduntur à dæmonio meridiano, quia superbia meretur illudi: denique meretur etiam dum Eucharistiam suscipit, illud imprecatum per Psalmum: *fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum*, Psal. LVIII. 23. cum ceteris quæ sequuntur sub trinodecimo numero maledictis.

Octava Veritas: Susceptio Eucharistiæ gratificans quamvis non fiat nisi sit aliquis in gratia gratum faciente; non tamen inducit semper novum peccatum nisi in contemnente. Contemnit autem qui se scit habere impedimentum legitimum ne suscipiat; aut qui non habuit probabilem suæ conscientiæ examinationem juxta modum communiter requisitum, ut suum cognosceret impedimentum & cessaret à Communione, vel tolleret nexum, sicut per Confessionem si conscius est sibi culpæ mortalis: aut si per Statutum Regulæ suæ sit arctatus de venialibus confiteri, licet dura videatur hæc arctatio, nisi fortè pro gravibus & multis venialibus valde disponentibus ad mortale aut propinquis multùm.

A

Nona Veritas: Susceptio Eucharistiæ si dimittatur, quia non percipit accessurus sentimenta devotionis actualis in lachrymis & similibus; si tamen aliundè sit sibi benè conscius de carentia impedimenti, stultè agit si sit tempus & locus aliundè. Ratio est, quia magnis bonis se & suos proximos privat & defraudat, damnationem incurrens de suscepto talento Ordinis non multiplicato. Sibi tamen absit gloriari si sentimenta non sentiens devotionis, si siccus & aridus animo, si mons Gelboë sine rore & pluvia, si non timeat lapsum qualem aliquando patiuntur gloriantes de sentimentis suis: quia si dæmones in viridi, Dei permissione hoc faciunt, in arido quid fiet.

B

Decima Veritas: Susceptio gratificans si quæritur periculosè cognosci per curiositatem in quolibet homine, tamen hoc maximè periculosum est in feminis, quia sunt fortissimæ & tenacis apprehensionis & aviditatis temerariæ penetrandi secreta Dei; sunt & ad lapsus & illusiones proclivissimæ, diligunt tales aliquando Deum velut adulterum concubitu fornicario: quare? sanè quia delectationem sentimentorum ipsius Dei solam, non prolificationem bonorum sunt operum requirentes, sed *perdes omnes* Deus *qui fornicantur abs te*. Ps. LXXII. 27.

Undecima Veritas: Susceptio gratificans apud tales de utroque sexu sæpè fit in laqueum, non data, sed accepta occasione scandali, dum fiunt indigniores susceptione dignissimi Sacramenti: quo scilicet post talia sentimenta & non aliter dignos ad suscipiendum semet existimant longè facti, de quo legitur. Neminem judicans, neminem condemnans, omnibus compatiens: sanctus Martinus erat; nec aliter per Agathon vel Pastorem est præceptum: *nam*, inquit, *in omni re dic: Tu qui es? Et ne judices quemquam*: sed nec attendunt aliud suæ temeritatis repressivum consilium, non accipe fiduciam, immò accipe fiduciam; sed de sola misericordia Dei, non de tua sentimentorum justitia sordida nimis ex se, sicut pannus menstruatæ. Quem non exterreat illud Apostolicum. I Cor. IV. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, sed nec meipsum judico, qui me judicat Dominus est*. Sic habita in adjutorio Altissimi securè dices Deo. Susceptor meus es, quia quem suscipis in Sacramento, ipse magis te suscipit, manducat & bibit incorporando.

C

Duodecima Veritas: Susceptio gratificans dum visa est apud multos colligi per meditationem assiduam Passionis Jesu Christi, causavit de per accidens ex superbo usu suo hominibus de utroque sexu duræ multum austeritatis in vita, plurimas hæreses & deliramenta, & tandem aliqui ex eis in abominandissima carnis sentimenta prolapsi sunt & innominaliter maculati: sunt exemplum veteres & novi Fratricelli & Fratricellæ, Begardi & Begardæ de quibus non est hìc dicendum per singula. Suffecerit tangere aliquos passus scripturæ cujusdam, qui non in omnibus satis sobriè videtur esse locutus; quamvis in hac scelerata secta jam tacta, fuerit severissimus & laudandus, sicut in aliis multis: veruntamen in multis contra prædictas veritates, specialiter de privilegiis Christi & Mariæ & pœnis suis minùs sobriè scripsit & docuit. Et *quis est homo qui vivat & non peccet*; Eccle. VII. 21. Quis est homo qui non patienter reprehensionem debet accipere charitatis, qualem conscius ego sum mihi velle fieri qui hæc scribo? Rursùs per eum nullus extollitur status nisi ille qualem notat se tenuisse conformiter ad feminas aliquas magnæ ut asserit elevationis & prophetici spiritus, quarum tamen doctrinæ sunt suspectæ, jubente Apostolo qui habebat spiritum Dei, *mulierem docere non permitto*. I. Tim. IX. 12. Secundò addit iterùm, licet non semper eo ordine quo ponuntur ista, ait inquam, quod per tales inveniretur Christus, qui tunc suo tempore perditus erat & absconsus ab Ecclesia, & quasi jacens mortuus. Rursùs quod status iste tertius & citò manifestandus, erit destructivus status Pharisæorum modernorum quos notat Prælatos cum Clero & Religiosos omnes, maximè Fratres minores qui non vivunt vita Christi crucifixi, neque ut suus nuncius Franciscus & sancta Clara Vexilliferi Jesu Christi, cum crucifixa vita sua: sunt & jam habitæ revelationes ut dicit super illo. Rursùs attende Pater oculatissime quod cœpit error iste à Joachim ponente triplicem Legem secundùm tres personas: primam Patris per Moysen, secundam Filii per Christum, tertiam Spiritus sancti per Evangelium æternum, cujus non erit finis. Legatur ergo textus expositionis istius super *Nunc dimittis*, in fine, & expositio super illud *de perditione & inventione Jesu*, & alibi pluries. Attendatur ergo solus finis in acerrima satyra seu tragœdia magnis boatibus invehente contra status omnes maximè suorum, viderit quo zelo, viderit quæ ædificationis auditu fructuoso, multi judicant quod non secundùm scientiam; attento quòd pro cognomine vult nominari maximus peccatorum: qualiter ergo non priùs auferebat trabem de oculo suo, qualiter obsorduerat ad illud probrum, *Medice cura teipsum* Luc. VI. 23. diceret quod ex humilitate sic judicari vult; sed si non ex veritate, quid nisi vanitas & damnabilis vanitas? Si ex sensûs intimitate se ita judicari volebat, attenderit ne plus Paulo immo Maria præcellat in hac laude, ut non jam ipse maximus aut primus esset peccatorum, quia non humilior plus omnibus. Ampliùs arguit de hæresi Doctores doctissimos cum Innocentio tertio qui ponunt substantiam panis post disitionem corporis Christi, destructis panis & vini speciebus, iterum de novo creari. Sunt aliæ super hac re positiones; sed ista quidquid difficultatis habeat seu habere videatur non est hæretica appellanda: potest enim Deus creando reparare destructum idem in numero, judicio & libertate arbitrii. Quidquid de parvulis affirmare præsumpsit contra omnium Doctorum communem scholam, quod pueri in Lymbo non baptizati acriter puniantur pœna ignis sensuali, ponereque videtur quod in afflictione carent omnino rationis judicio & libertate arbitrii. Sed nonne documenta plura scripsit bona, & utilia & devota? Scripsit: (fatemur immò liberè confitemur) & utinam stetisset in illis stilus suus, utinam conformasset se doctrinis illorum quos allegat quandoque: sæpè enim magnas partes excerpit & rapit in propria forma tacitis Auctorum nominibus, nescimus si par esse voluerit Æsopi corniculæ, plumis aliarum volucrum se ornantis; creber fuit apud istum Bonaventura cum suo Breviloquio, sed vix nominatus ex illo. Multi sunt præterea Sermones sub contextu suæ locutionis; quos in forma legimus apud libros alios non modicæ vetustatis. Postremò non rememoramus ista detractionis malignantis zelo, quantùm conscientia testis est; sed cautelæ prudentis & commonentis studio; quatenùs Religiosi, simplices & inscii Theologiæ, nec habentes spiritum discretionis spirituum, in devotis apparentibus sentimentis falli valeant in lectura vel studio, sub fervore novitio sub indiscreto judicio, quod Liber totus sit Evangelicus, quia de Evangelio loquitur. Sic Pater optime notasti mihi de quibusdam; habent enim aquas patentes & publicas sanctæ sapientiæ

D

tiæ per Doctores approbatos, non est necesse ipsos obedire meretriculæ dicenti. *Aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconsus suavior.* Prov. IX. 17. Simul hæc interim scripsimus conformiter ad Tractatulum istum qui *De Examinatione doctrinarum* compositus est, quoad partem primam. Et de reliquis tribus ultroneo & deliberato consilio siluimus. Hæc habuimus Pater Religiosissime simul & prudentia Præstantissime, quæ currente calamo linguam animi ferventis exprimente volui satisfaciens tuæ petitioni notare per schedulam istam. Sub anno Domini 1426. decima octava Decembris de mane usque ad propè meridiem, consonans textui quod exponendum erat in manibus de Cantico Mariæ Canticorum: Luc 1. 54. *Suscepit Israël puerum suum*, quod inchoabam dum me in Capella visitavit benignitas tua mihi jure colenda.

Vale vale.

Finit Epistola Cancellarii Parisiensis De susceptione humanitatis Christi *allegorica, anagogica & tropologica.*

TRACTATUS

Joannis Gersonii Doctoris & Cancellarii Parisiensis, contra hæresim de Commnnione laïcorum sub utraque specie.

Collat ad MSS. Codd. Navarricum & Mr. Targny, cujus ope auctior prodit.

Editus in Concilio Constantiensi anno 1417. die 20. Augusti.

OBLATURUS, juxta seniorum hujus sacri Concilii Constantiensis monitionem generalem, nonnulla quæ concernunt expugnationem hæresum & hæreticorum nostri temporis, nominatim sectæ noviter exortæ ac protinùs judicialiter damnatæ, de necessitate communicandi laïcos sub utraque specie, scilicet panis & vini; profero cum Evangelica paupercula duo minuta, quæ dici possunt duplex ille denarius quem Samaritanus protulit & dedit stabulario pro cura vulnerati.

Unus Denarius decem regulas speculativas: Alter decem practicas habet inscriptas.

Prima. Scriptura sacra est Fidei regula, contra quam benè intellectam non est admittenda autoritas, ratio hominis cujuscunqne, nec aliqua consuetudo, nec constitutio, nec observatio valet si contra sacram Scripturam militare convincatur; hæc regula fundamentum est commune nobis & hæreticis quos impugnare conamur. Propterea concedimus & approbamus omnes vel autoritates vel rationes quæ hanc probant, pro quanto non ad aliud probandum per eos ducuntur vel induci quærerentur. Quamobrem sacra Scriptura debet considerari quasi sit una propositio copulativa connectens singulas partes, & unam confirmans per alteram, elucidans & exponens; quoniam si propositio aliqua sacræ Scripturæ posita assertivè per Auctorem suum qui est Spiritus sanctus, esset falsa, tota sacræ Scripturæ (sicut dicit Augustinus) vacillaret autoritas; quia similis est ratio assentiendi per Fidem cuicumque propositioni signatæ in sacra Scriptura, ita uni sicut alteri, scilicet autoritas divinæ revelationis quæ utrobique communis est ratio credendi.

Secunda. Sacra Scriptura dum consideratur in aliqua sui parte vel propositione, non est tenenda in solis terminis illius propositionis, aut in illo sensu quem illa propositio sic per se & nudè considerata facit: sed conferenda est & concordanda per comparationem ad alios sacræ Scripturæ passus. Patet hæc regula ex præcedenti, & per exempla manifesta qualia sunt innumera. Dixit itaque Christus Matth. ult. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Si quis voluerit in hac præcisa forma vel sententia stare, non admissâ quacunque collatione ipsius cum aliis, sicut inventos aliquos esse tales notat Augustinus *De Civit. Dei* XXI. constat quod errabit manifestè ponendo quod sola Fides sufficit in Baptismo ad salutem sine aliis virtutibus, sicut traherent alii ex simili verbo Christi: *Qui credit in me habet vitam æternam.* Joann. VI. 47. Ampliùs arguendo ad homines sic induceremus A illud Christi Joan. VI. *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Attamen secundùm istos non sufficit manducatio solius panis, idest sumptio corporis; sed requiritur bibitio sanguinis.

Tertia. Sacra Scriptura potest & debet in suis partibus & partialibus assertionibus reverenter & humiliter & diligenter expositionem recipere, concordando passum cum passu, & unum per alterum judicando. Sequitur ex præcedentibus. Et quia sic fit in omnibus aliis scientiis & doctrinis, in quibus intentio & sensus unius dicti trahitur ex aliis, ex quibus apparet intentio dicentis; quoniam secundùm Hilarium *intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi*: alioquin plura essent mendacia & contradictiones in qualibet scientiarum, & præcipuè in sacra & divina, quàm essent veritates in omni modo loquendi communi.

Quarta. Scriptura sacra in expositione partium suarum requisivit, & requirit homines Primò præditos ingenio. Secundò exercitatos studio. Tertio humi- B les in judicio. Quartò immunes ab affectato vitio: patet, quoniam ex opposito alterius istorum quatuor, solet facillimè falsus intellectus Scripturæ suboriri si sit homo hebetis ingenii, si iners & neglector studii, si superbi & arrogantis judicii, si denique fuerit infectus & depravatus ex affectu alicujus vitii; quoniam excæcat tales malitia eorum. Possent ista & istorum quodlibet; tam autoritatibus quàm exemplis & rationibus multipliciter declarari, quæ quia nota sunt doctis, & alibi satis inveniuntur, brevitatis amor linquit.

Quinta. Scriptura sacra in sui primaria expositione habuit homines eruditos, non solùm humana ratiocinatione vel studio; sed divina revelatione & inspiratione Spiritus sancti. Patet de Apostolis & aliis, de quibus loquitur Lucas in actibus Apostolorum c. XIII. Et Paulus plures enumerat divisiones gratiarum, inter quas interpretatio sermonum, & sermo scientiæ & sermo doctrinæ. Comparandi igitur sunt Doctores in expositione sacræ Scripturæ cum Doctoribus, C & illi quos constat habere conditiones positas in præcedenti regula, præferendi sunt non habentibus. Similiter habentes revelationem, non habentibus eam; & dona gratis data possidentes, non possidentibus ea, ceteris paribus: & proindè convincitur ac reprehenditur quorumdam arrogantia modernorum, usurpantium sibi illa de Psalmo. *Super omnes docentes me intellexi.* Psal. CXVIII. Et iterum. *Super senes intellexi.* Et iterum: *Super inimicos meos prudentem me fecisti.* Ibidem. Sed utinam adverterent si veræ sint eis causæ quæ junguntur, *quia testimonia tua exquisivi*, & *lex tua meditatio mea est*, & reliqua. Ibidem.

Sexta. Scriptura sacra non ita recipienda est nudè & in solidum, contemptis aliis traditionibus hominum, quin debeat ad intelligentiam veram ipsius habendam, Juribus humanis & Canonibus & Decretis & Glossis sanctorum Doctorum frequenter humiliter uti. Patet ex præcedentibus, patet etiam ex modo quem D tenent hæretici quos nunc impugnamus, qui Doctores valde diligenter allegant pro suis assertionibus colorandis & corroborandis, & tales qui sunt aliquando nullius autoritatis vel ponderis; sicut sunt aliqui Glossatores Decretorum & Decretalium, & non Sancti, nec multùm in Theologicis eruditi, & similiter aliqui quos de numero trahunt Theologorum.

Unde sic arguitur adversus eos. Si Doctoribus & peritis in sua arte credendum est; cur Doctoribus per nos allegatis non vultis credere, quos allegatis; benè intellecti sunt pro nobis & alii qui absque ulla comparatione plures sunt & clariori sermone dicentes nostram sententiam: si verò non talibus in aliquo credendum est, cur eos pro vobis in confirmatione erroneorum spirituum & sensuum vestrorum tam curiosè & exquisitissimo studio quæritis allegare, undecunque colligentes & discerpentes quantumlibet renitatur?

Septima. Scriptura sacra recipit interpretationem & expositionem nedum in suis verbis originalibus; sed etiam in suis expositionibus: patet ex præcedentibus; unde si allegatur Augustinus, exempli gratia, quod dixerit in una Glossa sua sumendum esse Sanguinem Christi in Communicatione laïcorum, & hoc de necessitate salutis; & alibi dicat vel observet oppositum secundùm intellectum qui prima facie colligeretur ex verbis; attendendum est ex dictis aliis qualiter est concordandus sibiipsi. Invenitur enim dixisse: *Crede & manducasti*, & ita dicere potuit. *Crede & bibisti.*

Octava. Scriptura sacra dum per novellos homines inducitur, tanquam credenda sit in suis nudis terminis absque alterius interpretis vel expositioris admissione, exponitur gravibus periculis & scandalis; nisi solerter provideatur, & confestim occurratur. Patet ex præcedentibus. Et quia ad veritatem tales implicant semetipsos in dictis suis, prout deductum est in sexta regula, dum aliquando pro se inducunt Doctores & inductos contra se non admittunt; dùm prætereà vitare volunt glossam omnem, incidunt apertissimè in multiplicem contradictionem, & ultra quàm Judæi litterales judaizant, qui recipiunt in antiquis traditionibus Legis expositiones suorum Doctorum multas & varias, ut Rabbi Salomonis & Rabbi Moysi, & aliorum quemadmodùm traditum habent in Lege; *Deuter.* XVII. sub mortis interminatione Sacerdotibus *Levitici* generis esse credendum & obediendum. Ex hac prætereà radice pestifera orti sunt & quotidiè crescunt errores Begardorum & pauperum de Lugduno & omnium similium, quorum multi sunt laïci habentes in suo vulgari translationem Bibliæ, in grande præjudicium & scandalum Catholicæ veritatis, quale propositum est in reformatorio esse tollendum.

Nona. Scriptura sacra in sui receptione & expositione authentica finaliter resolvitur in autoritatem, receptionem & approbationem Universalis Ecclesiæ; præsertim primitivæ, quæ recepit eam & ejus intellectum immediatè à Christo, revelante Spiritu sancto in die Pentecostes, & aliàs pluries. Patet, quia quòd Matthæus scripserit veraciter Evangelium & Nicodemus non; solùm habemus ab autoritate Ecclesiæ: juxta illud Augustini *Evangelio non crederem nisi me autoritas Ecclesiæ compulisset.* Hæc enim est infallibilis regula à Spiritu sancto directa, qui in his quæ Fidei sunt, nec fallere potest nec falli. Probationes omitto. Et quia hoc est primum principium in Fide tenendum, quo non credito non superest arguere contra sic negantem, sicut nec contra negantem prima principia in moralibus & speculabilibus arguendum esse tradit Aristoteles. Additur consecutivè quòd sacra Scriptura in expositione sua habet & habere debet in reverentia & autoritate majori consuetudinem Universalis Ecclesiæ circa ea quæ Fidei Sacramenta respiciunt & dispensationem ipsorum; quàm autoritatem Doctoris unius particularis etiam Sancti. Et sic tradit sanctus Thomas in illa quæstione qua quærit, utrum pueri infidelium sint invitis parentibus baptizandi, in ratione ad oppositum. Unde valdè mirandum videtur apud aliquos considerativos, dum vident quòd statim ut Doctor aliquis composuit unam lecturam vel unam compositionem; aut glossam super Decretalibus aut Decretis redegit in scriptis; habetur illa glossa seu lectura in reverentia tali, quod allegatur authenticè in Scholis & Judiciis: qui Doctor si viveret, non esset comparandus mille & mille qui jam sunt in vita. Et tamen si tota una Universitas, exempli gratia, quæ habet Doctores in omni Facultate peritissimos, declararet aut determinaret unam expositionem circa unum passum Scripturæ sacræ vel Decretorum aut Decretalium, vix reputabitur aut recipietur hujusmodi testificatio; quasi videlicet scriptura mortua sit majoris autoritatis quam viva. Et si opponatur, quod in vivis pervertitur judicium propter perversionem affectûs; cur non similiter potest dubitari quod in mortuis regnaverint dum viverent passiones judicii subversivæ.

Decima. Scriptura sacra patitur in suis lectoribus, permittente Deo, quòd errent & protervè agant, *quatenus qui probati sunt fiant manifesti*, sicut dicit Apostolus. I. *Cor.* XI. 19. Et ut studia Doctorum multipliciter excitentur, prout notat Augustinus; & ut particulares veritates quotidiano exercitio inveniantur & eliciantur, juxta illud: Dan. XII. 4. *Pertransibunt plurimi & multiplex erit scientia.* Et illud. Ps. CXVIII. 150. *Declaratio sermonum tuorum illuminat*, cum similibus multis. Nihilominùs dum sacra Scriptura patitur in suis lectoribus aut allegatoribus perversum & protervum intellectum, adversus illa quæ manifestè sunt in eadem Scriptura tradita, & quæ declarata sunt per Ecclesiam Universalem, & ita recepta per fidelium observationem; debet habere defensionem suam, magis judiciali severitate, & executione punitiva, quàm ratiocinatione curiosa per scripturas aut verba. Patet ex præcedentibus: verificatur enim in talibus, quod stultus verbis non erudictur, quod & experientia quotidiana manifestat. Illa quippe tales negant per quæ sola possunt & debent ad viam veritatis reduci; & si nolunt aliqua credere nisi quæ reperiunt in Biblia, inveniant illic si poterunt formam Sacramentorum, & quòd Christus miscuit aquam cum vino quod consecravit, & ita de pluribus aliis.

Sequentia magni momenti de novo prodeunt ex MS. Codice M. Targny.

Ultimò: notatur finaliter pro facili & manuali solutione dictarum autoritatum & aliarum quas pro se adducunt adversarii, notandæ sunt diligenter septem regulæ quæ sequuntur.

Primò itaque sciendum, quòd quamvis plures autoritates sacræ Scripturæ atque etiam Sanctorum loquantur indifferenter de Communione sub utraque specie panis & vini; non tamen prætendunt præceptum ut dicant hujusmodi Communionem sub utraque specie, quoad laïcos, esse de necessitate salutis, vel de Præcepto Christi. Et sic omnes hujusmodi autoritates adducuntur frivolè & impertinenter, nihilque contra Catholicam veritatem concludentes; cujusmodi sunt autoritates Apostoli & Jesu Christi, quæ indifferenter loquuntur tam de Sacerdotibus conficientibus, quàm de laïcis, in quibus tamen nullum Præceptum exprimitur, ut pleniùs patuit loco suo, dum de ipsis superiùs ageretur in speciali.

Secundò sciendum, quòd auctoritates tam sacræ Scripturæ, quàm Doctorum multorum, facientes mentionem de Communione sub utraque specie, continent in se Præceptum vel vim Præcepti, ut in pluribus loquuntur; & intelligendæ sunt de Sacerdotibus, quorum est conficere hoc Sacramentum, & sub utraque specie sumere, propter perfectam significationem & repræsentationem Dominicæ Passionis & Mortis & spiritualis refectionis completæ & aliorum quæ in hoc Sacramento repræsentantur; non autem de Communio-

nione laïcorum, quorum capere & sumere est solùm propter afficaciam & non propter repræsentationem. Ejusmodi est autoritas Christi qui solis Apostolis quos in Sacerdotes constituerat, præcepit ut hoc facerent sub utraque specie in suam commemorationem. Hoc modo etiam intelligitur Canon Gelasii Papæ *Comperimus*, de quibus superiùs in locis suis dictum fuit.

Tertiò: sciendum quod autoritates sanctæ, si fortè sunt loquentes de hujusmodi Communione sub utraque specie, habentes Præceptum vel vim Præcepti quoad laïcos, restingendæ sunt ad tempus illud, in quo mos ille in Ecclesia servabatur: consuetudo enim Ecclesiæ quæ habuit ex causa rationabili originem, sive fuit generalis similiter in tota Ecclesia, sive in aliqua sui parte notabili, utputà in una Natione vel Regno, sive etiam in una Provincia vel Diœcesi vim habet obligativam Legis & Præcepti; nec alicui particulari licet scienter contra eam agere aut ipsam sua sponte præterire in loco ubi generaliter observatur. Unde S. Augustinus ad Casulanum Presbyterum ait, *Mos Populi Dei & instituta majorum pro Lege tenenda sunt*. Et sicut prævaricatores Legum divinarum ita contemptores consuetudinum Ecclesiasticarum coercendi sunt. Quapropter si quis Latinorum in Orientali vel in Græca Ecclesia contra morem ipsorum in azimo conficeret, peccaret, ut dicunt communiter Doctores; & è converso si Græcus apud nos agat in fermento, propter diversam consuetudinem Ecclesiarum. Quia igitur Christus ita sub duplici specie Discipulis in ultima Cena ministraverat hoc Sacramentum, multi fequentium hunc ritum tenuerunt & in multis Ecclesiis indistinctè, quoad verò sacrificantes habitus est pro invariabili consuetudine & pro Lege: nunquam tamen hæc consuetudo ministrandi laïcis sub utraque specie fuit omninò in Ecclesia generalis. Quia etiam tempore Apostolorum legitur Act. 11. 42. *Quod erant perseverantes fideles in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis & orationibus*. Et in fine capituli, v. 46. *Et erant fideles frangentes panes circa domos quotidie*: quod utique de pane sacramentali Doctores intelligunt & specialiter Magister historiarum in historiis scholasticis, ubi nulla mentio fit de vino aut de potu, nec est verisimile quod in tanta re ab hoc ritu Ecclesia tam generaliter recessisset, nisi in aliquibus, exemplo aliquo præcedente longè ex Apostolis & primitiva Ecclesia etiam rationabilibus & necessariis causis concurrentibus. Autoritates igitur loquentes sub Præcepto de laïcis, restringendæ sunt ad tempus & ad Ecclesias in quibus hujusmodi consuetudo pro Lege habebatur; qua consuetudine cessante, cessavit obligatio: hujusmodi sunt autoritates recitatæ, quia quælibet autoritas vera ex causa tantùm, cessante causa veritatis ejus, cessat veritas & allegatio ejus; sicut ista, Christus est incarnandus quæ fuit vera, quia causa veritatis ejus fuit futurum tempus quod nondum advenerat; sed jam futuro præsente tempore adveniente ex Christo nato, causa veritatis ipsius ablata est & per consequens ipsa penitùs remanet falsa: quia non est vera Christus est incarnandus. Cum igitur Autoritates hujusmodi Doctorum non erant veræ, nisi ex consuetudine vim Legis & Præcepti habente, cessante consuetudine, earum veritas cessavit & allegatio. Et valde diligenter est advertendum quod nullus Doctorum Catholicorum per adversarios allegatorum, & ita credo de omnibus aliis loquentibus de hujusmodi Communione sub utraque specie, dixit eam indifferenter quoad omnes esse ex Præcepto Christi, aut de necessitate salutis; ita quod una species non sufficiat, nec aliqua autoritatum per adversarium adductarum, dictum Præceptum Christi intendit quoquo modo aut protendit: è contrario autem multi Doctores Catholici dicunt Communionem divinissimæ Eucharistiæ non conficientibus sufficere sub una specie, ut in superioribus diffusè ostensum est.

Quartò: Notandum quòd autoritates tam sacræ Scripturæ quàm aliorum Doctorum, quæ videntur facere mentionem de sumptione hujus Sacramenti sub duplici specie quoad laïcos vel indifferenter quoad omnes, duplici modo loquuntur; videlicet vel re-
A rum nomina assumentes, vel nomina specierum. Exemplum primi Joan. VI. 54. *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis & ejus Sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis*. Caro enim & sanguis sunt res hujus Sacramenti, & ea quæ ex natura vel reali concomitantia consequuntur ad hæc. Exemplum secundi I. Corinth. 11. 26. *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat*. Panis enim & Calix qui vinum continet, & pro vino accipitur sicut sæpiùs continens pro contento, sunt nomina specierum hujus Sacramenti. Inter has autem locutiones diligens lector hanc differentiam attendat, nimirum in autoritate quæ est ex terminis specierum, nunquam aut rarò inveniat notam Præcepti, aut terminum vim Præcepti habentem, per quam posset deprehendi quod hujusmodi sumptio cadat & obliget ad Præceptum, ad ostendendum quod hujusmodi sumptio sub utraque specie non est de necessitate salutis, & per consequens de Præcepto divino. Et si fortè in autorita-
B te aliqua Doctoris alicujus repertum fuerit, ad præcedentem immediatè regulam recurrendum est vel saltem ad eam quæ ultimo loco adducetur, quæ est finalis resolutio omnium. In autoritate verò quæ constat ex terminis eorum, sæpè imò sæpissimè reperitur Præceptum propriis terminis vel æquivalentibus, prout patet in primo exemplo, *nisi manducaveritis &c.* Si tamen de Sacramentali manducatione dicta autoritas intelligatur, ad declarandum quod ex Præcepto divino tenetur quilibet fidelis Christianus rem utramque hujus Sacramenti sumere sivè spiritualiter, sive realiter, secundùm quod in hoc Sacremento continetur; & cum utraque res verè & integrè sub qualibet specierum continentur: perfectè adimplet Præceptum quicumque sub utraque specie vel sub una accipit; quia Præceptum rem non speciem determinat: & per hanc advertentiam multæ autoritates adversariorum enervantur imò totale & principale fundamentum, scilicet *Nisi manducaveritis* &c. penitus enervatur.

Quintò: sciendum quod in autoritatibus Scripturæ
C & Sanctorum per manducationem Corporis & bibitionem Sanguinis intelligitur in generali susceptio utriusque, quod utique ita verè & integrè fit sub una specie sicut sub utraque, cum sub qualibet per se sumpta totus & integer Christus contineatur ut declaratum est. Et etiam si ad proprietatem locutionis attendamus, non propriè Sanguis in Calice bibitur; sed sola vini species, cum sub specie vini eumdem modum sanguis Christi habeat existendi, quem habeat omnimodè sub specie panis. Etenim sic sub specie panis Sanguis habet esse intra Corpus nisi & intra venas ipsius conclusus, sic pari modo est sub specie vini, quia non est effusus extra corpus aut à corpore divisus, sicut per species designatur in commemorationem dominicæ Passionis. Sæpè itaque Scripturæ & Doctores sancti loquentes de hoc Sacramento etiam secundùm quod sub una specie continetur manducationis & bibitionis, terminis utuntur pro susceptione, ad significandum fidelibus, quòd sub sola specie panis sumunt corpus & sanguinem Christi verè
D & realiter, & non aliter sub ambabus quàm sub una earum nec magis efficaciter.

Sextò: etiam intelligendum quod multæ auctoritates facientes mentionem de Communione laïcali sub utraque specie, potiùs spiritualiter intelligendæ sunt quàm sacramentaliter, ut de multis patuit. Quoniam enim Sacerdotes in Altari in conspectu populi conficiunt sub du-

duplici specie, & similiter sumunt in memoriam Dominicæ Passionis, hinc populus assistens Fide & devotione manducat & bibit Corpus & Sanguinem Domini spiritualiter in sinceritate Fidei per cogitationes bonas & sanctas meditationes manducando & hauriendo ore & corde Jesu Christo per affectum amoris. Hunc modum actualis manducationis tangit Augustinus dicens, *ut quid paras dentem & ventrem, crede & manducasti*. Multæ etiam autoritates intelliguntur de quinto modo spiritualis manducationis superiùs similiter tacto; secundùm quem modum illam autoritatem, *nisi manducaveritis carnem Filii hominis* &c. exponit Augustinus, ut claré ostensum est loco suo.

A

Septimò & ultimò notandum quod nulla autoritas cujuscumque scripturæ aut Doctoris habet efficaciam ad aliquid probandum aut concludendum authenticè in aliqua materia Fidem aut salutem animarum concernente; nisi in quantùm doctrinæ Ecclesiasticæ congrueret; aut ab Ecclesia approbaretur. Ubi autem contrarium & dissonum habet aliquid, totum & falsum repudiatur & inutile, & hoc meritò, quia non doctrinæ Doctoris Ecclesia subjicitur; sed è contra doctrina ipsorum Ecclesiæ, tamquam indeficienti regulæ quæ errare non potest, ut clarissimè demonstratum est in Capitulo hujusmodi materiæ declaratione. Undè & Augustinus *contra Epistolam Fundamenti*. Non solùm doctrinæ Doctoris sed etiam ipsi canonicè præfert Ecclesiam. *Evangelio*, inquit, *non crederem, nisi me Ecclesiæ autoritas commoveret*. Et cùm plura reperiantur scripta Evangelia quam quatuor, utpotè Andreæ, Thomæ & multorum aliorum, illa nihilominùs obtinuerunt autoritatem, quæ ipsa Ecclesia approbavit, & illa reprobata sunt, quæ reprobavit. Quare & omnes Doctores Ecclesiæ suas doctrinas meritò Ecclesiæ judicio submiserunt & submittunt quotidiè, sic & Paulus *ad Galatas* II. Non obstante quod Evangelium Christi revelatione habuisset; tamen ut authentizaretur, ascendit ad Barnabam Jerusalem ubi primitiva Ecclesia principaliter residebat, & contulit cum illis sanctis Apostolis & aliis in quibus Ecclesia consistebat & scorsim cum illis qui videbantur aliquid esse, Evangelium; ne forte in vacuum curreret aut cucurrisset. Cum igitur Ecclesiæ consuetudo obtinuerit generaliter à multis retrò temporibus ut non sacrificantes sub una specie communicent, fueritque dicta consuetudo per generalia Concilia approbata & declarata non esse contra divinam voluntatem aut Christi Præceptum; manifestum est omnem autoritatem cujuscumque Doctoris quantumcumque sancti & ingenio & sapientia præditi contra consuetudinem & statum Ecclesiæ nihil posse concludere. Qua propter si adduceretur aliqua autoritas, cui per aliquam prædictarum regularum non possit satisfacere ad plenum, maximè propter pertinaciam adversantium, respondens fidelis Catholicus ad hanc ultimam regulam tanquam ad portum tutissimum confugiat. Quia *unico hoc Ecclesiæ sole*, ut ait Hieronymus in disputatione contra Luciferianum, *omnium adversariorum argumentationum rivulos facilè poterit desiccare* ad laudem Dei omnipotentis & exaltationem Fidei Catholicæ.

Alter denarius Regularum practicarum.

Prima. in expugnatione erroris & errantium circa materiam de Laïcorum Communicatione facienda de necessitate salutis sub utraque specie.

Debet potiùs hoc sacrum generale Concilium invocare auxilium brachii secularis si opus fuerit, quàm per ratiocinationes, contra tales, attenta sua determinatione quæ jam transiit in rem judicatam. Nihilominùs in expurgatione tali possunt aliqui Doctores de Concilio vel aliundè scribere, vel aliter agere contra tales errores & errantes, per rationes & persuasiones & allegationes; quemadmodùm fit nunc pro errorum confutatione præsens opusculum sub generalibus Regulis, quæ possunt latiùs trahi, & particulariùs applicari per rationes deductas ante Decretum dicti Concilii.

Secunda. In expugnatione hujusmodi debet imprimis concedi porterv ientibus adversariis quidquid est Theologicè & rationabiliter concedendum, ut accepto illo in quo est controversia, faciliùs & compendiosiùs ad erroris depositionem induci possint: debet enim concedi sicut & sancta Synodus concedit, quod aliquando potuit fieri & factum est sine peccato, immò cum merito; quod aliqui laïci communicarentur sub utraque specie, sicut aliquando fiebat consecratio in fermento, ne judaïzare videretur Ecclesia, sicut & Christus & forsan pluries post eum primitiva Ecclesia consecravit, & dedit hoc Sacramentum post cenam. Concedatur etiam ipsis quod contra sacram Scripturam nec autoritas humana, nec consuetudo aliqua robur habet, sed addatur quod interpretationem vel expositionem ipsa recipit, sicut in Regulis deductum est.

Tertia. In expugnatione hujusmodi, principale illud circa quod versatur difficultas, sicut in puncto, centro vel cardine est: si communicatio talis sub utraque specie sit jussa generaliter à Christo sub debito salutis æternæ, & indispensabiliter ab homine, quemadmodùm dicimus quod Baptismus aquæ est de necessitate salutis indispensabili per hominem; sic quod nulla autoritate vel consuetudine possit introduci vel institui ut certi homines non baptizarentur Baptismo aquæ. Definit autem sacrum Concilium & verissimè negativam, sicut nec sumptio Sacramenti talis est necesitatis ante cibum, vel etiam post cibum. Circa quod est rememoranda distinctio necessaria & notanda quod circa ministrationem vel institutionem Sacramentorum, quædam sunt de necessitate Sacramenti & de Jure divino, quædam verò sunt tantummodo de necessitate Præcepti & de Jure humano seu positivo. Exemplum in materia nostra quòd fiat consecratio per talem verborum formam, quòd in tali materia panis, quòd per Sacerdotem, hoc est de necessitate Sacramenti & Juris divini. Quòd autem fiat in Templo seu Altari sacrato, quòd cum talibus vestibus & cum lumine, quòd cum talibus Orationibus, Epistola & Evangelio, & quòd jejuno stomacho, jejunio etiam naturæ: hæc inquam omnia atque similia sunt de solo Præcepto humano & variabili. Sicque Ecclesia posset ex causis rationabilibus etiam præmissa omnia vel aliqua talium immutare, & immutata sub Præcepto tradere, sic quod tunc peccaret homo faciendo illud in quo nunc meretur, & quod transgrediendo peccaret.

B

C

Quarta. In expugnatione tali declarari potest faciliter apud nolentes protervire, vel ex affectu praviter errare, quòd sumptio Sacramenti sub utraque specie à laïcis, modò non est, aut unquam fuit de necessitate Præcepti Juris divini sub pœna damnationis æternæ: attamen dum fiebat à laïcis præcipiente vel permittente vel consulente Ecclesia benè fiebat, sicut dum conficiebant Sacerdotes in fermentato; nunc verò dum certa ratione inolevit opposita consuetudo per Ecclesiam laudata & jussa, quæ jussio patet ex tali consuetudine, quæ est optima Legum interpres; sumptio talis temeraria est & præsumptuosa, scandalosa, seditiosa, & Ecclesiastici ritus turbativa, & ex consequenti æternæ damnationis inductiva. Nec valet cum inducunt quod laïci plus merentur, sumendo sub utraque specie, quam sub sola forma panis. Respondetur falsum esse, quia *melior est obedientia quam victima*. I Reg. XV. 22. Et quia potest Ecclesia prohibere aliqua quæ possunt aliquando meritum augere in aliquibus propter melius bonum commune adipiscendum, vel malum declinandum.

D

Quinta. In expugnatione tali dicendum est asserentes talem sumptionem esse licitam & utilem laïcis sub

sub utraque specie, tantùm errare quantùm illi qui dicunt eam esse necessariam de necessitate Præcepti divini, & Juris indispensabilis quasi Sacramenti. Patet; quoniam isti secundi damnant apertissimè de hæresi omnes & singulos qui non volunt laïcos taliter esse communicandos, & ponunt eos extra Ecclesiam. Et ita consequenter reputant quod sola generalis Ecclesia sit apud eos, sicut olim fuit temporibus Augustini de Donatistis, quæ quàm horrenda sit præsumptio videre stupor est. Et valdè notandum est quod ex hac autoritate Christi. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Joan. VI. 54. volunt concludere inevitabiliter errorem suum, & non attendunt quod in eodem Capitulo Christus præmisit. *Ego sum panis vivus, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*, ubi nihil loquitur de potu: & ideo mendacem faciunt Christum, si requiratur etiam cum manducatione sacramentali panis, sumptio etiam vini sacramentalis; quoniam dictum suum est una conditionalis *Si quis*, cujus oppositum consequentis stat secundùm eos cum antecedente sumpto in se & secundùm verba sua, immò consequens hoc modo repugnat antecedenti. Est insuper mirabile quod ex illo uno verbo volunt concludere, quod sacramentalis sumptio Corporis & Sanguinis Christi cadat sub tanta necessitate salutis & Juris divini sicut Baptismus aquæ, cum oppositum manifestè pateat per Doctores; quoniam sine tali sumptione stat salus, saltem in parvulis & pueris citra perfectum usum rationis, sicut observat Ecclesia, quamvis reperiatur ex quadam Epistola Cypriani, quod parvuli quatuor annorum recipiebant aliquando Corpus Christi: ponitur enim pro miraculo puerum unum talem, qui oblato cibo idolis immolato nolebat aut non poterat comedere, sed benè de pane consecrato gustabat, si benè memini.

Sexta. In expugnatione tali respondendum est ad autoritates adversariorum inductas; primò quòd aliquæ conceduntur pro quanto fundamentum veritatis dicunt esse sacram Scripturam &c. sed ritè intellectam. Aliæ similiter conceduntur pro quanto dicunt Sacramentum Altaris aliquando sumptum fuisse à laïcis sub utraque specie; quamvis probabiliùs videatur quod hæc observatio nunquam à tempore Doctorum communiùs apud omnes extiterit. Aliæ quæ dicunt Sacramentum Altaris integrè sumi debere, sicut expressiùs inter omnes allegatos tradere videtur Gelasius Papa de Consec. Dist. 2. *comperimus*, debent exponi de Sacerdotibus Ecclesiæ qui celebrant pro toto populo, apud quos semper fuit & est de necessitate Præcepti saltem Ecclesiæ, quod sub utraque specie communicarent, in tantùm quòd plus obligantur hoc facere, quàm quod jejuni celebrent, juxta consilium Doctorum dicentium, quod ubi homo veniens ad perceptionem sanguinis, reperit primò ibi aquam, quam putans fuisse vinum degustat, & ita frangit jejunium naturæ, debet consecrare noviter vinum & ita sumere. Et ita dicitur populus Sanguinem bibere, quia ministrantes pro eis illum bibunt, prout intelliguntur autoritates inductæ ex Canonibus Ecclesiæ, & juxta verbum Augustini prædictum: *Crede & bibisti.* Est enim manducatio & bibitio juxta communem distinctionem duplex. Una spiritualis per Fidem & amorem, quæ necessaria est in adultis. Alia est sacramentalis, quæ si sit sine spirituali nedum non proficit, sed officit. Cadit tamen in Præcepto dum ejus sumptio nequaquam contemnitur, prout de Confirmatione & Extrema Unctione dicitur à Doctoribus, quæ dicuntur esse Sacramenta non necessitatis. Et de hoc Sacramento notetur quid egit Venerabilis Hugo de sancto Victore in morte sua. Ex quo colligitur sumptionem sacramentalem non esse necessitatis, sicut Baptismum & ex aliis notatis super IV. Sententiarum, per Doctores Distinct. II. & per Glossas Joannis VI. Et I. *ad Cor.* X.

Septima. In expugnatione tali sunt inducendæ autoritates Doctorum sacræ Theologiæ qui scripserunt in hac materia, quas hìc omittimus, partim quia fuerunt sufficienter allegatæ in hoc sacro Concilio ante damnationem erroris prædicti, partim quia multæ
A sunt vulgatæ & notæ. Denique quia stat pro parte hac experientiæ testimonium ubilibet divulgatum, quale qui negat caret sensu & debet non ratione sed flagellatione compesci.

Octava. In expugnatione tali proficere videretur quòd Serenissimus Rex Romanorum invocatus à sacro Concilio acciperet factum illud prosequendum & terminandum sicut & alias hæreses in Bohemia, cum potentia etiam brachii secularis; attento præcipuè quòd præsens fuit & est in Concilio ubi facta sunt Decreta in hac parte: attento prætereà quòd in Regno fratris sui cujus est successor, hæc hæresis habet exordium, & nisi provideatur serpet in longinquum.

Nona. In expugnatione tali videretur multum proficere, præsertim apud Bohemos si Concilium aut suppositi ejus palam ostenderent, nedum verbis & epistolis, sed factis & exemplis, quòd non ex odio vel invidia proceditur contra eos, sed zelo solo Fidei & salutis animarum. Et hoc tunc fiet eis persuasi-
B bile, si videant & sentiant in factis, quòd quæritur in hoc Concilio extirpatio omnium errorum sine acceptione Gentis alicujus vel personarum, & quòd non solis eis fiat, sicut nec fiet, Domino concedente, persecutio, & non aliis deteriùs aut non minùs errantibus detur favor, dissimulatio, aut etiam defensio.

Decima. In expugnatione tali videretur maximum esse præjudicium, si non liberè convenirent Theologi collationes mutuas cum charitate & absque contentione frequenter habituri, cum pro causis minoribus & prophanis fiat quotidiè aliorum conventio. Rursus oportet quod stilus procedendi Theologicus observetur, non litigiosus aut prophanus. Super qua re alibi scriptum reperitur ampliùs.

Undecima. In expugnatione tali viderentur idonei esse quantùm ad expugnationem doctrinalem Theologi Universitatum illarum, quæ non debent à Dominis Bohemis de odio vel invidia haberi rationabiliter suspecti, & quos constare potest in aliis materiis
C sinceriter & veraciter & constanter hactenùs decertasse sine nota hæresis vel erroris in aliis materiis & ad hoc non dubium est parati sunt inter ceteros Theologi de alma Universitate Parisiensi, qui magno in numero præsentes sunt in hoc Concilio. Sunt & de aliis Universitatibus præclaris tam numero quàm merito Theologi præcellentes. Undè dicunt eorum plurimi qui super hoc fuerunt simul congregati, quod consuetudo licitè & rationabiliter fuerit introducta de non communicando laïcos sub utraque specie, præsertim post multiplicationem fidelium: & hoc propter evitationem multiplicis periculi, irreverentiæ & scandali circa susceptionem hujusmodi benedicti Sacramenti. Primum periculum in effusione. Secundum in deportatione de loco ad locum. Tertium in vasorum sordidatione, quæ deberent esse sacrata, nec passim tractata vel tacta à laïcis: & multò minùs deberet vinum consecratum vendi apothecis, sicut fit apud tales, ut dicitur. Quartum in barbis longis laïcorum. Quintum in conservatione pro infirmis; quoniam posset in vase acetum generari, & ita desineret ibi esse sanguis Christi; nec suscipiendum esse, nec noviter consecrandum sine Missa: & fieri posset quod
D daretur acetum purum pro Sanguine Christi, addito quòd in æstate bibliones aut muscæ generarentur quantumcunque esset vas clausum; quandoque etiam putresceret, aut fieret velut abominabile ad bibendum: & hæc ratio est efficax valdè, & ex alia ratione quando alii multi præbibissent. Et queritur in quo vase fieret consecratio tanti vini, quantùm requireretur in Paschate pro decem aut viginti millibus personarum? Sextum damnum esset in sumptuositate vini, saltem apud

apud multas partes in quibus vix invenitur vinum ad celebrandum, & alibì carè comparatur. Esset prætereà periculum in congelatione. Esset rursùs periculum in falsæ credulitatis inductione, & hoc multipliciter. Primò: quòd tanta esset dignitas laïcorum circa sumptionem corporis Christi, sicut & Sacerdotum. Secundò: quòd hoc facere, semper fuit & est necessitatis, & ita perierunt omnes & pereunt aliter sentientes, facientes aut docentes: & omnes generaliter tam Clerici quam Doctores & Prælati qui non posse tenùs opposuerunt se tali consuetudini, verbis, scriptis aut sententiis, & quòd sacram Scripturam omnes illi perverterent. Tertiò: quòd virtus hujus Sacramenti non est principaliùs in consecratione quàm in sumptione. Quartò: quòd Ecclesia Romana non ritè sentit de Sacramentis, nec in hoc esset imitanda. Quintò: quòd Concilia generalia & specialiter Constantiense erraverunt in Fide & bonis moribus. Sextò: multipliciter occasio esset seditionum & schismatum in Christianitate nostra, sicut experientia nunc manifestat in Bohemia, quæ seditio nedum ad spiritualem, sed temporalem dissipationem tendit, nisi Dei providentia & Regis Romanorum prudentia provideant & prædisponant.

Finit Tractatus adversùs hæresim novam de necessaria Communicatione laïcorum sub utraque specie, raptim æditus Constantiæ. Anno Domini 1417. die 20. Augusti.

PROPOSITIONES

Venerabilis Doctoris & Cancellarii Parisiensis Joannis de Gerson super assertionibus Fratris Matthæi Grabon, Ordinis Prædicatorum in Concilio Constantiensi in causa Fidei De vera Religione & perfectione. *Quibus Propositionibus tredecim Doctores majores, quos pro tunc mundus habuit in Theologia de diversis Universitatibus, contra prædictas assertiones adhæserunt.*

Reverendissimo in Christo Patri ac Domino præstantissimo Domino Antonio Cardinali Veronensi, Joannes Cancellarius Parisiensis: humiliter obedire.

Reverendissime Pater super schedula per Reverendissimam Paternitatem vestram ex commissione Domini nostri mihi transmissa, respondeo conformiter ad responsionem Reverendissimi Patris ac Domini mei ac Præceptoris præcipui Domini Cardinalis Cameracensis, quam responsionem in scriptis ego vidi, & huic adhæreo; paratus, si opus fuerit ad declarationem non veriorem, sed fortè latiorem. Scriptum Constantiæ propria manu; die tertia Aprilis, Anni millesimi quadringentesimi decimi octavi.

Ad elucidationem veritatis & ad obedientiæ meritum sex Propositiones sequentes cum totidem Corolariis offeruntur vobis Reverendissimo Patri Domino Cardinali Veronensi Judici in hac parte, per me Joannem Cancellarium Parisiensem.

Propositio prima.

Sola Religio Christiana est propriè, verè & antonomaticè dicenda Religio; quam Christus observavit perfectissimo & summo modo. Patet prima pars; quia extra Religionem Christianam non est salus. Secundam partem nullus potest negare Christianus; quia sicut eam Christus docuit in Evangelio sic & fecit, quia *cœpit facere & docere* Act. 1. 1.

Propositio II. Religio Christiana non obligat ad observantiam Consiliorum, neque cum voto neque sine voto; patet, quia jam non essent Consilia, sed Præcepta.

Propositio III. Religio Christiana potest absque voto obligante ad Consilia perfectè, immò perfectissimè observari. Patet de Christo, qui non legitur vovisse Consilia; qui fuit tamen suæ Legis perfectissimus observator. Patet insuper de Apostolis & Discipulis & Christianis in primitiva Ecclesia, quorum multi erant uxorati, multi possessiones habuerunt, quidam in communi, quidam in proprio, multi subjiciebantur solis Prælatis suis Episcopis & Curatis. Constat itaque quod non erant de Religionibus Basilii & Augustini; quia nondum fuerant institutæ vel per Ecclesiam approbatæ, nec talibus Regulis subdebantur.

Propositio IV. Religio Christiana non requirit ad perfectiorem sui observationem tam in Præceptis quàm in Consiliis quòd superaddatur alia Religio, quales dicuntur observationes institutæ per sanctos Basilium & Augustinum &c. & quales Anselmus vocat Religiones facticias; patet ex præcedentibus.

Propositio V. Religiones hujusmodi facticiæ satis impropriè & abusivè & forsan arroganter dictæ sunt *status perfectionis*: patet, quia stat homines imperfectissimos tales Religiones profiteri, sicut notat Augustinus, quòd non pejores reperit, quàm eos qui in hujusmodi Religionibus defecerunt Sed aliundè declaratur hæc abusio vel usurpatio nominis; quia secundùm illos qui noviter post sanctos Doctores usi sunt tali vocabulo *status perfectionis*, ille status non dicit apud Religiosos perfectionem habitam vel acquisitam, sicut est de statu Prælatorum; sed tantummodò dicit perfectionem acquirendam: constat autem quod perfectio acquirenda non est jam acquisita; & ideò meliùs nominaretur viæ quædam vel instrumenta seu dispositiones ad perfectionem acquirendam, quàm diceretur *status perfectionis*; immò & sicut hujusmodi status sic dictus, dirigit & juvat quosdam ad perfectiorem observationem veræ Religionis Christianæ; sic & multos impedit atque præcipitat, quos tutiùs fuerat in seculo remansisse; quia *displicet Deo stulta & infidelis promissio*, Eccle. v. 3. quæ scilicet vel indiscretè sumitur, vel non observatur.

Propositio VI. Religio Christiana perfectiùs potest & debet observari à Papa, Cardinalibus & Prælatis, etiam si nullo voto sint astricti ultra Legem Dei, quàm simplices Religionum facticiarum Professores: patet; quia sunt in statu perfectionis exercendæ.

Primum Corollarium.

Sequitur primò, quòd acceptio Religionis, sicut Frater Matthæus Jacobita describit in secunda acceptione, ubi vult declarare quid est propriè & antonomaticè Religio, est nedum stulta & insana; sed & hæreticalis blasphemia, quando dicit sic: „ Alio modo, „ inquit; accipitur hoc nomen Religio secundùm quod „ à religando dicitur, prout homo obligat se ad ea „ quæ pertinent essentialiter ad statum perfectionis; & „ illo modo dicitur antonomaticè tantùm de illis qui „ sunt in aliqua de approbatis Regulis propriè dictis „ Professi; cujusmodi sunt Augustini, Basilii, Benedicti, Francisci &c. „ Patet Corollarium ex præcedentibus deducendo ad hoc inconveniens quod Christus & Papa & Prælati non observaverint vel observant essentialiter statum perfectionis, quia scilicet non professi sunt Regulas prædictas; immò nec deberent dici de vera Religione nisi impropriè & analogicè, contra primam propositionem quæ solidè fundata est. Nec est credibile quod Augustinus & sanctus Thomas hoc somniaverunt. Undè & si possint in Religione Christiana assignari duo modi vivendi, secularium videlicet & illorum qui profitentur Religiones facticias, quos communis usus Religiosos appellat:

Non

Non tamen ita distinguuntur isti modi, quin multa quæ conveniunt talibus Religiosis, conveniant & convenire possint verè & meritoriè multis secularibus; immò & perfectiùs; sicut patet de Prælatis qui sunt in statu perfectionis exercendæ tam majores quàm minores, sicut sunt Curati, prout multi tenent contra sanctum Thomam.

Corollarium secundum. Sequitur secundò quod extra Religiones facticias potest aliquis cum voto simplici vel sine voto Christianam Religionem in suis Præceptis & Consiliis perfectè observare: & dicere quod tale votum simplex si fieret, esset nullum, & pro non voto deberet computari, est apertissimus error & insanus; sic tamen iste Frater ponit circa finem, & in fine sui Scripti ultimi.

Corollarium tertium. Sequitur tertiò quod tota doctrina Fratris istius innititur stultæ & insanæ phantasiæ, immò & blasphemiæ. Propterea non est mirandum si hoc inconvenienti dato, multa potuerit & deducere conatus est: ut quòd implicet contradictionem aliquem de seculo servare Consilium paupertatis vel castitatis & obedientiæ, immò quòd hoc esset mortale peccatum extra Religiones facticias quas solas nominat veras Religiones, & quòd Papa non posset dispensare, & quòd aliquis in seculo sic observaret Consilium paupertatis &c. & quòd dicens oppositum est hæreticus: nec valet ratio sua, quòd si secularis voveret paupertatem, ageret contra illud Præceptum: *Non occides.* quoniam multis modis posset secularis sicut & Religiosus vivere decenter & sufficienter in communi sine proprio, immò & nihil habendo nisi labores manuum suarum. Potest etiam aliquis de seculo sicut confitetur & verum est, vovere solemniter castitatem: patet in Sacerdotibus. Cur non similiter vovere posset obedientiam Prælato suo seculari, & cum secularibus vivere in communi?

Corollarium quartum. Sequitur quartò quod fautores & defensores istius Fratris sunt arcendi seu repellendi, & nisi desistere voluerint graviter puniendi; ita tamen quòd non laxetur nimia licentia ad defensionem Begardorum & Beguttarum, si reperiantur effrenes & discoli, & scandalosi in suis observationibus; præsertim in contemptum Prælatorum suorum secularium & Curatorum; juxta mentem Decretalium contra tales editarum.

Corollarium quintum. Sequitur quintò quod Dominus noster Papa qui secularis est & similiter sui Cardinales & Prælati tam majores quàm minores de seculo, debent celeriter & vehementer operam dare, quòd talis doctrina pestifera ac blasphema atque injuriosa eis, extirpetur judicialiter & publicè, ne serpat in majorem perniciem.

Corollarium sextum. Sequitur sextò quod si auctor talis doctrinæ cum suis fautoribus inveniatur pertinax & arrogans, & à longo tempore tam contra Prælatum suum quàm Magistros & Doctores; tam in verbis quàm in scriptis, debet sic attestari quod non habeat facultatem recedendi & deteriora perpetrandi, sicut jam dicitur hoc pluries fecisse, recedendo scilicet à Prælato suo & Judice, & consequenter semel ab hoc consilio. Alia sunt de validis mendicantibus, & de actione contra Jura Canonica, quæ dimitto.

Tenor Responsionis Domini Cardinalis Cameracensis de qua suprà.

REVERENDISSIME Pater & Domine: Super schedula papyrea Sigillo vestro Sigillata, mihi ad instigatoris instantiam in quadam causa Fidei, respondeo deliberationem meam istam esse pro præsenti. Quòd coram Reverendissima Paternitate vestra convocentur Theologi qui sunt in hoc sacro Concilio, quibus proponatur materia; ut communicatis invicem, communi deliberatione sine contentione, dicat tandem unusquisque in publico id quod sibi videbitur conformiter ad sacram Scripturam. Et illic ego in favorem Fidei volo libenter interesse: non enim debet talis materia in tenebris vel particulariter terminari; sed communiter & in luce, ut quilibet qui intererit possit vel docere vel doceri dùm se mutuò quilibet intelliget. Et talem modum servavi in hoc Concilio in causis Fidei mihi commissis; & nihilominùs, quia nescio si occurrerit occasio quòd non possem interesse in convocatione præmissa, dico quod mihi occurrit; ut sequitur.

Propositiones sive conclusiones super quibus fit inquisitio, habent fundamentum primæ conclusionis principale quod est erroneum, repugnans nedum rationi Theologicæ & Morali, sed etiam observationi primitivæ Ecclesiæ, quæ scribitur. *Act.* IV. 32. ubi sic in forma dicitur. *Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed nec quisquam egens erat inter illos &c.* Constat itaque; quòd in illa congregatione primitiva fuerunt multi uxorati, & alii diversarum conditionum seculares, qui scilicet non erant astricti per votum ad tria Consilia Evangelica, Castitatis, Obedientiæ & Paupertatis, quemadmodùm sunt Professi Religionum per Beatos Basilium, Benedictum & Augustinum, ac similes introductarum, quas iste ponens hujusmodi conclusiones, appellat veras Religiones; tanquam extra illas non sit vera Religio, quod falsum est, immò hæreticum, si sic per præcisionem intelligatur, quoniam Christiana vera est Religio, etiam apud seculares, ut Jacobus in Canonica sua notanter expressit. Sunt præterea in dictis propositionibus multæ clausulæ appositæ ultra prædictum principalem fundamentalem errorem, quòd seculares non possunt vivere sine proprio, quæ continent magnam temeritatem, scandalum atque proterviam, & quæ possent sigillatim reprobari; ut quòd dicere oppositum illius quòd aliquæ conclusiones suæ continent, sit hæreticum, quòd sit implicans contradictionem, quòd sit peccatum mortale, quòd omnis faciens contra Jura Canonica peccat mortaliter, & ita de similibus. Est ergo deliberatio mea quòd propter ista & similia quæ Tractatus vel Libellus à quo sunt extractæ conclusiones seu positiones antedictæ continet, damnandus est ut erroneus & temerarius & scandalosus, & ut dogma falsum, sacræ Scripturæ contrarium, & per consequens quod Tractatûs est hæreticalis & igni tradendus.

Ceterùm de compositore Tractatus deliberent Domini Juristæ, istis attentis quid agendum. In testimonium præmissorum propria manu subscripsit vester totus Petrus Cardinalis Cameracensis.

CONCLUSIONES FRATRIS MATTHÆI GRABON

Ordinis Prædicatorum, in sacro Concilio Constantiensi oblatæ ad examinandum, contra quas Cancellarius Parisiensis Propositiones scripsit suprà.

BEATISSIME PATER: Exponitur Sanctitati vestræ ex parte vestri devoti oratoris fratris Matthæi Grabon conventus Uvysinariensis Provinciæ Saxoniæ Ordinis Prædicatorum, ac Mersisburgensis Dioecesis. Quòd cum Lector ipse existens in Conventu Groningensi Dioecesis Trajectensis dictæ Provinciæ & Ordinis, videret quamplures personas sexus utriuf-

utriusque novæ Religionis habitum assumentes & conventicula facientes, nullum habitum approbatum profitentes, statuentesque, sibi ipsis Superiores pro libitu voluntatis, & sub simulata devotione populum attrahentes, & multa contra veritatem sacræ Scripturæ ac sacros Canones attentantes, & de eleemosynis Christi fidelium domos sumptuosas ad modum Monasteriorum regularium ædificantes, & se invicem in eis includentes, cum observatione quorumdam rituum minimè per Ecclesiam approbatorum; cœpit super hoc apud semetipsum ardenter cogitare & an hoc, stantibus Regulis Fidei & sacris Canonibus Ecclesia dissimulare deberet: revolvensque, diligentiùs sacræ Scripturæ Sanctorumque Doctorum Libros & sacros Canones, quasdam conclusiones reprobantes illorum modum vivendi extraxit, & Scripturæ commendavit; quarum una principalis est, ex qua aliæ deducuntur, exceptis paucis.

Nullus potest licitè & meritoriè, immò nec veraciter Obedientiæ, Paupertatis & Castitatis universalia Consilia conjunctim extra veras Religiones manendo adimplere; ex qua sequitur immediatè formalis consequentia, Articulus seu Conclusio nona in ordine: quòd nullus potest prædictum Paupertatis Consilium meritoriè, immò nec veraciter observare, nisi fuerit in statu spiritualis perfectionis sive veræ Religionis. Et dico notanter de istis tribus Consiliis simpliciter seu universaliter sumptis; secundùm quid verò & in aliquo casu possunt laudabiliter & meritoriè extra Religiones observari: quando enim aliquis secularis dat eleemosynam in casu aliquo, quando de necessitate Præcepti non tenetur; implet illud Consilium Paupertatis in illo casu tantùm; & quando continet se ab uxoris amplexibus, tempore illo quando illud facere non tenetur, implet Consilium Continentiæ in illo casu, & secundùm quid tantùm: quando etiam obedit alicui suo Prælato Curato vel Episcopo in casu, quando hoc de necessitate Præcepti non tenetur, observat illud Obedientiæ Consilium in illo casu, & ista possunt extra Religiones viventes voto vel sine voto Deo offerre. Unde dicit sanctus Thoma Secunda Secundæ; quòd in seculo viventes „aliquid Deo dant, „& aliquid sibi reservant, & secundùm hoc Prælatis Ecclesiæ subduntur. Regulares autem oportet „totum Deo quod habent, tanquam holocaustum offerre; & hoc fit & fieri potest tantùm per tria Consilia universalia prædicta. Et ideo dicit ibidem „quod „ad seculares pertinet tantùm particularia vota offerre, „ad Regulares autem universalia vota„. Undè particularia vota dicuntur sacrificia more veterum, de cujus ratione fuit de offertorio Deo oblato partem dare, & partem retinere: universalia verò vota holocaustum dicuntur; de cujus ratione fuit totum Deo offerre & nihil retinere, quod pertinet ad solos Religiosos se & sua in modum cujusdam holocausti Deo dedicantes. Ex quibus sequitur undecima, quòd abdicare quemquam omnia propter Christum, extra prædictas Religiones manendo, seu nisi veram aliquam Religionem ingrediatur, est sibi & suis quorum cura sibi incumbit vitam subtrahere, quod est homicidium tot hominum committere quot ejus curæ subduntur. Hæc est de mente sancti Thomæ Secunda Secundæ q. 33. art. &c. Ex quibus sequitur quòd nullus potest abdicationem omnium propter Christum facere extra veram Religionem manendo sine mortali peccato; quia subtraheret sibi vitam. Ex quibus sequitur quod omnes peccant qui bona sua simpliciter in eleemosynam largiuntur extra Religionem veram manendo, quæ est tertia conclusio in ordine: & etiam quod peccent qui sua propria resignant, non intrantes Religionem aliquam approbatam, quæ est decima octava in ordine coincidens cum tertia immediatè præcedenti. Ex quibus sequitur decima quòd reputantes se benefacere assumendo prædictum Consilium Paupertatis, remanendo in statu seculari, mortaliter peccant. Ratio, quia talis non est assumptio ipsius nisi phantastica, perversa & non vera, ut docet Dominus Joannes XXII. in quadam Extravagante. *Gloriosam Ecclesiam* &c. & ratio idem convincit. Ex quibus sequitur quod seculares credentes se mereri, tali abdicatione (in seculo scilicet manendo) vitam æternam, credunt se posse mereri vitam æternam mortaliter peccando. Ex quibus sequitur quòd aliquis sit voluntariè pauper propter Christum in seculo manens omninò nihil habendo, nec etiam ipsam voluntatem habendi propria; includit omni tempore contradictionem &c. quia includit quod secularis sit Religiosus & econtra: quod est omni tempore contradictio. Ex quibus sequitur quod effundi omnes opes simul ab his qui volunt in statu seculari remanere, reducitur quasi immediatè ad illud Præceptum Decalogi: *Non occides*, uno casu tantùm dempto, secundùm expositionem sancti Thomæ q. 33. allegantis ad confirmationem dicti sui Ambrosium dicentem in primo *De Officiis*. *Deus non vult simul omnes opes effundi, nisi fortè ut Helisæus qui mactavit boves suos & pavit pauperes ex eo quod habuit ut nulla cura teneretur domestica, sed ut se daret in propheticam disciplinam*, quod verbum, scilicet *nisi fortè ut Helisæus* exponit sanctus Thomas *nisi quis velit statum suum, scilicet secularem mutare per Religionis ingressum, aut Principem de extrema necessitate liberare &c.* Et Joannes *In Summa Confessionis* sub aliis verbis, *nisi quis velit ex toto seculum relinquere*. Et Magister Summæ Summarum Titulo *De eleemosyna* dicit idem, & loquitur ibi Ambrosius de effusione seu abdicatione actu habitorum, ex quibus possit homo convenienter vitam transigere secundùm conditionem status & personæ. Ex quibus sequitur, quòd dicens pertinaciter omnia esse meritoriè abjicienda propter Christum in seculo manenti, hæreticus est dicendus, excepto uno solo casu de liberando Principem de necessitate extrema per quem &c. Ex quibus sequitur quod proprietas temporalium rerum est statui seculari essentialiter annexa: & per consequens Dominus Papa, salva autoritate sua, non potest dispensare cum secularibus ut omnibus in singulari careant, seu nihil in singulari habeant. Ex quibus sequitur sextus Articulus reddens præcedentis quinti Articuli rationem: Si enim Dominus Papa posset hoc alicui concedere, singulari videlicet, posset ei concedere propriæ vitæ subtractionem &c. posset etiam (quod pro omni tempore contradictionem implicat) quod Deus secundùm Sanctos facere non potest. Sequitur etiam quòd Religiosus sine peccato mortali non potest abdicare voluntatem habendi communia, etiam quando actu talia non habet; quia enim illud quod nullus facere potest sine peccato mortali, nullus potest illud velle facere; & Religiosus non potest abdicare communia, quia sine illis vivere non posset, cum per suam professionem renunciaverit omnibus & singulis propriis singularibus. Sequitur ergo quod Religiosus &c. Quia etiam testante sancto Thoma Secunda Secundæ q. 33. art. &c. nullus debet inconvenienter vivere tribus casibus exceptis. Sequitur quod malè faciunt & peccant illud abjicientes, de quo secundùm statum suum & conditionem personæ possint convenienter vivere, dictis tribus casibus exceptis &c. Nullus etiam corpore validus extra veram utilitatem & veram necessitatem existens, potest sine peccato Christi fidelium eleemosynas tollere. Ex quibus sequitur quod prædicta tria Salvatoris Consilia sint ita concatenata, ut ubi Paupertas veraciter seu meritoriè invenitur, oportet quod necessariò Obedientia & Castitas veraciter seu meritoriè inveniantur. Probantur ista; quia Papa sic arguit in Decretali. *Cum de quibusdam.* Qui non renuntiant propriis, non sunt Religiosi: ergo propriis renuntiantes sunt Religiosi. Et omnis Religiosus est necessariò simul cum Paupertate ad alia duo Consilia veraciter obligatus &c.

OR-

I. ORDO & *numerus Articulorum & Conclusionum prædictorum.*

II. *Proprietas temporalium rerum statui seculari essentialiter est annexa.*

III. *Nullus sine peccato potest illud abjicere, quo retento potest convenienter vivere secundùm statum suum.*

IV. *Omnes peccant qui bona sua simpliciter in eleemosynam largiuntur propter Christum.*

V. *Abdicationem omnium propter Christum nullus facere potest extra veras Religiones manendo, sine peccato mortali, & dico veras Religiones per Sedem Apostolicam approbatas.*

VI. *Papa non potest dispensare cum secularibus ut omnibus in singulari careant.*

VII. *Si Papa posset alicui concedere hoc, tunc posset ei concedere propriæ vitæ subtractationem, quod est contra Præceptum Decalogi:* Non occides.

VIII. *Religiosus non potest sine peccato mortali abdicare voluntatem habendi communia, quando actu talia non habet.*

IX. *Quod aliquis sit voluntariè pauper propter Christum in seculo manens, omninò nihil habendo in singulari, nec etiam ipsam voluntatem habendi propria, includit omni* B *tempore contradictionem.*

X. *Nullus potest paupertatis Consilium meritoriè observare nisi fuerit in statu spiritualis perfectionis sive veræ Religionis, dico autem veram Religionem secundo modo dictam Religionem.*

XI. *Reputantes se benefacere assumendo paupertatem quæ est Salvatoris Consilium, remanendo in statu seculari, peccant mortaliter.*

XII. *Abdicare omnia etiam propter Christum, nisi veram & approbatam Religionem ingrediatur, est sibi & suis quorum cura sibi incumbit vitam subtrahere, quod est homicidium committere tot hominum quot ejus curæ subduntur.*

XIII. *Credentes se mereri vitam æternam tali abdicatione, credunt se posse mereri vitam æternam, mortaliter peccando.*

XIV. *Effundi omnes opes simul ab his qui volunt in seculo manere, reducitur quasi immediatè ad illud Præceptum.* Non occides.

XV. *Dicens omnia meritoriè esse abjicienda propter* C *Christum remanenti in seculo, est hæreticus judicandus.*

XVI. *Nullus potest meritoriè & secundùm Deum, Obedientiæ, Paupertatis & Castitatis Consilia extra veras & approbatas Religiones manendo adimplere.*

XVII. *Tria Salvatoris Consilia sunt sic concatenata, aut ubi paupertas meritoria, in quantum est Salvatoris Consilium invenitur, oportet ut necessariò alia duo scilicet castitas & Obedientia inveniantur, quia à Paupertate separari non possunt.*

XVIII. *Matronæ seu mulieres communem vitam ducentes in simul commorantes, Beguttæ vulgariter nuncupatæ, quoscunque errores non tenentes aut prædicantes, seu alias de erroribus vel hæretica pravitate non suspectæ, æternæ damnationis sunt filiæ, & earum status est prohibitus & damnatus.*

XIX. *Peccant qui propria sua resignant non intrantes Religionem approbatam. Ratio est secundùm eum, quia Religiosorum est carere proprio, sicut secularibus est necessarium retinere proprium.*

XX. *Non licet Presbyteris & Clericis communem vitam ducere nisi in Religione approbata sub pœna peccati mortalis.*

XXI. *Peccant omnes qui fovent consilio & auxilio, communem vitam ducentes extra Religionem approbatam.*

XXII. *Excommunicati sunt omnes communem vitam ducentes extra Religionem approbatam.*

XXIII. *Quòd similiter excommunicati sunt illi qui vitam communem extra Religionem approbatam ducentibus præbent eleemosynas. Et qui tales fovent consilio & auxilio vel defensione, similiter stant & sunt in statu perpetuæ damnationis; & nisi de hujusmodi excessibus eorum magna Contritione pœnituerint, ad vitam æternam non possunt pervenire neque salvi permanere.*

XXIV. *Omnes vitam communem ducentes extra Religionem approbatam sunt illi à quibus Salvator noster præcipit esse abstinendum, & tanquam à falsis Prophetis atten-* A *dendum.*

XXV. *Quilibet faciens contra Jura Canonica, peccat mortaliter.*

XXVI. *Nullus corpore validus absque communi utilitate & necessitate potest extra veras Religiones sine peccato eleemosynas Christi fidelium tollere &c.*

REVOCATIO
ET
ABJURATIO

Prædictorum Articulorum & Conclusionum.

EGo frater Matthæus Grabon Ordinis Fratrum Prædicatorum, Professus Conventus Vuysmariensis Merserburgensis Diœcesis Provinciæ Saxoniæ, cognoscens veram Catholicam & Apostolicam Sedem, anathematizo & abjuro omnem hæresim, omnemque falsam & erroneam doctrinam, in quodam meo Opusculo, Tractatulo seu Libello incipiente. *Suppono me primò quod non intendo infra scripta; neque quomodo libet alia, pertinaciter defendere* &c. & sic finiente *& aliam specificat Joannes: an.* cujus inventrices seu assumptrices conscientiam peccatum reputabant (ut invenitur in gloss. utriusque super dictum ca. Et per hæc patet responsio ad decimum) maximè ad decem & septem conclusiones perversas sive assertiones, quarum aliæ sunt hæreticæ, aliæ erroneæ, & aliæ scandalosæ, ac piarum aurium offensivæ, per me editas & manutentas in dicto perverso Opusculo sive Tractatulo aut Libello contentas, de qua hactenùs infamatus, convictus & sententialiter condemnatus sum. Consentio sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ Sedi; ac corde & ore puris profiteor eamdem Fidem & Doctrinam me tenere & credere quam sancta Mater Ecclesia tradidit & firmavit. Jurans per Sanctam Trinitatem, & per hæc Sacrosancta Christi Evangelia, eos qui contra hanc Fidem Orthodoxam veniunt cum dogmatibus suis æterno anathemate dignos esse. Promitto etiam quòd si ego ipse aliquando contra hæc aliquid sentire, docere aut prædicare præsumpsero, Canonum severitati me submitto. Præsenti abjurationi per me lectæ & perlectæ manu propria me subscripsi, hancque meam confessionem & abjurationem coram vestra Reverendissima Paternitate Domine Cardinalis Aquilegensis & Judex & Commissarie, Reverendisque Patribus Dominis Prælatis, Doctoribus & Magistris hìc præsen- D tibus ad hoc specialiter vocatis & requisitis, feci & approbavi ad futuram rei memoriam in testimonium præmissorum.

CONCLUSIONES QUÆDAM: RATIONE PROPOSITIONIS CUJUSDAM.

An Angeli, Beata Virgo & omnes Sancti & Sanctæ associent Corpus Christi in Sacramento Altaris.

De novo edita ex MS. Cod. Victorino 137.

HÆc asseruit quidam Magister in Artibus Rector Scholæ Aviciensis, vocatus Matthæus de Fussa.

Quæritur si hæc assertio sit vera & ad populum prædicanda. Corpus Christi associant in Sacramento Altaris omnes Angeli, Beata Virgo, & omnes Sancti & Sanctæ.

Respondetur sub aliquibus dictis. Talis assertio non est ad populum prædicanda, etiam ubi posset apud Scholasticos habere aliquem sensum verum; propterea debet per superiorem Prælatum talis Prædicator ut temerarius cohiberi. Talis assertio sub sensu quo habere potest, veritatem concludit à simili generalitate: omnes boves & asini associant Christum in Sacramento; immò & generaliter totus mundus, cœlum & terra, mare & omnia quæ in eis sunt. Talis assertio non est deducenda ad populum, similiter nec opposita, tanquam declarando vel elucidando; sic capiendo enim habet, vel non habet veritatem cujus populus non est capax, nec indè ædificationem sumeret sed scandalum. Propterea deberet prædicatio utriusque assertionis per Prælatum prohiberi; præsertim quòd non fiat curiosè.

Ratio prædictorum colligi per aliqua dicta potest.

Primum dictum. Constat, quòd apud Theologos eruditos debet aut potest talis assertio distingui; & hoc propter reverentiam Beati Gregorii & quorumdam aliorum Sanctorum, qui in hac materia locuti sunt; qui plus ad devotionem, quàm ad locutionis proprietatem attenderunt, ut quòd horâ Sacramenti cœlum aperitur &c.

Secundum. Constat apud Theologos quòd virtute Sacramenti est solum Corpus Christi sub speciebus panis, & solus Sanguis sub speciebus vini: Et secundùm hoc, nec anima Christi dicenda est hìc esse sacramentaliter virtute Sacramenti per se & directè; & ita nec Angeli, nec Beata Virgo sunt hìc præsentialiter virtute Sacramenti.

Tertium. Constat quòd idem Corpus Christi, quod est hìc sacramentaliter, est in cœlo corporaliter, & solùm in uno loco dimensivè seu commensurativè.

Quartum. Constat non obstante prædicta veritate, quòd Corpus Christi est ubique personaliter; hoc est dicere, quia personalitas & Persona Christi, scilicet Filius divinus est ubique; quæ Persona non est sine humanitate quam sustentat; licet sit alicubi ubi non est hæc humanitas localiter aut sacramentaliter.

Quintum. Constat quòd in quolibet Sacramento Corpus Christi est sacramentaliter; non tamen commensurativè seu dimensionaliter.

Sextum. Constat quòd idem Corpus Christi, quod est hìc sacramentaliter, associatur in cœlo ab omnibus Angelis & Sanctis; immò sicut Persona Filii est
A in toto mundo per essentiam, potentiam & præsentiam, ita associatur suo modo ab omni creatura mundi.

Septimum. Constat quòd dùm Christus confecit in cena & erat indutus, suæ vestes & aër circumstans, & Apostoli poterant per quamdam concomitantiam dici esse ubi erat Sacramentum, seu panis consecratus; & eadem ratione nunc in Sacramento dici potest pars cœli circumstans Christum per concomitantiam esse cum Christo, & ita generatim totum cœlum.

Constat ex omnibus prædictis quòd ista sunt difficillima ad intelligendum etiam apud Theologos; nec fortè prædicantes unam vel alteram partem satis intellexerunt ea quæ dicta sunt, propterea non sunt ad populum deducenda. Unde Parisiis quidam volens plus subtilizare quàm oportebat, ad populum prædicavit quod illud quòd videtur oculis corporalibus in manibus Sacerdotis, ideft illa albedo non erat Christus vel Corpus Christi; & licet haberet verum sensum sic exposuit, dùm evocatus est per Cancel-
B larium Parisiensem & Magistros Theologicæ Facultatis. Nihilominùs quia loquendum ut plures, & sentiendum ut pauci prohibitus est talibus & taliter prædicare: hic est enim sermo communis & Vulgatus; vidi Corpus Christi: partem tenet Corporis Christi, nec opus vulgaribus dare sensum quem non caperent aut quo scandalizarentur. Sufficit etiam quòd Fides Christianorum salvetur in Fide Ecclesiæ & Sanctorum Doctorum sicut de Oratione *fortè legendum* [Adoratione] imaginum cum multis similibus: undè volens unus alius prædicare prædictum, quòd scilicet videbatur verè Corpus Christi, is inventus est populum non minùs deduxisse in scandalum.

PRACTICA reparationis fuit talis qualis etiam in nostro casu potest esse suo modo: *Bonnes gens vous avez accoûtumé de dire que vous allez voir le Corps de*
C *Nôtre Seigneur & que le Prestre le tient en ses mains. Croyez qu'ainsi est en la doctrine & foy & entendement de Sainte Eglise & des Saints Docteurs, sans que vous doyez enquerir, ou qu'on vous puisse donner à entendre comme cela est.* Sic in casu nostro potest dici quod ubicumque Christus est, ipse est ille quem associant omnes Sancti. Non tamen oportet quòd omnes Sancti sint principaliter in qualibet parte Hostiæ vel in aëre circumstante propter causas dictas; & corpus Virginis gloriosum in diversis locis esset dimensivè vel dimitteret cœlum, quocumque esset juxta Sacramentum.

Simile est Argumentum de Angelis qui non numerantur de suprema Hierarchia, immò & de aliis qui non sunt simul in diversis locis secundùm Doctores; nec est dicendum quòd omnes dimitterent cœlum, nec quòd omnes sint in quolibet loco ubi est Sacramentum; & ita apud Theologos eruditos prædicta assertio de virtute sermonis & proprietate locutionis non est admittenda.

Denique sub doctrina generali monendi essent prædicaturi ad populum, ne vel ex ignorantia, vel ex arrogantia tales materias proponerent coram populo, vel tractarent.

D Respondetur breviùs ad prædictam considerationem per duas considerationes, quæ latiùs per alia dicta præmissa probantur. Licet Corpus Christi existens in Sacramento associent omnes Angeli, Beata Virgo & Sancti & Sanctæ; non tamen associant ipsum Corpus Christi omne, ut est in Sacramento. Prima pars patet sic arguendo. Hoc Corpus Christi est Christus in Sacramento: ergo hoc Corpus Chri-

sti

ſti exiſtens in Sacramento aſſociant. Secunda pars patet; quia multò major numerus Angelorum & Beata Virgo & Sancti & Sanctæ remanent in cœlo, & cùm non ſint in diverſis locis ſimul & ſemel; ipſi non ſunt localiter in quolibet Sacramento. Licet prædicta conſideratio ſit vera pro qualibet ſui parte; ipſa tamen non eſt ad populum prædicanda. Patet ſecunda pars; quia populus non eſt capax talis reſolutionis, immò potiùs intelligerent quia localiter beata Virgo ſit vel aſſiſtat in quolibet Euchariſtiæ Sacramento: aliquando tamen Angelos reverenter aſſiſtere dici poteſt.

F I N I S.

APPENDIX
AD
TOMUM I.
OPERUM
JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

CONTINENS

Varios Tractatus Dogmaticos PETRI de ALLIACO, *Cardinalis Cameracensis;*

Necnon JOANNIS BREVISCOXÆ, *Doctoris Theologi Parisiensis* Tractatum, *De Ecclesia, & Concilio Generali:*

Et quæ spectant ad negotium JOANNIS de VARENNIS.

SERIES

Eorum quæ in hac Appendice continentur.

MONI-


MONITUM

Circa ea quæ in Appendice

TOMI I.

OPERUM GERSONII

CONTINENTUR.



PERÆ PRETIUM nos facturos esse arbitrati sumus, si adcalcem dogmaticorum Operum Joannis Gersonii varios consimilis argumenti coætaneorum Scriptorum Tractatus, ferè omnes ineditos, ex Manuscriptis Codicibus non sine magno labore erutos, atque descriptos, adjiceremus. Inter eos porrò primum obtinent locum, ac magnas partes implent Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis Tractatus insignes nondum noti, quos habet Manuscriptus Codex optimæ notæ, qui in Bibliotheca Collegii Navarræ asservatur, in quo sequentia habentur opera, sequenti ordine.

Tractatus I. Petri de Alliaco, in illud: ATTENDITE A FALSIS PROPHETIS.
Alter Tractatus in idem.
Sermo ejusdem coram Papa, sic incipiens: Pater Sancte in nomine tuo serva eos quos dedisti mihi.
Alius Sermo coram Consistorio Apostolico, sub hoc textu: Veritatem meditabitur guttur meum.
Tractatus adversùs Cancellarium Parisiensem, quòd nihil liceat exigere pro gradibus Licentiæ; incipiens: Radix omnium malorum cupiditas.
Alius Tractatus de eodem, incipiens: Super omnia vincit veritas.
Tractatus utrùm essentia supposita unius naturæ, sit perfectio simpliciter simplex incommunicabilis creaturæ. Arguitur primò quòd non &c.
Ad eamdem quæstionem in Sorbona propositam Responsio.
Utrum libertas creaturæ rationalis ante & post lapsum sit æqualis.
Utrum creaturæ rationalis conscientia erronea aliquem ejus actum excusare possit à culpa.
Utrum ex dono exercens potestatem solus in hominibus justè dominetur.
Utrum indoctus in Jure divino possit justè præesse in Regno.

Hos omnes Tractatus luce dignos esse existimavimus. De sequentibus idem judicium tulimus quod habetur in ipso Manuscripto, in quo hæc sequens legitur observatio: SEQUENTIA JUVENIS SCRIPSIT, IDEò PARCITE SENES. Quapropter ab iis edendis supersedendum duximus. Illa autem Opera sunt sequentia.

Cammentarius in Librum Boëtii De Consolatione Philosophiæ.
Descriptio imaginariæ visionis de horto sacræ Scripturæ, quem fecit anno 1474.
Commentarius super Cantica.

Quæ cum meré Philosophica sint aut mystica, noluimus Rempublicam litterariam iis haud multùm proficuis onerari; sed prioribus adjecimus nonnulla opera jam edita: Recommendationem scilicet Scripturæ, nec non quæstiones duas de Ecclesia, ex Editione Francofordiensi anni 1490. quin & Propositiones *Joannis de Montesono*, quarum occasione Sermonem habuit coram Pontifice; ac Epistolam Universitatis Parisiensis eâ de re scriptam adjecimus, simulque Sacræ Facultatis Apologiam, cujus Autor *Alliacenus*.

Petri Alliaceni operibus subjunguntur duo Tractatus *Joannis Brevis-coxæ* Sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis Doctoris celeberrimi, qui posteà ad Ecclesiam Parisiensem, & demùm ad Episcopatum Gebennensem promotus est, quos tradidit in duobus curribus, ut vocant, quos legit circa Biblia, pro more tum usurpato, in quibus de Ecclesia: de Fidei principiis ac regulis: de Concilio generali: de Romano Pontifice: de Episcopis & Ministris Ecclesiæ, subtiliter ac solidè disputat. Hoc opus subministravit Codex Bibliothecæ Victorinæ 1083.


Ultimum in Appendice locum tenet Apologia *Joannis de Varennis*, seu Responsiones ad accusationum capita, quibus impetebatur, scriptæ anno 1396. in carcere Sancti Mauri. Cum hujus Joannis & errorum ejus mentio fiat in *Joannis Gersonii Tractatu de Probatione spirituum* Columna 41. Tom. 1. non debuit hîc omitti hocce instrumentum, quo, & quis fuerit ille, quæ tenuerit, ac passus sit, intelligitur. Natus ille est in Provincia Remensi, nutritus in Academia Parisiensi: Auditor Sacri Palatii & Papæ Capellanus factus est; à quo amplâ potestate prædicandi acceptâ, postquam Parisiis Legatione functus est, ad Ecclesiam Sancti Leti in monte se contulit, ibique magno fervore prædicavit, ac vitia Archiepiscopi Remensis & Clericorum acriter, & sanè imprudenter insectatus est. Hinc ab Archiepiscopo & Ballivo Vermendesii in eum inquisitum, ad Regem delatus, captus, & carceri mancipatus est in Monasterio sancti Mauri. Etsi verò in Archiepiscopum Remensem *Guidonem de Roya* vehementiùs excandescat, eumque tyrannidis ac variorum criminum accuset, non omninò id sine causa fecisse videtur. Vix enim credi potest, hominem qui tres subindè Episcopatus, Virdunensem, Dolensem & Carnotensem, ac tres postea Archiepiscopatus, Senonensem, Turonensem, & Remensem obtinuit, ab ambitionis & avaritiæ labe immuuem fuisse. Periit autem ille Archiepiscopus Genevæ, Anno 1409. in seditione populari quam hujus servus excitaverat, in qua jaculo confossus est. Fuit autem Benedicti partibus addictissimus ille Archiepiscopus; atque hinc fortè inter eum & *Joannem de Varennis* qui Benedicto cessionem consulebat ortæ rixæ. Sammarthani aiunt eum anno 1399. ad Remensem Ecclesiam promotum, sed ex ea quam damus Apologia, ante Annum 1396. eum Remensem Ecclesiam rexisse palam est.

PETRI

PETRI DE ALLIACO
Cardinalis Cameracensis,
DE
FALSIS PROPHETIS.
TRACTATUS I.

Nunc primùm prodit ex MS. Codice Navarrico.

Attendite à falsis Prophetis. Matth. VII.



Quia ad observantiam divinæ Legis tria sunt necessaria, scilicet concursus divini auxilii, conatus liberi arbitrii, & evitatio mali consortii: ideò postquàm Christus superiùs docuit, ad suæ Legis observantiam, primò, divinum auxilium humiliter esse implorandum: ibi, *Petite & accipietis*: secundò, liberum arbitrium viriliter esse excitandum: ibi, *Intrate per angustam portam*: nunc vero tertiò docet & ostendit malum consortium, & maximè hæreticorum, quod directè est suæ Legi contrarium, diligenter esse vitandum. Et primò ostendit falsos Prophetas, propter falsitatem suæ doctrinæ Legi Evangelicæ contrariæ, esse vitandos. Secundò, ostendit eos propter confessionem Fidei suæ, aut propter prophetiam, vel operationem miraculorum factam in Christi Jesu nomine, non esse ab eo missos vel approbatos. Ibi, *Non omnis qui dicit mihi Domine intrabit in regnum cœlorum.*

Prima pars habet tres particulas. In prima Christus præcipit cavere à falsis Prophetis, docens hoc esse utile populo Christiano. In secunda ostendit causam utilitatis, docens in quo consistit eorum deceptio: Ibi *qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces.* In tertia subdit artem seu doctrinam cavendæ deceptionis, docens quomodò potest haberi ipsius cognitio: ibi, *a fructibus eorum cognoscetis eos* &c. Quantùm ad primum dicit attendite. Glossa ibi: *Diligenter cavete à falsis Prophetis.* Glossa: *Qui in humilitate ambulant & falsa religione.*

Ubi primò notandum, secundùm Origenem, quòd Christus per latam portam & spatiosam viam, intelligebat viam errantium. Ideò, secundùm glossam, quæ sit illa lata via, apertiùs ostendit, dicens eam viam esse falsorum Prophetarum. Et quia dixit angustam portam, & arctam viam, scilicet Legem suam quæ ducit ad vitam, à paucis inveniri. Ideò ne fortè sui implicarentur corporibus falsorum Prophetarum, adjecit: *Attendite* &c.

Secundò notandum quòd, sicut dicit glossa, licèt hoc de omnibus qui aliud habitu & sermone, aliud opere ostendunt possit accipi; tamen specialiter de hæreticis, qui quadam pietatis veste tecti, venenato animo & intentione nocendi, rapaces sunt lupi, vel exteriùs, si copia datur persequendo, vel interiùs corrumpendo.

Tertiò notandum quòd hoc specialiter intelligitur de hæreticis seu falsis Doctoribus; quia secundùm Chrysostomum, super illud Matthæi, *Lex & Prophetæ usque ad Joannem.* Prophetæ dicuntur Doctores Ecclesiæ, qui interpretantur ea quæ de Christo ab antiquis fuerunt prophetata; non enim potest quis Prophetias interpretari, nisi per Spiritum Prophetiæ, & ideò falsi doctores, seu hæretici dicuntur falsi Prophetæ.

Quartò notandum quòd Chrysostomus tamen dicit super illud: *Attendite* &c, hoc non intelligi de hæ-
A reticis, sed de ypocritis, quod videtur contrarium prædictis. Sed hoc exponendum est, ut intelligitur, non de hæreticis patenter malis, sed de simulatoribus per ypocrisim apparentibus bonis: propter hoc quod sequitur *qui veniunt ad vos* &c. Ideò videtur hoc omninò intelligi de ypocritis, & sic exponam sequentia de ipsis generatim: licèt secundùm glossam de ypocritis hæreticis dictum sit specialiter, *Attendite à falsis* &c.

Exinde ad secundum ostendit causam utilitatis cavendi ab ejusmodi falsis Prophetis, quia docet in quo consistit eorum deceptio; dicit *veniunt ad vos* glossa, *ut decipiant in vestimentis ovium*: quia sicut dicit glossa in conspectu hominum similes sunt minis-
B tris justitiæ, dum jejunant, orant, & eleemosynas dant &c. Intrinsecùs autem sunt lupi rapaces. Ideò dicit glossa, *cavete ne vos dilanient blanditiis & simulationibus.*

Ubi primò notandum quòd sicut in speculabilibus, fallaciæ Sophistarum habent causam apparentiæ, & causam defectûs; sic fallaciæ seu deceptiones ypocritarum qui sunt Sophistæ in moribus. Et ideò primò Christus tangit causam apparentiæ, & simulatam humilitatem, & simplicitatem interiorem, in hoc quod dicit: *Qui veniunt ad vos in vestimentis* &c. Secundò tangit causam defectûs, scilicet celatam rapacitatem & crudelitatem interiorem, quia subdit *intrinsecùs autem* &c.

C Secundò notandum quòd per vestimenta ovium, uno modo ad litteram possumus intelligere specialiter ipsum vestitum corporalem, alio modo generaliùs, omnem simulatam sanctitatem exteriorem, sive sit in vestimentis, sive in verbis, sive in factis. Unde glossa Augustini, *vestimenta ovium, sunt blanda verba innocentium, cæteraque Religionis signa.*

Tertiò notandum quòd loquendo ad litteram de vestitu corporali, ypocritæ in vestiendo dupliciter simulant, scilicet se oves Christi, ostendendo humilitatem & religionem per habitum exteriorem, & distinguendo se ab aliis hominibus, per habitus vilitatem, se-

cundò per habitûs austeritatem. De primo modo simulationis super illud Matth. VI. *Exterminant facies suas.* Dicit glossa de ypocritis loquens: quòd sicut ex nitore vestium jactantia est, ita ex nimio squallore, & ex nimia vilitate, & ideò habet glossa. *Exterminant facies suas*, id est *extra terminos humanæ conditionis abducunt*, scilicet per habitûs vilitatem, ut aliis dissimiles videantur, & ut ex ipsa vilitate ultra homines prædicentur. Et ista falsa humilitas magis inflat, quàm aperta superbia. Unde Augustinus ad Paulinum Episcopum. *Fit miris modis in anima hominis, ut ex falsa humilitate magis infletur, quam si apertiùs superbiret.* Ep.ª olim 59. nunc 149. n. 28.

De secundo simulationis modo super illud Matth. XXIII. *Magnificant fimbrias suas*, dicit glossa, „ quia „ Scribæ & Pharisæi ypocritæ, qui per simulationem, „ humilitatis & Religionis decipiebant populum, in „ palliis suis quadratis & fimbriatis faciebant fimbrias „ aliis longiores: nam etiam alii Judæi fimbrias gesta- „ bant, secundùm doctrinam Moysis. *Num.* XVI. „ Hoc autem faciebant ypocritæ, ad distingendum se ab aliis Judæis, & in illis fimbriis ligabant acutissimas spinas, ut eundo vel sedendo interdùm pungerentur, quia sic commoniti ut retraherentur ad officia Dei. Hos autem reprehendit Christus: unde & consimiliter reprehensibiles videntur illi ypocritæ, qui gestant viles vestes & asperas exterius in aperto, & qui denique molles & delicatas interiùs in operto. nam Christus & Discipuli non legitur viliorem, vel austeriorem habitum gestasse exteriùs, quàm alii inter quos vivebant.

Quartò notandum quòd ex hac doctrina, exemplo Christi, sumitur morale documentum & regula generalis; quia vilitas vel austeritas habitûs corporis, & æqualiter quilibet harum rerum temporalium usus restrictior, tunc laudabilis est, qui nec publicos mores illorum inter quos vivendum est, nec personæ modum excedit; alioquin vituperabilis est, quia magis sapit arrogantiam & ypocrisim, & magis vanam gloriam, quàm veram humilitatem ostendit: Unde hanc regulam ponit Augustinus: tertiò *De doctrina Christiana.* dicens: *quisquis rebus præsentibus restrictiùs utitur, quam se habent mores eorum cum quibus vivit, aut intemperans, aut superstitiosus est.* Similiter dicit in Libro *De Virginitate ad Eustochium. Nec affectatæ sordes, nec exquisitæ munditiæ conveniunt Christianis.* Et primò, contra illos qui in vestibus aut aliis eorum temporalium usibus superstitiosas restrictiones, sive novas singulariter inducunt, pulchrè scribit Seneca ad Lucium: Epistola sexta: dicens; *Illud te moneo, ne illorum more qui non proficere, sed conspici cupiunt, facias aliqua quæ in habitu tuo, aut genere vitæ notabilia sint, asperum cultum, & intonsum caput, & negligentiorem barbam, & indictum argento odium, & cubile humi positum, & quidquid ambitionem perversa via sequitur, evita.* Et infra: *Non splendeat toga, nec sordeat quidem.* Et sequitur: *Idem agamus, ut meliorem vitam sequamur quàm vulgus, non ut contrariam.* Et infra: *Propositum* inquit *nostrum est, secundùm naturam vivere. Hoc autem contra naturam est, faciles odisse mundicias, & squallorem appetere.* Unde tandem concludit Seneca. *Potest ergo non incomposita esse frugalitas; hic mihi modus placet. Temperetur: vita inter bonos mores & publicos*, & posteà in persona ypocritarum quærit. *Quid ergo, eadem faciemus quæ cæteri vel inter nos & illos.?* Et Respondet. *Intererit*, inquit, *plurimùm dissimiles nos esse vulgus sciat.* Si inspexerit propiùs qui domum intravit, nos potiùs miretur, quàm supellectilem nostram. *Magnus ille est qui fictilibus utitur, quemadmodùm argento: nec ille minor est, qui sic argento utitur ut fictilibus. Infirmi animi est, non posse pati divitias.* Patet ergo tàm secundùm Christianam doctrinam, quàm secundùm gentilem Philosophiam quis frugalitatis modus servandus sit, in vestitu, seu alio cultu exteriori.

Sed contra hæc occurrunt dubia, nùm primò hiis videntur esse contraria quorundam Sanctorum exempla: quia de beato Joanne Baptista legitur, quòd habebat vestimenta de pilis camelorum *Matthæi tertio*, & de antiquis Sanctis dicitur; ad Hæbreos. 11. *Circuierunt in melotis in pellibus caprinis*: & quòd de ornatu bonarum mulierum 1. *Petr.* III. quarum non sit exte-
A riùs capillatura: ubi ait glossa sicut dicit Cyprianus *Serico & purpura indutæ, Christum induere sinceriter non possunt: auro & margaritis, & monilibus adornatæ, ornamenta cordis & pectoris perdiderunt.* ergo videtur quòd vilitas & asperitas vestium, simpliciter loquendo, sit laudabilis, & cultus seu ornatus sit vituperabilis; ad hoc videtur; *quia tàm vilitas vestium, quam ornatus privatis moribus propriè & modulo, vel statu personæ laudabiles sunt, alioquin sunt vituperabiles.*

Ad objecta verò dicitur: quia Joannes Baptista non excedebat mores publicos aliorum, cùm non haberet publicam hominum conversationem, sed privatam, quia habitabat in deserto solus, vel cum paucis, & sibi similibus, tanquam Eremita, similiter alii Sancti qui circuibant multa loca: ut ibi dicit glossa, *non excedebant mores publicos, nec suæ personæ modulum, cum non haberent publicam conversationem, sed solitariam in desertis.* Unde sequitur
B idem *In solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, in cavernis &c.* Et Monachus portans vilem habitum, juxta traditiones suæ Regulæ, non dicitur excedere publicos mores, nec modulum personæ, cum non habeat, vel saltem habere non debeat mores publicos, sed proprios & privatos, nec publicam conversationem hominum, sed à populo separatam, sicut patet 16ª. quæstione 1ª. *Placuit.*

Ad dictum verò Cypriani respondendum est quòd loquitur de illis mulieribus quæ excedunt mores propriè, vel modulum personæ; alioquin earum ornatus non est vituperabilis, sed laudabilis, Unde 41. d. c. parsimoniam: dicitur ornatum præter corporis diligentiam infucatum idest tinctum, non tamen ad corporis venustatem, sed propter morem servandum: laudamus. Et hoc notatur. 21. q. 10. in summa quæstionis & hæc etiam est Doctrina Augustini in Epistola ad Possidonium Sacerdotem: ubi ornamenta auri vel vestis approbat in conjugatis. Et primò ornatus non
C solùm in mulieribus, sed in viris Ecclesiasticis, & perfectis non est reprobandus, sed approbandus, servatis moribus propriè, & modulo personæ. Quod etiam patet exemplo beati Bartholomæi Apostoli, Prædicatoris paupertatis & humilitatis Christi: de quo in ejus vita legitur, quòd vestiebatur collobio albo, clavata purpura, id est pallio albo, habente per singulos angulos gemmas purpureas, & hoc scilicet ut servaret mores Indiæ in quâ patriâ prædicabat &c. Unde juxta hoc 2ª. dubitatur utrùm liceat Religiosis vilioribus vestibus uti quàm ceteris, & videtur quòd non, quia dicit Apostolus primo Thessalonicensium ultimo: *Ab omni specie mala abstinete vos*, sed vilitas vestium habet speciem mali. Tùm primò, quia dicit Christus: *Attendite à falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium &c.*

Tùm secundò, quia supra illud Apocalypseos V. *Ecce equus pallidus &c.* Dicit glossa: *Videns diabolus, nec per apertas tribulationes, nec per apertas hæreses, se posse proficere, præmittit falsos fratres, qui sub habitu Re-
D ligionis obtinent naturam nigri & rufi equi equi, pervertendo Fidem.*

Tùm tertiò, quia super illo verbo Mathæi sexto: *Nolite fieri sicut ypocritæ tristes.* &c. Dicit Augustinus in Libro *De sermone Domini in monte. In ipsis sordibus luctuosis esse posse jactantiam, & eo periculosiorem, quo sub nomine servitutis Dei decipit generaliter.* &c.

Oppositum tenet observatio Ecclesiæ, unde causa XXI. q. 4.

xxi. q. 44. *Si inventi fuerint deridentes eos qui vilibus & religiosis vestibus amicti sunt, corrigantur.* Hic primò dicendum est, quòd sicut docet Augustinus tertio Libro, *De Doctrina Christiana. In omnibus exterioribus rebus, non usus rerum sed libido utentis in culpa est.* Ad quam discutiendam attendendum est; quia habitus vilis potest dupliciter considerari: uno modo, prout procedit ex avaritia, vel negligentia, vel ypocrisi, seu inani gloria & pertinet ad vitium. Alio: prout procedit ex rationabili causa, & pertinet ad virtutem: potest autem multiplex esse causa rationabilis habitus vilis. Prima scilicet, propter justitiæ designationem; quia homines in tristitia existentes, solent vilioribus vestibus uti, & cultioribus tempore gaudii; unde pœnitentes vilibus induuntur. Ut patet Jonæ. III. *de Rege* qui indutus est sacco, 3. Reg. XXI. *De Achab* qui operuit cilicio carnem suam.

Secunda, propter mundanæ gloriæ detestationem: quia sicut divus Hyeronimus ad Rusticum Monachum: *Sordes vestium, candidæ mentis indicia sunt, vilis tunica contemptum sæculi probat.* Ita duntaxat, ne animus tumeat, ne habitus sermoque dissentiant.

Tertia, propter spiritus sui humiliationem, quia sicut ex splendore vestium animus elevatur, sic ex earum vilitate humiliatur, unde de Achaz qui carnam suam cilicio indicit, dicit Dominus ad Helyam, *Nonne vidisti Achas humiliatum coram me.* 3 Reg. XXI.

Quarta, propter aliorum exemplum & instructionem: quia super illud Matthæi tertio, *habebat vestimenta de pilis camelorum.* dicit glossa: *Qui pœnitentiam prædicat, habitum pœnitentiæ prætendit.*

Secundò dicendum est quòd propter prædictas causas habitus vilis competit Religiosis. Unde de tribus primis satis patet; quia Religio est status tristitiæ, & pœnitentiæ, contemptus mundanæ gloriæ, & humiliationis seu abjectionis propriæ. De quarta verò causa etiam patet; quia status Religionis est status eruditionis alienæ: quia debent Religiosi alios erudire, saltem exemplo suæ bonæ operationis: licèt regulariter non debeant erudire verbo publicæ prædicationis; sicut patet 16.° quæstione 1.ª, juxta ubi dicit Alexander secundus: *Monachos à populorum prædicatione omnimodò cessare censuimus* &c. nam ut ait Hieronymus ad Desiderium, *Monachus non Doctoris, sed plangentis habet officium.*

Tertiò dicendum est ad Articulum ante oppositum, quòd vilitas vestium de se non habet speciem mali; sed potiùs speciem boni, scilicet contemptus mundanæ gloriæ: & primo mali, sicut falsi prophetæ de quibus loquitur Christus, & falsi fratres de quibus loquitur glossa: *Gloriosus Apostolus: sub vilitate vestium suam malitiam occultant*: nec propter hoc sequitur quòd vilitas vestium non conveniat Religiosis: quia, sicut dicit Augustinus in Libro De Sermone Domini in monte, *Non ideo debent odisse vestitum suum quia plerumque illo se occultant lupi.*

Nec authoritas Augustini ex eodem Libro allegata probat quòd sordes vestium de se habeant speciem mali, sed magis de se habent occasionem humiliandi quàm superbiendi, ideò quoniam ex eis superbia vel jactantia provenit illa pejor, & periculosior existit.

Docet autem in eodem Libro Augustinus, quomodò percipitur utrum quis talibus sordibus benè aut malè utatur: dicens quòd *qui in professione Christianitatis inusitato squallore ac sordibus intentos in se oculos hominum facit, cùm id voluntate faciat, non necessitate patiatur: ex ceteris ejus operibus potest cognosci utrum hoc contemptu superflui cultus, vel ambitione faciat.* Hoc autem maximè videntur Religiosi non ex ambitione facere, qui habitum vilem habent, in signum suæ professionis dùm tamen ex hoc quod induuntur vilibus indumentis, non despiciant aut judicent eos qui pretiosis vestibus induuntur: sicut docet Sanctus Franciscus, in Regula sua, Capite secundo: quia talem debet quisque habitum gestare, qualis convenit ejus professioni, vel statui, & secundùm professionem diversorum generum, debent esse diversi modi vestium & ornamentorum; sicut dicit glossa supra illud Deuteronomii vigesimo secundo: *Non indues te vestimento lino lanaque contexto.* Ideò illi qui secularem, seu publicam vitam ducunt, debent gestare habitum, secundum publicos mores: & qui oppositum docent vel faciunt, sunt cavendi tanquam *falsi prophetæ, qui veniunt in vestimentis ovium*, Et sic patet expositio hujus particulæ.

A

Sequitur secunda particula. *Intrinsecùs autem sunt lupi rapaces.*

Primò enim ostendit Christus quales sunt ypocritæ exteriùs, hic verò ostendit quales sunt interiùs. Nam exteriùs simulant simplicitatem ovinam, ut dictum est; sed interiùs habent rapacitatem lupinam. Ratione primæ, habent causam apparentiæ; sed ratione secundæ habent causam defectus. Unde tales multis modis simulant se esse oves Christi exteriùs. Primò apparent & creduntur boni; tamen sunt rapaces lupi interiùs: & quia eorum rapacitas non potest ita occultari, quin appareat exteriùs. Primò cognoscuntur esse lupi, & evitantur ab ovibus sicut mali & periculosi.

Unde, quia Christus eos voluit comparare lupis, ut rationem similitudinis, propter reverentiam tanti Autoris, ostendamus; sciendum est quòd hujusmodi ypocritæ, de quibus loquimur, in sex conditionibus lupis aptissimè comparantur.

B

Primò, exteriùs persequendo.
Secundò, interiùs corrumpendo.
Tertiò, rapaciùs devorando.
Quartò, subtiliùs latitando.
Quintò, cautiùs circuiendo.
Sextò, dulciùs ingrediendo.

Harum autem sex conditionum duas primas ponit glossa dicens: *quia hi quadam pietatis veste tecti, rapaces sunt lupi; vel exteriùs, si copia datur persequendo, vel interiùs corrumpendo.* Alia verò ex aliis Scripturarum locis colliguntur.

Primò ergo hujusmodi falsi prophetæ similes sunt lupis, exteriùs persequendo: quia sicut *natura lupi, ovis naturæ à tota specie adversatur*, ut dicit Author *De proprietatibus rerum.* Libro XVIII. sic isti ovibus Christi, idest simplicibus fidelibus, & maximè illis qui contrariantur eorum doctrina vel moribus. Unde eis resistentes vel eos reprehendentes odiunt & diffamant, & qualitercumque possunt ipsos persequuntur, etiam eos opprimendo per suorum fautorum potentiam. Et sicut lupi congregantur ad persequendam prædam: ita isti sæpè ad deffendendam suam malitiam invicem se conjungunt. Exemplo Pharisæorum istorum, de quibus dicitur Matthæi capite vigesimo secundo, qui ipsum *audientes quia silentium imposuisset* Jesus Saducæis, *convenerunt in unum*, & *ut convincerent multitudine, quod non poterant ratione*, ut dicit glossa. Unde etiam ibidem dicit Chrysostomus: *A veritate se esse nudos professi sunt, qui se multitudine armaverunt.* Et primò tales à suo errore incorrigibiles sunt, quia super illud Job, *tenentes se nequaquam separabuntur*, dicit Gregorius XXIII. Moral. *Perversos unitas roborat, dùm eos concordat; & tantò incorrigibiles, quantò unamines facit.*

C

Non sic autem faciunt veri Prophetæ; nec veræ oves Christi: sed exemplo ejus, non per potentiam, vel multitudinem; sed per humilitatem & Scripturæ authoritatem se deffendunt. Sic enim docuit Christus, qui cùm tentaretur à diabolo Matthæi v. *Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant*: non potestate, sed authoritate Scripturæ se deffendit. Dicens: *non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Sicut scriptum est Deuteronomii VIII. 3. Unde

D

de dicit ibi glossa quòd *instruit nos ut vincamus, non potentia sed humilitate.*

Secundò, hujusmodi falsi prophetæ similes sunt lupis, interiùs corrumpendo: quia lupi, secundùm Autorem prædictum, licèt habeant exteriora fortia, tamen interiora eorum debilia sunt, & læsa citò putrescunt: unde ex corruptione suorum interiorum procedit quòd morsus eorum, secundùm Aristotelem, virus emittit, sicut morsus rabiosi canis: hæc est etiam causa, quare anhelitus eorum & aspectus hominem inficit. Hinc est quòd, sicut dicit Ysidorus. *Rustici dicunt hominem vocem perdere si eum lupus viderit prior: & ideò subitò tacente, dicitur lupus est in fabula.* Hinc est etiam quòd lanam ovis ab ipso detentæ sic suo morsu inficit, quòd tunicas ex lana hujusmodi factas pediculosas reddit. Sic etiam hominum seductores ypocritæ; licèt habeant exteriora fortia per apparentiam; tamen interiora eorum sunt læsa, debilia, & corrupta. Unde supra illud Matthæi XXIII. *qui mundatis quod deforis est.* Dicit Chrisostomus, quia *si quis interiorem eorum conscientiam scinderet, multos vermes & multam saniem inveniret.* Et primò os eorum sicut os lupi virus emittit & oves inficit, ac interiùs corrumpit, monstrando falsam doctrinam aut dolosam. Nam quandoque simplicibus doctrinam falsam & sacræ Scripturæ contrariam, ut populo placeant, monstrant; quandoque verò doctrinam sacræ Scripturæ impertinentem, idest nec contrariam, nec repugnantem, sed tamen falsam ad laudem, vel utilitatem eorum pertinentem. Ezech. III. *Fili hominis vade ad domum Jerusalem & loquere verba mea ad eos.* Glossa dicit: non verba tua idest falsa aut ficta, sed mea, idest vera & in Scriptura contenta. Unde glossa, *qui in expositione sacri Eloquii, ut auditoribus placeat, aliquid fingit. Verba sua loquitur non Dei.* Quandoque verò docent veram sacræ Scripturæ doctrinam, quia dolosè tacent aliam veritatem docendam, vel quia eam quam docent, ad fallendum & seducendum, idest secum ducendum, simplices docent & prædicant. Et primò dolosam doctrinam habent, quia veritatem docent sine veritate, idest non veraci animo, nec veritatis amore, nec pro auditoris utilitate; sed magis pro eorum seductione: unde contra tales pseudo prophetas & Doctores loquitur Apostolus: sicut dicit glossa super illud I Thess. II. *Exhortatio nostra non fuit de errore, neque in dolo.* Glossa: *id est in fraude & astutia ypocrisis* & addit veritas, *etiam quamquam in dolo est*, quicumque scilicet non amore, veritate & utilitate auditoris prædicatur. Sed ut gloria, aut lucrum inde acquiratur.

Tertiò, prædicti pseudoprophetæ sunt lupis similes rapaciùs devorando; nam sicut dicit Ysidorus: *lupus rapax est bestia quæ rabie rapacitatis quidquid invenerit concidit, & post longa jejunia multum devorat*: unde, sicut docet experientia, non est contentus præda quæ ad satietatem sufficiat; sed adeò vorax est, quòd totum gregem si potest strangulat. Sic etiam isti, licèt sustineant longa jejunia & magnam paupertatem, ferunt patienter, saltem per apparentiam exteriorem, tamen non quærunt nisi devorare bona simplicium. Unde super illud primæ Thimot. VI. *Existimantium quæstum pietatem.* Dicit glossa: *qui primò opus pietatis faciunt, ut lucrum temporale acquirant* & tales plerumque, more luporum non sunt contenti satietate, idest vitæ necessitate, sed importuna rapacitate, & voraci cupiditate petunt & recipiunt à simplicibus multa quæ sunt ad voluptatem & superfluitatem, contra documentum Apostoli dicentis *habentes alimenta, & quibus tegamur, hiis contenti sumus.* Econtra verò de pseudoapostolis dicitur in Evangelio *devorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis.* Et ideò devoratores hujusmodi qui sic prædam faciunt de bonis simplicium, hac de causa in Scripturis divinio *lupi meritò appellantur*: unde super illud Actuum XX. *Argentum & aurum vel vestes nullius concupivi*: dicit glossa: *Per hoc cognoscuntur lupi, id est pseudoapostoli, quia talia concupiscunt*, & infra, super illud: *ad ea quæ mihi erant necessaria, & hiis qui mecum sunt ministraverunt manus istæ.* dicit glossa: quòd *hic datur exemplum operandi, etiam Episcopis, & signum quo discernuntur à lupis, idest pseudoapostolis.*

A Quartò, isti sunt lupis similes subtiliùs latitando. Nam sicut dicit Author de proprietatibus rerum. Lupus qui prædam non invenit, ut capras volentes folia carpere sub rubetis faciliùs rapiat, sub herbis & foliis jactitans se abscondit, & plus astutiâ quàm potentiâ eas decipit. Sic etiam hujusmodi pseudoprophetæ, subtilitate & astutia, magis quàm potentia, vel patenti violentia, plerumque subtiliter latitando, oves & capreolas Christi decipiunt, & devorant, quia scilicet, sub herbis, & foliis divinæ Scripturæ se subtiliter, occultant. Nam ad suadendum, saltem apparenter & superficialiter quid quid volunt aut faciunt, authoritates sacræ Scripturæ inducunt. Unde supra illud Job. VIII. Sicut tela *aranearum fiducia ejus*: dicit Gregorius Lib. VIII. Moral. *Plerique ypocritæ sacræ Legis eruditione fulciuntur, doctrinæ verba proferunt, omne quod sentiunt Scripturæ testimoniis attingunt; non tamen per hoc vitam audientium, sed proprios favores quærunt*, Et super illud Matt. XXIV. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi ypocritæ, qui comeditis domos viduarum, orantes longas orationes*, dicit Chrysostomus, *qui avaritiam vestram Religionis colore depingitis, quasi diabolo arma Christi præstatis ut ametur iniquitas, dum pietas æstimatur.* Et ibidem dicit glossa: *qui vestra superstitione nihil aliud quæritis, nisi ut prædam de plebibus faciatis*: & ideò ut caveatur à talibus, magis aspiciendum est ad opera, quàm ad verba, & ad virtutis operationem, quàm ad orationes vocum: quia ut dicit Seneca *Epistola* XXVI. *Litterata colloquia & ex præceptis sapientiam verba collecta, & eruditus sermo, non ostendunt verum esse robur. Est enim oratio, etiam timidissimi audax.* Ideò dicit Apostolus primæ Chorinthiorum IV. *Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute.*

Quartò, isti similes sunt lupis cautiùs circuiendo: nam quia lupus est animal rapax, habet multa loca circuire pro quærenda præda, & ne percipiatur cautè incedit, quia ut dicit Author *De proprietatibus rerum: Ne canes ejus odorem sentiant, vadit contra ventum; & si aliquo casu pes ejus, calcando super aliquid, strepitum fecerit, pedem ipsum morsu castigat.* Sic isti pseudoprophetæ, ut eorum rapacitas impleatur, & ne eorum percipiatur malignitas, ac etiam ne odor suus id est fetor vitæ suæ, à canibus, idest

C ab eis qui custodiunt gregem Christi olfactu discretionis cognoscatur & discernatur, & diversa loca cautè circuiunt & discurrunt & sunt girovagi de loco ad locum, & de domo in domum, & maximè frequentant domos muliercularum, aut virorum effeminatorum. Unde de talibus loquitur Apostolus II. ad Thimotheum III. *Ex his*, inquit, *sunt qui penetrant domos* &c. quod verbum exponit glossa dupliciter, uno modo de domo spirituali, idest de domo conscientiæ: *penetrant domos*, id est rimantur proprietates cujusque, & quos idoneos inveniunt ducunt captivos: unde subdit, *& captivas ducunt mulierculas*, glossa, idest *viros seductiles quasi mulieres seducunt* scilicet viros effeminatos & inconstantes Alio modo

D exponit glossa ad litteram de domo materiali, scilicet quia ingrediuntur domos mulierum, & *captivas ducunt mulierculas*: glossa: *idest subdolis & versutis verbis eas priùs seducunt; & deinde per eas viros earum, sicut diabolus priùs seduxit Evam, & per Evam Adam*, & sequitur *oneratas peccatis.* Et ideò sicut dicit glossa *digna sunt seduci; quia propter peccata sua meruerunt seduci*: unde sequitur, *quia seducuntur variis desideriis*, scilicet *quia semper nova desiderant*, ut dicit glossa: & de talibus seductoribus & mulieribus per eas seductis, videtur prophetasse sancta Hildegardis in quadam Epistola sic dicens, *Seductores au-*

autem isti in incœptione seductionis suæ mulieribus dicent: quoniam rectos Doctores non habetis nonobedite, sed quæcumque vobis dicimus & præcipimus facite, & salvæ eritis: & hoc modo feminas sibi attrahunt, & eas in errorem suum ducunt. Et infra sequitur *qui tamen postea eisdem feminis, secretâ, luxuriâ commiscebuntur.* Mulieres autem viduæ maximè a talibus seducuntur, & causam ponit Chrysostomus super illo verbo Matthæi XXIV. *qui comeditis domos viduarum* &c. Unde dicit quia *viduæ de facili decipiuntur, non habentes consiliarium virum & facile de rebus suis talibus præstant : cum sint nullius potestati subjectæ.* Et ideò Hieronymus ad Eustochium scribens in Libro *De Virginitate.* Ita dicit: *Viros fuge quibus feminei*, contra Apostolum, *crines, hyrcorum barba, nigrum pallium & nudi pedes..... in patientia frigoris. . . .* volens per istos intelligere eos qui per ypocrisim habent vestitum ovium, & exteriorem cultum ab aliis differentem. Et sequitur: *hæc omnia*, inquit, *argumenta sunt diaboli.* Talem olim *Autimum, talem nuper Sophronium Roma congemuit, postquam nobilium introierunt domos, & deceperunt mulierculas oneratas peccatis.* Et sequitur: *tristitiam simulant & quasi longa jejunia furtivis noctium cibis protrahunt.* Tales ergo non sunt in domum sive spiritualem, idest, secretum conscientiæ suæ; sive etiam materialem admittendi: juxta illud Ecclesiastici XI. *Non omnem hominem inducas in domum tuam; multæ enim sunt insidiæ dolosæ.* Ubi dicit glossa: *cautum & providum docet esse contra ignotum : ne simulationi eorum acquiescas, qui veniunt in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces.*

Sextò, isti sunt similes lupis, dulciùs ingrediendo, & suaviùs blandiendo; quia lupus suaviter, blandè ac dulciter plerumque incedit: & prout recitat Author *De proprietatis rerum* Aristoteles, dicit quòd in India est quidam lupus habens faciem hominis, pedem leonis, & caudam scorpionis. Sic etiam isti pseudoprophetæ sunt in principio & in primo ingressu dulces, suaves & benigni; sed in fine & egressu, sunt amari & venenosi; & communiter habent in facie benignitatem hominis, sed in pede rapacitatem leonis, & in cauda venenum scorpionis. Unde de talibus tanquam de præcursoribus antichristi prophetavit Joannes, Apocalypsis IX. dicens: *data est eis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ.* Ubi dicit glossa: *scorpio blandus est facie, sed cauda pungit occultè :* & ideò tales in principio à fidelibus lætanter recipiuntur; sed tandem, detectâ eorum malitiâ, per eorum perversa opera, tanquam perversi, saltem à sapientibus, respuuntur: & hoc prophetavit Apostolus, quando loquens de penetrantibus domos 2. Timoth. III. statim subdidit *sed ultra non perficient*, scilicet *seducendo* ut dicit glossa: & causam subdit Apostolus. *Insipientia enim eorum omnibus manifesta erit*, quæ tamen mundo putatur sapientia ut dicit glossa: & sicut hoc impletum fuit in primitiva Ecclesia; sic hoc implebitur in futurum, per Apostolicam doctrinam & Catholicam Ecclesiam, & hoc prophetavit prædicta Hyldegardis, dicens quòd *in principio de conversatione istorum populus gaudebit, quoniam justi videbuntur, sed postea*, ut ipsa ait, *iniquitas & secta eorum denudabitur.* Et hæc de secunda particula.

Sequitur tertia particula: *à fructibus* &c. In qua ostendit artem seu doctrinam, per quam potest haberi falsorum prophetarum & ypocritarum cognitio: & primò docet hominum artem. Secundò eam declarat per similitudinem ibi; *nunquid colligunt* &c. Tertiò, ex hac similitudine concludit ypocritarum damnationem. Ibi, *omnis quæstio* &c.

Primò, notandum quòd per fructus ypocritarum intelligitur opera eorum, non occulta quidem, quia de occultis non judicamus; sed manifesta. Unde & *supra* illud *à fructibus eorum.* &c. dicit glossa, *idest non à veste, sed ab operibus*, quod de manifestis accipitur.

Secundo, notandum quòd ypocritæ non ex quibuscumque eorum operibus cognoscuntur; sed ex eorum operibus malis: unde non omnia eorum opera sunt eorum fructus: habent enim ypocritæ duo genera operum, scilicet quædam opera mala, & de genere malorum in voluntate, sed non in ostensione, scilicet voluptatis, cupiditatis & ambitionis: & alia hujusmodi, quæ totis viribus nituntur occultare, sicut dictum est supra: & habent quædam alia opera simulata de genere bonorum in ostensione, sed non in voluntate, scilicet jejunia, & orationes, & hujusmodi opera pietatis, quibus simulant sanctitatem. nam, sicut dicit Augustinus, *jejunia & orationes sunt simulatis sicut & bonis.* Prima ergo opera, scilicet mala, sunt fructus ypocritarum, scilicet fructus mali, à quibus cognoscuntur, sed non opera bona: quia licèt quandoque hujusmodi eorum opera bona quibusdam proficiant per exemplum, propter speciem sanctitatis; non tamen sunt eorum fructus, quia *non potest arbor mala*, id est mens mala, *fructus bonos facere.* Unde dicit glossa de ypocritis: *In conspectu hominum similes sunt ministris justitiæ, dum jejunant, orant & eleemosynas dant, sed non sunt eorum fructus; quia eis pro vitio reputantur.*

Tertiò, notandum quòd licèt hujusmodi opera bona quæ simulant ypocritæ, non sint eorum fructus; tamen sunt fructus divinæ bonitatis, cujus consilio & providentia fit, ut licèt noceant ypocritis; tamen proficiant aliis, & hoc declarat Christus per similitudinem, dicens. *Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus.* Ubi dicit glossa: *non de spinis vel tribulis uva vel ficus colligitur; quia mens hominis adhuc veteris hominis consuetudine pressa, potest simulare sed non ferre fructus novi hominis.* Quod si quandoque dicta vel facta malorum prosint aliis, non hoc faciunt ipsi mali, sed de ipsis fit consilio Dei: quia non eorum fructus est, sed vitis quæ aliquando exuberat super spinas. Sed carpendus est botrus, sed spina cavenda.

Quartò, notandum est super eodem verbo quòd, sicut dicit glossa: vitis est Christus, cujus palmites, idest boni & electi ejus discipuli ferunt uvas, id est opera spiritûs quæ inebriant mentem: Juxta illud. *Ego sum vitis vera & vos palmites.* &c.

Spina verò & tribuli, sicut dicit alia glossa, sunt hæretici, vel curæ hujus sæculi & punctiones vitiorum. Tamen generaliter possunt intelligi omnes ypocritæ: unde de omnibus istis potest spiritualiter accipi illud quod dictum est Adæ *Terra*, id est Ecclesia *spinas & tribulos germinabit tibi.* Hæc autem terra in primitiva Ecclesia uvas & ficus germinavit: & tunc impletum est quod scribitur in canticis. *Vox turturis*, idest doctrina Christi & Evangelii *audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos, vineæ florentes odorem dederunt.* Sed paulatim in Ecclesia exurgunt spinæ & tribuli, id est ypocritæ & hæretici, qui non ferunt uvas aut ficus, id est opera spiritûs, quia sicut dicit glossa interlineais, *etsi supra spinas pendeant uvæ, non tamen de eis colliguntur; quia spinæ non sunt vites*: & ideò super spinis possum colligi uvæ, id est operationes bonæ, licèt non de spinis; & isto modo colligere docuit Christus dicens de Pharisæis & ypocritis *quæ dicunt facite, quæ faciunt, nolite facere.*

Quintò, notandum supra illud: *sic omnis arbor* &c. quia, licet per similitudinem, arbor intelligitur humana voluntas. Unde dicit glossa: *Arbor bona, idest voluntas bona; arbor mala, voluntas mala. Fructus*, inquit, *malæ arboris, sunt opera carnis, scilicet fornicatio, luxuria, immunditia &c. Fructus vero bonæ arboris, opera spiritûs: gaudium, pax, patientia, & alia quæ enumerat Apostolus:* quos fructus non nisi bona voluntas parturit, sicut è contrario, malos mala intentio nutrit: ideo subdit, *non potest arbor bona* &c. scilicet dum bona est, *neque arbor mala* &c.

&c. scilicet dum mala est. Non enim ait non potest mala arbor bona fieri, vel bona mala, quia Paulus de persecutore factus est Apostolus, & anima, manente integra natura, affectûs voluntate corrumpitur vel in melius mutatur, ut dicit glossa, & primo secundùm aliam glossam, arbor ibi dicitur mala non in natura, quia in omnibus à Deo creata est: sed vitio malæ intentionis vel affectionis, voluntas mala dicitur.

Sextò, super eodem verbo notandum est quòd licet arbor mala non faciat fructus bonos, tamen sæpe facit pulchra folia & quoque pulchros flores, per quos videtur promittere bonos fructus. Sic etiam ypocritæ, qui malæ arbori comparantur, sæpè aliquos magnos fructus, & perfectiùs dicunt se facere in Ecclesia, licèt non faciant eos: contra illud Apostoli Romanorum XV. 18. *Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me efficit Christus*, cujus tamen oppositum faciunt.... Apostoli: ut dicit ibi glossa, & primò de talibus qui ex more arrogant sibi, & arroganter publicant se fructus facere in Ecclesia Christi, potest dici.... Judas in Canonica sua: *Hi sunt arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ*, ubi dicit glossa: *Comparant se arboribus bonorum fructuum ferentibus. Sed sunt arbores autumnales, quia tarde deferunt fructum, sicut arbor* B *in autumno plantata.* Dicuntur autem bis mortuæ: quia sicut ait quædam glossa: *mortua est quæ non facit fructum bonum, bis mortua quæ facit malos fructus*, & sequitur in textu. *Fluctus feri maris*: glossa: *ad similitudinem tumentium undarum maris, superbientes altiùs se extollunt.* Unde post pauca ibidem sequitur. *Hi sunt murmuratores querulosi, secundùm desideria sua ambulantes, & eorum os loquitur superbiam, mirantes personas quæstûs causa.* Et contra tales loquitur tota ejus epistola, & in fine Prophetiam aliorum Apostolorum commemorat. Dicit, *Vos autem Charissimi, memores estote verborum quæ dicta sunt ab Apostolis* &c. qui dicebant vobis; quoniam in novissimo tempore venient illusores. *Secundùm sua desideria ambulantes in impietatibus. Hi sunt qui segregant semetipsos* &c.

Septimò notandum quòd tales arbores malæ, idest ypocritæ; non à foliis vel floribus, sed à fructibus cognoscuntur, idest ab eorum malis operibus; quia C licet nitantur bona sua laudando vel simulando extollere, & mala opera occultare, tamen, peccatis eorum exigentibus, divino Judicio manifesta fiunt: unde super illud Job. IV. *Tygris periit eo quod non haberet prædam.* Dicit Gregorius homil. 5. Moralium. *Omnis ypocrita tygris est, quia dum mundus color, de simulatione ducitur, vitiorum nigredine interrumpente variatur. Sæpe enim dùm de castitatis munditia extollitur, sorde avaritiæ fœdatur; sæpe dùm largitatis virtute speciosus ostenditur, luxuriæ maculis inquinatur, sæpe dùm largitatis & castitatis decore vestitur, velut ex zelo justitiæ, crudelitatis atrocitate fuscatur: sæpe largitate, castitate, pietate ex pulchra visione induitur, sed interfusa obscuritate superbiæ notatur. sic que fit, ut intermixtis vitiis dùm mundam in se speciem usquequaque ypocrita non ostendit, quasi unum colorem tygris nequaquam habere non possit.* Similiter etiam; quia omnis ypocrita superbus est, licèt humilitatem simulet, tamen suam superbiam non semper celare potest, quia si & in uno opere tegat illam, in alio opere, divino judicio, detegitur. Unde super D illud Job. XI. *Ipse est Rex super omnes filios superbiæ*: dicit Greg. XXXIV. Moralium. *Et si alii reprobi fictam speciem humilitatis assumant, semetipsos tamen celare in omnibus nequaquam possunt: quia eorum superbia diu latere non sustinens; cum ex alia tegitur, ex alia actione denudatur, & sic fructus mali hypocritarum quandoque cognoscuntur, & manifestantur, etiam durante eorum simulatione, & multò magis, eorum simulatione cessante.* Sicut patet in quæstione *De arte cognoscendi falsos prophetas. Articulo primo.*

Octavo notandum super illo verbo, *omnis ergo arbor quæ non facit fructum* &c. *quia* sicut dicit glossa *ex hac sententia ypocritas & pseudoprophetas damnat*: exemplo confirmans, quia nemo de mala intentione fructum bonum percipit, nec de bona nisi bonum metit. Unde finalis fructus ypocritarum, sicut arborum malarum est eradicatio, scilicet de numero fidelium, & damnatio ac collectio cum numero reproborum.

A Hæc autem eorum damnatio est duplex: una æterna post hanc vitam, scilicet quia *in ignem mittentur, qui paratus est diabolo & angelis ejus*, ut dicit glossa, sed quia multi eorum non credunt, sed contemnunt vitam futuram. Ideò etiam est alia eorum damnatio temporalis, secundùm præsentem vitam. De prima eorum damnatione dicit Judas in prædicta Epistola, quia talibus *procella tenebrarum in æternum servata est*, & ad hoc allegat Prophetiam Enoch quam non habemus translatam unde dicit: *prophetavit autem & de hiis septimus ab Adam Enoch.* &c.

De secunda verò, scilicet temporali eorum punitione & eradicatione, prophetavit sancta Hyldegardis dicens quòd *postquam isti in perversitatibus Baal, & in aliis pravis operibus sic inventi fuerint, Principes & majores in eos ruent, & velut rabidos lupos eos occident.* Et huic concordat ad litteram dictum Christi Matthæi XVI. *Omnis plantatio quam non plantavit Pater cœlestis meus eradicabitur* &c. Ex dictis ergo concludit Christus, *quia a fructibus eorum cognoscetis eos.* Et hæc de prima parte.

Sequitur secunda pars, *non omnis qui dicit mihi Domine &c.* in qua Christus ostendit falsos prophetas, propter confessionem Fidei suæ, aut propter Prophetiam seu operationem miraculosam factas in suo nomine, non posse concludi ab ipso missos vel approbatos.

Secundò, dividitur in tres particulas: quia primò, ostendit hoc non posse concludi ex confessione Fidei suæ; secundò, quia nec ex dono Prophetiæ, ibi: *multi dicent* &c. Tertiò, nec ex dono operationis miraculosæ: ibi: *& in nomine tuo dæmonia ejecimus.* &c.

Quantùm ad primum dicit, *non omnis qui dicit mihi Domine, Domine*, scilicet Fidem meam confitendo, *intrabit in Regnum cœlorum*; quia multi, sicut dicit glossa interlinearis *confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Fides autem sine operibus mortua est.* Jacobi 3. Ideò subdit, *sed qui facit voluntatem Patris mei*, scilicet Fidem operibus adimplendo *intrabit in Regnum cœlorum.*

Ubi primò notandum est, quòd iste textus aptissimè continuatur, illi: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Quia *ypocritæ*, sicut dicit glossa, *licèt dicant Domine, Domine, non continuò sunt credendi, hoc*, inquit, *dicunt, ut a vobis recipiantur.*

Secundò notandum, quòd hìc docet Christus non solum ypocritas hæreticos esse cavendos, de quibus supra dixit, sed etiam fideles malos esse evitandos. Unde hic dicit glossa: *sicut cavendi sunt, qui habent speciem bonæ vitæ, propter dogma nequitiæ; sic & hii è contrario qui cum integræ & doctrinæ Fidei sint, turpiter vivunt: utrumque enim necesse est, ut & opus sermone, & sermo operibus comprobetur.*

Tertiò notandum, quòd aliud est dicere *Domine, Domine*, & aliud hoc verè & propriè dicere. Unde sequitur in glossa: *Non est hoc, illud verè & propriè dicere, ubi prolatio discordat à voluntate.* De quo Apostolus ait: *Nemo potest dicere Dominus Jesus nisi in Spiritu sancto* 1. Corinth. XII. Et alia glossa dicit: *verè dicere Dominus Jesus, est corde credere, ore confiteri, operibus attestari*; nam unum sine altero, negare est.

Quartò notandum, quòd illud quod hìc dicitur, quia qui Fidem confitentur verbo & non facto, non intrabunt in Regnum cœlorum, potest intelligi & de Regno Ecclesiæ Triumphantis, & de Regno Ecclesiæ Militantis. *Nam Regnum cœlorum*, sicut dicit Gregorius, in

in homilia *quandoque præsens Ecclesia dicitur*, de quo scribitur Matthæi XIII. *Exibunt Angeli, & colligent de Regno ejus omnia scandala.* Non enim in illo Regno beatitudinis, ubi pax summa est, esse poterunt scandala quæ colligantur. Et ideò hîc Regnum cœlorum præsens Militans Ecclesia intelligitur. Tales ergo fideles sine operibus bonis non solum non intrabunt Regnum Ecclesiæ Triumphantis; quia licèt sint de ea, quantùm ad numerum: non tamen quantùm ad meritum; quia ad hoc quod quis sit de ea, secundùm meritum, requiritur quòd sit verè fidelis. Scilicet corde credendo, ore confitendo, & operibus attestando, secundùm glossam priùs allegatam.

Unde maximum hinc oritur dubium, utrùm Fidei confessio sit necessaria ad salutem: & videtur quòd non; quia Fidem confiteri, est Fidem suam patefacere altiùs: sed hoc non est necessarium, nisi illis qui habent alios in Fide instruere. Ergo videtur ad majores, sicut ad Prælatos, & non ad inferiores pertinere.

Oppositum arguitur per glossam prædictam & per Apostolum, Romanorum X. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

Solutio. Dicendum est quòd exterior confessio Fidei, cadit sub Præcepto affirmativè: Præcepta autem affirmativa obligant ad semper, sed non pro semper. Ideò obligant pro loco & tempore, & secundùm alias circunstantias debitas, secundùm quas oportet actum humanum limitari, ut sit virtuosus. Sic ergo confiteri Fidem, non semper, nec in quolibet loco est de necessitate salutis; sed aliquando, scilicet quando per omissionem confessionis subtrahitur honor Deo debitus vel etiam utilitas proximi impendenda: ut si quis interrogatus de Fide taceret, & ex hoc crederetur quòd non haberet Fidem, vel quòd Fides non esset vera, vel quod alii per ejus taciturnitatem averterentur à Fide.

Ex quo patet quòd in casu necessitatis, ubi Fides periclitatur, quilibet tenetur Fidem suam aliis propalare, vel ad instructionem aliorum fidelium, vel ad reprimendam insultationem infidelium. Sed, aliis temporibus, non pertinet ad omnes Fideles alios de Fide instruere: & sic patet solutio rationis primæ.

Ex quo ulteriùs patet quòd si ex Fidei confessione oriretur perturbatio sive fidelium sine infidelium, absque alia utilitate; in tali casu Fidem publicè confiteri non esset laudabile: juxta illud Matth. VII. *Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas vestras spargere ante porcos* &c. Sed si utilitas Fidei speretur, aut necessitas adsit, contempta perturbatione infidelium, debet Fides publicè confiteri: juxta illud Matth. XV. Ubi cùm Discipuli Domino dixissent, quod Pharisæi audito ejus verbo, scandalisati sunt. Respondit, *Sinite illos*, scilicet turbari, *cæci sunt, duces cæcorum* &c.

Sequitur secunda particula, *multi dicent* &c. In qua ostendit, quòd non debet concludi falsos Prophetas, scilicet ypocritas, à Deo missos vel approbatos, ex hoc quod habent donum Prophetiæ, quia dicit *multi*, scilicet mali, *dicent mihi in illa die*, scilicet Judicii, qua discernentur boni à malis. *Domine, Domine*, scilicet confitentes Fidem & authoritatem Christi: *In nomine tuo prophetavimus*: & ponit glossa interlinearis exemplum de Balaan, & de Caypha: quod exemplum non est intelligendum quòd illi praphetaverunt in nomine Christi: sed est ad hoc quòd mali possunt prophetare. Unde dicit alia glossa: *non solùm qui verbotenus nominant, non accipiuntur*, scilicet ad Regnum cœlorum; *sed etiam illi sine bonis operibus prophetant, & dæmonia ejiciunt, & virtutes faciunt.*

Et ratio est, quia istæ non sunt gratiæ gratum facientes; sed gratiæ gratis datæ, quæ quandoque non dantur ad bonum illius cui dantur, sed ad utilitatem Ecclesiæ. Unde dicit alia glossa: *Prophetare, virtutes facere, dæmones ejicere, interdùm non est meriti illius qui operatur; sed invocatio nominis Christi.* Hoc agit ad damnationem invocantis, vel ad utilitatem eorum qui vident vel audiunt: & licèt despiciantur qui faciunt, Deus tamen, cujus invocatio facit, honoratur.

Unde etiam oritur istud dubium: utrùm ad prophetandum requiratur bonitas morum & vitæ. Primò quòd sic: quia *Sapientiæ* VII. dicitur: Quia *Sapientia Dei in animas sanctas se transfert, & amicos Dei & Prophetas constituit.* Sed sanctitas non potest esse sine bonitate morum, & gratia igitur nec Prophetia.

Secundò, secreta Dei non revelantur nisi amicis ejus.
A Juxta illud Joannis XV. *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi à Patre meo nota feci vobis.* Sed Deus Prophetis secreta sua revelat, ergo amici Dei sunt, quia sine charitate non potest esse. Igitur &c.

Tertiò, quia Philosophus dicit de somno & vigilia, quòd *si divinatio somniorum est adeò inconveniens, est eam immittere quibuslibet & non optimis viris.* Sed constat donum Prophetiæ esse à Deo, ergo non datur nisi bonis. Igitur &c.

Oppositum patet ex textu: Quia *dicentibus, in nomine tuo prophetavimus.* Respondetur: *Nunquam novi vos, discedite à me, qui operamini iniquitatem* &c.

Hîc primò notandum est quòd bonitas morum potest attendi penès duo. Uno modo, secundùm interiorem ejus radicem, quæ est gratia gratum faciens, sine qua non est absolutè & simpliciter virtus vel bonitas: alio modo, secundùm interiores animæ passiones, & exteriores actiones morales. Gratia autem gratum faciens ad hoc datur principaliter, ut anima hominis Deo per charitatem jungatur. Unde Augustinus dicit 15. De Trinitate. Quòd *nisi impertiatur cuique Spiritus*
B *sanctus ut eum Dei & proximi amatorem faciat, ille à sinistra non transfertur ad dextram.* Unde quidquid potest esse sine charitate, seu charitativo amore, potest esse sine gratia gratum faciente, & per consequens, sine bonitate morum, primo modo dicta.

Secundò dicendum est quòd Propheta potest esse sine charitate, vel gratia gratum faciente, quod patet ex tribus.

Primò; ex causa efficiente utriusque, quia Deus qui solem suum corporalem facit oriri super bonos & malos, etiam lucem spiritualem, scilicet lumen Prophetiæ, potest super bonos & malos influere; gratiam autem non nisi in bonos influit, quia ipsa principaliter bonos efficit, nec illuminatio Prophetiæ sic repugnat vitiis, sicut perfectio gratiæ: cùm etiam maligni spiritus magnis illuminationibus, & notitiarum intellectualium splendoribus fulgeant, & multò plusquàm homines, quos in vitiis & iniquitatibus longè præcellunt.

Secundò, patet ex actu utriusque; quia Prophetia pertinet ad intellectum, cujus actus præcedit actum voluntatis, quam perficit charitas: unde & Apostolus 1. *Corinth.* XIII. connumerat. . . . aliis ad intellectum pertinentibus, quæ sine charitate possunt haberi.

Tertiò, patet ex fine utriusque; quia Prophetia datur ad utilitatem Ecclesiæ, sicut aliæ gratiæ gratis datæ: juxta illud 1. Corinth. XII. *Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem.* Non autem ordinatur directè ad hoc quòd affectus ipsius Prophetæ conjungatur Deo, ad quod charitas finaliter ordinatur. Ideò Prophetia potest esse sine bonitate morum, quantùm ad radicem principalem moralis bonitatis.

Tertiò, dicendum est quod si consideremus bonitatem morum secundo modo, scilicet secundùm pas-
D siones animæ, & actiones exteriores, aliquis potest à prophetare impediri, per malitiam morum. Nam ad Prophetias requiritur mentis elevatio ad spiritualium contemplationem, quæ multùm impeditur per vehementiam passionum, & per inordinatam occupationem exteriorem, unde de filiis Prophetarum legitur 4. *Reg.* IV. quòd simul habitabant cum Elizeo quasi solitariam vitam ducentes, ne mundanis occupationibus impedirentur à dono Prophetiæ.

Hoc autem possumus exemplo sensibili declarare. Nam sicut non quodlibet corpus est aptum ut sit speculum; &

sed inter alias conditiones requiritur quòd sit politum, & tersum: sic etiam anima, quæ est quasi speculum spirituale in visione prophetica debet esse polita & tersa, & non aspera & impolita difformitate cogitationum & passionum; nam hujusmodi cogitationibus & passionibus variis affectata efficitur quasi aspera & difformis, & ideò talibus visionibus propheticis non est habilis, nisi hujusmodi asperitas & difformitas ad planitiem, & uniformitatem reducatur. In cujus signum Isaïas Propheta volens ostendere quando impletur ille sermo Propheticus: *Senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt*; subdidit: *erunt prava in directa, & aspera in vias planas & revelabitur gloria Domini.* Quasi diceret quòd quorumdam animæ, à quarumdam pravarum cogitationum asperitate reducerentur in uniformitatis planitiem, ac sic in eis velut in quibusdam speculis, revelaretur gloria Domini per visionem propheticam. Igitur patet propositum.

Ad primam rationem dicendum quòd donum Prophetiæ aliquando datur hominibus, non solùm propter aliorum utilitatem, sed etiam ad suæ mentis illustrationem, & salutis suæ eruditionem: & hii sunt in quorum animas sapientia divina per gratiam suam seu charitatem se transferens, amicos Dei & Prophetas constituit: quidam verò consequuntur donum Prophetiæ, solum ad utilitatem Ecclesiæ, qui sunt quasi instrumenta operationis divinæ, sicut patet ex glossa primò allegata in textu.

Ad secundam dicendum quòd Gregorius exponens illud, *dum audita superna cœlestia amamus, amata jam novimus*; *quia amor, ipse notitia est, omnia ergo eis nota fecerat, quia à terrenis desideriis* immutati *amoris summi facibus ardebant.* Et hoc modo non semper revelantur secreta divina Prophetis.

Ad Tertiam dicendum quòd dona divina non semper dantur optima simpliciter, sed quandoque bonis secundum quid; scilicet illis qui sunt boni quantum . . . . . ad talis doni perceptionem &c. Deus dat donum Prophetiæ, quando, & quibus judicat bonum dare.

Sequitur tertia particula. *Et in nomine tuo dæmonia ejecimus* &c. In quo ostendit quòd non debet concludi falsos prophetas, scilicet hæreticos & ypocritas esse à Deo missos vel approbatos ex dono operationis miraculosæ. Et primò ostendit quòd mali & pseudo prophetæ miracula operantur. Secundò, concludit propositum, scilicet quòd multi prophetantes, idest miracula operantes à Deo reprobantur: ibi: *& tunc confitebor.* Primum ostendit dicens, quia *multi* mali *dicent* sibi in die Judicii. *In nomine tuo*, scilicet in nomine Christi, & confessione Fidei, *dæmonia ejecimus*; scilicet à corporibus obsessorum; sicut dicit, glossa in Actibus Apostolorum, faciebant filii Sacerdotum Actuum XIX. *& in nomine tuo virtutes multas*, idest operationes miraculosas *fecimus.*

Ubi primò notandum est, secundùm glossam quòd sicut Christus supra, cavere monuit à falsis Prophetis, ita hîc, ab hiis qui dæmonia ejiciunt & virtutes faciunt. Unde dicit alia glossa: *maximè autem cavendum est ab hiis qui propter nomen Christi etiam miracula habent*: quæ cum propter nomen Christi per infideles Dominus fecit; monuit tamen ne à talibus decipiamur, putantes ibi esse invisibilem sapientiam, ubi est visibile miraculum. Unde adjungit: *Multi dicent* &c. quare ergo mundo & simplici oculo opus est, ut inveniatur via sapientiæ inter tot deceptiones.

Secundò, notandum quòd miracula falsorum prophetarum, maximè hiis temporibus quæ ad finem mundi appropinquare videntur magnoperè debent esse suspecta, sicut declaratum fuit in prima parte primi articuli, *de Arte cognoscendi falsos prophetas*, & ideò dicit Christus Matthæi. XXIV. *Multi venient in nomine meo, & seducent multos*, scilicet *miracula faciendo*, secundùm glossam Chrysostomi: & de hoc loquitur Gregorius XXXII. moralium. *Nunc* inquit, *fideles nostri mira faciunt, tunc autem Bemoth hujus . . . . idest antichristi satellites, & ad perversa inferent, mira facturi sunt. Pensemus ergo quanta erit humanæ mentis illa tentatio, quando pius Martyr & corpus tormentis subjicit, & tamen ante ejus oculos miracula tortor facit. Cujus tunc virtus non ab ipso cogitationum fundo quatiatur, quando is qui flagris cruciat signis coruscat.* Et si quæratur in quo ergo erunt gloriosi illius temporis Martyres. Respondet Ysidorus Libro *De summo bono.* cap. XXVI.

In tempore illo per patientiam gloriosi erunt sancti, non per miracula, sicut fuerunt priores, & infra *proinde durius bellum sustinebunt, quia non solùm contra persequentes, sed etiam contra miraculis coruscantes dimicaturi sunt.*

Ideò ergo debebunt tunc haberi suspecta miracula; quia tunc abundabunt in ministris, & preambulis antichristi, & cessabunt ab Ecclesiæ Christi. Unde in eodem Libro cap. XXV. dicit Ysidorus: *Antequam antichristus appareat, virtutes ab Ecclesia, & signa cessabunt; quatenùs eam abjectionem persequatur audaciùs*: & super illud psalmi. VII. *Inclinabitur cadens cum Dominatus fuerit pauperum.* Dixit Augustinus loquens de antichristo & ministris ejus: *Cum illa signa facere cœperit; quantò mirabiliora videbuntur hominibus, tantò illic sancti qui tunc erunt contemnentur, & quasi pro nihilo habebuntur, quos mirificis factis superare videbitur*: & ideò dicit Apostolus Tessalonicensium II. *Rogamus fratres vos per adventum Domini nostri Jesu Christi ut non citò moveamini à sensu vestro.*

Tertiò, notandum est quòd miracula falsorum prophetarum ministrorum antichristi, sunt in triplici differentia: nam quædam sunt miracula vera; quædam miracula falsa, sed veraciter apparentia; & quædam sunt miracula facta ab ipsis falsis prophetis, ipsis mendosè & fallacitèr attributa.

Primò enim quidam sunt falsi prophetæ qui faciunt miracula vera, & in Christi nomine: quia etsi habent donum veræ prophetiæ: tamen dicuntur falsi prophetæ, propter malitiam vitæ, aut fallaciam doctrinæ: de talibus autem videtur loqui Christus in textu, sicut patet ex glossa priùs allegata. Tales enim erant illi filii principis Sacerdotum, de quibus loquitur glossa: qui in nomine Jesu ab obsessis ejiciebant dæmonia; sicut patet Actuum XIX. Talis etiam esse volebat ille simulator & fictus discipulus Christi, de quo habetur *Lucæ* IX. qui videns Discipulos miracula facientes, ut ipse etiam miracula facere posset, & inde vanam gloriam & lucrum temporale reportaret, dicebat Christo. *Sequar te quocumque ieris.* Ubi dicit glossa quòd *signorum magnitudine motus vult sequi, ut ex miraculo operum quæreret lucrum, ideò a Domino repudiatur* &c. Talis insuper fuit ille Symon magus, qui vellet miracula facere, non ad Dei gloriam: sed ad suam propriam: dicens: *Date mihi hanc potestatem* &c. Actuum VIII. cap.

Secundò, sunt aliqui falsi prophetæ qui habent miracula falsa, & tamen ita apparent sicut vera, & multi tales erunt circa finem mundi tempore antichristi, unde hoc signatum est per illos magos Pharaonis, qui faciebant miracula falsa apparentia vera, ut resisterent doctrinæ Moysi: sicut patet *Exodi* VII. usque ad XI. caput: sic enim resistent multi pseudoprophetæ doctrinæ Christi. Unde II. *ad Thessalonicenses* III. capitulo, dicitur quemadmodùm *Joannes & Mambres resisterunt Moysi, ita & isti resistunt veritati*, de quibus etiam paulo ante in glossa dicitur *jam horum prænuntii quidem sunt, sed plures in fine futuri sunt.* De talibus seductoribus præambulis antichristi prophetavit sancta Hildegardis in quadam Epistola dicens ita in persona diaboli, *In hominibus istis signa mea omnipotenti Deo assimilabo, idest faciam per hos signa sive miracula similia divinis miraculis.*

Ter-

Tertiò, sum aliqui falsi prophetæ, qui nec habent miracula vera nec falsa, sed tamen ficta; idest fingunt habere ea, jactando se quòd suis meritis Deus facit miracula per eos, vel pro eis: & tales sunt multi ypocritæ, cupientes per hoc ab hominibus honorari, cum tamen non sit gaudendum vel gloriandum de miraculis exterioribus, sed magis de salute æterna, & interiori conscientia. Juxta illud dictum Christi Lucæ x. *In hoc nolite gaudere, quia spiritus subjiciuntur vobis: verumtamen in hoc gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.*

A Quartò, notandum quòd unum signum potissimum ad cognoscendos falsos prophetas, miraculis veris aut falsis, vel fictis coruscantes, est si ex hujusmodi miraculis gloriam suam, magis quàm divinam laudem aut proximorum utilitatem quærant. Unde de talibus dicitur in Canonica Judæ. *Hi sunt nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur.* Ubi dicit glossa: *Comparant se prædicatoribus pluentibus justitiam, coruscantibus per miracula.* Sed isti sunt nubes obscurantes solem, ponentes in cœlum os suum perversa superbè docendo, sine aqua sapientiæ: & ideò Christus Discipulis adhuc infirmis de miraculis suis gloriantibus, & dicentibus: Luc. x. 17. *Domine etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo*, humiliando eos respondet & ait illis. *Videbam sathanam quasi fulgur de cœlo cadentem*, Ubi dicit glossa: *quia adhuc infirmi Fide, gaudent de virtutibus & signorum operatione.* Ideò exemplo conterrentur, scilicet exem- B plo diaboli qui propter superbiam de cœlo præcipitatus est: propter quod Christus, quòd non sit de miraculis, aut aliis factis insignibus gloriandum, exemplo suo nos docuit. Nam *Lucæ* v. Cum ipse leprosum mundasset, præcepit illi ut nemini diceret. Ubi glossa: *tacere jubet, nec taceri potest.* Sed dat exemplum, ut sui magna quæ faciunt latere velint; sed ut prosint aliis prodantur inviti. Simile habetur Matthæi VII. & VIII. de surdo & muto sanato, & de cœco illuminato. Similiter IX. Cum illuminasset duos cæcos, communiatus est eis. Dicens. *Videte ne quis sciat.* Ubi dicit glossa quòd *in hoc dat exemplum jactantiæ vitandæ*, quod exemplum etiam dederunt Apostoli in suis miraculis, sicut patet de Petro: Actuum x. & de Paulo & Barnaba Actuum XIV.

C Sed circa textum ahuc occurrit dubium: utrum gratia virtutum & miraculorum stet cum malitia [illegible]orum seu moralium vitiorum. Et videtur primò quòd non: quia non est aliqua gratia ad operationem virtutum, & miraculorum ordinata. Igitur &c. Consequentia tenet, quia modum supponit: ergo &c. Antecedens probatur.

Primò, quia gratia, sive gratum faciens, sive gratìs data, est aliquid in anima illius cui datur; sed operatio miraculorum non ponit aliquid in anima hominis cui datur; quia etiam ad tactum hominis mortui miracula fiunt: sicut patet I. Reg. XIII. de ossibus Helisei, ad quorum tactum homo mortuus in ejus sepulchro projectus revixit.

Secundò, confirmatur; quia gratiæ etiam gratìs datæ sunt à Spiritu sancto; juxta illud I. Chorint. XII. *divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus* &c. Sed operatio miraculorum fit etiam à spiritu immundo: D juxta illud Mathæi XXIV. Ubi dicitur quòd *pseudoprophetæ dabunt signa & prodigia magna.*

Tertiò, confirmatur; quia operatio miraculorum consequetur Fidem, vel facientis, juxta illud I. Chorint. XIII. *Si habuero omnem Fidem, ita ut montes transferam*; vel etiam aliorum propter quos miracula fiunt, juxta illud Mathei. XIII. *Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem eorum*: ergo præter Fidem non est ponenda aliqua gratia data ad operationem signorum vel miraculorum.

Secundò, ad principale arguitur sic: quia miracula sunt quædam divina testimonia: juxta illud Matthæi ultimo, *prædicabant ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*, & illud Apostoli Hebreorum II. *Constante Deo signis & portentis & variis virtutibus.* Unde & in Ecclesia aliqui canonisantur per testimonia miraculorum; sed Deus non potest esse testis falsitatis: ergo videtur quòd facere miracula non potest convenire malis seu moraliter vitiosis.

Tertiò, boni sunt Deo conjunctiores quàm mali; sed non omnes boni possunt facere miracula: ergo multominùs mali possunt facere ea.

Oppositum patet in textu. Unde etiam ibidem dicit Joannes, quòd Judas Apostolus cum animo proditoris multa signa inter ceteros Apostolos fecisse narratur. Igitur &c.

Pro solutione hujus: Primò notandum est quòd Spiritus sanctus per gratias gratìs datas providet generali utilitati Ecclesiæ, magis quàm utilitati singularis personæ, sicut supra dictum est, de dono Prophetiæ: sicut ergo per donum Prophetiæ providet Ecclesiæ ad quærendam occultarum veritatum notitiam; & per gratiam sermonis, & donum linguarum providet quòd notitia divinitùs accepta, ad cognitionem aliorum deducatur. Sic ad hoc ut sermo prolatus credibilis reddatur, providet per gratiam seu operationem miraculorum, quòd veritas revelata confirmetur; & hoc est rationabile: quia sicut homo naturalem veritatem per quosdam sensibiles & naturales effectus apprehendit; sic decet quòd per supernaturales effectus qui miracula dicuntur in cognitionem supernaturalis veritatis manuducatur. Et ideò operatio miraculorum ponitur gratia gratìs data.

Secundò, notandum quòd hujusmodi gratia non est aliqua qualitas habitualiter manens in anima, quæ sit principium operandi miracula; quia sola divina omnipotentia, quæ nulli creaturæ potest communicari, est causa miracula operandi. Potest tamen creatura supernaturaliter moveri ad aliquid faciendum ad quod sequitur effectus miraculi, quod tamen Deus sua virtute facit.

Et hoc quamquam fit precedente oratione, sicut cùm Petrus Tabitam mortuam suscitavit Actuum IX. quandoque autem etiam non precedente manifesta oratione; sed Deo quasi ad nutum hominis operante: sicut Petrus Ananiam & Saphiram mentientes, morti increpando tradidit, ut patet Actuum v. & hoc est quod dicit Gregorius II. Dialogorum: ubi ait quòd *Sancti alii ex potestate; alii miracula exhibent ex postulatione.* Utrobique tamen Deus principatum operatur, qui utitur instrumentaliter vel interiori motu hominis; vel ejus locutione; vel etiam aliquo exterioris actu; seu etiam aliquo corporali contactu etiam corporis mortui; sicut tactum fuit in prima reponsione.

Tertiò, notandum quòd miraculorum quædam sunt quæ non sunt vera, sed phantastica, scilicet quibus homo ludificatur, ut sibi aliquid quod non est, vel quale non est esse videatur; quædam verò sunt quæ in veritate sunt facta; sed non sunt vera miracula, idest non habent rationem miraculi: quia fiunt virtute aliquarum naturalium causarum; & talia possunt fieri per dæmones, sicut ostendetur in tertio articulo quæstionis *De falsis prophetis.* Sed vera miracula non possunt fieri, nisi virtute divina.

Quartò, notandum quòd miracula operatur Deus ad utilitatem hominum, & hoc dupliciter: uno modo ad veritatis prædicatæ confirmationem sicut jam dictum est. Alio modo ad sanctitatis alicujus demonstrationem, scilicet quando Deus vult aliquos aliis proponere in exemplum virtutis. Primo modo possunt fieri miracula per quemcunque qui veram Fidem prædicat, & nomen Dei invocat; & hoc quandoque fit per malos, ut supra dictum est.

Secundo modo non fiunt miracula nisi à Sanctis, ad quorum sanctitatem demonstrandam miracula fiunt, vel in vita eorum, vel post mortem, sive per eos, sive mini-

ministerio aliorum, invocando eos: & sic potest per alicujus peccatorum ministerium fieri miraculum, ad invocationem alicujus sancti. Quod tamen non dicicitur ille facere, sed ille sanctus ad cujus sanctitatem demonstrandam illud fieret. Sicut *Actuum* 19. legitur quòd fiebant virtutes per manus Pauli, & etiam quòd per alios desuper languidos deferebantur à corpore ejus sudaria, & recedebant ab eis languores. Igitur &c.

Ad rationes ad primam, negatur autecedens principale, & ad primam probationem patet solutio ex secundo notabili.

Ad secundam probationem dicendum est quòd Christus ibi loquitur de miraculis quæ fienda sunt tempore Antichristi, de quibus dicit Apostolus II. ad Thessalonicenses II. Quòd *adventus* ejus *erit per operationem sathanæ, in omni virtute & signis, & prodigiis mendacibus.* Et sicut dicit Augustinus 2°. De Civitate Dei: *ambigi solet utrùm propterea dicta sunt signa & prodigia mendacii*, quia scilicet mortalis sensus per phantasmata decepturus est, ut quod non facit facere videatur, an quia illa etiam si erunt vera prodigia ad mendacium protrahent. Vera autem erunt quia ipsæ res veræ erunt, sicut magi Pharaon veras ranas & veros serpentes fecerunt: non autem habebunt veram rationem miraculi: quia fient virtute naturalium causarum, sicut tactum est. Sed opera miraculorum quæ attribuuntur Spiritui sancto, & ejus gratiæ gratis datæ fiunt ad hominum utilitatem, & divina virtute.

Ad tertiam probationem dicendum quòd operatio miraculorum attribuitur Fidei propter duo. Primò quidem, quia ordinatur ad Fidei confirmationem ut dictum est. Secundò, quia procedit ex Dei omnipotentia, cui Fides nititur: & tamen, sicut propter gratiam Fidei ponitur gratia sermonis propter Fidei instructionem; sic ponenda est gratia, seu operatio miraculorum propter ejus confirmationem.

Ad secundum principalem dicendum est quòd vera miracula semper sunt vera testimonia illius ad quod inducuntur. Unde à malis, qui falsam doctrinam annuntiant, nunquam fiunt vera miracula ad suæ doctrinæ confirmationem, licèt quandoque fieri possint ad commendationem nominis Christi, quod invocant in virtute Sacramentorum quæ exhibent.

Ab iis autem qui veram doctrinam enuntiant, fiunt quandoque vera miracula, ad confirmationem doctrinæ; non autem ad confirmationem sanctitatis suæ. Unde dicit Augustinus Libro 83. Quæstionum. *Aliter Magi faciunt miracula, aliter boni Christiani, aliter mali. Magi per privatos contractus cum dæmonibus. Boni Christiani per publicam justitiam. Mali Christiani per signa publica justitiæ.*

Ad tertium dicendum est quòd, sicut Augustinus ibidem dicit: *Admonet nos Dominus ut intelligamus quædam miracula etiam sceleratos homines facere, qualia sancti facere non possunt.* Et causam ibidem ponit, *Quia ideò non omnibus sanctis ista attribuuntur, ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi, æstimantes in talibus esse majora dona, quam in operibus justitiæ, quibus vita æterna comparatur.* Igitur &c. Et hæc prima tertiæ clausulæ particula.

Sequitur secunda clausula: *& tunc confitebor* &c. in qua ostendit quòd multi in Christi nomine prophetantes & miracula facientes à Deo reprobantur, & hoc concludit dicens: *Et tunc*: scilicet *in finali Judicio*: glossa interlinearius: *qui aliquando dicere dissimulavi*, scilicet in vita præsenti, *tunc inquam confitebor illis* scilicet prophetantibus & miracula facientibus, *Quia nunquam novi vos.* Glossa: *In nullo approbavi sed reprobavi.* Et sic loquitur de notitia approbationis de qua dicit 2. ad Timotheum II. *Novit autem Dominus qui sunt ejus.* Unde alia glossa dicit: *Non novit lux tenebras*, id est, non aspicit, scilicet approbando, quia si aspiceret tenebræ non essent. Et ideò subdit, *Discedite à me qui operamini iniquitatem*, & dicit qui operamini, & non dicit qui operati estis, ne tollat primam scilicet gloriam. Ac si diceret, licèt in judicio non habeatis facultatem peccandi, tamen habetis affectum, & sic probatur reprobatio ypocritarum obstinatorum.

Ubi primò, notandum est quòd illud quod hîc dicitur potest intelligi de reprobatione Christi, quantùm ad Ecclesiam Triumphantem, sicut patet ex dictis. Sed etiam alio modo potest intelligi de reprobatione Christi, quantùm ad Ecclesiam Militantem: ut A intelligamus quòd multi ypocritæ & pseudoprophetæ, ut ostendant se esse missos & à Christo approbatos, dicent se in ejus nomine prophetare & miracula facere, ad eruditionem & utilitatem Militantis Ecclesiæ, quos tamen Christus non mittit sed reprobat. Unde de talibus prophetavit Dominus per se, dicens: *Seduxerunt populum meum in mendaciis suis, cum ego non misissem eos, nec mandassem eis.* Jerem. XXIII.

Secundò, notandum quòd omnes illi qui prædicant vel publicè docent, non à Deo missi sunt falsi prophetæ, & pseudodoctores, juxta illud Romanorum X. *Quomodo prædicabunt nisi mittantur.* Ubi dicit glossa: *Non sunt veri Apostoli nisi missi.* Illorum autem qui à Deo missi sunt, quidam missi sunt à Deo tantùm, id est, non per hominem: quidam verò à Deo per hominem. Ut B dicit Augustinus ad Orosium: *Missi a Deo non per hominem sicut Moyses & Joannes Baptista qui missi fuerunt per Angelum, vel per divinam revelationem.* Tales autem sic missi probare debent suam missionem aut per miraculum sibi ad indicium suæ missionis injunctum; sicut Moyses probavit suam missionem per conversionem virgæ in colubrum; & è converso, sicut Dominus ei injunxerat *Exod.* VII. aut per specialem prophetiam dictam de ipsis; sicut Joannes probavit suam missionem per Prophetiam Isaïæ, quam exposuit de se ipso dicens: *Ego vox clamantis in deserto*, sicut in Isaïa Propheta ut patet *Joannis* I. Aliter enim non crederetur eis, licèt dicerent se missos à Deo, quia omnes prædicatores etiam hæretici, idem dicerent ut legitur *extra. De hæreticis. Cum ex injuncto.*

Tertiò notandum quòd sola miracula non essent sufficiens testimonium missionis divinæ, nisi injuncta essent à Deo, sicut injuncta fuerunt Moysi, ut dictum est, quia illis qui non sunt missi, nulla miracula testimo- C nium perhiberent, nam talium miracula suspecta sunt, ut patet ex dictis supra: cum etiam per malos plerumque fiant miracula, sicut satis patet in Magis Pharaonis, & in Symone Mago, ut ostendit Augustinus & habetur *Causa* I. *quæst.* I. *cap. Teneamus.* Et ideò licèt Moyses per miracula sibi à Deo injuncta probaverit se à Deo missum, hodie tamen sola miracula non probarent alium miracula facientem missum esse à Deò, nisi constaret illa esse data ad divinæ missionis indicium, sicut Moysi data fuerunt, vel nisi aliter probaret suam missionem.

Quartò, notandum quòd licèt Joannes Baptista probavit missionem suam authoritate Isaïæ, quam de se ipso exposuit, ut dictum est: si tamen alius prædicator vellet probare suam missionem authoritate alicujus Prophetiæ quam exponeret de se ipso, non esset ei credendum, nisi etiam Dominus de ipsius missione ei D testimonium perhiberet, sicut fecit de Joanne, quia dicit Matth. XI. *hic est de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum antè faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Malach. III. &c. Habemus qui sunt à Deo missi, & qualiter debent suam probare missionem.

Quintò, notandum est quòd illi qui sunt à Deo missi non immediatè, sed per hominem, sicut Josue missus fuit per Moysem, & sicut Prælati Ecclesiarum mittuntur per Ecclesiam: vel aliqui non Prælati per Ecclesiæ Prelatos mittuntur ad eorum vices supplendas: vel sicut Doctores Theologiæ mittuntur, authoritate Apostolica, ad supplendum vices Papæ, & aliorum Præ-

Prælatorum, scilicet ad doctrinam & spirituale regimen animarum.

Tales, inquit, debent probare suam missionem, per canonica documenta: & in tali missione & eorum A receptione, magna debet esse cautela & diligentia, propter eos qui importunè se ingerunt, sine debita & Canonica electione. Unde supra illud Hebræorum VIII. *Ne quisquam assumat sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*: dicit glossa: *A Deo vocatur qui rectè eligitur.*

Ex præmissis igitur patet generaliter, & à quibus pseudopro- phetis diligenter sit cavendum: quæ doctrina modernis temporibus non mediocriter est utilis. Deo gratias.

Explicit Tractatus primus, de falsis Prophetis.



PETRI

PETRI DE ALLIACO
Cardinalis Cameracensis,
DE
FALSIS PROPHETIS.
TRACTATUS II.
In quo adversùs vanam Astrologiæ superstitionem fusè disserit.

Nunc primùm prodit ex MS. Codice Navarrico.

Attendite à falsis Prophetis. Matth. VII.



UIA sicut dici solet non evitatur malum, nisi prius cognitum; ideò si falsos prophetas, juxta doctrinam Evangelicæ veritatis, attentè vitare & diligenter cavere velimus: necesse est ut artem quâ eos cognoscere valeamus sollicitè investigare conemur. Eapropter meritò quæritur. Utrum ad cognoscendos falsos prophetas ars sufficiens tradita sit per Scripturas sacras: & arguitur primò quòd non, quia per Scripturas sacras non est ars sufficiens tradita ad cognoscendos ypocritas: igitur nec ad cognoscendos falsos prophetas. Consequentia patet, quia in falsis prophetis intelliguntur ypocritæ. Nam cum Christus dixisset: *Attendite a falsis prophetis*: statim subjunxit, qui *veniunt ad vos in vestimentis ovium. Interius autem sunt lupi rapaces.* Hoc autem maximè convenit ypocritis, quorum proprium est ut exteriùs habeant simplicitatem ovinam, interiùs verò rapacitatem lupinam.

A

Sed antecedens probatur: quia si aliqua arte per sacram Scripturam tradita sufficienter cognoscerentur yprocritæ, hæc maximè haberetur ex eorum operibus; juxta illud quod ibidem subdit Christus: *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Sed hoc esse non potest; quia super illo verbo dicit glossa: *Non a veste cognoscetis, sed ab operibus*, quod de manifestis accipitur: & superius eadem glossa super illud: *Nolite judicare* &c. dicit glossa de dubiis hoc esse intelligendum; quia de manifestis judicatur & non de illis de quibus incertum est quo animo fiant, de quibus nemo sine periculo judicat. Cum ergo homines a fructibus, idest manifestis operibus eorum cognosci debeant & judicari: videtur quòd illi quorum opera manifesta, scilicet exteriora, bona esse videntur, non debent judicari mali, sed boni; nec sunt evitandi, sed imitandi; & per consequens, quòd opera ypocritarum, scilicet verba, gestus, habitus, bona videntur exteriùs: cùm de occultis, id est de intentione & voluntate hominis homo mortalis judicare non possit, juxta illud: *Homo videt quæ parent, Deus autem intuetur cor.* 1. Reg. XVI. Sequitur quòd eos exteriùs bonos apparentes non poterimus cognoscere esse ypocritas, nec quantùm ad eorum conscientias nobis incertas, & soli Deo cognitas, eos judicare interiùs malos & seductores. Igitur &c.

B

C

Secundò, sic probatur per Scripturas sacras. Non est ars sufficiens tradita ad cognoscendum falsas prophetias: igitur nec ad cognoscendum falsos prophetas. Consequentia patet; quia à falsa prophetia propriè dicitur quis falsus propheta. Sed antecedens probatur: quia non est ex eo solo falsa prophetia, quia est de enuntiabili falsa: sed quia est à falso principio, scilicet à spiritu maligno, *in quo veritas non est, & qui est pater mendacii*, Joan. VIII. Nam è contra, ex eo dicitur vera Prophetia, quia, tanquam suo principio, nititur primæ veritati quæ Deus est, & est à Spiritu sancto, qui *est Spiritus veritatis.* Joan. XIV. Ideò dicitur: *Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia. Sed Spiritu sancto inspirante, loquuti sancti Dei homines.* 2. Petr. 1.

Secundò, in sacra Scriptura non est aliqua ars tradita, quâ sufficienter possit cognosci de aliqua Prophetia, utrùm sit à spiritu maligno, vel à Spiritu sancto inspirata; quod patet: nam aliqui prophetaverunt, seu aliqua futura, quæ naturaliter scire non poterant pronuntiaverunt, quorum tamen Prophetia seu prænuntiatio non fuit inspirata à Spiritu sancto: sicut apparet de illo Hermete Trismegisto de quo loquitur Augustinus VIII. *De Civitate Dei* 23. qui in Dialogo quòd fecit ad Asclepium: ibi, inter cetera, prædixit futurum esse tempus in quo idola & simulacra everterentur & auferrentur de Egypto, quod utique factum est tempore revelatæ gloriæ, quo adversus idolatriam crevit Christiana Religio. Et tamen dicit Augustinus quòd hoc ei non revelaverat Spiritus sanctus: *Sicut sanctis Prophetis qui hoc præviderant.* Inter quos de hac re Isaïas prophetaverat decens: *Et movebuntur simulachra manifesta Egypti à facie ejus* &c. Isaïæ XIX. Unde Augustinus ibidem concludit. Huic ergo *Egyptio illi spiritus & dæmones revelaverunt futura tempora perditionis suæ, qui etiam præsenti in carne, Domino trementes dixerunt: quid venisti antè tempus perdere nos?* &c.

Sed non apparet ex Scriptura sacra aliqua ars vel doctrina quâ Augustinus potuit cognoscere, vel concludere quòd prædicta Prophetia vel revelatio fuit à spiritu maligno & non à Spiritu sancto. Quod probo: quia maximè videtur hoc cognosci vel concludi posse ex eo, quia dictus Hermes fuit idololatra. Nam sicut patet in Deorum dialogo: ipse ita coluit idola, ut diceret: *Ipsas idolorum statuas animatas, sensuque & spiritu plenas, ipsasque futurorum præscias & futura, forte*, id est *fortibus vate*, id est *vaticiniis, somniis, multisque aliis rebus prædicentes.* Et ideò juxta intentionem Augustini, ex hoc videtur posse argui quòd à dæmonibus, quos in hominum idolorum statuis, & animarum corporibus assistere credebat, prædictam prophetiam seu revelationem acceperat.

Quòd autem hoc non concludat patet: quia Sybilla de

de qua idem Augustinus loquitur XVIII. *De Civitate Dei. Capitulo* XXIII. multa prephetavit de Christo, quæ ipse sicut & Lactantius fecerat, tanquam veras Prophetias recitat: quod utique fieri non deberet, nisi illas Spiritus sanctus revelasset; & tamen Sybilla non minùs quàm dictus Hermes Trimegistus coluit idola. Nam secundùm Virgilium. 5. Æneidos Sybilla fuit Sacerdos Phæbi, id est Apollinis, & Triviæ, id est Dianæ. Ipsa etiam Libros scripsit de idolatria, unde viri sacrorum, id est qui præerant sacris, & habebant specialem curam circa cultum idolorum, secundùm Aulum Gellium, *Libro primo, Noctium Atticarum.* Quando dii consulendi erant ad Libros Sybillinos tanquam ad oraculum recurrebant: & per consequens patet quod ex hoc quod quis est idolatra, non concluditur quòd non sit verus Propheta, seu quòd ejus Prodhetia non sit à Spiritu sancto revelata.

Præsertim cùm malitia morum non semper impediat donum veræ Prophetiæ: nam aliqui mali fiunt veri Prophetæ, & prophetaverunt Spiritu sancto inspirati, & in nomine Christi: juxta illud: *Multi dicent mihi in illa die, Domine, in nomine tuo prophetavimus* &c. & sequitur tunc *confitebor illis. Quia nunquam novi vos.* Glossa, *idest in nullo approbavi, sed reprobavi.* Et ponit ibi glossa exemplum de Balaan & Caypha. Igitur non apparet qua arte possit cognosci an quis sit verus Propheta. Igitur &c.

Tertiò sic, per sacras Scripturas non est ars sufficiens tradita ad cognoscendum falsa miracula: igitur nec ad cognoscendum falsos Prophetas. Consequentia patet. Quia sicut ex verorum miraculorum operatione, maximè videtur posse probari veritas Prophetiæ; sic falsi Prophetæ per falsa miracula falsitatem suam occultant, & se esse veros Prophetas ostentant. Igitur non potest cognosci eorum fallacia, nisi cognoscatur eorum miracula esse falsa.

Sed antecedens probatur: quia falsi Prophetæ per artem magicam possunt facere falsa miracula ita apparentia sicut sunt miracula vera quæ fiunt à veris Prophetis per potentiam divinam. Nam magi Pharaonis fecerunt serpentes sicut Moyses, & alia multa similia. Ut patet *Exod.* VII. Et ista fecerunt artibus magicis sicut tangit Augustinus 3. *De Trinitate. Cap.* 7. Similiter idem Augustinus 10. *De Civitate Dei. Cap.* 16. multa enarrat miracula artibus magicis facta, quæ non minus videntur apparentia, quàm miracula divina.

Similiter XXI. *De Civitate. Capitulo* VI. narrat miracula Sybillæ, ponens versus Virgilii 4. *Æneidos*, describentis ejus potentiam in arte magica, unde eam magnam valdè esse ostendit. Dicens:

Hæc se Carminibus promittit solvere mentes.
Quas velit . . . . . *est aliis immittere curas*,
Sistere aquas fluviis, & vertere sydera retro,
Nocturnosque ciet manes, id est infernales invocabit deos, *mugire videbis*
Sub pedibus terram, id est sonare admodum mugitûs, in ascensu Deorum infernalium, *& descendere montibus ornos*, idest arbores quasdam sic vocatas.

Sed ex sacra Scriptura non apparet ars aliqua seu doctrina, quâ hujusmodi miracula cognosci possunt esse falsa, seu arte magica facta, potentia divina. Nam infideles ita dicunt nostra miracula fieri arte magica, sicut nos sua, sicut patet in multis Legendis Sanctorum. Unde Valerius Maximus *lib.* 1. *cap.* 6. agit de miraculis quæ facta sunt apud Gentiles: ergo illa sunt ita vera miracula, sicut ea quæ fiunt apud fideles.

Similiter, prout recitat Augustinus VIII. *De Civitate Dei*, per multa capitula: aliqui sapientes Philosophi, sicut Apuleius Platonicus in Libro quem intitulat *De Deo Socratis*, & Hermes Trimegistus in Dialogo prææallegato attribuerunt dæmonibus, quos Platonici spiritus bonos esse posuerunt, prædictam potentiam per artium magnificarum & efficientiam dictorum miraculorum.

Similiter quidem dixerunt nostros Prophetas quædam fecisse miracula per artem magicam seu Astronomicam. Unde Moyses qui fuit maximus Propheta, secundùm Magistrum *in historia scolastica* super Exodum *fuit vir astrorum peritus, & duas imagines sculpsit in gemmis, hujus efficacia; ut altera oblivionem, altera memoriam inferret, cumque paribus annulis eas inseruisset, alterum, scilicet oblivionis annulum, uxori, scilicet Ætyopissa Regis Ætyopum filia tradidit; alterum, scilicet memoria annulum ipse tulit. Ut scillicet mulier ejus amoris sui oblivisceretur, & ipse liber in Ægyptum reverteretur.* Cùm ergo multa alia miracula simili arte facere potuit, ipsius miracula videntur esse suspecta, non minus quàm miracula Gentilium supradicta; & per consequens non apparet qualiter Gentiles possumus convincere, vel nostra miracula à suis in veritate, & falsitate distinguere, ac per hoc, videlicet Prophetas veros à falsis discernere, & maximè quia hujusmodi discretio vel distinctio miraculorum non potest convinci aut concludi ex distinctione morum vel vitiorum ipsorum miracula facientium, quòd à solis bonis fiant miracula vera, & à solis malis falsa miracula: quia nos concedimus quòd mali quandoque vera miracula faciant, juxta illud supra allegatum Matthæi. VII. *Multi dicent mihi in illa die, in nomine tuo dæmonia ejecimus, & virtutes multas fecimus, & tunc confitebor illis quia nunquam novi vos.* Igitur non apparet qua arte cognoscere possimus prophetas falsos. Igitur. &c.

In oppositum arguitur, quia absurdum esset dicere Christum aliquid frustra docuisse, vel ipsum etiam præcepisse impossibile. Nam ut ait Hieronymus: *Qui dicit Dominum ad impossibile obligare anathema sit.* Sed Christus docuit & præcepit cavere à falsis prophetis, dicens: *Attendite à falsis prophetis.* Ubi glossa: idest, *diligenter cavete.* Sed non est possibile nobis eos cavere, nisi eos possimus cognosere, ut in principio dictum est. Igitur Christus hoc frustrà docuisset, nisi tradidisset artem ad eos cognoscendos, & ideò eam sufficienter tradidisse videtur, cùm dicit *à fructibus eorum cognoscetis eos.* Igitur &c.

In ista quæstione, ad investigandum artem cognoscendi falsos prophetas, tractabo tres articulos principales, juxta materiam trium argumentorum antè quam oppositum.

- Primus, erit de cognitione ypocritarum.
- Secundus, erit de distinctione Prophetiarum.
- Tertius, erit de discretione miraculorum.

Unde in primo videbitur de illusione hominum per homines: in aliis duobus, de illusione hominum per dæmones; scilicet in secundo articulo, de illusione per falsam Prophetiam; in tertio videbitur, de illusione per artem magicam.

In primo articulo videndum est, utrùm ad cognoscendum ypocritas, ars sufficiens tradita sit per Scripturas sacras: in quo ostendetur primò quòd ars cognoscendi ypocritas est multùm utilis populo Christiano: secundò monstrabitur, in quibus operibus consistit ypocritarum simulatio, ex qua procedit illusio Christianorum, & simplicium fidelium deceptio: tertiò declarabitur qua arte à fructibus ipsorum ypocritarum sufficienter haberi potest eorum cognitio.

Quantùm ad primum in hoc primo articulo declarandum, proposita conclusio probabitur sex rationibus. Prima fundabitur in dictis Christi. Secunda, in dictis Apostoli. Tertia, in persecutione generali quam per ypocritas continuè patitur Ecclesia Dei. Quarta, in persecutione speciali quam ipsa per eos patitur tempore adventus antichristi. Quinta, in miraculis quæ per ypocritas fiunt, & maximè fient circa finem

finem mundi. Sexta, in periculis quæ per ipsos simplicibus proveniunt, ex ignorantia vel negligentia eos cavendi, & sic patebit utilitas hujus artis.

Prima ergo ratio quæ fundatur in dictis Christi talis est: nam illa ars est utilis populo Christiano, sine qua Christi Præceptum non potest adimpleri: sed ars cognoscendi falsos prophetas est hujusmodi, sicut probat ratio post oppositum ex dicto Christi. *Attendite a falsis Prophetis*: pro qua etiam facit aliud ejus dictum Matth. XXIV. Ubi ponit causam cur cavendum est ab eis: Dicens, *multi pseudo prophetæ surgent & seducent multos*. Quòd autem in falsis Prophetis intelliguntur ypocritæ: patet ex dictis in principio quæstionis, & etiam patet ex glossa Matth. VII. quæ licet illud specialiter exponat & intelligat de hæreticis, tamen ibidem dicit hoc de omnibus illis, qui aliud habitu & sermone, aliud opere ostendunt, id est, de ypocritis omnibus potest accipi &c. Chrysostomus autem super eumdem locum dicit: *pseudo prophetas non hæreticos hic mihi insinuari videtur, scilicet eos qui vitæ sunt corruptæ, faciem autem virtutis circuminduntur*, id est ypocritas: sed Chrysostomus potest concordari cum glossa; quia verum est quòd hoc non intelligitur de hæreticis, scilicet patenter malis, sed de hæreticis simulatoribus & ypocritis, propter id quod sequitur; *qui veniunt ad vos in vestimentis ovium*, &c. Et ideò patet quòd per falsos prophetas omninò opportet hic intelligere ypocritas. Igitur sequitur propositum &c.

Secunda ratio fundatur in dictis Apostoli, nam Paulus prophetans de futuris periculis 2. *Thimoth.* III. dicit *Hoc autem scito quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa*: & discribens eos qui erunt causa hujusmodi periculi subdit, *& erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi*: & multis malis enunciatis, sequitur, *speciem quidem pietatis habentes, virtutem autem ejus abnegantes*, idest, secundùm glossam *habentes speciem Religionis, virtutem autem ejus, scilicet charitatem, abnegantes factis*. Unde patet quòd loquitur de ypocritis quos vitandos esse subjungit, dicens *& hos devita*. &c. Et per consequens sequitur quòd ars seu doctrina tales ypocritas cognoscendi, ut possint vitari, est multum utilis Ecclesiæ.

Ideò consequenter ibidem ex eodem capitulo, supra illud *coacervabunt sibi magistros* &c. dicit glossa, quòd *Prophetia est sancti Apostoli, quia præscius futurorum in doctrina præcipit instandum, ut contra hoc quod futurum erat præparetur Ecclesia.* Propter quod etiam idem Apostolus Actuum. XX. exponens verba Christi prællegata, dicit: *Attendite vobis & universo gregi in quo Spiritus sanctus vos posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei; scio enim quoniam intrabunt post discessionem meam*, id est post mortem meam *lupi rapaces* in vos, non parcentes gregi &c. Igitur &c.

Nec ex eo quod Apostolus dicit *in novissimis diebus* &c. Ideò credendum est illa pericula quæ futura prædixit per istos lupos rapaces, per quos intelligit ypocritas, solùm instare in finali tempore antichristi: sed dies novissimos vocat largè, scilicet totum tempus futurum, usque ad finem mundi, sicut & beatus Joannes dicit. *Scimus quoniam novissima hora est*. I. Joannis. II. & hunc sensum innuit Augustinus in Epistola. nunc 199. olim 80. ad Hesychium *de fine mundi*. Igitur hujusmodi ypocritæ non solùm sunt exspectandi futuro tempore antichristi; sed à tempore Christi, & Apostoli semper fuerunt cavendi, igitur &c.

Tertia ratio fundatur in persecutione generali quam per ypocritas continuè patitur Ecclesia Dei. Pro quo sciendum est quòd tres generales persecutiones passura est Ecclesia, antè specialem persecutionem antichristi: unam violentam, aliam fraudulentam, tertiam ex vi & dolo compositam. Prima facta est per tyrannos, tempore Apostolorum, & Martyrum, Christianos generaliter occidentes. Secunda sequuta est per apertos hæreticos, frandulenta Scripturæ expositione, Christianum populum decipientes: sed post istas duas sequutura est tertia per falsos ypocritas, primò per fraudem ypocrisis simplices fideles Christi seducentes, posteà verò per vim, seu violentam potentiam opprimentes.

Harum verò persecutionum figura fuit Christus: nam primò persecutionem violentam sustinuit ab Herode quærente illum interficere. *Matth.* II. cap. 2. Secundò, persecutionem fraudulentam sustinuit à Legis Doctoribus & Scribis malè interpretantibus Scripturas, & dicentibus ipsum facere contra Legem. *Joannis*. IX. Tertiò, persecutionem sustinuit ex vi & dolo compositam à Pharisæis ipsum per fraudem ypocrisis persequentibus, & dicentibus eum non esse Prophetam, quia peccatores in suum consortium recipiebat. *Luc*. VII. Et deinde contra ipsum Principes Sacerdotum & populum excitantibus, ut per violentam potentiam sæcularium Principum ipsum morti traderent & crucifigerent. *Joannis*. XXV.

Cùm ergo in corpore Christi mystico, scilicet in Ecclesia Dei, quæ debet suo capiti Christo in suis passionibus configurari, jam duæ primæ persecutiones præcesserint, & cessaverint; sequitur quòd tertiam persecutionem patitur Ecclesia: quia sicut Christus in hac vita continuè persecutionem passus est, ita Ecclesia sua nunquam est sine persecutione, juxta illud Apostoli *omnes qui volunt piè vivere in Christo, persecutionem patiuntur*.

Sed constat quòd tertia persecutio non minùs periculosa est, quàm aliqua duarum præcedentium, cùm utramque earum virtualiter contineat, tùm etiam ypocritæ hunc modum persequendi assumant, ad similitudinem capitis eorum antichristi. Nam ejus persecutio composita erit ex vi & dolo, ut dicit glossa super illud psalmi: *Insidiatur quasi leo in spelunca sua*. Ps. H. x. 9. Unde primò incipiet per ypocrisim & simulationem, deinde procedet ad violentam dominationem, secundum Damascenum: *Libro* 4. *capitulo penultimo*. Et ideò præmittet ypocritas, tanquam suos præcursores, ut ostendit glossa supra illud Apocalypsis. VI. *Ecce equus pallidus* &c. Igitur sequitur quòd ut horum ypocritarum tam periculosa persecutio cautiùs evitetur, valde utilis est ars seu doctrina qua ipsi cognoscantur. Igitur &c.

Quarta ratio fundatur in persecutione speciali quam Ecclesia per ypocritas patietur circa adventum antichristi: nam sicut statim tactum est, ipsi ypocritæ sunt præcursores seu præambuli illius antichristi famosi, qui dicitur *homo peccati, filius perditionis*. II. ad Thessalonicenses. II. Ipsorum quoque persecutio, seu eorum modus persequendi, similis erit suæ persecutioni, propter quam similitudinem Scriptura eos appellat antichristos: dicens *nunc autem multi facti sunt antichristi*. I. Joannis. II. Unde supra illud II. Tessalonicensium. II. *mysterium operatur jam iniquitas*. dicit glossa: *jam timetur antichristi iniquitas, scilicet mystica, idest pietatis nomine palliata*. &c.

Et ideò multitudo talium ypocritarum sibi invicem adhærentium in magno & potenti numero, est signum seu præsagium propinquitatis adventûs antichristi, & præparatio sedis ejus. Nam per tales sic multiplicatos, primò per fraudem ypocrisis, & simulationem sanctitatis, deinde per vim simulationis pietatis populum seducentes & Ecclesiam dividentes instar antichristi capitis sui, sicut prædictum est: tandem procuranda est divisio generalis, seu scissura aliarum Ecclesiarum ab Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum Mater est & Magistra, quæ divisio erit via seu præparatio antichristo venturo, de qua Prophetavit Apostolus 2. Tessa. II. dicens: *nisi venerit discessio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis*. &c. Ubi glossa: *Non veniet Dominus ad judi-*

dicium nisi prius veniat discessio Ecclesiarum a spirituali obedientia Ecclesiæ Romanæ, & nisi manifestetur antichristus. Quasi verò quis quæreret, quid detinet antichristum quominùs veniat, & manifestetur, & quæ est causa dilationis adventus ejus? subdit Apostolus. *Et tunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore.* Ubi glossa: *Quæ sit causa dilationis ejus quæritur.* Non veniet scitis, videlicet quia nondum facta est discessio; ita tamen ut manifestus fiat in tempore sibi congruo, scilicet postquam fuerit facta discessio, & post pauca sequitur, *& tunc revelabitur ille iniquus.* glossa, idest, *tunc manifestabitur antichristus, quasi parata sibi sede.* Cùm ergo venire aut manifestari nequeat antichristus, nisi parata sibi sede, idest, nisi priùs facta hominum discessione, quæ per præcursores antichristi, idest per ypocritas fieri debet, ut dictum est: sequitur quòd illa discessio valdè timenda est populo Christiano, quasi sedes seu præparatio antichristo venturo, & per consequens patet quòd ars cognoscendi hujusmodi ypocritas valdè utilis est.

Et maximè apparet quòd utilis sit tempore moderno, cum jam appareat hujusmodi discessio in Ecclesia, idest divisio schismatica, de qua verisimiliter timendum est ne sit antichristi præambula, juxta illud proverbiorum XXVIII. *Beatus homo qui semper est pavidus, qui autem mentis est duræ corruet in malum.* Igitur sequitur propositum &c.

Quinta ratio fundatur in miraculis quæ per ypocritas fiunt, & quæ maximè fient circa finem mundi: nam quòd per pseudoprophetas fient miracula, idest per ypocritas, testatur Christus, *Mathæi.* XXIV. dicens: *Surgent pseudoprophetæ, & dabunt signa & prodigia.* Glossa dicit: *miracula aliquid magnum significantia.* Unde de talibus dicitur Jeremiæ. XXIII. *Seduxerunt populum meum in miraculis suis cum ego non misissem eos &c.* Et ideò super illud Matthæi. XXIV. *Multi pseudoprophetæ surgent & seducent multos*, dicit Chrysostomus: *Quem ex parte non moveat antichristus faciens signa Christi & antichristi... explentes officia Christianorum; nisi fortè considerantem quod ipse sathanas transfigurat se in Angelum lucis, & ministri ejus in ministros Christi.*

Similiter super illud Matthæi. VII. *Non omnis qui dicit mihi Domine* &c. Ait glossa: *Maximè cavendum est ab hiis qui propter nomen Christi miracula etiam habent, quæ cùm propter infideles Dominus fecerit, monuit tamen ne a talibus decipiamur, putantes ibi esse invisibilem sapientiam ubi est visibile miraculum.* Et infra subdit: *Quia mundo ergo & simplici oculo opus est, ut inveniatur via sapientiæ inter tot deceptiones, & maximè circa finem mundi, suspecta debent esse miracula hujusmodi ypocritarum.* Quia sicut dicit Rabanus super Mathæum. *Hii tanto plures erunt, & magis abundabunt, quantò ad finem appropinquabunt.* Unde circa hujusmodi finem ipsi sic multiplicati, etiam deceptiones, & errores multiplicabunt, quia sicut dicit Chrysostomus super illud Matthæi. XXIV. *Multi venient in nomine meo & multos seducent.* Sicut homo circa mortem phantasias videt; sic mundus in exitu suo multos patietur errores. Quis enim poterit in finali Ecclesia, erroribus non seduci, cum viderit satellites antichristi miracula facientes?

Et per consequens patet quòd ars cognoscendi hujusmodi seductores & cavendi eorum seductiones, est multum utilis, maximè hiis temporibus, quæ fini mundi propinqua esse videntur.

Ex præmissis etiam patet quòd non solùm utile est cognoscere falsos prophetas, sed etiam eorum falsas prophetias, & falsa miracula; quia verisimile est eos non solùm uti veris sed etam falsis miraculis, & prophetiis. Ideò de hiis videbitur in duobus sequentibus Articulis. Igitur &c.

Sexta ratio fundatur in periculis quæ per falsos prophetas simplicibus fidelibus proveniunt ex ignorantia vel negligentia eos cavendi. Nam, sicut patet ex præmissis rationibus, multa pericula Ecclesiæ Christianæ per hujusmodi ypocritas sunt futura: propter quod etiam Christus eos vocat latam portam & spatiosam viam quæ ducit ad perditionem *Matth.* VII. & ideò simplices qui per viam eorum in prædictione dictorum periculorum inducentur, propter simplicitatem suam à peccato non excusabuntur, si contra

A Præceptum Christi & documentum Apostoli, hujusmodi ypocritas cognoscere & eorum seductiones vitare neglexerint. Nam tales qui eos diligenter non cavent, sed tales fures audiunt, non sunt veræ oves Christi, juxta illud Joannis X. *Non audierunt eos oves*, Unde super illud Ezech. II. *Fili hominis cum scorpionibus habitas.* Dicit glossa: *In Evangelio dicitur: non audierunt eos oves.* Qui ergo fures & latrones audierunt, non oves, perierunt: sed quasi viperæ, vulpes & scorpiones. Et primò simplicitas vel ignorantia talium, ex qua procedit error in Fide, vel moribus, non excusat eos; cùm possent tales fures cognoscere, si vellent studium & diligentiam adhibere. Unde de talibus dicitur Isaiæ. XI. *Propterea captivus ductus est populus meus quia non habuit scientiam.* Et Baruch. III. *Qui non habuerunt sapientiam, perierunt propter suam insipientiam.* Et per consequens patet quòd ars vel scientia cognoscendi tales ypocritas, ut vitentur pericula per eos futura, est valdè utilis, immò ne-

B cessaria populo Christiano: & qui talem artem scire negligunt vel qui eam sciunt & per ipsam dicta pericula cavere non curant; in ipsis periculis peribunt, quia ipsa amare videntur: juxta illud Eccli. III. *Qui amat periculum.* Glossa: *idest qui non curat nec studet vitare, peribit in illo.* Igitur &c.

Quantùm ad secundum, videndum est in quibus consistit ypocritarum deceptio.

Circa quod primò, supponendum est quòd isti ypocritæ vel simulatores, de quibus loquimur, non sunt de Judæis nec de paganis, nec de apertis hæreticis: sed sunt de Christianis; aliter enim non possent faciliter decipere Christianos. unde de talibus dicit Apostolus II. Timoth. III. *Habentes speciem pietatis, idest religionis, scilicet Christianæ.* Sed glossa quæ ibidem subdit: *quia eadem Sacramenta habent cum piis & ideò periculosi sunt.*

C Secundò, supponendum est quod cum inter malos Christianos, quidam sint apertè mali, quidam verò occulti, exteriùs apparentes boni; inter istos sunt seductores prædicti: aliter enim non possent decipere. Unde supra illud Apostoli *In charitate non ficta*, dicit glossa: *pseudo simulant charitatem, ut decipiant, quia hujusmodi pseudo ypocritæ non quærunt sanctitatem, sed solam apparentiam sanctitatis.* Nam sicut dicit Gregorius super illud Job. XXVII. *Quæ enim est species ypocritæ.* &c. *Ypocrita qui latinâ linguâ dicitur simulator, justus esse non appetit, sed videri.*

Tertiò, supponendum est quòd inter hujusmodi ypocritas aliqui sunt ignorantes & incauti, & aliqui scientes & astuti, & isti magis sunt periculosi, & ideò magis cavendi, quia magis possunt decipere, eoquòd habent sapientiam mundi: de quo dicit Gregorius X. Moralium, super illo verbo Job. *Deridetur justi simplicitas*, quòd *Hujus mundi sapientia, est cor machinatio-*

D *nibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt vera asserere, quæ vera sunt falsa monstrare.* Hanc autem sapientiam non posset quis exercere, nisi esset subtilis & cautus, ut callidè sciat occultare quod est, & ostendere quod non est. Unde super illud Job. XXXVI. *Simulatores & callidi provocant iram Dei.* dicit Gregorius XXVI. Moralium. *Simulationis falsitatem, nisi qui subtilis ingenii fuerit, exequi non potest* &c. Et ideò tales electurus est antichristus. Nam super illud Job. XXVI. *Hostis meus terribilibus oculis intuitus est me.* Dicit Gregorius XIII. Moralium: *Sicut incarnata veritas in prædicatione sua idiotas & simplices elegit: sic econtra antichristus ad predicandum falsitatem suam, astutos & duplices, & hujus mundi sapientiam habentes electurus est.* Unde contra tales instruit Aposto-

postolus populum Christianum ad Colossenses. II. dicens: *Nemo vos seducat in humilitate & religione angelorum*, idest, eorum qui videntur esse quasi nuntii Dei per speciem humilitatis & religionis, quia hæc sunt quibus homines facile seduci possunt: ut ibidem dicit glossa, & de talibus videtur prophetasse sancta Hildegardis in quadam Epistola, dicens: *Populus iste à diabolo seductus & missus pallida facie veniet, & velut in omni sanctitate se componet.*

Hiis ergo præsuppositis, sciendum est quòd sicut fallaciæ sophisticorum habent causas apparentiæ, per quas decipiunt in speculabilibus, ita deceptiones & seductiones hujusmodi ypocritarum qui sunt sophistæ in moribus, habent etiam causas apparentiæ multiplices. Unde inter ceteras magnæ possunt assignari tres, scilicet quòd hujusmodi ypocritæ sanctitatem apparentem prætendunt in tribus, scilicet in religiosis vestibus, in blandis sermonibus, & in simulatis virtutum operibus.

Prima ergo causa apparentiæ est in religiosis vestibus. Unde, quantùm ad hoc, dicit Christus: *Veniunt ad vos in vestimentis ovium* &c. & generaliter tales veniunt ad decipiendum simulando humilitatem & sanctitatem, tàm per habitûs vilitatem, quàm per habitûs austeritatem & singularitatem. Satis dixi exponendo prædictum textum. Hoc etiam satis ostendit glossa Apocalypseos VI. super illo verbo. *Et ecce equus pallidus.*

Secunda causa apparentiæ est in blandis sermonibus. Unde, quantùm ad hoc, dicit Apostolus: Romanorum ultimo. *Per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium*: contra quos dicitur Isaiæ. III. *popule meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt* scilicet, *blandis verbis*, ùt dicit glossa. Et de talibus dicit Gregorius XXXII. *Moral.* Hii Nimirùm ad decipiendum auditoribus exhibent linguæ dulcedinem, quia & spinæ proferunt flores & apparet quidem in eis quod oleat, sed latet quod pungat: & ideò super illo verbo: *Intrinsecùs autem sunt lupi rapaces*, dicit glossa: *Ideò cavete ne vos dilanient blanditiis & simulationibus*, Idest blandis verbis & moribus simulatè compositis.

Tertia causa apparentiæ est in simulatis virtutum operibus, unde, quantùm ad hoc, super illo verbo *qui veniunt ad vos in vestimentis ovium* &c. dicit glossa: *In conspectu hominum similes sunt ministris justitiæ dùm jejunant, orant, eleemosynas dant.* &c.

Primus ergo modus simulationis ypocritarum, est in jejunando; quia faciunt jejunia, superstitiosè abstinendo à quibusdam cibis communibus, sed aliis cibis voluptuosis, & magis sumptuosis utuntur. Contra quos Hieronymus ad Nepotianum. *Sint tibi jejunia moderata & non superstitiosa. Quid prodest oleo non vesci, & molestias quasdam, difficultates que ciborum quærere?* Tales virtutem abstinentiæ habere videri volunt, sed virtutis laborem fugiunt. Unde de eis super illud Job. VI. *Involutæ sunt semitæ gressuum eorum*: dicit Gregorius. VII. Moral. *Sunt quidam qui humiles esse volunt, sed sine despectu; esse casti, sed sine maceratione corporis; esse patientes, sed sine contumeliis: cumque virtutes adipisci quærunt, sed labores virtutum fugiunt, quid aliud quàm quòd belli certamina in campo nesciunt, & triumphare in urbibus concupiscunt.*

Aliquandò verò verè & valdè austerè jejunant ypocritæ, exteriùs macerando carnem, quandoque usque ad mortem, sed interiùs hoc faciunt propter humanam laudem. Unde de talibus super illud Job. VIII. *Sicut tela aranearum fiducia ejus*: dicit Gregorius, Lib. VIII. Moralium. *Plerumque ypocritæ mirâ abstinentiâ se affligunt, omne robur corporis atterunt; sicque per abstinentiam morti appropinquant, ut penè quotidie morientes vivant. Nam ora pallescunt, cor debilitate quatitur, pectus interrumpentibus suspiriis urgetur: sed inter hæc, ab ore proximorum sermo admirationis quæritur, attestante veritate quæ ait: Exterminant facies suas, ut appareant hominibus jejunantes.*

Contra tales dicit Seneca: Epistola VI. ad Lucilium. *Propositum nostrum est secundùm naturam vivere. Hoc contra naturam est, torquere corpus suum, & faciles odisse munditias & squallorem appetere, & cibis non tantum vilibus uti, sed tetris & horridis: quemadmodùm desiderare delicatas res, luxuria est; ita usitatas, & non magno parabiles fugere, dementia est: frugalitatem enim exigit Philosophia, non pœnam.* Est autem frugalitas temperantia: nam secundùm Pap. *Frugi dicitur temperatus, abstinens alieno, contentus suo.*

Secundus modus simulationis est in orando, scilicet faciendo prolixas & longas orationes propter humanam laudem, vel rerum temporalium cupiditatem. Contra tales loquitur Christus: Mathæi VI. & de hoc ibi dixi, in Orationis divinæ expositione.

Tertius modus in eleemosynas dando; unde Hieronymus ad Nepotianum. *Sunt qui pauperibus partem tribuunt, ut amplius accipiant, & sub pretextu eleemosynæ quærunt divitias, quæ magis negotiatio appellanda est quàm eleemosyna.* &c.

Sed quia hii tres modi simulationis communes sunt & satis noti: dicendum est de quibusdam aliis subtilioribus modis.

Est ergo quartus modus, non solùm in virtutum operibus consuetarum sanctitatem simulare; sed etiam in inconsuetis & novis, scilicet novas superstitiones sub specie religionis adinveniendo: & de talibus dicit Apostolus: Colossensium II. *Secundùm præcepta & doctrinas hominum, quæ sunt habentia rationem sapientiæ in superstitione & humilitate*, &c. Ubi dicit glossa: *Putant se habere rationem sapientiæ qui illa præcepta tradunt. Ideò quia talis traditio est in simulata religione.* Scilicet quia ad traditionem humanam nomen religionis applicant, tales suam superstitionem religionem vocant. Superstitio autem, secundùm Isidorum: Lib. VIII. Ethicorum. *Est vitiosa religio aut superflua aut super Statuta Ecclesiæ observatio*: & talem adinveniunt ypocritæ per arrogantiam & desiderium laudis humanæ, ut singulariter admirentur à populo, propter singularitatem & novitatem vitæ suæ. Contra quos dicit Seneca: Epistola 13. *Non conturbabit sapiens publicos mores, nec populum in se, vitæ novitate, convertet.* Et Epistola 6. *Quid si nos hominum consuetudini cupimus decerpere, vel excerpere, intùs omnia dissimilia sint, frons populo nostra conveniat.* &c. Et intra sequitur: hac primùm Philosophia permittit sensum communem, humanitatem, congregationem, à qua professione nos dissimilitudo separabit.

Quintus modus simulationis, est non solum positivè in simulata operatione virtutum, sed etiam in simulata omissione vitiorum, scilicet aliqua minora peccata per majora, scilicet carnalia per spiritualia, vel minora carnalia per aliqua carnalia majora vitando. Nam sicut dicit Augustinus XXI. De Civitate Dei: capitulo. XVI. *Nonnunquam apertissima vitia aliis vitiis vincuntur occultis, quæ putantur esse virtutes.* &c. Quidam enim ypocritæ humanæ laudis avidi, hujus nimis ingenti cupiditate, ceteras cupiditates comprimunt, ut dicit Augustinus: Libro v. *De civitate Dei.* Cap. XI. Et sic per latentem superbiam & vanam gloriam vincunt quandoque ypocritæ minora peccata, & Mandata, saltem apparenter, observant: ipsi autem suam latentem vanam gloriam occultant; simulando se gloriam mundi fugere, eam sub specie religionis apparenter declinando, ut eam faciliùs assequantur & ad majores honores eleventur. Unde, secundùm illud Job. XXXVI. *Simulatores & callidi provocant iram Dei.* dicit Gregorius XVI. Moralium. *Simulator non se apertè quidem in hoc sæculo videtur extollere, atque ut majorem gloriam teneat, sæpè simulat se gloriam declinare: quia enim ante oculos hominum sequendo eum apprehendere non potest, studet plerumque gloriam tenere fugiendo.* Ipsi etiam ad majorem simulationem sanctitatis, & ut magis appareant mundanam laudem fugere, seipsos fictè accusant, se peccatores dicendo, & tamen si alius eos peccatores assereret, illud susti-

sustinere non possent; sed statim ad suam defensionem assurgunt. Unde contra tales super illud Job. XXXI. *Si abscondi quasi homo peccatum meum*, dicit Gregorius XXII. Moralium. *Judicia vera confessionis sunt, si cum quisque se peccatorem dicit, idem dicenti alteri non contradicit.* Namque scriptum est: *Justus in principio sermonis accusator est sui.* Proverb. XVIII. Et infra, *ex hoc*, inquit, *quod aliquis peccatorem se dicit, sed hoc dicenti alteri contradicit, manifeste patet quòd humilis videri cupit, sed vilis haberi refugit. Non est igitur humilis verus, sed simulator superbus.* Sicut supra illud Job. XXIV. *Si erravi tu doce me*, dicit idem Gregorius XXVI. Moralium: *propria fraus arrogantium est, ut tunc de errore suo inquirere studeant, cum se noverunt non errasse: & qui rursum argui de errore despiciunt, si quandoque se errasse veraciter præcognoscunt:* non enim esse sed videri humiles appetunt.

Sextus modus simulationis, est non solùm in simulata operatione virtutum, vel omissione vitiorum moralium; sed etiam in simulata operatione virtutum miraculosarum, scilicet miracula de se, aut propter se, vel per se fieri fingendo, aut etiam quandoque veraciter ea faciendo. Nam quandoque ypocritis à Deo infunditur gratia, non solùm ad bona virtutum opera; sed etiam ad miracula facienda, & præscienda futura: sed de hoc videndum est in duobus sequentibus Articulis; & ad illum textum: *Multi dicent mihi, in nomine tuo prophetavimus* &c.

Sic Patet ergo qualiter ypocritæ simulant sanctitatem, non solùm in vestimentis aut verbis, sed etiam in factis, scilicet sex illis modis declaratis, ut de illis meritò possit dici illud Jeremiæ XXXIII. *In Prophetis Jerusalem vidi similitudinem*, id est non veram virtutem vel sanctitatem, sed ejus similitudinem vel simulationem.

In hiis autem variis simulationum modis, quid quærant ypocritæ prædicti ostendit Gregorius in VIII. Libro Moralium super illud Job. VIII. *Numquid potest carrectum crescere sine aqua*, ubi sic ait: *Quid in cunctis operibus sperat ypocrita, nisi reverentiam honoris, gloriam laudis, à melioribus metui, ab omnibus sanctus vocari.*

Et primò, tales per suas simulationes & subtiles duplicitates, vulgariter ab hiis qui eos subtiliter non attendunt, esse creduntur Ecclesiastica membra Christi, cùm tamen sunt præambuli antichristi & persecutores Ecclesiæ Dei, decipiendo simplices fideles Christi. Unde de talibus rectè prophetavit in persona Ecclesiæ Job. XXX. dicens: *Ad dexteram Orientis illicò calamitates meæ insurrexerunt.* Super quod dicit Gregorius XX. Moralium: *Ad dexteram Orientis illicò calamitates insurgunt; quia hii ad persecutionem Ecclesiæ prosiliunt, qui Ecclesiastica membra Redemptoris nostri esse creduntur.* Unde tales faciliùs seducere & vehementiùs Ecclesiæ nocere possunt, quia nemo audet eos arguere, aut eis resistere, propter reverentiam sanctitatis in eis apparentis: quia, sicut dicit Augustinus. *Nemo in Ecclesia Dei ampliùs nocet, quàm qui perversè agens, nomen vel ordinem habet sanctitatis; nam hunc redarguere nemo præsumit.* Aliæ sunt etiam causæ, quare timendum est eis resistere: sicut dixi super illo verbo: *Intrinsecùs autem sunt lupi rapaces.* &c.

Sed hìc occurrit dubium: unde insurgere debent seductores prædicti, ad persequendum Ecclesiam Christi. Ad hoc dicendum est quòd non erunt extranei, & quasi ignoti, de remotis partibus procedentes; sed indigenæ locorum omnium, & illorum quos decipient plerumque domestici & familiares. Unde super verbo prædicto: *Ad dexteram Orientis* &c. dicit Gregorius: *Ideò asserit eos contra Ecclesiam illicò surgere: quia dùm non sunt extranei, sed propinqui qui persequuntur ab eis repentè & illicò mali fient.* Quia enim *nulla est pestis efficacior ad nocendum quàm familiaris inimicus.* ut dicit Boëtius 3. *De consolatione.* Ideò tales cùm erunt domestici, & apparentes amici efficaciùs nocebunt. Unde super illud Michææ. VII. *Noli credere amico*, dicit glossa: *idest vocibus pseudo prophetarum, qui se fingunt adulando amicos.* Tales ergo domestici sunt periculosiores inimicis, juxta illud Mathæi. X. *Inimici hominis domestici ejus.* Unde de talibus prophetavit Apostolus: Actuum. XX. dicens. *Ego scio quoniam ex vobis ipsis surgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Non enim dicit quòd surgent ex alienigenis, sed ex vobis ipsis. Et ut ostendat quam vehementer sunt timendi populo Christiano; subdit: Propter quod vigilate, memoriâ retinentes quoniam per triennium nocte & die non cessavi cum lachrymis commonere vos.*

Sed contra hæc videtur esse illud quod de ministris antichristi habetur Apocalypseos XX. ubi dicitur: *Solvetur sathanas & seducet gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog & Magog.* Nam ibi dicit glossa quòd *has gentes primo seducet* ad litteram *& per hos ad alias procedet.*

Ad hoc dicendum est quòd ex hac glossa non est intelligendum quòd Gog & Magog sint aliquæ gentes Barbaræ, vel à remotis partibus venturæ: unde Augustinus prædicta verba Apocalypseos exponens XX. Lib. *De Civitate Dei.* cap. 11. Ita dicit: *Gentes quippè istæ quas appellat Gog & Magog non sic sunt accipiendæ, tanquam sint aliqui in aliqua parte terrarum barbari constituti* &c. Et hoc diffusè persequitur; & tandem ex interpretatione horum nominum Gog & Magog concludit quòd quia Gog interpretatur tectum & Magog interpretatur de tecto. Primò gentes istæ Gog, idest tectum dicuntur; quia in eis nunc includitur, & quodammodò tegitur inimicus antiquus. Sed erunt Magog, idest de tecto, quoniam in apertum odium de operto erupturæ sunt, idest quoniam post opertam & occultam maliciam, tandem in apertam & manifestam Ecclesiæ persecutionem procedent. Et in fine capituli dicit Augustinus: quòd *Isti non utique ad unum locum venturi sunt*; sed quia Ecclesia toto Orbe terrarum diffusa est: ideò ubicumque tunc erit Ecclesia quæ in omnibus gentibus erit; ibi ab hujusmodi hominibus inimicis suis in angustias tribulationis arctabitur, urgebitur, concludetur &c.

Et ideò prædicta glossa Apocalypseos sic intelligenda est, quòd istæ gentes, idest prædicti seductores, qui per Gog & Magog accipiuntur, primo à diabolo sub specie sanctitatis seducentur, & per has ad alias procedet; quia sub eadem specie ab eis simplices fideles Christi decipientur, ut sic de ipsis & per eos seductis magnum parent populum antichristo venturo. Ut dicit glossa supra illud II. Thessalonicensium II. *Mysterium jam operatur iniquitatis.* Et hæc de secunda parte primi articuli.

Quantùm ad tertiam, videndum est qua arte à fructibus ypocritarum potest ipsorum haberi cognitio. Unde pro responsione ad primum principalem articulum, circa hoc triplex probabitur quæstio. Prima est quòd ars cognoscendi ypocritas est multùm difficilis. Secunda, ars hujusmodi, propter rationalem causam à Christo tradita, est generalis & specialis. Tertia, quòd ars hujusmodi specialis potest sufficienter haberi ex aliis scripturis, & sanctorum doctrinis.

Prima quæstio patet: quia sicut in speculabilibus ars cognoscendi fallacias sophistarum est multùm difficilis, ex eo quòd ad habendum sufficienter talem artem, opportet cognoscere ipsarum fallaciarum causas apparentiæ, & causas defectûs: sic in moralibus ars cognoscendi fallacias ypocritarum, est valdè difficilis: quia ad talem artem pertinet cognoscere causas apparentiæ, & causas defectûs suarum fallaciarum; hoc autem est difficillimum: nec mirandum est si difficile est hujusmodi causas apparentiæ & defectûs ypocritarum cognosci ab aliis, cum etiam quoniam vix cognoscantur à semet ipsis; nam plerumque adeò ex-

 cæ-

cæcantur ut se ipsos esse ypocritas non cognoscunt; sed se bonos esse credunt. Unde super illud Job. xx. *Velut somnium advolans non invenietur*, dicit Gregorius xv. Moralium: *Ypocritæ dùm ab hominibus immoderatè laudantur, tales se quoque apud Deum esse existimant, quales se gaudent hominibus innotuisse.* Unde fit ut etiam æternæ vitæ præmia se percepturos præsumant. De talibus dicitur Proverbiorum xiv. *Est via quæ videtur homini justa, novissima autem ejus ducunt ad mortem.*

Ex his patet primò quòd ypocrisis est summè periculosum peccatum & ad finalem impœnitentiam dispositivum: quia de aliis peccatis possunt pœnitere peccatores, propter conscientiam arguentem; ypocritæ verò dùm propter immoderatam laudem humanam, se plerumque sanctos existimant, ut dictum est, adeò vincti sunt peccato, quòd pœnitere non possunt, cùm non habeant conscientiam arguentem; sed potiùs deffendentem, & statum suum approbantem. Unde supra illud Job: xxxvi. *Non clamabunt cum vincti fuerint*, dicit Gregorius xxvi. Moralium: *Vincti non clamant ypocritæ; quia humana laudis aviditate superati, sanctos se esse miseri, etiam cùm in peccatis moriuntur putant.* Et primò valdè periculosè falluntur; quia dùm peccatum suum non agnoscunt, de remedio non cogitant. Unde Seneca Epistola xxviii. ad Lucilium, *Initium*, inquit, *salutis, est notitia peccati.* Egregiè hoc mihi videtur dixisse Epicurus: *nam qui peccare se nescit, corrigi non vult.* Ex quibus patet secundò quòd ypocritæ non solùm sunt periculosi aliis; sed etiam sibimetipsis: quia ypocrisis est nequitia, quâ scilicet ypocrita, decipit seipsum, ut dicit glossa super illud Ecclesiastici. xxxvii. *O præsumptio nequissima, unde creata es* &c?

Tertiò patet, quia fautores ypocritarum sunt non solùm sibi, vel aliis bonis, sed etiam ipsismet ypocritis periculosi: quia propter eorum favorem ypocritæ in sua simulatione & deceptione perseverant. Unde secundùm illud Job: xx. *Nec ultra eum intuebitur locus ejus*, dicit Gregorius, xv. Moralium: *Quis est locus ypocritæ, nisi cor adulantium: ibi quippè requiescit, ubi fautores invenit.* Et ideò fautores ypocritarum sunt corrigendi. Unde de talibus loquens Augustinus: Libro *De opere Monachorum*, dicit: *Sciant ergo ceteri fratres, & filii nostri, qui favere talibus, & hujusmodi præsumptionem deffendere consueverunt, se potissimum corrigendos.*

Ex quibus quartò patet quòd ars cognoscendi ypocritas, non solùm utilis est bonis Christianis; sed etiam ipsismet ypocritis & fautoribus suis: non solùm propter sex rationes positas in principio quæstionis; sed etiam propter difficultatem hujusmodi artis, & periculum peccati ypocrisis, ut dictum est.

Secunda conclusio est quòd ars hujusmodi rationabiliter à Christo tradita, est generalis non specialis: nam Christus tradidit eam generaliter, quando dixit: *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Matthæi: vii. Unde super hunc locum quærit Chrysostomus. *Quare non dedit Dominus doctrinam quâ cognoscerentur?* Et respondet: *quia* inquit *voluit nos esse in agone spiritûs.* Et ideò patet quòd licèt ypocritæ sint maximè periculosi universali Ecclesiæ, ut ostensum est; tamen Dominus non dedit nobis doctrinam quâ cognoscuntur, scilicet doctrinam specialem, certam & infaillibilem: & hoc propter causam rationabilem, scilicet, ut ad cognoscendum eos semper essemus contra eos in agone, id est in exercitio & sollicitudine.

Sed dedit doctrinam generalem, per quam sollicitè eos considerando, possumus ipsos cognoscere, scilicet *à fructibus eorum*, idest ab operibus malis, quandoque diligenter considerantibus manifestis, licèt nitantur ea occultare aliquibus exterioribus operibus bonis. Ideò nos monet Apostolus: *Quæ secundùm faciem sunt, videte* ii. Thessal. x. Ubi dicit glossa: *idest diligenter eorum opera considerate, qui in vestro conspectu tam bona agunt, ne fortè vos seducant.* Et super illud Philip. iii. *Observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam vestram.* Ambrosius dicit in glossa: *Vult illos esse sollicitos, ne pravorum hominum subtilitate capiantur, & notent quomodò generaliter conversetur & doceat ut hiis jungantur, in quibus sensum Magistri sui agnoverunt.* Ad habendum ergo contra tales
A ypocritas diligentem considerationem & sollicitudinem, tradidit Christus doctrinam & artem eos cognoscendi generalem.

Tertia conclusio est quòd ars specialis cognoscendi ypocritas potest sufficienter haberi, non solùm ex verbis Christi præmissis, sed etiam ex aliis scripturis, & Sanctorum doctrinis: nam Sancti ex diligenti consideratione scripturarum, & ex sollicitudine habita contra deceptiones ypocritarum, prædictam artem generalem à Christo traditam, nobis fecerunt aliquo modo specialem per suam doctrinam. Unde sciendum est quòd, secundùm doctrinam scripturarum & sanctorum, ars specialis cognoscendi ypocritas ex fructibus eorum potest haberi dupliciter, secundùm quòd eorum fructus dupliciter possunt cognosci. Uno modo fructus eorum, id est eorum opera mala possunt cognosci, ex hoc quòd cessat eorum causa
B apparentiæ, idest eorum simulatione cessante. Alio modo possunt cognosci, etiam durante hujusmodi causa apparentiæ, scilicet simulatione durante, & utroque scilicet modo multipliciter.

Primo modo ergo cessat eorum simulatio, cessante laude hominum vel favore. Unde super illud Job. *Tygris periit, eo quod non haberet prædam*: dicit Gregorius, Lib. vi. Moralium: *Jam tua ypocrisis prædam non habet, quia humanis favoribus caret.*

Secundò cessat simulatio ypocritarum, adepto suo temporali fine, scilicet adepto illo ad quod sperabant per ypocrisim pervenire. Unde super illud Job. viii. *Nunquid potest carectum crescere sine aqua?* dicit Gregorius, viii. Moralium: *Ypocritæ plerumque studio sacræ eruditionis insistunt, & quia hanc non præparandis animis, sed pro merendis favoribus inquirunt; statim ut judicium humanæ laudis arripiunt, & per hoc gloriam haustorii provectus assequntur, tota mente sæcularibus inserviunt, atque à sacra funditus eruditione evacuantur, & agendo post indicant quantùm temporalia diligant qui sola prius æterna*
C *prædicabant.* Et enumeratis quibusdam simulatis virtutibus ypocritarum subdit; *Sed cùm per hæc quæsiti culmen honoris attigerint; protinus se in lasciviam voluptatis fundunt, & bona se non ex corde tenuisse ipsi sibi testes sunt.* &c.

Nec mirum, si opera simulata ypocritarum deficiant, cum in charitate radicata non sint. Unde viii. Moralium paulò ante verba prædicta idem Gregorius ait: *Sciendum est quòd justorum bona, quæ ex charitate proveniunt, usque ad præsentis vitæ terminum crescunt: ypocritarum vero opera, quia nequaquam sunt in occulto radicata, sæpe ante deficiunt quam præsens vita finiatur.* Hiis ergo duobus modis cognosci possunt ypocritæ, eorum simulatione cessante, sed, ipsa durante, etiam multipliciter possunt cognosci, licèt difficiliùs.

Tertio modo ergo possunt cognosci, etiam durante eorum simulatione, ex ipsorum impatientia, scilicet adversitatis tempore. Unde super illud Matthæi. vii. *A fructibus eorum* &c. dicit glossa: *Maximè au-*
D *tem per impatientiam discernentur, tempore adversitatis.* Et super eodem dicit Augustinus: *Cum cœperint aliquibus tentationibus ea ipsa eis subtrahi vel negari, quæ isto velamine consecuti sunt, vel consequi cupiunt, tunc necesse est ut appareat utrum lupus in ovina pelle sit, an sua.*

Quarto modo possunt cognosci, ex peccatorum dedignatione, quia scilicet ex infirmitate peccatoribus non compatiuntur; sed eos despiciunt. Unde super Job. Lib. xix. Moralium dicit Gregorius: *Vera justitia compassionem habet, falsa vero dedignationem.*

Quinto modo cognoscuntur, ex jacturæ temporalis

lis magis quàm spiritualis repulsione: unde super illud Job. 39. *Frustra laboravit nullo timore cogente.* dicit Gregorius, 31. Libro Moralium: *Ypocrita si quod sibi leviter inferri temporale damnum senserit, in ultionis iram repentè ab intimis inardescit, quia dum animarum damnum æquanimiter tolerat, jacturam vero rerum temporalium repellere, etiam cum spiritus commotione festinat, cunctis veraciter indicat, teste mentis perturbatione, quid amat. Ibi quippè est grande studium defensionis, ubi est gravior vis amoris.*

Sextò modò, cognoscuntur ex superfluarum singularitatum, & superstitiosarum novitatum adinventione: unde novitatum præsumptiones, sicut & ypocrisis ex vana gloria oriuntur, ut dicit Gregorius: 31. *Libro Moralium* super illud Job. XXXIX. *Procul odoratur bellum* &c. in hoc enim *tales imitantur diabolum, qui semper diligit novitates*: ut dicit glossa super illud Ecclesiastici: *Qualis rector civitatis tales habitantes in ea.* Et de hoc transeo, quia satis dixi in secunda parte hujus Articuli.

His ergò modis & quibusdam aliis, quos omnes dinumerare longum esset, ypocritas a fructibus eorum possumus cognoscere.

Unde ad primam rationem ante oppositam patet solutio ex prædictis: nam dicendum est quòd nullus judicandus est malus ex operibus occultis; sed manifestis: nec ex operibus manifestis quæ bona sunt, nec ex talibus operibus bonis cognoscuntur ypocritæ, quia nec sunt eorum fructus, sed mala opera eorum quæ divino judicio manifestantur, & à talibus cognoscuntur, sicut declaravi superiùs & in expositione Textûs 1. & hæc de primo Articulo.

Quantùm ad secundum Articulum; videndum est de distinctione Prophetiarum: unde postquam dictum est de ypocritis congruo ordine, dicendum est de Prophetiis, ac deinde de miraculis. Nam hujus ordinis congruitas patet ex hoc, quia postquam Christus loquutus est de ypocritis dicens: *Attendite a falsis Prophetis* &c. posteà de Prophetiis & miraculis subjunxit, *Multi dicent mihi: in nomine tuo prophetavimus, & virtutes multas fecimus.* &c. Quantùm ergo ad præsentem Articulum de Prophetiis, tria sunt declaranda. Primò, quid sit Prophetia, secundò quæ sit Prophetiæ causa: tertiò, videndum est de multiplici Prophetiæ differentia.

Quantùm ad primum, sciendum quòd secundùm Cassiodorum: *Prophetia est inspiratio vel revelatio divina, rerum eventus immobili veritate denuntians vel prænuntians.*

Ex qua descriptione aliquæ generales Considerationes possunt inferri. Prima est, quòd licèt Prophetia multipliciter accipiatur; quia quandoque pro objecto Prophetiæ, scilicet pro ipso prophetico denuntiato, quandoque verò pro ipso actu prophetandi, tamen Prophetia propriè dicta, à qua aliquis, cessante actu prophetandi, denominatur Propheta, scilicet ipsa inspiratio vel manifestatio divina, fit per quoddam lumen intellectuale, juxta illud Apostoli Ephes. II. *Omne quod manifestatur lumen est*: nam sicut manifestatio corporalis visionis est & fit per lumen corporale; sic manifestatio spiritualis visionis fit per lumen intellectuale, & ideò ex conditione & similitudine luminis corporalis potest aliquo modo cognosci conditio Prophetiæ seu illuminationis propheticæ.

Unde ex hoc primò sequitur, quòd sicut duplex est lumen corporale, quoddam est naturæ permanentis, quod appriatè lux dicitur, sicut lumen solis vel ignis, aliud est naturæ successivæ seu transeuntis, sicut lumen aëris: sic lumen intellectuale naturalis rationis lumen excedens, quale est lumen propheticum in duplici differentia. Nam quoddam est supernaturale lumen, quod est naturæ permanentis, & istud non est in Prophetis, sed est in Beatis; de quo dicitur in Psalmo: *In lumine tuo videbimus lumen.* Ps. XXXV. 10. Aliud est supernaturale lumen, quod est naturæ transeuntis, & tale est in Prophetis, & hoc significatur 3. *Regum.* XIX. ubi dicitur ad Heliam: *Egredere & sta in monte coram Domino, & ecce Dominus transit* &c. Et Exod. XXXIII. dicitur ad Moysem: *cùmque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ* &c.

Ex quo sequitur secundò, quòd sicut aër semper indiget nova illuminatione, sic mens Prophetæ indiget nova inspiratione: quemadmodùm discipulus instruendus indiget continua Magistri instructione, ideò Isaïas de Deo loquens dicebat: *Audiam eum quasi Magistrum* &c. & hoc etiam modum loquendi Prophetarum designat; quia dicitur quòd loquutus est Dominus ad talem Prophetam, aut quòd factum est verbum Domini, aut manus Domini super eum.

Tertiò, ex hoc sequitur quòd Prophetia non est habitus in mente ipsius Prophetæ post actum prophetandi remanens. Cùm habitus propriè sit qualitas permanens & de difficili mobilis, secundùm Aristotelem: aliter enim si Prophetia esset habitus, quia habitibus uti possumus cum volumus; sequitur quòd Prophetis quandocumque vellent, adesset facultas prophetandi, quod patet esse falsum. Quia, sicut dicit Gregorius super Ezechielem, aliquando Prophetiæ spiritus deest Prophetis, nec semper eorum mentibus præstò est.

Quartò sequitur quòd aliquis dicitur Propheta ab ipsa Prophetia, etiam ea non permanente; sed transeunte & actualiter cessante, & hoc propter alteram duarum causarum, seu propter utramque simul. Una est, quia ut quidam dicunt, sicut in rebus corporalibus, abeunte passione, remanet quædam habilitas seu dispositio ad hoc quod tantum passum facilius patiatur, sicut lignum semel inflammatum facilius tantum inflammatur; ita etiam in intellectu Prophetæ, cessante actuali illustratione, remanet quædam habilitas ad hoc quòd faciliùs iterum illustretur. Sicut etiam mens per orationem semel ad devotionem excitata, faciliùs postea ad devotionem pristinam revocatur, secundùm Augustinum in Libro *De Orando Deum.*

Alia causa est, quia licèt in mente Prophetæ nulla talis qualitatum dispositio remaneret, cessante actuali prophetica illustratione; tamen dicitur Propheta ex ipsa deputatione divina. Juxta illud Jerem. I. *Prophetam in gentibus dedi te.*

Secunda consideratio est, quòd licèt Prophetia sit di-divina inspiratio, tamen non semper est in mente à Deo, vel de Deo, vel in Deo, & per hoc etiam lumen propheticum differt à lumine beatifico, quia lumen beatificum est in mente à Deo, & est de Deo, & in Deo, quia per ipsum videtur Deus immediatè in se ipso: juxta illud jam allegatum in Psalmo: *In lumine tuo*, scilicet beatifico creato, *videbimus lumen*, Ps. XXXV. 10. scilicet te ipsum lumen increatum: sic autem non est de lumine prophetico.

Unde Prophetæ non vident divinam essentiam, nec in ipsa vident ea quæ vident, sed in quibusdam similitudinibus, quasi in speculis vel imaginibus divino lumine illustratis, juxta illud Apostoli: *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate.* 1 Cor. XIII. 12.

Ex quo primò sequitur, quòd licèt ille modus Prophetiæ sit ceteris dignior, ex quo scilicet ex sola Spiritus sancti inspiratione, remoto omni exteriori adminiculo facti, vel dicti, vel corporalis visionis, vel somnii prophetatur, sicut dicit glossa in primo Psalmo: tamen Prophetia quæ fit per similitudinem corporalium rerum secundùm imaginariam visionem, est communior, & magis propriè Prophetia nominatur.

Prima pars patet, quia prima illuminatio quæ fit per nudam contemplationem ipsius veritatis magis appropinquat ad visionem propriè & per eam magis elevatur mens Prophetæ, sicut in doctrina humana discipulus ostenditur melioris & altioris intellectus, qui veritatem intelligibiliter à Magistro nudè probatam capere potest, quia ille ad hoc sensibilibus exemplis indiget.

Unde

Unde ad commendationem Prophetæ David dicitur 2. Regum XXIII. *Mihi loquutus est fortis Israel.* Et postea sequitur *sicut lux auroræ oriente sole mane absque nubibus rutilat.*

Secunda pars patet: quia communiter omnes illi quos Hieronymus in Prologo Libri Regum propriè Prophetas nominat, & quos distinguit inter Hagiographos, scilicet Isaïas, Jeremias & alii hujusmodi, simul cum intellectuali visione imaginariam habuerunt; non autem illi qui dicuntur Hagiographi, scilicet ex sola inspiratione Spiritus sancti scribentes. Sicut Job, David, Salomon, &c.

Et ratio est, quia Prophetia quæ est cum imaginaria visione, magis habet rationem visionis speculationis ænigmaticæ, & per consequens visionis viæ; quia magis habet rationem Prophetiæ: & sic debet intelligi illud quod dicit Augustinus XII. super Genesi ad litteram & habetur in glossa 1. *Corinth.* VIII. super illud: *Spiritus autem loquitur mysteria*, ubi dicitur: *minus est Propheta qui rerum significatarum solo spiritu videt imagines, & magis est Propheta qui solo eorum intellectu est præditus: sed maximè Propheta est qui in utroque præcellit*, scilicet in intellectuali & imaginaria visione. Et hoc dicitur, quia est de ratione Prophetiæ propriè dictæ, quòd sit cum ænigmate & aliquali obscuritate. Juxta illud 2. *Petri* 1. ubi Prophetia comparatur lucernæ lucenti in caliginoso loco, & ideò debet esse ænigmatica & imaginaria visio. Unde ulterius sequitur secundò, quòd cum modus Prophetiæ qui fit sine imaginaria visione excedat rationem Prophetiæ propriè dictæ: consequens est: ut gradus Prophetiæ distinguantur secundùm varios modos visionis imaginariæ. Verbi gratia ad altiorem gradum Prophetiæ pertinet imaginaria visio quæ fit in vigilando; quàm illa quæ fit per modum somnii in dormiendo; quia major vis Prophetici luminis esse videtur, quòd animam vigilantem & occupatam circa sensibilia abstrahat ad supernaturalia, quàm quòd animam dormientem: quia jam abstractam à sensibilibus invenit.

Secundò etiam diversificatur gradus Prophetiæ secundùm varietatem signorum imaginabilium: unde? Quia verba inter signa exteriora sunt maximè expressiva: ideò altior gradus Prophetiæ videtur per verba quàm per alia signa exteriora aliquarum rerum figurativa: sicut septem spicæ plenæ in somnio Pharaonis significabant septem annos ubertatis. In hujusmodi autem signis, tantò videtur Prophetia altior esse, quantò signa sunt magis expressiva, sicut Jeremias vidit incendium civitatis sub similitudine ollæ succensæ.

Tertiò, ostenditur Prophetia esse altior, quandò Propheta non solùm videt signa verborum aut factorum, sed etiam aliquem sibi colloquentem, aut per hujusmodi signa aliquid demonstrantem: quia hoc est signum quòd mens Prophetæ magis appropinquat ad causam revelantem.

In hoc autem Prophetia redditur altior ex conditione ejus qui videtur: nam altior est Prophetia si videatur in specie Angeli quàm hominis, & adhuc altior si videatur in specie Dei. Sicut Isaïas vidit Dominum sedentem &c.

Tertiò sequitur, quòd licèt, ceteris paribus, perfectior sit illustratio quæ fit immediatè à Deo; tamen Prophetia propriè dicta, idest inspiratio divina potest fieri mediante Angelo bono quia sicut dicit Dionysius VIII. Ecclesiasticæ Hierarchiæ *divinas visiones gloriosi Patres nostri adepti sunt per medias cœlestes virtutes*, & ratio est; quia, sicut dicit Apostolus, *Quæ a Deo sunt ordinata sunt.* Habet autem divinitatis ordo, ut ait idem Dionysius: ut infima per media disponat, Angeli verò medii sunt inter Deum & homines. Ideò illuminationes hominum sunt à Deo, mediantibus Angelis, quasi mediantibus instrumentis: & quia operatio instrumenti attribuitur principali agenti, in cujus virtute agit agens instrumentale; ideircò prophetica revelatio quæ fit ministerio Angelorum dicitur esse divina. Igitur &c.

Quartò sequitur, quòd licèt Angeli mali quædam cognoscant ab hominum cognitione remota, quæ possunt hominibus revelare, sicut declarabitur in hujus Articuli tertia parte: tamen eorum revelatio non est prophetica propriè & simpliciter dicta, quia non est revelatio divina. Ex eo scilicet, quia ipsi dæmones non sunt ad hoc à Deo ordinati ut sint ejus ministri sicut Angeli boni: ideò Christus imponebat silentium dæmonibus de ipso vera annuntiantibus: & ideò etiam in signum hujus, revelatio facta ab eis, in Scriptura non dicitur Prophetia, nisi secundùm quid; nec habentes revelationes ab eis dicuntur Prophetæ, nisi secundùm quid, & cum aliqua additione, scilicet prophetæ Baal 3. *Reg.* XVIII. vel prophetæ idolorum & prophetæ falsi, juxta illud Augustinus XII. super Genesim: *Cum malus spiritus arripit hominem in hæc, scilicet visa, aut dæmoniacos facit, aut falsos prophetas*: quamquam tamen nomen Prophetæ largè sumitur, & sic propriè ad hoc extenditur.

Tertia consideratio, juxta secundam partem descriptionis Prophetiæ, in qua dicitur rerum eventus &c. est ista: quia licèt mens Prophetæ quandoque elevetur ad cognoscendum res occultas præteritas vel præsentes; tamen solùm convenit ei propriè nomen Prophetæ, in quantùm elevatur ad cognoscendum rerum eventus, id est futurorum contigentium supernaturales veritates.

Prima pars probatur per exemplum: quia sicut speculum materiale secundùm diversos situs ipsius varie repræsentat; ut si opponatur ad sursùm repræsentat corpora superiora; si vertatur deorsùm repræsentat inferiora, si ad latus, lateraliter jacentia, & sic diversimodè: sic potest imaginari de anima seu mente Prophetæ quæ est speculum spirituale, quòd in ea aliqua relucent abscondita, quæ sunt in excelsum supra; quandoque quæ sunt in profundum inferni subtùs; & quandoque ea quæ in hoc mundo quasi jacent ad latus. Vel etiam hoc exemplum referendo ad durabilitatem mensuræ, quandoque ipsa anima videt supra; scilicet ea quæ sunt in æternitate; vel quandoque retrò, scilicet præterita; vel quandoque infra, scilicet præsentia; vel quandoque ante, scilicet futura: quia generaliter loquendo, de omnibus istis potest esse Prophetia, secundùm Gregorium super Ezechielem, ubi dicitur quòd *Prophetia quædam est de præterito*: sicut illud quod dicitur Geneseos 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Quædam de præsenti, sicut illud quod dicit Apostolus 1. *Corinth.* XIV. quòd per Prophetiam *occulta cordis manifesta fiunt*, Quædam verò de futuro, sicut illud Isaïæ VII. *Ecce Virgo concipiet* &c.

Prædictum autem exemplum non sic est accipiendum, quasi anima quæ est speculum spirituale sit causa hujus varietatis, seu variæ cognitionis: sed ejus causa est variatio, seu varia illuminatio prophetici luminis super eam irradiantis.

Secunda pars per ethymologiam nominis: quia Prophetæ, secundùm Isidorum *lib. Ethicorum*, dicuntur quasi præfatores, eo quòd procul fantur, idest à remotis fantur, & de futuris vera prædicant: nec tamen de quibuscumque futuris, sed de futuris contingentibus, quorum non est determinata veritas, nec per viam naturalem præcognita; sicut Medici vel Astrologi quædam præcognoscunt futura: & ideò ad Prophetas pertinet propriissimè præcognitio eventuum contingentium futurorum, procul à naturali ratione existentium & hoc nomen Prophetiæ indicat. Unde dicit Gregorius *supra Ezech.* quòd cum ideò Prophetia dicta sit, quòd futura prædicat; quando de præterito vel de præsenti loquitur, rationem sui nominis amittit.

Ex prædictis patet primò quòd licèt Prophetia sit propriè de contingentibus futuris, tamen ipsa est immobilis veritatis: ideò dicitur in descriptione: *Immobili veritate* &c. Hoc autem dicitur ad istum sensum: quia

quia impossibile est Prophetiæ subesse falsum, cujus causa est; quia prophetica revelatio est impressa quædam divinæ præscientiæ similitudo, sicut doctrina Magistri in discipulo. Ad hunc sensum dicit Hieronymus, quòd *Prophetia est signum præscientiæ divinæ*, & præsens eadem veritas immobilis est cognitionis divinæ, enuntiationis propheticæ, cùm signum correspondeat signato. Qualiter autem hoc potest salvari, alibi habet videri.

Secundò sequitur, quòd licèt mens Prophetæ sicut instrumentum à Spiritu sancto, tanquam à principali agente ad diversa multipliciter moveatur; nisi tamen cognoscat se à Spiritu sancto moveri, propriè non Propheta dicitur: & ideò in descriptione ponitur, quòd *Prophetia est divina inspiratio rerum eventus denuntians*, scilicet menti Prophetæ, ut eos prævideat & à Deo scilicet revelari cognoscat.

Pro cujus declaratione sciendum est, quòd mens Prophetæ movetur non solùm ad aliquid faciendum, vel loquendum, & quandoque ad omnia, & simul; quandoque ad duo; quandoque ad unum solum, & ad quodlibet istorum multipliciter & diversimodè; quandoque etiam movetur ad apprehendendum aliquam rem vel similitudinem, absque hoc quòd cognoscat ejus significationem, sicut patet de Pharaone & Nabuchodonosor; quandoque autem movetur ad cognoscendum significationem, licèt non viderit imaginariam similitudinem, sicut patet de Joseph & Daniele, qui exposuerunt illorum somnia; quandoque autem movetur, non solùm ad apprehendendum similitudinem, & cognoscendam significationem; sed etiam ad cognoscendum hoc esse per divinam revelationem: sicut dicitur 2. Regum. XXXIII. 2. *Spiritus Domini loquutus est per me* &c. Quandoque etiam movetur ad aliquid loquendum, & quid intendit Spiritus sanctus per verba sua non intelligit, sicut patet de Caypha: *Joannis.* XI. quandoque etiam ad aliquid faciendum, & quid illud significet non cognoscit, sicut milites dividentes vestimenta Christi, non intelligebant quid hoc significaret. Cùm ergo animus movetur ad apprehendendum, loquendum, vel faciendum; si hoc intelligat, scilicet significationem dicti aut facti sui, & cognoscat hoc à Spiritu sancto fieri, hoc propriè ad Prophetas pertinet: alioquin non est perfecta Prophetia; sed quidam instinctus propheticus, vel infimus Prophetiæ gradus.

Tertiò sequitur, quòd licet aliquæ animæ sint de procul visivæ, propter quod, sicut ostensum est, dicuntur prophetare: tamen sicut non omne visibile potest in quolibet speculo à qualibet distantia videri; sed à certis distantiis & variis, secundùm diversas magnitudines visibilium, & differentias speculorum: sic etiam hujusmodi animæ futurorum visivæ, non à qualibet distantia temporis possunt inspicere, immò quantùm ad hoc, sunt à certis spatiis limitatæ. Unde Daniel Angelo qui multa sibi revelavit dicebat: *Domine mi, quid erit post hæc? Et ait ei: vade Daniel, quia clausi sunt signatique sermones usque ad perfectum tempus.* &c. Dan. XII. 8. 9. Ac si ibi illa terminaretur potentia visionis, quantùm ad talia, licèt forsan majora viderentur à majori distantia; potentia tamen absoluta Dei revelantis nullibi est terminata. Similiter etiam, sicut magnitudo distantiæ rarò percipitur in speculo, nisi valdè confusè; sic anima quandoque prævidet futura, non perpendendo distantiam, nisi in confuso, scilicet quæ sunt propè, vel longè: sicut Propheta dixit de Christo. *Videbo eum, sed non modò: intuebor illum, sed non propè.* Num. XXIV. 17. & alius dicit: *propè est ut veniat dies ejus* &c. Isaiæ, XIV. 1. Tempus autem non determinant præcisè significando diem vel horam, quia hoc est communiter occultum, nisi fuerit valdè singulariter revelatum. Et ideò illi qui nimis particulariter tempora dearticulant eorum quæ dicunt se præcognoscere, nisi valdè singulare signum ostendant, sunt æstimandi falsi prophetæ, quia dicunt se prophetare ea quæ de statu rerum & cursu temporum sua æstimatione constituunt: unde tales, sicut dicitur in Ezech. XIII. 17. *prophetant de corde suo. &c.* Et de talibus in Jeremia. XXIII. 16. dicitur: *visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini.* &c.

A Quartò sequitur, quòd sicut in speculo res, & maximè de procul distantes, quandoque ita confusè videntur, quia earum magnitudo, vel figura non percipitur; sic etiam in visione animæ, ubi futurorum procul existentium, quæ rarissimè cognoscuntur propè & distinctè, secundùm dearticulationem particularium circumstantiarum. Unde aliquando contingit quòd quis aliquam rem prævidet verè, & tamen fallitur in aliqua ejus qualitate: sicut Hermes Ægyptius, de quo loquitur Augustinus: 8. *de Civitate Dei. Cap.* XXIII. destructionem idolorum Ægypti verè prævidit: sed hoc fore malum, atque dolendum, & flebile credidit, ut patet in ejus dialogo ad Asclepium: & ideò ex hoc apparet quòd Prophetiæ quæ dearticulant generationes, nomina propria, & particularia facta quorundam qui jam præcesserint, nisi aliter probatæ sint, putandæ sunt fictæ, & post facta præterita quasi illa essent futura, fictè compositæ; sicut fecit Virgilius, *sextò Æneidos*, de Romanis, ut dicit Augustinus, & sic est illud quod dicitur de Christo in Libro de. . . . . . qui falsè imponitur Ovidio. Sic etiam Porphirius voluit quòd B tales fuerunt Prophetiæ Danielis, dicens quòd illum Librum non fecit Daniel, sed posteà quidam vocatus Epiphanes, temporibus Antiochi: sed huic subtilissimè responderunt Eusebius Cæsariensis, Apollinaris, & Methodius, sicut ait Hieronymus. Unde patet, quòd non debent Prophetæ particulariter & dearticulatè omnia determinare, sed sufficit quòd loquantur confusè & generaliter, & aliquo modo obscurè: sic enim dicit Apostolus, Prophetas fuisse *sub nube.* 1. Cor. X. 1. Aliqui tamen non Prophetæ nimis accedunt ad istud extremum, qui ut ostendant se Prophetas esse, confingunt orationes amphibologicas, & verba ambigua, falsiloqua & obscura, & ad omnem eventum applicabilia, sicut quandoque faciebant C Sacerdotes Apollinis, ut dicit Tullius, in Libro *de Divinatione.* Sic etiam, ut dicit Augustinus 3. *de Civitate Dei*, cùm Pyrrus Rex Græciæ, Romanorum hostis, de belli eventu consuleret Apollinem, ambiguum oraculum dedit, dicens: *Dico te Pyrre, vincere posse Romanos.* Et sic quidquid ex duobus accidisset, ipse divinus haberetur: idest, sive Romani à Pyrro, sive Pyrrus à Romanis vinceretur. Ideò Tullius talia oracula irridet. Igitur. &c.

Quantùm ad secundum, videndum est de Prophetiæ causa: & licèt jam de causa effectiva dictum sit in generali, tamen adhuc in speciali expedit inquirere, utrùm aliqua Prophetia sit aut esse possit à naturali causa. Et arguitur primò quòd sic, quia non solùm fideles, sed etiam infideles & gentiles Philosophi concedunt Prophetas esse, & veras Prophetias, sicut patet de Aristotele, & ejus Commentatore & pluribus aliis, ut infra dicetur. Sed ipsi naD turales Philosophi non videntur aliquid ponere vel concedere, nisi quod potest salvari ex causa naturali; aliter enim excederent metas suæ Philosophiæ. Igitur &c.

Secundò videtur, quòd anima humana ex vi sua naturali potest prophetare futura. Primò, quia homo secundùm suam naturam est perfectior animalibus brutis; sed quædam bruta habent naturalem præcognitionem futurorum ad se pertinentium, sicut patet de formicis quæ futuras pluvias præcognoscunt, cujus signum est, quia ante pluviam incipiunt grana in foramen imponere. Similiter quædam aves aliqua futura prænuntiant, sicut bubo, quem dicit Plinius, *Auspicari*: & Statius, quòd *Damna cavet.* Similiter de equo in Libro Job dicitur: quòd ipse pro-

procul denuntiat bellum. *Job.* XXXIX. 25. Similiter etiam delphini maris prænuntiant tempestates, & aves tranquillitatem: & multa exempla hujusmodi patent in historia naturali. Igitur multò magis homo, per vim naturalem animæ intellectivæ, potest naturaliter futura ad se pertinentia, de quibus propheta est, naturaliter præcognoscere: cùm natura minùs debeat hominibus deficere in necessariis, quàm brutis. Igitur &c. Secundò confirmatur: quia vis animæ humanæ magis viget in vigilando, quàm in dormiendo: sed in dormiendo aliqui naturaliter prævident quædam futura, ut patet per Aristotelem, in Libro *De somno & vigilia.* Ergo multò magis potest homo naturaliter vigilando præcognoscere futura. Tertiò, confirmatur authoritate: nam Gregorius in 4. Dialogo, dicit, quòd *ipsa aliquando animarum vis sua subtilitate aliquid prævidet.* Et Augustinus IX. *super Genesim*, dicit quòd *Animæ humanæ, secundùm quod à sensibus corporis abstrahuntur, competit futura prævidere.* Hoc autem est prophetare. Igitur &c. Tertiò principaliter arguitur sic. Illud naturaliter acquiritur, ad quod naturalis dispositio requiritur: sed ad Prophetiam requiritur dispositio naturalis; quod patet, quia naturalis indispositio magis impedit aliquid, quàm impedimentum accidentale; sed per aliquod accidentale impedimentum impeditur speculatio Prophetiæ: undè dicit Hieronymus quòd *Tempore illo quo conjugales actus geruntur, præsentia Spiritus sancti non datur; etiam si Propheta esse videatur qui officio generationis obsequitur.* Et Rabbi Moyses dicit, quòd *tempore concupiscentiæ & tristitiæ & timoris Prophetæ non prophetant, neque verè futura denuntiant*; ergo multò magis indispositio naturalis impedit Prophetiam. Igitur videtur quòd ad eam bona naturalis dispositio requiratur.

Oppositum apparet ex dictis in prima parte hujus articuli, & ex descriptione Prophetiæ; quia ipsa est à causa supernaturali & divina, cum sit divina inspiratio &c. Unde 2. *Petri.* 1. 21. dicitur. *Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia: sed Spiritu sancto inspirati*, &c. Et secundùm Apostolum ipsa videtur dependere ex sola Sancti spiritus voluntate: quia 1. *Corinth.* XII. 11. dicitur: *hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Igitur &c.

Pro solutione hujusmodi dubii, juxta materiam trium argumentorum ante oppositorum, tria sunt declaranda.

Primò, quid infideles seu naturales Philosophi senserint de Prophetiæ causa.

Secundò, an hominis anima intellectiva possit futura prophetare ex vi sua, vel propria natura.

Tertiò, utrùm aliqua naturalis dispositio requiratur, ad hoc ut habeatur Prophetia.

Quantùm ad primum, sciendum est quòd multi magni Philosophi concedunt Prophetias & veros Prophetas fuisse. Unde Aristoteles, sive quicunque alius Philosophus scripserit Librum qui dicitur *De secretis secretorum*, dicit quòd Prophetæ probati sunt purissimi intellectûs & veræ visionis. Et Averroës super *De somno & vigilia*: & ad hoc allegat Socratem: similiter Avicenna 4. *De Anima* & 10. *Metaphysicæ.* Et similiter Agazel. 5. *Physica sua.* Ptolomæus & Albumazar, Haly & Astrologi ceteri Prophetias & Prophetas confitentur. Unde etiam omnes vera somnia concedentes esse vera indicia futurorum, habent etiam Prophetiarum concedendam veritatem.

Primum autem concedunt communiter omnes Philosophi. Nam Aristoteles Philosophorum princeps, in Libro, *De Somno & Vigilia* vera somnia esse vera indicia, & præsagia futurorum concedit. Ubi dicit Averroës: *Istarum comprehensionum quædam dicuntur somnia & divinationes, & quædam Prophetiæ; & quidam homines negant ista: & dicunt ea accidere casu, sed negare ea, est negare sensata, & maximè negare somnia.* &c. Et postea subdit: *Et illæ aliæ comprehensiones*, scilicet Prophetiæ, *licèt non sint visæ*, scilicet ita communiter, *sicut somnia; tamen sunt valdè famosæ: & res quæ sunt famosæ apud omnes, sunt necessariæ, aut secundùm totum, aut secundùm partem* &c. Agazel etiam 5. *Philosophiæ suæ*, & Avicenna 4. *de Anima*, concedunt vera somnia esse prænuntia futurorum.

A Secundò, notandum est quòd de causis Prophetiarum variæ possunt esse opiniones Philosophorum: undè valdè difficile est invenire unde veniant hujusmodi visiones propheticæ. Potest tamen imaginari quòd in talibus visionibus est aliquid quod aspicit, scilicet ipsa anima; & est aliquid quod aspicitur, scilicet ipsa res visa, & est aliquid in quo aspicitur per modum speculi, ut supra tetigi; & hoc posset multipliciter poni: quia vel est una pars organica, quæ est speculum alteri parti cognoscitivæ; aut est ipsum organum, quod est speculum ipsius animæ, aut est ipsa potentia sensitiva ipsi potentiæ intellectivæ; aut intellectus possibilis intellectui agenti; aut fortè ipsamet anima est speculum sibi ipsi, aut sicut supra, in hujus articuli prima parte dictum est, hujusmodi speculum est ipsa species, vel similitudo rei futuræ, seu imago ad quam terminatur imaginaria visio quæ ad Prophetiam propriè dictam requiritur, ut ibidem dixi. Ulteriùs verò, in visionibus hujusmodi est aliud formans, vel efficiens speciem in anima, & illuminans eam, sicut ibidem dictum est. Licèt autem in quibusdam visionibus illud efficiens aliquoties fit ad intra, sicut accidit quibusdam somniantibus, & phreneticis vel infirmis; tamen hoc non est in visionibus propheticis, quia non est probabile visionem veram esse & propriam futurorum occultorum causam, nisi aut ab ipsis rebus visis, aut à causis earum, aut ab aliquo eas præcognoscente. Licèt autem quibusdam visum sit quòd hoc fit per irradiationem rei visæ super ipsam animam, aut è converso: hoc tamen non est possibile, quia res futura non potest radios emittere, vel recipere, quando est futura. Et ideò concluditur probabiliùs, quòd hæc illustratio fit à causis rei visæ, seu ab aliquo eam præcognoscente, sicut à cœlestibus influentiis vel à substantiis separatis cognoscentibus & divinis: & hoc ultimum quibusdam Philosophis visum est probabilius. Unde dicit Tullius in Libro *De Natura Deorum* quòd præcognitio futurorum movit antiquos ad ponendum deos, & fuit unum de principalibus mediis quibus devenerunt in notitiam divinitatis. Sicut autem opinio Philosophorum de diis fuit varia; sic de Prophetiarum causis. Nam qui posuerunt eas fieri ab intelligentiis seu Angelis, sicut Hermes, Apuleïus, & Porphirius; aliqui dixerunt eas fieri ab Angelis bonis, aliqui à dæmonibus seu angelis malis, aliqui à Deo, seu potentia intelligente immediatè.

Tertiò, notandum est quòd majorum Philosophorum opinio fuit quòd Prophetiæ sunt à Deo, scilicet immediatè, vel saltem mediantibus Angelis bonis. Ita quòd Deus illuminat & inspirat Prophetas aliquando vigilantes, aliquando dormientes: & hoc procedit ex cura divina circa homines, ut sic possint cavere nociva, & utilia prævidere. Hoc autem non facit per dæmones; cum malorum angelorum non sit hominibus bona providere; sed magis mala procurare. Unde Philosophus in Libro, *De secretis secretorum*, parte ultima, dicit. *Si quis quærat causam Prophetarum qui probati sunt in hoc mundo purissimi intellectus & veræ visionis, cum miraculis juvativis; provenit ex abstractione animæ à desideriis & concupiscentiis nocivis, cùm fiunt dominantes super corpus, & virtus flammea ex his in corde non desinat.* Hæc autem virtus flammea, secundùm eum, est intellectus agens, intellectum possibilem illuminans. Et super eodem Libro pariter dicit: *Deus excelsus & gloriosus ordinavit modum & remedium ad temperantiam humoris, & conservantiam sanitatis, & ad plurima alia acquirenda, &* reve-

revelavit ea ſanctis Prophetis ſervis ſuis, quos illuſtravit ſpiritu divinæ ſapientiæ. Ab iſtis ſequentes viri Philoſophiæ principatum & originem habuerunt: Indi & Perſæ, & Græci & Latini ab iſtis hauſerunt & ſcripſerunt artium & ſcientiarum principia & ſecreta. Et infra dicit quod *Enoch novit illud ſecretum quod dicitur gloria & Theſaurus Philoſophorum, per viſionem.* Unde etiam de Prophetia Enoch loquitur Judas in Canonica ſua, ut ſupra in primo articulo allegatum eſt: quæ ſcripta, ut apud Judæos & apud nos in authoritate non eſſent, nimia fecit antiquitas, ut dicit Auguſtinus 18. *De Civitate Dei.* Inſuper Avicenna & Agazel, locis præallegatis dicunt ſimiliter: *Prophetas eſſe a Deo, per inſpirationem & illuminationem divinam.* Unde dicit Avicenna 1. *Metaphiſicæ* quòd *Propheta eſt à Deo ex miſſione ejus.* Similiter Ptolomæus in prima propoſitione Centilogii, dicit quòd aliqui propter vim animæ in eis dominantem, licèt non habeant multam ſcientiam artis aſtrorum, habent ex meliori parte cognitionem futurorum, & ſunt propinquiores veritati quàm Aſtrologus. Super quod dicit ibi Haly in Commento: quòd duplex eſt via cognoſcendi res futuras. Una, ut aſpiciat quis motus & opera ſtellarum, & alia via eſt, quando quis per divinam gratiam & inſpirationem habuit ſcientiam futurorum; multi enim ſunt qui dant vera indicia de futuris, quorum nec ſignificationes, nec rationes juvenimus in operatore, ſive in opere, ſive in operaro: ſed quod dicunt ex eorum cordibus manat, & ex hiis multos vidimus, & hæc via, cùm pura fuerit, à Philoſophis vocatur divina.

Item etiam Socrates, ſicut recitat Averroës, ſuper *De ſomnio & vigilia*, ratiocinando hominibus Athenarum, ſic ait: *O homines, non dico quòd veſtra ſcientia illa divina ſit falſa; ſed ego dico quòd ego ſum faciens ſcientiam humanam.* Similiter idem Averroës ibidem dicit, quòd *eadem eſt cauſa ſomniorum, divinationum, & Prophetiæ, &* quòd *eſſe eorum non differunt niſi ſecundùm magis & minus.* Sed tamen differunt ſecundùm nomina & modum Unde, ibidem, recitans opinionem vulgarem; ſic ait: *Vulgus dicit, quòd ſomnia ſunt ab Angelis, & divinationes à dæmonibus, & Prophetiæ à Deo, aut cum medio, aut ſine medio.* Sed tamen ipſemet diffuſè oſtendit, quòd vera cauſa verorum ſomniorum & Prophetiæ, eſt Deus. Unde dicit inter alia, quòd *intellectus agens in ſomno dat cognitionem rei ignotæ ſine medio*: & iſte modus dationis largæ eſt valdè nobilis, & attribuitur principio nobiliori, ſcilicet principio voluntatis: immò eſt à re divina, & ex perfecta ſollicitudine circa homines, &c. Prophetia intra hunc modum dationis attribuitur Deo & rebus divinis, ſcilicet Angelis, & infra ſubdit, quòd *Somnia ſunt propter ſolicitudines Dei circa homines, ut ſciant res futuras, utiles & nocentes*, & ideò dicitur quòd ſomnium eſt una pars Prophetiæ, & hoc manifeſtum eſt in ſomnio Pharaonis de quo interrogavit Joſeph.

Hiis autem dictis Philoſophorum poteſt eſſe adjuvans ratio naturalis. Nam decet Deum eſſe valdè providum, & cuncta ſuâ providentiâ moderantem, maximè circa hominem. Quare decet ut Prophetas conſtituat, & eos illuminando ipſis quandoque ſuam annuntiet voluntatem; præcipuè in hiis quæ concernunt cultum Dei, & Religionem, ad hominum ſalutem.

Ex quibus patet ſolutio primæ rationis ante oppoſitum: nam Philoſophi probando Prophetias & Prophetas eſſe à Deo, vel cauſa divina; non excedunt metas ſuæ Philoſophiæ: quia ratio naturalis, etſi non evidenter, tamen probabiliter concludit illud, & ideò ſi omnis cauſa vocaretur naturalis, quam naturalis ratio concludit; Deus, ſeu prima cauſa, eſſet cauſa naturalis: quia Philoſophi per rationem naturalem eam & ejus cauſalitatem concludunt. Sicut patet 8.° *Phyſicorum*, & 12.° *Metaphyſicæ.* Et hæc de primo.

Quantùm ad ſecundum, in quo videndum eſt an hominis anima intellectiva poſſet futura prophetare ex vi ſua ſeu natura propria; primò ſciendum eſt quòd futura præcognoſci, dupliciter poteſt intelligi: uno modo quòd præcognoſcuntur in ſeipſis; alio modo quòd cognoſcuntur, ſecundùm quod ſunt in ſuis cauſis. Primo modo futura præcognoſcere, eſt proprium divini intellectus, cujus æternitati modo quodam ineffabili ſunt omnia præſentia, & ideò talis præcognitio futurorum, non poteſt eſſe nobis à natura. Secundò autem, futura præcognoſcere eſt homini poſſibile, naturali cognitione, ſicut Medicus A præcognoſcit & pronoſticat ſanitatem vel mortem futuram, & Aſtrologus pluviam vel ſerenitatem ex aliquibus cauſis, quarum ordinem ad tales effectus arte vel experimento didicit.

Secundò notandùm, quòd hæc ſecunda præcognitio futurorum, in anima intellectiva poteſt dupliciter intelligi eſſe à natura. Uno modo ſic quòd ipſa natura, ex eo quod in ſeipſa habet; ſtatim poſſit futura præcognoſcere. Et ſicut dicit Auguſtinus, 12. *ſuper Geneſim.* Quidam voluerunt animam humanam habere quamdam vim divinationis in ſe ipſa, & hoc videtur eſſe ſecundùm opinionem Platonis, de qua ſtatim dicam: alio modo, ſecundùm opinionem Ariſtotelis, qui ponit veriùs & probabiliùs, quòd *Anima ex ſenſibus novam intellectualem cognitionem acquirit.* Homines naturaliter acquirere poſſunt cognitiones futurorum per viam experimentalem, de qua jam ſtatuendum eſt; ſed hoc modo non poſſunt omnium B futurorum acquirere notitiam, ſed illorum effectuum ſolùm, ad quorum & ſuarum cauſarum cognitionem ſe poteſt extendere humana experientia. De talibus autem, ut ſupra dictum eſt, non eſt propriè Prophetia, ſed eſt de hiis quæ excedunt naturalem rationem & cognitionem. Et ideò Prophetia propriè dicta, non eſt animæ ex propria natura.

Tertiò notandum eſt, quòd opinio Platonis prædictæ ſententiæ eſt contraria: nam ipſe poſuit primò animam humanam creatam, perfectam & inſcriptam formis omnium cognoſcibilium: & hoc quantùm ad virtutem ejus intellectivam: ipſam etiam ornatam & decoratam tota pulchritudine ac varietate virtutum, quantùm ad virtutem ejus motivam. Nam ridiculum videtur quòd eſſent animæ humanæ creatæ nudæ, & vacuæ virtutibus, & veſtitæ ſcientiis: cùm nuditas virtutum ſit indecentiſſima, & maximè C erubeſcenda: quia longè minùs turpe eſt non eſſe ſcientem, quàm non eſſe bonum & juſtum: & juxta ſententiam Apulei Philoſophi Platonici, magis audacter, & abſque verecundia reſpondere poteſt, quis interrogatus: neſcio Aſtronomiam, neſcio Grammaticam, non ſum Aſtrologus, non ſum Geometra, quàm reſpondere poſſit non ſum bonus, aut juſtus, non habeo juſtitiam, aut bonitatem. Et ideò Platonis opinio neceſſario habuit ponere utramque perfectionem in anima, ſcientiarum ſcilicet & virtututum, aut utramque removere ab eadem. Secundò, conſequenter ad ſermonem prædictum, poſuit Plato quòd nos nihil omninò poſſumus addiſcere vel invenire: nec per doctrinam aut experientiam fiunt in animabus noſtris novæ ſcientiæ; ſed veteres, aut innatæ nobis, quia quaſi ſepultæ fuerant & obtectæ, deteguntur. Unde ſicut recitat Ariſtoteles, *primo Phyſicorum*, di- D cebat, quòd *noſtrum addiſcere, non eſt niſi quoddam reminiſci.* Ideò adhibetur quæ apud nos vocatur lectio, apud Græcos vocatur repetita cognitio. Unde tertiò poſuit prædicta Platonis opinio, quòd prædicta cognitio animabus innata obnubilatur in eis per conjunctionem corporis, in quibuſdam tamen plùs, in quibuſdam verò minùs: ſecundùm quod magis vel minùs animæ hujuſmodi alligatæ & immerſæ ſunt, & ſuis immixtæ corporibus, ac ideò faciliùs & difficiliùs ab illis ſunt avocabiles, & ad ſe ipſas revocabiles.

Ex hiis ergo Platonicis, quartò poteſt inferri quòd homines habentes animas non multùm immerſas corporibus, nec ex corporis unione vehementer obtenebratas, ex ſua innata natura præcognoſcere futura, & ſic de eis prophetare.

Sed contra hoc objicit Auguſtinus, ubi ſupra, quia ſic hujuſmodi anima ex ſe ipſa ſemper devinare ſeu prophetare poſſet, quandocumque ipſa vellet, quod eſt falſum: huic etiam opinioni non ſolùm Fides, ſed etiam Ariſtoteles, loco præallegato, & in 3.° *De Anima* contradicit, qui poſuit animam humanam ad utramque prædictarum perfectionum, ſcilicet ſcientiarum & virtutum, eſſe in potentia tantùm & non in actu, id eſt eſſe perfectibilem, & non in effectu eſſe perfectam; ſed quemadmodùm ſpeculum, in quo nulla adhuc reſultavit apparitio, aut tabulam raſam in qua nondum aliquid eſt depictum, vel ſicut ceram ab omni impreſſione vacuam formarum; inſcriptibilem tamen omni genere figurarum & omni figuratione ſigillabilem. Pro qua ſententia Ariſtoteles, & contra prædictam opinionem Platonis pulchrè & diffuſè multis rationibus arguit in Libro ſuo *De Univerſo*, Tractatu ultimo, ad quem gratiâ brevitatis remitto.

Sed ſciendum eſt quòd quidam magi ſeu devinatores malefici, ex prædicta opinione capiunt occaſionem errandi: nam, ſicut idem Doctor recitat, quidam magorum antiquorum, apud Latinos nominatiſſimus, illo errore ſic dementatus eſt, ut crederet animam pueri immaculati violenter necati, ſcientiam habere omnium præſentium, præteritorum, & futurorum: quapropter in hoc ſcelus inductus eſt, ut puerum immaculatum ſic necaret, meritòque tanti ſceleris in eam venit dementiam, ut crederet ſe habere animam pueri illius quem tam execrabiliter necaverat, & audire ab ea reſponſa de hiis quorum ſcientiam habere volebat.

Hic autem non eſt dubitandum, quin ſicut ex ſuggeſtione alicujus maligni ſpiritus, in errorem tam impium & in tam deteſtabile facinus proceſſerat; ſic poſtmodùm, ſimulatione dæmoniaca, ſub ſpecie animæ pueri illius, ab aliquo maligno ſpiritu reſponſa hujuſmodi audiret: cujus poſſibilitatem poſteà oſtendam in tertio Articulo principali. Nam non apparet qualiter apud ſe habere vel ſervare poſſet ille maleficus animam hujuſmodi pueri, niſi fortè, juxta ſententiam Platonis, anima illa, ut potè de corpore ſuo violenter expulſa, circa tumulum ſuum, id eſt corporis ſui, donec debitum temporis numerum impleret, moraretur: ſed non eſt hic immorandum ad deſtructionem veſaniæ iſtius, nec eſt contra eam diſputandum, quia juxta ſententiam Ariſtotelis. *Cum quolibet contraria opinionibus proferente ſtultum eſt ſollicitum eſſe.*

Pro prædicto tamen errore videtur eſſe experimentum magorum: nam ipſi inſtrumenta aliqua ſpecularia adhibent, ut in eis inſpiciantur occulta. Sicut ſunt ſpeculum, aut unguis puerilis, aut ovium, manubrium eburneum, aut gladius elimatus, quibus omnibus apponitur etiam unctio ex oleo, ut augeatur inſtrumentorum hujuſmodi luciditas. Adhibent autem ad hæc inſpicienda communiter pueros parvulos aut virgines, ut in eis videant res quarum revelatio per eos quæritur, ſcilicet furtum, aut latro, aut aliquid aliud de ocultis. Conſtat autem quòd in inſtrumentis illis neque res illæ ſunt, neque rerum formæ quæ videri videntur; aliter neceſſe eſſet ut ab omnibus intuentibus, & æquè clarè videntibus æqualiter viderentur, quod multis experimentis notum eſt eſſe falſum. Et ideò ex hoc inducti ſunt aliqui antiqui ſapientes, ut dicerent inſtrumenta hujuſmodi hoc ſolùm operari in hujuſmodi viſionibus, ſcilicet reflexionem mentis in ſe ipſam: prohibet enim ludoſitas inſtrumenti ipſum aſpicientem faciem mentis in exteriora intendere, & repellit eam atque reflectit in ſe, propter quod cogitur intueri in ſemetipſam. In qua, juxta ſententiam Platonis, ſi purgata ſit & terſa à ſordibus quæ ex parte corporis adveniunt, & adhærent humanæ animæ, ipſam, vel ut in ſpeculo claro & terſo, videt omnia ipſa occulta, vel partem eorum, & hoc ſecundùm magis & minùs, ſecundùm perfectiùs & imperfectiùs, ſcilicet pro re purior & ab inquinamentis hujuſmodi remotior fuerit; & ſic ad ſemetipſam reverſa, anima aſpiciente in ſeipſam, profundit
A intuitum & figit intimam aciem intellectûs. Qui intuitus adeò profundatus & intimatus poterit eſſe, adeò que anima ad ſeipſam poterit eſſe converſa, & in ſe ipſam recollecta; ut hujuſmodi recollectio vel raptus ſit vel propè raptum vel propè extaſim. Et ideò qui in hujuſmodi operibus exercitati ſunt, ſtatim conſummato opere hujuſmodi, clauſos tenent oculos puerorum quibus factæ ſunt apparitiones hujuſmodi, donec anima reverſa ſit ad ſtatum priſtinum à collectione hujuſmodi, ſcilicet donec reſumpſerit vires corporales & organa quæ deſeruiſſe ſaltem ad modicum videbantur: aliter enim inmineret puero periculum corporis, aut fortè inſania. Unde etiam cum iſta obſervatione communiter perpetuò horrificus remanet hujuſmodi puerorum poſt explectionem talis operis, quod aliqui viſioni dæmonuum imputant, qui naturam illius pueri non modicùm turbaſſe creduntur quia eorum præſentia ſemper veſtigia ſuæ horribilita-
B tis relinquit. Sed omnia hæc magorum experimenta quæ dicta ſunt, abſque opinione Platonis, vel poſitione prædicti magni erroris ſalvari poſſunt, ſecundùm ſententiam Ariſtotelis. Nam, ut dicit Doctor prædictus, ipſe Ariſtoteles poſuit intelligentiam agentem, velut ſolem quemdam ſpiritualem animarum noſtrarum, quantùm ad vires intellectivas, ipſamque earumdem illuminatricem, ſicut ſupra ex dictis ſui commentatoris tetigi. Unde ſecundùm ejus opinionem ſalvari poſſunt divinationes quæ per inſpectionem lucidorum inſtrumentorum fiunt, etiam abſque miniſterio dæmonum: ſed per naturam tantùm inſtrumentis hujuſmodi adjutam, ſcilicet per hunc modum, quòd ſcientiæ, vel cognitiones de quibus agitur, non ſunt in animabus humanis ante inſpectionem inſtrumentorum hujuſmodi; ſed fiunt in eis, & de novo adveniunt, adjuvante inſpectione prædicta, & ideò fiunt ex irradiatione lucis ſpiritualis ſublimioris: cujus ſi-
C gnum eſt, cùm videmus hujuſmodi revelationes fieri atque irradiationes etiam in furioſis, & in graviter ægrotantibus & in vehementer timentibus, & in ſomniantibus. Quia ſcilicet res hujuſmodi, ſicut & inſtrumenta prædicta, abſtrahunt animas à rebus exterioribus & etiam ab ipſis corporibus ſuis, & approximant eas luci quæ ſuper ipſas eſt per naturam: ſcilicet Deo vel intellectui agenti, ſeu intelligentiæ illuminatrici, ſeu alteri luci quæ ad ipſas illuminandas mittitur cum placito Creatoris. De qua luce ſupra magis dixi, & adhuc infra dicturus ſum. Sive ergo per hunc, ſive per alium modum ſalventur experimenta prædicta, indubiè tamen tenendum eſt quòd anima humana ex ſua vi, vel natura, vel ſcientia innata, nequit prophetare futura: ſed probabiliùs
D tenendum eſt quòd hoc ſibi convenit ex irradiatione, vel illuminatione divina.

Ex prædictis autem ſolvi poteſt ſecunda ratio principalis hujus dubii: nam ex dictis patet quòd negandum eſt principale aſſumptum: & ad primam probationem dicendum eſt, quòd bruta animalia non habent præcognitiones futurorum effectuum, niſi ſecundùm quod ex ſuis cauſis præcognoſcuntur, ex quibus eorum phantaſiæ moventur, & magis quàm hominum: quia hominum phantaſiæ, maximè in vigilando, diſponuntur magis ſecundùm rationem, quàm ſecundùm naturalium cauſarum impreſſionem. Ratio autem facit in hominibus multò abundantiùs & perfectiùs, illud quod facit in brutis impreſſio cauſarum naturalium, ſive naturalis inſtinctus; & adhuc magis adjuvat hominem divina irradiatio, ſeu illu-

illuminatio Prophetias inspiratas, quàm intellectûs potentia ratiocinans.

Nec tamen in hominibus negandus est naturalis instinctus, eis prænuntians aliquos futuros effectus, sicut & brutis animalibus: nam sæpè accidit quòd animus hominis ferventer amantis commovetur, dum circa amicum, etiam absentem, aliquid notabile immutatur. Et quandoque adversùs hominis infortunium antecedit prævius timor, nullo exteriori terribili adhuc imminente, sed hujusmodi timoris latet origo, & est præsagium mali futuri. Unde Statius ait: *Pessimus in dubiis augur timor.* Et Claudianus dicit:

Sed malus interpres rerum metus, omne trahebat
Augurium pejore via.

Ad secundam probationem dicendum est, quòd præcognitio futurornm quæ fit in somniis, aut est ex revelatione, vel illuminatione substantiarum spiritualium, aut est ex motione, vel influentia causarum naturalium. Primo modo est Prophetia; secundo modo non: sicut magis patebit in tertia parte hujus secundi articuli. Utrumque autem prædictorum potest fieri, tàm in vigilantibus, quàm in dormientibus: tamen meliùs potest fieri in dormiendo, quàm in vigilando: quia anima vigilantis est occupata circa exteriora sensibilia. Primò, minus apta est recipere subtiles impressiones, sive spiritualium substantiarum, sive naturalium causarum; licèt, quantùm ad perfectionem judicii, plus vigeat ratio in vigilando, quàm in dormiendo.

Ad tertiam probationem dicendum, quòd anima, sicut magis declarabitur, quando abstrahitur à corporalibus, aptior redditur ad percipiendum influxum spiritualium substantiarum vel causarum naturalium, & primò dicit Gregorius, quòd anima, quando appropinquat ad mortem, præcognoscit quædam futura, subtilitate suæ naturæ: scilicet quia tunc est subtilior, quia à corporalibus abstractior, juxta dictum Augustini; vel etiam præcognoscit hujusmodi futura, revelatione divina, non autem virtute propria, aliter, ut dicit Augustinus semper haberet in sua potestate, quandocunque vellet, futura cognoscere: quod est falsum, ut dictum est. Igitur &c. Et hæc de secundo.

Quantùm ad tertium, in quo videndum est utrum aliqua naturalis dispositio requiratur ad hoc ut habeatur Prophetia: declarabo tres conclusiones. Prima est quòd ad Prophetias non requiritur aliqua dispositio naturalis, tanquam causa necessaria vel principalis. Secunda, quòd ad Prophetiam, de concursu requiritur aliqua dispositio naturalis, tanquam causa præambula vel instrumentalis. Tertia, quòd etiam hoc modo ad eam requiritur dispositio moralis.

Prima conclusio patet, quòd Prophetia propriè dicta, sit, sicut dictum, ex inspiratione divina: Deus autem causa universalis in agendo, nec præexigit materiam, nec aliquam materiæ dispositionem, in corporalibus effectibus; sed simul potest & materiam & formam & dispositionem: igitur & in effectibus spiritualibus non præexigit aliquam dispositionem; sed sine ea perfectè producere potest effectum spiritualem, scilicet Prophetiam, seu gratiam prophetalem. Et ad hoc faciunt authoritates post oppositum hujus quæstionis inductæ.

Ad hoc etiam facit quòd lux illa spiritualis, quæ supra animas nostras est immediatè, quam supra dixi esse causam Prophetiæ, quando vult potest immediatè easdem animas illuminare. Nam sicut dicit Doctor prædictus: *illi luci, quantùm ad vires suas nobilissimas, animæ nostræ conjunctissimæ sunt.* Et primò, ait unus sapientissimus Christianorum, quòd *Inter mentem nostram, & lucem interiorem quæ Deus est, nullum est medium.* Intelligens hoc ex sermone prophetico, quo dictum est: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Ps. IV. 7. Hoc est, luminosus vultus tuus, qui non est aliud quàm tu. Hunc ergo vultum illuminat super nos, cùm ex eo affulget in aminabus nostris splendor alicujus novæ revelationis: & quia hoc rarò fit, & ipsi soli Deo notum est, quando hoc ei placet facere; ideò dicit signatum, id est clausum vultum hujusmodi super nos. Vel primò dicit signatum, vel clausum; quia ignotum: nam pauci sunt quibus lumen hujusmodi sic se involverit, & qui tantam propinquitatem ipsius ad animas nostras noverint; scilicet, ut nullum sit medium inter ipsum & animas nostras, medium scilicet naturalis interpositionis. Patet ergo quòd propter hanc immediatam propinquitatem hujusmodi lucis, ipsam potest, quando placet, huic vultui luminoso immediatè irradiare mentibus nostris. Igitur. &c.

Secunda conclusio patet, quia communiter non sumus idonei splendore prædicti luminis immediatè irradiari: nam quandoque prohibet irradiationem hujusmodi immediatam ipsa indispositio naturalis. Unde, ut dicit prædictus Doctor, *In multis prohibet hoc ipsa complexio*: quædam enim complexiones incrassant animas & impediunt vires earum nobiles. propter quod dicit Galienus, quòd *Phlegmatica complexio nullam virtutem animæ juvat.* Item, sæpè impediunt solicitudines de rebus sensibilibus & temporalibus: igitur incurvant & occupant animas humanas. Primò, prohibent eas à perfectione rerum sublimium & occultarum: quemadmodùm plenitudo vasis de uno liquore, prohibet ipsum à receptione liquoris alterius, & sicut inscriptio tabulæ alicujus, vel pellis, prohibet aliam inscriptionem ab illa; juxta illud Sapientis dicentis: *Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde ejus* Prov. XVIII. 2. Item, secundùm Aristotelem: *Melancholicis ad hujusmodi propheticas irradiationes sunt magis idonei, quàm homines complexionis alterius*: & hoc est propter eamdem causam. Propter quod dicit, omnes ingeniosos melancholicos esse, scilicet quia complexio illa magis abstrahit à delectabilibus corporalibus, & à tumultibus mundanis.

Item, non est negandum naturalem complexionem juvare seu disponere ad habendum hujusmodi propheticum splendorem: cùm ad hoc concedendum sit juvare armoniam musicalem. Nam legitur quòd Propheta quidam Hebræorum cùm à quodam Rege consuleretur, nec aliter sciret ei respondere, nisi per irradiationem propheticam, misit vocari quemdam ut psalleret, & tunc, sicut Scriptura testatur 4. Reg. III. 15. *Facta est super eum manus Domini.* Id est virtus Dei, ad prophetandum. Unde patet quòd armonia musicalis præstat adjutorium ad hoc ut obtineatur splendor hujusmodi. Et hujus causa est, secundùm prædictum Doctorem; cùm quorumdam cantuum suavitas multùm demulcet animas humanas, & per hoc rapit eas in se, & per consequens eripit eas ab aliis passionibus. Et propter eamdem causam quidam morbi, sicut mania, melancholia, & aliæ quædam mentis alienationes, & morbi spirituales musicis cantibus curati sunt. Undè in Libro Regum legitur de Saule, quia quandocunque spiritus malus arripiebat ipsum, *tollebat David cytaram & percutiebat eam, & refocillabatur* Rex *& lenius habebat.* 1. Reg. XVI. 23. Quia enim non legitur quòd tangendo cytaram, verba aliqua dixerit, non immeritò potest opinari, quòd sola virtute armoniæ, malignus spiritus ab eo fugatus fuerit.

Propter hoc autem Plato magnam potestatem armoniis attribuit. Unde in Thimio suo dicit, quòd *Potentissima artium musica.*

Unde quanta sit vis musicæ melodiæ, multiplex experientia docet in mitigandis vel incutiendis doloribus animarum humanarum. Valet enim ad omnes passiones ingerendas eisdem: nam tanta est ejus vis in commovendis animabus, ut etiam eas cogat movere corpora sua, motibus joculationum & gestuum

tuum variorum, quibus, quantùm possibile est, effigiant motus passionum suarum interiorum. Et hujus causa est, quia virtus armoniarum adeò rapit animas humanas in se, ut eas abstrahat non solùm ab aliis passionibus & sollicitudinibus; sed etiam à se ipsis. Et ideò non est mirum, si per eam recedant à malignis spiritibus, & seorsùm fiant à passionibus per quas tenebantur ab ipsis, quando etiam à semetipsis quodam modo abstrahuntur & in ipsam armoniarum suavitatem rapiuntur.

Ex hiis ergo patet quòd musicæ melodiæ, gratiam contemplationis & divinarum cognitionum studia non mediocriter adjuvant, & confortant virtutem intellectivam, & omnes vires animæ nobiles, & curant eorum morbos spirituales; & per consequens, si hæc possit efficere armonia musicalis, quæ extrinseca est, non est mirum si interior complexio, aut alia dispositio naturalis ad hoc possit disponere, ut anima humana propheticum splendorem faciliùs recipiat.

Item, ad hoc naturaliter disponit, & juvat omne illud quod animam ipsam à sensibus corporalibus, & sensibilibus exterioribus sic abstrahit, ut eam in seipsam reflectat. Propter quod, quidam ex antiquis Philosophis crediderunt se naturaliter posse facere Prophetas. Unde propter hoc pueros excæcabant; ut obclusâ viâ visûs, acies mentis humanæ non habens quà exiret per visum, in semetipsam reflecti cogeretur, & quidam, sicut traditur, in tantam prosilierunt audaciam, ut semetipsos etiam excæcarent, credentes quòd sensus corporis ludositatem mentis dispergerent & diminuerent, & quòd obclusio eorum ipsam colligeret & augeret, ac per hoc mens ipsa in seipsam recollecta occulta cognosceret.

Hiis autem nonnullis exemplis in hanc opinionem inducti sunt. Primò quidem exprimitur, quia si quis debilitatem patitur alicujus manus, in altera suppletur defectus hujusmodi; & in aliis membris similiter se habet. Idem apparet in aqua plures exitus habente, scilicet quòd si obstructus fuerit unus exitus, habundantiùs exibit per alium. Item & ad exemplum est de vase perforato & aquam continuè aliundè recipiente: quia quantò plures & majores exitus habebit sivè foramina, tantò minùs de aqua retinebit, quantò verò pauciores & minores, tantò plus in eo de aqua remanebit.

Cùm ergo corpus humanum ad modum hujusmodi vasis se habeat; quantò plures ac majores habebit aperturas, tantò minùs de influentiis animæ intra se retinibit: qui verò organa sensuum ad modum hujusmodi exituum, sive foraminum se habent; non est mirum, si obstructis, vel uno vel pluribus exitibus, hujusmodi influentia animæ, quæ per eos fluere non permittitur, ad alios exitus, idest ad alia organa sensuum transmittitur.

Item hoc apparet in multis hominibus excæcatis, in quibus tanta est vis imaginationis, ut penè suppleat apud eos defectum visus: dequo exempla pluralia dici possent: sed unum narrare sufficiat quod idem Doctor propè terram nativitatis suæ accidisse recitat, scilicet de quodam, qui cùm esset cæcus à nativitate, factus est bellator fortissimus, nec cessavit à bellis usque ad tempora suæ senectutis; sed tandem à vita priore conversus, & Religiosus effectus, divino miraculo lumen visus accepit, quo à nativitate caruerat. Unde videtur quòd lumen retentum intra, & non habens quà exiret, cæcitate oculos obstruente in ipso organo virtutis imaginatiuæ intellectus est consequens ut defectum visûs illi cæco suppleret, & ipsum in præliis regeret, sicque ab insidiis præcaveret.

Hiis igitur exemplis & similibus, concludit animam à sensibus corporis abstractam, magis posse irradiari, & splendore Prophetico illustrari. Nec tamen propter hoc opportet opinari ipsam inscriptam esse naturaliter scientiis, aut virtutibus decoratam, juxta sententiam Platonis superiùs recitatam; Sed potiùs novis influentiis & irradiationibus illustrari à luce prima radiantissima, & hoc, sicut dictum est, interdùm per seipsam, interdùm autem per alia lumina, sicut sunt boni spiritus & sublimes.

Item ultimò, persuadetur propositum; quia sicut naturale est ferro ad lapidem adamantem vel magnetem rapi. Sic quodammodò naturale animabus humanis rapi ad ipsam primam lucem, & ad ipsos A lucidissimos Angelorum spiritus, quotiens non impediuntur vel prohibentur. Nec mirum, cùm causa quâ lapis hujusmodi sic rapit ad se ferrum, longè fortior inveniatur in prima luce, & in prænominatis substantiis. Hæc autem causa, est naturalis amor, vel appetitus quo ferrum inclinatur ad lapidem hujusmodi. Sed quemadmodùm quædam interposita inter ferrum & hujusmodi lapidem, prohibent motum seu raptum prædictum; sic multa sunt naturalia impedimenta quæ prohibent raptus animarum nostrarum, & elevationes earum in prædictam lucem.

Pro cujus declaratione sciendum est quòd juxta Platonis sententiam, anima humana est quasi in orisonte duorum mundorum, & in confinio duarum regionum, scilicet superioris & inferioris, & esset ei naturaliter liberum erigere se & elevare se in superiorem, nisi corruptio quæ est ex parte corporis impediret. Unde Virgilius Latinorum Poëtarum egregius. Scilicet Æneidos.

Igneus est illis vigor & cœlestis origo,
B *Seminibus quantum non noxia corpora tardant,*
Terrenique habetant artus, moribundaque membra.

Cui concordat quod dicit Sapiens: quia *Corpus quod corrumpitur aggravat animam: & deprimit terrena habitatio sensum mala cogitantem.* Sap. IX. 15. Corpus ergo corruptibile est causa vinculorum & laqueorum multorum quibus animæ nostræ tenentur incurvatæ, & quasi obtorto collo, sicut dicit Mercurius: in Libro suo, *de Deo deorum*: & per consequens illa per quæ dirumpuntur hujusmodi vincula & laquei, quibus captivatur & demergitur anima nostra in mundum inferiorem, qui est mundus sensibilium, ipsum naturaliter disponunt ut sit liberior & potentior erumpere in regionem superiorem, quæ est regio lucis: & per consequens ipsam disponunt naturaliter ut sit aptior ad recipiendum splendorem prophetici luminis. Igitur &c.

C Tertia conclusio probatur satis ex prædictis, quia sicut dictum est quòd complexio aut alia dispositio naturalis juvat aut nocet, ut simus magis vel minùs idonei ad irradiationem primæ lucis: sic etiam & multò plùs hoc potest vitiorum quorumdam immunditia & indispositio moralis impedire, aut contraria dispositio instrumentaliter adjuvare. Nam si adjuvamenta aliqua natura præstet ad illuminationes vel irradiatianes hujusmodi; munditia tamen vitæ, & puritas moralis abundantiùs ipsa præstat & obtinet.

Et primò, illustrationes primæ lucis communiter non dantur, nisi illis qui emundationi aminarum suarum, ut decet, intendunt, abstrahentes eas ab inquinatis sensibus, & munditiæ spirituali vacantes. Talibus enim Lex divina hujusmodi irradiationes permittit; dicens: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* D Matth. v. 8. Sublimium etiam ac beatorum spirituum consortia atque familiaritates quidam propter hoc adepti sunt: sicut Plato de Magistro suo Socrate testatus est, dicens quod *Ob egregiam vitam & castimoniam, ab infantia numen habuit comes*: siquidem pura puris, sincera sinceris misceri atque contignari fas est, & Tullius in Libro suo quem scripsit, *de Natura deorum.* dicit quòd *Si quis temperatè uteretur cibis & potibus, & immaculatum se custodiret, scilicet à venereis voluptatibus, vivens hìc frueretur consortio & visione deo-*

deorum. Venereæ voluptates ad hoc potissimè nocent: & causa est; quoniam maximè captivant animas, & suis alligant corporibus, nec solùm suis propriis; sed etiam alienis. Insuper eas inebriant & dementant, avertunt que à gaudiis spiritualibus, nec non à scientiis & contemplationibus divinarum rerum.

Licèt autem hoc potissimè conveniat luxuriæ, non est tamen negandum avaritiæ convenire. Primò, hoc commune est omnibus morbis, seu vitiis moralibus, & pestibus spiritualibus, alligare & captivas detinere animas humanas, ac propter hoc prohibere eas à A reversione seu conversione ad seipsas & à collectione intra seipsas. Ideòque deditis hujusmodi pestibus & voluptatibus, deliciæ spirituales non sapiunt. Quemadmodùm etiam, è contrario, fruentibus deliciis spiritualibus desipiunt carnales, & per consequens tales non sunt idonei ad propheticas irradiationes.

Ex prædictis ergo tribus conclusionibus in summa potest concludi, quòd quemadmodùm solus Deus creator est animæ rationalis, & tamen non infundit eam nisi in corpore disposito; sic licèt ipse solus sit causa propriè dictæ Prophetiæ: tamen splendorem propheticum non communicat, nisi eis in quibus est naturalis, aut moralis dispositio, animam aliquo modo abstrahens à corpore, seu corporis nexibus, ipsamque elevans, & quodammodò conjungens primæ luci, quæ Deus est. Nec ideò credendum quòd facilis sit nobis acquisitio prophetici splendoris, quasi facilis sit nobis hujusmodi naturalis aut moralis dispositio, B seu purgatio animarum nostrarum à vinculis corporalibus, aut vitiosis sordibus: nam hæc purificatio non est nobis, nisi virtute & gratia Creatoris. Ideòque orationibus, jejuniis & abstinentiis, aliis que sacris exercitationibus sæpiùs impetrare eam possùmus, quàm naturaliter acquirere valeamus.

Et per prædicta patet ad tertium principalem articulum istius dubii quia negatur assumptum. Licèt enim aliqua naturalis indispositio, si non removeretur, impedire posset Prophetiam; utpota si quis esset totaliter naturali sensu destitutus: tamen non sequitur quòd Prophetia simpliciter loquendo naturaliter acquiratur. Concedendum autem quòd aliqua moralis seu actualis dispositio, sicut passio iræ aut concupiscentia, qualis est in coïtu, impedire potest ab C actu Prophetiæ, sicut probant authoritates ibi inductæ: & hoc est pro dictis. Et hæc de secundo.

Quantùm ad tertium membrum, in quo videndum est de multiplici Prophetiarum differentia, sciendum est quòd Prophetiarum quædam est Prophetia vera, quæ propriè dicitur Prophetia, scilicet illa quæ est divinitùs inspirata: quædam, autem est Prophetia falsa, scilicet quæ licèt sit de aliquo vero, tamen non est divinitùs, sed naturaliter habita. Et extendendo nomen Prophetiæ ad talem notitiam quorumdam futurorum vel occultorum, multiplex est differentia talium Prophetiarum, de quibus ad præsens dicendum.

Primò, de Prophetiis quæ fiunt adminiculo quarumdam rerum naturalium.

Secundò, de Prophetiis quæ fiunt ministerio dæmonum.

Tertiò, de Prophetiis quæ fiunt sub involucro somniorum. D

Quantùm ergo ad primum modum Prophetiarum, rememorandum quòd anima humana, ex nobilitate suæ creationis, posita est quasi in orizonte duorum mundorum, & in confinio duarum regionum, sicut supradictum est: mundus autem superior, scilicet mundus intellectivus sive regio lucis, quæ non est nisi æterna ac luminosa veritas, quæ est Deus benedictus, quasi supereminet animæ humanæ à vertice, & propter hoc quasi contingit eam virtus intellectiva. Ideòque, sicut supra dixi, si hujusmodi virtus libera esset à vinculis & carcere corporis & ab alligatione corporalium sensuum & sensibilium, multò faciliùs se erigeret in regionem lucis & elevaret se in eam; quemadmodùm nunc se inclinat & incurvat in mundum inferiorem, seu regionem tenebrarum, scilicet in mundum sensibilem. Et sicut modò incurvatur & trahitur in sensibilia, & remanet hujusmodi virtus intellectiva quasi sopita, vel potiùs sepulta, quàm ad intelligibilia nobiliora; sic è contrario tunc esset, quòd virtute hujus erecta ad nobilia intelligibilia quæ supra eam sunt, velut occupata eorum complacentia atque deliciis, relinqueret vires apprehensivas sensibilium, & ipsa sensibilia corporis sui, adeò quidem ut etiam nuditatem, difformitatem, aut pulchritudinem ipsius, horâ illâ nec cogitaret nec videret. Et hoc modo fortè videtur fuisse de primis Parentibus, quòd suspensi ad sublimia quæ supra ipsos erant, nuditatem corporum suorum non videbant; suspensi enim erant & occupati cogitatione sensibilium: quemadmodùm è contrario modo se habent animæ humanæ occupatæ cogitatione inferiorum sensibilium, & quasi sopitæ & sepultæ sunt virtutes nobiles ac sublimes earum, adeò ut semetipsas, & ea quæ earum sunt, scilicet spiritualia, nec videre, nec intueri prævaleant, sensibilium cogitationibus, & eorum quæ per sensibilia intelligunt occupatæ. Ex quo fundamento patet quòd omnia illa quæ retrahere possunt animam ipsam à cogitatione sensibilium, eamdem elevant ad cognitionem spiritualium, ac ideò disponunt ad illuminationes & irradiationes intellectuales & spirituales quarumdam rerum occultarum. Hoc autem fieri potest multis modis, ex adminiculo sed adjutorio rerum seu causarum naturalium, de quibus aliquos ponam.

Primo modo ergo hoc fieri potest à causa intrinseca, scilicet ab interiori complexione, seu dispositione corporis, quemadmodùm supra dictum est, quòd complexio melancholica; ad hoc videlicet, quia minùs incrassat animam quàm complexio flegmatica, & ideò magis abstrahit à sensibus & sensibilibus. Et inde fit quòd non solùm melancholici à complexione, sed etiam qui, casu vel infirmitate, morbo melancholica laborant, irradiationes hujusmodi recipiunt, verumtamen particulatas & detruncatas: quapropter, ad instar Prophetarum, de rebus divinis quandoque mira loqui incipiunt, sed loquelam hujusmodi non continuant, nisi ad modicum; sed citò recidunt in verba insipientiæ consuetæ, tanquam si fumus melancholicus ascendens ad virtutem intellectivam, in illis fulgorem ipsius intercipiens eam offuscet. Et causa est, quia quando ad modicum cessant ascendere vapores melancholici ad mentes hujusmodi hominum, tunc permittunt eas esse in alto hujusmodi irradiationes; sed posteà miro modo & quasi subito trahunt eas, atque præcipitant in cogitationes, alienationes & delirationes.

Alio modo potest hoc fieri à causa extrinseca, ipsam tamen complexionem aut interiorem corporis dispositionem aliquo modo alterante: & hoc potest contingere multipliciter. Uno quidem modo visiones quædam & revelationes per medicinas fieri posse dicuntur: noverunt enim nonnulli ex Medicis, medicinam aliquam, scilicet per cujus fumum, cum in angulis domûs, in qua jacet dormiens, evaporata fuerit somnio dormientis, vel sic ingravatur vel placatur seu placidatur; ut anima ipsa de immersione corporis quasi libera emergens, regionem lucis, id est luminositatem Creatoris attingat.

Et hic modus potest subdividi: quia hoc fieri potest per medicinam benivolam, & ipsius corporis juvativam, quemadmodùm supra dictum est musicam armoniam habere virtutem multùm juvativam, & esse non solùm corpori, sed etiam animæ utilem medicinam, & ad irradiationes speciales multam & magnam habere potentiam & vigorem. Propter quod, sicut dicit Guillielmus Parisiensis, Libro præallegato, cujus doctrinam in hac parte insequor: si Medici musica-

sica periti, ac prædidi essent, & haberent artem componendi armonicas melodias: vix eos effugeret alius morbus spiritualis, quia supra dictum est quòd ipsæ multùm adjuvant viros spirituales, & propter hoc multùm valent ad morbos spirituales curandos. Cujus evidens signum est, quoniam videmus armonias quæ sunt de uno genere, scilicet de cromathico genere molli, lasciviam & motus venereos incitare, sicut & illæ quæ sunt de tertio genere hoc est de dyathonico, excitant animas in vigorem, & in ferocitatem exasperant.

Propter quod etiam solent consilia Medicorum in præliis adhiberi, unde & illud mirabile accidit, quòd etiam equos in prælium excitant soni dyathonico genere musicali: & ideò magnus est defectus in Medicis qui hoc ignorant, præcipuè quantùm ad spirituales morbos. Sicut ergo per musicalem armoniam, sic & per aliquam aliam benivolam medicinam, potest quivis juvari ad irradiationem aliquam recipiendam.

Alio modo potest fieri per medicinam horrificam & læsivam. Et dicunt quidam cor huppæ, & aliqua alia quorumdam animalium membra, virtutem habere attrahendi vapores qui ingravant sommum, & generant phantasias somniorum; & propter hoc sua virtute liberant, & expeditam efficiunt animam humanam à gravedine vel grossitudine quam contrahit ex parte corporis, ut supra dixi: & ideò præparant ipsam ad recipiendas irradiationes quæ desuper descendunt à luce prima, vel à luminibus aliarum intelligentiarum, & eodem modo dicendum est de fumigationibus antedictis. Causa autem hujus est; quia fortè res istæ habent virtutem horrificam, & ideò earum præsentia horrere faciunt animas humanas, & quasi resilire ab eis, quâ resilitione quasi dislocant se & quodammodò disjungunt à corporibus suis. Ipsa autem elongatio à corpore, quæ per timorem vel horrorem fieri potest, inducit extasim, vel potiùs est ipsa extasis, quæ est quædam præparatio ad revelationes, seu illuminationes. Nec mirum debet esse res illas horrificas & nocivas naturæ, quodam naturali sensu, ab animabus nostris sentiri; nam etiam malefici scripserunt in Libris suis, & præstigiorum suorum multa similia: inter quæ nominaverunt fella corvorum, quæ cum aliis quibusdam naturæ humanæ inimicis, loca in quibus sepulta vel abscondita fuerint, efficiunt horrifica & terrifica, & quicumque loca illa ingreditur horrorem simul & tremorem statim patitur, nesciens unde vel qua de causa: propter quod necesse habet fugere de locis illis. Et hic est modus per quem efficere se credunt loca quæ volunt inhabitabilia, & habitatores eorum hoc modo diffugare.

Non est ergo mirum si in corde huppæ, vel aliis hujusmodi, est virtus aliqua similis huic quam posuerunt fellibus corvorum; nec hoc mirantur illi qui noverunt virtutes quorumdam Empyricorum, quæ Medici & alii experimentatores experti sunt.

Alio etiam modo & multùm proximo præcedenti, possunt fieri divinationes, per applicationes aliquarum rerum humanos sensus alterantium & quandoque alienantium: & hoc modo verisimile est quòd olim dabant responsa quædam quæ in magna admiratione erant, quædam Sybillæ & Sacerdotes Apollinis. Unde Virgilius 6.° *Æneidos* loquens de Ænea qui quandam Sybillam consulebat; sic dicit *Antrum*, scilicet Sybillæ *immane petit*, *magnam cui mentem*, *animumque delicias inspirat* vates, scilicet, Apollo, *aperitque futura*, & posteà de illa Sybilla, & ejus modo prophetandi loquens subdit.

Et rabie fera corde tumens. &c.

Ad cujus declarationem sciendum est quòd quandoque infra antra, idest viscera terræ, quidam spiritus corporeus naturaliter generatur, qui vel à loco suæ generationis vel aliàs, quamdam pestiferam & venenosam virtutem inducit, quæ, ut ad præsens de aliis effectibus taceam, quandoque circa vires mentis humanæ ægritudines causat. Sicut narrat Galienus de quadam pestilentia quæ in Æthyopia accidit, & pervenit usque ad terram Græcorum, & fuit causa talis A dispositionis, quòd infectis per eam erat causa tantæ oblivionis, ut homo nominis sui proprii oblivisceretur & filii sui.

Unde patet quòd ex talibus antris, vel aliis corruptionibus aëris, possibilis est talis exhalatio ac tantæ virtutis, ut immutet sensus humanos vel alienet, ac inde faciat mirabiles visiones apparere; & sic de prædicta Sybilla videtur innuere Virgilius quòd per hunc modum quasi in furiam versa, mirabilia responsa dabat.

Sic etiam videtur narrare Justinus, de Sacerdotibus Apollinis Delphici, dicens quòd ex quodam monte, in quo hujus Apollinis Templum positum erat, à quodam foramine frigidus spiritus, idest quædam exhalatio frigida, quasi quidam ventus exinde expulsus, mentes Vatum, id est illorum Sacerdotum in vecordiam vertebat, impletosque eo responsa consulentibus dare cogebat.

B Unde Patet quòd ventus iste faciebat eos divinare, licèt isti Sacerdotes fingerent se hujusmodi responsa ab Apolline recepisse: non enim credendum est, ut aliqui putant, quòd dæmon istis Sacerdotibus semper responsa daret. Sed ipsi quandoque in furiam, seu quamdam mentis alienationem, modo prædicto, naturaliter versi, loquebantur populo quasi referentes oracula Dei sui.

Ad hoc autem, alio modo possunt fieri hujusmodi visiones mirabiles occultorum seu futurorum, & hoc per applicationem instrumentorum seu speculorum lucidorum, de quo supra dictum est. Sic enim Arthesius magus per quamdam artem quæ tribliam, seu semitribliam vocat, audacter asserere præsumpsit, quòd ex sola inspectione aquæ refulgentis, ex suppositione gladii elimati & tersi, visionem omnium occultorum quicumque inspiciens obtinere posset. Sic etiam quidam mendaces, & fallaces magi, plenam omnium occultorum revelationem obtinere se posse crediderunt per speculum Apollinis. Sed quia ea vis naturalis sit in hujusmodi speculorum inspectione ad cognoscenda occulta, supradictum est, in secunda parte principali hujus articuli. Non autem est credendum prædictis fallacibus magis, quòd tanta sit vis hujus C artis seu inspectionis, ut omnia occulta cognoscere faciat, licèt modo alio declarato, quædam per hoc cognosci valeant, & irradiationes seu occultorum revelationes fieri etiam modo naturali.

Sed tamen in hoc & aliis modis supra dictis, interdùm immiscent operationes suas operibus istis maligni spiritus, ut illudant hominibus, vel ut eis noceant, aut ut eos protrahant ad alia, quæ sine periculo animæ aut offensa Dei exerceri non possunt. Et inde fit ut inspicientes speculum Apollinis ex arreptione dæmoniaca, sine qua opus speculi illius non est verisimile consummari, phantasiam fortassè incurrant, per quam sic arrepti, opinentur se habere scientiam omnium occultorum: sicut etiam plerumque videmus de melancholicis, id est morbo melancholiæ D laborantibus, quòd multa se opinantur scire, quæ penitùs ignorant.

Prædictis ergo sex modis, & quibusdam aliis, quos omnes enumerare non est opus, possunt in nobis naturaliter fieri visiones mirabiles, & quasi revelationes occultorum: fortassè autem non est hoc generale, ut scilicet irradiationes istæ omni hora fiant in omnibus animabus per vias prædictas; & hoc propter particularia impedimenta quæ eveniunt animabus, & maximè quia quantumcunque, adjutorio prædictarum rerum naturalium, diffusio fiat radiorum primæ lu-

lucis, quæ Deus est; in beneplacito tamen solo liberrimæ voluntatis ipsius est tota radiositas luminositatis suæ, ut cum voluerit, & quàm, & quomodò, & quàmdiù & cui voluerit irradiet, aut non irradiet. Et hæc de primo modo Prophetiarum, seu divinationum.

Quantùm verò ad secundum modum principalem Prophetiarum, seu divinationum quæ fiunt sub involucro somniorum, tria sunt consideranda.

Primò, quid sit somnium, & quæ sit somniorum causa.

Secundò, de varia & multiplici somniorum differentia.

Tertiò, utrum divinatio per somnia sit illicita.

Primò ergo, notandum est quòd, secundùm Aristotelem, Libro *De somno & vigilia*: somnium est phantasma factum à motu simulacrorum in simpliciter dormiente: remanent enim simulacra idest idola, sive species, in organo phantasiæ, & ex illis causantur idola & simulacra in organo sensus communis, & etiam in organo sensuum exteriorum; eo quòd anima utitur simulacris, vel simulitudinibus rerum pro ipsis rebus. Et ideò, secundùm Augustinum. XII. *super Genesim* ad litteram, *Tunc est somnium, cum inter species perceptas & veras res quarum sunt species, non discernitur*. Unde ex hoc inferunt aliqui quòd Christus nunquam somniavit. Sed non est necesse hoc dicere de Christo, cum somniare sit naturalis passio, sicut comedere & dormire: nec est inconveniens ipsum secundùm sensum communem non habuisse in somno judicium discernendi inter species & res per eas perceptas, sed potuisse uti speciebus illis pro ipsis rebus: sicut non est inconveniens ipsum, secundùm sensum exteriorem, non habuisse verum & distinctum judicium de vera quantitate solis, cognoscendo ipsum esse majorem tota terra; sed potuisse judicare ipsum esse tripidalem, sicut ceteri homines de eo judicant sensu visûs, sive secundùm sensualem apparentiam, licèt aliqui per intellectum aliter judicent.

Secundò, ad cognoscendum causam somniorum, sciendum est, quòd sicut potest colligi ex dictis Aristotelis, & Alberti, in Libro *De somno & vigilia* & Augustini, XII. *super Genesim*. Somnia sumunt originem multipliciter; aliquandò à corpore humano, aliquandò ab anima, aliquandò à corporibus cœlestibus, aliquandò à Deo & spiritibus bonis, aliquandò à spiritibus malignis. Unde causalitas somniorum potest sic accipi communiter: causa ipsorum est intrinseca, vel est extrinseca. Si sit intrinseca, hoc est dupliciter, quia quandoque est corporalis; nam ex interiori dispositione corporis, quandoque causatur aliquis motus in phantasia conveniens tali dispositioni, sicut hominibus in quibus habundant frigidi humores, videtur in somniis quòd sint in aqua vel nive. Et propter hoc dicit Aristoteles Libro, *De somno & vigilia*, quòd Medici notare debent ea quæ apparent in somno; quia scilicet hoc valet ad cognoscendas interiores corporis dispositiones: nam tunc multa apparent quæ ex distemperata corporis & humorum complexione causantur. Sicut si habundaverit flegma in corpore alicujus, & in somno distillare incipiat per membra; talis videt in somno se per pluviam madefactum; & quando flegma est dulce, descendens à capite, apparet homini, quòd gustet dulcia. Si verò colera multùm habundet in corpore, incendia & stellæ cadentes, & corruscationes apparent; & si cum colera hujusmodi grossa intercipiatur ventositas, ventus cum tonitruis apparebit; & si colera nigra habundet, facit somniare quandoque incendium corporis: & sic narrat Albertus quemdam somniasse picem ardentem infusam fuisse in ventrem suum, & causa fuit, quia in eo habundavit colera nigra: unde ipse exurgens, emisit coleram nigram in magna quantitate. Si verò melancholia habundet, apparent terribilia multa nigri coloris, & comestio rerum acetosarum, & incubi, & similia huic proportionata humori. Si verò sanguis habundet, res rubeæ cum aliquibus quæ etiam pertinent ad coleram apparebunt.

Talia igitur somnia sunt significativa dispositionis corporalis, & quandoque futurarum infirmitatum. Unde hiis qui ad aliquas infirmitates sunt dispositi, quandoque contingit quòd somniant se gravibus lapidibus oneratos. Hiis autem qui actu ægrotant, aliquandò contingit quòd somniant quædam ad suæ passionis accidentia pertinentia. Unde quidam infirmus somniavit pluriès quòd percutiebatur sub aure quodam lapide multùm pungente, & ipsi citò post crepitavit aposteuma sub aure: & alius fuit cui apparebat sæpè quòd canis eum in pede dextro mordebat; cui citò post fistula nata est in pede dextro & parùm vixit: & ideò per talia somnia benè informantur Medici ad pronosticandum de dispositione infirmorum.

Ex hiis ergo patet quòd ex parte corporis potest esse variatio somniorum dupliciter; scilicet per se, vel per accidens. Per se, cùm disponitur aliter in una complexione, aliter in alia, ut dictum est. Calidæ enim complexiones multorum sunt motuum, quantùm est de se, & maximè in juventute: contraria verò contrarium habent proprium: & ideò colericus in senectute rectiores habet visiones; flegmaticus verò in juventute &c.

Dicendum est de reliquis quæ discrasias naturales possunt diminuere vel augere. Per accidens autem disponitur diversimodè corpus nostrum, vel per quantitatem cibi, vel potûs diversam, vel laboris, aut exercitii corporei, vel ægritudinis corporalis: nam secundùm quod in hiis omnibus corpus se habet superfluè, aut diminutè, aut temperatè. Sed hoc disponitur meliùs vel deteriùs, ut impressiones recipiat visionum. Et ideò dispositio temperatæ complexionis in sanitate, cum temperantia cibi & potûs, & exercitii moderati, temporibus debitis, & locis coveniemtibus, ex parte corporis est dispositio valdè convenies ad visiones somniorum, & sic patet de ipsorum causa intrinseca, ex parte corporis.

Tertiò, notandum est quòd causa somniorum intrinseca quandoque est ex parte animæ, & hoc potest esse tripliciter, secundùm quod anima potest tripliciter ad visiones disponi, scilicet naturâ, doctrinâ, & sollicitudine, seu diligentiâ. Primò anima potest ad hoc disponi naturâ, scilicet quando ex proprietatibus suæ creationis, seu unionis cum corpore hoc habet ut minimè sit dedita hiis sensibus & mundanis; quia tunc tanquam ad superiora conversa, leviter superiorum influentiis informetur directè: sicut aqua quiescens effigies repræsentat stellarum perfectè; mota verò, imperfectè & distortè.

Causa autem quare anima sic naturaliter disponitur, est ex influentia quæ est in ipsa generatione, seu nativitate hominis. Quia sicut dicit Philosophus, in tertia propositione Centilogii: *Naturatus in aliquo*, idest ad aliquid naturaliter inclinatus, *inveniet stellam fortem similis naturæ in sua nativitate*. Ubi dicit Haly in Commento, quòd *Stellæ tales sunt animabus, qualia sunt elementa corporibus*. Non autem intelligit, quòd sicut elementa intrant compositionem corporis, ita stellæ intrant compositionem animæ, nam hoc esset absurdum intelligere: sed intelligit quòd sicut corpus virtutes elementorum participat diversimodè, secundùm quod diversa elementa dominantur in ipso; ita anima diversas propietates adquirit, secundùm dominium stellarum dominantium in infusione ipsius. Et ideò dicit Haly quòd *Quando aliqua stella fit fortis in nativitate alicujus, opus illius stellæ apparebit in illo nato, & citò illud addiscet, & artificiosè perficiet*. Non est tamen intelligendum quòd virtus stellarum principaliter influat potentias, sive dispositiones prædictas ipsi animæ; sed intelligendum est, juxta modum loquendi Alpharabii, & Auctoris *De causis*, in illa pro-

positione. *Anima nobiliores habet operationes* &c. quòd intentio Philosophorum est, quòd motores cœlestes ipsarum stellarum, seu orbium, principaliter impressionem faciunt in animabus. Sic scilicet, quòd si Mercurius fortis fuerit horâ principii generationis alicujus, vel horâ nativitatis quæ illi proportionatur; motor orbis Mercurii faciet fortis memoriæ animam, talis nati, & ad hoc dirigit corpus ejus virtus ipsius orbis Mercurii. Ita quòd sicut motor orbis ad motorem corporis; ita mobile ad mobilem: & de ista subordinatione causarum magis statim dicam.

Secundò, potest anima disponi ad visiones ex doctrina. Scilicet quando ex consuetudine per mores acquisitos à passionibus requiescit, & sic aptatur intelligibilibus, quòd eam nulla talis passio inquietat, vel turpis phantasia disturbat. Unde sic potest tantus esse habitus honestatis in vigilando, quòd anima non assentiat fœdis voluptatibus carnalibus in dormiendo; sicut dicit Augustinus I. Confessionum: quia *Virtute illius habitus dissipantur phantasiæ malæ, si quæ negantur dormienti. Sicut è contrà dediti fœdis voluptatibus vilia somniam.*

Tertiò, potest ad hoc anima disponi ex sollicitudine vel diligentia: unde homines solliciti & cogitativi circa aliqua, frequenter somniant de illis. Ideò dicit Macrobius, super Somnio Scipionis: *Sæpè fit ut cogitationes, sermonesque nostri, pariant aliquid in somno tale, quale vigilans sæpissimè solebat agitare vel loqui*, propter quod Claudianus ait:

Omnia quæ sensu volvuntur vota diurno
Pectore sopito reddit amica quies.
Venator defessa thoro cum membra reponit,
Mens tamen ad sylvas & sua lustra redit,
Judicibus lites, aurigæ somnia currus. &c.

Unde *Eccle.* v. 2. dicitur *Multas curas sequuntur somnia*. Occurrunt enim phantasiæ in dormiendo illa circa quæ hominis cogitatio fuit minorata in vigilando. Et hæc est causa cur homines frequentiùs somniant de amicis suis, & certiùs de eis quàm de extraneis; quia maximè solliciti sunt de eis: hæc est etiam causa cur nobiliora sunt somnia illis quibus de publicis utilitatibus est sollicitudo, & cura vigilantior. Propter quod dicunt quidam ex sapientibus Latinis quòd *Credendum erat Regio somnio.* Qui enim loca sublimitatis & regiminis obtinent, plerumque magis solliciti sunt de rebus publicis quibus præsunt, avidiorique desiderio meliorationem cupiunt & affectant: cur non est mirum si de hiis fiunt eis somniorum visiones. De hoc multa narrat exempla Valerius Maximus: *Lib.* I.° *Capitulo* 5.° & Tullius: *Libro De Divinatione*, quæ transeo, brevitatis gratiâ. &c. Et patet de causa intrinseca somniorum, tàm ex parte corporis, quàm animæ.

Quartò, notandum quòd ipsorum causa quandoque est extrinseca, & hæc est duplex; quia quandoque est corporalis, quandoque spiritualis. Est enim quandoque corporalis, scilicet inquantùm imaginatio dormientis immutatur vel à qualitate aeris continentis, vel ex impressione cœlestis corporis; & sic dormienti aliquæ phantasiæ apparent conformes eorum impressioni. Nam secundùm Philosophum VIII. *Physicorum*: à continente nos multæ fiunt immutationes in nobis; sed continens nos est multiplex. Primum enim continens sensibile, est corporale elementum, cujus qualitatibus multipliciter alteramur. Secundum, est cœlum, cujus figuris & virtutibus immutamur. Tertium, est motor cœli. Quartum, est causa prima, quæ absolutè omnia virtualiter continet, & in cujus virtute omnia alia continentia agunt; & ideò actiones eorum ad suam actionem referuntur &c. Et ista quatuor inter se subordinantur, sicut in arte se habet artifex, phantasia, manus, & dolabrum: quia sicut dolabrum scindit ad figuram ad quam manus dirigit, & ipsa dirigit ad imaginationem phantasiæ, & phantasia imaginatur & dirigit ad formam artis; ita elementum, & cœlum, & motor cœli dirigunt ad formam virtutis divinæ. Ideò Philosophus 2.° *De animalibus*, naturam appellavit artem divinam.

Horum autem quatuor nos continentium, duo prima sunt corporalia, alia spiritualia, de quibus specialiter dicam. Sed tamen ab hac communi virtute nos continente contingit nos & in vigiliis & in somniis
A multipliciter moveri & inclinari, nunc ad hoc, nunc ad illud imaginandum, vel appetendum, vel etiam volendum; nisi valdè cautè per intellectum in contrarium renitamur, vel nisi motibus alienis disturbemur: sicut in ebrietatibus, vel aliis quibusdam passionibus, ubi motus intrinseci sunt ita fortes, quòd impressio exteriorum continentium non apparet, sed apparet hiis remotis, sicut contingit in somno circa auroram, prima & secunda digestione completis, cum convenientia corporis, qualis est temperies Veris, vel Automni: tempestuosa enim tempora disturbant nos quandoque, ne in nobis fiant veræ visiones somniorum. Sic ergo ex dispositione aeris continentis, & impressione corporis cœlestis, alterantur sæpè corpora nostra in somno: Unde phantasia format sibi species & idola conformia qualitatibus ab eis causatis; & quandoque ab eis causantur & figurantur in phantasia imaginationes illorum effectuum ad quos disponunt illæ impressiones, secundùm similitudinem vel
B magis vel minùs expressam, secundùm quod virtus imprimens est fortior vel debilior, & virtus recipiens magis vel minùs disposita, vel magis aut minùs ab aliis impedimentis quieta; & sic anima quandoque somniat de aliquibus effectibus. Ab illis impressionibus cavendum, sicut fuit de somnio Pharaonis, de septem bobus & septem spicis. *Genes.* XLII. ex quibus significabatur fecunditas vel sterilitas terræ.

Per hunc etiam modum quædam animalia præcognoscunt quædam futura de dispositione aeris, serenitate, vel tempestate, sicut supra dictum fuit de quibusdam piscibus, & de formicis, & quibusdam aliis, quorum imaginationes sunt magis quietæ quàm humanæ, propter multiplices motus rationis. Et patet de causa extrinseca somniorum & specialiter de causa corporali.

Quintò, notandùm est quòd causa somniorum extrinseca quandoque est spiritualis, & hoc contingit dupliciter. Scilicet à spiritibus bonis, & à spiritibus
C malignis. Primo modo, somnia possunt fieri dupliciter. Uno modo, possunt fieri à prima causa & cœlestibus motoribus vel intelligentiis, naturali & causueto modo, scilicet mediantibus corporibus cœlestibus, & aliis causis secundis, sicut jam tactum est: & iste modus non pertinet ad Prophetiam propriè dictam: alio modo, possunt fieri à Deo immediatè, vel mediantibus Angelis bonis ab eo missis, scilicet modo supernaturali; & iste modus est propheticus & somnium est species Prophetiæ. De tali somnio habetur *Matthei* II. de Angelo qui apparuit in somno Joseph, & de Angelo qui apparuit Magis & multa similia leguntur in Scripturis.

Tale etiam videtur fuisse somnium illius Symonidis Poëtæ, de quo narrat Valerius, *Lib.* I. *cap.* 5. quòd „ Cùm ad littus navem appulisset, inhumatumque „ corpus jacens reperisset, & illud sepulturæ mandasset, admonitus fuit ab eo per somnium, ne „ proximo die navigaret. Ideò in terra remansit, unde alii qui inde naves à terra solverunt, fluctibus &
D „ procellis in ejus conspectu obruti sunt: Ipse verò „ lætatus est quod vitam suam somnio magis quàm „ navi credere voluisset, & memor beneficii, elegantissimo carmine æternitati consecravit, melius „ illi & diuturum in animis hominum sepulchrum „ constituens, quàm in desertis & ignotis arenis struxerat „. Hæc Valerius. Unde verisimile est hoc somnium ab aliquo bono spiritu fieri, in recompensationem pietatis illius.

Sextò, notandum est quòd à malignis spiritibus quandoque

doque in nobis causantur somnia, quorum causa & modus magis infra patebit, quando dicam de divinationibus quæ fiunt ministerio dæmonum. Tale enim fuit somnium illius uxoris Pilati, quæ ante Passionem Christi, dormiendo multa passa fuit per visum, scilicet dæmone immiscente phantasias & apparitiones in ea, ut sic per eam redemptionem nostram impediret. Unde mandavit viro suo dicens: *Quid tibi & justo illi, multa enim passa sum hodiè per* A
visum propter eum. Matth. xxvii. 19. Et consimiliter à tali spiritu videtur illud somnium fuisse causatum quod narrat Valerius, ubi priùs, scilicet de Cassio Parmensi, cui dormienti apparuit homo ingentis magnitudinis, coloris negri, squalidus barba, & capillo demisso, qui interrogatus quisnam esset; respondisse videbatur. *Cacodæmona.* Unde perterritus Cassius familiam excitavit, & quæsivit si quem talis habitus aut intrantem cubiculum, aut exeuntem vidissent; & responderunt quòd non: rursùs igitur obdormivit, & iterùm eadem species apparuit; ideòque lumen auferri fecit & pueros sibi assistere præcepit. Unde inter hanc noctem & supplicium quo ipsum capitis reum Cæsar affecit, parvulum valdè temporis spatium intercessit. Ex prædictis ergo patet quid sit somnium, & de diversis causis somniorum. Et hæc de primo puncto.

Quantùm ad secundum, dicendum est de varia & B
multiplici somniorum differentia: unde primò sciendum est, quòd virtus prædictarum causarum naturalium, de quibus ad præsens solùm loquor, tàm scilicet causarum generalium, sicut est virtus ipsius cœli & intelligentiarum; & aliarum causarum extrinsecarum ab eis dependentium, quàm etiam spiritualium causarum, & magis particularium somniorum, sicut sunt illæ quæ se tenent ex parte corporis humani, vel animæ, de quibus dixi; multipliciter & diversimodè reperiuntur movere, secundùm fortitudinem vel debilitatem ipsarum, & etiam secundùm quod diversimodè, secundùm magis vel minus disponimur ad moveri; & secundùm hoc, si ea quæ in nobis experimur volumus advertere, inveniemus impressionem prædictæ virtutis septem modis maximè variari.

Quorum primus extitit, & minimus gradus qui in sola animi confidentia denotatur, ex quo quis ad aliquid agendum movetur quodam impetu naturali motivarum C
virtutum, absque signo in virtutibus cognitivis recepto: unde tales sic moti respondent quærentibus causam motus: hoc nobis cor dictat, nec hujus aliam rationem assignant. Hunc gradum tangit Aristoteles, in Libello, *De bona fortuna*: istum etiam experimur in vigilia, potius quàm in somno.

Secundus gradus attollitur super istum, in tantum scilicet quòd ex hoc quod est impressum virtutibus motivis, aliquid in cognoscitivis resultat; non tamen sub specie propria rei futuræ, nec sub convenienti metaphora; sed magis per contrariam speciem præsentatur, sicut contingit illis qui se prævident in festis & in gaudiis nuptiarum, & posteà contingit eis quòd sunt in planctuosis solemnitatibus mortuorum. Et iste gradus quamvis sit secundus, respectu virtutis universaliter moventis, & etiam respectu dispo- D
sitionis nostræ, est tamen primus, respectu eorum quæ accipiuntur in somniis ad significandum aliquid de futuris, sicut statim patebit in secundo notabili.

Tertius gradus, est quando utimur non distortè similitudine impressa, nec per contrariam speciem rei futuræ apparet ipsum quod est futurum, sed per aliquam convenientem metaphoram designatur. In isto gradu visiones frequentiùs contingunt, & multipliciter variantur, secundùm diversas proprietates rerum, secundùm quas metaphora rei futuræ adaptatur. Unde Philosophus, quantùm ad istum gradum, loquens in Libro *De somno & vigilia*: capitulo *De Divinatione.* Dicit quòd: *Ille est artificiosissimus interpres, qui convenientiùs rerum similitudines conjecturat.*

Quartus modus, est quando jam sub propria specie res futura videtur sine tegumento metaphoræ cujuscunque.

Quintus est, quando quis per se rem futuram non videt, sed per aliam: Ita quòd videtur somnianti quòd quis sibi rem futuram proponat; non tamen propriè, sed sub metaphora & ænigmate alicujus similitudinis.

Sextus gradus addit supra istum, scilicet quando assistens rem futuram proponit propriè, non per metaphoram occultam, & in hiis duobus gradibus prophetaverunt multi Prophetæ.

Gradus primus, est quando veræ intelligentiæ futurorum jam verè apparent intellectui, & istud est altius quod in hac vita contingit hominibus, sicut patebit in declaratione causarum prædictorum graduum seu modorum.

Secundò ergo, pro intellectu hujusmodi causarum, notandum est quòd ex causis somniorum priùs tactis, possunt haberi causæ diversorum graduum, & subordinationis eorum. Quando enim homo secundùm corpus, & secundùm animam, vel secundùm utrumque est ita dispositus, quòd in ipso, propter alios motus, cœlestis impressio dissolvitur, sicut in ebriis vel vehementiùs iratis, vel hujusmodi passionatis; tunc non moventur ab hujusmodi impressione cœlesti, nec secundùm motivas, nec secundùm sensitivas virtutes. Si autem corpus, quantùm ad vires motivas proportionetur superiori virtuti, quantùm ad sensum, aut vel sensitivas virtutes anima ad aliud sit intenta; tunc movetur secundùm ordinem primi gradus. Si autem ulteriùs anima incipiat disponi, quantùm ad cognitiones, tamen debiliter & distortè; tunc movebitur aliquando secundùm formam gradus secundi. Si autem debiliter, non tamen distortè, sed rectè, tunc secundùm formam tertii gradus. Si autem fortiter & rectè anima sit disposita; movebitur secundùm ordinem quarti gradus. Si autem fortiùs; secundum quinti gradus ordinem. Si autem fortissimè; secundùm ordinem sexti aut septimi gradus. Unde si ad phantasmata moveat; ad sextum pertinebit gradum: si autem ad intelligentias, ad septimum pertinebit; facilius enim est ad phantasmata, quàm ad intelligentias movere.

Et hiis ergo patet quòd distinctio graduum prædictorum accipitur penès diversitatem dispositionum in corpore vel anima, ut dictum est. Potest etiam alio modo accipi penès gradus fortitudinis aut debilitatis, circa cœlestem virtutem; sicut magis habet videri in scientia de judiciis astrorum. Verbi gratiâ, secundùm Astronomos; si Mercurius Soli corporaliter sit conjunctus in aliqua domorum Saturni, & Luna fuerit in domo Mercurii ejusdem triplicitatis; tunc virtus cœlestis multùm fortiter movet ad occultas & profundas cognitiones rerum. Unde dicit Philosophus quòd *Tota terra intellectu repletur*: & nati constellationis hujus, profundæ sunt inquisitionis in rebus arduis & longinquis, & de facili sunt in qualibet parte Philosophi perfecti; & tunc non solùm anima ad aliquid significandum movetur, sed etiam in particularibus aliis rebus efficiuntur præsagia futurorum. Et causa hujus est, quia ab eisdem causis à quibus visiones dependent, ad quas anima movetur, causantur etiam quidam effectus, qui etiam signa futurorum exprimunt, & præsagia seu prodigia vocantur: sicut narratur quòd in nativitate Alexandri, aquila quædam, extensis alis suis, per totam diem supra summitatem palatii volitavit: quod præsagium magnitudinem sui Imperii designavit. Movebatur enim illa aquila, sicut & alii motores particulares in hoc mundo ad aliquod simile vel proportionale illius ad quod movent seu disponunt superiores & universales motores.

Sic etiam narrat Valerius lib. 1. cap. *De prodigiis*, duo exempla notabilia: unum de Mida, cujus Imperio Phrygia fuit subjecta. Unde dicit quòd sibi puero

dormienti formicæ in os grana tritici congesserunt. Petentibus autem eis quid prodigium significaret: interrogantibus Augures responderunt illum omnium mortalium forè ditissimum; nec vana prædictio extitit. Nam Midas cunctorum penè Regum opes abundantiâ pecuniæ antecessit.

Aliud exemplum est de Platone. Cui dormienti in cunis, labellis ejus apes mel inseruerunt, quâ re A auditâ, prodigiorum interpretetes singularem eloquii suavitatem ore ejus emanaturam dixerunt. Unde quasi consimile narratur de Beato Ambrosio, cujus prodigii expositio conveniens fuit: quia sicut apes congregant materiam luminis ad videndum, & dulcedinis ad nutriendum; ita sapientes, eloquentiâ præditi, veras rerum substantias sibi congregant ad intelligendum, & aliis ad docendum. Et patet de causis visionum & prodigiorum correspondentium, & de ordine graduum, seu modorum prædictorum in visionibus quæ fiunt per involucrum somniorum.

Sed ad sciendum qui gradus de numero prædictorum sint convenientes arti pronosticandi de visionibus futurorum; notandum est quòd gradus primus non est conveniens huic arti, quia in sola experientia consistit, & in sola præcipuè contingit vigilia, ut dictum est. Gradus etiam quartus & sextus huic B arti non conveniunt, quia in eis apparent res sine integumento metaphoræ: & ideò circa eos non est aliquod artificium construendum; septimus etiam gradus non est conveniens, quia etiam de rarò contingentibus relinquuntur. Igitur tres gradus, scilicet secundus, tertius, & quintus unus est, quando aliquis per speciem contrarii, de suo contrario aliquid prævidet eventurum. Quartus, quando per rectam metaphoram prævidemus. Et iste gradus est communior; alius est quando videtur assistens, proponens sub metaphora rem futuram. Unde circa istos gradus maximè ordinatur ars pronostica somniorum; quia cum ars sit de bono & difficili, non est facile in gradibus prædictis rerum proprietates cognoscere & visionum metaphoras adaptare.

Quartò, notandum est quòd in adaptatione, hujusmodi interpretes somniorum, maximè & principaliter habent considerare proprietates rerum naturalium quæ inveniuntur in proportione actuum, seu operationum naturæ & circumstantialium naturalium: ars C enim ista pronostica somniorum, multùm insequitur naturam; & ideò sicut natura non tantùm rem facit, sed ei certas proprietates instituit, ipsamque locis, temporibus, qualitatibus, & sitibus debitis ordinat, sic & ars procedit: propter quod, apud interpretes hujus artis, res naturales, & proprietates earum, ad pronosticandum futura generaliter accipiuntur. Ita quòd eadem res secundùm diversas circumstantias prævisa in somno, sumitur ad diversa pronosticanda. Verbi gratiâ, apud interpretes equus aliquando significat scientiam, aliquando est signum uxoris. Unde in hoc multùm est attendenda circumstantia somniantis, & circumstantiæ quibus equi visio terminatur. Ut si Clericus scientificus videt se aquam difficiliter transmeabilem, per sui equi vigorem transire sine labore, significat quòd per beneficium scientiæ à negotiis difficilibus eripietur. Si autem laïcus potens hoc videret; hoc esset ad potentiam referendum. Si autem equus proprius ca- D meram somniantis uxorem habentis ingreditur, significat uxorem, secundùm diversas circonstantias ad eam pertinentes. Si autem quasi ignotus equus ore aperto, & pedibus jaciens appareat somnianti; significat adversarium litem somnianti moventem, & proportionaliter in aliis.

Hæc autem adaptatio sive interpretatio somniorum non est contemnenda penitùs, quia si prudenter servetur, eam virtutem continere in plerisque invenimus. Unde scribitur de Platone, Libro *De vita Philosophorum*, & in Historiis Græcorum, quòd Socrates prævidit in ipsa nocte quâ immediatè post Plato ad scholas Socratis fuit ductus, quod cignus quidam sibi oblatus pausabat ingremio suo, & posteà volabat super portam quæ dicitur Academiæ; & cum esset ibi videbatur Socrati quod cignus ille habebat ita longum collum, quod vertice tangeret cœlum. Adveniente autem die, cùm Socrates narraret visionem suis discipulis; Pater Platonis filium suum obtulit Socrati, ut eum in suam reciperet disciplinam. Quo viso, statim ait Socrates. Ecce cignus qui ad secreta cœlestia transcendet, manifestans occulta. Unde hæc Socratis interpretatio fuit rationabilis, ideò quia cignus habet proprietates aliquas quæ multùm proportionantur proprietatibus Philosophorum in hac vita: est enim albus & mundus, & in profundis aquarum quærens vitam, minimè rapiens aliena, & longævus existens, in ultimis suæ vitæ diebus dulcisonas reddens voces. Sic etiam Philosophus, honestam gerens vitam albus est, & sine macula, vivit in profunditatibus, scientiarum veritates inquirit, necessariis vitæ contentus fortuita relinquit, & longævus in fine vitæ dulces sententias posteris tradit. Quare patet quòd Philosophorum vita bona & longæva convenienter designatur par Cignum.

Huic autem visioni fuit proportionalis, ad significandam malam & inhonestam vitam, visio Matris Neronis; quæ cum eum haberet in utero, prævidit quadam nocte, se draconem crudelem, & magnum intra viscera gestare, qui ad eam conversus mordens ipsam eviscerabat. Unde quidam exponens somnium, dixit quòd pareret quemdam, qui actor existeret suæ mortis: & ita accidit, sicut testantur Historiæ Romanorum. Nam ipse Imperator factus voluit locum suæ generationis videre, unde interfecit Matrem, ut videret matricem. Sic ergo patet de diversitate somniorum, & de modo generali interpretationis ipsorum. Et hæc de secundo.

Quantùm ad tertium videndum est utrum divinatio per somnia sit illicita. Videtur quòd non, quia uti instructione divina non est illicitum: sed in somniis homines instruuntur à Deo. Unde *Job.* XXXIII. 15. dicitur *Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo: tunc aperit si Deus aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina.* Et hoc non solùm contingit bonis, sed etiam malis. Unde in Libro Sapientiæ XVIII. 17. de Ægyptiis dicitur quòd *Visus malorum somniorum turbaverunt illos, & timores supervenerunt insperati.* Et ibi subditur ℣. 19. quòd *Visiones quæ eos turbaverunt*, ipsos *præmonebant.* &c. Ubi dicit Glossa Rabani quòd *Divinæ bonitatis est, etiam quandoque in somniis peccantes arguere & castigare, ut pœnitentiam agant* &c. Et confirmatur, quia multi sancti viri in Scriptura sacra leguntur divinasse per somnia, & interpretasse ea; sicut Joseph interpretatus est somnia Pincernæ Pharaonis, & Magistri Pistorum: ut habetur *Genes.* XL. Et somnium Pharaonis, *Genes.* XLI. & Daniel interpretatus est somnium Regis Babylonis, sicut legitur Daniel II. & IV. Capitulis. Igitur &c.

Oppositum arguitur; quia *Levit.* XIX. 26. dicitur, *Non augurabimini nec observabitis somnia.* Et *Deut.* XVIII. 10. prohibetur observatio somniorum. Unde ibi dicitur: *Non inveniatur in te qui observet somnia.* Et Cato dicit: *Somnia ne cures* &c.

Pro responsione sciendum est quòd divinatio vel divinare potest sumi dupliciter. Uno modo strictè & propriè, & omnis divinatio est illicita, ut infra patebit; alio modo largè possunt, divinare nihil aliud est, quàm prædicere effectum futurum vel ignotum: & sic sumendo generaliter pono tres conclusiones.

Prima est, quòd divinatio per somnia in casu est licita;

Secunda est, quòd divinatio talis non est ab omnibus somniis expectanda.

Ter-

Tertia, quòd divinatio hujusmodi est quandoque multùm periculosa.

Prima ergo patet: primò quia aliqua divinatio per somnia est naturalis. Igitur talis est licita, quia patet animus & de intentione. Aristoteles 2. *De somno & vigilia.* Capitulo *de divinatione.* Ubi dicit quòd *Divinationem ex hiis quæ in somniis accidunt, neque est omninò contemnere idoneum, neque omninò suadere.* Super 9. dicit, *communiter* quòd *nullus homo est qui non vidit somnium, quod enuntiavit ei aliquod futurum.* Et confirmatur; quia illud quod homines communiter experiuntur, irrationabile est negare: sed omnes experiuntur somnia habere alicujus significationem futurorum, secundùm Aristotelem, & Commentatorem in Libro prææallegato. Item maximi Philosophi naturali divinatione somniorum usi sunt, sicut patet supra de Socrate, & similiter de Tullio, qui in Libro *De Republica*, somnium Scipionis recitat, quod ipse Macrobus commentavit.

Item historiæ multæ narrant de significatione somniorum. Unde Valerius Maximus Lib. 1. Cap. *De somniis*, recitat multa somnia quæ fuerunt vera indicia futurorum; sicut patet de somnio uxoris Julii Cæsaris, quæ illa nocte quæ præcessit mortem ipsius, in somno vidit ipsum multis confixum vulneribus in sinu suo jacentem: unde somnii atrocitate vehementer attonita, rogavit eum ut proximo die à Curia se abstineret. Sed ne muliebri somnio motus id fecisse existimaretur, Senatum, in quo ei parricidarum manus illatæ sunt adiit, & mortuus est, quia mulieris somnium & consilium contempsit:

Similiter narrat de Alexandro Macedoniæ Rege, qui somniavit se per Cassandrum interfici, & evenit quia per eum veneficio occisus est. Et multa alia exempla ponit ibidem, quorum aliqua narrat Tullius in Libro suo *De Divinatione.* Igitur &c.

Secunda conclusio patet, quia Aristoteles in Libro, *De somno & vigilia.* ubi priùs: distinguit somnia, quòd quædam sunt signa aliquorum eventuum, quædam causæ, & quædam accidentia, id est impertinentia ad eventus futuros. Signa sunt illa de quibus supra dictum est, scilicet quæ significant collectionem humoris in corpore, vel discrasiam, vel intemperantiam. Causæ autem sunt; quia quandoque aliquis est ita sollicitus circa opus inchoatum vel inchoandum, quòd in dormiendo aliquando perfectè comprehendit modum convenientem, quo potest illud consummari: & posteà juxta illam phantasiam producit propositum ad effectum: & ejus somnium est causa eventus futuri, & ex prædictis somniis potest sumi judicium. Quædam autem somnia sunt accidentia eventuum futurorum, id est eis indifferentia & impertinentia ad eventum futurum, quia nec sunt signa, nec causæ eventuum, & ex talibus nullo modo est divinatio expectanda, sicut patet de somniis naturalibus.

Item, de somniis quæ procedunt ex revelatione divina, scilicet immediatè à Deo, vel mediantibus Angelis bonis, patet quòd divinatio potest expectari ex eis. Unde Num. XII. 6. Scribitur. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* De somniis verò quæ procedunt ex revelatione dæmonum; si propter hoc cum eis habeantur pacta, scilicet expressa per invocationem eorum, vel etiam tacita; constat quod talis divinatio esset illicita & superstitiosa.

Tertia conclusio patet. Primò propter deceptiones malorum spirituum, qui per somnia nituntur decipere illos qui somniis adhibent fidem, & ideò faciliter posset aliquis nimis credens somniis, labi in desperationem ad suggestionem diaboli: Secundò, propter diversitatem significationis in somniis. Potest enim aliqua res in somnio æquivocè & æqualiter significare diversa, & ideò hoc applicando ad unum particulare, faciliter quis decipitur, & præcipuè quia aliqua somnia habent interpretari per simile, & aliqua per contrarium, sicut supra dictum est. Hoc autem non est facile discernere. Igitur &c. Tertiò, quia sicut dicit Philosophus: licèt somnia sint significativa futurorum, aliquando tamen non est necesse eventum somniorum accidere, quia talis effectus potest per fortiores causas impediri; verbi gratiâ, sicut licèt nubes
A sint causa pluviæ, & signa, quando abundant, quòd inde pluvia futura sit; tamen quandoque à causa fortiori disperguntur, & tunc contingit pluviam impediri: sicut etiam in voluntariis operationibus; quamvis quis habeat consilium ad aliquid faciendum, & firmum propositum ad illud implendum, non tamen necesse est illud impleri, quia scilicet fortius consilium potest supervenire, & totum mutare propositum. Sic etiam in materia somniorum potest contingere.

Ex hoc patet quod interpretator somniorum non debet dicere determinatè, quòd sic eveniet sicut somnium significat; sed debet addere conditionem, nisi fortior causa impediat. Et consimiliter debent Astrologi divinare. Unde dicit Albertus, ubi priùs, quòd Astrologi dicentes determinatè quòd talis effectus eveniet, faciunt scientiam Astronomiæ vilescere, scilicet fortiori causa hoc quandoque impediente: cùm tamen in scientia A-
B stronomica non sit defectus; sed in Astronomo determinatè & simpliciter sententiam proferente: & ideò dicit Ptolomæus, in prima propositione Centilogii, quòd Astrologus non debet dicere rem specialiter, sed universaliter: & hoc ideò dicit, quia, sicut ait Haly in Comentario: materia ad quam spectat opus stellarum, convertibilis est ad unum & ad aliud.

Ex hiis ergo patet pro conclusione finali, quod tàm Astrologo, quàm etiam somniorum interpretatori periculosum est specialiter divinare, & maximè hoc est periculosum per somnia, propter causas prædictas. Ideò non irrationabiliter dictum est, *Somnia ne cures.* &c. Et *Ecclesiastico* XXXIV. 1. 2. scriptum est. *Vana spes & mendacium viro insensato: & somnia extollunt imprudentes. Quasi qui apprehendit umbram, sic & qui attendit ad visa mendacia; secundùm hoc visio somniorum* &c. & sequitur ℣. 6. *Ne dederis in illis cor tuum, multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt*
C *sperantes in eis.* Et ex prædictis patet solutio ad objecta hinc inde: nam divinatio per somnia ad quam se extendit causa, seu ratio naturalis, vel etiam ipsa inspiratio divina, est licita, ut patet ratio antè oppositum, aliter non, sic ut pateant authoritates in oppositum adductæ. Et hoc de somniis sufficiat.

Quantùm ad tertium modum Prophetiarum, scilicet in quo videndum est de Prophetiis, seu divinationibus quæ fiunt ministerio dæmonum, tria sunt principaliter consideranda. Unde quia divinare importat prædicere aliquid futurum occultum, aliquid autem prædicere importat illud præcognoscere, ideò ad completam considerationem hujus materiæ, primò videndum est utrum dæmones cognoscant futura vel occulta. Secundò, unde dæmones, seu prophetæ dæmonum aliquando prænuntiant vera. Tertiò, utrum omnis prophetia, seu divinatio dæmonum, sit illicita.

Quantùm ad primum videtur quòd dæmones non cognoscant aliqua nobis occulta. Primò quidem,
D quia si sic, hoc maximè videretur, quia ipsi sunt acutiores intellectu & scientia; sed hoc non. Igitur &c. Major patet, & Minor probatur; quia secundùm Philosophos, natura substantiarum intellectivarum perficitur intellectu & voluntate: & sicut voluntas perficitur per volitionem, seu comprehensionem boni; sic intellectus per cognitionem veri. Cum ergo voluntas eorum non possit in bonum, videtur quòd nec intellectus in verum. Confirmatur: quia, sicut Dionysius in 4. Cap. De divinis nominibus. *In anima dæmonis est furor irrationalis, vel amens concupiscentia & phantasia proterva. Hæc autem omnia hebetudinem intellectûs causant, cur videtur quod intelligentiæ acumine non polleant.*

Secundò, principaliter arguitur, quòd non possit præcognoscere futura, quia præcognitio & prænuntiatio futurorum est signum divinitatis. Unde dicitur Isaï. XLI. 23. *Ventura quoque annuntietis, & dicemus quod dii estis.* Sed dæmones non sunt divinitatis participes. Igitur &c. Confirmatur: quia non est cognitio rei, nisi per speciem ejus; sed species eventus futuri, ab ipsa re futura non causatur, cum ipsa non sit; nec etiam à dæmone, quia non potest talem speciem creare; nec etiam à Deo, quia sic intelligentia dæmonis illuminaretur ab eo, quod non est verum, quia dæmones cum sint in perpetuis tenebris illuminari non possunt. Igitur &c.

Tertiò principaliter arguitur, inquirendo quomodò cognoscant futura vel occulta, plus quàm natura humana: nam si sic, hoc esset maximè propter experientiam longi temporis, sicut tangit Augustinus in Libro *De natura dæmonum.* Sed hoc non, quia cognitio per experientiam fit, accipiendo scientiam à rebus: quia scilicet ex multis memoriis fit unum experimentum, ut in principio Metaphysicæ dicitur. Memoria animæ à sensu oritur; cognitio verò Angeli per sensum à rebus non accipitur. Igitur experientia longi temporis ei non valet ad cognoscendum occulta. Confirmatur, quia maximè non accipitur à rebus futuris scientia ipsarum, quia non apparet quomodò ab eis causentur species earum, ut dictum est. Igitur &c.

Oppositum arguitur: quia, sicut dicit Augustinus in Libro, De natura dæmonum. *Ipsi cognoscunt futura & occulta.* Et secundùm Dionysium 4. Cap. De Divinis nominibus; *Dona naturalia Angelorum nequaquam mutata esse dicimus; sed manent integra & splendidissima.* Sed inter alia dona naturalia Angelorum, unum est perspicacitas intelligentiæ in cognoscendis futuris vel occultis. Ad hoc etiam sunt multæ authoritates Sanctorum, quarum aliquæ habentur 2.° *Sententiarum. dist.* 7. Quod etiam nominis interpretatio ostendit; quia dæmones dicuntur quasi sapientes, scilicet per comparationem ad ea quæ nobis sunt incognita. Igitur &c.

Pro solutione hujus dubitationis tres difficultates considerandæ sunt, tactæ in tribus argumentis.

Prima. Utrum dæmones ultra homines vigeant intellectu & sapientia. Secunda. Utrum dæmones possunt naturaliter præcognoscere futura. Tertia. Quibus modis ipsi cognoscunt futura, vel alia nobis occulta.

De prima difficultate dicunt communiter Doctores, quòd dæmones sunt acutiores hominibus, & perspicaciores intelligentiâ, quia scilicet eorum natura intellectiva fuit creata essentialiter perfectior; peccatum autem ipsorum non tollit naturam, sed tamen diminuit habilitatem ad bonum. Ideò remanet in eis intelligentia perspicacior.

Sed contra hoc possunt fieri aliquæ responsiones difficiles, quæ sumuntur à Guillelmo Parisiensi, Libro *De Universo*: in principio ultimæ particulæ.

Prima responsio est, quia ad corruptionem virtutis appetitivæ, seu volitivæ, sequitur corruptio virtutis cognitivæ, seu intellectivæ. Sed in dæmonibus est virtus volitiva corruptiva: igitur & intellectiva. Minor Patet, sed Major probatur. Inductivè in omnibus corruptionibus virtutis appetitivæ, sicut manifestè patet in invidia & odio, ira & amore; propter hoc enim dicitur invidia, quasi visui contraria: invidus namque non videt quia bonus sit ille cui invidet, quia non judicat in eo nisi malum, & bona illius ut mala illi esse videntur, aut minùs bona quàm sint Sic ira turbat oculum mentis, scilicet intellectum, uxta dictum Prophetæ: *Turbatus est à furore oculus meus*: Ps. VI. 8. & idem dicit Poëta.

Impedit ira animam, ne possit cernere verum.

Sic etiam notum est quòd amor & odium pervertunt judicium. Amor enim ipsam mulierem quæ deformis est, facit judicare pulchram, & si absurdè cantet amasia, amatori videtur egregiè cantare: & sic de aliis sensibus. Ipsa quoque vis intellectiva similibus passionibus obnoxia est: bona enim amicorum majora videntur quàm sint, & inimicorum minora, & nonnunquam mala amicorum videntur bona; propter quam corruptionem dicit Propheta. *Væ qui dicunt malum bonum, & bonum malum.* Isaïæ. v. 20.

A Ex quibus omnibus colligitur, malas dispositiones virtutum motivarum, scilicet appetitivæ & volitivæ, obscurare & pervertere virtutes apprehensivas. Cùm ergo constet vires motivas malignorum spirituum tanta perversitate depravatas esse, ut nihil boni velle possint principaliter, & de per se; si enim quandoque bona suadeant hominibus, sicut ingressum Religionis, vel vota conscientiæ, & hujusmodi, non tamen propter hoc quia bona, sed ut eis sint in occasionem mali, scilicet ut eos quos inconstantes cognoscunt in apostasiæ peccatum inducant; cùm itaque tanta in eis sit depravatio, & obscuratio virtutis volitivæ, sequi videtur quòd in eis sit proportionaliter obscuratio & obtenebratio virtutis intellectivæ.

Secundò arguitur ad idem, confirmando prædictam responsionem, quia vis ipsa concupiscibilis, superior in malignis spiritibus eousque depravata est atque dejecta, ut ad corporales & fœdas voluptates inclinetur; vel saltem illa exerceat quibus B hujusmodi voluptates habentur, cùm ipsi dæmones incubi & succubi dicantur, molesti que sint viris & mulieribus, & consequenter ament concubitum ipsorum, ut eos etiam violenter opprimere conentur, ut magis in tertio Articulo dicetur. Si quis autem quærat propter quid hujusmodi dæmones tam infesti sint mulieribus & viris, cùm nulla voluptas videatur esse possibilis, cùm etiam substantiæ hujusmodi spirituales & abstractæ non habeant naturam ad corpora, neque ad corporales delectationes inclinari possunt. Responderi potest quòd, secundùm hanc positionem quæ probabilis videtur, dicendum est, quòd non amore concubitûs, neque desiderio voluptatis hujusmodi faciunt illam violentiam mulieribus aut viris, sed potiùs studio malignitatis, scilicet ut polluant eos spurcitia luC xuriæ. Si ergo delectatur in hiis sensus, non tamen ex quo voluntas eorum ad talem immunditiam exercendam ex corruptione malignitatis inclinatur: sequitur quòd eorum intellectiva multùm corrumpitur & deprimitur, cum hujusmodi immunditia seu labes luxuriæ, in desipientiam vertat plurimùm sapientes.

Tertiò, idem confirmatur; quia aliqui dæmones Fauni & Satyri dicuntur. Fauni autem à fatuitate sic nominati videntur. Igitur concluditur quòd in eis nulla, aut modica scientia relinquitur.

Et hoc utique Porphirius Ægyptius qui familiarissimus fuit, & cultor ipsorum impiissimus, planè testatur, dicens quòd stultissimis, immò insanissimis comminationibus deterrentur; & deterriti, & timore comminationum hujusmodi compulsi, faciunt quæ jubentur ab hominibus: de qua re magis infra dicetur. Quis autem, nisi fatuissimus, terreatur, D quocumque homine sibi comminante & dicente, nisi hoc feceris concutiam cœlum & terram &c. Cùm ergo hujusmodi comminationibus conterreantur dæmones, ut dicit iste Porphirius, manifestum est illos esse stultissimos & fatuissimos, si verum dicit iste, & alii quidam cultores eorum.

Quartò, si vehementia iræ furor est, & insanire facit vehementer iratos: cùm in hominibus nulla sit ira comparabilis iræ dæmonum; videtur quòd necesse sit eos insaniâ continuâ laborare, & insanos ac stultos esse.

Et sic dicitur quòd tanta est claritas naturalis sapientiæ eorum, ut per vehementiam iræ nullo modo ipsos permittat insanire: hoc destrui videtur per locum à proportione; nam proportionales sunt iræ hominum, & scientiæ

& scientia ipsorum ad iras dæmonum & scientias eorumdem; nec minùs videtur excedere ira dæmonum iram hominum, quàm scientia illorum excedit scientiam hominum. Igitur si ira hominum magnitudine sua, seu vehementia extinguere sufficit scientiam hominum, prævalebit ira dæmonum in scientia ipsorum & in insaniam eos vertere seu furorem. Si verò dicatur cur non omnes dæmones sic infatuati sunt, ut furiosè decipere credantur, propter quod nec omnes Fanui à fatuitate dicuntur: contra hoc objicitur, quia non apparet causa cur ista pœna, scilicet infatuationis quibusdam potiùs quàm aliis inflicta sit, cùm omnes consimili peccato peccasse videantur. Licèt enim ille qui inter eos primatum obtinebat principaliter peccasse credatur:, alii tamen cum per consensum peccaverint, & per hoc peccati illius participes fuerint; agentes autem & consentientes, & omninò cujusque peccati participes similibus pœnis puniendi sunt; videtur quòd omnes hâc pœnâ infatuationis puniendi sint. Immò videtur quòd primus ac præcipuus eorum, sicut maximè peccavit, sic maximè puniendus est, & propter hoc maximè infatuandus, & omnibus bonis Creatoris maximè privandus existit, & sapientia naturali, & bonitate, ac potentia præ aliis spoliandus: quare omnium debuit esse fatuissimus & impotentissimus: cùm enim tam ingratum donorum naturalium, tam inimicum, tanquam proditorem, & in malitia pertinacem Creator eum invenerit; qualiter tanta ei de bonis suis relinquit? hoc enim rationale non videtur. Igitur &c.

Pro declaratione hujus materiæ & responsione ad prædictas rationes; ponam aliquas propositiones, quas ex dictis præfati Doctoris sparsim diffusè breviter recollegi.

Prima est quòd quia in dæmonibus depravata est vis motiva nobilis, scilicet volitiva, naturaliter consequens est ut in eis deteriorata sit vis approbativa, quæ conjunctissima est illi, scilicet intellectivæ. Et hoc probant rationes prædictæ, & maximè ratio prima: nam hæc est societas atque conjunctio virium motivarum, & apprehensivarum sibi proportionalium, ut simul aliquo modo meliorentur, vel deteriorentur.

Secunda propositio est, quòd non est necesse quòd deteriorationem virtutis motivæ sequatur obscuratio cujusque virtutis apprehensivæ: patet; quia cùm motiva superior, scilicet voluntas, depravata fuerit in aliquo per avaritiam, non est necesse ut virtus ejus visibilis, vel audibilis, aut aliqua de apprehensivis de foris in eo obscurata sit; & causa est remotio istarum virium à motiva superiore.

Tertia est; quòd ad deteriorationem virtutis motivæ superioris, sequitur obscuratio apprehensivæ sibi correspondentis, scilicet intellectivæ sibi conjunctæ: & hoc probat prima ratio. Sic enim avaritia depravans voluntatem obscurat intellectum, ut pecuniam spiritualiter dijudicare non valeat: sed cogit avarum errare circa eam, adeout quandoque opinetur ipsam esse per se bonam, & propter seipsam expetendam, & patet quomodò istæ duæ propositiones declarant primam.

Quarta propositio est, quòd non est necesse prædictarum virium, scilicet volitivæ & intellectivæ, corruptiones proportionaliter esse æquales; sic scilicet quòd quia corrupta vel depravata est motiva, tam obscurata vel obtenebrata sit in eodem apprehensiva. Patet per exemplum de viribus motivis & apprehensivis in bestiis quæ nec semper pares sunt, nec se proportionaliter comitantur in diminutionibus & augmentis. Verbi gratiâ: apprehensivæ enim ipsarum non excedunt nostras inferiores; irascibilis tamen in eis est longè fortior quàm in nobis, & vehementioris operationis: neque enim leo meliùs videt quàm homo, longè tantem vehementiùs irascitur. Item videmus in furiosis apprehensivam multùm turbatam, motivam verò, tam imperiosam motûs quàm executivam adeò fortificatas, ut, si sani essent, ea facere non possent, viribus suis, quæ faciunt in furore. Item, sicut bonitas appræhensiva, non sufficit compescere vel etiam mitigare plerumque perversitatem motivæ; sic utique corruptio aut turbatio motivæ, non semper prævalet obscurare, vel excæcare apprehensivam, licèt enim possit aliquo modo impedire, & maximè illâ horâ quâ in effectu est ipsa turbatio vel corruptio ipsius motivæ: non enim propter vehementem iracundiam obliviscuntur artifices artes suas, licèt in ipsa hora iracundiæ minus bonum operarentur. Igitur &c.

A

Quinta propositio est, quò cujuscumque vis motiva nobilis, scilicet voluntas, magis corrupta vel depravata est circa rem aliquam, ejus apprehensiva superior, scilicet intellectiva, magis obscurata est & obtenebrata circa illam. Verbi gratia, de amore perverso & inordinato; quia in quocumque amor hujusmodi circa rem quamcumque fuerit, quantò major erit, tantò vis ejus intellectiva circa illam erit obscurior. In amore autem vero & ordinato secùs est; quia talis amor est affectio non tenebrosa, sed magis habens rationem luminis animam illuminantis & clarificantis.

Hîc tamen advertendum quòd non sic est intelligenda prædicta propositio, quòd necesse sit ut virtus apprehensiva ex corruptione vel perversitate conjunctæ sibi motivæ obscuretur in omnibus hiis quæ sunt motivæ illius, etiam quantùm ad ea ex quibus est hujusmodi corruptio. Immò potiùs circa illa vel excogitanda vel præparanda ingeniosior efficitur quandoque vis apprehensiva, & sic aliquo modo turbatio unius clarificat alteram: verbi gratia; exemplum est manifestum in homine qui vehementi odio prosequitur alterum, qui tantò ingeniosior est ad nocendum, quantò vehementiori odio illum prosequitur. Similiter exemplum est in luxuriosis, qui quantò corruptiores & depravatiores fuerint, tantò ingeniosiores inveniuntur in sordibus luxuriæ & voluptatibus exquirendis. Et consimiliter videmus de gulosis in discretione saporis, præparatione ciborum, & hujusmodi: non omninò ergo nec in omnibus corruptio vel depravatio volitivæ obtenebrat apprehensivam, sed quandoque clarificat. Quod ergo dictum est eam obscurare, intelligendum est spiritualiter, sic scilicet ut incommoda spiritualia quæ ex hujusmodi corruptione proveniunt, minùs videat & cognoscat, quemadmodùm amans inordinatè pecunias vel voluptates, quantò plus in hoc corrumpitur & depravatur, tantò minus cognoscit incommoda quæ ex hoc proveniunt.

B

C

Ex prædictis sequitur sexta propositio principalis, scilicet quòd in dæmonibus non est proportionaliter tanta obscuratio intellectivæ; quanta est depravatio volitivæ, nisi scilicet ad prædictum intellectum, & loquendo naturaliter. Ita quòd quantò sunt pejores, tantò circa eamdem rem sunt magis ignorantes spiritualiter, idest minùs cognoscentes incommoda spiritualia inde provenientia. Et sic ipse princeps malignorum spirituum, jure & ordine naturæ, sicut in voluntate magis depravatus est, sic in intellectu tenebrosior & obscurior, & maximè circa illam rem circa quam depravata est ejus voluntas, scilicet circa Deum. Ita quòd sicut contra eum maxima est ira ejus & odium, sic minimè videt & cognoscit ipsum à parte illa secundùm quam illum odit, vel in eum iratus est: idest, si odit illum in eo quod justus, minùs cognoscit justitiam ipsius, & minùs cognoscit spirituale incommodum quod ex hoc provenit, & ita de sapientia & bonitate, & hujusmodi. Dixi autem hoc naturaliter, seu jure & ordine naturæ, cur supra naturam possibile fuit Creatori reservasse huic apostatæ cognitionem nativam, quam in ipsa creatione habuerat, scilicet non ad ejus commodum, sed ad majus tormentum.

D

Ad

Ad cujus declarationem fit autem propositio, quòd licèt princeps malorum spirituum, & alii dæmones indignos se fecerint omni dono Creatoris; ipsorum tamen naturalis sapientia, ex ejus providentia debuit reservari, nec omninò extingui debuit eorum apprehensiva nobilis. Patet ex tribus causis.

Prima, quia hujusmodi omnimoda extinctio esset in alienationem pœnæ ipsorum, & per consequens in diminutionem Justitiæ Creatoris; quia longè minùs dolerent, & de malis propriis, & de bonis alienis, si ea vel minùs cognoscerent, vel penitùs ignorarent.

Secunda, est profectus & utilitas electorum Dei, quos Creator optimus elicit de astutia & malignitate dæmonum: impugnantes enim electos, multipliciter illos exercitant & erudiunt, & sic occasionaliter humiliores & timoratiores efficiunt.

Tertia, est ipsa illusio & contumelia dæmonum; quod enim de principe ipsorum, sermone prophetico dictum est. Ps. CIII. 26. *Draco iste quem formasti ad illudendum ei*, etiam de aliis non absurdè intelligitur. Contumeliosè quippè ei illuditur, cùm ab hominibus simplicissimis ejus astutia eluditur, & ab infirmissimis virtus ejus, & potentia vincitur, & hoc est in aggravationem pœnæ dæmonum inanis gloriæ amatorum.

Ex prædictis sequitur octava propositio, scilicet quòd in dæmonibus ex omnimoda voluntate, perversitate, & malitia, non sequitur omnimoda intellectûs fatuitas vel insipientia: sed cum ea stat magna & multiplex naturalis sapientia, immò ex ea quodammodò acuitur & clarificatur; unde ipsi ex multimoda vehementia iræ & odii contra Deum & hominis, acutiùs & astutiùs fraudes & laqueos occultiores excogitant, quibus homines lædant & capiant. Et hoc patet, cur etiam consimiliter est in hominibus, ut supra dictum est: & esto quòd non sic esset in hominibus, sed quòd necesse esset in eis vim intellectivam ex corruptione voluntatis per omnia obscurari, non propter hoc opportet in substantiis spiritualibus abstractis similiter se habere, propter fortitudinem virium suarum super homines. Unde ex hoc patet error præmemorati Porphirii Ægyptii, qui hujusmodi spiritus stultissimos reputat: cùm è contra Scriptura dicat. *Non ignoramus* astutiam *sathanæ*. 2. Cor. II. 11. Cùm etiam tot & tanta mirabilia faciant in magicis operibus, quæ nulla arte, aut ingenio suo facere possunt homines, ut infra patebit. Cùm etiam sapientissimos homines decipiant, atque subvertant; nec ipsi solùm rerum creatarum, sed etiam ipsius Dei magnam notitiam habent. Unde dicit Scriptura. *Dæmones credunt & contremiscunt*. Jacob. I. 19. Manifestum est enim non parvam esse Dei cognitionem apud eos, quæ Dei timorem eis ingerit. Hæc autem cognitio Dei, licèt plurimùm jucunditatis haberet, scilicet antequam ipsi in odium Creatoris exarsissent: nunc tamen non eis ingerit nisi tormentum acerbissimum; quemadmodùm pulchritudo inimici vel gloria, odienti eum nihil gaudii ingerit, sed plurimùm doloris & tormenti. Ex quibus ulteriùs sequitur, quòd si Fauni sint de illis malignis spiritibus, qui sua pravitate de cœlo ejecti sunt, dubium est enim utrum spiritus vel monstra aliqua sint; si tamen spiritus maligni esse ponantur, fatui sunt quicumque eos fatuos esse credunt: sed verisimile est hujusmodi spirtus, qui in deceptionem & læsionem hominum toto studio intendunt & viribus, interdùm simulare stultitiam vel fatuitatem, ut ab eorum astutia minùs sollicitè terreantur; & verisimile est prædictum Porphirium ab ipsis fuisse deceptum. Nec mirum est si sic de seipsis mentiuntur, cùm unus eorum qui familiaris erat isti Porphyrio, de Deo Hæbreorum interrogatus ab ipso, cum vera loqui cœpisset de illo, responsionem suam in mendacio consummavit. Sicut ergo dæmones, teste Scriptura, in Angelos lucis se transfigurant ut decipiant; sic non est mirum, si in fatuos se transformant: quemadmodùm etiam ipsi quandoque in specie bufonis, quandoque in specie cati, vel serpentis apparent, sicut in Libris magicis invenitur, quandoque etiam in incubos & succubos se hominibus exhibent, scilicet ut per hæc omnia decipiant & illudant, sic que omnia faciunt vel simulant, per quæ astutè decipere possunt: hæc tamen non pro voto seu voluntate sua faciunt; sed quantùm divinæ bonitatis dispensatio judicaverit permittendum.

A Tertiò, sequitur ex præmissis malignos spiritus omnes insanos esse, & non solùm in homines, sed etiam in se ipsos furiosè & crudeliter insanire; quia nec timore Dei, nec metu supliciorum infernalium, nec dolore cruciatuum arceri possunt ab impugnatione hominum, nec retrahi ab executione, & perseverantia suarum malarum voluntatum. Unde quod dictum est: *Dæmones credunt & contremiscunt*, non cogit ut eo timore timant, quo à malis quæ permittuntur facere compescantur. Sic enim insaniunt in Deum & homines, & etiam in seipsos, ut tota libertas voluntatis ipsorum, in servitutem malignitatis data sit, & instar brutorum aut hominum insanientium, impetu necessitatis in omne malum ferantur.

Quartò, sequitur quòd licèt hujusmodi maligni spiritus modo prædicto insaniant; hæc tamen insania B quâ in Deum & homines, ac etiam in seipsos furiunt, non extinguit, aut eo usque absorbet vim cognitivam in eis, quemadmodùm insania in hominibus furiosis; quia illa faciunt quæ sic non faciunt ignorantes, sed ex certa scientia & deliberato studio malignandi. Sic autem non est in furiosis hominibus, propter quod nec de eis sunt querimoniæ, aut querelæ, nec judicantur, nec accusantur, quidquid faciant, nec rei aliquo modo reputantur: secùs autem in dæmonibus. Igitur. &c, & ex omnibus hiis patet solutio responsionum. Et hæc de primo.

Quantùm ad secundam difficultatem, scilicet, utrum dæmones possint naturaliter præcognoscere futura; videtur primò quòd non, & maximè quòd non possint illa præcognoscere quæ subsunt libero arbitrio alterius: quia secundùm processum naturalis cursûs; & ordinem rerum, est processus naturalis cognitionis earum in intellectu Angelorum, secundùm Augustinum: C *Super Genesim* ad litteram. Sed illa quæ subsunt libero arbitrio, nec secundùm naturalem processum, nec secundùm ordinem naturalium causarum fiunt, ut clare patet. Igitur sub cognitione naturali Angelorum non cadunt: Et istud confirmatur per authoritates.

Unde super illud primo Chorinth. II. 11. *Quis scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est*. Dicit glossa: quòd *Voluntatem & secreta hominum nullus scit, nisi animus hominis ipsius*. Item super illud Psalmi VII. 10. *Scrutans corda* &c. Dicit glossa: *Solus enim Deus scrutatur corda, idest quid quisque cogitat. Et Jeremiæ* XVII. 9. Dicitur *Pravum est cor hominis & inscrutabile: quis cognoscet illud?* Et sequitur ℣. 10. *Ecce dominus scrutans corrda*. &c. Et per consequens omnia talia futura, vel occulta quæ subsunt libero D arbitrio, non possunt Angeli naturaliter præcognoscere. Cur &c.

Oppositum tamen arguitur: quia naturalis cognitio Angelica, est nobilior & præstantior quàm humana, pro statu isto, ut patet ex dictis. Sed naturalis cognitio humana, pro statu isto potest habere cognitionem de futuris, etiam de illis quæ subsunt libero arbitrio, adminùs per effectus; nam per signa exteriora, & per effectus aliquos, intellectus unius hominis habet notitiam de actibus voluntatis alterius hominis, & de cogitationibus, & multis aliis. Igitur &c.

Pro hujus difficultatis solutione præmittam aliquas distinctiones: deindè ponam aliquas propositiones.

Prima distinctio est, quòd cognoscere sive scire, quan-

quantùm ad præsens spectat, potest capi tripliciter. Uno modo communiter possunt scire, idem est quòd vehementer opinari, & non falli. Alio modo possunt, idem est, quòd certa ratione intelligere. Tertio modo possunt, est cognoscere per causam, & cùm illius est causa, & cùm impossibile est aliter se habere.

Secunda distinctio est, quòd futura evenire possunt multipliciter: nam quia duo sunt principia activa, natura scilicet & voluntas, ex quibus omnia proveniunt; ideò quædam futura eveniunt ex causa naturali, quædam autem ex causa libera, quædam verò partim ex una, partim ex alia, & istorum quædam eveniunt in majori parte & frequenter, quædam verò in minori parte & raro.

Tertia distinctio est, quòd aliquod futurum cognosci ex causa, potest intelligi dupliciter; vel simpliciter & absolutè, vel ex conditione.

Prima propositio est, quòd accipiendo scire, seu præcognoscere primo modo, scilicet pro vehementer opinari, & non falli, & futura pro illis quæ eveniunt ex naturali causa, & in majori parte simpliciter, & absolutè: sic omnes Angeli, sive boni, sive mali, naturali cognitione cognoscunt futura, & illa sciunt esse ventura. Patet, quia sic novit Astrologus futurum eventum tempestatis vel siccitatis &c. & Medicus futurum eventum sanitatis, vel infirmitatis. Sed quòd ad istum modum cognoscendi, Angeli naturaliter sunt subtiliores, & perspicacioris intelligentiæ quàm homines, ut dictum est. Igitur &c. Item, confirmatur authoritate Augustini: Libro, *De Civitate Dei.* Ubi dicit quòd *Angelis seu dæmonibus permissum est ex temporalibus temporalia, ex mutabilibus mutabilia certa ratione conjecturare.* Igitur &c.

Secunda est, quòd accipiendo cognoscere secundo modo, scilicet pro certa ratione intelligere; & futura, pro illis quæ eveniunt ex causa naturali, in majori parte, aliquo præsupposito & ex conditione: sic Angeli possunt naturali cognitione futura præcognoscere; Patet, quia hoc præsupposito quod Deus, nec aliqua rationalis creatura, per liberum arbitrium impedient, multa erunt futura, quæ necessitate naturali evenient, & hoc ex suis causis naturalibus; & hæc naturaliter cognoscunt Angeli, & tantò certiùs quàm homines, quantò certiùs & perspicaciùs vident suas causas naturales.

Tertia est, quòd accipiendo cognoscere primo modo, scilicet pro vehementer opinari & non falli, & futura pro illis quæ eveniunt ex causis naturalibus in minori parte & raro, sicut hominem nasci cum sex digitis & cetera hujusmodi, quæ sunt monstrosa in natura: sic Angeli possunt talia naturaliter præcognoscere. Patet, quia, ut dicit Augustinus, in Libro, *De Natura dæmonum.* Et Ysidorus, *De Institutione Ecclesiastica.* Dæmones multa futura noverunt ex diuturna experientia temporum. Sed futura cognoscibilia ab eis per experientiam, maximè sunt illa futura quæ eveniunt præter communem cursum naturæ: quia alia quæ eveniunt secundùm generalem cursum naturæ, sciuntur ab Angelis, per hoc quia naturali cognitione noverunt causas rerum. Quibus cognitis, statim inspiciunt illa quæ ex eis fiunt perducibilia vel producenda naturaliter, & hoc non per discursum, cognoscendo hoc ex hoc; sed directè, cognoscendo hoc per hoc, & hoc supposito, quòd illa futura ex causis naturalibus non impediantur per ea quæ sunt liberi arbitrii, vel per alia accidentia contingentia. Igitur &c.

Quarta est, quòd accipiendo primo modo cognoscere, & futura pro illis quæ partim dependent ex libero arbitrio hominis vel Angeli, partim ex causa naturali; sic ex diuturna experientia temporum, talia possunt cognosci ab Angelis. Patet, quia illa cognoscuntur ab eis per experientias, ad quæ eorum cognitio naturalis non statim se extendit; sed talia maximè sunt hujusmodi futura, cùm illa quæ totaliter dependent ex libero arbitrio unius, non possint naturaliter cognosci ab intellectu alterius, ut statim dicam. Igitur &c. Et iste modus cognoscendi maximè est in malis, quia licèt cognitio naturalis illorum non sit totaliter extincta, ut dictum est, tamen est aliqualiter obscurata per peccatum. Et ideò multa hujusmodi futura sunt statim naturaliter cognita ab Angelis bonis, ad quæ cognitio naturalis malorum non statim se extendit; sed per multitudinem eventuum talium futurorum possunt inposterùm de talibus probaliter conjecturare.

A Quinta est, quòd accipiendo scire tertio modo, pro eo quod est causam alicujus cognoscere &c. qualitercumque futura accipiantur, nullus Angelus potest aliqua futura scire, distinguendo futurum contra præsens, quia nulla futura sunt sic ab aliquo scibilia. &c.

Sed restat videre de hiis quæ subsunt libero arbitrio, & de hoc sit sexta propositio; quòd illa quæ totaliter subsunt, aut solùm dependent ex libero arbitrio Dei, Angeli vel hominis, non possunt ab alio naturali cognitione præsciri. Ad cujus declarationem præmittenda est una distinctio, & deinde subinferendæ aliæ propositiones.

Est igitur distinguendum quòd aliqua subesse libero arbitrio, possunt intelligi dupliciter: scilicet vel primariò & immediatè; vel secundariò & mediatè. Primo modo solùm subsunt libero arbitrio actus voluntatis: eliciti a voluntate, qui immediatè, & maximè sunt in potestate voluntatis; juxta illud Augustini, B 3. De libero arbitrio. *Nihil tam in potestate voluntatis quàm ipsa voluntas.* Idest voluntatis actus elicitus. Secundo modo verò, illa subsunt libero arbitrio, quæ non immediatè sunt in potestate voluntatis, sed mediatè, actu elicito: sicut sunt aliquæ cognitiones & intellectiones, & operationes aliarum virium imperatæ à voluntate, & quidam actus exteriores, ut ambulatio, locutio, & hujusmodi, quæ ab actibus voluntatis causantur mediatè, vel immediatè. Et iterùm, talia quæ sunt liberi arbitri, primo modo, vel sicut colligata alicui effectui naturali, sicut est passio aliqua causata ab illis in ipsa voluntate; ut delectatio, vel tristitia, vel alia passio, vel dispositio causata in corpore; vel talia simpliciter sunt sine effectu naturaliter causato vel producto. Et iterùm illa quæ sunt liberi arbitrii secundo modo, vel solùm dependent à voluntate, & ab illis quæ sunt liberi arbitrii, primo modo, tanquam à suis causis; vel dependent ab aliqua causa C naturali, cum hoc quòd sunt secundariò à libero arbitrio, sicut potest esse reminiscentia, & mulæ aliæ operationes intellectûs & phantasiæ, & aliarum virium. Et iterùm, illa quæ solùm dependent ab hiis quæ sunt liberii arbitrii primo modo, vel aliquid est ab ipsis, tanquam à causa naturali; vel non.

Istis præsuppositis, sit septima propositio, quòd illa quæ sunt liberi arbitrii primo modo sine omni effectu qui procedat ab illis naturaliter, sive in ipsa voluntate, sive extra, non possunt naturaliter cognosci ab aliquo alio intellectu creato, à cujus libero arbitrio non dependent. Ita quòd nullus intellectus creatus, nec Angelicus, nec humanus potest talia in libero arbitrio alterius naturaliter cognoscere, vel aliquo modo distinctè apprehendere.

Probatur: quia nullus intellectus creatus potest naturaliter distinctè apprehendere aliquid cujus rationem distinctè cognoscendi non habet; sed talium D rationem distinctè cognoscendi non habet intellectus creatus, ex qua possit ad talium apprehensionem moveri. Igitur &c.

Octava est, quòd aliqua sunt liberi arbitrii secundo modo, quæ non possunt naturali cognitione distinctè cognosci ab aliquo creato intellectu, nisi ab illo in cujus sunt libero arbitrio. Patet: quia aliqua imperativa sic sunt ex libero arbitrio voluntatis, quæ nec naturali colligantia dependent ex aliquibus causis, nec à quibus, naturali colligantia, alia dependent; sicut

cut sunt quædam actuales cognitiones quarum sufficiens habitualis memoria præcessit, vel quando fit processus de una cogitatione ad aliam, quæ solùm fit ex imperio voluntatis, tanquam ex causa effectiva, vel principali. Itaque in tali processu vel productione, magis fit ordo liberi arbitrii, quàm ordo naturalis. Sed respectu talium non potest esse aliqua ratio cognoscendi distinctè naturaliter, quia in naturali cognitione talis est ordo motionis in intellectu, qualis est naturalis ordo rerum producendi in esse; sed in hujusmodi rebus non est aliquis talis ordo. Igitur propositum.

Nona est, quòd illa quæ sunt liberi arbitrii primo modo colligata cum aliquo effectu naturali, qui naturaliter procedit ab illis, possunt naturaliter cognosci, & distinctè apprehendi ab intellectu Angeli. Patet: quia talis effectus naturaliter productus, potest naturaliter cognosci. Sed Angeli vident ampliori perspicacitate quàm homines, & homines, cognito effectu, pro statu isto possunt devenire in cognitionem causæ, licèt non semper in cognitionem simplicem & propriam. Igitur à multo fortiori, Angeli, cognito effectu, naturaliter possunt devenire in cognitionem causæ, & per consequens talia quæ sunt liberi arbitrii possunt distinctè cognoscere &c. Et quantò plùs excellunt in donis naturalibus, tantò faciliùs & veriùs possunt devenire in cognitionem talem &c.

Decima propositio est, quòd illa quæ sunt liberi arbitrii secundo modo, quæ cum hoc quòd principaliter imperantur à voluntate; tamen dependent ex causis naturalibus immediatè, possunt naturaliter & distinctè apprehendi ab intellectu Angeli, sicut sunt quædam operationes intellectûs & phantasiæ, & sensationes, & exteriores operationes, ut locutio & ambulatio &c. Patet: quia omnia talia sunt effectus à causis naturalibus immediatè procedentes; sed respectu omnium talium potest habere Angelus principium naturaliter cognoscendi unde potest moveri in actum distinctè cognoscendi effectus hujusmodi. Igitur &c.

Ex prædictis patet quòd in hoc differt cognitio creaturæ rationalis à divina cognitione, quia Deus cognoscit omnia quæ sunt liberi arbitrii per se: intellectualis verò creatura non cognoscit per se ea quæ sunt liberi arbitrii; sed per quædam indicia, & sic adhuc non cognoscit omnia illa. Unde hîc dicit Augustinus: Libro, *De Ecclesiasticis dogmatibus. Cap.* 49. Ubi concludit: *Secreta autem cordis solus Deus novit*, ad quem dicitur. *Tu solus nosti corda filiorum hominum* &c. Item in Libro *De natura, vel divinatione dæmonum*: dicit quòd *dæmones aliquando hominum dispositiones, idest voluntates, vel cogitationes, non solùm voce prolatas, verum etiam cogitationes conceptas, etiam cùm signa quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate prædicunt, atque hinc etiam multa futura prænunciant.* &c. Ex quibus apparet quomodò per alia, scilicet per effectus, possunt Angeli devenire in distinctam cognitionem illorum quæ sunt liberi arbitrii, & quomodò non possunt. Sed quia ex dicto Augustini aliquis posset credere, ubi dicit quòd *Quædam signa ex animo exprimuntur in corpore, ex quibus Angeli quædam futura prædicunt* &c. Ex hoc, inquam, aliquis posset credere quòd solùm ex talibus signis expressis ex animo in corpore, Angeli cognoscerent ea quæ sunt liberii arbitrii: propter hoc *in* 2. *Libro Retractationum. Cap.* 56. & *Libro* 6. declarat quomodò debet intelligi, dicens: *Quodam loco*, inquit, *dixi dæmones aliquando hominum dispositiones non solùm in voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, etiam cum signa quædam* &c. *Rem occultissimam dixi audaciori assertione quam debui; nam pervenire ista ad notitiam dæmonum per nonnulla experimenta compertum est.* Et sequitur: *Sed utrum quædam signa dentur ex corpore cogitantium illa sensibilia, nos autem latentia, an alia vi spirituali ista cognoscant; aut difficillimè potest ab hominibus, aut omninò non potest inveniri.* Ubi vult dicere Augustinus quòd illa quæ liberi arbitrii sunt, possunt à posteriori cognosci per Angelum, sive per experientiam temporum, sive per quoscumque effectus naturales, sive corporales, sive naturales, sive spirituales: homines autem tantùm possunt per effectus corporales, & tantò tardiùs, & minùs perspicaciter, quantò minore vivacitate intellectus vigeat. Et ideò patet quòd affectiones, & illa quæ sunt liberi arbitrii per multa indicia ab Angelis possunt discerni, & per aliqua nobis occulta, & de quibus non est nobis certum definire. Est hoc est quod intendit Augustinus, *Libro Retractationum.* Et per ista patet qualiter etiam Angeli casualia, & accidentaliter evenientia, seu contingentia, naturaliter cognoscunt; quia omnia talia vel sunt merè ex libero arbitrio, vel à causa naturali; vel partim ex libero arbitrio, & partim à causa naturali: & quodcumque istorum detur, patet quomodò hujusmodi futura possunt ab Angelo naturali cognitione cognosci, & per eadem probatur solutio ad argumenta hujus difficultatis.

Quantùm ad tertiam difficultatem, scilicet quibus modis ipsi dæmones cognoscunt futura, vel alia nobis occulta, est generaliter dubium, utrum ipsi Angeli cognoscant res naturaliter in proprio genere: & videtur quòd non, quia omnis cognitio potentiæ cognitivæ creatæ, est per quamdam assimilationem cognitionis ad cognitum, ut patet per Philosophum 3. *De Anima.* Sed intellectus Angelicus per nihil assimilatur rebus aliis à se; quia si sic, vel hoc esset per ipsammet essentiam Angeli, aut per species acceptas à rebus, aut per species eis innatas & concreatas. Sed nullo modo potest dici. Unde contra primum articulum, quòd si Angelus cognosceret omnia alia à se immediatè, per suam essentiam, tunc cognitio Angelorum non esset variabilis, plus quàm essentia Angeli est variabilis. Consequens est falsum, quia, ut dictum est priùs, aliqua de novo addiscunt, quod non posset esse, si immediatè per suam essentiam omnia cognoscerent; quia hujusmodi essentia esset naturaliter principium cognoscendi: & cùm semper sit essentialiter unita & approximata intellectui Angelico, semper movetur ab illa, ad actualiter hujusmodi cognoscibilia cognoscenda. Item, quia non apparet imaginabilis modus per quem Angelicus intellectus moveretur de novo de potentia ad actum: quia non ab aliquo intrinseco, cum nihil ponatur præter essentiam Angeli; nec ab aliquo principio extrinseco, sicut à Deo vel ab alio Angelo, vel ipsa re cognita; quia ad hoc quod aliqua res extra intellectum sit principium quo intellectus exit de potentia ad actum, opportet quòd illa res sit debito modo unita, vel in se ipsa, vel in aliqua similitudine sua cum intellectu, sicut res sensibilis est unita intellectui nostro per similitudinem suam in virtute imaginativa. Sed res sensibilis non potest uniri cum intellectu Angelico per talem spiritualem substantiam ei extrinsecam, seu per ipsam rem cognitam, sine aliquo medio. Igitur &c.

Contra secundum modum arguitur: quia si intellectus Angelicus assimilaretur rebus creatis per species, vel similitudines acceptas à rebus, cùm ipse habeat cognitionem de rebus corporalibus, ut dictum est, sequitur quòd hujusmodi res causarent suas species in eo: quod est contra Augustinum *in Libro, De Trinitate*, dicentem: *Nec putandum est corpus aliquod agere in spiritum.* Et causam reddit, quia omninò præstantior est res quæ facit, illa re de qua facit, nec ullo modo corpus præstantius est spiritu, sed è converso. Item, si res creatæ corporales in ratione objecti, possent sic causare suam cognitionem in naturam merè spiritualem, sequitur quòd pro isto statu, anima nostra ad cognoscendum corporalia, non indigeret sensibus & potentiis inferioribus; quia posset sine

sine eis in cognitionem illam pervenire: Sed consequens est manifestè falsum, quia omnis nostra cognitio intellectiva, ortum habet à sensu. Igitur &c.

Item ad hoc quod corporalia agant quacumque actione, requiritur debita distantia inter agens & passum: sed nulla requiritur ad cognitionem Angeli, inter ejus intellectum & objectum cognitum, unde intellectus Angeli existentis in Oriente, posset cognoscere cognitione naturali, illud quod est in Occidente. Igitur illa cognitio non causatur à rebus. &c.

Contra tertium modum arguitur: quia si intellectus Angelicus assimilaretur rebus sensibilibus, & cognosceret eas per species innatas; vel ergò illæ essent finitæ, vel infinitæ: non infinitæ; quia tunc cognitio Angelorum in proprio genere esset infinita intensivè, quia in infinitum ipsam excederet cognitionem humanam; nam ex illis infinitis speciebus posset in se educere infinitas cognitiones distinctas actuales: nec potest dici quòd essent finitæ; quia tunc sequitur, quòd si esset jam de facto una creatura de novo creata, Angelus non posset eam distinctè cognoscere, nisi Deus crearet novam speciem in intellectu Angeli, & per consequens natura Angelica minùs sufficeret sibi ipsi, quàm humana. Item, tunc Angeli non possent proficere in cognitione rerum, nisi per novam creationem specierum, quod patet esse falsum. Item, si ponerentur tales species concreatæ, sicut ponit sanctus Thomas, & quidam alii Doctores antiqui; tunc intellectus Angeli non posset ex talibus devenire in cognitionem alicujus veritatis complexæ de rebus corporalibus, & ita frustrà ponerentur: sed quoniam probatur quia cùm sint naturales similitudines rerum, & repræsentent naturaliter rebus hujusmodi corporalibus existentibus, vel non existentibus; æqualiter omnimodò repræsentarent apud intellectum Angeli, & per consequens non plus posset per tales judicare de re existente quòd existeret, quàm quòd non esset. Igitur uniformiter, quantùm est de se, semper repræsentant, & ideò uniformiter intellectus per eas judicat. Igitur &c.

Oppositum arguitur: quia, sicut dictum est, dæmones de rebus existentibus, scilicet de sensibilibus & corporalibus ac singularibus habent aliquam notitiam, sed nullam habent cognitionem in verbo; ergo habent cognitionem in proprio genere, & naturalem, non infusam.

Circa istam difficultatem fuerunt diversæ opiniones. Una, fuit quòd ipsa essentia Angeli & similitudo est expressa imago omnium creaturarum; ita quòd ipsa per hoc quòd assimilatur Deo ultimata & perfectissima assimilatione, quâ creatura potest sibi assimilari, & per hoc assimilatur assimilatione perfecta omnibus aliis, ratione cujus assimilationis per se ipsam, quia est quoddam lumen intellectuale, sine speculo & sine alia imagine vel specie; quando vult dirigere actum intellectûs super res ipsas, potest videre & distinctè cognoscere actualiter, & non est aliud medium quo intellectus Angeli dicitur esse in actu intelligendi, nisi ipsa directio aciei intellectûs super ipsum intelligibile; quæ directio procedit ex libertate voluntatis Angeli: & in hoc differt in intelligendo à Deo, quia Deus semper actualiter omnia intelligit, & nullo alio mediante; sed per suam naturam intelligit, actu secundo, omnia intelligibilia, præterita, præsentia, & futura: sed Angelus non omnia intelligit, & ea quæ potest intelligere non semper actualiter intelligit. Et licèt per suam essentiam, & nullo alio medio sit in actu primo, respectu intelligibilium; ab eo tamen nullum intelligibile, actu secundo & distinctè intelligitur, nisi mediante actuali intellectione, quæ est res distincta ab essentia Angeli. Et sic, secundùm istam opinionem, Angelus videt res per duplex medium, scilicet per speculum & lumen spirituale, quod ipse est; & suum velle, est principium ducendi in actum secundum, per directionem aciei intellectûs super rem cognitam; & licèt non modò, tamen post hanc vitam sic videbit anima nostra, ut dicit ista opinio, quia tunc erit sicut speculum intellectuale. Et pro ista opinione videtur esse Dionysius *De divinis nominibus. Cap. 7.* Ubi dicit quòd *Angeli sciunt illa quæ sunt intellectiva, secundùm proprium mentis naturam.*

A Sed contra istam opinionem sunt responsiones supra tactæ, & particulares aliæ quas transeo, gratiâ brevitatis. Et ad authoritatem Dionysii, dicendum est, quòd cùm dicitur Angelum secundùm naturam suam res cognoscere, ly *secundùm*, non determinat medium cognitionis, quod est similitudo cogniti; sed virtutem cognitivam, quæ convenit Angelo, secundùm suam naturam.

Et ideo ponit alia opinio, quòd essentia Angeli non est ratio ex parte intellectiva quâ intellectus Angeli de intelligente in potentia, fiat actu intellegens, quia verisimile dicit ista opinio. Potest esse ratio vel in actu primo, vel in actu quo plura disertè intelligantur, nisi ipsa divina essentia, quæ est causa omnium, & virtualiter, secundùm omnem modum perfectionis, omnia continens.

Sed ista opinio triplex est: quia quidam ponunt sicut Sanctus Thomas in secundo Summarum, & in prima parte Summæ suæ, & quidam alii, quòd cum ipsa natura Angelica concreatæ sunt species connaturales naturæ Anglicæ, quæ sunt rationes cognoscendi omnia cognoscibilia ab Angelo, & quibus intellectus Angeli est in actu primo ad cognoscendum illa, & mediantibus illis, per motum liberi arbitrii, ducitur intellectus Angeli de actu primo, ad actum secundùm. Sed contra hoc sunt responsiones aliquæ priùs factæ: & etiam, si ita esset, sequitur quòd tot essent species in intellectu Angeli, quot sunt ab eo distinctè cognoscibilia; quia species distinctè repræsentativa unius, quamvis imprimatur ab aliquo agente supernaturali alio ab illo cujus est species, non tamen propter hoc est distinctè representativa alterius, plusquam si esset impressa ab ipsamet re cujus est repræsentativa: sed nulla species impressa ab una re singulari, distinctè & singulariter illam repræsentans, à qua imprimitur effectivè, potest aliam rem distinctè repræsentare: ergo eadem ratione, etiam talis species posita ab eo in intellectu, si sit principium distinctè cognoscendi aliquam rem, non potest esse principium aliam rem cognoscendi distinctè. Et ideò, vel opportet ponere quòd intellectus Angeli non possit habere distinctam cognitionem de rebus intelligibilibus, vel quòd infinitæ essent tales species concreatæ in intellectu Angeli, quorum utrumque videtur absurdum.

Et ideò ponit tertia opinio, quòd in intellectu Angelico, principium quo de actu primo ad actum secundum educitur, non est talis species connaturalis, sed est quidam habitus scientialis sibi connaturalis, & à Deo cum ipsa natura Angelica concreatus: ita quòd intellectus hujusmodi informatus habitu scientiali, est principium actualis intellectionis; quia sive verbo, sive distinctè, intelligitur quodcumque intelligibile ab Angelo, & hoc in proprio genere, & naturali cognitione, & per talem habitum assimilatur intellectus intelligibili: ratione cujus assimilationis, potest procedere per imperium voluntatis in actu intelligendi, sine quocumque alio extrinseco, vel intrinseco; & secundùm hanc opinionem potest poni omnis cognitio intellectiva Angeli, quâ actualiter cognoscit res intelligibiles, sive præsentes, sive præteritas, vel futuras, naturaliter & in propio genere.

Sed quarta opinio est, quòd nec per species, nec per habitus concreatos solùm, intelligunt Angeli; sed aliqua intelligunt per quædam signa ab ipsis rebus extra recepta, sive vocentur species, sive alio nomine nuncupentur, quod negat sanctus Thomas; dicens

quòd *Angeli non intelligunt per species à rebus acceptas.* Veruntamen utraque istarum opinionum videtur probabilior quàm sua, & ideò utriusque opinionis positionem breviter declarabo.

Pro declaratione ergo tertiæ opinionis, ponit quidem Doctor Angelicus aliquas conclusiones. Prima est, quòd probabilior est, & dictis Sanctorum magis consona opinio quæ ponit Angelos naturaliter cognoscere per habitus concreatos, quàm opinio alia quæ ponit quòd per species. Patet per Augustinum, *Super Genesim ad litteram. cap.* 3. qui ponit cognitionem Angelorum secundùm creatam in eis sapientiam. Dicit enim quòd *Res habet esse in mente Angelica*, id est in cognitione Angelorum, *secundùm creatam in illis sapientiam*: sed creata sapientia est habitus, secundùm Philosophum 6. *Ethicorum.* Item Dionysius 12. *Cœlestis Hyerarchiæ*, dicit quòd *Superiores Angeli participant scientiam magis in universali, quàm inferiores*: sed *scientia est habitus*, secundùm Philosophum 1.° *Posteriorum*, & 2.° *Ethic.* Ergo principium cognoscendi concreatum cum natura Angelica est habitus. Igitur superfluum est ponere tales species. Item, secundùm Philosophum 3.° Ethic. *In anima humana, præter actum, non sunt nisi tria, scilicet potentia, habitus, & passio.* Cùm igitur non major multitudo rerum sit ponenda in intellectu Angeli, quàm in intellectu humano: sequitur quòd ultra tria prædicta, non sunt alia ponenda in intellectu Angelico. Sed priùs dictum est quòd sola potentia in eo potest esse principium cognoscendi distinctè omnia, quia hoc solùm potest divina essentia, nec passio est sufficiens principium, quia non est apprehensiva, nec cognitiva, nec principium apprehensionis, ut clarum est. Igitur opportet quòd intellectus Angeli habeat sufficiens principium, ut moveatur ad actum intelligendi, per habitum scilicet connaturalem & non acquisitum. Igitur irrationale videtur ponere tales species in intellectu Angeli, cùm in nostro non sit alia species cognoscendi, alia ab actu vel habitu. Item, si per tales species concreatas exiret Angelus in actum cognoscendi; cùm ex actibus iteratis generetur habitus, sequitur quòd respectu ejusdem cognoscibiles essent simul tales species, cum habitu quorum utrumque posset esse principium cognoscendi idem cognoscibile, & per consequens alterum videretur superfluere. Igitur &c.

Secunda conclusio est, quòd in Angelo idem habitus non potest esse principium & ratio cognoscendi simplici apprehensione, & cognoscendi complexè. Patet: quia secundùm Philosophum 3.° *De anima.* & Commentatorem, Comment. 21. *Istæ sunt duæ operationes intellectûs, scilicet apprehensio simplicium, vel oppositio, vel divisio.* Sed idem habitus non potest esse principium utriusque operationis, seu utriusque generativus; quia habitus ad primam operationem, scilicet simplicem apprehensionem inclinans, potest esse in intellectu nostro, & tamen nullo modo inclinare ad actum componendi, scilicet assentiendi, seu dissentiendi. Ergo consimiliter in intellectu Angeli.

Tertia est, quòd in intellectu non est idem habitus qui est principium quo ducitur ad apprehendendum quodcumque ab eo cognoscibile, & hoc distinctè, & distincta cognitione, & simplici apprehensione. Patet: quia nullus intellectus creatus potest moveri in distinctam apprehensionem alicujus rei ab eò cognitivæ, nisi per aliquam similitudinem rei illius: sed nihil unum, exceptâ essentiâ divinâ, potest sic esse expressa, & distincta similitudo, ut per illam ducatur intellectus creatus in distinctam apprehensionem cujuscumque rei. Igitur &c. Item 4. *De Divinis nominibus.* Dionysius dicit quòd *Angeli illuminantur rationibus rerum*, & per consequens rationes sunt particulares quibus Angeli ducuntur ad intelligendum. Sed istæ rationes sunt habitus. Igitur &c.

Quarta conclusio est, quòd in intellectu Angeli non sunt tot habitus concreati, quot fuerunt, sunt, vel erunt singularia quæ possunt ab eo cognosci distinctè. Patet: quia aliter sequitur quòd semper fuisset, & adhuc esset contingens quòd naturalis cognitio Angelorum pro majori parte esset erronea, quod est falsum: & quoniam probatur quia statim post creationem Angelorum fuit possibile & contingens ad utrumlibet de omnibus singularibus quæ fuerunt futura, quòd nullum illorum esset futurum; sed totaliter alia. Ergo si habitus connaturales & concreati fuissent solum illorum, fuit contingens quòd totus ille habitus fuisset erroneus & principium erroris, & sic minor esset certitudo in intellectu Angeli quàm hominis. Item aliter sequitur, quòd si A Deus crearet aliquod singulare, quod foret præter communem cursum naturæ, Angelus non posset illud distinctè cognoscere, nisi Deus crearet unum novum habitum in intellectu Angeli, quod est inconveniens. Igitur &c.

Quinta conclusio est, quòd unus habitus in intellectu Angeli est principium vel ratio plura cognoscibilia distinctè cognoscendi. Patet ex prædictis: quia si plura possunt distinctè cognosci ab intellectu Angeli, quia sunt tales habitus concreati, & nihil potest actualiter ab Angelo intelligi sine habitu qui est principium cognoscendi; sequitur propositum.

Ex quo sequitur illud corrollarium, quòd cognitio Angelica rerum in proprio genere, est quasi media inter cognitionem divinam & cognitionem hu- B manam. Nam Deus omnia cognoscit per essentiam suam, quæ est ratio & similitudo sufficiens intellectui divino, ad cognoscendum omnia distinctè: sed nihil aliud ab ea potest sic esse ratio cognoscendi. In scientia autem nostra pro statu isto, nihil idem potest esse cognitio distincta plurium, vel ratio, aut principium formaliter cognoscendi distinctè plura; sed solùm una distincta cognitio est unius cognoscitivæ in intellectu nostro, & hoc loquendo de cognitione acquisita ex sensibus pro isto statu. Sic etiam idem habitus, vel species, aut phantasma non potest esse ratio, aut principium distinctè apprehendendi aut cognoscendi, nisi respectu unius rei tantùm & non plurium. In intellectu autem Angeli, actualis apprehensio vel cognitio data, scilicet distincta, non potest esse nisi unius rei tantùm, & non potest esse una cognitio plurium, & cujuslibet illorum distincta. Sed idem habitus potest esse principium & ratio distinctè cognoscendi plura cognoscibilia, scili- C cet omnia individua unius speciei, secundùm quod naturaliter, seu naturali ordine producuntur in esse, quia cognitio illorum non est per modum cognitionis nostræ acquisitæ; sed secundùm cursum & naturalem ordinem naturæ, ut dicit Augustinus: *Lib.* 5. *Super Genesim, ad litteram. Cap.* 2.° Et Ideò idem habitus necessariò tanquam ratio cognoscendi, se extendit ad plura singularia, secundùm debitum cursum & ordinem naturæ in esse producentis. Et sic videmus in lumine corporali. Nam sicut in medio obscuro, posito, vel non posito objecto visibili, æqualiter in eo non videtur; sed ipso posito in medio illuminato, statim potest illud videri per directionem aciei visus super illud, & quot quot fuerint colorata in medio illo posita videntur, quod autem non ponitur in illo medio, non videtur ab oculo ibi existente: sic est de distincta & actuali cognitione D individuorum in eadem specie, respectu Angeli; quia posito spirituali lumine, per habitum connaturalem & concreatum, qui habitus est ratio cognoscendi unam speciem, potest intellectus Angelicus, mediante illo lumine, cognoscere distinctè omnia individua & singularia illius speciei in esse naturali producta, nec aliquid aliud cum intellectu Angeli ad hoc requiritur præter actum cognoscendi, sed ex illo habitu cum intellectu Angelico potest Angelus

lus ex conversione ejus per voluntatem distincta cognitione apprehendere quodlibet individuum illius speciei cujus est habitus, secundùm quod per causas naturales, & secundùm cursum naturæ in esse producitur: & per istum modum distinctè cognoscit Angelus omnia sensibilia & singularia statim cum exeunt in esse; nam statim patent sibi, si ipse vult, per hujusmodi habitum quem habet, nec aliquid à re ipsa recipit. Sed sicut oculus naturalis, si apud se haberet omnes species omnium colorum, & si per unam speciem albedinis posset distinctè cognoscere omnia alba, tunc, præsentato sibi aliquo objecto albo, statim illud per speciem suam in oculo præexistentem distinctè sibi appareret: & Angelus habet cognitionem rerum sibi inditam, non solùm in universali, sed etiam in particulari. Et ad hoc allegat ista opinio auctoritatem, *De Universo Lib. 2.* Ubi videtur velle quod novæ scientiæ singularium fuerint in Angelis, non per impressionem rerum extra, nec per receptionem à rebus, sed solùm per excitationem propriam, formationem & colligationem naturalem cum rebus: quasi vellet dicere quod hujusmodi scientiæ fiunt per excitationem &c. idest, per directionem & conversionem intellectûs, mediante habitu alicujus speciei super omnia singularia alicujus speciei, secundùm causas naturales in esse producta, & ex propria formatione fit actualis scientia in eis, quia ut dicit Augustinus 4. Super Genesim Cap. 6. *Angelus simul cuncta quæ vult per potentiam spiritualem comprehendit, sed tamen per ordinem causarum.*

Ex prædictis sequitur sexta conclusio, quòd ille habitus in intellectu Angeli, respectu alicujus speciei generalis, non solùm est ratio vel similitudo quâ Angelus ducitur in actum universalem cognoscendi; sed etiam quâ potest duci in distinctam cognitionem cujuslibet singularis illius speciei: & in hoc differt hujusmodi habitus à quocumque habitu, vel phantasmate in memoria nostra, qui est principium vel ratio actualis cognitionis in intellectu nostro; quia nihil tale pro statu isto, & communi modo acquirendi scientiam, est per se ratio vel principium distinctè cognoscendi plura, sed solùm unius cognitionis distinctè, est una ratio cognoscendi: & ista quæstio intelligitur de singularibus quæ per primam generalem conditionem rerum à Deo producta sunt immediatè, vel quæ postea per causas naturales producta sunt, secundùm communem cursum naturæ: quia sicut est ordo rerum in communi, vel naturali productione earum; ita ex conditione prima est ordo in cognitione Angelica, secundùm Augustinum. *Lib. 2. Super Genesim, ad litteram.* Et hæc de tertia opinione.

Pro quarta verò opinione videtur esse Guillielmus Parisiensis, Lib. 2. *De Universo:* licèt tertia opinio per se eum videatur allegare. Sic enim quandoque contrarias opiniones consuevit tangere, & inter utrasque probabiliter fluctuare. Ipse ergo in Libro præallegato volens declarare qualiter substantiæ Angelicæ, sive bonæ, sive malæ cognoscant à rebus particularibus & sensibilibus, cùm nec sensus nec instrumenta sensuum habeant, per quæ sola acquiri videntur scientiæ novæ de rebus sensibilibus & particularibus; pro dicta opinione quarti articuli sic: quia cùm hujusmodi substantiæ spoliatæ sint, & corpora penitùs non habeant, non videntur passibiles à rebus sensibilibus. Res autem extra se sciri non faciunt, nisi per passiones quas imprimunt, cùm ipsæ scientiæ quæ à rebus formatis animabus nostris adveniunt, non sunt nisi descriptiones signorum & similitudinum ipsarum, instar apparitionum quæ fiunt in speculis, ex objectu rerum in eis apparentium: specula enim sunt ipsa organa sensuum, & ipsa etiam anima humana speculum est intellectuale; & apprehensiones ipsius non sunt nisi apparitiones intellectuales rerum in ipsa, per formas vel imagines suas, sive per alia signa ipsarum. Aut igitur à rebus sensibilibus patiuntur recipientes ab eis signa & similitudines ipsarum hujusmodi substantiæ dequibus agitur, aut omninò non generantur in eis novæ scientiæ de rebus hujusmodi: & ideò concedit, quòd de modo signa recipiendi est tota quæstionis istius difficultas, &
A videtur supponere quòd hujusmodi signa à rebus recipiant. Unde statim subdit quòd in apprehensionibus animarum nostrarum occurrit similis difficultas. Cum enim organa sensuum corporalia esse ponantur, & ipsi etiam sensus sensibiles qui in nervis interioribus sunt, per quos, & à quibus impressiones fiunt in animabus nostris: necesse est ipsas animas pati, saltem ab hujusmodi spiritibus, & ab eis recipere hujusmodi similitudines & imagines, Et ideò non videtur mirum, ut ipse concludit, si à corporibus patiantur substantiæ Angelicæ; cùm animarum nostrarum spiritualitas non prohibeat quin patiantur à spiritibus hujusmodi, qui corpora dubitari esse non possunt. Nec videtur differre quòd ipsæ impressiones quæ fiunt in spiritibus, sistunt, vel stant in ipsis, ita quòd nihil ab ipsis, vel per ipsos intrat ad animas nostras; quia ex hoc sequitur, quòd necesse est scientias hujusmodi in ipsis spiritibus esse, vel fieri, & non in animabus nostris, & remanebunt animæ nostræ insciæ penitùs
B rerum hujusmodi, sed soli spiritus prædicti scient illas, & erit scientia in corpore & non in anima.

Secundò, persuadet opinionem prædictam sic: quia hujusmodi substantias spirituales irasci, & dolere, ac aliis omnibus passionibus obnoxias esse manifestum est, tàm ex Scriptura sacra, quàm etiam ex scripturis idolatrarum, qui eas placari Sacrificiis & ludis, & delectari cantibus crediderunt. Unde multa de eis narrantur, ex quibus dubitari non debet ipsas à rebus sensibilibus, aut per eas, novas & particulares rerum particularium & sensibilium passiones acquirere. Igitur &c. Et hoc confirmat per quædam exempla quæ apparent in animabus nostris: nam dicit accidisse tempore suo, quòd quædam mulier adamabat virum, amore nimis vehementi, & præsentiebat eum venientem ad villam habitationis suæ, cùm adhuc longè esset per unum vel duo milliaria, & quandoque cùm absconditus esset in magno & amplo palatio, muliere deforìs existente, & de eo nihil præsciente, non poterat eam latere quin ibi esset: & multa similia narrat. Unde concludit quòd licèt non appareat quid esset ibi imprimens illam passionem in animam illius; tamen non potest negari quin aliquid novum circa animam hujusmodi fieret, à quocumque fieret: Et inquirendo causam hu-
C jus, diffusè declarat quomodò vis motiva, seu affectiva in hoc adjuvat vim apprehensivam, sicut è contra apprehensiva adjuvat motivam. Unde per ejus longum processum concludi potest quòd, sicut animæ nostræ sic patiuntur à corporibus vel corporalibus, & non per sensus exteriores, sed quasi ab intùs, & per quamdam vim occultam; sic potest esse in spiritibus Angelicis.

Tertiò, persuadet hoc per exempla multa in dæmonibus quos Satyros vel Faunos vocant, de quibus innumerabilia testimonia sunt quòd lapides projiciunt, ostia frangunt, & multa hujusmodi, & tamen nec manus vel alia instrumenta corporalia habent. Cur
D relinquitur vim imperativam apud eos esse tantæ virtutis ut ei hujusmodi corpora obediant. Et hoc confirmat per exemplum de animabus nostris, quia ipsæ movent corpora sua solo imperio: quia si media sint alia corpora, vel organa corporalia, videtur quòd tandem sit devenire ad aliqua quæ movent solo imperio. Veruntamen quia vis earum imperativa debilis est, respectu Angelorum; ideò pluribus mediis indiget in movendo: sed de hoc magis dicam infra, in tertio principali articulo.

Ex hiis autem videtur posse conlcudi quòd sicut Angeli possunt movere corporalia immediatè suo impe-

perio, sine corporalibus membris, vel organis; ita possunt ea cognoscere & ab eis cognitionem recipere, sine sensibus vel virtutibus organicis, & possunt sensibilia in proprio genere cognoscere per species ab eis receptas, juxta quartam opinionem prædictam, quæ cum prædictarum opinionum sit verior, non est necessarium scire, sed sufficit in hac materia aliquam viam probabiliter sustinere. Et hoc de tertia difficultate.

Tunc ad rationes principales dubitationis. Respondendum est ad primam: concedo Majorem, & nego Minorem; & ab probationem patet ex solutione primæ difficultatis, quid dicendum. Et potest assignari aliquo modo ratio diversitatis, secundùm sanctum Thomam. 2. *Summarum. Distinctione* 7. quia voluntas est domina sui actus, magis quàm intellectus, qui ipsa veritate compellitur: & ideò secundùm actum voluntatis dicitur quis bonus vel malus, non secundùm actum intellectûs, cujus ipse non est Dominus. Igitur &c. Aliam etiam responsionem & rationem diversitatis possumus dicere ex dictis.

Ad confirmationem dicit ibidem sanctus Thomas, quòd furor, & concupiscentia, ac phantasia non sunt in dæmonibus propriè; sed metaphysicè, cùm pertineant ad sensitivam partem, quæ non est in Angelis. Unde quia omnis defectus animæ qui in nobis accidit, vel est ex phantasia, quantùm ad cognitionem, cujus proprium est falsitas, secundùm Philosophum. 4. *Metaphysicæ*; vel est ex passionibus irascibilis, aut concupiscibilis, quantùm ad affectionem. Ideò per quamdam similitudinem, voluntas dæmonum inordinatè detestans vel appetens aliquid, dicitur furor vel concupiscentia, & intellectus suus dicitur phantasia: & quia deordinatio sui intellectus est ex proterva voluntate; ideò dicitur phantasia proterva, quia protervus est qui pertinaciter verum impugnat: pertinacia autem est voluntatis irrationalitas, etiam & amentia furoris & concupiscentiæ important obliquitatem voluntatis à recto judicio rationis, & ignorantiam non speculationis sed electionis, secundùm quam omnis malus dicitur ignorans. Igitur &c.

Ad secundam dicendum est, quòd præcognitio illorum eventuum futurorum in se ipsis immediatè, & non per suas causas, solius est Dei; & dæmones non possunt futura cognoscere, sed qualia & qualiter possint, patet ex dictis in secunda difficultate.

Ad confirmationem negatur assumptum; quia non oportet cognitionem rei abstractivam semper esse per speciem ipsius rei quæ abstractivè cognoscitur. Dæmones ergo sine specie rei futuræ possunt eam abstractivè cognoscere, scilicet per suarum causarum præcognitionem, & hoc naturaliter, vel etiam supernaturaliter per ipsius Dei aut superiorum Angelorum revelationem. Unde quamvis sint in perpetuis tenebris pœnalibus, non tamen sequitur quin possent aliquo modo illuminari intellectualibus luminibus: licet sanctus Thomas videatur sentire contrarium, qui dicit quod *Revelatio supernorum spirituum facta dæmonibus non est per modum illuminationis, sed per modum locutionis.* Sed hoc stat in quid nominis, & est magis difficultas vocalis, quàm realis. Unde ad hujus evidentiam, distinguendum est quòd Angelum illuminari ab aliquo potest intelligi multis modis; vel lumen causando & infundendo quo Angelus illuminetur; vel luminosum ei lumen ordinando & offerendo; vel obstaculum impenetrativum luminis amovendo; vel aliquam dispositionem, ad quam sequitur lumen intendi, inducendo: unde per hunc modum dicitur illuminari aliquod corpus. Primò modo enim sol illuminat aerem. Secundo modo, deferens candelam de nocte, illuminat domum. Tertio modo, aperiens fenestram illuminat cameram. Quarto modo, rareficans medium luminis receptivum, disponit ipsum ad susceptionem intentioris & clarioris luminis: & omnibus istis modis correspondenter potest intelligi in spiritualibus, quia una natura intellectualis illuminat aliam.

A Primo modo ergo illuminare non potest nisi solus Deus, qui solus potest spirituale lumen creare, seu principaliter infundere. Secundo modo, unus Angelus potest alium Angelum, sive bonum, sive malum illuminare, idest luminosum offerre, seu lumen ostendere; quia potest alteri ostendere vel offerre actualem scientiam, vel conceptum intellectus sui: ratione cujus ostensionis, potest ille cui ostenditur devenire in actualem cognitionem alicujus, quia spiritus non habuit, nec alio modo habere potuit naturaliter, & talis oblatio vel ostensio cognitionis potest dici illuminatio; licet etiam talis manifestatio sit locutio Angelorum, & rerum locutio est quædam illuminatio. Tertio & quarto modo, potest etiam unus Angelus alium illuminare, quia potest aliquod impenetrativum removere, vel aliquod dispositivum inducere, unde sequitur lumen intellectuale, idest aliqua notitia immediatè Angeli, vel etiam hominis. Sic ergo dæmones possunt habere cognitionem futurorum contingentium, etiam illorum quæ solùm dependent à voluntate divina, & hoc à Deo, vel etiam ab aliis superioribus Angelis, sive per illuminationem, sive per locutionem, & hoc non ad eorum utilitatem, sed ad majorem damnationem. B

Sed quia hic tactum est de locutione Angelorum; videndum est breviter quid sit hujus locutio. Unde dico quòd verbum Angeli quo loquitur, & quod est ejus locutio, non est aliud quàm ejus conceptus, vel actualis cognitio, vel intellectio, quæ dicitur proprium verbum; ut patet per Augustinum. L. 15. *De Trinitate: cap.* 16. & ideò, sicut verbum Angeli non est aliud quàm ejus actualis intellectio; ita non est aliud loqui in Angelo, quàm intelligere. Sed tamen se habent secundùm superiùs & inferiùs, quia omne loqui Angeli est intelligere, sed non è contra; dicitur enim intelligere, prout verbum suum, idest intellectionem recipit, & per ipsam aliquid concipit: sed dicitur loqui propriè, in quantùm ejus intellectio ordinatur ad indicandum aliquid alteri quod per ipsum verbum concipitur. Sicut ergo homines, quia non possunt indicare alteri verbum mentis suæ, utuntur verbo exteriori ad indicandum ipsum, ita quòd si alter verbum mentis suæ immediatè per se videret, non uterentur ad indicandum illud aliquo verbo vocis; C sic si Angelus unus omnem conceptum quem alius habet naturaliter videret; alter non uteretur aliquo verbo, ad indicandum mentis conceptum. Et patet quomodò verbum quo Angelus loquitur alteri, est conceptus mentis suæ ordinatus ad aliquid alteri indicandum.

Sed ulterius opportet scire, qualis sit hujusmodi conceptus ad aliquid alteri indicandum ordinatus. Pro quo sciendum, quòd ad locutionem Angeli requiruntur tres actus. Primò, requiritur actualis intellectio de aliqua re. Secundò, respectu illius requiritur actus reflexus, quo Angelus naturaliter percipit illam intellectionem se habere. Tertiò, requiritur actus voluntatis, quo vult primam intellectionem alteri manifestare: & in isto processu, primus actus intelligendi est sicut verbum interius latens; & secundus actus intelligendi cum ipsa volitione, est sicut verbum exterius, quod habet rationem immutandi potentiam auditivam, id est intellectum alterius Angeli audientis, ad intelligendum illud idem quod Angelus loquens intelligit; & talis manifestatio intelligitur per locutionem Angelorum: nec potest esse talis manifestatio, nisi adsit voluntas manifestandi ita, quod est in potestate liberii arbitrii. Et D Patet quòd locutio Angelorum non est nisi manifestatio alicujus veritatis quam unus vult alteri notificare, cui priùs erat incognita; & hoc potest esse indifferenter superioris ad inferiores, & è contra: & per consequens, etiam potest esse inter eos mutua illu-

luminatio largè sumpta. Sed tamen illuminatio quandoque strictè sumitur, prout est quædam dispositio à Deo ordinata, quâ creatura rationalis perfectissima & completissima ordinatione reducitur in suum finem, qui est voluntas Dei beneplaciti, & tali illuminatione superiores illuminant inferiores, & nunquam è converso; quia, ut dicit Dionysius: *Hac Lex divinitatis est immobiliter servata, ut inferiora reducantur in Deum per superiora.* Et sumendo, non omnis Angelorum locutio est illuminatio: & ex hiis patet ad tertiam responsionem.

Ad tertiam respondet Sanctus Thomas, quòd licèt cognitionem à rebus non accipiat dæmon; tamen acuitur ejus scientia per longitudinem temporis: per speciem enim rei quæ habetur, jnnatam cognoscit rem, & ea quæ in re sunt: sed antequam ad effectum determinetur causa contingens, & precipuè ad utrumlibet, non est in ea effectus ejus, unde non potest in ipsa cognosci, qui tamen cognitâ ipsâ, cognoscitur, quando jam ad effectum determinata est. Sed iste modus loquendi est multùm improprius & difficilis ad benè resolvendum, nec per species jnnatas Angeli intelligunt, ut superiùs est probatum: & ideò aliter respondendum. Unde dico quòd Angeli cognoscunt aliqua per experientiam, & memoriam: & ideò secundùm intellectionem Augustini videtur quod à rebus acquirant scientiam. Hæc autem experientia vel memoria eorum non oritur à rebus per sensum, sicut in nobis; sed alio modo, prout ut tactum est in quarta opinione statim recitata in tertia difficultate.

Ad confirmationem dicendum: quòd scientia dæmonum de rebus futuris, non habetur per species earum, ut jam dictum est, nec etiam hujusmodi scientia accipitur ab ipsis rebus futuris, sed à causis suis, unde futura, secundùm quod habent determinationem in causis suis, accedunt ad rationem præsentium, in quantum jam sunt quodam modo determinata in ipsis. Sic ergo dæmones aliqua futura naturaliter cognoscunt, & multa nobis occulta, per experientiam & memoriam quam habent, respectu suarum causarum, ex quibus pluries viderunt tales, vel tales effectus sequi; quod in multiis non possunt homines, propter brevitatem sui temporis, vel etiam propter debilitatem suæ naturalis perspicacitatis, quæ major est in Angelis, sicut probant authoritates post oppositum. Et ex hiis omnibus patet solutio primæ dubitationis principalis hujus materiæ.

Secunda dubitatio principalis circa materiam prophetiarum, seu divinationum quæ fiunt ministerio dæmonum, fuit utrum dæmones seu prophetæ dæmonum, aliquando prænuntient vera. Et arguitur primò quòd non, quia sicut dicit Ambrosius, *Omne verum à quocumque dicatur, à spiritu sancto est.* Sed dæmones aut prophetæ ipsorum, non loquuntur à Spiritu sancto, quia non est *conventio Christi ad Belial, aut lucis ad tenebras*, ut dicitur II. *Corinth.* VI. 15. Igitur tales nunquam vera prænuntiant. Confirmatur: quia Prophetia est divina inspiratio, ut deffinit Cass. sed dæmones, aut eorum prophetæ non loquuntur divina inspiratione: igitur ab eis non est vera Prophetia. Igitur &c. Secundò, Prophetæ inspirati à Spiritu sancto nunquam loquuntur falsum, ut patet ex descriptione Prophetiæ supra habita. Ergo prophetæ inspirati à spiritu maligno nunquam loquuntur verum: quia sicut Spiritus sanctus, est Spiritus veritatis, sic spiritus malignus est spiritus mendacii. Igitur &c. Confirmatur: quia ad propheticam veritatis cognitionem requiritur aliqua illuminatio; ut supra dictum est: sed dæmones non illuminant intellectum humanum, sed magis obtenebrant; unde & nomine tenebrarum intelliguntur, juxta illud Apostoli *quæ conventio lucis ad tenebras.* Igitur &c.

Tertiò, quia prophetæ domonum, dæmone inspirante loquuntur; sed diabolus non est inspirator veritatis, *quia* ipse *est mendax & pater ejus*, id est mendacii. *Joan.* VIII. 44. Igitur &c. Confirmatur: quia vera Prophetia est signum confirmationis Fidei. Unde super illud Romanorum XII. 6. *Sive Prophetiam, secundum rationem Fidei*: dicit glossa quòd *In enumeratione gratiarum a Prophetia incipit, quæ est prima probatio quod Fides nostra sit rationabilis, quia credentes accepto Spiritu prophetabant*; ergo cùm diabolus non intendat probationem, sed magis destructionem Fidei, sequitur quòd non sit causa veræ Prophetiæ, seu veritatis enuntiator. Igitur &c.

Oppositum arguitur. Quia *Num.* 22. dicit quædam glossa quòd Balaam divinus erat, qui scilicet dæmonis ministerio, & arte magica futura præcognoscebat; sed ipse quædam prænuntiavit vera, sicut est illud Numer. XXIV. 17. *Orietur stella ex Jacob* &c. Igitur &c.

Hìc respondendum quòd dæmones per se & eorum prophetas, seu divinatores aliquando & sæpè vera prænuntiant. Et hoc patet tàm ex Scripturis divinis, quàm ex gentilium historiis: hoc autem ex multiplici, & specialiter ex quadruplici causa contingit.

Primò namque hoc quandoque faciunt ex superbia & ostentatione, ut scilicet suam scientiam hominibus mirabilem ostendant: nam sicut patet ex dictis, dæmones, etiam naturali cognitione, multa cognoscunt, tàm præsentia quàm futura, quæ sunt ab humana cognitione remota, & quæ possunt hominibus revelare. Et ideò quandoque ea revelant, non ad hominum utilitatem, sed ad eorum jactantiam per elationem, ut scilicet suæ naturæ excellentiam hominibus ostendant, & se tanquam Deos adorandos esse persuadeant: hoc enim multùm appetunt, quia superbissimi sunt, ut dicit Augustinus, in principalibus locis Libri *De Civitate Dei.*

Secundò, quandoque dæmones vera dicunt & docent, ut alia falsa & erronea, ad quæ credenda inducunt, ex alicujus veritatis apparentia persuadant. Nam ut dicit Chrysostomus super Math. *Concessum est diabolo interdùm vera dicere, ut mendacium suum rara veritate commendet.* Sic enim intellectus ad falsum deducitur per apparentiam veritatis, sicut affectus ad malum per apparentiam bonitatis. Et ideò sicut dicit Beda: *Nulla adeò est falsa doctrina, quæ non aliquando vera falsis immisceat.*

Tertiò, dæmones quandoque aliquod verum dicunt, obscurum tamen, vel ambiguum; ut sub specie veritatis in errorem ducant, & homines decipiant. De hoc autem multa narrantur exempla, inter quæ illud memorable videtur quod de Oraculo Apollinis Delphici recitatur; nam apud Delphos olim legitur fuisse scriptum in vetustissimo tripode Apollinis Oraculum famosissimum quod cuidam consulenti quomodò ad beatitudicem perveniret, responsum est, scilicet Γνῶθι σεαυτὸν; id est *Nosce te ipsum.* Quam quidam sententiam satyricus Juvenalis, Sat. XI. divinam & cœlestem appellat, propter summam utilitatem quæ in illa continetur. Unde ait.

----- illum ego jure
Despiciam, qui scit quantò sublimior Atlas
Omnibus in Libya sit montibus: hic tamen idem
Ignoret quantum ferrata distet ab arca
Sacculus, è cœlo descendit γνῶθι σεαυτόν.

Quod est dicere: stulta & despicienda scientia est, & insipiens sapientia, supervacua cognoscere, magis utilia ignorare. Quid enim prodest homini scire metiri mundum & nescire se ipsum: absque hac enim scientia, nihil mortalibus est utile, nihil hominibus salutare, & ideò dicit illam scientiam è cœlo descendisse. Unde propter excellentiam hujus sententiæ dicit Helinandus in Cronicis suis. *Lib.* 8. quòd *Imprimis non est credendum Apollinem fuisse authorem vel inventorem, sed potiùs fu-*

furem: *furatus enim erat ex illo dicto Job.* v. 24. *Visitans speciem tuam non peccabis.* Idem est enim nosse se ipsum, quòd suam speciem visitare: vel ex illo dicto in Canticis Canticorum. 1.7. *Si ignoras te ô pulcherrima mulierum! Egredere & abi* &c. Quia verò aliquis quærere posset, quomodò verum esse possit quòd malignus spiritus verbum tàm sanctum & tàm utile dixerit, cùm ejus propositum & voluntas semper sit velle nocere? Huic quæstioni tacitè respondendo subdit Helinandus. *Dico,* inquit, *illum mendacissimum spiritum hoc respondisse non studio nocendi, sed fallendi animo. Sic enim putavit persuadere posse hominibus, ut crederent se ortos ex deorum genere, quos homines fuisse audiebant, ut ita provocaret eos ad contentionem mutuam, & ambitionem honoris, dominandique libidinem, sub velamine libertatis.* Unde & Sapientes Græciæ de hoc Oraculo consulti à Regibus, nihil aliud respondebant, nisi quòd *homini cognoscendum erat, se esse de genere deorum.* Hinc & Macrobius, super somnium Scipionis. *Animas* dicit *è cœlo lapsas in corpora, & hanc esse perfectam, dùm corpore utitur, si unde orta sit recognoscat.* Hæc autem opinio, ut ait idem Helinandus, peccandi licentiam vulgo suggerebat, secundùm civilem theoriam, quando illos videbatur imitari, quorum infinita flagitia & facinora repræsentari in theatris audiebant, scilicet in ludis scenicis, quos valdè reprobat Augustinus, pluribus in locis Libri *De Civitate Dei.*

Sic ergo iste Apollo, seu potiùs dæmon in ejus idolo dans responsa, illud responsum protulit obscurum, ut sub specie veritatis falsum errorem induceret, & talia obscura, scilicet vel ambigua erant Apollinis responsa, ut supra allegatum est ex Tullio, in Libro, *De Divinatione.* Sic etiam ambigua & in diversas sententias interpretabilia solent esse responsa dæmonum, sicut ex multis exemplis patet, quorum unum memoriâ dignum est, quod recitant Guillielmus, & Vincentius *in speculo historiali.* Lib. cxxv. ubi narrant de Gerberto quondam Papa Romano, qui Monachus à puero, adolescens factus claustrum exivit & perrexit Hispaniam, ubi artes magicas didicit, & tandem ad Galliam, unde ortus erat, rediens, per Robertum priùs ejus discipulum, filium Hugonis Capet, posteà Regem Franciæ, factus est Archiepiscopus Remensis: & tandem per Othonem Imperatorem priùs etiam ejus discipulum in Papam constitutus est. Augebat enim fortunas suas fautore diabolo: & ut de rebus occultis & dubiis doceretur, familiari dæmone utebatur, à quo tandem per responsum ambiguum deceptus est. Nam cum ipse ab idolo vel imagine, quam pro dandis responsis arte magica construxerat, interrogaret: utrum esset Apostolicus Papa. Respondit quòd sic. Cùmque interrogaret, utrùm moriretur antequam Missam cantaret in Jerusalem. Respondit quòd non. Quo responso ambiguo deceptus, nihil excogitavit, perennè blandiens sibi de longo tempore vitæ. Nam est Ecclesia Romæ dicta Jerusalem, idest visio pacis, quia quicumque illuc confugerit, cujuscumque criminis reus esset, subsidium invenit: quia ferunt etiam fuisse azilum Romuli, ubi cantat Papa primam Missam tribus diebus in Anno. Cum ergo uno illorum dierum Gerbertus ad Missam se pararet, invaletudine percussus incubuit, & consultâ statuâ, deceptionem & mortem suam cognovit, unde insaniens ille minutatim se dilaniari, & membratim foras projici jussit; sicque vitam miserabilem, miserabili morte finivit: quemadmodùm contingit omnibus communiter qui simili arte utuntur, hoc est enim quod dæmones per sua responsa, quamvis vera, hominibus procurare nituntur.

Quartò, dæmones vera quandoque pronuntiant, non quidem voluntariè, sed coactè; ut scilicet in majorem pœnam & damnatiouem suam homines ad salutem erudiant: unde Helinandus, loco præallegato. *Plerumque,* inquit, *dæmones proferunt veritatem, & benè consulunt hominibus, non sponte, sed inviti, necessitate coacti:* scilicet à superioribus potestatibus Sanctorum, scilicet Dei, vel Angelorum. Sicut legimus de illo dæmone in dæmoniaco habitante, quem Beata Brigida cognovit dicens: *Dic mihi verbum Dei.* Cui dæmon per obsessum continuò respondit, *Brigida, time Deum & timeberis ab hominibus, ama Deum & amaberis & hominibus.* Nunquid enim diabolus tumoris & amoris Dei potest esse aut fieri voluntarius prædicator? Sed coactus hoc dicebat & invitus. Similiter intellige, cùm in Evangeliis, aut quotiens in Legendis Sanctorum leguntur similia, seu etiam Historiis Gentilium. Sic enim de præfato Apolline, qui præmemoratum verbum legitur protulisse salutis, quòd coactus hoc fecerit credi potest. Sic & de dæmonibus qui in Evangelio testimonium dabant Christo, quòd ad hoc coacti sint credendum est, ut sic Fides Christi etiam hostium testimonio firmaretur: juxta *illud Poetæ.*

Fas est & ab hoste doceri.

Sic & de Balaam dicendum est, de quo post oppositum hujus dubii fiebat argumentum. Unde & cùm volebat maledicere populum Domini, benedicebat eum coactus, ut in Libro *Numerorum* idem legitur. Igitur &c.

Tunc ad responsiones ante oppositum: ad primam dicendum est, quòd Prophetæ dæmonum non semper loquuntur ex eorum revelatione, sed interdùm ex inspiratione divina, sicut legitur de Balaam, cui dicitur Dominus esse locutus, *Numerorum* 21. licèt esset propheta dæmonum. Unde Dominus utitur etiam malis, ad utilitatem bonorum. Ideò & per dæmones & per eorum prophetas aliqua vera prænuntiantur, ut credibilior fiat veritas, quæ ex testimoniis adversariorum confirmatur: sic enim Sibyllæ multa vera prædixerunt de Christo, & ipse Balaam, ut jam dictum est: sed etiam quando prophetæ dæmonum à dæmonibus instruuntur, aliqua vera prænuntiant, quandoque virtute propriæ naturæ, cujus author est Spiritus sanctus, quandoque etiam revelatione bonorum spirituum, ut Patet per Augustinum XI. *super Gen.* ad litteram: & etiam illud verum quod dæmones enuntiant, à Spiritu sancto est.

Ad confirmationem dicendum quòd *Cass.* definit ibi Prophetiam propriè & simpliciter dictam, quæ solùm fit per revelationem divinam; sed tamen ipsa revelatio facta per dæmones potest secundùm quid dici prophetia, scilicet prophetia dæmonum, vel prophetia falsa, ut supra dictum est, quamvis sit de vero.

Ad secundam, dicendum est quòd verus Propheta semper inspiratur à Spiritu veritatis in quo nihil est falsitatis. Ideò numquam prophetat falsum: propheta autem falsus non semper instruitur à spiritu falsitatis, sed quandoque à Spiritu veritatis. Ipse etiam spiritus falsitatis, quandoque enuntiat vera, ut dictum est; nec dicitur spiritus mendacii, quia semper mentiatur vel falsum inspiret: quia sicut non est dare malum in rebus, quod totaliter privetur bono; sic non est dare falsum, quod totaliter privetur vero. Ideò à spiritu falsitatis, vel mendaci, potest esse veritas. Igitur &c.

Ad confirmationem dicendum est, quòd benè probat quòd à dæmonibus non est propriè dicta Prophetia, quod concessum est: cum hoc tamen stat quòd dæmones hominibus ea quæ sciunt manifestant, non quidem per illuminationem propriè & strictè dictam; sed per imaginariam visionem, aut per locutionem: quæ instructio largè posset vocari illuminatio, licèt dæmones dicantur tenebræ, quia non ideò hoc dicitur, quia ipsi omninò privantur lumine.

Ad tertiam patet quid respondendum ex jam dictis: quia nec prophetæ dæmonum semper diabolo inspirante loquuntur; & concessum est quòd diabolus quandoque est inspirator veritatis: dicitur autem pater

pater mendacii, quia non à Deo, sed à se ipso habet mendacium & peccatum.... veritatem autem quam enuntiat non à se, sed à Deo, sicut & bona alia naturæ habet.

Ad confirmationem, dicendum quòd licèt diabolus non sit causa veræ Prophetiæ propriè dictæ; potest tamen esse veritatis enuntiator, etiam ad Fidei confirmationem, ut supra dictum est. Tamen inter divinam & veram Prophetiam, quâ propriè est A confirmatio Fidei, & falsam prophetiam dæmonum, quæ de per accidens ad confirmationem Fidei quandoque operatur; potest aliquo modo discerni. Unde dicit Chrysostomus, super Matheum, quòd *Quidam prophetant in spiritu diaboli, quales sunt divinatores; quidam in Spiritu Dei: sed sic discernuntur. Cùm diabolus interdùm falsum dicit, Spiritus sanctus nunquam*: Ideò dicitur: Deuteronomii. XVIII. 21. *Si tacita cognitione dixeris: quomodò possum intelligere verbum quod non est loquutus Dominus? hoc habebis signum: quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non est loquutus.*

Ex prædictis in solutione hujus dubitationis, potest haberi responsio ad secundam rationem principalem factam in principio hujus Tractatus; satis enim patet quòd inter veram & falsam Prophetiam non sufficienter distinguitur, ex hoc, quia una est de vero, alia de falso, sicut ibidem tangitur; nec ex hoc etiam distinguitur inter verum & falsum Prophetam, sicut patet ex dictis; nec etiam ex bonitate vel ma- B litia morum potest hoc sufficienter distingui, sicut ratio tangit.

Et ideò pro solutione hujus rationis, & responsione ad principalem titulum quæstionis; sunt aliquæ conclusiones declarandæ.

Prima est, quòd ad evidenter cognoscendum falsos prophetas, vel evidenter distinguendum inter veros & falsos Prophetas, aut veras & falsas Prophetias, non est ars sufficiens tradita per Scripturas sacras, vel quascunque alias: & hoc satis probat prædicta secunda ratio principalis. Item hoc aliunde potest probari. Ad cujus declarationem sciendum est, quòd sicut patet ex dictis sancti Thomæ: *super 2. Summarum. Distinctione 7. in quæstione, de cognitione dæmonum, articulo primo.* Falsi prophetæ distinguuntur à veris, ad minùs quantùm ad tria. Primò, quantùm ad causam efficientem, seu revelationis authorem, quia veri Prophetæ futura prædicunt divino lumine, scilicet vel à Deo immediatè, vel mediantibus bonis Angelis inspirati: juxta illud 2. Petri: 1. 21. *Spi- C ritu sancto inspirati, loquuti sunt sancti Dei homines* &c. Sed falsi prophetæ vel sequuntur spiritum suum, nihil videntes, sed mendacia confingentes; vel revelationem immundi spiritus. Secundò, quantùm ad causam finalem, scilicet, quantùm ad prænuntiationis intentionem; quia falsorum prophetarum finis est aliquod lucrum temporale. Juxta illud Ezech. XIII. 19. *Violant me ad populum meum, propter pugillum ordei* &c. Vel saltem ipsius dæmonis revelantis intentio perversa est, qui deceptionem intendit, sed Prophetiæ bonorum tota intentio in rectum finem ordinatur. Tertio modo differunt, quantùm ad causam formalem, seu prænuntiationis certitudinem, quia vera Prophetia nititur divinæ præscientiæ, quæ certissima est; sed falsa nititur præscientiæ dæmonum, quæ ut plurimùm, conjecturalis est & ambigua. Quarta differentia quæ supra tacta est potest addi, quantùm ad causam materialem, idest prænuntiatoris diversitatem, sci- D licet quia veri Prophetæ nunquam dicant falsa, sed falsi prophetæ licèt quandoque vera dicant, tamen plerumque falsa prænuntiant. De prædictis ergo quatuor differentiis, patet inductivè, quòd non est aliqua doctrina evidens nobis tradita, per quam possit evidenter constare. Item hoc patet, quia si de illis posset evidenter constare, sequitur quòd Fides seu Lex Christi posset evidenter probari, quod est falsum; & patet consequentia: quia cùm sancti Prophetæ prænuntiaverunt Legem Christi & veritatem ejus; si posset evidenter constare quòd essent Prophetæ veri, evidens esset Legem Christi veram esse. Igitur &c.

Secunda conclusio est, quòd ad probabiliter cognoscendum falsos prophetas, & ad verisimiliter distinguendum veras & falsas Prophetias, ars seu doctrina sufficiens tradita est per Scripturas sacras. Patet: quia per quatuor prædictas differentias in Scripturis sacris fundatas, potest ipsorum cognitio, & hujusmodi distinctio probabiliter haberi, & verisimiliter conjecturari. Unde de quatuor differentiis prædictis prima est principalis, & minùs clarè cognoscibilis; sed aliæ tres sunt aliquo modo signa per quæ de prima potest haberi probabilis cognitio, & verisimilis conjectura, & ad hoc multùm juvant illa quæ supra dicta sunt de veris & falsis Prophetis, & quæ inferiùs in tertio articulo dicentur de veris & falsis miraculis.

Tertia conclusio est, quòd ad cognoscendum falsos prophetas, & distinguendum inter veras & falsas Prophetias rationabiliter, non est ars evidens tradita, sed solùm doctrina probabilis, & conjecturativa. Patet: quia causa hujus est rationalis, ut scilicet Fides non evacuetur per evidentiam cognitionis, sed ut meritum Fidei augeatur per exercitium inquisitionis conjecturæ probabilis, sicut etiam supra dictum est de hypocritis: ubi dicit Cass. *Quare non dedit Dominus doctrinam qua cognoscerentur?* & respondet, *quia* inquit, *voluit nos esse in agone semper*, id est in exercitio, & sollicitudine, circa eorum cognitionem. Igitur quòd talis cognitio est valdè difficilis, sed etiam valdè utilis, sicut dixi de hypocritis.

Licèt autem ex prædictis pateret solutio principalis rationis; tamen pro materia sunt aliqua notanda. Et primò: circa illud quod dicitur de Hermete Trismegisto; sciendum est quòd Augustinus *De Civit Dei. Lib.* 8. c. 23. non concludit ejus Prophetiam esse à spiritu maligno, ex hoc solùm, quia ipse fuerit idolatra, sicut ibi arguitur: sed magis ex hoc quia predicando verum, miscebat falsum; quod nunquam fit per Spiritum sanctum, ut dictum est. Unde ibidem dicit Augustinus, quòd *Hermes cùm ista prædicit, velut amicus eisdem ludificationibus dæmonum loquitur*, quia scilicet non exprimit causam amotionum idolorum de Ægypto, esse adventum Christi; *sed tanquam ea tollerentur, atque delerentur, quorum observatione cœlestis similitdo custodiretur in Ægipto. Ita hæc futura deplorans, luctuosâ quodam modo prædicatione testatur.*

Secundò, notandum circa hoc quod ibi dicitur de Sibylla, quòd illa quæ prophetavit de Christo non fuit idolatra: ut de ea dicit Augustinus. *De Civit. Dei. Lib.* 18. 23. *Hac autem Sibylla, sive Erithræa, sive, ut quidam magis credunt, Cumæa, ita nihil habet in toto carmine suo, quod ad deorum falsorum cultum pertineat; quin immò. Ita etiam contra eos & contra cultores eorum loquitur, ut in eorum numero deputanda videatur, qui pertinent ad Civitatem Dei.* Et ideò hæc non est illa Sibylla de qua loquitur Virgilius, *Sexto Æneidos*, quæ fuit maga & idolatra. Pro quo contrariò notandum est quòd sicut dicit Isidorus, 8. *Ethicorum.* Sibyllæ generaliter dicuntur omnes feminæ vates, Græcâ linguâ: sicut enim omnis vir prophetans, vel vates, vel propheta dicitur; ita omnis femina prophetans Sibylla vocatur. Decem autem Sibyllæ à doctissimis Authoribus fuisse traduntur: scilicet, ut idem ait: *Celebrior inter ceteras ac nobilior, Erithræa perhibetur*: hæc autem, secundùm Augustinum fuit, quæ vaticinavit de Christo, vel etiam Cumæa, de qua Virgilius in Bucolicis Egloga. 4.

Ultima Cumæi jam venit carminis ætas.

Et hæc etiam, secundùm Isidorum, *Cumana dicta est, à Civitate Cumas quæ est in Campania.* Sed alia fuit Sibylla Phrygia, *& hæc*, ut idem ait, *vaticinata est de Anchise*: de qua etiam fortè loquitur Virgilius, *Sexto Æneidos*

nidos: Et patet de secunda ratione, & de secunda dubitatione hujus materiæ. &c.

Tertia dubitatio principalis circa materiam de prophetiis seu divinationibus dæmonum fuit, utrum omnis Prophetia, seu divinatio dæmonum sit illicita: & videtur quòd non. Primò, quia Augustinus dicit in Libro de libero arbitrio. *Quis audeat dicere disciplinam esse malum?* Et ibidem dicit, *intelligentiam malam esse non posse*. Et, secundum Aristotelem, in Libro *De anima*. *Omnis notitia est de numero bonorum honorabilium*. Sed multæ sunt artes & disciplinæ, ad notitiam & intelligentiam pertinentes, quæ tractant de divinationibus futurorum. Igitur &c. Confirmatur: quia inclinatio naturalis non est mali, seu ad malum; sed homines naturaliter inclinantur præcognoscere futura, quod pertinet ad divinationem. Igitur divinatio non est mala vel illicita. Secundò, omnis Christi actio nostra est instructio: sed Christus à dæmone interrogavit, *Quod tibi nomen est?* qui ei respondit *Legio*; *multi enim sumus*. Ut habetur. *Marc*. v. 9. Ergo sequitur quòd licitum est à dæmonibus occulta interrogare, quod ad divinationem pertinet. Confirmatur: quia Sanctorum animæ non favent illicitis interrogationibus; sed Saüli interroganti de eventu futuro à muliere habente spiritum Pytonicum, apparuit Samuel Propheta, & ei futurum eventum prædixit, ut legitur 1. *Regum*. XXVIII. Igitur &c.

Tertia divinatio quæ fit per astra, fit ministerio dæmonum; quia secundùm Augustinum 4. *Confessionum*. Planetarii & Mathematici sacrificium vel preces ad aliquem spiritum ob divinationem dirigunt: quod tamen divinatio per astra sit licita, videtur; quia licitum est ex causarum cognitione naturalium prænuntiare effectus, sicut Medici ex dispositione ægritudinis licitè prænuntiant mortem, vel futuram sanitatem; sed astra & corpora cœlestia sunt causa eorum quæ fiunt in hoc mundo; ut etiam dicit Dionysius 4.° *Cap. De Divinis nominibus*. Igitur &c. Confirmatur: quia Moyses scivit scientiam astrorum, & eâ usus est, ut in principio hujus Tractatus allegatum est ex Magistro historiarum. Abraham etiam, & multi primorum antiquorum Astronomiam sciverunt. Unde propterea Deus eis longam vitam concessit, ut ex longiori experientia, & diuturno experimento, hujusmodi scientiam acquirerent: ut dicit Josephus. Igitur &c.

Oppositum arguitur quia *Deuteronom*: XVIII. præceptum est, quòd nullus Ariolos aut Pythones consulat, aut Divinos, & tales graviter in nova Lege puniuntur. 26. *Quæstione*. 5. *qui divinationes*.

Pro hujus dubitationis solutione: Primò, videbitur quid sit divinatio, & de multiplici divinationum specie vel differentia. Secundò, de dubitatione proposita. Tertiò, de materia tertii argumenti, scilicet utrum divinatio quæ fit per Astra sit licita, & utrum Astronomia sit vera & licita scientia.

Quantùm ad primum; sciendum est quòd divinatio importat prænuntiationem eventuum futurorum: quædam autem futura præcognosci & prænuntiari possunt naturaliter; & talium prænuntiatio non dicitur propriè divinatio. Nullus enim Medicos futuras sanitates vel ægritudines prænuntiantes Divinos vocat: sed alia sunt futura, quæ naturaliter præcognosci non possunt ab homine, & quæ sint illa posteà dicetur. Et ideò quia talia præcognoscere, aut prænuntiare divinitatis est, Juxta illud Isaiæ XLI. *Annuntiate quæ futura sunt, & sciemus quia dii estis vos*. Propter hoc talium prænuntiatio propriè dicitur divinatio, & qui talia prænuntiare, nisi Deo revelante, præsumpserint, quia usurpant sibi quod solius Dei est; ideò Divini vocantur. Sed si quis, Deo revelante, talia cognoscat aut prænuntiet, talis propriè non divinat, id est quod Dei est facit; sed magis quod divinum est suscipit. Est ergo divinatio, usurpata futurorum eventuum ad solam divinam præscientiam pertinentium præcognitio, aut prænuntiatio. Unde dicit Hieronymus quòd *Divinatio non dicitur ab alicujus divini ordinata participatione, sed ab indebita usurpatione*. Et dicit Isidorus, in Libro Ethicorum. *Divini dicti sunt, quasi Deo pleni*: divinitate enim se plenos simulant, & astutiâ quadam fraudulentiæ futura conjecturant. Et sic patet quid sit divinatio propriè dicta.

A Secundò, notandum quòd diversæ sunt divinationis species, seu differentiæ, secundùm Isidorum, *in Libro, Ethicorum*: & Augustinum, *in Libro, De Divinatione*, seu *Natura dæmonum*: quas distinguit sanctus Thomas, *in Secunda Secundæ*, per hunc modum; *Quia*, ut ipse dicit, *omnis divinatio utitur ad cognitionem futuri eventus, aliquo dæmonum consilio, vel auxilio*. Et hoc fit dupliciter, scilicet, quia vel hoc consilium, seu auxilium expressè imploratur; vel præter petitionem hominum, dæmon se occultè ingerit ad prænuntiandum quædam futura hominibus ignota, & eis cognita.

Primo ergo modo dæmones expressè invocati, solent denuntiare futura multipliciter. Quandoque scilicet præstigiosis quibusdam apparitionibus, se aspectui, vel auditui hominum ingerentes; & hæc species vocatur præstigium, ex eo quòd sensus hominum præstinguntur. Quandoque autem per somnia, & hæc species vocatur divinatio somniorum, de qua satis superiùs dictum est. Quandoque verò per aliquorum mortuorum apparitionem, vel locutionem; B & hæc species vocatur Negromantia; quia ut dicit Isidorus: Græcè Νεκρομαντεία, divinatio nuncupatur, quia quibusdam incantationibus videntur suscitati mortui divinare, & ad interrogata respondere. Quandoque futura prænuntiant per homines vivos, sicut in aruspiciis patet, & hæc est divinatio per Pythones, ut idem Isidorus dicit. Pythones à Python Apolline sunt dicti, qui dicebatur esse author divinandi. Quandoque futura prænuntiant per aliquas figuras, vel signa quæ in rebus inanimatis apparent, quæ si appareant in aliquo corpore terrestri, puta in ligno, vel ferro, aut lapide politio, vocatur Geomantia. Si autem in aqua, Hydromantia. Si in aëre, Aeromantia. Si in igne, Pyromantia. Si autem in visceribus animalium immolatorum in aris dæmonum, vocatur Aruspitium.

Secundo autem modo, divinatio fit absque expressa dæmonis invocatione multipliciter. Primo modo, C cum ad præcognoscendum futura aliquid consideramus in dispositione aliarum rerum. Ut si quis conetur futura præcognoscere ex consideratione sitûs & motûs syderum. Et hoc pertinet ad Astrologos qui Geneatici dicuntur, propter naturalium considerationem dierum. Si verò per motus aut voces avium seu quorumcumque animalium, sive per sternutationes hominum, aut membrorum saltus, hoc pertinet generaliter ad Augurium, quod dicitur à garritu avium: sicut Auspicium, ab inspectione avium, quorum primum pertinet ad aures, secundum ad oculos, in avibus enim hujusmodi considerari solent. Si verò hujusmodi consideratio fiat circa verba hominum, alia intentione dicta, quâ quis retorquet ad futurum quod vult præcogoscere; hoc vocatur Omen. Nam sicut dicit Valerius Maximus *Libro primo. Cap. De Ominibus*. Ominum observatio aliquo contractu Religionis innexa est, quoniam non fortuito motu, sed D divinâ providentiâ constare creditur. Quæ effecit, ut urbe à Gallis disjecta; deliberantibus Patribus Conscriptis, utrum Veïos migrarent, an sua mœnia restituerent: fortè eo tempore Centurio quidam exclamaret: Signifer statue signum, hîc optimè manebimus. Quam vocem auditam Romani pro Omine acceperunt, transeundi consilium omittentes. Si autem considerentur aliquæ dispositiones figurarum in aliquibus corporibus visis occurrentes, erit alia divinationis species,

cies: nam ex lineamentis manûs divinatio sumpta Chyromantia vocatur, quasi divinatio manus, *chyros* enim Græcè dicitur manus. Divinatio autem, ex quibusdam futuris in spatula alicujus animalis, spatulimantia vocatur, & diversæ species divinationis notantur, secundùm ea in quibus fiunt.

Secundo modo, absque expressa dæmonum invocatione fit divinatio, ex consideratione eorum quæ eveniunt ex quibusdam quæ ab hominibus seriò fiunt, ad quid occultum inquirendum, sive per protractionem punctorum, quod pertinet ad artem Geomantiæ; sive per considerationem figurarum quæ proveniunt ex plumbo liquefacto in aquam projecto; sive ex quibusdam cedulis scriptis, vel non scriptis, in occulto repositis, dùm consideratur quis hanc vel illam accipiat; vel etiam taxilorum projectione, quis plura puncta projiciat; vel etiam dùm consideratur quid aperienti Librum occurrat, quæ omnia sortium nomen habent.

Sic igitur patet triplex esse divinationis genus: quorum primum est per expressam dæmonum invocationem, quod pertinet ad Negromanticos. Secundum autem, per solam considerationem dispositionis, vel motus alicujus rei, quod generaliter pertinet ad Augures. Tertium est, dùm facimus aliquid ut nobis manifestetur aliud occultum, quod pertinet ad Sortes: sub quolibet autem horum generum, multæ species continentur.

Tertiò, notandum à quibus istæ divinationum superstitiones processerunt. Unde Augustinus. *Libro, De natura dæmonum*: & habetur in Decreto 26. quæstione 3. & 4. Ubi quæritur, à quibus genus divinationis sumpsit exordium, quot sut divinationis genera.

Genus divinationis à Persis allatum esse fertur. Varro autem dicit divinationum quatuor esse genera, scilicet quod ad materiam, videlicet terram, aquam aërem, ignem, de quibus satis dictum est. Sed ista superstitio, secundùm Valerium Maximum, *Lib. primo*, in principio, Etrusca disciplina, id est ex more & doctrina Tusciæ, videtur processisse.

Secundò, videndum est de dubitatione proposita: & priùs dicendum est de divinatione quæ fit per expressam dæmonum invocationem. Deinde videndum de divinatione, quæ fit non per expressam, sed per tacitam confœderationem.

Quantùm ergo ad primum: dicendum est quòd omnis divinatio quæ fit per expressam dæmonum invocationem est illicita: & hoc ostenditur quadruplici ratione.

Prima sumitur ex parte principii hujusmodi divinationis, quod est quoddam pactum expresè cum dæmone initum, per ipsam dæmonis invocationem, & hoc est omninò illicitum. Unde contra tales dicitur: Isaiæ. XXVIII. 15. *Dixistis, percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Et adhuc gravius esset, si sacrificium, vel reverentia dæmoni invocato exhiberetur; quia esset idolatriæ species.

Secunda ratio sumitur ex parte finis. Dæmon enim, qui tanquam finem intendit perditionem hominum, ex hujusmodi suis responsis, etiam si aliquando vera dicat, intendit homines assuefacere ad hoc quòd sibi credatur, & tandem intendit perducere in aliquid quod sit humanæ saluti nocivum, sicut supra dictum est. Unde etiam Athanasius exponens illud Lucæ IV. 35. *Increpavit illum dicens: obmutesce.* Sic ait: *Quamvis vera fateretur dæmon; tamen Christus ejus sermonem increpavit, ne simul cum veritate etiam suam iniquitatem promulget, ut nos etiam assuefaciat, ne curemus de talibus, etsi vera loqui videatur: nefas enim est ut cum adsit nobis Scriptura divina, à diabolo instruamur.*

Tertia sumitur ex parte superstitionis; quia secundùm Augustinum 2. Lib. De Doctrina Christiana. *Quidquid procedit ex societate dæmonum & hominum, superstitiosum est.* Superstitio autem est Religioni contraria; quia sicut Religio est debitus cultus Deitatis, sic superstitio est indebitus cultus, & ideò omnis divinatio quæ fit per pactum, vel societatem cum dæmonibus, est superstitio illicita.

Quarta ratio sumitur ex parte divini honoris: & illa quæ sunt supra facultatem naturæ à solo Deo qui est supra naturam expetenda sunt; & ideò sicut contra Dei honorem graviùs peccant qui illud quod est
A Dei per idolatriæ cultum creaturæ impendunt; ita & illi qui ea quæ à Deo expetenda sunt auxilio dæmonum implorant: & hujusmodi est vaticinatio de futuris, quæ per facultatem humanam sciri nequeunt, & similiter etiam alia opera magica quæ à dæmonibus exquiruntur. In omnibus enim est apostasia quædam à Fide, per pactum initum cum dæmone; vel verbo tenùs, si invocatio intersit; vel facto aliquo, etiam si sacrificia desint: Nam in hiis serviendo diabolo, derogatur honori & servitio divino; quia, sicut dicitur Mathei. VI. 24. *Nemo potest duobus Domini servire*, scilicet *Deo & Mammonæ*. Igitur &c. Sed huic ultimæ rationi, contra illud quod dictum est, quòd non licet uti ministerio dæmonum: objicitur quia Paulus Apostolus quemdam tradidit satanæ, *in interitum carnis*, ut dicitur 1. *Corinth.* V. 5. Sed ex hoc non dicitur peccasse. Igitur licet uti obsequio dæmonum.

B Ad hoc respondetur quòd Paulus & alii Sancti, legitur aliqua per dæmones fecisse; non pacto cum eis inito, sed in eos divinam virtutem & authoritatem exercendo, sicut etiam præsentatum cœlestium officium dicitur dæmones arcere. Et sicut dictum est de pacto vel confœderatione cum dæmonibus; ita dicendum est, & inditum esse videtur de malis seu damnatis hominibus, postquam ab hac vita in damnationem decedunt, juxta illud Deuteronomi. XVIII. 11. *Non inveniatur in te qui quærat à mortuis veritatem.* Sed quamdiù vivunt, quia membra Christi fieri possunt, quantumcumque videantur in malitia obstinati, ab eis auxilia recipi possunt, & ab eis impendi obsequia; dum tamen charitatis ordo servetur.

Tunc ad rationes in principio hujus dubii factas. Ad primam dicendum est quòd artes quædam disciplinæ sunt ad præcognoscendum futuros eventus qui ex naturali necessitate vel frequenter proveniunt, quod ad divinationem non pertinet; sed ad alios futuros eventus cognoscendos. Non sunt aliquæ veræ artes
C seu disciplinæ, sed fallaces & vanæ, ex deceptione dæmonum introductæ; ut dicit Augustinus. 21. *De Civitate Dei.*

Sed ad confirmationem dicendum est quòd homo habet naturalem inclinationem ad cognoscendum futura, secundùm humanum modum, non autem secundùm indebitum divinationis modum. Immò talis inclinatio est inordinata, & innaturalis. Unde Statius Thebaïdos egregius Poeta, inquirens unde in Orbem venerit mortalibus iste appetitus, & unde æger crevit amor &c. subdit, quod id non est ex munere divino, & sequitur *sed ipsi gens avida* &c. quasi dicens quòd amor sciendi futura, procedit ex aviditate, & mordicaci affectione humana. Et ideò magicæ artes tanquam artes fallaces & vanæ non solùm ex sacris Scripturis; sed etiam à Philosophis ostenduntur illicitæ, nec solùm divina Lege, sed etiam humanis Legislatorum Constitutionibus condemnantur, sicut ostendit Augus-
D tinus 8. *De Civitate Dei.* Cap 19. dicens: *Cur enim tam graviter ista plectuntur severitate Legum si opera sunt numinum colendorum.* Ubi notat Leges XII. Tabularum, quæ ab Atheniensibus conditæ, & à Romanis receptæ sunt, de quibus posteà in eodem capite subdit. *Nonne in duodecim Tabulis, id est Romanorum antiquissimis Legibus Cicero commemorat esse conscriptum ei qui hoc fecerit, id est qui artem magicam exercuerit supplicium constitutum.* Et hoc quod hic à Cicerone allegatur, habetur in Libro, *De Republica.* Allegat etiam ibi Au-

Augustinus dictum Virgilii, quod habetur 4.° *Æneidos*: ubi Dido alloquitur Annam sororem suam: detestando artes magicas, dicens se invitam accingi artes magicas, idest invitè uti artibus magicis tanquam illicitis. Unde ait.

Testor cara Deos, & te germana tuumque
Dulce caput magicas invitam accingier artes.

Accingi autem idem est quod uti ad suam defensionem, vel studere aut expedire. Ad hoc etiam inducit dictum Virgili alio loco, scilicet *in Bucolicis. Eclog.* 8. ubi improbando artes magicas dicit

Atque satas aliò vidi traducere messes.

A Quod ideò dictum est, ut ait Augustinus, quia hac *pestiferâ sceleratâque doctrinâ, fructus alieni in alias terras transferri perhibentur.* Insuper allegat authoritatem Apulei, qui *apud Christianos Judices de magicis artibus accusatus est* &c. Et notat ibi Augustinus Libellum Apulei quem intitulavit *De Magica.* & incipit. *Certus equidem eram, proque vero obtinebam.* ubi continetur ejus oratio agitata sub Claudio Maximo Proconsule, qua deffendit se contra æmulum suum, eum de magica accusantem, & ibi objecta negat; quod non debuisset fecisse, si reputasset magicas artes esse licitas. Tamen Augustinus, Epistolâ primâ ad Marcellinum dicit eum in illa oratione *se falsò deffendisse, & artibus magicis intendisse*, de quo infra dicetur. Patet ergo ex omnibus, quòd non licet uti artibus magicis, nec etiam appetere scire eas, propter usum ipsarum. Unde dicit sanctus Thomas in quadam quæstione de quarto quolibet, quòd si quis appetat eas scire, ut eas confutet & reprobet, sic est bonum & licitum: dum tamen earum notitiam non præferat aliis utilioribus rebus, & non sit talis persona ad quam hoc non pertineat scire: aliter hoc inordinatè appetit. Ex dicto videtur sequi quòd ad Theologos pertineat de artibus magicis scire, scilicet ad finem prædictum. Et hæc de prima ratione.

Ad secundam dicendum est, quòd aliud est quærere aliquid à dæmone spontè occurrente; quod quandoque licet, propter utilitatem aliorum, maximè quando, virtute divina, potest compelli ad aliqua vera dicendum: & aliud est dæmonem invocare, ad habendum ab eo cognitionem occultorum. Secundum non fecit Christus, sed primum. Et sicut dicit Beda super Luc. VIII. *Non velut inscius Dominus inquirit, sed ut confessa peste quam tolerat, virtus curantis gratior emicaret.*

C Ad confirmationem dicendum est quòd sicut ait Augustinus *Lib.* 2. ad Simplicianum. „ Non est absurdum credere, ex aliqua dispensatione divinæ voluntatis permissum fuisse, ut non invitus, nec dominante atque subjugante magicâ potentiâ, sed volens, atque obtemperans occultæ dispensationi Dei, quæ & Pythonissam illam & Saülem latebat, consentiret spiritus Prophætæ sancti, se ostendi aspectibus Regis, divinâ eum sententiâ percussurus. Ut non verè spiritum Samuëlis à requie sua excitatum esse credamus; sed aliquod phantasma, & illusionem imaginariam diaboli machinationibus factam, quam propterea Scriptura Samuëlis nomine appellat, sicut solent imagines, rerum suarum nominibus appellari. „

D Ad tertiam patebit inferiùs; sed adhuc specialiter dicendum est de divinatione quæ fit expressa dæmonum invocatione. &c. Hîc est præmittenda hæc distinctio, quòd cùm divinatio, ut prædictum est, importet quamdam futurorum præcognitionem, seu prænuntiationem, hujusmodi futura dupliciter præcognosci possunt. Uno modo in seipsis, & hic modus non est ad propositum, quia sic præcognoscere futura, non est naturalis humanæ facultatis. Alio modo possunt præcognosci in suis causis; & hoc tripliciter, secundùm quod causæ futurorum tripliciter se habent: quædam enim producunt ex naturali necessitate, & semper, suos effectus; & futura per certitudinem possunt præcognosci, & ex cognitione suarum causarum prænuntiari, sicut Astrologi prænuntiant eclypses futuras: quædam vero causæ producunt suos effectus, non ex necessitate naturæ, & semper, sed in particularibus; & frequenter, raro tamen deficiunt: & possunt præcognosci eventus futuri, non quidem per certitudinem, sed per quamdam conjecturam; sicut Astrologi, per considerationem stellarum quædam præcognoscere & prænuntiare possunt de pluviis & siccitatibus; & Medici, de sanitate vel morte: quædam verò causæ sunt, quæ si secundùm se considerentur, se habent ad utrumlibet; quod præcipuè videtur de potentiis rationabilibus & liberis, quæ se habent ad opposita, secundùm Philosophos & Theologos. Et tales effectus hujusmodi causarum, per considerationem earum præcognosci non possunt; quia eorum causæ non sunt ad eos determinatæ, & ideò cognosci non possunt, nisi in se ipsis considerentur, quod fieri non potest ab homine, nisi dùm ei præsentia sunt; sicut cum homo videt fortè currere vel ambulare: sed talia antequam fiant in se ipsis præcognoscere, est proprium Dei præscientiæ, qui solus in sua æternitate videt futura quasi essent præsentia, & ideò dicitur Isaiæ. XLI. 13. *Annuntiate quæ ventura sunt, & sciemus quoniam dii estis vos.*

B Hac distinctione præmissa, potest poni hæc generalis regula, quòd omnis futurorum præcognitio, aut prænuntiatio humana, quæ non nititur divinæ revelationi, aut humanæ rationi naturali, est divinatio illicita. Patet: quia in omni tali divinatione, homo usurpat quod Dei est, & hoc est illicitum, etiam si in hoc non interveniat expressa dæmonis invocatio, sicut patet ex descriptione divinationis, & aliis supradictis. Si quis autem prænuntiet ea quæ ex causis naturalibus necessariò, vel ut in particularibus eveniunt, nitendo humanæ rationi naturali; vel etiam si quis alia futura contingentia prænuntiet, non quidem nitendo humanæ rationi, sed divinæ revelationi, non est illicitum, nec est propriè divinatio, quia non est indebita, seu indebito modo usurpata futurorum prænuntiatio.

Ex hac regula sequuntur aliqua corollaria. Primum est, quòd prænuntiatio futurorum per Auguria vel per Omina, aut per alias hujusmodi rerum exteriorum observantias, est divinatio illicita. Et hoc verum est, in quantum hujusmodi divinatio extenditur ultra id quod potest pertinere, secundùm ordinem naturæ, vel divinæ providentiæ, & sic intelligitur Deut. XVIII. 10. *Non inveniatur in te qui observet auguria.* Unde hiis qui talibus nituntur communiter malè evenit: nam Augurium fuit occasio quare Romulus interfecit Remum fratrem suum, sicut narrat Livius. *Lib.* 1. *Prima Decadis.* De quo fratricidio dicit Lucanus.

Fraterno primi maduerunt sanguine muri

Et quod dicitur de Auguriis, consimili ratione intelligendum est de Ominibus, & de quibuslibet vanis observantiis, ad præcognitionem futurorum, vel notitiam occultorum pertinentibus, sicut sunt illæ de quibus dicit Augustinus 2. *De Doctrina Christiana.* quòd *Ad pacta cum dæmonibus inita, pertinent millia inaniarum observationum.* Puta, si membrum aliquod salierit, si junctim ambulantibus amicis, lapis aut canis aut puer medius intervenerit..... limen calcare cùm ante domum suam transit; redire ad lectum, si quis dum se calciat sternutaverit; redire domum, si procedens offenderit: cùm vestis à soricibus roditur, plùs timere superstitionem mali futuri, quàm præsens damnem dolere. Ex eadem ratione dicendum est de observantiis artis notoriæ, quæ fiunt ratione scientiæ acquirendæ. Unde ibidem dicit Augustinus, quòd *Ars notoria penitùs est repudianda & fugienda Christiano, sicut & alia artes nugotaria, vel noxia superstitionis.* Unde hujus artis usus in errorem inducit: nam quidam Apollonius hujus artis superstitiosus Author, dicit,

cit, se Magistrum omnium Artium Liberalium: in Prologo Libri sui asserit Salomonem hac arte ad Sapientiam pervenisse, quod erroneum est, & contra historiam sacræ Scripturæ. 3. *Reg.* III. secunda pars probatur. Primò, narratur ipsum à Deo sapientiam & scientiam per infusionem habuisse. Item sequitur quòd idem & eadem ratione dicendum est de vanis quibusdam observantiis quæ fiunt ad immutationem corporum, puta ad sanitatem humanam, vel alicujus hominis gratiam consequendam, aut aliquid hujusmodi; sicut est divina verba ad collum A portare, vel aliquam herbam sub certis observantiis colligere vel deferre, de quibus habetur. 26. *quæstione* 6. *Cap. Non liceat*, Ad hoc propositum pulchrè loquitur Chrysostomus super Matheum. „ Quidam, *inquit*, aliquam partem Evangelii scriptam circa collum portant: sed nonne quotidie Evangelium in Ecclesia legitur & auditur ab omnibus. Cui ergo in auribus posita Evangelia prosunt nihil; quomodò eum possunt circa collum suspensa salvare? *Deinde*: ubi est virtus Evangelii; in figuris litterarum, aut in intellectu sensuum? Si in figuris ad collum suspensis, si in intellectu: ergo meliùs in corde posita prosunt, quàm circà collum suspensa.

Quintò, principaliter sequitur, quòd prænuntiare futura per divinationem sortium, est illicitum. Unde 26. *quæstione* 6. dicitur. „ Sortes quas, *scilicet* Patres damnaverunt, nihil aliud quàm divinatio- B nes & maleficia decernimus, quam ob rem volumus omninò illas damnari, & ultra inter Christianos nolumus nominari, & ne exerceantur anathematis interdicto prohibemus. „

Sertò sequitur, quòd prænuntiare futura per divinationem somniorum est illicitum. Unde dicitur Deuteronomii. XVIII. 10. *Non inveniatur in te qui observet somnia.* Qualiter autem hoc sit verum, & ad quid se extendant somnia, dictum est supra.

Sed contra prædicta multipliciter objicitur. Et primò, contra primum corollarium, quia aves aliquæ circa futuros temporum eventus naturaliter cognoscunt, secundùm illud Jeremiæ. VIII. 7. *Milvus in cœlo cognovit tempus suum, turtur & irundo & ciconia custodierunt tempus adventus sui.* Sed naturalis cognitio est à Deo, nec est damnabilis, ergo uti cognitione a- C vium in præcognitione futurorum, quod est augurari, non videtur illicitum.

Confirmatur: quia si hoc esset illicitum, Sancti viri Augurio non usi fuissent. Sed de Joseph legitur. Gen. XLIV. 5. quòd ejus Dispensator dicit. *Scyphus quem furati estis, ipse est in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet.* Et ipsemet dicit fratibus suis. ℣. 15. *An ignoratis quòd non sit similis mei in augurandi scientia?* Igitur divinatio per auguria non est illicita.

Secundò. Arguitur contra tertium corollarium de observantiis artis notoriæ; quia aliquid dupliciter esse dicitur illicitum: uno modo, secundùm genus operis, sicut homicidium vel furtum: alio modo, ex parte finis, sicut dare eleemosynam propter inanem gloriam: sed neutro modo ars notoria videtur illicita. Non primo modo; quia illa quæ in ea observantur sunt jejunia & orationes ad Deum, quæ ex genere operis sunt licita: nec etiam secundo modo, quia talia observantur ad scientiam acquirendam, qui finis D est licitus. Igitur &c.

Confirmatur: quia *Dan.* I. 17. dicitur quòd *pueris* abstinentibus *dedit Deus scientiam & disciplinam, in omni Libro & sapientia.* Sed tales abstinentiæ observantur in arte notoria. Igitur &c.

Tertiò. Arguitur contra quintum corollarium quòd licitum sit uti sortibus: quia pugna pugilum quæ Monomachia dicitur, idest singularis concertatio, à *monos*, quod est unum, & *machia*, quod est pugna, quasi unius pugna. Similiter etiam Judicia ignis & aquæ, quæ dicuntur vulgaria, videntur ad sortes pertinere, cùm per ea aliqua exquirantur occulta. Sed talia non videntur esse illicita; quia legitur quòd David cum Philisteo singulare habuit certamen. 1. *Reg.* XVII. Talia etiam à Legibus civilibus approbantur. Igitur &c.

Confirmatur: quia Sancti viri, tàm in veteri, quàm in novo Testamento, inveniuntur usi fuisse sortibus. Unde *Josue.* VII. legitur quòd ipse ex Præcepto Domini Judicio sortium punivit Achor, qui de anathemate surripuerat. Similiter 1. *Reg.* XIV. Saül sorte deprehendit Jonatham comedisse mel. Et Jonas à facie Domini fugiens sorte deprehensus est, & in mare dejectus: *Jona.* I. Et similiter legitur. *Actuum* I. quod sorte Mathias ab Apostolis est in Apostolatum electus. Igitur licitum est uti sortibus.

Ad primum respondetur: quòd motus vel garritus avium, vel aliæ quæcumque dispositiones, in hujusmodi rebus, in quibus fiunt Auguria, cùm non sint causæ futurorum, nec ex eis, tanquam ex causis, cognoscuntur futura: oportet, si aliquo modo ex eis cognoscitur, quòd hoc fit in quantum sunt effectus aliquarum causarum, quæ causant vel præcognoscunt futuros eventus. Causa verò operationum brutorum, est instinctus quidam naturalis qui ex duplici causa potest procedere. Uno modo ex causa corporali, quia subjacent dispositioni corporum continentium, & principaliter, seu primordialiter cœlestium: & ideò nihil prohibet aliquas eorum operationes esse futurorum signa, in quantum conformantur dispositionibus corporum cœlestium, & aëris continentis, ex quibus proveniunt aliqui futuri eventus. In hoc tamen duo sunt consideranda: primò, ut hujusmodi operationes non extendantur, nisi ad præcognoscendum futura quæ causantur per motus cœlestium corporum, ut infra dicetur. Secundum est, ut non extendantur, nisi ad ea quæ aliqualiter possunt ad hujusmodi animalia pertinere: consequuntur enim per cœlestia corpora cognitionem quamdam naturalem, & instinctum ad ea quæ eorum vitæ sunt necessaria: sicut sunt immutationes quæ fiunt per pluvias & ventos, & alia hujusmodi. Alio modo instinctus hujusmodi causantur ex causa spirituali, scilicet vel ex Deo, sicut patet in columba super Christum descendente, & in corvo qui pavit Eliam; vel etiam ex dæmonibus, qui quandoque utuntur hujusmodi operationibus brutorum, ad implicandas animas vanis opinionibus. Et eadem ratio videtur esse de omnibus aliis hujusmodi, quæ non referuntur ad naturalem rationem, vel divinam providentiam. In omnibus talibus Auguriis, vel aliis divinationibus, si extendantur ultra illud ad quod possunt pertinere ex ordine naturæ, vel divinæ providentiæ, sunt superstitiones illicitæ. Nec contra hoc est prima ratio; quia authoritas ibidem allegata loquitur de cognitione avium, respectu eorum quæ ad eas pertinent: & ad hæc præcognoscenda considerare earum motus & voces non est illicitum; sicut si quis ex hoc quod cornicula frequenter crocitat, prædicat pluviam citò esse futuram.

Ad confirmationem dicendum est, quòd Joseph illud asseruit jocosè, non seriosè, secundùm Augustinum: referens fortè hoc ad illud quod vulgus de eo opinabatur, & etiam Dispensator ejus loquutus est.

Ad secundum dicendum est, quòd ars notoria ad scientiam acquirendam utitur quibusdam, quæ non habent secundùm se virtutem causandi scientiam; sicut inspectione quarumdam figurarum, & prolatione quorumdam ignotorum verborum, & aliis hujusmodi Et ideò ars non utitur eis ut causis, sed ut signis. Unde cum ista non sint signa; relinquitur quòd sint supervacua, & per consequens quodammodo pertinentia ad pacta quædam significationum cum dæmonibus fœderata: & ideò ars ista, sicut dictum est, est illicita.

Unde ad rationem respondetur, quòd acquirere scientiam bonum est; sed ad hunc finem bonum tendere modo indebito, non est bonum: & hoc

modo tendit ars notoria ad illum finem ; quia cum ad hoc non tendat per modum homini naturalem, consequens est quòd iste effectus expectetur vel à dæmonibus, vel à Deo: sed hoc non debet à dæmonibus exspectari; quia ad eos non pertinet intellectum per scientiam illuminare, seu ab ignorantia expurgare. Quia sicut docet Augustinus. Lib. x. cap. 9. *De Civitate Dei*, contra Porphirium : *Ex operationibus dæmonum intellectuali animæ nihil purgationis accedit*, A ut infra dicetur. Nec etiam à Deo, quia licèt constet aliquos à Deo scientiam per infusionem habuisse, sicut supra dictum est de Salomone: *Lucæ*. XXI. 15. dicitur. *Ego dabo vobis os & sapientiam , cui non poterunt resistere , & contradicere adversarii vestri*. Tamen hoc donum non datur unicuique, aut cum certa observatione, sed secundùm arbitrium Spiritus sancti; juxta illud 1. ad Chorinthios XII. 8. *Alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ : alii sermo scientiæ*, &c. Et sequitur. ℣. 11. *Hæc omina operatur unus atque idem Spiritus sanctus, dividens singulis prout vult*. Et ideò apparet quòd observatio hujus vanitatis non solùm est illicita, sed etiam inefficax & inutilis. Unde ad confirmationem patet responsio : quia illi pueri non abstinebant secundùm vanam observantiam artis notoriæ ; sed secundùm authoritatem Legis divinæ, nolentes inquinari cibis Gentilium : & ideò ex merito obe- B dientiæ consecuti sunt à Deo sapientiam, juxta illud Psalmi CXVIII. 10. *Super senes intellexi quia Mandata tua exquisivi* &c.

Ad tertium respondetur quòd sors tripliciter distinguitur: quia si aliquid quæratur sorte , cui sit exhibendum, sive res sit possessa, sive honor, sive dignitas, sive pœna, aut actio aliqua ; vocatur sors divisoria. Si autem inquiratur quid agere opporteat, vocatur sors consultoria. Si verò inquiratur quid sit futurum, vocatur sors divinatoria. In hiis autem tripliciter potest ex sorte exspectari aliquorum actuum eventus. Uno modo, ex stellarum dispositione vel influentia, & si hac intentione quis utatur sorte in actibus humanis liberis, & ut in eis ex constellationibus aliquem sortiatur effectum; dicit sanctus Thomas quòd est vana, & falsa opinio, & per consequens non carens dæmonum ingestione: ideò talis divinatio est illicita. Secundo modo , in talibus potest exspectari eventus ex fortuna, & hoc locum habere C potest in sorte divisoria, & ibi non videtur locum habere vitium , nisi vitium vanitatis; ut si aliqui non volentes aliquid concorditer dividere , velint ad divisionem sortibus uti, quasi fortunæ exponentes quid cujus sit Tertio modo, potest exspectari hujusmodi eventus ex aliqua spirituali causa , & si hoc à dæmonibus exspectetur , illicitum est , sicut *Ezechiel*. XXI. 21. legitur de Rege Babylonis. Si verò à Deo, hoc ex se non est illicitum, ut dicit Augustinus, juxta illud Proverbiorum XVI. 33. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur*.

In hoc tamen potest incidere pactum quatuor modis. Primò. Si absque ulla necessitate ad sortes recurratur, quia hoc videtur ad Dei tentationem pertinere. Secundò. Si quis etiam in necessitate, absque reverentia sortibus utatur, sicut notat Beda *super Actibus Apostolorum*. Tertiò. Si divina oracula ad terre- D na negotia convertantur, sicut notat Augustinus ad inquisitiones Januarii. Quartò. Si in electionibus Ecclesiasticis quæ ex Spiritus sancti inspiratione fieri debent, in sortibus confidatur: secùs autem est in temporalibus dignitatibus quæ ad terrena disponenda ordinantur. Si verò necessitas immineat, licitum est, cum debita reverentia , sortibus divinum Judicium implorare, sicut notat Augustinus *in Epistola*, *ad Honoratum*, & in primo, *De Doctrina Christiana*. Et hoc modo usi sunt Sancti sortibus, sicut in confirmatione rationis allegatum est. Unde Beda, ubi supra, dicit: „ Si qui putant , necessitate aliqua Deum sortibus, „ exemplo Apostolorum, esse consulendum : vi„ deant hoc ipsos Apostolos, non nisi collecto fra„ trum cœtu , & precibus ad Deum fusis egis„ se &c.„

Ad rationem autem principalem dicendum est, quòd Judicium ferri calentis , vel aquæ ferventis, in quantùm ordinatur ad alicujus peccati occulti inquisitionem, convenit cum sortibus : sed tamen in quantùm in hoc exspectatur aliquis effectus miraculosus, excedit communem sortis rationem : unde hoc illicitum redditur, tùm quia ordinatur ad judicanda occulta, quæ divino Judicio reservantur, cùm quia hujusmodi Judicium divina authoritate non sancitur vel approbatur. Sicut patet 2. *Quæst*. 5. ex Decreto Stephani Papæ. Et eadem ratio esse videtur de Judicio Monomachiæ, seu Lege vel consuetudine duellorum, nisi quòd plus accedit ad communem rationem sortium, in quantùm non exspectatur ibi miraculosus eventus, nisi fortè quando pugiles sunt valdè dispares virtute vel arte. Et hæc de 2. parte hujus dubitationis.

Tertiò. Videndum est utrum divinatio quæ fit per astra sit licita. Et arguitur quòd sic , quia Astronomia est scientia licita; & tamen hujusmodi scientia divinat, idest futura denuntiat per astra, quia inde dicitur Astronomia vel Astrologia. Igitur &c. Minor patet, & Major probatur. Primò, quia Astronomia est una de scientiis seu Artibus Liberalibus, quæ per excellentiam quamdam dicuntur Liberales, quia in eis olim vacabant positi in apice libertatis. Unde Hugo, *in Didascalicon* , & Isidorus. 3. *Ethicorum*, Reges Egypti, sicut Ptolomeum & reliquos, asserunt hiis artibus sic fuisse imbutos, quòd non solùm noverunt à prioribus tradita , sed addiderunt etiam, componentes Libros posteris profuturos.

Similiter idem de Romanis legitur , ut patet de Numa Pompilio , quô post Romulum secundô regnante, Imperium Romanum, secundùm Titum Livium incredibili crevit augmento. Iste autem in Astronomia plenissimè doctus fuit, fecitque Romanis Kalendarium , & in duodecim Menses Annum divisit, teste Ovidio in Libro *Fastorum*. Sic etiam Scipio Africanus Romanorum optimus, Carthagine subacta, naturas & cursus syderum perfectè descripsit, prout narrat Tullius *De Republica. Lib*. 6.

Sed etiam non solùm Gentiles , immò & fideles Astronomiam scrutati sunt. Unde ille Rex pacificus Salomon profitebatur se scire dispositionem Orbis terrarum , & virtutes Elementorum, commutationes temporum, Anni cursus, & stellarum dispositiones, & reliqua quæ recitantur *Sapientiæ*. 7. Cap.

Similiter & Sanctus Job , tanquam Astronomiæ doctus, in Libro suo de stellis loquitur, & sæpè eas propriis nominibus designat. Insuper Moyses Dux Hebræorum , ut historiæ scolasticæ referunt , fuit vir peritus astrorum, ut supra tactum est. Immò, ut antiquiora referamus, quidam ostendunt Libros de hac scientia, ab Adam, ab Enoch, & à filiis Noë intitulatos : & Josephus asserit Abraham sanctum Patriarcham primum instruxisse Ægyptios Astronomiam. Unde & in primo Libro *Antiquitatum*, loquens de longissimis annorum spatiis, sic dicit. *Demùm, propter virtutes & gloriosas utilitates quas jugiter perscrutabantur; idest Astrologiam & Geometriam , Deus eis ampliùs vivendi spatia condonavisset*. Ex quibus authoritatibus & exemplis patet quòd Astrologia est scientia licita, seu Ars Liberalis utilis & honesta.

Secundò. Hoc ipsum confirmatur ratione; quia scientia humana per experimentum originem sumit , ut patet per Philosophum, in principio Mechanicæ: sed per multa experimenta compertum est, ex consideratione syderum , multa futura per Astronomiam posse præcognosci. Igitur &c.

Op-

Oppositum arguitur authoritate Augustini, 4. *Confessionum* supra allegata. Ubi dicit „ Illos Planetarios „ quos Mechanicos vocant, sacrificia & preces ad „ aliquem spiritum ob divinationem dirigere, quod „ tamen Christiana pietas expellit & damnat. „ & *Lib. 5. De Civitate Dei. cap. 7.* concludit: „ Cùm „ Astrologi mirabiliter vera respondent, occulto „ instinctu fieri spirituum non bonorum „ &c. Igi- „ tur &c.

Circa istam materiam, doctrinam Sanctorum & Doctorum sequendo, tria declarare propono.

Primò, videbitur de vi astrorum, seu de eorum virtute & efficacia.
Secundò, de habitudine ipsorum ad præcognoscendum futura.
Tertiò, de Astronomia, & quæ pars ipsius sit licita, & quæ illicita.

Quantùm ad primum, sciendum est quòd nullus potest rationabiliter negare cœli & astrorum virtutem & efficaciam in ista inferiora, quia hoc esset negare sensum & experientiam. Sed in modo ponendi quidam erraverunt, præcipuè quantùm ad ea quæ humanos actus concernunt. Unde circa hoc tangit Augustinus quatuor opiniones, *Lib. 5. De Civitate Dei. Cap. 1.*

Prima opinio est illorum, „ qui sine Dei voluntate decernere opinantur sydera quid agamus, vel „ quid bonorum habeamus, malorum ve patimur. „ Sed Hæc opinio, *Ut Augustinus dicit*, ab auribus omnium repellenda est, non solùm illorum „ qui veram Religionem tenent, sed etiam illorum „ qui deorum qualiumcumque, licèt falsorum, volunt esse cultores: quia ipsa nihil aliud agit, nisi „ ut nullus omnino colatur, aut rogetur Deus. „ Et ratio hujus est, quia „ si sine Dei providentia, quadam fatali necessitate, omnia fierent, frustra in „ Deo ponerentur spes & preces: „ sicut dicit *Boetius*: & per consequens Deus ab hominibus inutiliter coleretur.

Secunda opinio illorum est, *qui positionem stellarum quodam modo decernentium qualis quisque sit, & quid ei proveniat boni, quidve mali accidat, ex Dei voluntate suspendunt*, idest, dependere asserunt, *si easdem stellas putant habere hanc potestatem traditam sibi à summa illius potestate, ut volentes ista decernant.* Et loquitur Augustinus quòd stellæ haberent voluntatem vel arbitrium voluntatis; quia veluti suo decreto nostris agendis Legem imponerent; quod potest intelligi similitudinariè, ut stellarum voluntas intelligatur earum potestas; vel hoc ad ipsas intelligentias quæ stellis & orbibus cœlestibus assistunt potest referri, quæ utique voluntatem habere noscuntur. Sed hanc opinionem improbat Augustinus, dicens quòd, „ Magnam cœlo faciunt injuriam, „ qui sic opinantur; „ in cujus velut clarissimo Senatu ac splendidissima „ Curia opinantur scelera facienda decerni, qualia „ si aliqua terrena civitas decrevisset, genere humano decernente, fuerat evertenda „. Secundò, contra eum arguit dicens: „ Quale deindè Judicium „ de hominum factis Deo relinquitur, quibus cœlestis necessitas adhibetur, cùm Dominus ille sit „ syderum & hominum?

Tertia opinio est illorum qui *non dicunt, stellas, accepta quidem potestate à summo Deo, arbitrio suo ista decernere; sed in talibus necessitatibus ingerendis illius omninò jussa complere.* Sed hanc improbat Augustinus. Dicens: *Itane de ipso Deo sentiendum est, quod indignissimum visum est de stellarum voluntate sentire?* quasi dicens, quòd indignum est sentire de Deo quòd ipso decernente, vel jubente hominum scelera fiunt, cùm indignum sit hoc attribuere decreto syderum, ut contra secundam opinionem dictum est. Hæc autem tertia opinio potest & malè, & benè intelligi: si enim intelligatur quòd stellæ non suum, sed divinum arbitrium, seu decretum sequantur, ac omninò Dei jussa implent, etiam in sceleribus ingerendis possunt ingerere; notaret qualitatem seu efficientiam incitantem aut cogentem: hoc utique falsum est, quia sic intelligendo, hujusmodi opinio ab hominibus scelera committentibus arbitrii libertatem aufferret; si hoc verò intelligatur, quòd stellæ cooperando divinæ voluntati & ordinationi, seu jussioni; scelera ingerunt, aut possunt ingerere, notaret qualitatem, seu efficientiam disponentem & inclinantem. Hoc satis probabile est, ut infra patebit.

Quarta opinio est dicentium *stellas significare potiùs ista, quam facere, ut quasi locutio quædam sit illa positio,* seu dispositio syderum *prædicens futura, non agens.* Unde dicit Augustinus quòd *Non mediocriter Doctorum hominum fuit ista sententia.* Subdit tamen quòd *non ita solent loqui Mathematici, ut, verbi gratiâ, dicant: Mars ita positus homicidam significat, sed, homicidam facit.* Licèt autem, ut Augustinus ait, Astronomi non ita communiter loquantur. Tamen Albumazar, *Lib. de Judiciis,* verbo significationis utitur. Dicit quòd *Mars significat, secundùm unam sui partem, interfectionem & latrocinia.* Sed quidquid sit de isto modo loquendi, quia hanc opinionem arguit Augustinus, *Ibid.* & facit rationem de duobus geminis simul & sub eadem syderum positione conceptis, quærendo ab Astronomis: „ Cur in vita geminorum, in actio- „ nibus, in eventis, in professionibus, artibus, hono- „ ribus, ceterisque rebus ad humanam vitam perti- „ nentibus, atque in ipsa morte sit plerumque tan- „ ta diversitas, ut similiores eis sint, quantùm ad „ hæc attinent, multi extranei, quàm ipsi inter se „ gemini perexiguo temporis intervallo in nascen- „ do separati, in conceptu autem per unum con- „ cubitum uno etiam momento seminati? „ Non enim videtur quòd significationem istorum tàm diversorum effectuum possint assignari ex positione syderum; sicut posteà in sequentibus capitulis diffusè prosequitur. Sed quia ista ratio etiam videtur procedere, sive astra ponantur efficere, sive solùm concedantur significare futura: ideò ad præsens, ratio prædicta judiscussa, sed posteà prosequenda relinquitur, & contra opinionem præmissam aliter arguitur. Unde sanctus Thomas in *Secunda Secundæ*, improbat opinionem illorum qui dixerunt, quòd stellæ significant potiùs quàm faciant ea quæ ex eorum consideratione prænuntiantur; quod hoc dicitur per istam rationem, quia omne corporale signum, vel est effectus ejus cujus est signum, sicut fumus significat ignem à quo causatur; vel procedit ab eadem causa; & dùm significat causam, per consequens aliquo modo significat effectum; sicut Iris quandoque significat serenitatem, in quantum causa ejus est causa serenitatis. Sed non potest dici quòd dispositiones cœlestium corporum & motus, sint effectus futurorum eventuum, nec etiam possunt reduci in aliquam causam generalem quæ sit corporalis. Possunt autem reduci in aliquam causam generalem spiritualem, quæ est providentia divina: sed alia ratione disponuntur à divina providentia motus & situs cœlestium corporum, & alia ratione eventus futurorum contingentium, quia illa disponuntur secundùm rationem necessitatis, scilicet naturalis, ut semper eodem modo proveniant: hæc autem secundùm rationem contingentiæ, ut variabilibus contingunt. Unde concludit quòd non potest esse quòd ex inspectione syderum accipiatur eventus futurorum, nisi sicut ex causis præcognoscuntur effectus, & hoc utique verum est. Et patet primum declarandum, scilicet quòd in astris est vis seu virtus effectiva, etiam respectu futurorum: sed qualiter hoc fit, magis posteà declarabitur. Et hoc de primo.

Quantùm ad secundùm, in quo videndum est de habitudine astrorum ad præcognitionem futurorum: sciendum est quòd juxta doctrinam sancti Thomæ, loco

loco præallegato. Divinatio illa futurorum est illicita, quæ ex opinione falsa vel vana procedit: unde tali divinationi sæpè ingerit se operatio dæmonis, ut hominum animos implicet falsitati, aut vanitati. Vana aut falsa opinione utitur aliquis, si ex consideratione stellarum illa futura velit præcognoscere, quæ per eas præcognosci non possunt: & ideò considerandum est quid per cœlestium corporum inspectionem de futuris possit præcognosci.

Primò ergo dicit quòd de hiis quæ ex necessitate eventuum, idest quòd naturali necessitate futura sunt, manifestum est quòd illa per considerationem stellarum possunt præcognosci, sicut Astrologi prænunciant eclypses futuras, similiter conjunctiones, & oppositiones, ac multa similia.

Secundò dicit, quantùm ad præcognitionem futurorum eventuum, scilicet contingentium, quòd præcognitio ipsorum non accipitur ex consideratione ipsorum syderum, tanquam signorum solùm ipsa significantium, & non efficientium, ut supra dictum est. Unde, quia probatum est quòd ex inspectione syderum, non accipitur præcognitio hujusmodi futurorum, nisi sicut ex causis præcognoscuntur effectus: consequens est quòd illa futura ex syderibus non possunt præcognosci, quæ substrahuntur ipsorum causalitati.

Tertiò dicit, quòd duplices effectus substrahuntur causalitati cœlestium corporum. Primò quidem, omnes effectus per actus contingentes, sive in rebus humanis, sive in rebus naturalibus: secundò, actus liberi arbitrii. Primum probat: quia sicut probatur in 6. Metaphysicæ: *Ens per actus non habet causam*, & præcipuè naturalem, cujusmodi est virtus corporum cœlestium; nam quod per actus fit, neque est ens propriè, neque unum, sicut quòd, lapide cadente, fiat terræ motus, vel quòd, homine fodiente sepulchrum, thesaurus inveniatur: hæc enim, & hujusmodi, non sunt unum, sed simpliciter multa operationum naturæ semper terminantur ad aliquid unum; sicut & procedit ab uno principio quod est forma rei naturalis.

Sed ista ratio, de virtute sermonis, non continet omnimodam veritatem, quia constat quòd ens per accidens, sicut inventio thesauri, homine fodiente sepulchrum, habet causam, cùm nihil fiat sine causa: sed talis effectus casualis est ens per accidens, & habet causam per accidens. Sicut patet 2. *Philosophorum*: sed per talem causam non est ab homine certitudinaliter cognoscibile; quia de ente per accidens non est scientia: & ideò quidquid sit de forma prædictæ rationis, tamen quæstio est vana.

Secundò probat quòd substrahuntur causalitati cœlestium corporum actus liberi arbitrii, quod est facultas voluntatis & rationis, quia intellectus sive ratio non est corpus, nec actus organi corporei, & per consequens nec voluntas quæ est in ratione: ut patet per Philosophum, 3. *De Anima. Lect.*4. Nullum autem corpus potest imprimere in rem incorpoream: unde impossibile est quòd corpora cœlestia directè imprimant in intellectum & voluntatem, hoc enim esset ponere intellectum non differre à sensu, quod Aristoteles in eodem Libro, *De Anima*, imponit hiis qui dicebant quòd *talis intellectus est in terrenis hominibus qualem ducit in diem Pater virorum, deorumque, idest sol vel cœlum*: unde infert sanctus Thomas quòd corpora cœlestia non possunt esse causa per se, operum liberi arbitrii, & hoc idem diffusè & per alias rationes probat, in Summa contra Gentiles. *Lib.*3.*Cap.*84. & 85.

Quartò dicit, quod tamen corpora cœlestia possunt ad hujusmodi actus liberi arbitrii dispositivè inclinare, in quantum scilicet imprimunt in corpus humanum, & per consequens in vires sensitivas, quæ sunt actus corporalium organorum, & quæ inclinant ad humanos, seu liberos actus: quia tamen vires sensitivæ obediunt rationi, ut patet per Philosophum 3. *De Anima.* & in primo *Ethicorum*; nulla necessitas ex hoc, libero arbitrio imponitur; sed contra inclinationem cœlestium corporum homo potest per rationem operari. Et hoc idem declarat pleniùs præallegato Libro. 3. *quæstione, contra Gentiles.* Unde quantùm ad actus intellectûs vel rationis, dicto cap.

A 84. quòd licèt corpora cœlestia directè intelligentiæ nostræ causæ esse non possunt; aliquid tamen ad hoc operantur indirectè: quia licèt intellectus non sit virtus corporea, tamen in nobis intellectûs operatio compleri non potest, sine operatione virtutum corporearum, quæ sunt imaginatio, & vis memorativa & cognitiva: & inde est quòd impeditis harum virtutum operationibus, propter aliquam indispositionem corporis, impeditur operatio intellectûs, sicut patet in phreneticis & litargicis & aliis hujusmodi; & propter hoc etiam bonitas dispositionis corporis humani facit aptum ad benè intelligendum, in quantum ex hoc prædictæ vires fortiores existunt. Unde dicitur, 2. *De Anima*, quòd molles carne, benè aptos mente videmus. Dispositio autem corporis humani subjacet cœlestibus motibus: dicit enim Augustinus, *Lib.* 5. *De Civitate Dei*: quòd *Non usque quandoque absurdè dici potest, ad solas corporis differentias, afflatus quosdam valere sydereos.* Et Damasc. dicto Lib. 2. quòd, *Alii planetæ diversas complexiones & habitus, & dispositiones in nobis constituunt.*

B Et ideò indirectè corpora cœlestia ad bonitatem intelligentiæ operantur; & sicut Medicus potest judicare de bonitate intellectûs ex corporis complexione, tanquam ex causa propria: ita Astrologus ex motibus cœlestium corporum, sicut ex causa remota talis dispositionis. Et per hunc modum potest verificari quod Ptolomæus, *in Centilogio* dicit. *Cùm fuerit Mercurius in nativitate alicujus, in aliqua domorum Saturni, & ipse fortis, in esse suo dat bonitatem intelligentiæ medullitùs in rebus.* Similiter idem declarat, quantùm ad actus voluntatis, in sequenti capitulo. Dicens quòd „ Licèt corpora cœlestia, non sint directè causa electionum nostrarum, quasi directè in „ voluntates nostras imprimentia: indirectè tamen „ ex hiis aliqua actio nostris electionibus præstatur; „ secundùm quod habent impressiones super corpora; & hoc dupliciter. Uno modo secundùm quòd impressiones corporum cœlestium in exteriora corpora sunt nobis causa alicujus electionis; sicut cùm

C per corpora hujusmodi disponitur aër ad frigus intensum, eligimus calefieri ad ignem, vel aliqua hujusmodi facere, quæ congruunt tempori illo. Alio modo, secundùm quòd imprimunt in corpora nostra, ad quorum immutationem insurgunt in nobis aliqui motus passionum, vel per eorum impressionem efficimur habiles ad aliquas passiones, sicut colerici sunt proni ad iram, & de similibus. Manifestum est autem, & experimento cognitum, quòd tales occasiones, sive sint exteriores, sive sint interiores, non sunt necessaria causa electionis; cùm homo possit eis per rationem resistere. Sed plures sunt qui tales impetus naturales sequuntur, pauciores autem idest soli sapientes, qui occasiones malè agendi, & naturales impetus non consequuntur: & propter hoc dicit Ptolomæus, *in Centilogio*, quòd „ Anima sapiens juvat opus stellarum, & *quod* non potest Astrologus dare judicia secundùm stellas, nisi vim

D „ animæ & complexionem benè cognoverit, & „ *quod* non debet dicere rem specialiter sed universaliter: „ quia scilicet impressio stellarum in pluribus sortitur effectum, quia plures sunt qui non resistunt inclinationi quæ est ex corpore, non autem semper in illo, scilicet qui per rationem naturali inclinationi resistit. Et ideò dicit Ptolomæus quòd *Sapiens dominabitur astris.*

Ex prædictis omnibus sic declaratis, sequitur una conclusio bimembris ad principale dubium hujus materiæ responsalis: quia infert Sanctus Thomas,

Se-

Secunda Secundæ, scilicet quòd „ Si quis ex consideratione astrorum utatur, ad præcognoscendum futuros casuales vel fortuitos eventus; aut etiam ad cognoscendum per certitudinem futura opera hominum: hoc procedet ex falsa & vana opinione, cui sæpè operatio dæmonis se immiscet; & ideò erit divinatio superstitiosa & illicita. Si verò quis utatur consideratione astrorum, ad præcognoscendum futura quæ ex cœlestibus causantur corporibus, puta siccitates ac pluvias, & hujusmodi, non erit illicita divinatio nec superstitiosa.„

Ad confirmationem autem primæ partis possent induci authoritates Augustini, Hieronymi, Gregorii, Ambrosii, Origenis, ac aliorum Sanctorum, quorum multa recitantur in Canone 26. *quæst.* 2. quas brevitatis gratiâ pretereo, & ad sensum etiam illius partis dicit sanctus Thomas 2. *Contra Gentiles. Cap.* 3. quòd *Illi errant contra Deum, qui futurorum cognitionem aliis causis quàm Deo ascribunt.*

Ad confirmationem autem secundæ partis facit authoritas Christi. Luc. XII. 54. 55. *Cùm videritis nubem orientem ab Occasu, statim dicitis: Nimbus venit, & ita fit. Et cùm Austrum flantem, dicitis: Quia æstus erit: & ita fit.* &c. Super quo dicit Basilius. Est, inquit, notandum quòd necessariæ sunt humanæ vitæ syderum conjecturæ, dummodò quis ultra mensuram non perquirat eorum judicia. Est enim B nonnulla de plurimis futuris percipere, plura quoque de æstibus & impetu ventorum, vel particularibus, vel universalibus, vel violentis, vel levibus. Quanta verò commoditas eorum conjectura vitæ proficit quis nesciat? Interest enim nautæ pronosticari procellarum pericula; viatori mutationem aëris, colono fructuum copiam. Et eamdem sententiam ponit Augustinus, ad inquisitiones Januarii. *Lib.* 1. inducens ad propositum illud quod de sole, & luna, & stellis, *in Genesi.* 1. 14. scriptum est: *Et* erunt *in signa & tempora* &c. Unde etiam super eodem verbo: *Libro, Super Genesim, ad litteram,* inquit Augustinus. *Neque enim illa*, dicens, *quæ observare vanitatis est, si utilia hujus vitæ usibus, & necessaria, quæ vel nautæ observant in gubernando, vel omnes homines ad prævidendas aëris qualitates* &c. Et hæc de C secundo.

Quantùm ad tertium, in quo videndnm est quæ pars Astronomiæ licita sit, & quæ illicita, licèt ex prædictis satis pateat responsio; tamen pro majori declaratione, sciendum est quòd quædam est pars Astronomiæ, quæ speculatur motus, quantitates, & naturas corporum cœlestium, quorum consideratio non solùm est licita; sed utilis & honesta: & hoc patet ex triplici fine hujus speculationis. Primus, est cognitio, ... rerum. Secundus, præparatio ad cognitionem divinorum. Tertius, applicatio ad judicia futurorum.

Primus ergo finis & prima utilitas hujus speculationis, est cognoscere res hujusmodi nobiles, ad quas contemplandas, secundùm Philosophos, humana ingenia naturaliter inclinantur: quod significavit natura, quando vultus hominum erexit ad sydera. De quo dicit Virgilius.

Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Jussit & erectos ad Sydera tollere vultus.

Unde de cœli decore & contemplatione dicit Tullius, *Lib. De Natura deorum*, quòd *Nulla est species pulchrior, nec ad solertiam & exercitaiotem hominum præstantior.* Ideò David dicebat: *Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: lunam & stellas quæ tu fundasti.* Ps. VIII. 4.

Secundus finis, seu utilitas, est præparatio ad contemplationem divinorum; nam per cognitionem istorum non solùm intellectus perficitur, ut dictum est: sed etiam ad perfectiorem rerum contemplationem præparatur. Unde Isidorus 3. Ethicorum: *Ordo*, inquit, *iste secularium ideò à Philosophis usque ad astra productus est, ut animos seculari scientia implicatos à terrenis abduceret, & in superna contemplatione locaret.* Nam juxta sententiam Tullii: *Lib. De Natura deorum.* Hoc fuit olim principale argumentum, quo manu ducta est Philosophorum indagatrix diligentia, in notitiam deitatis. Videlicet corporum cœli miranda quantitas, & syderum ordinatissima positio. Propter quod dicebat Sapiens: *Sapientiæ.* XIII. 5. quòd *A* A *magnitudine speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit horum Creator videri.* Unde cùm numerasset gyrum stellarum, solem, & lunam &c. Illos idolatras, qui eos tanquam motores Orbis terrarum deos putaverunt reprehendit, dicens: ℣. III. 4. *Quorum si specie delectati deos putaverunt: sciant quanto hiis dominator eorum speciosior est. Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt, intelligant ab ipsis*, quantùm qui hæc constituit *fortior est illis.* Sic ergo, ut ait Apostolus, Rom. 1. 20. *Invisibilia* Dei *à creatura mundi intellecta conspiciuntur: Sempiterna quoque ejus virtus & divinitas.* Sic enim Beatus Dionysius ad Christi Fidem & Dei perfectionem cognoscendam pervenit, prout ipsemet in quibusdam Epistolis suis testatur.

Tertius finis & minùs principalis commoditas est applicatio ad judicia futurorum: nam per hanc scientiam quædam futura possunt utiliter præcognosci, ut jam ostensum est. Sed juxta prædicta, distinguendum est quòd hujusmodi futura sunt in duplici differentia, quantùm ad propositum sufficit. Quædam sunt dispositiones & qualitates temporum, & alia. Quædam aliquid hujusmodi dispositiones consequentia, sicut sunt alterationes in corporibus humanis, ut declaratum est, & de istis aliqua & generalia prævideri possunt, seu conjecturari, quorum observatio non solùm est licita, sed etiam utilis, ut præallegatum est supra. Et adhuc, sicut dicit quidam Doctor, ista, vel plura eorum meliùs prævideri possunt per impressiones regionis elementaris, quas vocant Astrologi stellas secundas: cujusmodi sunt cometæ, halo, parelion, & similia signa, de quibus tractat Aristoteles, *in Libro Metheorum*, quorum certitudinem Virgilius, in Georgicis notavit, dicens:

Sol tibi signa dabit, solem quis dicere falsum
Audeat &c.

& loquitur ibi de signis quæ apparent in aëre circa solem.

Ista siquidem certiora sunt, etiam secundùm Philosophum, quàm illa quæ pronosticantur per astra. Quædam autem sunt futura contingentia circa actus humanos, circa quæ versantur judicia Astrologiæ, de nativitatibus, interrogationibus, & electionibus: & hæc pars Astrologiæ, ut quidam Doctores dicunt, falsa est, superstitiosa, & inutilis, ac etiam impossibilis sciri. Et hoc probatur tripliciter. Primò, authoritate. Secundò, experientia. Tertiò, ratione. Unde primò ad hoc est authoritas Scripturæ. Nam Dominus in Scripturis sacris sæpè deridet illos qui in talibus astrorum judiciis confidebant. Unde Isaiæ XIX. 12. dicitur Pharaoni: *Ubi sunt sapientes tui? Annuntient tibi & indicent, quid cogitaverit Dominus exercituum super Ægyptum* &c. Et rursùm *Cap.* XLVII. 13. ad D civitatem Babylonis. *Babylon*, dicitur, *defecisti in multitudine consiliorum tuorum, stent, & salvent te Augures cœli, qui contemplabantur sydera, ut ex eis annuntiarent ventura tibi. Ecce facti sunt quasi stipula*, &c. Item de hujusmodi futuris dicit Christus. Act. 1. 7. *Non est vestrum nosse tempora vel momenta* &c.

Item, præter authoritates Scripturæ, sunt etiam authoritates multæ sanctorum Doctorum, ut supra tactum est: & specialiter prædictam Astronomiæ indicatam divisionem, cum detestatione secundæ partis, ponit Hugo: *Didascalicon, Lib.* 3. dicens: *Astrologia partim naturalis, partim superstitiosa est.* Naturalis, in complexionibus corporum contemperantium variatur, ut sanitas, ægritudo; tempestas, serenitas; fertilitas, & sterilitas. Superstitiosa, quæ in contingenti-

gentibus & hiis quæ libero subjacent arbitrio: quam partem Mathematici tractant.

Secundò. Probatur propositum per experientiam: nam experientia docet quòd propositiones quæ in Libris judicialibus sunt positæ, ut plurimùm fictæ sunt, & absque ratione voluntariè divinatæ, ut patet cuilibet non affectato Libros hujusmodi intuenti. Non enim apparet qua ratione potest dici quòd unus gradus Zodiachi est lucidus, alter masculus, & de talibus nec etiam potest assignari ratio super hiis quæ ponuntur de imaginibus quæ superest, de qua dubitatur utrum sit, & apud quosdam quòd non sit ponenda, probabiliùs judicatur. Unde secundùm Averroëm: 12. *Metaphisicæ*: hic error de imaginibus cœlorum ortum habuit ex corruptione Philosophiæ, & à Gentilium fabulis, ac ex levissima & debilissima persuasione.

Similiter etiam judicia Astrologorum, super hiis fundata, debilissimis & frivolis persuasionibus vallata sunt. Nam sicut notat Ambrosius. *Examerон*. 4. Validè, voluntariè, & liberaliter dicunt Astrologi: *Quos nascentes taurus aspicit*, id est qui sub signo tauri nascuntur: quia taurus animal laboriosum est, & assuetum jugo, *spontaneæ servituti colla subdere*: percussorem quoque ejus nativitatem scorpio ex sua parte complexus sit, & malitiæ venena revomentem, eo quod animal venenatum sit: hæc enim & hujusmodi persuasiones debilissimæ sunt, in quibus tamen, & multò minoribus Astrologi sua fundant judicia.

Item, major pars Librorum de hujusmodi judiciis multis experientiis ostenditur esse falsa: & pro exemplo potest recipi una eorum regula, quæ dicit. Quotiens luna pervenerit ad gradum ascendentem horâ conjunctionis ejus cum sole, si ille gradus fuerit pluviosus, pluet in regione illa in qua tunc ascendebat: hujus enim regulæ oppositum sæpe expertum est. Secundò, de multis aliis ut plurimum fallunt, adeò quòd experti in illa arte non audent per eas judicare, quia statim contra eos probari potest an eorum judicia sint vera. Sed judicant per nativitates de hominum fortunis, ea quæ non citò eveniunt, aut quæ in utramque partem interpretari possunt. Et tamen, sicut patet ex supradictis, si de mutationibus temporum, & de impressionibus aëris, ut de ventis, & pluviis quæ immediatè subjacent cœlo, & quæ non possunt per humanam libertatem impediri, ipsi nesciunt judicare; multò nimùs credendum est quòd possint aliquid certitudinaliter, aut probabiliter prædicere de hominum fortunis per nativitates, vel interrogationes, aut hujusmodi vanitates. Item, quamvis complexionum diversitates à cœlo aliqualiter dependeant, quæ, ut supra ostensum est, hominum animos ad varios mores, & ex consequenti aliqualiter ad diversas fortunas inclinant & disponunt: tamen libertas arbitrii istis potest obstare, nec etiam Astrologi vires astrorum sic inclinantes possunt certitudinaliter cognoscere, aut præscire, tùm propter multitudinem astrorum concurrentium, & diversitatem virtutum & proportionem eorum; tùm propter fragilitatem persuasionum, in quibus, ut dictum est, fundantur regulæ ipsorum & esse suorum judiciorum. Et, ideò quantùm ad ista, eorum judicia vana sunt & frivola: cujus etiam signum est, quòd, ut in pluribus, isti Planetarii in suis judiciis non concordant, sicut experientia docet. Unde quidam sapiens Regi Persarum scripsit in quadam Epistola, quòd cum ipse vacasset in Astronomica disciplina, ætatis suæ viros quamplurimos cognovit perfectè Astrologiam adeptos, sed in judiciis varios & discordes. Ideò dicit quòd faciliùs vera investigavit diligens somniorum interpres, quàm astrorum contemplator. Ex quo clarum est quàm fragilis sit eorum judicativa pronosticatio.

Tertiò. Probatur propositum ratione. Unde ad hoc tangit Augustinus *Lib. 5. De Civitate Dei*, rationem multiplicem, quarum prima & principalis quæ supra tacta est, arguit de duobus geminis, seu gemellis, quos conceptionis eadem constellatio, & figuræ nativitatis indeprehensibilis variatio, deberet efficere consimiliter fortunatos, cujus contrarium sæpè, & in pluribus videtur.

Hanc autem rationem diffusè prosequitur Augustinus: & quia ejus processus subtilis est, & aliqualiter obscurus; ipsum proposui declarare.

Primò ergo quærit in fine capituli: *Cur in vita geminorum, in actionibus, in professionibus, ceterisque rebus humanam vitam pertinentibus, atque in ipsa morte sit plerumque tanta diversitas* &c. Unde intendit probare quòd Mathematici hujus diversitatis causam non poterunt dicere: & ideò eorum circa hoc inquisitio curiosa est, & supervacanea, sicut testantur Tullius, & Seneca, qui inter curiosas quæstiones enumerant: *Cur simul natis fata diversa sunt*.

Posteà occasione prædictæ quæstionis, Augustinus *Lib. 5. De Civitate Dei*, *in* 2. *Cap*. recitat: quòd *Cicero dicit Ypocratem novilissimum Medicum, scriptum reliquisse quosdam fratres, cum simul ægrotare cœpissent, & eorum morbus eodem tempore ingravesceret, eodem levaretur, geminos suspicatum. Quos Possidonius Stoicus multùm Astrologiæ deditus, eadem constitutione astrorum natos, eademque conceptos solebat asserere.* Istius quod Ypocrates, etiam simile tangit Quintilianus in causis suis, de duobus geminis ita similibus, ut simul & semel inciperent & desinerent infirmari. Hujus autem similitudinis causam diversimodè assignabant Medicus Ypocrates, & Astrologus Possidonius: quia, ut dicit Augustinus, ibid. *Quod Medicus pertinere credebat ad simillimam temperiem veletudinis*, idest corporalis complexionis, *hoc Philosophus Astrologus, ad vim, constitutionem quæ syderum, qua fuerat quo tempore concepti, natique sunt*, attribuebat magis quàm ad similitudinem constellationis. Sed in hoc Augustinus magis approbat opinionem Ypocratis Medici. „ In hac *inquit*, causa multò est acceptabilior & de „ proximo credibilior conjectura medicinalis: *& rationem subdit*: Quoniam parentes, ut erant corpo„re affecti dùm concumberent, ita primordia con„ceptorum affici potuerunt, ut consecutis ex ma„terno corpore prioribus incrementis, paris valetu„dinis nascerentur: deinde in una domo eisdem a„limentis nutriti, ubi aërem, & loci positionem, „ & vim aquarum plurimùm valere ad corpus vel „ benè vel malè afficiendum Medicina testatur; eis„dem etiam exercitationibus assuefacti tam similia „ corpora gererent, ut etiam ad ægrotandum u„no tempore, eisdem causis similiter moverentur „ Consequenter improbat opinionem Possidonii, duplici ratione. „ Prima est „ Constitutionem, inquit, „ cœli ac syderum quæ fuit quando concepti, sive „ nati sunt, velle trahere ad istam ægrotandi parili„tatem, cùm tam multa diversissimi generis diver„sissimorum affectuum & eventorum eodem tempo„re, in unius regionis terra eidem cœlo subdita „ potuerint concipi, & nasci, nescio cujus sit insolentiæ. „ Secunda ratio est: „ Quia novimus, inquit, „ geminos, non solùm actus, & pregrinationes habe„re diversas, verùm etiam dispares ægritudines perpeti. Hujus autem disparitatis potest Medicus reddere causam, sed non Astrologus. Unde subdit Augustinus: „ De qua re facillimam, quantùm mi„hi videtur rationem redderet Ypocrates, diversis a„limentis & exercitationibus, quæ non de corpo„ris temperatione; sed de animi voluntate veniunt, „ dissimiles eis potuisse accidere valetudines. Por„ro autem Possidonius, vel quilibet fatalium syde„rum assertor, mirùm si potest hîc invenire quid di„cat, si nolit imperitorum mentibus in eis quas „ nesciunt rebus illudere.

Sed quia iste Possidonius inter assertores fatalium syde-

syderum magnus fuit, propter quod etiam Tullius, *in Libro, De Fato*, de ipso loquitur, & multa ejus dicta recitat. Ideò Augustinus improbat unam illusoriam rationem, quam ipse & sui sequaces dant, & per quam respondere conantur ad prædicta. Conantur enim asserere, quòd illius disparitatis in ægritudine quorumdam geminorum causa, est intervallum exigui temporis quod inter se gemini dùm nascerentur habuerunt; quia scilicet in illo intervallo mutata est cœli particula, in qua ponitur horæ notatio, quam annotationem horoscopum vocant.

A

Contra hanc responsionem arguit sic. *ibid.* Quia „ hoc quod de hujusmodi intervallo exiguo temporis conantur efficere, quod inter se gemini, dùm „ nascerentur habuerunt, propter cœli particulam „ ubi ponitur horæ notatio, quem horoscopum vocant; aut non tantùm valet, quanta invenitur in „ geminorum voluntatibus, actibus, moribus, casibus que diversitas: aut plùs etiam valet, quàm est „ geminorum vel humilitas generis eadem, vel nobilitas, cujus maximam diversitatem non nisi in „ hora quâ quisque nascitur, ponunt. Ac per hoc, „ si tam celeriter alter post alterum nascitur, ut eadem pars horoscopi maneat; cuncta paria quæro „ quæ in nullis possunt geminis inveniri: si autem „ sequentis tarditas horoscopum mutat, parentes „ diversos quæro, quos gemini habere non possunt. „

Deindè in 3. cap. reprobat quamdam responsionem quæ datur à Mathematicis ad prædictam rationem, & quam respondisse narratur quidam Philosophus dictus Nigidius: de quo dicit Agellius *Lib.* 19. c. 14. quòd ipse & Varro fuerunt viri Romani, quamvis doctissimi. Iste ergo fingebat in proposito exemplum de rota figuli celeriter versa. Quia quod dicit Augustinus: *Frustra itaque affertur nobile illud commenturm de figuli tota: quod respondisse ferunt Nigidium hac quæstione turbatum.* Erat autem illud exemplum seu figmentum tale. „ Dùm enim rotam „ figuli vi quanta potuit intorsisset, currente illa bis „ numero de atramento tanquam uno ejus loco summa celeritate percussit; deindè inventa sunt signa, „ quæ fixerat, desistente motu, non parvo intervallo in rotæ illius extremitate distantia. „ Hoc ergo exemplum applicabat Nigidius ad propositum per hunc modum: „ Sic, inquit, in tanta rapacitate cœ- „ li, etiam si alter post alterum tanta celeritate „ nascatur, quanta rotam bis ipse percussi, in cœli „ spatio plurimùm est: hinc sunt, inquit, quæcumque dissimillima perhibentur in moribus, casibusque geminorum. „ Sed licèt istud exemplum apud Mathematicos nobile reputetur, ut pertactum est; tamen ipsum irridet Augustinus, dicens: „ Hoc „ figmentum fragilius est, quàm vasa quæ illa rotatione finguntur, „ idest, componuntur, & causam subdit. „ Nam si tam multùm in cœlo interest, quod „ constellationibus comprehendi non potest, ut alteri geminorum hereditas obveniat, alteri non obveniat; cur audent ceteris qui gemini non sunt, cum „ inspexerint eorum constellationes, talia prænuntiare „ quæ ad illud secretum pertinent, quod nemo potest „ comprehendere, & momentis annotare nascentium. „ Deinde removet unam responsionem quæ posset hîc dari. „ Si autem, inquit, propterea „ talia dicunt in aliorum genituris, quia hæc ad productiora spatia temporum pertinent; momenta „ verò illa partium minutarum, quæ inter se gemini possunt habere nascentes, rebus minimis tribuuntur, de qualibus Mathematici non solent „ consuli: (quis enim consulat quando sedeat, „ quando deambulet, quando vel quid prandeat?)

Secundum hoc removet Augustinus, quia de talibus minimis rebus non arguit ratio prætacta. Ideò subdit. *Numquid ista scilicet* minima *dicimus, quando in moribus, operibus, casibusque geminorum plura plurimùmque diversa monstramus?* Quasi dicens: non de illis, sed de majoribus loquimur.

Et consequenter hoc ostendit in 4. cap. per ea quæ leguntur in sacra Scriptura, de Jacob & Esaü. „ Nati sunt, *inquit*, duo gemini, antiquâ Patrum memoriâ, (ut de insignibus loquar,) sic alter post „ alterum, ut posterior plantam prioris teneret. „ Tanta in eorum vita fuerunt, moribusque diversa, tanta in actibus disparilitas, tanta in parentum amore dissimilitudo, ut etiam inimicos eos „ inter se faceret ipsa distantia. „ Et quòd hæc diversitas non fuerit de rebus illorum minimis, de quibus supra dictum est, consequenter ostendit. „ Numquid, *inquit*, hoc dicitur, quia uno ambulante „ alius sedebat, & alio dormiente alius vigilabat, „ alio loquente alius tacebat, quæ pertinent ad illas „ minutias quæ non possunt ab eis comprehendi qui „ constitutionem syderum, quâ quisque nascitur scribunt, unde Mathematici consulantur; „ Quasi dicens quòd non de illis, sed de aliis magnis rebus: quod generaliter declarat: quia, inquit, „ Unus duxit „ mercenariam servitutem, alius non servivit: unus „ à Matre diligebatur, alius non diligebatur: unus „ honorem, qui magnus apud eos habebatur, scilicet honorem primogenituræ amisit, alter adeptus est. &c. „ Ex hoc igitur confirmat rationem suam prædictam, coarguendo sic. „ Si, *inquit*, „ ergo hæc ad illas pertinent minutias temporum, „ quæ inter se habent gemini, & constellationibus „ non ascribuntur; quare aliorum, *scilicet non geminorum* constellationibus inspectis, ista dicuntur? „ Si autem ideò dicuntur, quia non ad minuta incomprehensibilia, sed ad temporum spatia pertinent, quæ observari notarique possunt; quid hîc „ agit rota illa figuli, nisi ut homines luteum cor habentes in gyrum mittantur, ne Mathematicorum „ vaniloquia convincantur. Quasi dicens: quòd illud exemplum de rota figuli ad propositum non valet, sed solùm hominum mentes involuit.

B

Sed quia prædicta ratio fundata in exemplo de Jacob & Esaü, posset à Mathematicis calumniari, dicendo hoc fuisse miraculosè factum: ideò induco alia exempla ex historiis Gentilium: Unum est famossimum, de Remo & Romulo, quos Juvenalis commemorans ait.

C

Geminos sub rupe Quirinos &c.

De quibus narrat Titus Livius, *Lib.* 1. primæ Decadis, quòd „ licèt eadem Mater ipsos geminos eodem partu edidisset; tamen illos dispar fortuna separavit: quia unus occisus est ingloriosus, „ alter autem, scilicet Romulus, à cujus nomine „ Roma dicta est, constitutus est Rex & factus Legislator, dictus est parens urbis ejusdem, & post mortem à civibus colitur ut Deus. Item de aliis duobus inquit Lucanus:

Stant gemini fratres fecundæ gloria Matris
Quos eadem variis genuerunt viscera fatis. &c.

Item Plinius, Lib. 7. *Naturalis Historiæ*, plures tales inducit. Similiter & Tullius, in Libro, *De Divinatione*, & in Libro, *De fortibus & de fato* multa disputat de geminis, ex quibus ratio prædicta evidentiùs confirmatur. Sed adhuc ad confirmationem prædictarum rationum, Augustinus, *De Civitate Dei.* l. 5. c. 2. facit alias rationes contra Possidonium & Nigidium, & similiter inquirit: cujus horæ notatio sit horoscopus, secundùm quem de fato judicant Mathematici. Utrum scilicet sit hora conceptionis, vel nativitatis; & utrumque improbat. Unde arguit de illis geminis, quorum morbus eodem tempore gravior, leviorque apparebat: & dicit quòd isti qui volunt hoc attribuere syderibus, quod de corporum simili temperamento veniebat, redarguendi sunt: & hoc probat tali ratione. *Cap.* 5. „ Cur, *inquit*, similiter „ eodemque tempore, non alter prior, alter posterior

D

„ rior ægrotabant, sicut nati fuerant, quia utique „ simul nasci ambo non poterant? Aut si nihil mo- „ menti adtulit, ut diversis temporibus ægrotarent, „ quòd diversis temporibus nati sunt; quare tempus „ in nascendo diversum, ad aliarum rerum diversi- „ tates valere contendunt? Cur poterunt diversis „ temporibus peregrinari, diversis temporibus duce- „ re uxores, diversis temporibus filios procreare, & „ & multa alia, propterea quia diversis temporibus „ nati sunt,& non potuerunt eadem causâ diversis tem- „ poribus ægrotare? Si enim dispar nascendi hora mu- „ tavit horoscopum, & disparilitatem intulit ceteris „ rebus; cur illud in ægritudinibus mansit, quod ha- „ bebat in temporis æqualitate conceptus? „ Quasi dicens: cur æqualitas temporis in hora conceptionis facit manere similitudinem in ægritudinibus, quam non variat diversitas horæ nativitatis, cùm tamen faciat varietatem in aliis rebus? Non enim videtur ratio. Unde removendo quamdam responsionem falsam quæ posset hîc assignari, subdit, „ Aut si „ fata valetudinis in conceptu sunt, aliarum verò „ rerum in ortu esse dicuntur; non deberent, in- „ spectis natalium constellationibus, de valetudine „ aliquid dicere, quando eis inspicienda conceptio- „ nalis hora non datur. „ Posteà aliam responsionem removet, dicens. „ Si autem ideò prænuntiant ægri- „ tudines, non inspecto conceptionis horoscopo, quia „ indicant eas momenta nascentium; quomodò dice- „ rent cuilibet eorum geminorum ex nativitatis hora, „ quando ægrotaturus esset, cùm & alter qui non habe- „ bat eamdem horam nativitatis, necesse haberet pa- „ riter ægrotare„.

Item arguit alia ratione sic. Deinde, inquit, „ quæ- „ ro, si tanta distantia est temporis in nativitate ge- „ minorum, ut per hanc opporteat eis constella- „ tiones fieri diversas, propter diversum horosco- „ pum, & ob hoc diversos omnes cardines, ubi tan- „ ta vis ponitur, ut hinc etiam diversa sint fata; „ unde hoc accidere potuit, cùm eorum concep- „ tus diversum tempus habere non possit? Aut si duo- „ rum uno momento temporis conceptorum potue- „ runt esse ad nascendum fata disparia, cur non & „ duorum uno momento temporis natorum possint „ esse ad vivendum atque moriendum fata disparia? „ Nam si unum momentum quo ambo concepti sunt, „ non impedivit ut alter prior, alter posterior nascere- „ tur; cur, uno momento, si duo nascuntur, impediat „ aliquid, ut alter prior, alter posterior moriatur„ Item confirmando propositum subdit. „ Si, *inquit*, concep- „ tio momenti unius diversos casus in utero geminos „ habere permittit; cur nativitas momenti unius non „ etiam quoslibet duos in terra diversos casus habe- „ re permittat? „ Et Paulò post sequitur: „ Quid est „ hoc, *inquit*, quòd uno tempore, uno momento, „ sub una eademque cœli positione concepti, diver- „ sa habeant fata, quæ illos perducant ad diversa- „ rum horarum nativitatem, & uno momento tem- „ pore sub una eademque cœli positione de duabus „ Matribus duo pariter nati, diversa fata habere „ non possunt, quæ illos perducant ad diversam vi- „ vendi, moriendique necessitatem. „ Deinde re- movet quamdam responsionem que posset dari, di- cendo quòd *Concepti nondum habent fata, quæ nisi nas- cantur, habere non poterunt.* Sed ea habent dùm nas- cuntur, id est ab hora nativitatis, & non ab hora conceptionis sumendum est indicium fatorum. Hoc removet dupliciter. Primò quia ipsi Mathematici dicunt: *Si hora conceptionalis inveniatur, multa ab ip- sis dici posse diviniùs*; idest perfectiùs posse de indiciis pronuntiari. Unde ad hoc allegat quoddam exem- plum quod à multis narratur scilicet, *quòd quidam sapiens horam elegit quâ cum uxore concumberet, unde filium mirabilem gigneret.* Similiter etiam narratur de Patre Alexandri Magni, qui Astrologus fuisse per- hibetur.

Secundò, item ostendit authoritate Possidonii As- trologi, contra quem ista disputatio fit. „ Unde „ postremò & hoc est quod de illis geminis pari- „ ter ægrotantibus, Possidonius magnus Astrologus „ idemque Philosophus ipse respondebat, ideò fieri, „ quòd eodem tempore fuissent nati, eodemque „ concepti. „ Nam utique propter hoc addebat con-
A ceptionem, ut ostenderet horam conceptionis ad ipsorum fata pertinere. Ex hiis igitur confirmat ra- tionem supra factam, sic argumentando. „ Si igitur „ in conceptu tanta vis est ad æqualitatem fatorum, „ non debuerunt nascendo eadem fata mutari. Aut „ si propterea mutantur fata geminorum quia tem- „ poribus diversis nascuntur; cur non potiùs intel- „ ligamus jam fuisse mutata, ut diversis temporibus „ nascerentur? „ Item ad hæc confirmat eamdem rationem. „ Itane, *inquit*, non mutat fata nativi- „ tatis voluntas viventium, cùm mutet fata concep- „ ceptionis ordo nascentium. „ Item in fine capi- tuli tangit aliam rationem quærendo: „ Unde fit in „ ipsis geminorum conceptibus, ubi certè ambo- „ rum eadem momenta sunt temporum, quòd sub „ eadem constellatione fatali alter concipiatur mas- „ culus, alter fœmina? „

B Et in 6. Capitulo hoc oppositum inducit quoddam exemplum, de duobus geminis sui temporis, qui non solùm fuerunt in sexu dissimiles; sed etiam in modo vitæ multùm dispares. Unde concludit quòd vis heroscopii nihil in proposito valet: „ quia si in „ ortu valere dicatur, ut ipsi asserunt, etiam & in „ conceptu; ubi & unum concubitum esse manife- „ festum est, & tanta naturæ vis est, ut cum con- „ ceperit femina, deinde alterum concipere omninò „ non possit: unde necesse est eadem esse in gemi- „ nis momenta conceptûs. „ In hoc Augustinus A- ristoteli apparet esse contrarius qui in Libro, *De Ani- malibus*, oppositum hujus videtur determinare. Ta- men quidquid sit de hoc, Augustinus ostendit quòd vis horoscopii tempore nativitatis, non posset esse in proposito causa diversitatis sexus. Unde subdit. „ An fortè quòd diverso horoscopo nati sunt, aut „ ille in masculum, dum nescerentur; aut illa in fe- „ minam commutata est? „ Quasi dicens quòd non, quia ante nativitatem hæc fata habebant.

C Ex prædictis omnibus concludit Augustinus. „ Cùm „ igitur non usquequaque absurdè dici posset ad so- „ las corporum differentias afflatus quosdam va- „ lere sydereos, sicut in solaribus accessibus & de- „ cessibus videmus etiam ipsius anni tempora varia- „ ri, & lunaribus incrementis & decrementis augeri, „ & minui quædam genera rerum: non autem & „ animi voluntates positionibus syderum subdi: nunc „ isti cùm etiam nostros actus inde religare conan- „ tur, admonent ut quæramus, unde nec ipsis qui- „ dem corporibus eis possit ratio ista constare. Quid „ enim tàm ad corpus pertinens, quàm corporum „ sexus? Et tamen sub eadem positione syderum di- „ versi sexûs gemini concipi potuerunt. Unde quid „ insipientius dici aut credi potest, quàm syderum „ positionem, quæ ad horam conceptionis eadem „ ambobus fuit, facere non potuisse, ut cum quo „ habeat eamdem constellationem, sexum diversum „ soror à fratre non haberet; & tamen positionem
D „ syderum, quæ fuit ad horam nascentium, face- „ re potuisse, ut ab eo tam multùm in virginali „ sanctitate distaret? „ Quasi dicens; quomodò po- tuit esse quod similitudo constellationis, tempore con- ceptionis, non fecit istos geminos similis sexûs; & tamen dissimilitudo constellationis, tempore nativita- tis, fecit eos diversorum morum, quia unus prolem genuit, alia virgo mansit; non enim videtur ratio verisimilis. Et ideò sequitur, quòd hujus considera- tio horoscopii, in tempore conceptionis vel nativi- tatis, sit omnino superflua, curiosa, & inutilis. Igitur. &c.

Item in. 7. capitulo, reprehendit Augustinus Ma- the-

thematicos: ostendendo vanum esse, non solùm judicare de actibus humanis per observationes horarum, sicut in præcedentibus capitulis specialiter probatum est; sed etiam per observantias dierum. Unde primò arguit de illo sapiente, qui horam elegit quâ cum uxore concumberet, ut admirabilem filium generaret: de quo supra, capitulo 5°. & intendit facere talem rationem.

Quæritur etiam c.7. de illo sapiente, utrum ipse fuerit A ita natus, quod generaret ex necessitate fati filium mirabilem, vel miserabilem. Si mirabilem, ergo frustra elegit horam vel diem ad hoc, cùm necessarium fuerit quòd ipse filium generaret mirabilem. Si verò miserabilem, ergo, si sapienter fecit, sequitur quòd per ipsum potuit necessitas fati mutari, & aliud quod non habuit in nativitate sua ex fato. Jam factum suum fecit fatale, & sic non omnia facta sua sunt fatalia, idest ex fato nativitatis dependentia. Unde finaliter concludit. *An potest homo quod ei jam constitutum est*, scilicet in nativitate, *diei electione mutare; & quod ipse in eligendo die constituerit, non poterit ab alia potestate mutari?*

Secundò. Arguit contra fatum astrorum per locum à divisione; quærens: *utrum soli homines subsint necessitati fati, vel non.* Primum non videntur Mathematici concedere; quia etiam in rebus aliis *eligunt certos dies illis rebus accommodatos*: verbi gratiâ, *in ponendis vitibus, vel arboribus, vel segetibus; alios dies pecoribus, vel domandis*, & cetera hujusmodi. Ergo B opportet dare secundum, quo dato, patet vanitas ipsorum, ex maxima diversitate, & incertitudine futuri eventus in rebus aliis; ita ut statim appareat impossibile dare judicium certum de futuro successu eorum. Unde dicit: ,, Considerent quàm innumerabilia sub uno temporis puncto vel nascantur, vel oriantur, & tam diversos exitus habeant, ut istas observationes cuivis puero ridendas esse persuadeant. Quis enim est tam excors, ut audeat dicere omnes arbores, omnes herbas, omnes bestias, serpentes, aves, pisces, vermiculos, momenta nascendi sigillatim habere diversa.

Tertiò. Arguit contra fatuitatem Mathematicorum, qui etiam de nativitatibus animalium irrationalium se intromittunt; & etiam contra superstitiositatem quorumdam fatuorum, qui volentes explorare fidem Mathematicorum, cùm aliquod animal apud eos natum fuerit, observant diligenter horam nativitatis ejus, quâ notatâ accedunt ad Mathematicos, & interrogant eos dicentes: tali hora illius diei natum est mihi animal: quale ergo animal, & cujus speciei est illud? Et si dixerint veritatem; multùm admirantur, quasi certam de hoc habuissent cognitionem Mathematici sic respondentes. Sed hoc reprobat: quia si ex hoc solo quod datur hora nativitatis animalis, posset sciri quale & cujus speciei esset hujusmodi animal; sequitur quòd eadem hora quâ nascitur homo non posset nasci musca: nam eadem ratione qua concederetur quod musca cum homine nasci posset, concederetur hoc de quolibet animali, sicut de elephante vel camelo &c.

Quartò. Ad confirmationem prædictæ rationis inducit quomodò non solùm in animalibus; sed in herbis & plantis eadem horâ, tam diversa nascantur. Unde dicit. ,, Nec illud volunt adverere, quòd electo ad seminandum die, tam multa grana in terra simul veniunt, simul germinant, & exorta segete simul herbescunt, pubescunt, flavescunt, & D tamen inde spicas ceteris coævas, atque, ut ita dixerim, congerminales, alias rubigo interimit, alias aves depopulantur, alias homines avellunt. ,, Unde quærit Augustinus à Mathematicis. ,, Quomodò istis rebus alias constellationes fuisse dicturi sunt, quas tam diversos habere exitus conspiciunt? An eos pœnitebit hiis rebus dies eligere, easque ad cœleste negabunt pertinere decretum, & solos syderibus subdent homines, quibus solis in terra, Deus dedit liberas voluntates: ,, Quasi dicens, quòd hoc dicere de hominibus, & illud non posse sustinere de aliis rebus, esset irrationabile.

Unde finaliter concludit. ,, His, inquit, omnibus consideratis, non immeritò creditur, cùm Astrologi mirabiliter multa vera respondent, occulto instinctu fieri spirituum non bonorum, quorum cura est has falsas & noxias opiniones de astralibus fatis inserere humanis mentibus, atque firmare, non horoscopi notati, aut inspecti aliqua arte, quæ nulla est. ,,

Hæc est ergo sententia hujus, Augustini, ex qua, & omnibus prædictis potest concludi propositum principale, & ad rationem in principio hujus dubii factam, potest responderi.

Primò. Ad illud quod dicitur, quòd Astronomia est ars vel scientia liberalis; conceditur de illa partè Astronomiæ, quæ est vera scientia: negatur tamen ista, vel alia ars liberalis, ideò liberalis dicatur, cùm pertineat ad Reges vel alios in apice libertatis constitutos; nam tales non debent esse otiosi in contemplatione scientiarum speculativarum, sed negotiosi in regimine rerum politicarum. Et ad Exemplum hujus facit, quòd introducitur Anchises. 6. Æneïdos loquens Æneæ filio suo futuro Principi Romanorum dicens:

Tu regere imperio populos, Romane, memento.
Hæ tibi erunt artes, pacique imponere mores,
Parcere subjectis, & debellare superbos.

Ad hoc autem quod objicitur de Ptolomæo Rege Egypti. Dicendum quòd magis credendum est interpreti, qui transtulit Librum Almagesti. Unde dicit quòd Ptolomæus iste non fuit unus Regum Ægypti, sicut quidam æstimaverunt: sed hoc fuit nomen ejus. Et ille qui tanstulit quadripartitum, ostendit qualiter iste Philosophus fuit per multos annos post Ptolomæos Reges.

Ad illud autem quod subjungitur de Pompilio Numa. Patet ex historia Titii Livii, quòd non aliter fuit Astrologus, nisi populo adhuc rudi, Annum per Menses divisit, ad cognoscendum Festos dies, quos pro sacris deorum instituit.

De Scipione verò, patet quòd Tullius non dicit ista eum per artem Astronomiæ scivisse; sed ea somniasse: sicut patet per Macrobium, in expositione somnii Scipionis, quod sumitur ex Libro 6. Tullii præal- C legato.

Ad illud quod de Salomone, Job, Moyse, & Abraham dicitur. Respondendum, quòd multa sciverunt per revelationem divinam, vel etiam tanto fuerunt ingenio prædití, quòd ista faciliter didicerunt & nihil ad divinas vel humanas Leges propter hoc omitterent, nec etiam vacabant Astronomiæ superiùs reprobatæ.

Similiter isti Mathematici multa eis imponunt, & falsè intitulant quosdam Libros ab Enoch & Salomone, ut scilicet, ea quæ ab eis sine ratione ficta sunt, tantorum virorum authoritate fulciantur, & magis credantur.

Ad confirmationem rationis respondet sanctus Thomas *Secunda Secundæ*, dupliciter. Uno modo: quòd isti Astrologi, ex consideratione astrorum inveniuntur quædam vera prænuntiare, & hoc propter dæmones se miscentes. Et ad hoc allegat Augustinum 2. *Super Gen. ad litteram*: ubi eamdem sententiam ponit cum ea quæ supra allegata est. Lib. 5. *De Civitate Dei.* cap. 7. Alio modo hoc potest contingere: quia plures hominum suas passiones corporales sequuntur, & ideò actus eorum disponuntur, ut in pluribus, secundùm inclinationem cœlestium corporum. Pauci autem sunt, idest soli sapientes, qui per rationem hujusmodi inclinationes moderentur: & ideò Astrologi in quibusdam vera prænuntiant, & præcipuè in

in communibus eventibus qui dependent ex multitudine.

Ex omnibus ergo supradictis possumus concludere, dicendo quòd Joannes Salberiensis, sui *Policratici. Lib.* 2. *Est autem Astrologia nobilis & gloriosa scientia, secundùm clientelam suam, si intra moderationis metas se exhibeat:* A *quas si immoderatè excedat, non tam Philosophia species, quàm impietatis discipula est*; Et rursùs. *Verùm Mathematici, & Planetarii, dùm professionis sua potentiam dilatare nituntur, in erroris & impietatis mendacia perniciosissima irruunt.*

Uude etiam ex Historiis patet, quòd sive Principes, sive alii, qui mendosis vanitatibus, de astrorum judiciis curiosè vacaverunt, communiter infortunati fuerunt, acsi fortuna indignaretur, & eos impugnaret qui ejus consilia vanis artibus perscrutantur. Unde post multas improbationes de talibus, Auctor præallegatus, eodem Libro concludit. Ita dicens. *Plurimos eorum audivi, novi multos: sed neminem in hoc errore diù fuisse recolo, in quo manus Domini condignam non exercuerit ultionem.* Et hæc de isto dubio, & de toto secundo Articulo principali.

Finis 2. *Tractatûs.*

PETRI DE ALLIACO

Cardinalis Cameracensis, in Magisterio Theologiæ Magistri.

RECOMMENDATIO SACRÆ SCRIPTURÆ.

Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Scriptum est. Matth. 16. 18.

MAGNUS, Ecclesiæ Doctor Augustinus, *in Libro De Civit. Dei*, duas describit civitates, duas signantes Ecclesias inter se diversas pariter & adversas. Una est civitas Hierusalem, alia est civitas Babylon: una civitas est Ecclesia Dei; alia civitas est Ecclesia diaboli. Una Ecclesia bonorum, de qua dicit Psalmista, *Laus ejus in Ecclesia Sanctorum.* Psal. CXLIX. 1. Alia Ecclesia malorum, de qua dicit idem Propheta: *Odivi*, inquit, *Ecclesiam malignantium.* Psal. XXV. 5. Una est igitur supra Petram ædificata, quam Psalmista David admirans alloquitur. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Ps. LXXXVI. 3. *Sicut audivimus, ita & vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri, Deus fundavit eam in æternum.* Ps. XLVII. 9. Alia est super arenam fundata, quam idem Propheta videns abominatur. *Vidi*, inquit, *iniquitatem, & cotradictionem in civitate.* Ps. LIV. 10. Et iterum: *Super muros ejus iniquitas, & labor in medio ejus, & injustitia, & non deficiunt de plateis ejus usura & dolus.* Ibid. Hæ sunt igitur civitates duæ, hæ sunt duæ Ecclesiæ sibi invicem adversariæ, & inter se plurimùm contrariæ, quarum unam regit diabolus; aliam regit Christus. Unam diabolus ædificat super instabilem arenam; aliam Christus ædificat super stabilem Petram, de ea dicens præmissam pro themate sententiam: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Sed investigandum nobis est quæ sit hæc Petra, super quam ædificanda erat Christi Ecclesia, & adversùs ecclesiam diaboli confirmanda. Ubi ex variis Sanctorum dictis magna oritur prolixitas quæstionis. Nam Beatus Augustinus quodam loco, *in Libro, Contra Epistolam Donati*: de Apostolo Petro dicit, quòd in illo, tanquam in Petra fundata sit Ecclesia. Quem sensum in quibusdam versibus Ambrosii canimus: ubi de gallo & galli cantu ait.

Hoc ipsa Petra Ecclesia
Canente culpam delevit.

Eundem quoque sensum legimus in quodam Sermone de Festo Cathedræ sancti Petri &c. adversùs quem sensum Augustinus in pluribus aliis passibus aliter exponit hunc Evangelii locum: Nam *Libro primo, De Verbis Domini*: sibi ita inquit. „ Quia enim „ Christus Petra, Petrus Christianus: ideò Petrus à Pe„ tra, non Petra à Petro; sicut non à Christiano Chri„ stus, sed à Christo Christianus vocatur. *Tu es* ergo, „ inquit, *Petrus, & super hanc Petram* quam confessus es, „ & cognovisti dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, „ *ædificabo Ecclesiam meam.* Quasi dicat, super me ædi„ ficabo te, non me super te. „ Hæc ibi, & his similia. Et alibi super Joannem, Sermone 134. & in homilia quadam de Transfiguratione Domini. Licet autem ipsemet Augustinus, *Libro primo Retractationum, cap.* 21. quæ harum duarum sententiarum probabilior sit, electioni lectoris reliquerit: non tamen videtur quòd in Petra Petrus, sed in Petra Christus sit in- B telligendus: de quo ait Apostolus: *Petra autem erat Christus.* 1. Cor. x. 4. Quis enim in Petri infirmitate Ecclesiæ firmitatem stabiliat? de cujus infirmitate ancilla ostiaria interrogata respondeat. *Ad cujus vocem*, ut Gregorius ait, *dum mori timuit, vitam negavit* Cùm ergo vacillaverit Petrus, nec firmus fundatus sit Petri Vicarius; cùm que jam discrepent de summo Petri Sacerdotio Pontifices, & litigent de summo Pontificio Sacerdotes: quis affirmare præsumat quempiam, quantalibet sanctitate aut dignitate fulgentem, sive Sacerdotem, sive Pontificem, sive Petrum, sive Petri Vicarium, aut quemvis alium, præter Christum, esse Christianæ Ecclesiæ fundamentum? Dùm è contra dicat Apostolus quia *fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod* C *est Christus Jesus.* 1. Cor. 3. 11.

Sed ut ea quæ præmisimus ad concordiam reducamus: ita concedamus Christum esse Ecclesiæ fundamentum principale, ut non negemus super ipsum plura fundamenta ædificari posse. Sic enim *Apocal.* XXI. 14. Murus civitatis illius, per quam intelligitur Ecclesia, duodecim dicitur habere fundamenta. Christus itaque super seipsum, tanquam super solidissimum fundamentum, Ecclesiam suam adversùs Ecclesiam diaboli firmiter stabilivit, & super hanc firmam Petram Petrum stabiliter firmavit; de eo dicens præmissam Evangelistæ sententiam: *Super hanc* &c. Sed salva omninò Christi Salvatoris sententia; sive in Petra Petrum, sive in Petra Christum, secundùm litteralem sensum intelligere valeamus: tamen secundùm spiritualem intellectum, per hanc Petram, divinam Scripturam & sacram Christi doctrinam signare possumus, quæ tam firmæ soliditatis, & tam solidæ firmitatis existit, ut non immeritò super eam Christi Ec- D clesia fundata sit. Quid namque firmius, quid solidius, quàm sacra eloquia? quàm divina testimonia à Christo in æternum fundata? Sic enim Christum alloquitur Propheta. *Initio*, inquit, *cognovi de testimoniis tuis, quia in æternum fundasti ea.* Ps. CXVIII. 152. Quot quot ergo sunt Christi eloquia, quot Christianæ doctrinæ testimonia; tot dici possunt Christianæ Ecclesiæ fundamenta. Sacra igitur Scriptura, Christi testimonio, in æternum fundata, spiritualiter intelligi potest illa firma Petra, super quam ædificata est Ecclesia: super cujus firmitate Petræ, Christus Petri infirmitatem timentem priùs, ac trementem, posteà solidâ perseverantiâ roboravit, & Ecclesiam suam contra omnem ecclesiæ diaboli persecutionem invictâ constantiâ solidavit, de ea dicens: *Super*

per hanc Petram ædificabo Eccleſiam &c. quæ fuerunt verba primò propoſita, Veſtris Reverentiis ſæpiùs repetita. Ad quorum declarationem verborum, omiſſis diviſionum rithmis, ſtilum Patrum, ut poſſumus, inſequentes; oſtendamus qualiter ſuper Scripturam ſacram, tanquam ſuper firmam Petram, Chriſtus ſuam ædificavit Eccleſiam. Sciendum itaque quòd in quolibet ædificio rationabiliter ordinato, primò, procedit fundatio. Secundò procedit ædificatio. Tertiò, ſuccedit confirmatio. Hoc igitur modo ordinatiſſimus omnium artifex Chriſtus, ſuper Scripturæ ſacræ Petram, Eccleſiam ſuam ædificavit. Primò namque fundamentum jecit, *ſuper hanc Petram*. Secundò, A incrementum adjecit, *ædificabo*, inquit. Tertiò, complementum fecit, *Eccleſiam meam*. Primò igitur, inquiramus hujus ædificii fundamentum, *ſuper hanc Petram*. Secundò, videamus hujus ædificii incrementum, *ædificabo*, inquit. Tertiò, perſpiciamus hujus ædificii complementum, *Eccleſiam meam*. Sic enim ſatis, ut arbitror, declaravimus præmiſſam pro Themate ſententiam. *Super hanc Petram* &c. In primis ergo, inquiramus Eccleſiaſtici ædificii fundamentum, *ſuper hanc Pretram*. Hæc namque Petra, ſuper quam fundatur Eccleſia, ut jam præmiſimus, ſacra poteſt intelligi Scriptura, ſive verbi Chriſti veritas in æternum fundata, de qua Chriſtum alloquendo dicebat Propheta - *In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo, in generatione & generationem veritas tua.* Pſ. CXVIII. 89. 90.

Conſpicite igitur Orthodoxæ Eccleſiæ fundamentum, videte mirabile myſterium. Nulla enim domus eſt quæ non habeat ſua fundamenta: deorsùm, B ſursùm que tendunt parietes; deſuper tecta ponuntur: ſola aum Eccleſia ſuum fundatemen tum ſursùm habet, & dùm ipſa deorsùm in terra manet, veritas illa ſuper quam fundata eſt ſursùm in cœlo in æternum permanet. Sic tamen veritas in cœlo permanſit, quòd etiam deorſùm ad terram deſcendit, & juxta Sapientis dictum, *de cœlo à regalibus ſedibus venit.* Sap. XVIII. 15. imò ut Propheta dicit: *Veritas de terra orta, eſt quam juſtitia de cœlo proſpexit.* Pſ. LXXXIV. 12. Habet igitur Eccleſia veritatis fundamentum in cœlo ſursùm & in terra deorsùm. Sed ubi deorsùm? Sanè non in ſordibus terrenis, ſed in ſublimibus locis: quia teſte Propheta: *Fundamenta ejus in montibus ſanctis.* Pſ. LXXXVI. 1. Non enim credendum eſt ſupervacuum eſſe in verbis iſtis quod dicitur: *in montibus ſanctis.* Adhibeamus ergo mentem, ut hujus dicti C valeamus accipere rationem, & quid montes iſti ſibi velint audiamus.

Mons itaque, juſtitiæ magnitudinem, & virtutis altitudinem ſignat; in quo monte Chriſtus habitat, ibique Eccleſiæ ſuæ fundamentum ſtabiliens, ipſam ſacræ Scripturæ veritatem collocat. Aſcendamus igitur in montem, ut inveniamus ipſum fundamentum Eccleſiæ, ipſam ſcilicet ſacræ Scripturæ veritatem: Sed *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in monte ſancto ejus?* Pſ. XXIII. 3. Certè juxta reſponſum Prophetæ. ℣. 4. *Innocens manibus & mundo corde.* Aſcendant ergo innocentes & mundi. Quod ſi fortè non omnes ſumus hujuſmodi, ut montem aſcendere valeamus; omnes tamen levemus oculos in montem, & à pede uſque in montis verticem, in quantùm poſſumus, videamus.

Videamus itaque primitùs in pede montis hujus, D videamus ibi numeroſam gentilium Philoſophorum multitudinem, tantâ veritatis alacritate pollentem, ut etiam aſcendere nitatur in montem. Videamus ibi Xenocratis ſeveritatem; Diogenis patientiam; Cratonis pietatem; Socratis continentiam, qui tantam cordis & corporis narratur habuiſſe, ut ſublimium ac beatorum ſpiritum conſortium & familiaritatem adeptus ſit. Hinc Plato ejuſdem Socratis diſcipulus dicit, quòd ob egregiam vitam & caſtimoniam, ab infantia neminem habuit comitem; ſi quidem pura puris, ſincera ſinceris miſceri, atque contignari fas eſt Hinc Apuleius Platonicæ ſcholæ Philoſophus, de Deo Socratis Librum ſcripſit. Videamus denique in hujus montis pede, qualiter hujuſmodi Philoſophi catervatim ſe ſe comitantur, ut aſcendant faciliùs, & ut currant velociùs. Alter alterius ſequitur veſtigia. Plato Socratem inſequitur; Ariſtoteles Platonem; Lucilius Senecam; Seneca verò Paulum ſequi cupiens, poſt eum clamitat dicens. *O mi Paule chariſſime, optarem ejus eſſe loci apud meos, qualis tu es apud Chriſtianos.* Verba ſunt Senecæ ad Paulum. *Epiſt.* 12. Currunt ergo velociter, currunt pariter, & tamen quia nec ſacræ Scripturæ, nec veritatis Catholicæ viam tenent, in montem aſcendere non valent. Nam ut quodam in loco de ipſis aſſerit Auguſtinus: *Benè currunt; ſed tamen in via non currunt: ideò quantò plus currunt, tantò plus errant.*

His itaque dimiſſis in hunc modum currentibus atque errantibus, oculos mentis in montem erigamus ſubliminùs, & videamus ibi antiquos Patres veteris Teſtamenti, Patriarchas ſcilicet, & Prophetas currentes, ſi quidem & licèt non in via plana, tamen ſub umbra tenebroſa aſcendentes in montem. Ibi ille Patriarcharum maximus Jacob, qui ſcalam cœlo tenùs erectam, aſcendentes que ac deſcendentes Angelos, & innixum ſcalæ Dominum vidit. Ibi ille familiariſſimus Deo Moyſes, qui Legem, colloquium que Dei obtinere meruit. Ibi Helias clarioribus portentis emicuit, & tandem ad cœlum flammante vehiculo, raptus fuit. Ibi denique Prophetæ ſinguli, & tam præſagis viſionibus illuſtrantur, ut procul abſentia tanquam propinqua, & futura tanquam præſentia præloquantur: quos omnes ſingulatim numerare ipſa multitudo non ſinit, ipſa quoque temporis brevitas non permittit.

His igitur obmiſſis, in montis verticem vertamus oculos, & videamus ibi eminentioris vitæ viros. Ibi namque ille inter natos mulierum maximus Joannes, ſanctus ab utero, quem è ſummo cœli faſtigio venturus ad terram Chriſtus ut Lucifer præmiſit, ad antra deſerti ſub ætate tenera fugit. Ibi ipſemet Salvator, fons omnium ſalutarium exemplorum, in montem oraturus aſcendit, tentantem adverſarium vicit, turbas inſtruit, Beatitudines diſtinguit, & in montis excelſo transfiguratur, ubi ſuper eum æterni Patris vox auditur. Ibi Petrus, Jacobus, & Joannes hanc Transfigurationem vident & pavent, vocem audiunt & mirantur. Et ut innumera Sanctorum turba brevi ſermone perſtringatur; ibi evangeliſant Apoſtoli, annuntiant Diſcipuli, triumphant Martyres, exultant Confeſſores, Doctores prædicant, Sacerdotes orant, pſallunt Clauſtrales, canunt Virgines; ac univerſi Sanctorum chori illud Pſalmigraphi perſonant: *Exaltate Deum noſtrum, & adorate in monte ſancto ejus.* Pſal. XCVIII. 5. Hic eſt ergo mons inſignis, mons celebris, mons ſalutis, *Mons Dei, mons pinguis, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo.* Pſ. LXVII. 16. 17. In cujus montis vertice Chriſtus ſuum habitaculum prædiſponens, ibi Eccleſiæ ſuæ fundamentum poſuit, & in altiſſimo verticis cacumine ſacræ Scripturæ veritatem fundavit, ipſâmet teſte quæ ait. *Ego in altiſſimis habitavi.* Eccli. XXIV. 7. Et hæc quantùm ad primum Articulum, in quo inquirere volebamus Eccleſiaſtici ædificii fundamentum.

Sed ulteriùs videamus Eccleſiaſtici ædificii incrementum. *ædificabo*, inquit. Chriſtus namque Dei virtus & ſapientia, Eccleſiæ ſuæ domum, quam æterna mente concepit, ſuper ſacræ Scripturæ fundamentum temporali ædificatione complevit, implevitque illud quod dictum erat per Sapientem. *Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem* Proverb. IX. 1. Habet ſi quidem domus iſta Catholica, ſcilicet Eccleſia, non ſolum ſeptem columnas, ſed & ſingulas partes ſuas ſuper ſacræ Scripturæ veritatem fundatas, habet lapides, habet cementum, habet pa-

parietes, habet murum, habet fenestras, habet ostium, postremò habet columnas, & desuper habet tectum. Hæc autem omnia plena sunt mysteriis & abundant spiritualibus documentis: habet namque Ecclesia suos lapides, singulos scilicet Christianos & fideles, per Fidei stabilitatem quadros, per patientiæ virtutem firmos, per exercitationem positos, per immobilitatem stabilitos; habet cementum Fidei unitatem, per quam dùm fideles concordi glutino connectuntur, lapides in Dei ædificio copulantur; habet parietes, veros Religiosos & spirituales, à terrenis elevatos, à cœlestibus non remotos, à transitoris ad æterna erectos, à corporalibus ad spiritualia sublimatos; habet murum inexpugnabilem, Spei virtutem, per quàm dum æterna præmia proponuntur, temporalia quæque & adversantia mala facilè repelluntur; habet fenestras, viros speculativos, Prædicatores & Doctores, per quos veri solis radio illustramur, & à cæcitate ignorantiæ liberamur; habet ostium, divini eloquii veritatem, quæ dùm in sensus varios vertitur, cœlestis secreti cognitio, & occulti consilii nobis illustratio aperitur: postremò habet columnas, viros activos, Pastores & Rectores, per quos in Christi ædificio sustentamur & firmitate constantiæ solidamur; qui ideò septem columnæ dicuntur, quia per septem virtutes, tanquam septem bases fundantur; per septem beatitudines elevantur; per septem Spiritus sancti dona firmantur, & per septem Christi Sacramenta stabiliter roborantur: denique habet Ecclesia super has septem columnas tectum suum, ipsam scilicet Dei & proximi Charitatem, quæ dùm veram dilectionem operatur, totam Legem complectitur; quoniam, ipso Legislatore teste, *In his universa Lex pendet & Prophetæ*. Matth. XXII. 40. Audistis igitur qualiter ex diversis partibus domum suam ædificat Christus: sed audite rursùs qualiter ad ædificandum cum Christo hortatur Apostolus. *Dei*, inquit, *adjutores sumus; unusquisque ergò videat quomodò* & quæ *superædificet*, quoniam *unusquisque propriam mercedem, secundùm suum laborem accipiet* 1. Cor. III. 8. 9. 10.

Ad hanc itaque vocem ad operam excitatur universus Sanctorum cœtus, & cum Christo ædificant omnes; sed pro statuum qualitate, alii plùs, alii minùs: alii namque lapides parant, alii cæmentum præparant, alii parietes sustentant, alii murum corroborant, alii fenestras aperiunt, alii ostium custodiunt, alii columnas erigunt, alii tectum supponunt. Sic ergo Sancti cum Christo ædificant Ecclesiam; sed frustrà laborant, qui sine Christo ædificare satagunt domum suam, quia juxta Prophetæ sententiam: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum* laborant *qui ædificant eam*. Ps. CXXVI. 1.

Sed audite insuper quæso, qualiter super sacræ Scripturæ fundamento tota hæc domus ædificatur, & instruitur omnis Ecclesiæ cœtus, omnis status, omnis gradus, omnis sexus. Nam ut Beati Augustini paulo minùs verba sequar, Libro, *De Moribus Ecclesiæ* C. 32. „ Ipsa pueriliter pueros, fortiter juvenes, quietè senes, piè mulieres exercet, corrigit, docet, & instruit. Ipsa feminas viris suis, pro rei familiaris societate, casta & fideli obedientia subjicit, & viros conjugibus sinceri amoris Legibus præficit. Ipsa parentibus filios libera quadam servitute submittit, & parentes filiis, pia dilectione, præponit. Ipsa Dominis servos, non tam conditionis necessitate, quàm officii dilectione, adhærere constringit, & Dominos servis, unius summi Dei communis Domini consideratione, placabiles facit. Ipsa cives civibus, gentes gentibus, & prorsùs homines omnes, primorum parentum recordatione, quadam fraternitate conjungit. Ipsa docet Reges proficere populis; monet populos se subdere Legibus: docet quibus honor debeatur, quibus reverentia, quibus timor, quibus obedientia, quibus monitio, quibus doctrina, quibus coërcio, quibus disciplina, quibus objurgatio, quibus pœna, ostendens qemadmodùm non omnibus omnia; sed omnibus charitas, & nulli debeatur injuria. „

Audistis igitur qualiter sacra Scriptura Ecclesiam ædificat, & tanquam ejus solidum fundamentum, ei incrementum præstat. Sed adhuc audite quid super hoc Beatissimus Augustinus, in quodam Sermone, de sacræ Scripturæ laudibus dicat. *Ipsa*, inquit, *docet juvenes, provocat declinantes, revocat errantes; instruit ignorantes, sanat ægros, roborat infirmos, improbat pigros, increpat otiosos, somnolentos excitat, laborantes lætificat, Reges humiliat, humiles visitat, sapientiam erogat, rectam viam indicat, gradum dat, gloriam multiplicat*. Et hæc quantùm ad secundum articulum in quo videre volebamus Ecclesiastici ædificii incrementum.

Sed tandem perspiciamus Ecclesiastici ædificii complementum. *Ecclesiam meam*. Ecclesia namque primitùs parva fuit, quando scilicet Christus primò in ea fundamentum posuit: posteà verò incrementum cœpit, quando Christus eam domum ædificavit; sed postremò complementum accepit, quando Christus eam civitatem constituit. Priùs ergo super Scripturam sacram ædificatur Ecclesia, ut domus magna; posteriùs verò ædificata est, ut civitas ampla. Sic enim de ea prædixerat prophetica veritas. *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas*. Scribitur Psal. CXXI. 3.

Sed audiamus qualiter huic civitati Jerusalem insidiatur civitas Babylon, & civitati Dei semper civitas diaboli pertinaciter adversatur. Harum ergò duarum civitatum videnda sunt certamina, numeranda bella, considerandi triumphi, pensandæ victoriæ. Igitur, ut ab urbe condita, hoc est à fundatione civitatis Dei, & ab initio nascentis Ecclesiæ sumamus exordium, ecce princeps mundi, dux inferni, actor scandali, pater mendacii, adversùs civitatem Dei erigit machinas, tendit insidias, parat bella, movet prælia: & in prima belli acie ponit idolatras sacrilegos, plures deos atque deas, in contemptum unius veri Dei colentes, ac per hoc contra veræ Religionis cultum turpiter oberrantes; adversùs quos pugnant Apostoli, pugnant Martyres, ex quibus alii arctantur vinculis, & verberibus confringuntur; alii detruduntur carceribus, & jejuniis macerantur; alii cœduntur fustibus, vel gladiis jugulantur; alii cremantur flammis, vel lapidibus obruuntur; alii ligantur laqueis, & scorpionibus flagellantur; alii suspenduntur patibulis, & tormentis variis perimuntur: sed contra hæc tormentorum genera, inter persecutiones diaboli, & consolationes Dei pugnando vincit Ecclesia. Nam sicut dicit Scriptura: Sancti *per Fidem vicerunt regna*. Heb. XI. 33. & ut ait Doctor veridicus Augustinus, *Lib.* 18. *De Civit. Dei*. C. L. „ Inter horrendas persecutiones, & varios cruciatus, ac funera Martyrum, prædicatum est toto Orbe Evangelium. Ita ut populi gentium credentes in eum qui pro eorum redemptione crucifixus est, Christiano amore venerarentur sanguinem Martyrum, quem diabolico furore fuderant; ipsique Reges, quorum Legibus vastabatur Ecclesia, ei nomini salubriter subderentur, quod de terra crudeliter auferre conati sunt; & falsos deos incipere persequi, quorum causâ cultores veri Dei fuerant antea persecuti. „ Hæc Augustinus.

Prospiciens itaque diabolus ille princeps victam esse primam belli sui aciem, secundam parat, scilicet hæreticorum cohortem; &, ut verbis utar præmemorati Doctoris, ejusdem Libri. cap. 51. *Videns diabolus templa dæmonum deseri, & in nomen liberantis Mediatoris currere genus humanum, hæreticos movit, qui sub vocabulo Christiano doctrinæ resisterent Christianæ*. Hi fuerunt Manichæi, Arriani, Sabelliani, Pelagiani, aliique innumeri, qui variis timoris stimulis, doloris tormentis, laboris molestiis, & tentationum periculis, Christi Ec-

Ecclesiam infestarunt: adversùs quos Doctores Catholici per Scripturæ sacræ Fidem victoriosissimè pugnaverunt, sacrâ dicente Scripturâ: *Hæc est victoria quæ vincit mundum, Fides nostra.* 1. Joan. 4. Sed esto victi sint & ad veritatis viam reducti hæretici, ad obedientiam schismatici, quod quando erit nescio Deus sit; numquid ideò pax est Ecclesiæ Dei? Numquid ideò cessant persecutiones diaboli? Sanè qui hoc crediderit decipitur, & falsa sibi pace blanditur: nam juxta prææallegati Doctoris definitivam sententiam, c. 53. non est definiendus numerus persecutionum quibus exerceri oportet Ecclesiam. Quod si fortè ab his qui foris sunt non sævientibus videatur esse tranquillitas; tamen sævit mundus, fremit diabolus, & adversùs spiritum pugnat carnis stimulus, nec unquam desunt qui cordibus piè viventium suis perditis moribus inferant cruciatus; propter quod Apostolica tuba sonat, & Christi fidelibus protestatur quòd *Omnes qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur* 2. Timoth. III. 12.

Quamvis ergo pacem habere videretur Ecclesia, sive ab idolatris, sive ab hæreticis, sive à schismaticis, tamen continuè persecutionem patitur, & expugnatur ab iniquis, ipsamet dicente de seipsa: *Expugnaverunt me a juventute* mea. Psal. CXXVIII. 1. 2. quod pulchrè declarans Augustinus super Psalmo prædicto: „Aliquando, inquit, in solo Abel Ecclesia erat, & expugnatus est à fratre malo & perdito Cain: „ aliquandò in solo Enoch Ecclesia erat, & translatus est ab iniquis: aliquando in sola domo Noë „ Ecclesia erat, & pertulit eos qui diluvio perierunt; „ & sola Arca natavit in fluctibus & evasit ad siccum: „ aliquando in solo Abraham Ecclesia erat, & quanta pertulerit ab iniquis novimus: aliquando in solo filio fratris sui Loth, & in domo ejus Ecclesia „ erat, & pertulit Sodomorum iniquitates, quousque eum Deus de medio eorum liberavit: aliquando cœpit esse in populo Israël Ecclesia, & „ pertulit Pharaorem & Aegyptios. Tandem ventum est ad Dominum Jesum Christum, prædicatum est Evangelium, & adhuc pertulerunt justi „ iniquos. Hæc ille.

Nemo ergò cùm jam senectus Ecclesiæ expugnatur, aut miretur aut timeat; sed cùm de juventute Ecclesiæ hæc audiat, sese consoletur, & ex præteritis exemplis discat quia etiamsi expugnari possit Ecclesia, nequit tamen penitùs superari. *Sæpe*, inquit, *expugnaverunt me a juventute mea, sed non potuerunt mihi.* Ps. CXXVIII. 2. Non possunt igitur Ecclesiam vincere ejus adversarii, quia qui fundavit eam Altissimus, qui ædificavit eam Christus, ipse est qui custodit Civitatem Dei, ipse est qui defendit eam adversùs civitatem diaboli: Nam juxta Prophetæ sententiam. *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Ps. CXXVI. 1. Custodit itaque Civitatem suam Dominus: sed cum eo custodiunt eam & vigilant Sanctorum exercitus, quos Christus excitat ad pugnam, & roborat ad victoriam; asserens & promittens taliter munire Ecclesiam suam, quòd *portæ inferi, non prævalebunt adversus eam.* Matth. XVI. 18. Portæ si quidem inferi, vitia sunt mundi, quæ impugnare Ecclesiam satagunt: sed adversùs eam prævalere non possunt, quia ipsa est Civitas muris firmata, armis vallata, & velut castrorum acies ordinata, Civitas invincibilis ab hostibus, insuperabilis à falsitatibus, inobliquabilis ab erroribus: Civitas inter minas secura, inter pressuras fida, inter pugnas semper invicta: *Quæ*, ut Beatus Hilarius, *Lib. 7. de Trinitate*, dicit, *Dùm opprimitur crescit, dùm contemnitur proficit, & dùm læditur vincit.* Sed quibus armis vincat Ecclesia, quæso diligenter attendamus. Certè non in curribus, non in equis, non in multitudine exercitûs, non in pompa Regii apparatûs: sed lanceâ perseverantiæ, balistâ sapientiæ, loricâ Justitiæ, galeâ spei, Scuto Fidei, & gladio spiritûs, quod est verbum Dei. Per hæc igitur arma, hoc est, per divini eloquii verba defenditur Civitas Dei adversùs civitatem diaboli, dicente Apostolo. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversùs insidias diaboli*, Ephes. VI. 11. Per hæc arma vincuntur erronei, corriguntur hæretici, feriuntur schismatici, percutiuntur iniqui, percussi quassantur, quassati comminuuntur, comminuti in pulverem convertuntur, in pulverem conversi ad nihilum rediguntur. Quoniam, ut ait Apostolus: *Vivus est sermo Dei & efficax & penetrabilior gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ, & spiritûs.* Hebr. IV. 12. Per hæc igitur arma, hoc est per divini sermonis & sacræ Scripturæ documenta Ecclesia pugnando vincit, vincendo crescit, crescendo proficit, proficiendo complementum accipit; hìc scilicet per gratiam, & in futuro per gloriam, quam nobis concedat qui supra Petram suam ædificavit Ecclesiam, Dominus noster Jesus, per omnia sæcula benedictus. Amen.

INCIPIT PRINCIPIUM
Ejusdem Cardinalis
IN CURSUM
BIBLIÆ:
Præsertim
IN EVANGELIUM MARCI.

In quo Principio, Theologicam scientiam aliis, ut æquum est, præfert scientiis humanitùs adinventis, multipliciter eam commendans & extollens.

Quænam doctrina hæc nova? Ista quæstio movetur Marci. 1. 27.

REVERENDI Patres, Magistri & Domini Charissimi, sæpè & multùm hoc mecum cogitavi, quidnam expedientius esset, quodve mihi foret utilius, vel sacræ doctrinæ, divinæ videlicet Scripturæ laudes edicere, vel easdem sub silentii pace transire; qua in re variis factus agitationibus temulentus, varia mihi superest agitatio, sed perplexa. Nam diversis & adversis perplexitatis funiculis hinc inde contentiosè protractus, nunc loqui prohibeor, nunc tacere non possum: loqui enim prohibet laudantis demeritum, quo me indignum reperio verbo laudis, quia *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Eccli XV. 9. Et ut venerabilis verba Alani sequar:

Nec mirthi præsunt lauris, oleaster olivis.
Nec saliunca rosis, vilis nec alga hyacinthis
præfertur, gemmisve lutum violisve cicuta,
Nec ovis à capra mendicat velleris usum.
Nec tumidus torrens à rivo postulat undam.
Nec solet à Davo Narcissus quærere formam.
Nec addit lucem candela flamma diei.

Et ideò loqui prohibeor. Sed tacere dissuadet laudis debitum, quo me totum sentio enarrandis sacræ doctrinæ præconiis obligatum, de quibus magis, ut puto, veniam merear si pauca dixero, cùm plura non possim, quàm si taceam omnia, cùm debeam universa, & ideò tacere non possum. Imò cogor in admirativæ quæstionis prorumpere verba dicens: *Quænam doctrina hæc nova?*

Cùm verò meæ intelligentiæ detrimenta conside-

ro, cùm animi mei calamitates colligo, qui peccator sum, levioris scientiæ, & conscientiæ gravioris, qui *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum. Non didici sapientiam nec novi scientiam Sanctorum.* Proverb. xxx. 2. 3. Certè sic elinguis linguâ, memoriâ immemor, insensibilis sensu, & de ineffabilibus sacræ Doctrinæ laudibus, de quibus etiam Sancti cum timore loquuntur & tremore, loqui nimirùm pertimesco; ideòque *Timor & tremor venerunt super me.* In Psal. LIV. 6. quare loqui prohibeor. Sed si diutiùs taceo, de ingratitudine redarguar: quia juxta moralium dogma Philosophorum, eam laudare teneor, quæ me, si non stet per me, suis ditavit muneribus, & documentis salutaribus erudivit: quare tacere non possum; imò cogor in admirativæ quæstionis prorumpere verba, dicens: *Quænam doctrina hæc nova?*

Dùm autem ad sacratissimæ doctrinæ hujus laudem tota laborat intentio, dùm tota concurrit affectio, tam excellentis dulcedinis copiam effusura voluntas in cogitatione non proficit, sed & lingua penè deficit in sermone. Et ut quidam eloquens ait.

Dum sibi verba tero laudis plus contero laudem.

Quamobrem erubesco dicere, vel narrare ineptæ cogitationis meæ, & temulentas phantasiæ propriæ conjecturas, demissoque capite veritus sum quid de tanta re sentiam indicare, consulente mihi sapientissimo Salomone. *Altiora te ne quæsieris* Eccli. III. 22. Idcircò loqui prohibeor. Sed dùm consolari cuperem inscientiam meam silentio, & ignorantiam meam tacendo compescere, quam ipse dum loquor accusare compellor; instat ex adverso conscientia propria, quæ laudis debitum recognoscens, instanter, instantiùs, instantissimè petit ipsum ad quod teneor persolvi tributum. Idcircò tacere non possum, imò cogor in admirativæ quæstionis prorumpere verba dicens: *Quænam Doctrina hæc nova?* Si ipsa ergo hujus gloriosæ præconia doctrinæ de intellectus mei vena paupere fluvium erigunt locupletem: ignarus ergo & elinguis incipiam balbutire. Ecce verecundia signat ora silentio, voluntatem cohibet, imaginationem gravat, dùm quod nescit homo, quod miratur Angelus, insciè promit imperitus, & loquitur impudentur ignarus. Igitur loqui prohibeor. Sed de illius misericordia loquendi sumens audaciam, qui multorum labia reserat, & *linguas infantium* facit *disertas* Sap. x. 21. ut quod debeo tributi hujus sacræ doctrinæ præconiis, quamvis solvendo non sum sufficiens, in ejus tamen id quod potero commendatione persolvam. Spirabit animus meus devotionis affectum, eructabit cor meum verbum bonum, ut velut calamus scribæ, laudibus ejus officiosè assistam. Igitur tacere non possum, imò cogor in admirativæ quæstionis prorumpere verba dicens. *Quænam doctrina hæc nova?* quæ fuit quæstio à principio proposita, vestris Reverentiis sæpè repetita. Ad cujus quæstionis solutionem me diù quidem cogitantem, sed nihil proficere valentem, ratio ipsa in hanc potissimum sententiam ducit, ut cùm ad solvendam tam arduam quæstionem minimè sufficiam, aliorum consulam facultatem.

Considero igitur quòd inter plurimas & quasi innumerabiles quæstiones, quatuor sunt præcipua quæstionum genera in diversis scholis & Doctoribus variis perquirenda. Nam primò, quædam sint quæstiones subtiles & studiosæ. Secundò, quædam sunt quæstiones difficiles & curiosæ. Tertiò, quædam sunt quæstiones civiles contentiosæ. Quartò, quædam sunt quæstiones utiles & virtuosæ.

Primum quæstionum genus solet disputari in schola Theorica Philosophorum. Secundum quæstionum genus solet disceptari in schola politica Jurisperitorum. Quartum quæstionum genus solet pertractari in schola Catholica Theologorum.

Ad primum quæstionum genus pertinet illud Job. XXVI. 7. *Quis extendit Aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum?* ℣. 8. *Quis ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsùm?* ℣. 10. *Quis terminum circumdedit aquis, usque dum finiantur lux & tenebræ?* Et illud Proverb. XXX. 4. *Quis colligavit aquas quasi in vestimento? Quis suscitavit omnes terminos terræ?* Tales enim quæstiones subtiles & studiosæ solent disputari in schola Theorica Philosophorum.

Ad secundum quæstionum genus pertinet illud Eccli. I. 2. *Arenam maris & pluviæ guttas, & dies sæculi quis dinumeravit? Altitudinem cœli, & latitudinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est?* Et illud Senecæ. „ Licèt nescias quæ ratio Oceanum diffundat, quid „ sit quod gemellorum conceptum sæpè & partum „ jungat; cur simul natis fata diversa sint? Non mul„ tùm nocebit tibi transire quod nec licet scire, nec „ prodest. Tales enim quæstiones difficiles & curiosæ, solent perscrutari in schola phantastica Mathematicorum.

Ad tertium quæstionum genus pertinet illud Luc. XXII. 24. *Facta est contentio inter eos: quis eorum videretur esse major?* Et illud Exodi. II. 14. *Quis constituit te Principem & Judicem super nos?* Tales enim quæstiones civiles contentiosæ solent disceptari in schola politica Jurisperitorum.

Ad quartum quæstionum genus pertinet illud Job. XIV. 4. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* Et illud Psalmistæ. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?* Ps. XXIII. 3. Tales enim quæstiones utiles & virtuosæ solent pertractari in schola Catholica Theologorum.

Consideratâ igitur præmissâ quæstionum quadrifariâ seriè, & scholarum varietate quadruplici, mihi visum est expedire, pro nostræ quæstionis solutione, singulas adire scholas & Doctores consulere singularum; ut quòd in una nequit, in alia saltem inveniri valeat: sic enim quod ubique quæritur, alicubi plerumque reperitur; juxta verbum veritatis dicentis: *Quærite & invenietis.* Matth. VII. 7. Vado igitur, & per ordinem ad singulas discurro scholas. Et primò, ad scholam Philosophorum, in qua studiosè disputantur quæstiones subtiles & theoricæ. Secundò, Mathematicorum, in qua curiosè perscrutantur quæstiones difficiles & phantasticæ. Tertiò, ad scholas Jurisperitorum, in qua contentiosè disceptantur quæstiones civiles & politicæ. Quartò, ad scholam Theologorum, in qua virtuosè pertractantur quæstiones utiles & Catholicæ.

Primò ergò venio ad scholam Philosophorum, in qua studiosè disputantur quæstiones subtiles & theoricæ, & ibi nostram propono quæstionem, interrogans ab eis de Lege Christi Evangelica, *Quænam doctrina hæc nova?* In primò verò hujus scholæ ingressu, sermocinalium scientiarum, Grammaticæ videlicet & Logicæ, Rhetoricæ, & Poëticæ artis Doctores invenio, qui omnes juxta suæ facultatem doctrinæ aliquid offerunt. Alii grammaticalia Prisciani rudimenta; alii logicalia Aristotelis argumenta; alii Rhetoricæ Tullii blandimenta; alii poëtica integumenta Virgilii: nec solùm ista, quin imò Ovidii præsentant fabulas, Fulgentii mythologias, Odas Horatii, O. . . . Orosii, Juvenalis Satyras, Senecæ Tragœdias, Comœdias Terentii, Invectivas Salustii, Sidonii Epistolas, Cassiodori Formulas, Declamationes Quintiliani, Decades Titi Livii, Valerii Epitomata, Martialis Epigrammata; Centones Homeri, Saturnalia Macrobii, & generaliter singula quæ vel suavis lyram Rhetoricæ, vel gravis Poëticæ Musam resonant. Sed cùm præmissi Doctores in his omnibus nihil prorsùs doceant quod ad propositam satisfaciat quæstionem; ipsi tamen, mihi jam penè de solutione quæstionis desperanti, inquirendi laudant propositum, laboris diligentiam recommendant, & diligenter inquirenti spem inveniendi confirmant. Con-

Confortat me siquidem illud commune dictum Boëcii: De Disciplina Scholarium: *Cujuslibet operis obtusitas, laboris diligentiâ permollitur.* Confortat etiam illud dictum Valerii, in Epistola ad Rufinum. „ Ad summa quæque fastigia, non nisi per salebras evadimus; „ nec est via plana quæ ducat ad gaudia plena. „ Cujus rei ponit exemplum. „ Audivit, *inquit*, Jason quòd per mare adhuc intactum ratibus & remis, & per tauros sulphureos, ac per toxicati serpentis vigilias sibi viandum esset ad aureum Vellus; A & sano consilio, licèt non suavi, usus abiit, & rediit, & optabilem thesaurum retulit. Sic absynthium veritatis acceptat morosæ mentis humilitas, fecundat officiosa sedulitas, & in fructum producit perseverantiæ utilitas, & dura principia dulci fine numerantur. Sic arctus callis ad ampla ducit palatia. Sic angustus trames ad terram viventium. „ Hæc ille. Confortat me insuper illud dictum Virgilii in Æneide.

Labor improbus omnia vincit.

Confortat me denique illud dictum Architrenii novelli Poëtæ.

Velificatur Athos, dubio mareponte ligatur.
Remus arat colles, pedibus substernitur unda.
Puppe meatur humus, pelagi Tethis exuit usum.
Salmoneus fulmen jaculatur, Dædalus alas
Induit, ingenii furor instat & invia princeps.
Rumpit & artifici cedit natura labori.

Ex his namque dictis vires animi colligo, spem mentis erigo, ut ad propositæ quæstionis apertionem procedam, ulteriùs investigans à profundioribus naturalis, & moralis Philosophiæ Doctoribus, quidnam de proposita sapiant quæstione. Ipsi verò sola excusatione contenti talem responsionem prætendunt. Scimus inquiunt elementorum proportiones, elementatorum conditiones, vaporum impressiones, mineralium mixtiones; scimus vires herbarum, virtutes gemmarum, mores animalium, origines animarum; scimus complexionum distantias, humorum repugnantias, sanitatum harmonias, ægritudinum discrasias: scimus varietates actuum, causalitates habituum, extremitates vitiorum, & medietates virtutum; & ut unum dicamus, scimus de natura quicquid humana potest ratio naturaliter perscrutari. Sed nimirùm de ea quam proponis quæstione, nihil utique scimus; quia in ejus solutione natura silet, ei Canones succumbunt, & Fides sola de naturali ratione triumphat.

Ad hanc itaque vocem, primam exeo scholam, & transeo ad secundam.

Secundò ergo venio ad scholam Mathematicorum in qua curiosè perscrutantur quæstiones difficiles & phantasticæ, & ibi nostram propono quæstionem; interogans ab eis de Lege Christi Evangelica: *Quænam doctrina hæc nova?* In primo verò hujus scholæ ingressu quosdam reperio, sibi nomen Mathesis usurpantes indebitè, & quorum infamiâ tota ferè Mathematicorum schola infamis redditur & suspecta. Hi sunt qui, teste Beato Augustino, *in Libro, De Natura dæmonum*: à terra Geomantici, ab aere Aeromantici, ab igne Pyromantici, ab aris idolorum Arioli, à consideratione natalium Genethliaci, ab inspectione Ararum Aruspices, & à volatibus, aut vocibus avium Augures nuncupantur. Ab his itaque pseudomathematicis, seu potiùs maleficis nihil interrogo de proposita quæstione, hoc sacra prohibente Scriptura. *Non declines*, inquit, *ad Magos, nec ab Ariolis aliquid scisciteris.* Levit. XIX. 31.

Sed ad veros Mathematicos transeo, qui in Arithmetica numerorum pugnas, in Musica sonorum syn-jugias, in Geometria quantitatum mensuras, in Astrologia cœlorum influentias scientificè perscrutantur: inter quos tenet Pythagoras calculum, Orpheus plectrum, Æsculapius baculum, Euphrates horoscopum, Archimedes radium, Perdites circinum, Campanus perpendiculum, Ptolomæus astrolabium; nec investigare desistit Thales tempora, Athlas sydera, Zeno pondera, Chrysippus numeros, Euclides mensuras, Albumasar influentias. Ab his itaque Mathematicis nostræ peto solutionem quæstionis: & ecce horum aliqui, dùm quæstionem istam solvere tentant, ita desipiunt, ut Christi doctrinam, Christi vitam, Christi opera, Christi miracula, causis naturalibus & cœlestibus influentiis audeant deputare. Sic enim ausus est ille phantasticus Albumasar, Tractatûs primi, *De conjunctionibus*, differentiâ tertiâ. Sic & ille Mahometes Avicenna, *decimo Metaphysicæ suæ*, quorum tàm fatuam, quàm obscuram præsumptionem Apostolus ipse reprehendit. *Obscuratum est*, inquit, *insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Rom. I. 22. Non sic devoti Mathematici, tres illi Magi Orientales præclari quibus, ut *Math.* 2. legitur, Christum natum stella mirabilis nuntiavit, illa scilicet de qua meminit Calcidius, super secundum Timæi Platonis: post cujus apparitionem, teste Augustino ubi supra, nativitatem alicujus è cœlo interpretari non licuit. Non sic, inquam, non sic præsumunt hi devoti Mathematici: sed in propositæ quæstionis solutionem imperfectum suum humiliter recognoscunt. Nescit, inquiunt, acribologia Mathamatica B hujus quæstionis solvere nodum: nescit quippè divinum aperire secretum. Nam cùm, Domino claudente, nemo aperiat, sanè frustra sudatur divinitùs obserata, humanitùs reserare.

Ad hanc itaque vocem, secundam exeo scholam, & transeo ad tertiam.

Tertiò ergo, venio ad scholam Jurisperitorum, in qua contentiosè disceptantur quæstiones civiles & politicæ, & ibi nostram propono quæstionem, interrogans ab eis de Lege Christi Evangelica. *Quænam doctrina hæc nova?* In primo verò hujus scholæ ingressu civiles Juris Doctores invenio, qui Imperatorum Leges, Cæsaris Edicta tanta veneratione suscipiunt, tanto honore præferunt, ut pro ipsis venerandis, aliqui plerumque cælestis Imperatoris Leges contemnant: pro ipsis defendendis, Edictis summi Cæsaris contradicant. Sed reperio iterum in hac schola quosdam Juris Canonici Professores, qui etiam suas Decretales Epistolas, quasi divinas Scripturas acicpiunt; & eas taliter venerantur, ut propter hoc eorum aliqui C plerumque in divinarum prorumpant blasphemiam Scripturarum. Tales enim reprehendit magnus ille utriusque Juris Doctor Dominus Gratianus, sui voluminis *Dist.* 9. Verba recipiens Augustini, *Epist.* 8. ad Hieronymum. *Ego*, inquit, *solis eorum Librorum scriptoribus, qui jam Canonici appellantur, didici hunc morem honoremque referre, ut nullum eorum scribendo errasse audeam credere.* Appellatione Canonicorum Librorum, solos comprehendens Libros divinarum Scripturarum, & non Jurium humanorum, in quibus, eodem Augustino teste, *Libro secundo. Ad Vincentium*, negare non possumus nec debemus, multa esse quæ possunt justo judicio & nulla temeritate culpari.

Ipsorum igitur qui vel in Civilis, vel in Canonici Juris schola aut student, aut docent, bifariam divisionem reperio. Nam quidam, & multi, proh dolor! linguam prostituunt, quæstum quærunt, æquitatem solvunt, pacem confundunt, sopitarum litium ci- D neres suscitant, pactiones violant, adulteria dissimulant, Matrimonia diffamant, luxuriantur in lachrymis viduarum, in fame pupillorum, in afflictione simplicium, & in pauperum nuditate. Nam ut Sidonii verbis utar: „ Hi sunt qui causas protendunt „ adhibiti, impediunt prætermissi, fastidiunt admoniti, obliviscuntur locupletati; hi sunt qui emunt lites, vendunt intercessiones, judicanda dictant, dictata convellunt, attrahunt litigaturos, protrahunt audiendos. „ Quid plura? Hi sunt qui

dùm in capturam pecuniæ retia tendunt, Jura omnia intervertunt, omnes Leges interpretantur ad libitum, & pro sua voluntate nunc abdicant, nunc admittunt, benè dicta depravant, prudenter allegata pervertunt; condamnant innoxios, nocentes absolvunt, impios fovent, opprimunt innocentes. Ab his itaque litigiosis Causidicis de quæstione proposita nihil quæro, sed eorum consortia fugio, & eorum condemno litigia, dicente mihi Apostolo. *Servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes.* 2. ad Timoth. II. 24. Alii verò sunt, & utinam multi, qui in ipsa Jurium schola student & docent, non ad quæstum, non ad iniquum Juris dispendium, sed ad inquisitionem veritatis, & Judicii æquitatem. Hi sunt qui advocantur pro pupillo & vidua, pro utilitate Reipublicæ, & Ecclesiæ libertate; quorum judiciarius rigor adversùs sontes vehementiùs excandescit, & circa simplices mansuescit. Hi sunt qui erigunt lapsos, fractos consolidant, liberant servos, pauperes ditant, vagos congregant, revocant oberrantes. Hi sunt apud quos admittitur clamor pauperum, erigitur dignitas Ecclesiarum, per quos relevatur pauperum indigentia, firmatur in Ecclesiis libertas, pax in populis, in civitatibus quies. Ab his itaque tento aliquid audire de proposita quæstione: sed dùm ipsi ad hujus quæstionis solutionem pervenire contendunt, vires eorum, interiori oculo caligante, scrutantes scrutationes ex inani scrutinio deficiunt, & à tanta victi sublimitatis excellentia, retrorsùm in terram abeunt provoluti; ideòque peritiores eorum de nostræ quæstionis solutione humiliter se excusant. Scimus, inquiunt, quod divinæ res perfectissimæ sunt; humani verò Juris conditio semper in infinitum decurrit, & nihil est in ea quod stare perpetuò possit c. *de ve. ju. enuc.* l. 2. §. *sed quia.* Cùm igitur humana Jura ad scholam nostram pertineant, non divina; sanè propositæ quæstionis solutio non ad Juridicam spectat peritiam, sed ad Theologicam facultatem, nec nobis licet falcem nostram in messem mittere alienam. 13. q. 1. §. *his ita.*

Ad hanc itaque vocem tertiam exeo scholam, & tanseo ad quartam & ultimam.

Quartò ergo, venio ad scholam Theologorum in qua virtuosè pertractantur quæstiones utiles & Catholicæ, & ibi nostram propono quæstionem, interrogans ab eis de Lege Christi Evangelica. *Quænam doctrina hæc nova?* In primo verò hujus scholæ ingressu, veteris Legis Doctores invenio, sanctos Patres, Patriarchas videlicet, & Prophetas.

Interrogo igitur primò primum illum Patrem Adam, qui ad imaginem Dei factus, & in Paradiso positus, divina secreta creditur percepisse; sed respondet Adam, doctrinam hanc novam sibi maxima in parte esse ignotam. Unionem, inquit, Dei & hominis non intelligo, & quòd Verbum caro fieri possit ignoro, quòdque virgo concipiat & pariat, non minùs est à mea intelligentia extraneum, quàm à consuetudine alienum: nec enim Eva mea aut concipere potuit, nisi à me cognita; nec parere, nisi concepta. Vade, inquit, potiùs ad Noë virum justum, qui per Arcam in diluvio salvavit genus humanum. *Gen.* VII. fortè ipse propositam quæstionem aperiet & signacula ejus solvet.

Interrogo igitur Noë virum justum; sed excusat se etiam, & dolabro occupatus, promptior est ad fabricandum, quàm ad docendum. Nec ego, inquit ipse, hanc quæstionem aperire, aut signacula ejus solvere sum idoneus, vade potiùs ad Abraham Patrem multarum Gentium, ad quem promissio facta est, quod *In semine tuo benedicentur omnes Gentes;* Gen. XXII. 18.

Interrogo igitur Abraham, sed expavescit etiam ipse, & tantæ rei novitate percussus; noli, inquit, turbare peregrinationem meam, egressus enim de terra mea, & de cognatione mea, & de domo Patris mei, in minandis gregibus & armentis, in pascuis comitandis, in fodiendis puteis ego valeo; sed quam proponis quæstionem solvere nequeo: vade potiùs ad Moysen famulum Dei, cui locutus est Dominus facie ad faciem, quasi homo ad proximum suum. *Exod.* XXXIII. 11.

Interrogo igitur Moysen, & ecce Moyses è medio consessu surgens velata facie, & Libris onustus, congeriem & sylvam Mandatorum Legalium proponit, nec exponit: Pentatheucum suum, sub cujus sarcina sudat, projicit in medium. Inveniuntur ibi Præcepta quædam moralia, quædam cerimonialia; moralia autem quamvis proficientia, non tamen sufficientia ad salutem; cerimonialia verò tantis obumbrata figuris, tantis imaginibus operta, ut non dicam impleri, sed nec intelligi quidem possint. Ibi cultellus præpucii, Libellus repudii, oculorum & dentium taliones: volvit ergò & revolvit Moyses, consumptoque frustrà toto legendi officio, latent eum hujus doctrinæ mysteria. Erubescit itaque Moyses, & defectum confitens ait: velata facie ego sum, parce quæso pudori meo, & cum Tabulis meis lapideis populum meum lapideum permitte docere: vade potiùs ad David, quem invenit Dominus secundùm cor suum: fortè in cythara & psalterio eructabit tibi verbum bonum, & aut ipse solvet quæstionis signacula, aut de stirpe ipsius surget qui solvet ea.

Interrogo igitur David; sed excusat se etiam David, dicens non sum dignus ad tantæ quæstionis sublimitatem assurgere, cùm *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum; & sicut onus grave gravatæ sunt super me;* Psal. XXXVII. 5. Ideòque hujus mysteria quæstionis non minùs sunt obsecura mihi, quàm tenebrosa aqua in nubibus aëris: vade, inquit, potiùs, & convoca omnes simul Prophetas ad spectaculum istud, si fortè revelet eis Deus, & aperiatur oculus intelligentiæ eorum: fortè quod non intelligunt singuli, intelligent universi.

Interrogo igitur simul omnes Prophetas. Convenientibus vero Prophetis in unum, & ad solutionem quæstionis laborantibus, cùm singuli multa dicant & deficiant; surgit Paulus, qui labori eorum compatiens, & eis manu silentium indicens ait. *Lex nihil ad perfectum adduxit.* Heb. VII. 19. *Justitia autem Dei per Fidem Jesu Christi in omnes qui credunt in eum.* Rom. III. 22. Consonat etiam Petrus collegæ suo Paulo, & volventibus atque revolventibus Libros Legis & Prophetarum exclamat. *Quid tentatis imponere jugum, quod nec nos, neque Patres nostri portare potuimus.* Non sic, inquit, *sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salsalvi.* Actuum. XV. 10. 11. Vera sunt, inquit Joannes, quæ Petrus & Paulus dicunt: *Quoniam Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est.* Joan. I. 17.

His itaque auditis, manifestè perpendo me frustra pro nostræ quæstionis solutione interrogasse Doctores Theologos antiquæ Legis Mosaïcæ. Quapropter accedo ad Doctores Theologos novæ Legis Evangelicæ, & eis propono admirativæ quæstionis verba, dicens: *Quænam doctrina hæc nova?* Quæ fuit quæstio à principio proposita, vestris Reverentiis sæpiùs repetita.

Ad quam quidem quæstionem, novæ Legis Doctores Catholici, sub conclusione respondent quadruplici.

Prima est, quòd hæc est doctrina profundæ capacitatis, & subtilitatis inaccessibilis.

Secunda est, quòd hæc est doctrina stupendæ sublimitatis, & difficultatis imperscrutabilis.

Tertia est, quòd hæc est doctrina timendæ severitatis, & civilitatis imperturbabilis.

Quarta est, quòd hæc est doctrina quærendæ felicitatis & utilitatis incomparabilis. Unde Apostolus Paulus Doctorum Catholicorum eximius, & cete-

teris audacior ad loquendum, præmissas quatuor conclusiones breviter innuens, & pariter comprehendens, de hac nova doctrina altè exclamat, dicens: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.* Rom. xi. 33. Ubi animadverto Doctorem hunc eximium, correspondenter ad præmissa, quatuor notare corollaria: ac si apertè mihi diceret: frustrà quæsisti solutionem quæstionis propositæ, alibi quàm in schola doctrinæ Evangelicæ.

Et primò, frustrà quæsisti in schola philosophica disputante subtilia: nam ecce altam sublimitatem & inaccessibilem, quia *Altitudo divitiarum*. A

Secundò, frustrà quæsisti in schola mathematica scrutante difficilia: namque ecce latam difficultatem & imperscrutabilem, quia *sapientiæ & scientiæ Dei.*

Tertiò, frustrà quæsisti in schola juridica disceptante civilia: Nam ecce firmam civilitatem & imperturbabilem quia *incomprehensibilia sunt judicia ejus.*

Quartò, frustrà quæsisti in schola Mosaïca pertractante utilia: nam ecce summam utilitalem & incomparabilem quia *investigabiles viæ ejus.*

Hæc itaque Paulo dicente, assurgunt ei pariter omes Doctores Catholici, & ejus concordant sententiæ. Sed ut unus loquatur pro omnibus, ecce Doctor veridicus Augustinus, quasi Syndicus aliorum, unus verbum proponit pro singulis, & dictis Pauli testimonium perhibet veritatis. B Vera sunt, inquit, quæ Paulus asserit & nihil verius dici potest: nam „ in hac sacra doctrina nova, supereminen„ ter continetur quicquid in aliis utiliter invenitur. „ Quicquid enim homo extra didicerit, si noxium „ est, hîc damnatur; si utile est, hîc invenitur; & „ cum ibi quisquis invenerit omnia quæ utiliter ali„ bi didicerit, multò abundantiùs invenit, & ea „ quæ nusquam alibi invenire potuit „ Verba sunt Augustini. *Secundo. De Doctrina Christiana.* c. ultimo.„ Quibus auditis, prostratis in terram genibus corporis, & flexis poplitibus cordis mei, doctrinæ salubris supremum Doctorem & Magistrum exoro suppliciter & devotè, humiliter postulans cum sapientissimo Salomone. *Da mihi*, Domine, *sedium tuarum assistricem sapientiam. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit & mecum laboret.* C Sap. ix. 4. 10. quod nobis concedat qui sine fine vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

PETRI DE ALLIACO

Cardinalis Cameracensis,

QUÆSTIO.

Utrum Trinitas personarum in una natura, creaturæ sit incommunicabilis.

Nunc primùm prodit ex Cod. Navarrico.

UTRUM *esse tria supposita unius naturæ, sit perfectio simpliciter simplex incommunicabilis cre-* D

ARGUITUR primò quòd non: quia si esse tria supposita &c. sit perfectio simpliciter simplex, sequitur quòd sit perfectio divina: sed talis non est communicabilis creaturæ; tùm primò, quia esse communicabile pluribus suppositis, convenit naturæ divinæ, ratione suæ infinitæ perfectionis & immensitatis, & per consequens talis conditio non est creaturæ possibilis, cum nulla possit esse infinitæ perfectionis; tùm secundò, quia si talis perfectio divina esset creaturæ communicabilis, creatura posset esse Deus, sicut ex hoc quòd perfectio, seu essentia divina personæ divinæ communicatur, illa persona est Deus. Sed hoc est impossibile & inconveniens, & contra illud divinum edictum. *Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum* Psal. LXXX. 10. Igitur propositum in oppositum arguitur; quia esse perfectam imaginem Trinitatis increatæ est creaturæ possibile: igitur esse tria supposita unius naturæ est sibi communicabile. Antecedens apparet; quia videtur derogare Omnipotentiæ divinæ, quòd non possit hujusmodi Trinitatis perfectam imaginem creare: & consequentia patet; quia non stat creaturam esse perfectam imaginem Trinitatis increatæ, & ipsum esse non esse tria supposita unius naturæ. Ob hoc enim non est in nobis hujus Trinitatis imago perfecta, sed ex maxima parte dissimilis, & exigua secundùm Augustinum. xv. *De Trinitate.* Et *Man. . . . Lib.* I. *Distinctione* 3. Igitur &c.

Quia quæstio est de una natura in tribus suppositis; ideò erit una conclusio tripartita ad quæsitum universale, & erit pars affirmativa quæstionis. Ad cujus declarationem, juxta tres ejus partes, videndæ sunt tres difficultates.

Prima, utrum esse tria supposita unius naturæ sit aliquid, & quid sit realiter.
Secunda, supposito quòd sit aliquid, utrum sit summa perfectio simpliciter.
Tertia, dato quod sit, utrum sit creaturæ communicabilis propriè & veraciter.

Quantùm ad primum, suppono ad præsens, & hoc complexum sumptum significativè, *Esse tria supposita unius naturæ*, supponit quòd una essentia, vel natura, quæ est tria supposita, vel pro tribus suppositire, quæ sunt una natura, quod concedendum est de sola essentia seu natura divina.

Et ideò dico quòd hujusmodi complexum potest capi dupliciter: nam ipsum esse, & essentia ejusdem rei, non distinguantur aliquo modo, & maximè in Deo: uno modo potest capi hujusmodi complexum, ut supponat immediatè pro esse divino, seu essentia divina; ita quòd non supponat pro suppositis, nisi mediatè, & sic est terminus essentialis, cum isto termino *essentia divina* convertibilis. Alio modo potest capi, ut supponat, immediatè pro tribus suppositis, non pro essentia, nisi mediatè, & sic est terminus numeralis cum isto termino, *Trinitas divina*, convertibilis. Voco autem terminum immediatè supponere pro aliquo, quando verificatur de illo convertibiliter, conversione regulata, quòd potest dici *de omni*: sed voco illum mediatè supponere pro aliquo, quando verificatur *de illo*, non tamen convertibiliter conversione tali, sicut potest in terminis divinis declarari.

Unde sequitur primò, quòd omnis terminus de Deo dictus essentialis, licèt solùm supponat pro essentia immediatè; tamen supponit mediatè vel immediatè pro qualibet re, sive pro omnibus rebus in divinis: & ideò iste terminus, *Essentia divina*, nec alius consimilis, est terminus propriè singularis, nec est sufficiens medium in sillogismis expositoriis.

Secundò sequitur, quòd nullus terminus de Deo, dictus propriè personalis, notionalis, aut numeralis, supponit pro qualibet re in divinis, licèt supponat pro re quæ est quælibet res in divinis.

Tertiò sequitur, quòd nullus terminus supponit pro aliqua re in divinis, quæ sit plures res, quin illa sit tres res, & ideò spiratio activa, vel productio passiva, quæ est plures res, licèt non sit tres res, tamen non est aliqua res, quæ non sit tres res. Et hæc de primo.

Quantùm ad secundum, præmitto quid sit perfectio simpliciter: unde juxta modum loquendi Venerabilis Anselmi, solet describi perfectio simpliciter, quòd est illud, quòd universaliter melius est ipsum, quàm

non ipsum, idest quòd cuilibet esset meliùs, esse, quàm non esse; vel quodlibet si esset tale, esset meliùs, quàm si non esset tale. Sed quia fortè hæc descriptio non videtur, de virtute sermonis, ideò aliter describo perfectionem simpliciter, quòd est entitas principaliter significata, idest per aliquem terminum quem non stet ab aliquo verè negari, & illud esse summum bonum: talem autem terminum voco denominationem perfectionis simpliciter.

Ex quibus patet quòd iste terminus complexus, *esse tria supposita* &c. primo modo, idest essentialiter sumptus, est denominatio perfectionis simpliciter; sed non secundo modo sumptus, id est notionaliter: tamen qualitercumque sumatur, supponit immediatè pro summa perfectione, immò pro qualibet divina perfectione simpliciter, cùm supponat pro essentia divina, quæ est unica perfectio simpliciter, & non plures distinctæ aliqualiter.

Unde ex prædicta discriptione sequitur. Primò, quòd nullus terminus de Deo dictus ex tempore, sive per respectum creaturæ, est denominatio perfectionis simpliciter.

Secundò. Sequitur quòd nullus terminus de Deo, dictus propriè personalis, notionalis, aut numeralis, est denominatio perfectionis simpliciter. Dico propriè personalis propter istos, *suppositum persona*; de quibus est dubium an sint denominationes perfectionis simpliciter, cùm sint termini personales communes &c. quos non stat ab aliquo negari &c. Unde si quis velit dicere quòd non sint denominationes &c. opportet addere in dicta descriptione, *immediate* &c. nam tales termini pro nulla re immediatè supponunt quæ sit perfectio simpliciter, non pro persona &c. patet, nec pro essentia, quia de aliquo dicitur essentia, scilicet de Trinitate, de quo non dicitur persona, vel suppositum.

Tertiò. Sequitur quòd iste terminus complexus, *posse producere Deum*, non est denominatio perfectionis simpliciter, sed, *posse producere creaturam*, & ideò primum non pertinet ad divinam omnipotentiam, sed secundum. Et hoc de secundo.

Quantùm ad tertium. Distinguo primò quòd aliquam perfectionem esse communicabilem creaturæ potest dupliciter intelligi. Uno modo, quòd sit communicabilis identitè, sicut essentia divina communicatur tribus suppositis divinis, & non est intellectus quæstionis, ut antè oppositum tangebatur. Alio modo, quòd sit communicabilis participativè, sicut essentia divina communicatur omnibus essentiis creatis, & est intellectus quæstionis; ac si quæratur, utrum possibilis sit creatura, quæ participet cum natura divina in hac denominatione, quæ est, *esse tria supposita*. Et de hoc pono tres propositiones.

Prima propositio est. Licet divinam naturam esse tria supposita, non natutaliter, vel, de Lege ordinata, possit in via ex evidentibus veris, aut utriusque Testamenti Scripturis evidenter inferri; potest tamen & absque evidenti contradictione apparenter sustineri.

Prima pars patet: quia ex talibus veris, vel Scripturis, non potest illa conclusio inferri per aliquam consequentiam, quin aliqua consequentia apparentior in via quàm sit illa. Sic negando, sustinendo conclusionem illam. Igitur &c. Antecedens & consequentia pro nunc supponuntur, donec oppositum probetur. Secunda pars patet: quia illa conclusio sit veritas Fidei rediculosum esset dicere, quòd ipsa non posset à fidelibus doctis, absque evidenti contradictione contra infideles apparenter sustineri. Cum scriptum sit. 1. Pet. III. 15. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ est in vobis* Fide &c.

Secunda propositio. *Licet unam naturam esse tria supposita, possit æquè faciliter de creata, sicut de increata natura, à contradictione tueri, debet tamen rationabiliter de omni creatura negari.* Prima pars patet: quia protervus concedens quòd aliqua creatura esset tria supposita omninò consimiliter, hoc deffenderet à contradictione, sicut Catholicus idem deffendit de natura divina. Igitur &c. Secunda pars patet: quia omnis propositio non sequens ex hiis quæ sunt Fidei, quæ est ita difficilis, sicut Articulus Trinitatis; rationabiliter debet negari: sed sic est de ista, *Creatura est tria supposita*. Igitur &c.

Tertia propositio. *Licèt creatam naturam posse esse tria supposita, non possit evidenter in via à contradictionis implicatione deffendi, potest tamen probabiliter, supposita Fide, concedi.* Prima pars probatur: quia cùm omnis propositio non implicans contradictionem sit possibilis; si illa propositio esset evidenter ab implicatione contradictionis deffensabilis, ejus possibilitas esset evidenter ostensibilis, & per consequens etiam possibilitas Articuli Trinitatis. Antecedens supponitur & consequentia, & falsitas consequentis, sicut patent ex prædictis. Secunda pars probatur: quia quandocumque aliquæ propositiones sic sunt similes, quod sunt æquè faciliter deffensibiles, si Fides cogat unam concedere, & non cogat aliam concedere esse possibilem, per omnipotentiam divinam; sed sic est quòd istæ duæ propositiones, *Natura divina est tria supposita*, & *Natura creata, est tria supposita*, sunt consimiliter, & æquè faciliter deffensibiles, ut patet ex secunda propositione, & Fides cogit concedere, & non cogit negare secundam, vel possibilitatem suam, ut patet de se. Igitur probabile est ex Fide concedere secundam esse possibilem, per Omnipotentiam divinam. Aliter enim, ex Articulo Omnipotentiæ Dei, non posset probabiliter inferri quòd aliquid quod nec est, nec fuit, nec erit, posset per Dei Omnipotentiam esse, vel fieri. Igitur &c. Confirmatur etiam propositum per rationem factam post oppositum.

Ex hiis sequuntur tria corollaria. Primum, est positio concedens *Unam naturam esse trinam in suppositis.* Quamvis habeat concedere prædicata contradictoria pro eodem verificari: tamen est à concessione propositionum contradictoriarum deffensibilis. Patet ex prima propositione, hoc adjuncto, quòd talis positio concedit quòd idem sunt suppositium & natura, & tamen de supposito negat hoc prædicatum, *Esse tria supposita*, quod affirmat de natura. Igitur &c.

Secundum, est positio concedens *aliquid esse plura individa ejusdem speciei, vel generis, aut etiam aliquid esse plures perfectiones formaliter, sive plures formalitates ejusdem realitatis.* Quamvis non posset evidenter reprobari, tamen est neganda tanquam irrationabilis. Patet ex secunda propositione, & ejus probatione, hoc adjuncto, quòd talis positio non sequitur ex Fide, & est ita difficilis sicut Articulus Trinitatis. Igitur &c.

Tertium, est positio concedens quòd *aliqua natura supremæ speciei sit possibilis*; habet probabiliter concedere illam posse esse trinam in suppositis. Patet ex tertia propositione: hoc adjuncto, quòd talis natura si esset perfectissima imago divinæ Trinitatis; & per consequens ipsa esset trina in suppositis, sicut arguebat ratio post oppositum quæstionis. Et hoc de tertio.

Ex omnibus prædictis patet quòd ego concedo probabiliter partem affirmativam quæstionis. Et hæc est conclusio responsalis.

Ad hoc ut ea quæ dixi ad diffensionem meam fiant clariora. Primò, confirmabo dicta mea. Secundò, objiciam contra ea. Tertiò, solvam objecta.

Ad confirmationem igitur primæ propositionis. Scilicet quòd personæ divinæ non constituuntur, vel distinguuntur per conclusiones ad sensum expressum

in

in quatuor primis dictis primi Articuli, est opinio Domini Præpositivi. Unde recitat diversas fuisse opiniones de proprietatibus personarum. Nam quidam penè infinitas in Deo constituunt, ut magister Gilebertus: quidam sex, ut Magister Gandolphus: quidam quinque, ut Magister Petrus Lombardus: quidam tres, ut Magister Robertus: quidam nullam, in qua sententia dicitur fuisse Yvo Carnotensis, & huic opinioni consentit Præpositivus: Unde concludit. *Dicimus ergo quòd cum dicitur, prioritas est in Patre, vel Pater paternitate distinguitur a Filio, modi loquendi sunt, & est sensus, idest paternitas est Pater: sicut cùm dico: rogo dilectionem tuam, idest te dilectum.* Et respondet ad authoritates contrarium clamare apparentes; & in fine ejusdem capituli quærit: si personæ non distinguuntur proprietatibus, quibus ergo distinguuntur? Ad quod respondet, quòd se ipsis distinguuntur. Item Dominus Altissimus, *in prima parte Summæ*, dicit quòd hæc opinio Præpositivi est multùm probabilis: cujus opinionis probabilitas, ut dicit, apparet ex hoc, quia sicut Deus propter hoc quod est omninò simplex, se ipso agit in creaturam, nec aliqua ratione eget qua referatur ad creaturam: sic Deus Pater, cum sit omninò simplex, se ipso refertur ad Filium, & dat modum sustinendi &c. Ex quibus patet, quòd opinio Magistri Gregorii, in tertio dicto secundi articuli recitata, non est nova, sed ab antiquis Doctoribus tractata. Igitur &c.

Ad confirmationem autem secundæ propositionis, scilicet quòd personæ divinæ sunt tres absolutè ad sensum expressum in 5. & 6. dictis primi Articuli, idest sunt ita veræ res, sicut quæcumque res absolutè. &c. sunt authoritates Augustini, quas allegat Præpositivus, *in primo capitulo Summæ suæ.*

Prima est. *Qui dixit tres personas non esse veras, non esse omnipotentes. Anathema sit.* Alia est. *Solis rebus referendum est quæ æternæ & incommutabiles sunt.* propter quas dicit iste Doctor, quòd hæc vocabula, scilicet Omnipotentes, æterni, & hujusmodi, nunquam sunt recipiendi in plurali, in masculino, sicut patet ex Symbolo: in feminino autem recipimus ea, cum hiis nominibus, *persona* & *res.* Et rationem reddit: quia hoc in Scriptura invenimus; sicut patet ex illo dicto Augustini præallegato: illud autem in plurali, in masculino. genere, nunquam invenitur dictum; sed potiùs prohibitum. Et licèt ibi esset aliquis verus sensus; tamen nunquam recipiendum, à simili illius quod dicit Dominus in Osee.2.16.*Non vocabit me, Baal, sed vocabit me, vir meus,* Licèt enim *Baal* tàm valere possit quantùm *Vir meus*; tamen propter suspicionem dici prohibuit. Unde infert Doctor. *Ex hiis colligitur, ut dicit Hieronymus, quod ex verbis inordinatè prolatis hæresis incurritur.* Vocat autem verba inordinatè prolata, verba prohibita. Et ista faciunt ad confirmationem eorum quæ posui in 1. 2. & 4. dictis secundi Articuli. Ex quibus ulteriùs patet, quòd licèt non esset concedendum quòd in divinis sunt tres absoluti, quamvis hoc nulla authoritate recipiatur; prohibitum tamen non est inconveniens concedere, quòd sunt tres res absolutè; sicut Augustinus concedit quòd sunt tres res æternæ &c.

Item ad confirmationem prædictæ propositionis, ad sensum, secundùm quid negatur ab aliquibus, est opinio Domini Linconiensis, & quorumdam suorum sequentium, dicentium quòd personæ divinæ distinguuntur per absoluta: sicut recitat Thomas de Argentino circa 26. *Distinct.* 1. *Lib. quæstione.* 1. & ponit rationes eorum, quas etiam recitat Okam, ut tactum est in primo dicto tertii Articuli. Similiter, eadem quæstione, ponit ad idem rationes Francisci de Maron, qui licèt non videatur illam conclusionem tenere; tamen non solvit rationes, quia reputat eas insolubiles, ut dicit iste. Est autem potissima & fundamentalis ratio sua: quia suppositatio nobilissima debet attribui supposito perfectissimo; sed suppositatio absoluta & per absoluta est nobilior quàm relativa: quare debet attribui supposito divino. &c.

Item ad idem est opinio quam recitat Guillielmus De Fontibus, *quolibet* .... q. *secunda*, scilicet quòd personæ divinæ distinguuntur per absoluta, & hæc
A absoluta non sunt aliqua per modum perfectionis se habentia, sicut bonitas vel sapientia, quæ sunt essentialia & communia: sed sunt quædam per modum habendi determinatum essentiæ divinæ importantia. Cujus opinionis principalis ratio est; quia relationes oppositæ immediatè fundari non possunt in essentia divina. Unde licèt iste nitatur istam opinionem reprobare, non tamen videtur efficaciter arguere; quia assumit pro fundamento, quòd quidquid est in divinis, est purè relatio, vel respectus, vel purè essentiale, vel absolutum, ac si impossibile sit idem esse absolutum & relativum. Hoc autem est falsum, sicut Patet ex tertio dicto tertii Articuli. Et similiter ex tertio secundi. Igitur &c.

Item est ad idem opinio Jacobi de Viterbio 3. *quolibet. quæst.* 3. *articulo* 4. qui ponit personas divinas constitui per tres modos absolutos, scilicet esse naturaliter, esse intellectualiter, esse amabiliter, quos dicit esse immediatum fundamentum trium relationum: cujus principalis ratio est, quia relationes op-
B positæ, secundùm idem non possunt fundari in eodem, scilicet in essentia divina. Igitur &c.

Et pro ista ratione, & similiter ad confirmationem secundi dicti tertii Articuli, facit responsio Domini Præpositivi, quærentis utrum proprietates sint in essentia divina. Namque quòd licèt Magister Præpositivus *in Summis* simpliciter concedat; tamen convenientiùs est illam distinguere, scilicet; *proprietates sunt in essentia*, idest *sunt essentia*, verum est: vel *sunt proprietates essentiæ*, falsum est. Ex quibus patet quòd relationes non fundantur immediatè in essentia. Igitur &c.

Item ad idem possunt induci plures opiniones aliorum Doctorum, tàm antiquorum, quàm modernorum. Sed non est necessarium, nec videtur esse curandum, si aliqui Doctores opinentur oppositum. Nam Dominus Altissimus, *in prima parte Summæ*, quærens cur in hac materia sunt tot opiniones variæ & contrariæ; utrum aliqua sit hæretica? Responde-
C tur quòd nulla, quia de hoc nihil habemus determinatum in sacra Scriptura; Ideò licet sic, vel sic opinari &c. Et hoc & alia multa quæ dixit, ibi sunt ad confirmationem omnium supradictorum, & similiter omnium dictorum meorum secundi & tertii Articuli. Igitur &c.

Item ad confirmationem prædictæ propositionis, ad sensum expressum in tertio dicto tertii Articuli, secundùm quod sunt tres res, de quibus verificabiles sunt distinctè tres termini absoluti, facit dictum Magistri, *Distinctione* 33. *primi*: *absolutè*, inquit, *intelligendus est per se & sanctum Spiritum.* Unde etiam Hymb. *quæstione* 3. *primi. Articulo* 2. quod hoc nomen *persona*, secundùm Magistrum, uno modo accipitur absolutè, secundùm quod significat omnia sua significata, ut absoluta sunt, & non ut aliquod eorum est respectivum. Igitur &c.

Item ad idem facit illud dictum Patris: *Hic est Filius meus dilectus* &c. Matth. III. 17. Nam hoc
D pronomen demonstrativum, *hic*, est terminus absolutus, distinctè supponens pro Filio. Et pari ratione potest aliquis consimiliter dari de Patre, vel Spiritu sancto. Ergo ad minùs vel in via, vel in patria, possunt haberi tres conceptus demonstrativi, distinctè supponentes pro personis. Et hoc facit ad confirmationem rationis factæ in tertio dicto tertii Articuli.

Item idem habent concedere Scotus, & omnes

alii

alii Doctores, tenentes quòd una persona potest cognosci sine alia: nam talis distincta cognitio unius personæ, vel est cognitio absoluta, vel relativa. Si absoluta, habetur oppositum: si relativa, contra; quia omnis notitia relativa alicujus relativi, est notitia sui correlativi. Verbi gratiâ, licet conceptus Patris non supponat pro Filio; tamen significat ipsum, & includit ejus conceptum in obliquo, ut patet ex quid nominis. Igitur &c.

A

Item idem habent concedere omnes Doctores, tenentes quòd tres personæ possunt assumere tres distinctas humanitates, & per illas esse tres homines; nam hoc posito in esse, sicut essent tres homines, sic essent tres res absolutè, & de illis possent formari tres conceptus absoluti, supponentes pro illis singulariter & distinctè: sed per hoc quod incipiunt esse tres homines, non incipiunt esse tres res absolutè, ut patet de se. Igitur modò sunt tres res absolutè, sicut tunc essent. Igitur &c.

Ex prædictis ergo patet probabilitas dictæ propositionis, secundùm plures sensus. Et hæc de primo.

Quantùm ad secundum: quia prædictæ propositiones nec probari, nec improbari efficaciter possunt per rationes: ideò solùm objicio contra eas per authoritates. Unde primò contra primam videtur esse Damascenus. Lib. 1. Cap. 2. *In divinis omnia sunt unum præter ingenerationem, generationem & processionem.*

B

Item Boëtius. Lib. de Trinitate. *Essentia continet unitatem, relatio multiplicat trinitatem.*

Item Anselmus. Lib. de processione Spiritus sancti. *Relatio sola causa pluralitatis in Deo est*; & idem cap. 3. *In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.* Et cap. 10. *Impossibile est invenire unde una persona distinguitur ab alia, nisi per relationes originis.* Et multæ aliæ authoritates sunt ejusdem sententiæ, vel consimilis: sed quod omnibus hujusmodi authoritatibus majus est, ad idem videtur esse determinatio Ecclesiæ, de summa Trinitate. Et .... *Cap. Firmiter*: Ubi dicitur quòd hæc Trinitas est secundùm personales proprietates discreta. Igitur &c.

Item contra secundam propositionem videtur illa generalis regula quam ponit Magister, distinctione 27. prima, eorum quæ ad se, & eorum quæ relativè dicuntur de Patre & Filio. Et est Augustini, 6. Lib. de Trinitate. *Quidquid*, inquit, *ad se dicitur, non dicitur alter sine altero.* Item Augustinus, 5. de Trinitate. cap. 19. *Quidquid ad se dicitur, substantialiter dicitur, quidquid autem ad aliud, non substantialiter, sed relativè.* Item. *Quidquid de singulis ad se ipsos dicitur, non pluraliter in summa, sed singulariter accipitur.* Et simile ponit. cap. 23. & in 26. probat ex intentione quòd *Omne quod dicitur ad se de illis personis singulariter, dicitur de tribus, & non pluraliter*: & istas authoritates ponit magister Mo ..... distinctione 22. cap. 2. Et eamdem sententiam ponit Anselmus Mon..... cap. 16. & 17. Ex quibus authoritatibus videtur sequi hæc regula, quòd *Omne dictum de Deo ad se, sive absolutè, dicitur de tribus personis singulariter, & non pluraliter.* Igitur de Deo non est concludendum quòd sit tres res absolutè &c.

C

Item Anselmùs. Lib. *De Incarnatione Verbi.* ex intentione disputat contra quemdam qui *personas divinas* dicit *differre per absoluta.* Unde infert: *Quod si ponantur tres personæ esse Deum, & concedantur esse absolutè, necesse est ut ponantur esse tres Deos.*

D

Item ad hoc potest fieri ratio fundata in dicto Anselmo Mon.... 15. Quia omne illud quod sic se habet quod ipsum in quolibet est melius quàm non ipsum, dicit perfectionem simpliciter; sed omne absolutum in divinis est tale: igitur si personæ divinæ essent tres res absolutè, aliqua perfectio simpliciter esset in una, quæ non esset in alia, & cuilibet personæ divinæ deficeret aliqua perfectio simpliciter. &c.

Quantùm ad tertium. Respondeo probabiliter ad prædictas authoritates. Et primò ad illas quæ objiciuntur contra primam propositionem, dico quòd ex illis non habetur quòd personæ divinæ distinguantur per relationes, tanquam rationes formales ipsarum propriè distinctivas: sed solùm ex hiis habetur quòd personæ hujusmodi distinguuntur per relationes, idest sunt distinctæ relationes, vel distinguuntur per se ipsas, quæ sunt relationes: & aliquæ earum sonant quòd personæ sunt distinctè per relationes, sive personales proprietates, idest per eas cognoscuntur esse distinctæ. Unde ex hujusmodi proprietatibus relativis nobis innotescit personarum distinctio. Ideò, ut dicunt Præpositivus, & quidam antiqui Doctores, hujusmodi relationes dicuntur notiones, quia per eas innotescunt personæ & earum distinctæ proprietates. Nam quia in sacra Scriptura inveniuntur hii termini relativi, Patris, Filii, & Spiritus sancti, in divinis verificari; concluditur ibi personarum distinctio, sed metaphysico isto principio, quòd nihil potest seipsum generare vel producere; ut sic patet ex processu Augustini, *Lib. De Trinitate* &c. Et ideò patet quòd prædictæ authoritates nihil faciunt contra dicta; sed magis confirmant tertium dictum secundi Articuli, sicut apparet intuenti. Igitur &c.

Ad authoritates quæ objiciuntur contra secundam propositionem, respondeo: Unde ad illas in quibus fundatur prædicta regula, dico primò quòd regula universaliter intellecta multas patitur instantias. Primò, quia hoc nomen *persona* dicitur ad se, ut probat Augustinus. 7. *De Trinitate.* cap. 34. & Magister. *Lib. 1. Distinctione* 33. *cap.* 2. & tamen pluraliter, & non singulariter dicitur de tribus personis.

Item hoc nomen, *ypostasis*, secundùm Magistrum dicitur ad se, & pluraliter conceditur de personis. *Distinctione.* 13ª. 23.

Item hæc nomina. *Ens*, *subsistens*, & *subsistentia.* Et tamen secundùm Magistrum. *Distinctione* 25. cap. 7. tres personæ dicuntur tres *entes*, tres *subsistentia*, tres *subsistentes.*

Item hoc nomen, *res*, absolutè dicitur, & tamen pluraliter conceditur. *Distinctione* 25. cap. 9. Unde & Augustinus dicit. Lib. 1. De Doctrina Christiana. *Res quibus fruendum est, sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus.* &c.

Item hæc nomina, *æternum*, *omnipotens*, ad se & absolutè dicuntur, secundùm Magistrum. *Distinctione* 22. Ubi allegat authoritates Augustini prædictas: & tamen illa nomina pluraliter conceduntur, saltem cum istis nominibus substantivis, *persona*, *res*, dicendo tres res omnipotentes, tres res æternæ, ut patet per authoritates Augustini superiùs à Præpositivo allegatas. Igitur &c.

Et ideo ulteriùs dico, quòd prædicta regula non est universaliter intelligenda de omnibus terminis ad se, sive absolutè dictis, sed solùm de terminis absolutis purè essentialibus, sivè essentialiter sumptis. Et hoc notavit Magister. *Distinctione.* 27. exponens illam regulam Augustini. *Quidquid Pater, & Filius ad se dicuntur, non dicitur alter sine altero*, idest, quidquid dicuntur, quod substantiam correspondeat, ambo simul dicuntur. Similter idem notat Augustinus, dicens: *Quidquid ad se dicitur, substantialiter dicitur* &c. Intelligens ibi per dictum *ad se*, illud quod immediatè & absolutè significat substantiam, sive essentiam. Et ideò Præpositivus in primo cap. *Summa sua*, & similiter Petrus Putanensis, illam regulam Augustini sic exponunt. *Idest, quidquid secundum essentiam de Deo dicitur, & de illis in summa singulariter, & non pluraliter.* Immò Præpositivus illam regulam adhuc restringit ad nomina substantiva, sub hac regula. *Omne nomen substantivum indicans essentiam, prædicatur de tribus personis singulariter, & non pluraliter.* Et ostendit quid sit nomen essentiale, sub hac regula. *Omne vocabulum quod dicitur de tribus, ita quòd de quali-*

libet illarum, dicitur secundùm essentiam. Et adhuc ab hiis regulis isti Doctores excipiunt aliquos terminos in divinis.

Ex quibus patet quòd illa regula Augustini, & authoritates pro ea inductæ, non habent locum in terminis absolutis personalibus, vel etiam essentialibus personaliter sumptis, sicut apparet in prædictis instantiis: & ideò cum illis stat quòd sunt aliqui A termini absoluti purè personales, pro tribus personis distinctè supponentes.

Ad aliud quod allegatur ab Ansel. Mon . . . . . Dico quòd ipse loquitur ibi disputativè; nec opportet eum ibi sustinere, nec illam consequentiam quam facit concedere. Nam ex hoc quòd personæ concederentur esse tres res absolutè; non plùs sequitur quòd sunt tres dii, quàm ex hoc quòd ponuntur esse tres res relativè, ut patet intuenti. Ad aliud de perfectione simpliciter &c. dico quòd esse absolutum, sive rem absolutam, ut supponit immediatè pro persona, sive quando sumitur personaliter, non dicit perfectionem simpliciter: & hoc necessariò habent concedere Doctores, tenentes quòd personæ non sunt res absolutè, sicut Dominus Durandus, & Guillielmus de Argentina, qui facit illam rationem. Nam ipsi ponunt quòd in divinis non est aliquod suppositum absolutum, nec ultra tria supposita relativa coguntur ponere quartum absolutum: B & ideò opportet quòd dicatur, quòd esse suppositum absolutum, non dicit perfectionem simpliciter: aliter enim non conveniret Deo quælibet denominatio perfectionis simpliciter; quod implicat. Igitur apparet quòd illa ratio retorquetur in facientem, nec propositum impugnat. Et hæc sub correctione sint dicta. &c.

Nota quòd ad confirmationem prædictarum duarum propositionum, similis est expressè Dominus Alexander de Hales, primâ præsuppositâ rubricâ de hoc nomine, *hypostasis*, quasi ultimą. Ubi respondet ad aliam authoritatem Boëtii. *Relatio multiplicat Trinitatem* &c. Item Bonaventura illam opinionem approbat, & particularem reputat, circa 26. distinctionem prima quæst. 2. Ubi quærit utrùm ipsarum proprietatum sit *hypostases* distinguere, vel distinctas ostendere.

EJUSDEM

PETRI DE ALLIACO

Cardinalis Cameracensis,

Ad eamdem quæstionem.

De tribus suppositis in una natura

RESPONSIO.

AD quæstionem in Sorbona propositam, *Utrùm esse tria supposita unius naturæ sit perfectio simpliciter simplex communicabilis creaturæ?*

PRÆMISSIS quibusdam propositionibus, ad declarandum intentionem meam, posui probabiliter partem quæstionis affirmativam: contra quam quidam venerabilis Beda arguebat, assumens in argumento suo quòd tria supposita, sive tres personæ divinæ distinguntur per relationes, seu respectus, & D quòd sunt res relativæ, seu respectivæ.

In cujus argumenti solutione respondeo ad illud assumptum. Opponitur mihi me dixisse duas propositiones malè sonantes. Prima est negativa; scilicet quòd personæ divinæ, non distinguuntur per relationes vel respectus. Secunda est affirmativa, scilicet, quòd hujusmodi tres personæ sunt res absolutè.

Nunc igitur, invocato summæ Trinitatis auxilio, ad deffensionem meam sic procedo.

Primò, illa quæ tunc dixi pro posse fideliter recitabo.

Secundò, ad illa quæ objiciuntur mihi, sub correctione aliqualiter respondebo. Tertiò, responsionem meam ex dictis Doctorum probabiliter colorabo.

Quantùm igitur ad primum, offero me per fide dignos probaturum, quòd in responsione ad dictum argumentum dixi quasi formaliter illa quæ sequuntur. Primò namque recitavi quòd opinio quorumdam Doctórum fuit, quòd relationes in divinis aliqualiter distinguuntur ab essentia & personis; & quòd personæ constituuntur ex essentia & relationibus illis, & per eas ad invicem distinguntur: ut verbi gratiâ, secundùm hanc opinionem: *Paternitas formaliter distinguitur ab essentia, & Patre; & persona Patris constituitur ex essentia & hujusmodi paternitate. Et quia Pater & Filius sunt idem in essentia, ideò non distinguuntur per eam, sed per relationem illam quæ est in Patre, ipse distinguitur à Filio, & è converso.*

Secundò. Contra hanc opinionem dixi quòd non videbatur mihi imaginabile quòd essent aliquæ relationes à quolibet absoluto, vel quibuslibet absolutis qualitercumque distinctæ; quia non potest dari aliqua descriptio rei relativæ, quæ non formaliter conveniat rei absolutè &c.

Tertiò. Ex hoc intuli, quòd licèt ad bonum sensum, & secundùm constructionem intransitivam hæc sit vera, *Paternitas est in Patre*: tamen de virtute sermonis, & secundùm constructionem transitivam, non est vera; quia omnis propositio denotans aliquam distinctionem inter Patrem & paternitatem, de virtute sermonis est falsa. Ideò, sic loquendo, magis esset concedendum quòd paternitas est in Filio: quia Pater qui est formaliter paternitas, est in filio, scilicet per circumincessionem, juxta illud: *Ego in Patre, & Pater in me est*. Joan. x. 38. &c.

Quartò. Secundùm eum sensum intuli quòd Pater non constituitur, nec etiam distinguitur à Filio per paternitatem, nec aliqua persona ab alia per relationem, scilicet aliquo modo distinctam ab ipsa persona. Non negari tamen, immò posteà expressè concessi, quòd persona distinguatur ab alia per C relationem, idest per se ipsam, quæ est res relativa.

Quintò. Juxta prædicta dixi, quòd personæ sunt res absolutè, idest simpliciter & sine addito sunt veræ res, & ita veræ seu veriores res, sicut quæcumque res absolutè: volens per hoc excludere quòd non sunt res relativæ, seu respectivæ, scilicet ad sensum supradictæ opinionis, quæ scilicet ponit relationes, vel respectus distinctos ab absolutis, esse minimæ entitatis.

Sextò. Respondeo duobus venerabilibus B . . . objicientibus contra illud immediatè dictum, quòd *Personæ sunt res absolutè*. Tetigi duos sensus quos excludebam ab illa propositione. Primus erat, quòd non intelligebam illam, prout ly, *res absolutè*, excluderet simpliciter quòd personæ essent res relativæ: nam expressè dixi quòd sunt res relativæ, ad istum sensum, quòd una ad aliam refertur, quia una ab alia originatur. Secundus erat, quòd non intelligebam eam, prout ly, *res absolutè*, refertur ad essentiam, sive ad rem quæ est *tres res*; ita quòd intelligeretur quòd essent tres essentiæ, sive tres res, quarum quælibet esset tres res; quia hoc expressè negavi, & etiam quòd essent tres entitates, nisi fortè isti termini, *ens* & *entitas*, caperentur præcisè, communicabiliter cum isto termino, *res*, quod non est usitatum. Et ista sunt quæ dixi, nec aliud credo per me esse dictum.

Quantùm ad secundum. Respondeo, sub correctione, ad idem quod mihi objicitur, prædictas duas propositiones malè sonare, & communi doctrinæ dissona-

nare. Unde præmitto quòd illas propositiones non dixi in principali positione mea, sed in solutione ad quoddam argumentum facta, nec eas asserui sic simpliciter & nudè, sicut per relatores sunt recitatæ, quia earum sensum exposui, & similiter multa prædixi, & posteà addidi, ex quibus poterat & debebat earum sensus patere. Ideò non debebant malè sonare, & maximè apud doctos & Legis peritos. Quæ verba ad bonum sensum dicta, nullatenùs debent scandalisare; cùm secundùm Hylarium, in Lib. de Trinitate. *Intelligentia dictorum ex causis sit assumenda dicendi: quia non sermoni res, sed rei sermo subjectus est*. 1. Sentent. Distinct. 24. Et præsertim, quia tunc expressè dixi, quòd illas propositiones concedere, licèt aliquando non fuisset omninò securum, scilicet propter opinionem quæ tunc currebat, *De relationibus*: tamen quia illa opinio jam communiter reprobatur à Doctoribus, non videtur modò esse periculum, & maximè, distinguendo illarum propositionum sensum: sicut etiam Magister dicit: 26. *Distinctione*. 1. *Sententiarum*. Et allegat Hieronymum, in Epistola ad Damasum. Quòd *Aliquando non fuit sine distinctione utendum hoc nomine, hypostasis, dicendo tres hypostases, scilicet, quia tunc apud hæreticos in illo latebat venenum, sed modo non est periculum*.

Secundo. Præmitto quòd propositiones in materia de Trinitate, sunt in duplici differentia. Quædam sunt quæ in textu sacræ Scripturæ, vel Symboli, aut in determinationibus Ecclesiæ formaliter continentur, vel ex talibus evidenter sequuntur; de quibus dicit Hylarius quòd *Forma Fidei certa est, non ergo aliquid addendum, sed modus constituendus est audacia*. Primi Sententiarum. Dist. 33. Ideò tales sub nullo sensu vel glossa sunt negandæ, vel earum contradictoriæ concedendæ: sed aliæ sunt quæ in talibus Scripturis expressè non continentur, nec ex eis clarè sequuntur; & tales disputationi Doctorum relinquuntur & in talibus datur regula in Decretis. *Distinctione* 9. *Cap. Noli*. & *Cap. Negare*. ac aliis pluribus capitulis: quòd scilicet *Eis non opportet certam aut firmam Fidem adhibere, sed quandoque possunt in isto judicio, & sine ulla temeritate culpari*. Verba sunt Augustini, *in Prologo. Lib*. 3. *de Trinitate*. & *Lib*. 2. *Ad Vincentium*. Et ideò, cùm illæ duæ propositiones non contineantur sub prima differentia propositionum; sed sub secunda, ut patet intuenti; videtur quòd licitè & sine temeritate possint disputativè concedi, vel negari; ad alium, vel alium sensum exponi, vel glossari.

Tertiò. Specialiter quantùm ad tertiam propositionem. Dico quòd ipsa ad sensum quò fuit posita, non est communi doctrinæ dissona. Immò eam, & ea quæ circa eam dixi, communiter ponunt omnes Doctores moderni, tàm Parisienses, quàm Anglicani; sicut Adam. *quæst* 26. Et Gregorius, *circa* 11. *dist*. Ubi reprobat opinionem supra dictam contra Scotum. *Lib*. 1. *dist*. 5. *quæstione* 2. & contra Aureolum. *Lib*. 1. *Distinctione* 11. *Quæstione prima*. Item idem Gregorius, *circa* 26. & 27. *Distinctiones*, expressè ponit quòd personæ divinæ non constituuntur, vel distinguntur per proprietates vel relationes propriè, scilicet tanquam per relationes, vel propria principia constitutiva vel distinctiva: qui propriè tamen possunt dici per eas distingui, idest quòd ex illis proprietatibus possunt cognosci & concludi ab invicem distingui. Vel etiam potest concedi personas per relationes distingui, idest per seipsas. Et allegat ad hoc Hieronymum, in expositione Fidei Catholicæ, dicens, quòd *Pater, Filius, & Spiritus sanctus personis distinguntur*. Ex qua authoritate dicit Magister. *Distinctione* 43. quòd *Personæ se ipsis differunt*. Item in hac materia Gregorium insequitur Hugolinus; quorum omnium doctrinam, ut ex dictis supra patet, in hac parte sum sequutus.

Quartò. Specialiter, quantùm ad secundùm propositionem. Dico quòd ipsa, sicut fuit circumstantionata, non videtur periculosa, nec bonæ doctrinæ dissona. Tùm primò, quia ejus sensum satis tetigi. Tùm secundò, quia ex priùs & posteriùs dictis, ejus sensus poterat & debebat concludi. Tùm tertiò, quia malum sensum quem poterat habere, expresè negavi, & abjeci, sicut patet ex priùs dictis. Tùm quartò, quia licet non sit consuetum eam à Doctoribus concedi; tamen non est etiam consuetum eam simpliciter negari. Immò, non invenio Augustinum, vel alium Doctorem authenticum, illam expresè negare: & tamen reperio aliquos etiam concedere, ut patebit ex dicendis. Igitur non videtur particulam illam dicere, cum authoritas non inveniatur contradicere. Similiter enim arguit Augustinus. 7. *De Trinitate*, quòd *Ideò licuit tres personas dicere; non quia hoc Scriptura dicit; sed quia Scriptura non contradicit*. Primo Sententiarum. Distinctione 23. Et hæc pro responsione, sub correctione, sint dicta.

Quantùm ad tertium: restat prædictam responsionem ex dictis Doctorum probabiliter, & non assertivè, sed purè recitativè persuadere: & quia de prima propositione satis dictum est; ideò de secunda, in qua videtur major difficultas esse, specialiter dicendum est. Circa quam primò, persuadebo quòd illa non repugnat formaliter Doctorum dictis. Secundò, quòd ipsa videtur sequi ex dictis illorum Doctorum, qui ponunt relationes distinctas ab absolutis. Tertiò, quòd etiam videtur sequi ex dictis illorum qui sunt contrariæ opinionis. Quartò, ex præcedentibus eliciam plures esse sensus veros illius propositionis.

Primò igitur dico, quòd hæc propositio: *Personæ divinæ sunt res absolutè*, doctrinæ Sanctorum vel Doctorum non videtur formaliter repugnare: quia, sicut supra tetigi, licèt Doctores communiter non eam concedant; tamen diligenter quæsivi, & non inveni quòd aliqui expresè eam negent, immò aliqui Doctores antiqui illam affirmant. Unde. *Guill. Okam circa* 26. *Dist. q*. 1. recitat opinionem quorumdam dicentium, quòd *Personæ divinæ constituuntur & distinguuntur per proprietates absolutas principaliter, & per relationes, quasi ex consequenti, & minus principaliter*; & in divinis sunt plura absoluta. Et ista opinio arguitur, primò quidem ratione, secundò, authoritate. Inter plures rationes hæc ratio est potior, quia relatione aliquid refertur formaliter, & non essentia; ergo suppositum: sed id quod refertur priùs est ad se, quàm referatur: ergo suppositum priùs est ad se, quàm referatur, & per consequens per relationem in esse suppositi non constituitur. Secundò confirmatur quia omnis relatio primò terminatur ad aliquid absolutum, sed non ad essentiam; ergo ad suppositum: Secundò confirmatur, quia suppositum pro aliquo modo, priùs est sua actione, sive originatione Filii. Ergo in illo priori illud suppositum est ad se, & per consequens absolutum. Alias rationes transeo: sed ad hoc inducunt authoritates: quia secundùm Philosophum, quinto Physicorum. *Relatio non potest originari, nisi in aliquo absoluto priùs originato*: Ergo opportet ponere absolutum quod priùs originatur. Primò, quia secundùm Augustinum. 7. de Trinitate cap. 8. *Omnis res ad se subsistit, quantò magis Deus?* Et loquitur de illo subsistere quod convenit substantiæ, prout Græci accipiunt substantiam, sicut nos personam; quia persona ad se est, & per consequens absoluta est. Secundò, quia secundùm Boëtium, vel Rich. . . . omnia posita in definitione personæ sunt absoluta. Igitur &c.

Ulteriùs prædictus Doctor recitat ibidem aliam opinionem quæ concordat cum priori, in hoc quòd personæ divinæ constituuntur per proprietates absolutas: sed discordat ab ea, in hoc quod nihil est penitùs imaginabile in Deo, præter res absolutas. Itaque non sunt ibi relationes aliquæ à quolibet absoluto, vel absolutis quomodolibet distinctæ. Et tamen non ne-

negaret illa opinio, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum in divinis, nec per generare se, & eos spirare Spiritum sanctum. Sed poneret quòd, sicut posita hac albedine, & unâ aliâ, omni alia relatione, vel alia re imaginabili circumscripta, illæ duæ albedines sunt similes: similiter etiam, posita re absoluta, quæ est lapis, omni alia re præter Deum circumscripta, lapis est creatura, & Deus est causa lapidis: sic eo A ipso quòd sunt tres personæ absolutæ; una illarum est ab una, & una à duabus, & una est Pater, alia Filius, alia Spiritus sanctus, omni relatione circumscripta ab illis quomodolibet distincta.

Ulteriùs dicit iste Doctor quòd istæ duæ opiniones, quantùm ad illud commune in quo concordant, faciliùs possunt sustineri cum articulo, quòd *Tres personæ sunt unus Deus*, quàm alia opinio de relationibus. Cujus ratio est; quia sicut potest sustineri quòd tres relationes distinctæ, sunt una essentia: ita faciliter potest poni quòd tria absoluta distincta, sunt una essentia. Et ultrà difficilè est intelligere, quòd relatio sit res aliqua ab absoluto aliqualiter distincta.

Istas autem opiniones recito, non quia velim eis adhærere: sed quia supposito quòd non essent veræ; tamen non apparet quòd unquam fuerint condemnatæ. Igitur &c.

Secundò. Principaliter dico quòd hæc propositio. B *Tres personæ sunt tres absolutè*: magis apparenter, quàm sua contradictoria videtur sequi ex dictis illorum qui ponunt relationes præter absoluta: cujus ratio est; quia secundùm eos, quælibet relatio formaliter est; in suo fundamento. Ut verbi gratiâ, paternitas formaliter est in Patre, quia ab ea denominatur, & constituitur Pater. Nam sicut dicit Magister, Distinctione 33. *Proprietates licèt sint in essentia, eam tamen non determinant*, & per consequens non sunt in ea formaliter, tanquam in suo immediato fundamento. Igitur illarum trium relationum, tres personæ sunt tria fundamenta, & per consequens tria absoluta; hanc rationem, sive assumpta in ea, non affirmo esse vera.

Tertiò dico: quòd illa propositio videtur posse concludi ex dictis illorum Doctorum qui non ponunt C relationes præter absoluta, sed quòd omnis relatio est res absoluta; & contrà: sicut posuit Guill. Okam. . . . In speciali Tractatu quem fecit, *De Relationibus*, & in lectura Sententiarum, & quodlibetis suis. Et post eum idem posuerunt Adam, & Gregorius in suis lecturis. Unde Magister Gregorius, circa Distinctionem 28. primi Libri. *Quæstione secunda*. Ad declarandum opinionem prædictam, præmittit descriptiones rei absolutæ & rei relativæ, & dicit quòd secundùm antiquum modum loquendi, per rem absolutam, intelligitur res quæ est, vel dicitur aliquid ad se; & per rem relativam, res quæ dicitur aliquid ad alterum: quidem secundùm eum, & modum loquendi modernum. Sic est intelligendum, quòd res absoluta, est de qua verificabilis est in recto aliquis terminus absolutus: res verò relativa, de qua verificabilis est in recto aliquis terminus per se relativus. Vel adhuc breviùs. Res absoluta dicitur, pro D qua potest in propositione significativè supponere, terminus absolutus: res verò relativa potest sic supponere, terminus relativus, & isti modi summaliter conveniunt.

Ex quibus dictis videtur sequi quòd personæ sunt tres res absolutè, idest sunt tres res, de quibus verificabiles sunt tres termini absoluti, supponentes pro illis tribus personis distinctè: quod non assertivè, seddisputativè persuadeo, sic quia Sapiens: Proverb. xxx. 4. post quæstiones motas de Deo, quærit istam. *Quod nomen est ejus, & quod nomen filii ejus?* &c.

Sed *omnis quæstio aliquid certum supponit, & aliud dubium quærit*. 7. *Metaphysicæ*. Hìc autem supponitur Filium esse, & quæritur nomen ejus, & similiter Patrem esse, & quæritur nomen ejus. Ergo existente certo quòd hic est Pater, & ille Filius, dubium est quod est nomen hujus, & quod est nomen illius. Sed si istæ personæ essent solùm res relativæ; primum nomen hujus esset Pater, & primum nomen illius esset Filius, & per consequens idem quæreret & supponeret. Et confirmatur, quia ad quæstionem *quid est*, hoc demonstrato Patre & non Filio, non potest convenienter responderi, iste terminus *Pater*, seu alius terminus relativus; quia ad quæstionem *quid est*, debet responderi terminus non cognotativus, & per consequens ad illam potest responderi aliquis terminus absolutus distinctè, & immediatè supponens pro Patre, & pars ratione de qualibet alia persona. Igitur &c.

Unde etiam ad hoc videtur esse intentio Augustini qui in Libro, *de Trinitate*. inquirens, *An Pater sit sapiens per sapientiam quam genuit*. Hoc consequens tanquam impossibile concludit, scilicet quòd Pater non esset aliquid ad se ipsum, & non solùm quòd Pater est, sed omne quod est relativè ad Filium, diceretur. Ubi videtur innuere quòd Pater formaliter est aliquid ad se ipsum, & per consequens formaliter aliquid absolutum, scilicet ad sensum prædictum. Igitur &c.

Quartò, & finaliter dico, ex supradictis apparere quòd illa propositio propter sensus in primo Articulo tactos, potest habere multos alios sensus veros, quos aliàs si opus fuerit explicabo. Sed pro nunc hæc dicta possunt sufficere, de quibus illa solùm volo asserere quæ conveniunt dictis in primo Articulo. Omnia tamen correctioni majorum subjiciens humiliter, & supponens &c.

FINIS.

PETRI DE ALLIACO

Cardinalis Cameracensis,

De libertate creaturæ rationalis ante & post lapsum.

Nunc primùm prodit ex MS. Cod. Navarrico.

UTRUM *libertas creaturæ rationalis ante & post lapsum intrinsecè sit æqualis.*

IN hac igitur quæstione, præmissis communibus distinctionibus de libertate, quas Magister, & alis Doctores ponunt, 2. *Sent.* 25. *dist.* restringo omnia inferiùs dicenda ad libertatem contingentiæ. Et licet non sit evidens in naturali lumine talem libertatem esse; tamen eam esse ponendam suppono ex Fide: quâ suppositâ, ad investigandum conditionem libertatis, tanquam tres difficultates; & juxta hæc tria puncta, ponam tres conclusiones.

- I. Difficultas erit. Quæ res sit essentialiter.
- II. Erit, in quo consistit formaliter.
- III. Erit, quanta sit perfectionaliter.

- I. Conclusio erit, de creatæ libertatis essentali perfectione.
- II. De creatæ libertatis formali ratione.
- III. Erit, de creatæ libertatis perfectionali misseratione.

Prima Conclusio. Libertas creaturæ rationalis, est ipsa voluntas essentialiter à quolibet quod est ipsa, omnibus modis, seu penitùs indistincta simpliciter.

Secunda Conclusio. Libertas creaturæ rationalis in hoc consistit formaliter, quòd est potentia intellectivæ, & volitivæ denominationis, sui effectus productiva contingenter.

Tertia Conclusio. Libertas creaturæ rationalis, est quanta perfectionaliter, absque hoc quòd sit aliquantæ latitudinis gradualis intrinsecùs contentiva realiter.

Prima conclusio probatur, & primò quòd sit penitùs indistincta simpliciter probatur; quia nec distinguitur realiter, nec formaliter; nec ex natura, seu quovis modo aliter, ut pro nunc suppono. Sed quia stat quod A & B, sunt penitùs idem, & distincta A simpliciter, & tamen quod A non sit B essentialiter; sicut demonstrato hoc homine, hoc albo; hic homo, & hoc album sunt omnibus modis idem simpliciter, & tamen hic homo, non est hoc album essentialiter, quia stat hunc hominem esse, & non esse hoc album: modò in proposito voco aliquid esse intrinsecè, sive essentialiter tale, quando monstrat ipsum esse, & non esse tale. Ideò ad ostendendum quòd non sic potest dici de voluntate & libertate; sed quòd voluntas est libertas essentialiter, ut dicit conclusio, ponam aliquas propositiones.

Prima est. Quòd in creaturis omnis perfectio communis denominationis divinæ perfectioni simpliciter convenit, vel essentialiter. Verbi gratiâ. Vita creata est perfectio communis denominationis vitæ divinæ, quæ est perfectio simpliciter, quia utraque est vita, & illa perfectio convenit creaturæ essentialiter, quia nulla creatura quæ est vita, potest esse & non esse vita, & ita dico esse de qualibet alia denominatione perfectionis simpliciter: quia non apparet major ratio de una quàm de alia. Ut patet inductivè &c. Intelligitur de denominationibus abstractivis, & de convenientibus creatis substantiis.

Et ex hoc apparet propositum; quia cùm libertas divina sit perfectio simpliciter, & libertas creata sit perfectio communis denominationis; illa convenit voluntati essentialiter, ita quòd nulla voluntas quæ est libera, potest esse & non esse libertas: & ideò dicit Magister. *Lib.* 2. *Dist.* 25. quòd libertas à necessitate est per naturam; id est convenit voluntati essentialiter ex natura rei.

Secunda propositio. Quòd in creaturis inter has denominationes perfectionis, essentia, vita, intelligentia volitiva, est ordo essentialis; sic quòd una est ad aliam potentialis, & alia actualis. Patet: quia stat unam convenire creaturæ sine alia, scilicet, priorem C sine posteriori: & non è contra: sicut stat aliquam creaturam esse essentiam, & non esse vitam, & non è contra; & priorem voco potentialem, posteriorem verò actualem, quia non potest esse sine alia. Igitur &c.

Tertia propositio. Quòd in creaturis possibilis est intelligentia quæ non sit volitiva, & per consequens nec libera; sed non è contrà. Patet ex secunda propositione; quia Deus potest communicare creaturæ priorem denominationem perfectionis, sine posteriori, & non è contra: quia cum ita sit de aliqua, ita posse esse de qualibet, non apparet repugnantia. Quare &c. Et hæc de prima quæstione.

Secunda conclusio probatur. Et primò sciendum est quòd secundùm multos Doctores formalis ratio libertatis consistit in hoc, quia positis omnibus aliis requisitis ad producendum effectum, ipsa contingenter producit ipsum, sic quòd habet intrinsecum posse ad producendum, & non producendum, sive ad D talem effectum, & summo propositum. Cui sententiæ etiam concordare videntur Aristoteles. 9. *Metaphysica*, & ejus Commentator. *Commentò*. 18. Ubi per hoc volunt ponere differentiam inter potentiam naturalem, & liberam. Sed sine assertione temeraria, dico quòd formalis ratio libertatis consistit in hoc, nec sic distinguitur convenienter potentia libera, & non libera: ad cujus probationem præmitto tres propositiones.

Prima est. Non stat aliquid fieri ab aliquo, & illud non fieri à Deo. Secunda. Non stat aliquid fieri à Deo, & aliud non fieri contingenter ab eo. Tertia est. Non stat aliquid fieri contingenter à Deo, & illud fieri non contingenter sive necessariò ab alio. Istas non probo, sed suppono, tanquam infallibiles veritates.

Ex quibus patet quòd quælibet causa secunda, sive libera, sive non libera, æquè contingenter agit, sicut causa prima. Nam sequitur: hæc causa secunda facit aliquid: ergo Deus facit aliquid: ergo Deus facit illam, per primam propositionem. Etiam sequitur: Deus facit illud: ergo contingenter facit per secundam. Et ultra sequitur: Deus facit illud contingenter: ergo causa secunda facit illud idem non necessario, sed contingenter, per tertiam.

Ideò concludo quòd formalis ratio libertatis, non consistit in hoc præcisè, quia concurrentibus omnibus causis requisitis ad suum effectum, potest cum eis agere, vel non agere: nam hoc etiam convenit potentiæ naturali non liberæ. Unde concurrentibus omnibus causis requisitis ad hoc quòd ignis producat ignem, potest cum eis agere, vel non agere; quia Deus potest eis coagere vel non coagere. Et si dicatur quòd ipse ordinavit semper agere, de communi cursu naturæ, & non ordinavit de libera voluntate; hoc non valet, quia potuit oppositum ordinare: quo posito, voluntas non esset libera; & sic B ipsa non esset libera intrinsecè & essentialiter, sed solùm extrinsecè, & accidentaliter. Cujus oppositum stabilitum est supra, in prima conclusione.

Ex quibus omnibus patet conclusio probanda; scilicet quòd formalis ratio creatæ libertatis in hoc consistit, quòd ipsa est potentia sui effectus productiva contingenter, & hoc per principium intrinsecum duplicis perfectionalis denominationis ipsi primæ libertati consimilis, idest per principium intellectivum, & volitivum; sicut Deus intelligendo & volendo liberè ad extra principiat: & iste est sensus conclusionis, nec apparet alius modus sufficiens ponendi formalem rationem creatæ libertatis. Quare &c. Et ad hunc sensum possunt trahi verba Venerabilis Hugonis, idest de Sacra. *prate* 5. *Cap*. 20. & 21. & Magistri. *Lib*. 2. *Distinctionibus* 24. & 25. scilicet quòd ly *arbitrium* est facultas rationis & voluntatis. Et hæc de secunda conclusione.

Tertia conclusio probatur, & primò quòd sit quanta perfectionaliter. Patet: quia una est aliâ perfectior, & per consequens major essentialiter, juxta modum loquendi Augustini. 6. *De Trinitate*. Quòd *In hiis quæ non mole magna sunt, idem est melius, quod majus esse*. Sed quòd non sit aliquantæ latitudinis gradualis contentiva realiter, patet; quia si poneretur talis latitudo intensiva plurium graduum aliquo modo distinctorum contentiva, hoc maximè esset ad salvandum excessum specierum, in perfectione essentiali, sicut dicunt adversarii. Sed hoc non cogit: quia Deus qui dicitur maximè & infinitè quodlibet aliud perfectionaliter excedere, non ponitur ab adversariis talem latitudinem gradualem continere, sed æquè faciliter potest in aliis salvari, ut patet. Igitur &c.

Ex hiis sequuntur aliquæ propositiones. Prima est. Quòd una natura specifica non excedit aliam perfectionaliter; vel exceditur ab alia in aliqua quantitativa proportione geometrica, vel arithmetica. Verbi gratiâ: nec in dupla nec in tripla patet, quia talis proportio solùm est propriè in quantitatibus discretis extensivis, vel intensivis, & non in perfectionibus specificis. Igitur &c.

Secunda est. Una natura specifica, non est major aliâ, vel minor perfectionaliter, propter majorem vel minorem distantiam à non gradu, vel etiam à summo gradu essendi simpliciter. Patet: quia nulla continet aliquos gradus distinctos aliqualiter, per quos sicut distaret perfectionaliter. Igitur &c.

Ter-

Tertia est. Quòd una natura specifica est aliâ magis vel minùs perfecta essentialiter: quia sibi conveniunt plures vel pauciores denominationes perfectionis simpliciter. Patet ex dictis. Et hoc modo una libertas creata est aliâ essentialiter magis perfecta, sicut angelica magis quàm humana. Hæc de tertia conclusione. Ex qua, & omnibus supradictis probatur quæstio responsalis, scilicet pars affirmativa quæstionis.

Contra responsionem arguitur sic. Libertas contingentiæ est perfectio, seu perfectionalis conditio accidentalis rationali creaturæ. Igitur potuit sibi inesse, secundùm majus & minus, ante & post lapsum. Consequentia & falsitas consequentis patent. Ex dictis antecedens probatur: quia si libertas est perfectio essentialis creaturæ; igitur nedùm secundùm speciem, sed secundùm modum præstantissimum & gradum immensum est in Deo. Consequentia est nota, & falsitas consequentis patet: quia tunc sequitur quòd Deus contradictoriè liberè producere posset delectionem notionalem ad intra; quia non minùs nobiliter actuatur quæcumque Dei potentia ad intra quàm ad extra. Libera autem producitas, est perfectio simpliter, & non naturalis. Igitur à fortiori debet habere terminum ad intra, etiam aliter non esset, unde distinguuntur actus notionales ad intra &c.

Respondetur & negatur antecedens principale. Ad probationem conceditur primum consequens ad bonum sensum, & ad improbationem negatur prima consequentia. Ergo deus contradictoriè, liberè. &c. Et ad probationem negatur illa ultima consequentia; ergo libera producitas à fortiori debet habere terminum ad intra, nec per naturaliter, & liberè producere, distinguuntur primariè actus notionales, sive divinæ emanationes ad intra. Dic pro materia quòd libera producitas ad extra, est denominatio perfectionis simpliciter, sed non producitas ad intra, quia prima convenit cuilibet perfecto simpliciter; sed non secunda, quia non in Spiritu sancto.

Sed iterùm probatur principale antecedens. Et sit A. intellectualis natura, non voluntas habens, tamen appetitum cognitivum: quia ex statuto naturali cursu habent quòd omnibus &c. ad agendum positis agat vel non agat, sive naturaliter possit agere, vel non agere &c. Tunc sic A est verè liberum, & non nisi accidentaliter. Igitur antecedens probatur, quia A est natura habens appetitum rationalem, quia apprehensione intellectuali mobilem. Igitur cùm sit continenter sui actus productivus, ipse est liber &c.

Respondetur. Licet casus posset apparenter calumniari: tamen dicitur quòd admisso casu, adhuc negandum antecedens, quod A est verè liberum. Et ad probationem negatur assumptum quòd A sit natura habens appetitum rationalem; quia per appetitum rationalem intelligo appetitum volitivum; sicut per appetitum irrationalem, appetitum sensitivum: & quando probatur per hoc quia habet appetitum apprehensione intellectuali mobilem, quidquid sit de hoc, quia posset probabiliter negari; tamen negatur consequentia: ergo appetitum rationalem.

Unde pro materia argumenti dicitur, quòd sicut appetitus naturalis, & appetitus animalis differunt, quia primus est sine cognitione prima, secundus non: sic appetitus irrationalis qui dicitur sensitivus, & appetitus rationalis, qui dicitur volitivus differunt, quia primus est cum cognitione prima, ex qua sola sufficit se actuare actu suo appetendi: secundus autem est ex cognitione intellectiva prima, ex qua sola sufficit se actuare actu suo appetendi, qui dicitur actus volendi. igitur &c.

Sed iterum arguitur antecedens negatum, quia ista consequentia est Philosophica & Catholica. Naturalis cursus in omnibus stat, & omnia occurrunt requisita, ut dicta potentia rationalis agat, stat, impedimentis remotis, & illa non agit. Igitur illa libera contradictoriè, modo talis consequentia est bona de A. Ut patet ex casu. Igitur &c.

Respondetur quòd quidquid sit de antecedente, quod fortè implicat contradictionem, ut posset ostendi: tamen illo concesso ad aliquem bonum sensum, non valet illa consequentia, nec est bona de A, nisi in antecedente addatur quòd A est potentia rationalis volitiva, propter rationem tactam in conclusione secunda.

Sed iterum contrà probatur, quòd illud addere non juvat, quia potentia volitiva ut sic, se habet in plus quàm libertas contingentiæ, quia Deus vult se, & liberè producit Spiritum sanctum. Et res solùm complacenter libera, esset volitiva, & non contradictoriè libera, ut patet. Igitur de ratione formali volitivæ, ut sic, non est esse contradictoriè liberum, nec de ratione intellectivæ. Igitur nec ex cursu illarum oritur formaliter libertas contingentiæ.

Respondetur negando antecedens & distinguendo. Quòd voluntas & libertas convertibiliter se habent. Et ad probationem antecedentis, primò dicitur pro materia, quòd omnis volitiva est contradictoriè libera, nec stat quòd sit aliqua volitiva solùm complacenter libera.

Secundò dicitur, quòd cum illo stat quòd non omne divinum velle, respectu sui cujuslibet objecti volitivi, est contradictoriè. liberum, sive liberè velle: quia Deus vult se esse, & vult producere Spiritum sanctum. Et tamen nec liberè vult illud, nec liberè producit Spiritum sanctum, loquendo de libertate contingentiæ &c.

Tertiò dicitur, quòd ex hoc non sequitur aliud; nisi quòd iste terminus, *libertas*, aliquid plus connotat, quàm iste terminus, *voluntas*, secundùm esse productivum contingenter, & ad istum sensum de ratione formali volitivæ, & sic non est esse contradictoriè liberum. Idest, hoc non includitur in ejus ratione, seu deffinitione quidentitativa. Sed hoc non est contra dicta. &c.

Hîc considera, quòd Deum liberè producere A. tria importat; scilicet ipsum intelligere, & intelligendo velle, sed hoc non sufficit, quia intelligit & vult se esse: ideò ultra requiritur Deum hujusmodi actum volendi ad A contingenter applicare, hoc est contingenter velle A esse. Ideò cum libertas contingentiæ sit denominatio perfectionis simpliciter communis Deo & creaturæ, ipsa erit consimilis rationis in utroque. Igitur illa sola creatura erit libera quæ, sicut Deus, intellectivè & volitivè principiat contingenter. Unde patet quòd liberè agere, est intellectivè & volitivè agere contingenter. &c.

Circa primam propositionem primæ conclusionis. Nota quòd ipsa intelligitur de denominationibus abstractivis, ut in proposito describatur denominatio perfectionis simpliciter, quòd est terminus abstractus, supponens pro perfectione simpliciter summa, & conjunctim ac divisim, pro quolibet quod est ipsa.

Per hoc excluditur instantia de denominationibus perfectionis concretivis, sicut sunt cognoscens, volens, intelligens, velle &c. Item intelligitur de denominationibus convenientibus rebus substantialibus, ut per hoc excludatur instantia de istis denominationibus abstractivis, intellectio, volitio, justitia, &c.

Item hîc non sumitur convenire essentialiter, pro convenire secundùm prædicationem essentialem, sed magis largè, ut patet ex quid nominis, de essentialiter tale. &c.

Circa secundam. Nota quòd voluntas, libertas, est denominatio posterior, & actualis, respectu intelligentiæ. Non aliundè potest concludi, nisi ex ordine suorum actuum, sicut de intelligentia, respectu vitæ. &c.

Circa tertiam. Considera, si talis intelligentia esset &c. Numquid esset animaliter appetitiva, & dic quòd secundùm opinionem quòd eadem anima non est sensitiva & intellectiva, potest dici quòd non. &c. Et est apparentia quia; nam intellectualis, angelica vel divina non est sensitiva, & per consequens non animaliter appetitiva, nisi volitivè, sed secundùm aliam opinionem potest probabiliter dici oppositum. &c.

A Circa formam primæ conclusionis, nota quòd propriè loquendo, libertas & voluntas non distinguntur ratione. Tamen intelligendo ad bonum sensum, illo concesso non sequitur: ergo aliquo modo distinguntur. &c.

Item, hìc considera quod non sequitur: A non est B essentialiter; ergo aliquo modo non sunt idem, vel distinguntur. Exemplum, non sequitur: A non est B convertibiliter, vel necessariò, vel per se. Ergo &c.

Item, nota quòd voluntas est necessariò productiva, & tamen productiva contingenter &c. Et hoc est pro secunda conclusione.

Item, circa intellectum conclusionis considera. Non oritur specifica distinctio inter intellectionem & volitionem: summum bonum denominatur ille actus *intellectio*, & iste, *volitio*, si inter intellectum & voluntatem ex natura rei, nulla omninò sit distinctio &c.

B Item, de distinctione formali inter intellectum & voluntatem Dei, & voluntatem, & libertatem. &c. Cur aliquid dicitur de uno quidem negatur de alio &c.

Circa primam propositionem secundæ conclusionis: nota illud quòd dico. Prima propositio claudit & implicat contradictionem, sed non explicat contradictionem, scilicet nobis evidenter apparentem.

Circa secundam: nota illud quòd dico: ipsa stat de produci, sed non de fieri. Ratio diversitatis est, quia produci dico solùm esse ab aliquo. Sed fieri ultra produci, addit transire de non esse ad esse. Primum est possibile sine secundo, secundùm Fidem &c.

Circa modum probandi conclusionem: nota quòd causa secunda, æquè contingenter agit, sicut causa prima: scilicet quantùm ad modum contingentiæ, quia stat non posse agere, & posse non agere; sed non quantùm ad omnem modum: quia prima independenter agit contingenter, secunda non &c. nec sequitur: æquè contingenter agit, ergo æquè liberè agit. &c.

C Item, per formalem rationem libertatis intelligitur illud ex quo formaliter aliquid concluditur esse liberum, sic quòd unum necessariò convertibiliter sequitur ad reliquum. &c.

Circa materiam conclusionis: nota quòd solus actus voluntatis propriè est liber; actus tamen intellectûs vel sensûs potest aliquo modo dici liber, denominatione extrinseca &c. quia ab ipsa volitivè libera.

Nec dicitur aliquis actus liber, quia est à libertate vel potentia libera; sed quia est talis potentiæ actus volitivus, vel mediante tali volitione elicitus &c. Pone exemplum in pueris & furiosis &c.

Item, nota quòd voluntas non necessitatur, contra Braduardinum, nec potest cogi, seu necessitari simpliciter; tamen benè secundùm quid, scilicet, necessitate naturali, secundùm Olkot. Vide casus &c.

D Et respectu talis actûs volendi, ipsa esset libera simpliciter, libertate contingentiæ &c. non tamen libertate indifferentiæ, nec libertate à necessitate coactus naturalis. Ut patet &c. Declara hoc.

Item, Ecclesiastici xv. 14. *Deus dedit hominem in manu consilii sui.* Ubi notatur, quòd liberum arbitrium hominis præsupponit consilium, quod pertinet ad intellectum &c.

Item, nota Braduardinus: quòd solus Deus qui omnibus aliis positis &c. potest agere & non agere, & ipse solus est liber, respectu omnium causarum simpliciter; creatura autem secundùm quid, respectu omnium causarum inferiorum &c.

Item, nota quomodò sumus domini actuum nostrorum, non primò & principaliter &c. Exemplum de milite &c.

Circa tertiam conclusionem. Nota quòd sicut, propriè loquendo, una libertas non est ad alium dupla, vel tripla essentialiter, sic nec quanta perfectionaliter; quia nec materialiter discreta, nec dimentionaliter extensa, nec gradualiter intensa, qui sunt modi propriè quantitatis: potest tamen aliquo mode dici quanta, & aliâ major, quia aliquot & plures denominationes perfectionis simpliciter sibi conveniunt; nec tamen consimiliter potest dici dupla, quia in duplo plures denominationes &c. quia semper posteriores denominationes sunt majoris perfectionis. Potest faciliter patere per exemplum de perfectionibus hominis, ad perfectiones asini &c. Igitur &c.

Circa conclusionem responsalem ad titulum, quasi. Nota quòd una potentia non est magis libera, quàm sit essentialiter perfecta; nec magis capax vitaliter, quàm sit activa; nec magis activa, quàm sit perfecta, essentialiter. Ex quo potest ostendi quòd voluntas non potest quantumlibet definiri. &c.

Item circa quæstionem & responsionem in se. Nota quòd aliquam libertatem esse æqualem, vel æquè liberè agere, potest multipliciter intelligi. Uno modo æqualis intrinsecè, scilicet quantùm ad principium agendi intrinsecum: & hoc quærit quæstio; & ad hoc est responsum. Alio modo æqualis extrinsecè, & hoc dupliciter, vel quantùm ad agendi modum, scilicet quòd æquè expeditè & faciliter agat suum actum: vel quantùm ad actionis effectum, scilicet quòd possit effectum æquè perfectum & bonum. Et de istis modis non quærit quæstio, sed excludit, pro hoc quòd in titulo quæstionis ponitur intrinsecè. Tamen de secundo modo dico quòd sic non æquè liberè agit voluntas, ante & post lapsum; & sic intelligitur quòd naturalia sunt læsa, vel corrupta per peccatum. Sed tertio modo æquè liberè agit ante & post ipsa voluntas, quantùm est de se, cùm sit æqualis activitatis, & per consequens possit in æqualem effectum &c.

FINIS.

PETRI DE ALLIACO
Cardinalis Cameracensis,
QUÆSTIO.
Utrùm conscientia erronea excuset à culpa.
Nunc primùm prodit ex Cod. Navarrico.

U*TRUM creatura rationali conscientia erronea aliquem ejus actum excusare possit a culpa.*

ARGUITUR primò quòd sic, quia aliter sequeretur quòd creatura rationalis in casu necessitaretur peccare, & per consequens obligaretur ad impossibile. Utrumque consequens est absurdum, & contra Augustinum dicentem: quòd *Nullus peccat in eo quod vitare non potest.* Sed consequentia probatur: quia ponamus quòd *Sor* habeat Præceptum per quod teneatur ad aliquid, puta ad credendum Trinitatis Articulum; & tamen habeat conscientiam erroneam, per quam dictet si teneri ad oppositum, puta ad non credendum. Vel ergo *Sor* credet, vel non. Si non, tunc *Sor* peccabit; quia faciet contra Præceptum, nisi dicatur quòd in hoc ejus conscientia erronea excusat eum. Si sic, tunc etiam peccabit; quia faciet contra conscientiam: hoc autem, secundùm Doctores, semper est peccatum. Cum igitur *Sor* necessariò credet, vel non credet; & quodcumque isto-

istorum faciat peccet: sequitur quòd necessitatur ad peccandum, & habetur propositum.

Oppositum arguitur sic. Quia si sic: sequeretur quòd videns, non credens Articulos Fidei, & habens firmam conscientiam quòd tenetur non credere Legem Christi, per hujusmodi conscientiam erroneam excusaretur à culpa, & per consequens absolveretur à pœna. Utrumque consequens est absurdum, & contra Christum dicentem: quòd *Qui non crediderit condemnabitur*. Marc. XVI. 16. Sed consequentia probatur: quia si aliqua conscientia erronea aliquem actum excusare possit à culpa, cùm non appareat major ratio de una, quàm de alia: sequitur quòd hoc poterit ista, & habetur propositum.

Primò, præmittam tres considerationes.

Secundò, ponam tres quæstiones.

Tertiò, evadam oppositas rationes.

Quantùm ad primum, præmittam de conscientia erronea tres considerationes.

Prima, erit una descriptio. Secunda, erit una distinctio. Tertia, erit una suppositio.

Prima igitur consideratio, erit descriptio hujus termini, *Conscientia erronea*; & erit hæc, quòd *Conscientia erronea est judicium quo rationalis creatura dictat se ad aliquid teneri, ad quod non tenetur; vel ad aliquid non teneri, ad quod tenetur*. Patet: quia omnis rationalis creatura habens conscientiam erroneam, habet tale judicium. Et è contra. Igitur descriptio est bona. Consequentia patet, & antecedens apparet inductivè.

Ex hac descriptione sequuntur duo corollaria. Primum est, quòd *Possibile est rationalem creaturam habere erroneam conscientiam; & tamen impossibile est ipsam scire vel opinari illam conscientiam esse erroneam*. Prima pars satis patet ex descriptione, & per experientiam: sed secunda probatur; quia aliter sequeretur quòd rationalis creatura haberet simul judicia opposita, & judicaret contradictoria fore vera, sicut patet. Igitur &c.

Secundum corollarium est, quòd *Possibile est rationalem creaturam esse dignam vitâ æternâ, secundùm præsentem justitiam, & tamen impossibile est ipsam, stante casu, de hoc certificari, secundùm Legem statutam*. Probatur de illo qui habet conscientiam erroneam quòd sit in mortali peccato: nam ex hoc sequitur quòd talis est in gratia, & per consequens dignus vitâ æternâ; & tamen certificari non potest quòd sit dignus vitâ æternâ, stante illa conscientia, quia si esset certus quòd esset dignus vitâ æternâ, esset certus quòd non esset in peccato mortali, & per consequens non haberet conscientiam illam. &c.

Secunda consideratio erit una distinctio de conscientia erronea, & erit hæc, quòd duplex est conscientia erronea: quædam est quam rationalis creatura tenetur deponere de necessitate salutis, ut si quis judicaret se teneri ad non credendum Legem Christi: alia conscientia est erronea, quam non sic tenetur deponere, ut si quis judicaret se teneri ad credendum Legem Christi sub tanto gradu, vel tanto assensu, puta ut secundo, vel tertio &c.

Ex hac distinctione sequuntur duo corollaria. Primum, est quòd *Impossibile est rationalem creaturam mortaliter non peccare, conformando se conscientiæ suæ erroneæ*; quia tenetur de necessitate salutis deponere. Et hoc est contra quemdam Doctorem alterius Studii qui tenet oppositum. Patet tamen corollarium: quia nulla conscientia erronea, de necessitate salutis, est deponenda, nisi quæ dictat aliquid contra salutem: & per consequens, quicumque conformat se tali conscientiæ, vel dictamini, facit aliquid contra salutem. Sed omnis qui facit contra salutem mortaliter peccat, quia nihil est saluti contrarium, nisi mortale peccatum. Igitur &c. Multæ rationes possent ad hoc fieri; sed transeo &c.

Secundum corollarium est, quòd *Impossibile est rationalem creaturam mortaliter peccare, conformando se conscientiæ suæ erroneæ, quia non tenetur de necessitate salutis deponere*. Patet clarè &c.

Tertia consideratio, erit una suppositio de conscientia erronea, & erit hoc, quòd *Nulla conscientia erronea est Lex seu regula obligatoria*. Et hoc est contra Thomam de Argentina, & contra imaginationem multorum. Patet tamen propositum: quia omnis Lex, seu regula obligatoria est conformis primæ Legi, seu consona divinæ voluntati: sed nulla conscientia erronea est hujusmodi. Igitur &c. Major patet: quia, sicut impossibile est quòd aliqua res creata sit causa, nisi à prima causa; sic impossibile est quòd aliqua res creata sit Lex vel regula, nisi à Lege prima, quæ est voluntas divina: & per consequens, sicut impossibile est quòd aliqua Lex vel regula sit primæ Legi, seu divinæ voluntati dissona. Igitur &c. Minor patet; quia nulla falsitas est conformis Legi primæ, seu divinæ voluntati consona, cum ipsa sit veritas summa. Igitur &c. Multæ rationes possunt fieri &c.

A

Ex hac suppositione sequuntur duo corollaria. Primum est, quòd *Possibile est quòd sint duæ conscientiæ, quarum una est alteri opposita; & tamen quòd neutra sit obligatoria*. Patet: quia si quis habeat conscientiam erroneam quòd ipse tenetur vovere summam paupertatem, seu mendicitatem, hæc conscientia ipsum non obligat, per suppositionem, nec similiter opposita conscientia, ut probatur. Igitur &c.

B

Secundum corollarium est, quòd *Possibile est quòd aliqua conscientia sit recta, & tamen quòd non sit Lex obligatoria*. Patet ex prædicto corrollario: quia si aliqua conscientia est erronea, cujus opposita est recta; Igitur &c.

Quantùm ad secundum, ponam tres conclusiones, in quibus videbuntur tres difficultates.

In prima, pro materia argumenti ante oppositum. Utrùm rationalis creatura per conscientiam erroneam ad impossibile possit obligari?
In secunda, pro solutione ad argumentum. Utrùm rationalis creatura contra conscientiam erroneam licitè possit operari?
In tertia, pro responsione ad quæsitum. Utrùm rationalis creatura, propter conscientiam erroneam à crimine possit excusari.

C

Prima igitur conclusio erit hæc. Quòd sicut impossibile est rationalem creaturam ad impossibile obligari; sic impossibile est eam teneri ad illud quod sua conscientia erronea dictat sibi. Prima pars probatur: quia impossibile est Deum præcipere impossibile. Igitur &c. Consequentia tenet: quia nihil potest rationalem creaturam obligare, Deo non obligante: juxta illud Apostoli. Rom. XIII. 1. *Non est potestas nisi à Deo*. Et antecedens patet per illud Hieronymi: *Quicumque dicit Deum præcipere aliquod impossibile. Anathema sit*. &c. & illud Augustini: *Deus servum pigrum non damnaret, si ea quæ fieri nullo modo poterant imperaret*. Et ad hoc possent fieri multæ rationes &c. Secunda pars probatur: quia illud implicat, immò explicat contradictionem, sicut potest deduci ex descriptione conscientiæ erroneæ &c.

D

Ex hac conclusione sequuntur duo corollaria. Primum est, quòd *Nulla rationalis creatura, sive ex culpa sua, sive alia causa, vel ratione, obligatur ad aliquid sibi impossibile*. Et hoc est contra aliquos qui dicunt oppositum. Patet tamen corollarium ex prædicta conclusione, & ejus probatione: quia sicut inconveniens esset Deum præcipere aliquod simpliciter impossibile; sic etiam præcipere aliquod impossibile illi cui fuit præceptum, sicut arguitur ante oppositum &c.

Secundum corollarium est, quòd *Nulla rationalis creatura, sive ex culpa sua, sive alia causa, vel ratione, obligatur ad volendum impossibile*. Et hoc est

est etiam contra aliquos qui dicunt oppositum.

Patet tamen corollarium; quia nullus obligatur efficaciter velle illud quod scit Deum non posse velle. Patet inductivè. Igitur &c.

Secunda conclusio erit hæc: quòd sicut nulla rationalis creatura obligatur se conformare suæ conscientiæ erroneæ; sic quælibet tenetur hujusmodi conscientiæ se non difformare. Prima pars patet ex tertia consideratione, & ex secunda parte conclusionis primæ. A Quarta pars probatur: quia quilibet tenetur non agere contra conscientiam. Igitur &c. Consequentia patet, & antecedens apparet: quia quicumque agit contra conscientiam suam peccat, sicut apparet per glossam Magistri, super illo verbo. *Omne quod non est ex Fide, peccatum est.* Rom. XIV. 23.

Ex hac conclusione sequuntur duo corollaria. Primum est quòd *Licèt nulla rationalis creatura obligetur ad faciendum aliquid contra conscientiam, etiam erroneam; tamen ipsa obligatur, benè in casu ad faciendum aliquid quod est contra conscientiam suam, quod tamen potest ab ea fieri, non agendo contra conscientiam; scilicet deponendo eam.* Prima pars patet ex secunda parte conclusionis. Secunda patet in casu posito, arguendo ante oppositum quæstionis. Tertia patet, quia talis potest cognoscere conscientiam quam nunc habet fuisse erroneam, & deponere eam, & per consequens B poterit agere illud ad quòd tenetur: & non peccaret; quia non faceret contra conscientiam &c.

Secundum corollarium est, quòd *Licèt nulla rationalis creatura necessitetur, aut obligetur ad peccandum: tamen ipsa benè obligatur in casu, ad faciendum aliquid quod est sibi peccatum.* Prima pars probatur, scilicet quòd nullus necessitatur ad peccandum: quia, secundùm Augustinum: *Peccatum adeò voluntarium est, quòd nisi foret voluntarium, non foret peccatum.* Secunda pars patet, scilicet quòd etiam nullus obligetur ad peccandum: quia hoc implicat; immò explicat contradictionem, sicut potest ostendi ex descriptione hujus termini, *peccare*: nihil enim aliud est peccare, quàm rationalem creaturam aliqualiter esse, qualiter tenetur non esse, vel ipsam aliqualiter non esse, qualiter tenetur esse. Tertia pars patet in casu ante oppositum quæstionis, in quo quis peccat per actum ad quem tenetur. Et ex prædictis patet solutio illius rationis.

C Tertia conclusio erit hæc: quòd sicut aliqua rationalis creaturæ conscientia erronea est peccatum, & aliqua meritum; sic aliqua potest aggravare, & aliqua excusare peccatum. Prima pars probatur. Et primò, quòd aliqua hujusmodi conscientia sit peccatum; quia aliqua est conscientia erronea quam rationalis creatura tenetur deponere, ut patet ex secunda consideratione. Sed omnis talis est peccatum, ut posset ostendi ex descriptione posita hujus termini, *peccare.* Igitur &c.

Item, aliqua conscientia erronea est hæresis, ut patet ex ratione facta ante oppositum. Si omnis hæresis est peccatum: igitur &c.

Sed etiam quod aliqua conscientia erronea sit meritum, probatur. Quia ponamus quòd aliquis simplex & ineruditus Catholicus audiat Prælatum suum prædicantem, & docentem oppositum alicujus Articuli Fidei, de quo talis non tenetur habere Fidem explicitam; D verbi gratiâ, quòd Pater in divinis est major Filio, & habeat talem conscientiam, quasi tenetur credere Prælato suo sic asserenti: tunc in isto casu dico, quòd talis conscientia est erronea, quæ tamen non solùm non est peccatum, immò meritum. Et hoc est contra Dominum scilicet Altissimum. *Lib.* 3. *Summa sua.* ubi agit de Fide, qui expressè ponit oppositum: patet tamen propositum, quia talis bona voluntate assentit, scilicet propter obedientiam Prælati, & propter reverentiam Ecclesiæ Dei, & rectè credit in universali: & quamvis erret in particulari; hoc est tamen errore invincibili. Igitur excusatur & meretur. Igitur &c. Secunda pars conclusionis probatur: & primò, quòd aliqua conscientia erronea potest aggravare peccatum: quia ponamus quòd aliquis habeat conscientiam de aliquo actu veniali, quòd sit mortale, & contra conscientiam faciat illum actum, patet propositum. Sed quòd etiam aliqua conscientia erronea potest excusare peccatum; patet in casu immediatè posito, de simplici Catholico credente Prelato hæretico.

Ex hac conclusione sequuntur duo corollaria. Primum est, quòd *sicut aliqua conscientia erronea est demeritoria; sic qualibet talis est in rationalis creatura potestate libera.* Prima pars patet ex conclusione. Secunda patet: quia nihil imputatur ad demeritum rationalis creaturæ, nisi quod in est ejus libera potestate. Igitur &c. Et istud corollarium quoad utramque partem, est contra *Olkot. Quæstione* I. *Articulo* I. & *Articulo* 6. ubi tenet quòd *Nullus actus intellectus, sicut credere, vel assentire, est in libera viatoris potestate, nec meritorius, aut demeritorius.* Sed oppositum patet ex prædictis. &c.

Secundùm corollarium est quòd *Sicut aliqua conscientia erronea est demeritoria, sic ad nullam talem obligatur rationalis creatura.* Prima pars patet ex conclusione. Secunda patet: quia nullum divinum Præceptum obligat ad errandum, seu ad credendum falsum. Igitur &c. Et istud corollarium quoad secundam partem, est etiam contra Olkot. *Quæstione* 8. *Articulo* 6. ubi tenet quòd *In casu supposito, simplex Catholicus tenetur credere Prelato heretico, & prædicanti falsum, & hereticum.* Sed oppositum patet ex prædictis &c. Et sic probatur responsio ad quæstionem &c.

Contra secundam partem secundæ conclusionis, & probationem ejusdem, arguitur sic. Nullus agens contra conscientiam suam erroneam peccat, & si peccat, non per hoc quod difformat se eidem. Igitur &c. Consequentia est nota. Antecedens probatur pro prima parte. Aliquis agit contra conscientiam erroneam, & non peccat: Igitur nullus &c. Consequentia tenet: quia non est major ratio de uno, quàm de alio. Antecedens probatur, & ponitur casus, quòd sit aliquis qui habeat istam conscientiam erroneam quòd non est benè volendum, seu benè faciendum: iste agens contra conscientiam non peccat. Igitur propositum. Antecedens probatur: quia actus elicitus contra istam conscientiam esset benè velle, & ille non est peccatum. Igitur &c.

Confirmatur, & hæc confirmatio videtur esse probatio secundæ partis antecedentis principalis: quia Judæi habuerunt conscientiam erroneam, in crucifigendo Christum; sed si egissent contra istam, non peccassent. Igitur &c. Consequentia est nota. Antecedens pro prima patet: quia habuerunt conscientiam quæ dictabat ipsum esse destructorem Legis. Sed pro secunda parte patet: quia actus contra conscientiam illam elicitus, fuisset velle non crucifigere Christum. Sed iste non fuisset peccatum, immò actus bonus. Igitur &c.

Secundò, principaliter arguitur contra primam partem primæ conclusionis, & ponitur casus, quòd sit aliqua quæ voverit virginitatem, & nihilhominùs committat actum fornicationis, tunc sic ista obligatur ad impossibile. Igitur &c. Antecedens probatur: quia ista obligatur ad virginitatem; sed hoc est sibi impossibile. Primum patet: quia obligatur ad votum promissum. Secundum patet de se. &c.

Confirmatur. Peccator tenetur esse in gratia, & hoc est sibi impossibile. Igitur &c. Antecedens pro utraque videtur notum. Igitur peccator ex culpa sua tenetur velle sustinere pœnam æternam: sed illam sustinere est sibi impossibile. Antecedens pro prima parte patet: quia tenetur velle quod Deus vult eum velle. Igitur &c.

Ad Primam rationem negatur antecedens, & ad pro-

probationem illius, quando ponitur casus &c. Primò dico, quòd licet iste casus posset probabiliter calumniari; tamen gratiâ disputationis transeo ipsum. Secundò dico, quod concesso casu, non est possibile quòd aliquis habeat talem conscientiam erroneam, & quòd difformet se sibi, seu agat contra ipsam, & hoc, loquendo de potentia ordinata, & intelligendo per benè velle, seu per benè facere actum nullo modò malè volitum, seu malè factum. Tertiò dico, quando dicitur: iste agens contra conscientiam erroneam, & in isto casu non peccat: concludo quia est negativa, cujus subjectum pro nullo supponit, & similiter dico ad probationem. A

Ad confirmationem negatur antecedens, & ad probationem, quidquid sit de prima parte antecedentis, & probatione, quia posset calumniari; tamen ad secundum dico, quòd actus ille, scilicet velle non crucifigere Christum, contra illam conscientiam elicitus, fuisset peccatum.

Ac secundam rationem conceditur casus & negatur antecedens. Et ad probationem, quando dicitur ista obligatur ad virgnitatem, quia ad votum promissum: dico quòd si virginitas, seu esse virginem importet integritatem carnis, seu non esse carnaliter corruptam, tunc ista non obligatur ad virginitatem. Secundò, quando dicitur quòd obligatur ad votum promissum; dico quòd obligatur ad illud votum, non tamen quoad omnia ad quæ priùs obligavit illud votum. Tertiò dico; gratia mediante, quòd aliquod est votum, virtute cujus quis obligatur ad aliquid, à cujus obligatione solvitur per transgressionem illius voti. Posset poni exemplum in alia materia. Secundus est in proposito. &c. Ad Confirmationem negatur antecedens, & quia non aliter probatur, nihil plus. Ad secundam confirmationem negatur antecedens, & ad probationem etiam negatur assumptum. B

FINIS.

PETRI DE ALLIACO

Cardinalis Cameracensis,

QUÆSTIO.

De legitimo Dominio.

Nunc primùm prodit ex Cod. MS. Navarrico.

UTRUM *Christi dono gerens potestatem solus in hominibus justè dominetur.*

ARGUITUR primò quòd non: quia absque Christi dono aliquis habet & exercet dominium Regum; sed omne tale est justum dominium: igitur quæstio falsa. Consequentia est clara; sed antecedens probatur. Et primò, quoad primam partem, patet de illis Regibus, de quibus dicit Dominus per Prophetam. *Ipsi regnaverunt, sed non ex me, principes extiterunt, & non cognovi.* Osee. VIII. 4. Sed quoad secundam partem patet: quia secundùm Philosophum, VIII. Ethicorum. *Justum & injustum, sunt differentia inter Regem & tyrannum*; sive inter Regale dominium, & dominium tyrannicum. Igitur &c. D

In oppositum arguitur authoritate Christi dicentis Pilato. *Non haberes potestatem adversùs me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Joannis XIX. 11. Et per illud Apostoli: *Non est potestas nisi a Deo. Et qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit.* Rom. XIII. 1. 2.

Ad quæstionem ponam tres conclusiones, cum suis corollariis: in quarum prima, videbitur quòd ad justè dominari, aliquod Christi donum requiritur. In secunda, quale donum ad hoc non requiritur. In tertia, quale requiritur.

Prima erit. Sicut Dei dono Christus homo factus est Dominus Creator omnium: sic absque Christi dono nullus homo alius gerit justum dominium.
Secunda erit. Sicut donum æternæ prædestinationis, non requiritur ad justum dominium, sic nec gratiæ justificantis donum gratis datum.
Tertia erit. Sicut donum increatum divinæ approbationis, principaliter constituit aliquem justum Dominum. Sic ad hoc principaliter concurrit aliquod creatum donum.

Et ex declaratione istarum conclusionum, & suis adjunctis, patebit pars affirmativa quæstionis.

Prima igitur conclusio probatur. Et primò quoad primam partem, patet per illud dictum Christi. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Mathei. XXVIII. 18. Et illud Apostoli: *Quem constituit heredem universorum, per quem fecit & secula.* Hebræorum. 1. 2.

Sed quoad secundam partem patet: quia per primam Christus habet Omnicreatoris dominium plenissimum, & supremum, unde & hoc soli Deo convenit. Juxta illud. *Dominus nomen est tibi soli.* Judith. IX. 10. Igitur omne aliud dominium dependet ex ejus dono. Consequentia patet: quia sicut à prima causa dependet omnis causa secunda; sic à primo & supremo dominio omne secundum dominium derivatur. Igitur &c.

Ex hac conclusione infero duo corollaria. Primum est. *Non stat aliquem justè dominari aut esse justum Dominium, & a Christo non habere collatum dominium.* Patet ex secunda conclusionis parte, & ejus probatione.

Secundum est. *Stat aliquem justè exercere dominium sive Domini actum, & à Christo non habere collatum dominium, sed solùm concessum ministerium.* Patet ex quatuor suppositionibus.

Prima est, quòd aliud est dominari, sive esse Dominum, aut habere dominium; & aliud exercere dominium, sive domini actum: nam utrumque potest ab altero separari. Verbi gratiâ. Rex est Dominus in Regno, qui tamen plures actus Regii dominii non exercet: contra verò Baillivus, authoritate Regis, plures actus Regii dominii exercet, nec tamen est Dominus Regni, nec habet Regale dominium. Unde sequitur secunda suppositio, quòd stat aliquem justè exercere dominium sive Domini actum, & tamen non dominari, sive esse Dominum, aut habere dominium. Patet in exemplo prædicto. Item patet de Samuële, qui aliquando justè exercuit actum Domini in populum Dei; non tamen quasi Dominus; sed præcisè tanquam minister: juxta illud 1. Regum. VIII. 7. *Non te abjecerunt sed me.* &c. Et similiter habetur de Moyse & Aaron. Exod. XVI. 8. *Non enim murmur hoc contra nos, sed contra Dominum, quid enim sumus nos?* Quasi dicat, nos sumus ministri. Sed & consimiliter loquitur Apostolus de potestate Ecclesiastica purè spirituali, dicens: *Quid est Paulus, quid est Apollo, nisi minister ejus cui credidistis?* 1. Chorinth. III. 4. C

Unde ex hiis sequitur quòd potestas Ecclesiastica purè spiritualis, non est propriè dominium, sed solùm ministerium exercendi Domini actum à Christo concessum: juxta illud, non quasi *dominantes in Clero* &c. 1. Petri V. 3. Et illud: *Reges gentium dominantur eorum* &c. *Vos autem non sic*: &c. Lucæ. XXII. 25. 26.

Tertia suppositio est, quòd non stat aliquem justè exercere dominium, seu Domini actum, à Christo non habere collatum dominium, vel concessum ministerium. Patet ex dictis, & per exemplum de Rege terreno, sub quo nullus potest aliter justè exercere dominium. Unde de aliter dominantibus & domi-

minium injustè usurpantibus intelligitur illud Ozeæ supra allegatum. *Regnaverunt, sed non ex me* &c. capiendo regnare largè, prout se extendit ad injustè dominari.

Quarta suppositio est, quòd non stat aliquando etiam injustè dominari, vel exercere dominium; & ad hoc non concurreret efficax Christi beneplacitum. Patet per authoritates post oppositum, & per illud Job. xxxiv. 30. *Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi.* &c. Et ex hiis patet corollarium: Et hæc de prima conclusione, & suis adjunctis.

Secunda conclusio probatur. Et primò quòd ad primam partem patet: quia aliter solus prædestinatus, & nullus præstitus esset alicujus rei justus Dominus. Sed etiam quod ad secundam partem, patet: quia aliter solus existens in gratia, & nullus existens in mortali culpa esset alicujus rei justus Dominus. Utrumque autem consequens est absurdum; quia sic nullus homo sciret quando esset justus Dominus rei quam possideret: nam ut Scriptura dicit. *Nemo scit utrùm amore vel odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta*, &c. Eccle. ix. 1. Quod utique verum est, tàm de amore vel odio, secundum æternam præscientiam, quàm secundùm præsentem justitiam. Igitur &c.

Unde patet quòd illa est falsa opinio Domini Armarchani, *in dialogo suo. De paupertate Christi*, ubi tenet quòd sine gratia nullus est alicujus rei justus Dominus; sed perdens gratiæ donum per peccatum, etiam perdit dominium: quod declarat tàm de originali dominio, quàm civili. Contra quam opinionem ultra prædicta plura possent induci motiva; sed sufficere debent Scripturæ testimonia. Ait enim Apostolus. 1. Pet. ii. 18. *Servi subditi estote Dominis, non solùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis*: hæc est enim voluntas Dei. Et ad Rom. xiii. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Ubi loquitur Apostolus non solùm de potestatibus, vel Dominis existentibus in gratia, sed etiam de infidelibus, ac aliter existentibus in mortali culpa. Igitur &c.

Ex hac conclusione infero duo corollaria. Primum est. *Non ideò Esaü privatus fuit suo temporali dominio, quia Deus eum reprobavit ab æterno dono.* Patet ex prima parte conclusionis. Unde licèt secundùm sententiam Apostoli. *Rom.* 9. Jacob fuerit à Deo prædestinatus, & Esaü reprobatus; tamen ex hoc non fuit Jacob constitutus Dominus fratrum suorum. Similiter Esaü, ex hoc non fuit privatus jure primogenituræ, ut quidam imaginatur; cùm talis prædestinatio, vel reprobatio, est impertinens ad collationem, vel privationem dominii. &c.

Secundum est. *Non ideò quis semper privatur suo temporali dominio, quia sit ingratus, vel inobediens suo superiori Domino.* Patet ex secunda parte conclusionis: quia peccans, quocumque mortali peccato, est ingratus & inobediens Deo; nec tamen semper propter hoc privatur suo temporali dominio. Igitur &c. Et hæc de secunda conclusione &c.

Tertia conclusio probatur. Et primò quoad primam partem patet: quia velle Dei approbativum, est causa acquisita & sufficiens ad constituendum aliquem justum Dominum, sive justo dominio dignum: juxta illud Esth. vi. 11. *Hoc honore dignus est, quem Rex voluerit honorare.* Ideò dicebat Sapiens. Sapientiæ lx. 4. *Noli me reprobare à pueris tuis*: sed supple, potiùs approbare. Unde infert duo: primum est, *Et ero dignus sedium Patris mei*, ℣. 12. quoad justum dominium. Secundum est, *& erunt Deo accepta opera, & disponam populum meum justè* &c. ibid. quoad justum dominii exercitium. Igitur &c.

Sed quoad secundam partem patet: quia sicut prima causa, licet se solâ possit omnia; tamen multa facit ad quæ concurrit causa secunda. Sic Deus licèt per suum velle approbativum liberè possit quemcumque constituere Dominum, absque quibuscumque titulis creatis: juxta illud Danielis. v. 20. *Altissimus potestatem habet in Regno hominum, & quemcumque voluerit suscitabit super illud.* Tamen, hoc non obstante, cum tali velle liberè associat sibi multas creatas circumstantias, sive titulos, ad hoc quòd aliquem justum Dominum constituat. Ut verbi gratiâ, ad justum Regale dominium, apud nos concurrit pro titulo, parentalis successio. Ad Imperiale verò, vel Apostolicum, multorum communis electio, & in aliis suo modo. Quare &c,

A Ex hac conclusione infero duo corollaria. Primum est. *Nulla Lex utiliter dictans alicui deberi dominium alicujus rei dominabilis, est vera aut justa; nisi intelligitur cum circumstantia divina approbationis.* Patet ex prima parte conclusionis. Verbi gratiâ: Lex dictans quòd quilibet primogenitus debet succedere dominio paterno, non est justa, nisi intelligitur cum hac circumstantia, scilicet, si fuerit ad hoc à Deo approbatus. &c.

Secundum est. *Nullus à nobis censendus est habere dominium alicujus rei dominabilis; nisi habens ad hoc titulum creatum, qui sit verum signum divinæ approbationis.* Patet ex secunda parte conclusionis. Undè licèt approbatio sit ad hoc sufficiens causa; tamen de illa non constat nobis, nisi per aliqua signa creata: nec sufficit quodcunque signum, sed signum verum. Igitur &c. Et hæc de tertia conclusione. Hæc dicta sunt ad quæstionem, cum correctione. &c.

B Contra ultimum corollarium tertiæ conclusionis, arguitur sic. Ex illo sequitur quòd de Papali, Imperiali, & Regio dominio, de quibus loquitur tertiæ conclusionis partitio; à nobis, & à quolibet viatore non super hoc specialiter illustrato, esset verisimiliter dubitandum, vel potiùs illos esse Dominos negandum. Consequens apparet falsum & periculosum. Consequentia probatur, quia nullus talis Princeps habet titulum creatum, quem sciamus esse verum; ergo nec habet fortè, licèt sit verus, quem intrusus & invasor, non æquè videantur habere.

Contra penultimum corollarium ejusdem arguitur sic. Circumstantia divinæ approbationis permissivæ, si liceat sic loqui, non distinguit inter justum dominium & injustum: ergo illa non est necessaria. Alia patet, & antecedens: nam aliter tyrannus quilibet justè dominaretur; nec circumstantia divinæ approbationis propriè dictæ requiritur. Igitur superfluè ponitur. Antecedens patet: quia illa non est respectu

C boni; sed malum dominari non est bonum: ergo saltem respectu malorum Dominorum habetur oppositum.

Ad primum. Nego quòd illud sequatur, & ad probationem dico quòd assumptum est verum de scientia propriè dicta, quæ est scientia evidentiæ. Sed illa in proposito non exigitur; sed sufficit scientia probabilis conjecturæ, & illa hîc habetur, & sic antecedens non est verum.

Ad secundum. Si talis locutio de approbatione permissiva admittatur; concederem totam primam partem argumenti, nec est contra me; sed ad secundam partem, quæ est de approbatione propriè dicta, nego antecedens, & ad probationem nego assumptum, quoad secundam partem.

Contra secundam partem conclusionis secundæ. *Nihil est justum, nec esse potest, sine gratia justificante; igitur ad justum dominium requiritur gratia justificans.* Consequen-

D tia nota est, antecedens probatur: quia sicut implicat contradictionem esse album sine albedine, ita implicat, esse justum sine gratia justificante.

Contra primam partem ejusdem arguitur sic. Nullus præstitus, quicumque sit in gratia, approbatur à Deo, nec ejus opera, juxta illud: Matt. xxv. 12. *Nescio vos*, idest non approbo. Igitur nec ejus dominium approbatur à Deo. Igitur non est justum, & per consequens ad justum dominium requiritur donum æternæ prædestinationis.

Ad

Ad primum dico tria. Primò nego antecedens, & ad probationem etiam nego assumptum; & patet instantia de Deo, nam ipse est justus, & tamen non per gratiam justificantem, sicut aliquid est album, per albedinem. Secundò dico, quòd si illud antecedens, & ejus probatio intelligitur non de Deo, sed de creatura, sive justo creato, adhuc potest dari instantia: quia, secundùm multos, aliquis potest esse justus per justitiam moralem, absque gratia justificante, loquendo de gratia infusa gratum faciente. Tertiò dico, quòd, concesso illo antecedente, & ejus probatione, intelligendo de creatura, adhuc neganda est illa consequentia: quia diceretur quòd esse justum Dominum, sive habere justum dominium non est simpliciter esse justum. Nam aliquis non est simpliciter justus, qui tamen est justus Dominus: quare patet ad formam &c. quia nego antecedens & consequentiam.

Ad secundum etiam dico tria. Primò, concedo antecedens, si intelligitur de approbatione ad bonum vitæ æternæ finaliter obtinenda: & ad hoc vadit probatio. Secundò, nego illud antecedens, si intelligitur de approbatione etiam ad bonum vitæ æternæ, non quidem finaliter obtinendæ; sed secundùm statum præsentis justitiæ: nam aliquis præscitus meretur per ejus opera procedentia ex gratia vitam æternam & ejus meritum à Deo acciperetur ad illam; & sic, ut dici solet, talis, secundum præsentem justitiam, approbatur à Deo ad vitam æternam. Tertiò, nego illud idem antecedens, si intelligitur de approbatione, non quidem ad bonum vitæ æternæ; sed ad aliquod bonum temporale, sicut est dominium vel aliquod tale. Ideò patet ad formam &c. quia alitercumque intelligitur antecedens, nego consequentiam, quia infertur. Igitur ejus dominium non est justum &c.

Contra illud quod dictum est in secunda suppositione secundi corollarii primæ conclusionis, quòd *Potestas Ecclesiastica purè spiritualis non est propriè dominium.* Arguitur sic. Talis potestas est Regalis dignitas: igitur ipsum est dominium. Consequentia patet; antecedens etiam per illud 1. Petr. II. 9. *Vos estis Regale Sacerdotium.* Item Apoc. V. 10. *Fecisti nos Regnum, & Sacerdotes.* Item Sacerdotum Princeps succedit Sacerdotio Christi quod est secundùm ordinem Melchisedech qui fuit Rex & Sacerdos. *Hebr.* VII. & *Geneseos.* XIV. Igitur &c.

Secundò, confirmatur. Nulla est ratio quare Regnum dicitur plùs dominium, quàm Sacerdotium, quia etiam Princeps temporalis *Dei minister est.* Rom. XIII. 4. Et ita Prælatus potest vendere Sacramenta, sicut Rex temporalia.

Tertiò confirmatur. Quia res in quam est usus, sive actus potestatis Ecclesiasticæ, usu consumitur. Igitur usus non differt à dominio.

Contra primam partem primæ conclusionis arguitur sic. Christus homo est ab æterno, & est ante tempus Dominus: & si esset ex tempore Dominus; tamen hoc non esset ex Dei dono, loquendo de dominio divino. Igitur illa pars falsa. Assumptum probatur quod ad tres partes. Prima patet: quia est Deus. Secunda patet: quare Deus ante tempus est Dominus. 2. *Sentent. Distinct.* 2. Tertia: quia Filius procedit quomodò natus, & ex Spiritu sancto procedit quomodò datus aut donum 1. *Sentent. Distinct.* 13. Igitur &c.

Ad primum. Nego antecedens, loquendo propriè de Regali dignitate, & ad probationem dico primò, quod illæ authoritates non probant propositum. Nam Apostolus loquitur ibi non solùm Sacerdotibus, sed generaliter omnibus fidelibus. Ideò communiter exponitur: *Vos estis Regale Sacerdotium*, id est, conformes Christo, qui est Rex Sacerdos: & ita aliæ. Secundò dico, quòd esto quod illæ authoritates essent ad propositum, adhuc solùm probarent quòd Regnum & Sacerdotium concurrerent in eamdem personam. Tertiò dico quòd, supposito quòd illud concederetur, non propter hoc haberetur quòd idem sit Regnum & Sacerdotium. Quare &c.

Ad secundam confirmationem nego assumptum, & ad probationem concedo primam partem; sed nego secundam: pro qua nota quòd habetur: *quarto Sententiarum. Distinctione* 25. Et est Decretum Paschasii 1. Quæst. 3. *Si quis objiceret quis alterum eorum vendit, sine quo alterum non habetur, neutrum invenditum derelinquit* &c.

Ad tertiam concedo antecedens; sed nego consequentiam, & illud dictum. *In rebus quæ usu consumuntur, non differt usus à dominio*, debet intelligi quòd quando alicujus rei tale habetur dominium, unum non separatur ab altero &c.

Ad secundum principale. Concedo primam partem assumpti, ad eumdem sensum ad quem Christus dixit: *Antequam Abraham fieret ego sum.* Joan. VIII. 58. Sed licèt secundam partem ponat Magister, & sic sumatur ab Augustino. 5. *De Trinitate. Cap. ultimo.* tamen secundùm communem sensum loquendi, quia Dominus dicitur relativè ad creaturam, illud non videtur posse salvari, nisi ponendo, quòd antequàm esset tempus, fuit aliqua creatura cujus Deus erat Dominus. Et hoc idem videtur sentire Magister, quando dicit: quòd *Angelica natura, & materia quatuor elementorum confusa, non ex tempore, vel in tempore creata sunt.* posset tamen dici quòd Augustiuus nihil aliud vult, nisi quòd Deus ante tempus erat Dominus, idest habens potestatem dominandi &c. & sic stat in quid nominis &c.

Sed ad tertiam partem dico quòd licèt Filius non procedat quomodò Dominus, sicut Spiritus sanctus, & hoc secundùm modum loquendi Augustini. *Lib. De Trinitate.* sed pro ut distinguuntur quomodò natus, & quomodò datus: tamen potest concludi quòd ex dono Patris Christus habet dominium etiam divinum. Sive quòd Pater dat ei dominium, quia ipsemet dicit. Matth. XXVIII. 18. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* &c.

FINIS.

PETRI DE ALLIACO

Cardinalis Cameracensis,

Utrùm indoctus in Jure Divino possit justè præesse.

Nunc primùm prodit ex Cod. MS. Navarrico.

UTRUM *indoctus in Jure divino possit justè præesse in Ecclesia Regno.*

ARGUITUR primò quòd sic; quia injustus potest justè præesse: ergo & indoctus. Consequentia tenet: quia ad justè præesse, magis obesse videtur injustitia quàm ignorantia: & antecedens probatur: nam quod à Deo fit, justè fit. Sed Deus facit sæpè injustum præesse: juxta illud Job. XXXIV. 30. *Qui facit regnare hypocritam* &c. Igitur &c.

Secundò arguitur. Quia humani Juris peritus, licèt sit divini Juris ignarus, potest justè præesse. Igitur &c. Consequentia nota, & antecedens patet: quia Sedes Apostolica plures promovet Legistas & Canonistas, quàm Theologos, ad Ecclesiæ Prælaturas; & absurdum videtur dicere tales injustè promoveri, seu præesse. Igitur &c.

Tertiò arguitur. Quia Prælatus subdito sibi populo scandalosus, potest, hoc non obstante, justè præesse: ergo & indoctus in divino Jure. Consequentia tenet.

tenet; quia ad justè præesse, magis repugnare videtur Prælati præsidentia scandalosa, quàm ejus ignorantia: & antecedens patet in præsenti schismate, in quo ille qui habet jus in Papatu, magnæ parti, & fortè majori totius populi Christiani est in scandalum; & tamen, hoc non obstante, potest justè præesse. Alioquin, ad sedandum hujusmodi scandalum, teneretur Papali præsidentiæ renuntiando cedere, potius quàm eam retinendo præesse; quod plerisque videtur absurdum. Igitur &c.

In oppositum arguitur, ex illo verbo Christi, Matthæi. XIII. 52. *Omnis scriba doctus in Regno cœlorum*, id est Regno Ecclesiæ Militantis, *similis est Patri familias, qui profert de thesauro suo nova, & vetera*, idest, de thesauro sapientiæ suæ, novi Testamenti & veteris documenta. Unde sumitur argumentum, quòd qui præest in Ecclesiæ Regno, debet esse doctus in utroque Testamento: & per consequens indoctus in Jure divino non videtur justè præesse. Igitur &c.

Quia in verbo prædicto tria designantur quæ requiruntur in Prælato.

Primò, quòd sit in Regno cœlorum per justæ vitæ meritum.
Secundò, quòd sit doctus per sacræ Scripturæ studium.
Tertiò, quòd sit Scriba per salutiferæ doctrinæ officium.

Propter primum, debet non esse injustus in vivendo.
Propter secundum, debet non esse indoctus in discernendo.
Propter tertium, debet non esse scandalosus in præsidendo.

Ideò juxta harum trium, & circa materiam tactam supra in tribus Articulis ante oppositum, quasi tres principales Articulos pertractabo.

Primus erit, utrùm Prælatus injustus possit justè præesse.
Secundus erit, utrùm Prælatus indoctus possit justè præesse.
Tertius erit, utrùm Prælatus scandalosus possit justè præesse.

Quantùm ergo ad primum Articulum. Sciendum est quòd hîc capitur injustus pro illo qui caret gratiâ gratum faciente, scilicet pro omni mortaliter vitioso, seu peccatore: & aliquis est plùs, vel minùs injustus, secundùm quòd plures vel pauciores habet mortales malitias. Hoc igitur præsupposito, distinguendum est quòd cùm Prælatus seu Præsidens injustus præsit ex susceptione authoritatis quam ipse habet in subditos exercere: juxta hoc possunt tria considerari, seu ad tria comparari. Uno modo, ad illos à quibus authoritas sibi datur. Secundo, ad subditos, in quos authoritas habetur. Tertiò, ad se ipsum, qui tali authoritate utitur. Iterum primo modo potest dupliciter comparari. Uno modo, ad Deum, qui primò & principaliter dat authoritatem. Alio modo, ad homines qui eam contrariò, & minùs principaliter conferunt: & juxta hanc differentiam ponentur aliquæ propositiones.

Prima propositio erit, de injusti Prælati præsidentia ad Deum actorem comparata: & est ista, quòd *Licet Deus non sit actor culpæ seu injustitiæ; tamen injustum Prælatum facit præesse.*

Prima pars patet ex communi doctrina Augustini. 1. *De libero arbitrio. Cap.* 1. & Libro, *De natura boni.* ubi dicit: *Cùm de Deo audimus omnia ex ipso, & per ipsum, & in ipso, omnes itaque naturas intelligere debemus, quæ naturaliter sunt; neque etiam ex ipso sunt peccata quæ naturam non servant, sed vitiant.*

Secunda, patet: quia secundùm Augustinum ubi supra. *Licet Deus non sit actor mali culpæ; tamen est actor mali pœnæ*: cùm hujusmodi malum sit opus justitiæ. Sed Prælatum injustum præesse, sæpe est malum pœnæ, scilicet vel ipsiusmet præsidentis, vel subditorum quibus præsidet. Ergo injustum præesse facit Deus, non quidem injustè, sed justè, cùm nihil injustè facere possit. Unde patet primò, quòd non solùm concedendum est, ut aliqui dicunt, quòd Deus permittit injustum præesse, prout permissio præscindit à Dei actione vel factione: immò propriè concedendum est quòd Deus primaria actione facit injustum præesse. Secundò, patet quòd referendo A injustum præsidentem, ad Deum ipsum instituentem, injustus potest justè præesse. Nam quidquid Deus facit in punitionem peccati, aut in emendationem peccatorum, hoc justè fit, quia sic fit in ordine ad bonum justitiæ. Sed Deus sic facit injustum præesse quòd utitur injusti præsidentia, in punitionem culpæ: sicut sub tyrannide Pharaonis voluit filios Israël affligi, in suorum pœnam peccatorum; & sub Nabuchodonosor.

Quandoque etiam hoc Deus convertit in emendationem peccatoris. Nam cùm videt quòd Deus sibi honorem præsidentiæ largitur, nec ab eo juxta sua demerita punitur, quandoque disponit se ut cesset ab injustitia, & ad Deum convertitur. Sic enim *Daniel.* III. Nabuchodonosor punitus & conversus, præcepit non alium colere, nisi Deum cœli. Sic & Con- B stantinus punitus, & conversus, magnas dedit Christo reverentias & suæ Ecclesiæ libertates. Tertiò, patet quòd, licet diabolus sit summè injustus, & in malo obstinatus; tamen à Deo justè habet præsidentiæ potestatem, non solùm ad culpæ punitionem, sed etiam ad virtutis probationem. Unde ad hoc propositum expresè loquitur Augustinus. *Lib. De natura boni.* Cap. XXXII. Quia, inquit, *nocentium potestas non est nisi à Deo, sicut scriptum est, loquente Sapientia.* Prov. VIII. 15. *Per me Reges regnant, & tyranni per me tenent terram.* Et Apostolus dicit, *Non est potestas nisi à Deo.* Rom. XIII. 1. Et in Job scriptum est: Job XXIV. 30. *Qui regnare facit hypocritam propter perversitatem populi* &c. Sequitur: *Injustum enim non est, ut improbis accipientibus nocendi potestatem, ut bonorum patientia probetur, & malorum iniquitas puniatur: nam per potestatem diabolo datam Job probatus est, ut justus appareret; & Petrus tentatus, ut non de se præsumeret; & Paulus colafizatus, ut non se extolleret; & Judas damna- C tus, ut se suspenderet.* &c. Et sic patet de injusti præsidentia ad Deum relata.

Secunda propositio est, quòd *Loquendo de injusti præsidentia, ad homines eligentes, seu ipsum in tali authoritate instituentes comparata: injustus potest justè præesse.* Nam si tales probabiliter credant, & nulla existente in eis, quoad hoc, negligentiâ, verisimiliter existiment ipsum justum, & dignum præsidendi, & sic decepti invincibiliter eum eligant velut dignum, ejus præsidentia ad eos relata est justa; quia illud justè fit ex parte agentis quod fit absque ejus culpa, vel injustitia. Igitur &c. Et patet de injusti præsidentia per comparationem ad illos à quibus sibi authoritas datur.

Tertia propositio est, quòd *Loquendo de injusti præsidentia, per comparationem ad subditos, respectu quorum authoritas habetur, injustus potest præesse*: & hoc D sufficienter patet ex dictis in prima propositione; quia hoc justè fieri potest ad malos puniendos, & ad bonos probandos, & exercitandos. Et quantùm ad hoc dicit Augustinus: Lib. 4. *De Civitate Dei.* Cap. 3: quòd *Hiis qui serviendo malis Dominis subduntur, non nocet nisi propria iniquitas.* Quia scilicet in hoc puniuntur. *Nam justis quidquid malorum ab iniquis Dominis irrogatur, non est pœna criminis, sed virtutis examen. Proinde bonus, etiamsi serviat liber est; malus autem etiamsi regnet servus est.* Et sic patet de injusti præsidentia, per comparationem ad illos in quos confertur,

fertur, scilicet ad subditos, super quos authoritas datur.

Sed major restat difficultas, loquendo de injusti prælidentia, per comparationem ad se ipsum qui tali authoritate utitur, & hoc modo comparandi. Cùm quæritur utrùm injustus potest justè præesse: hoc dupliciter potest intelligi: Uno modo, ut ly *justè*, determinet jus seu authoritatem præsidendi; sic quod justè habeat præsidentiam, idest justo titulo, & non furtivè, seu violenter. Alio modo, ut ly *justè*, determinet actum seu usum officiandi, sic quòd justè exerceat officium præsidendi, ita quòd careat culpâ, officium præsidentiæ exercendo. Et hinc de hiis duobus modis ponentur propositiones.

Unde quarta propositio sit ista, quòd primo modo, *Injustus potest justè praeesse*. Ita quòd potest acquirere, & habere jus & authoritatem, seu justum titulum præsidentiæ. Nam si debitè eligentes, seu ritè promoventes, errore invincibili eligunt peccatorem & injustum ad præsidendum, transit jus prælationis in ipsum: & quamdiù ab Ecclesia toleratur, omnia quæ ad præsidentem pertinent, à sibi subditis debentur. Et hanc propositionem diffusè inferiùs probabo, quamdam erroneam opinionem ei contrariam reprobando.

Quinta propositio est, quòd secundo modo supradicto, *Injustus non potest justè praeesse*, ita quod non potest justè, idest sine carentia culpæ, præsidendi actum seu officium exercere.

Probatur primò sic. Quia injustum est quòd talis præsideat, idest præsidentiæ officium exerceat, unde locus & status præsidentiæ vilescat, ac doctrina veritatis contemnatur: & propter hoc Christus Magisterium Scribarum condemnat. Mathæi. XXIII. quia quamvis benè docerent, malè tamen vivebant, qui sedentes super Cathedram Moysi, aliud dicebant, & aliud faciebant: dicebant facienda, & faciebant non facienda. Et *in hoc*, ut dicit Augustinus 4. De doctrina Christiana, *doctrinam veritatis contemptibilem faciebant*. Quia secundùm Gregorium. *Cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur*. Ergo injustus injustè & damnabiliter præsidet, cùm per ipsius malam vitam Christi Cathedra dehonoretur, & veritatis doctrina contemnatur. Et ista ratio saltem probat intentum de illo qui est notoriè vel scandalosè injustus. Sed magis generaliter probatur conclusio: quia injustus qui præest, aut est occultus injustus, aut notoriè manifestus. Si primo modo, tunc est hypocrita, quia ratione officii quo præest, tenetur exempla justitiæ ostendere: unde Prælatis dicitur. Matth. V. 16. *Sic luceant opera vestra bona coram hominibus* &c. Ergo occultè injustus in statu prælationis est hypocrita, quia aliud ostendit, & aliud habet, sicut sepulchrum dealbatum, & sic peccat peccato hypocrisis. Si verò sit manifestè injustus; tunc peccat, indignè ordine, seu officio prælationis utendo, & subditos per mala exempla offendendo; & sic non solùm quia unum pusillum, immò quia plures subditos scandalisat, ut ei magis expediat suspendi mola asinaria in collo ejus, & demergi: quia ut dicit Gregorius. *Qui præsunt, tot mortibus digni sunt, quot per mala exempla in subditos transmiserunt*. Igitur. &c.

Item, tertiò arguitur sic: quia qui præest, debet esse caput, director, & rector subditorum. Ideò præ aliis debet irreprehensibilis, & sine crimine esse; sicut de Episcopo dicit Apostolus. 1. *Tim.* III. 2. & *Tit.* 1. 7. Injustus autem est caput languidum, director cæcus, rector devius, qui se ipsum regere nequit, & alios regere præsumit, quod non est sine præsumptuosa, & cæca ambitione, quia sicut dicit Philosophus. 7. Politicæ, *Pravos non securum facere Dominos, ipsi enim indigent custodia aliorum, magis quam possint alios custodire*. Sic ergo ex prædictis patet quòd injustus injustè præest, id est culpabiliter præsidentiæ officium exercet: ita quòd peccat præsidendo, seu officiando.

Hoc tamen dico, quòd ex hoc non sequitur esse concedendum, quòd talis in omni actu præsidendi, seu officiandi, peccet novo peccato, quia esset favere illi errori quem nuper cum ceteris Magistris Theologiæ Facultatis mandavi publicè retractari, scilicet, A quòd *Omnis actus deliberatus factus ab existente in peccato mortali, est mortale peccatum*. Sed de hoc aliàs erit dicendum.

Sciendum est autem quòd contra quartam propositionem est opinio cujusdam magni Doctoris, scilicet Domini Richardi Armachani, qui in Libro suo, *De paupertie Christi*, tenet quod *Nullus absque creata Dei gratia, est alicujus rei justus Dominus; immò perdens gratiam, perdit dominium*. Et hoc intendit probare tàm de originali dominio, quàm de civili & principativo dominio.

Pro qua opinione sunt aliqua motiva. Primò quidem. Quia primus homo ratione suæ primæ gratiæ, obtinuit dominium rerum, & illa prædicta perdit: illud ergo sic esse debet de quolibet alio. Consequentia patet, quia nullus alius potiùs jus habet in rebus, quàm primus homo. Et antecedens patet. Gen. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit* &c. Ubi ad præsidentiam & B dominium rerum creatarum præmittitur similitudo hominis ad Deum, scilicet per collationem gratuitorum.

Secundò. Abel per suam justitiam servatam servavit dominium sibi datum in rebus: & Caïn illud perdidit per peccatum. Ergo propositum. Consequentia tenet sicut priùs, & antecedens patet. *Geneseos*. IV. Ubi notatur quòd Abel obtulit de primogenitis gregis sui: de Caïn verò dicitur, quòd obtulit de fructibus terræ &c.

Tertiò. Existens in mortali peccato, non habet originale jus in rebus usualibus quoad necessaria vitæ, etiam in extrema necessitate: igitur nec in aliqua alia re. Consequentia patet: quia hoc jus fundamentum est cujuslibet alterius juris adventitii. Et antecedens opparet. 1. *Regum* XXI. 4. de David existente in extrema necessitate, & dicente Abymelech Sacerdoti, ut sibi & pueris suis aliquid daret ad manducandum. Respondit Sacerdos: *Non habeo panes laïcos*, C idest communes & populares. *Sed tantùm panem sanctum: si mundi sunt pueri* &c. quasi diceret, quòd si essent immundi per peccatum, non haberent jus ad panem manducandum.

Quartò. Peccans mortaliter, non habet sub Deo justum ministerium, ergo nec justum dominium. Consequentia tenet per locum à majori. Antecedens patet per illud priùs. *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat*. Ps. c. 6. Quasi dicens, quòd maculatus per peccatum mortale, non habet jus ministrandi.

Quintò. Innocenter vivere, est homagium Deo debitum pro collato sibi dominio. Juxta illud Michæ. VI. 8. *Indicabo tibi ô homo quid sit bonum, & quid Dominus Deus quærat à te: utique facere judicium* &c. *Et sollicitè ambulare cum Deo tuo*. Sed qui non solvit homagium, privandus est Feudo: & per consequens, peccans mortaliter, est infidelis Domino, & ingratus accepti dominii: igitur indignus dominio.

D Sextò. Talis est dignus morte: juxta illud Rom. 1. 32. *Qui talia agunt, digni sunt morte*. Igitur est indignus vitâ, & per consequens multò magis indignus possessione, vel usu rerum ad vitam pertinentium: juxta illud: *Peccator non est dignus pane quo vescitur*. Igitur in talibus non habet justum dominium &c.

Sed hiis, & aliis hujuscemodi sophisticis rationibus non obstantibus, teneo prædictam opinionem esse falsam, & hæreticam: & hoc idem tenet Venerabilis Doctor Guillielmus Ockam, in tertio Tractatu sui dialogi *Lib.* 7. *cap.* 24. ubi mirabiliter probat

ex

ex Scriptura sacra, quòd plures non Christiani fuerint veri Imperatores, & quòd verum dominium, tàm in veteri, quàm in Novo Testamento potest competere infidelibus; & per consequens, in peccato mortali existentibus.

Tamen præter illa quæ ibi habentur contra illam opinionem, induco aliqua inconvenientia aliàs per quemdam Magistrum illata.

Primo quidem: quia ex illo sequitur totum mundum veris Dominis & dominiis vacuatum, cùm totus mundus in maligno positus sit, ut dicit Scriptura. 1. *Joan*. v. 19. Et hoc inconveniens concedit prædictus Richardus, licèt valdè durum meritò videatur.

Secundò sequitur: quod Principe aliquo notoriè peccante mortaliter, suus primogenitus, aut heres esset illud dominium assumendus. Quod etiam confirmatur: quia si talis Dominus corporaliter moreretur, sic esset agendum. Sed nunc per illam opinionem, jure simili, vel æquali, vacat illud dominium. Igitur &c.

Tertiò sequitur: ex duobus existentibus filiis alicujus Domini, si secundogenitus esset primò baptisatus, ille priùs ac potiùs jus haberet in hereditate, cùm primogenitus maneat adhuc filius iræ, ut dicit Apostolus. *Ephes*. II. 3.

Quarto sequitur: quòd omnia acta & exercitata in peccato mortali à Dominis tàm temporalibus, quàm Ecclesiasticis; carerent roboris firmitate, ac forent injusta & reformanda, restituitâ charitate, quod non fit.

Quintò, Ad idem est Scriptura multiplex. Primò. *Exod*. I. De obstetricibus, quibus Dominus benè fecit, dando scilicet eis dominium in rebus temporalibus, pro pietate in filios Israël facta, licèt extra charitatem.

Sextò. Apostolus, Romanorum. XIII. 1. dicit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*. Ubi non solùm loquitur de Dominis seu potestatibus existentibus in gratia. Immò etiam de infidelibus.

Septimò. 1. *Petri*. II. 18. dicitur: *Servi subditi estote Dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis: hæc enim est voluntas Dei*. ℣. 15.

Octavò. 1. *Corinth*. VII. 4. De dominio viri & uxoris, in quo, secundùm Apostolum, *nec vir habet potestatem corporis sui &c.* Idem Apostolus. ℣. 13. ipsum domanere, non obstante infidelitate alterius conjugum, quæ tamen est mortale peccatum.

Nonò. Tamen, secundùm istam opinionem: existenti notoriè in peccato mortali, quamvis extremam necessitatem habenti, possent justè vitæ necessaria denegari, contra illud: *Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat*. Ezech. XXXIII. 11.

Decimò. Secundùm hanc opinionem, nemo sciret quando esset justus Dominus rei quam possideret, quia scriptum est: *Nemo scit an amore, vel odio dignus sit*. Eccle. IX. 1. Et per consequens, tenens opinionem prædictam, dubitans se esse in peccato mortali, deberet omnibus bonis quæ habet renuntiare, & ab eorum possessione & usu cessare: quòd si non faciat, caveat ab illo verbo Evangelico. *Ex ore tuo te judico, serve nequam*. Luc. XIX 22. Igitur &c.

Pro responsione autem ad prædictam opinionem, & declarationem propositionis quartæ superiùs positæ, addam aliquas propositiones.

Una est, & sexta in ordine, quòd *Nullus dominatur, absque sibi à Deo gratis communicato dominio*. Patet: quia Deus habet plenissimum omnium rerum dominium, primum ac supremum: sed omne secundum dominium à primo & supremo derivatur. Ideò dicit Apostolus: *Non est potestas nisi à Deo*. Rom. XIII. 7. Igitur &c.

Septima propositio. *Contingit aliquem justum exercere dominium, seu Domini actum, absque sibi à Deo communicato dominio*. Patet de Samuele, qui aliquando justè rexit populum Dei, non sicut Dominus, sed præcisè sicut minister. Unde. 1. *Reg*. VIII. 7. à Domino dicitur: *Non te abjecerunt, sed me*. Et similile de Moyse & Aaron. Exod. XVI. 8. *Murmur hoc non contra nos, sed contra Dominum, quid enim sumus nos?* quasi dicentes: non sumus Domini sed ministri.

Consimiliter Apostolus loquens de potestate purè spirituali Ecclesiæ dicebat: *Quid est Paulus, quid est Apollo? Ministri ejus cui credidistis*. 1. Corinth. 3. 4. Tale ergo exercitium dominii quod non procedit à A communicato dominio, est ex concesso ministerio: sicut Rex terrenus constituit Præpositos & Ballivos, quos non constituit Dominos; & tamen dominantur, id est exercent sub eo dominium vice ejus. Utrùm autem consimiliter in Prælatis Ecclesiæ potestas temporalis, vel juridica spiritualis, sit solùm concessum ministerium, & non communicatum dominium, videtur ex illo verbo Christi. Matth. XX. 25. *Principes gentium dominantur eorum &c. Non sic autem inter vos, sed qui major est fiat sicut minister*. Et ex illo Petri Apostoli: *Non quasi dominantes in Clero* 1. Petr. V. 3. &c. sed tamen de hoc nihil pro nunc: sufficit enim quòd sit potestas, seu authoritas justè faciendi quod faciunt.

Octava propositio. *Quodlibet aliud dominari, vel exercitium dominii, quod non procedit ex gratis commu*B *nicato dominio, vel concesso ministerio est injustè dominari*. Unde de talibus dicitur Oseæ VIII. 4. *Regnaverunt, sed non ex me*. Et patet satis per exemplum de Rege terreno, sub quo nullus potest aliter justè dominari: & tamen, non obstante quòd tale dominium sit injustè dominari; tamen Deus ad illud concurrit per suum velle efficax, sicut supra dictum est in prima propositione principali, & ejus primo corollario. Et ad hoc est Job. XXXIV. 30. *Regnare facit hypocritam &c.*

Nona propositio. *Velle Dei approbativum, est causa necessariò requisita, & sufficiens ad justum creaturæ dominium, & ad justè dominari, seu dominii exercitium*. De justo dominio patet per illud Ester. VI. 21. *Hoc honore dignus est quem Rex voluerit honorare*. Sed de justo dominio & justè dominari, simul patet per illud quod in persona Salomonis dicitur Sapientiæ. IX. 4. *Noli me reprobare à pueris tuis:* sed, supple, potiùs approbare. Ex quo infert duo. Primum: *& ero di*C *gnus sedium Patris mei*. ℣. 12. quoad justum Regale dominium. Secundum: *& erunt Deo accepta opera*. ibid. &c. quoad justè dominari, seu justè exercere dominium.

Decima propositio. quòd *Hoc non obstante de facto, Deus cum tali velle approbativo liberè associat sibi multas creatas circumstantias, seu titulos, ad hoc ut aliquem justum Dominum constituat, ac per consequens ad hoc ut quis justè dominetur*. Patet per experientiam; nam in Regali dominio, de facto requiritur apud nos parentalis successio. In Imperiali verò, & Apostolico, multorum communis electio. Exemplum est etiam ad hoc de velle efficaci, quo Deus universa producit, non tamen solus, sed cum causis secundis.

Undecima propositio est. Quòd *Deus absque talibus titulis creatis, per velle suum liberrimum, potest quemcumque constituere Dominum cujuscumque rei do*D *minabilis, &, quibuscumque talibus positis, destituere*. Patet ex præmissis, ex quo tale velle est causa sufficiens: patet etiam per simile de velle efficaci, quo agere posset quodlibet, sine causa secunda. Et ad hoc propositum dicitur: Danielis V. 21. *Altissimus potestatem* habet *in Regno hominum, & quemcumque voluerit suscitabit super illud*. Et ibidem II. 21: scribitur: *Deus mutat tempora, & ætates, Regna transfert, atque constituit*.

Ex quo, & ex nona propositione præmissa, sequitur duodecima propositio, scilicet quòd *Quælibet Lex creata humana, vel divina, censens utiliter rem aliquam deberi alicui, ut puta quod primogenitus quilibet,* debet

debet succedere in Regnum: vel quòd electus debet obtinere Papatum; debet intelligi cum circumstantia divina approbationis; scilicet si fuerit ad hoc à Deo approbatus. Patet de Jacob & Esaü. Unde ex hoc fundamento etiam patet quòd Deus posset contra, vel præter Leges, seu Decreta Ecclesiæ, aliquem in Papatum assumere, seu constituere: Et utrùm hiis temporibus novissimis, & pessimis, nostris exigentibus demeritis, hoc fecerit, vel fortè facturus sit, incertum est.

Decimatertia propositio. Quòd *Quamvis ex creata gratia, tanquam ex quodam titulo creata cratura collato, Deus per velle suum approbativum, tanquam causam principalem, aliquando aliquem constituat Dominum*: sicut fuit de Adam, ut tangitur in primo Argumento, & sicut fortè fuit de Abel, ut tangitur in secunda ratione: *tamen sine tali creata gratia, potest quemlibet constituere Dominum, ac servare*: & non solùm potest, immò de facto fecit & facit, sicut per rationes in oppositum opinionis contrariæ apparuit. Nam & Judas fuit ad dominium Apostolatus electus. *Luc.* VI. 13. 16. Et Joan. XV. 16. *Ego vos elegi*. Nec tamen per quodlibet suum mortale peccatum perdidit hujusmodi dominium: quia non per latrocinium. *Erat* enim *latro & loculos habens*, Joan. XII. 6. & hoc ante perditionem Apostolatus quàm incurrit ex proditione actuali sui Domini: immò forsan ex sola desperatione, ut aliqualiter notatur. *Actuum. Cap.* I.

Decimaquarta propositio est, quòd: *Quamvis aliquando Deus, ex gratia increata, æterna prædestinationis aliquem constituat Dominum*, ut Patet de Jacob dilecto, quem ex hoc constituit Dominum fratrum suorum: *tamen quandoque sine hujusmodi gratia sic constituit*. Patet supra de Juda præstito, & de multis aliis posset deduci.

Ex quibus omnibus patet quæ gratia Dei requiratur ad justè dominari, & quæ non. Non etiam requiritur creata gratia temporaliter gratum faciens, seu justificans; nec gratia æternæ prædestinationis finaliter consummans, & ad finale bonum deducens: sed requiritur gratis data, scilicet gratuita communicatio dominii ipsi creaturæ à Deo, vel gratuita concessio ministerii sub Deo; gratia etiam æternæ prædestinationis, non tamen specialiter ad finem ultimum, sed ad tale creatum bonum, puta talis, aut talium rerum possessionem & usum.

Nec rationes factæ pro opinione contraria concludunt: unde ad primam & secundam patet in decima tertia propositione.

Ad tertiam verò patet quòd illa munditia, de qua loquitur ibi Scriptura, non requirebatur simpliciter ad justum esum, vel usum illius panis: sed specialiter quia erat panis sanctus; sicut nunc diceretur de Hostia consecrata. Aliæ autem tres rationes non conveniunt quòd peccans mortaliter non habeat justum ministerium, vel justum dominium; ita quòd res mundi sint solùm justorum, quoad veritatem dominii: sed benè probant quòd sunt justorum quoad dignitatem meriti; ita quòd soli justi sint digni vero & justo dominio. Et hoc benè concedit Okam, Libro præallegato. *Cap.* 26. Vel potest dici, quòd peccans mortaliter est indignus dominio, quantùm ad rigorem divinæ justitiæ, sed non quantùm ad mansuetudinem divinæ misericordiæ, de qua *Psalmo*. LXXXVIII. 31. dicitur: *Si autem dereliquerint filii ejus Legem* &c. *misericordiam meam non dispergam ab eis* &c. Dispergeretur autem misericordia, si dicta opinio esset vera. Igitur &c. Et hoc de primo Articulo.

Quantùm ad secundum Articulum, in quo quæritur, utrùm Prælatus indoctus possit justé præesse. Dicendum est quòd Prælatus indoctus, specialiter in doctrina sacræ Scripturæ, & in divino Jure, non potest justè præesse, ad sensum quintæ propositionis in primo Articulo positæ, id est non potest sine peccato præsedendi officium exercere. Patet ex hoc, quia Prælatus debet esse doctus in doctrina sacræ Scripturæ, cùm ejus præcipuum officium sit sacram Scripturam docere & prædicare: igitur si quod debet scire ignorat, utique peccat. Igitur &c. Consequentia nota, & antecedens patet ex verbo Christi, in principio quæstionis allegato. Matth. XIII. 52. *Omnis Scriba doctus* &c. *profert de thesauro suo nova & vetera*, id est novi & veteris Testamenti documenta. Unde in signum hujus, à Prælato consecrando petitur: *Scis utrumque Testamentum?* & Respondet: *Scio*. Ideò si non sit ita, mentitur & peccat.

Item in persona Apostolorum à Christo Prælatis dicitur. *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ*. Marc. XVI. 15. Et illud Petri in Canonica sua, eis specialiter dirigitur. *Parati omni poscenti vos rationem reddere de ea quæ in vobis est* Fide. I. Petr. III. 15. Et plures aliæ authoritates Scripturæ sunt, quibus patenter ostenditur quòd Prælati ex officio specialiter tenentur Evangelium prædicare & Fidem docere, atque deffendere: quod non possunt, sine doctrina Theologicæ scientiæ. Igitur &c.

Sed contra hanc conclusionem, est hodie communis error quorumdam, dicentium quòd ad Prælatorum officium magis pertinet doctrina Juris humani Civilis, scilicet & Canonici, quàm Theologica sapientia, seu doctrina Juris divini: in cujus signum ut in principio quæstionis argumentatum est. *Sedes Apostolica plures hodie promovet Legistas, & Canonistas, quàm Theologos ad Ecclesiæ prælaturas.*

Ad cujus erroris fulcimentum sunt aliquæ rationes. Prima est, quòd illa scientia magis ad Prælatos pertinet, per quam spiritualia & temporalia Ecclesiæ maximè reguntur; sed humani Juris scientia est hujusmodi. Igitur &c. Major patet, & Minorem ponit Hostienus, in principio Summæ suæ, ubi scribit quòd *Hæc scientia*, scilicet juridica, *verè potest scientia scientiarum nuncupari*. Et causam subdit: *Nam si benè intelligatur, per eam tam temporalia, quàm spiritualia regi possunt. Ideò*, inquit, *ab omnibus recipi debet, & teneri.* Allegat ad hoc *Can. Enimverò. Distinct.* 19. *Immò*, ut ait, *est aliis præponenda*, per *Can. De Libellis.* 20. *distinctione.*

Secunda ratio est, quia scientia quæ dignior est, maximè ad Prælatos pertinet; sed scientia Juridica est hujusmodi: Igitur &c. Major patet, sed Minorem probat Hostienus. *Quia*, ut ipse arguit, *scientia composita dignior est simplici*; sed scientia Canonum respectu Theologiæ est composita. Igitur &c. Minorem dicens claram, cùm ex dictis Sanctorum & Legibus componitur. Allegat *Can. qualiter. extra. De accusatis.* Majorem verò nititur probare, argumento à simili sumpto in naturalibus, in quibus, ut dicit, *Composita simplicibus digniora sunt*, sicut patet de hominibus, qui Angelis sunt digniores; quod probat: cùm majoris & dignoris est judicare de.... & ob. *Can. Cum inferior.* Homines verò Angelos judicabunt. I. Corinth. VI. 3. *Nescitis quòd Angelos judicabimus?*

Tertia ratio est, quia scientia quæ utilior est, magis ad Prælatos pertinet; sed scientia Canonica est hujusmodi. Igitur &c. Major patet, & verior apparet ex dictis Hostieni, qui distinguit tria scientiarum genera. Unum ex veteri & novo Testamento, Theologiam consistens, per quam anima regitur & salvatur: *& hoc reguntur*, ut dicit, *qui temporalia despiciunt* Secundum constituitur ex quinquaginta Libris Digestorum. Duodecim Codicis. Quatuor Institutionum, Authenticis Constitutionibus Coll. 9. Et ex novo Libro Feudorum, decima Collatio nuncupato: & dicitur Legalis sapientia, quæ non permittit hominem in paupertate vivere, vel anxietate mori ut in Auth.... *de heredibus, & falcidia*, in fine Collat.

Sed tertium genus, est quasi permixtum ingenio scilicet Deo famulantium, curantiumque, ne pos-

possessiones Ecclesiasticæ pereant, quod nec theologicum est, nec civile, sed utrumque participans. Hoc autem tertium videtur duobus primis utilius, quia scilicet ad divina & humana commune est.

Quarta ratio potest fundari in dictis Guidonis de Vasco, circa Rosarii principium, ubi sic scribit: Jus „ ab initio mundi incœpisse quidam dicunt. Cùm enim „ Adam de inobedientia redargueretur à Domino, quasi „ actioni exceptionem objiciens, crimen in conjugem, „ immò in conjugis actorem convertit, dicens: Gen. „ III. 12. *Mulier quam dedisti mihi sociam*, ipsa me „ decepit. Alii verò à Moyse, ubi ait: *In ore duorum, vel* „ *trium* &c. Deut. XIX. 15. & Matth. XVIII. 16. Unde „ quibusdam concludendum, quòd Juris scientia, cùm „ sit aliis antiquior, etiam dignior est; & per conse- „ quens magis ad Prælatos pertinet. „

Sed licet prædicti erroris falsitas satis pateat ex præmissis; licet etiam ex dictis Sanctorum Gregorii, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, & aliorum theologicorum Doctorum posset patenter impugnari; tamen, ad majorem confutationem, duabus rationibus in Jure fundatis evidentissimè reprobatur.

Prima est. Quia Theologia est sapientia perfectissima ac stabilissima: Jus autem humanum imperfectum est, fluidum & instabile: Igitur Prælatus, neglectâ Theologiæ sapientiâ, non debet Juri humano adhærere. Consequentia tenet per illud 26. quæst. 2. Can. *Qui sine*. ubi dicitur, *Qui sine vera sapientia æstimat se prudentem fieri posse, non sanus, sed æger est; non prudens, sed stultus*, & in cæcitate noxia permanebit. Et antecedens ponit Justinianus. cap. *De veteri Jure enucleando. Lib. 2. Sed quia.* Ubi sic ait, „ Divinæ quidem res perfectissimæ sunt, humani verò Ju- „ ris conditio semper in infinitum decurrit; & nihil „ est in eo quod stare perpetuò possit &c. „ Et in Authentica. *Quibus modis naturales sunt legitimi.* Collectione 6. Sic legitur. *Rectè dictum est a Prædecessoribus nostris, & ante omnes a Juliano sapientissimo, quòd nullum Jus ab initio sufficiens emanavit in Republica Romanorum.* Huic etiam Joannes XXII. in principio Clement. testimonium perhibet, dicens: *Nulla Juris sanctio, quantumcumque perpensò digesta consilio, ad humanæ naturæ varietatem, & machinationes inopinabiles sufficit.* Et multa ad propositum subjungit.

Secunda ratio est. Quia Theologia est scientiæ verissima, concordantissima, & cui nihil addi potest, vel minui. Scientia autem Juris, non est hujusmodi. Igitur Prælatus non debet, omissâ Theologiâ, Juridicæ scientiæ inservire. Consequentia satis patet, & prima pars antecedentis, scilicet quòd Theologia sit verissima, & concordantissima sit, ut nihil ei addi vel minui possit. Apparet authoritate Legislatoris, in fine Apocalypsis ubi dicitur. *Si quis apposuerit, vel si quis diminuerit* &c. *Anathema sit* &c. Secunda verò pars antecedentis, scilicet quòd Juris scientia non sit hujusmodi; patet primò ex titulo Decretorum, qui talis est. *Incipit concordia discordantium Canonum.* Ubi Jo.... glossator: Gratiani intentio ad hoc solùm nititur, ut Canones discordantes ad concordiam revocet; nec tamen plenè perfecit, teste Gregorio IX, in principio compilationis suæ. Cujus unam causam assignat, Decretalium, & Constitutionum aliquarum nimiam similitudinem, superfluitatem, prolixitatem, & aliquarum contrarietatem. Et Bonifacius, in principio Libri 6. refert aliquas sibiipsis, & aliis Juribus contrarias. Ideò resecat quasdam, alias abbreviat, nonnullas in toto vel parte mutat, corrigit, detrahit, & addit. Igitur propositum.

Ad rationes, inquam, respondetur ad Primam. Negatur planè, & sine ulla reverentia dictum Hostienum tanquam falsum, & hæreticum: si intelligat generaliter, quòd Juris scientia sit dicenda scientia scientiarum, & omnibus aliis anteponenda: excipienda enim est Theologia. Et ad causam quam assignat: *quia*, scilicet *per Jura, tam temporalia, quàm spiritualia regi possunt.* dicendum est. Licèt humanæ Constitutiones sint utiles ad multa; tamen antequam forent Jura, sive Leges humanæ, divinæ Leges datæ erant legales & justæ à Legislatore Moyse. Immò veriùs ab Omnicreatore: Nec paucæ quædam, sed valdè multæ, & ultra quàm LXI. Cap. sicut calculavit Guillielmus Parisiensis, Libro suo *De Fide & Legibus*. Antequam etiam essent Decretales Epistolæ, datæ erant Leges completissimæ justitiæ & honestatis. Per exemplum: scilicet *Christus* qui est *consummatio* Legis *ad justitiam.* Rom. X. 4. In volumine ergo novi & veteris Testamenti, ex Moysis & Christi Legibus composito, omnipotentissima Dei sapientia, & justitia infinita, nullam sufficientiam prætermisit quoad bonum, immò optimum regimen universi, super quo nulli fideli hæsitare licitum est. Nec ista Justinianus ignoravit, qui describens ad bonum regimen eligendos, in Authentica. *Quomodò opporteat Episcopos* &c. *Collatione prima.* Ita scribit. „ Benè universa geruntur & com- „ petenter, si rerum principium fiat decens, & a- „ mabile Deo. Hoc autem futurum esse credimus, „ si sacrarum Regularum observatio custodiatur, „ quam justi, laudati, adorandi inspectores tradide- „ runt, & Ministri verbi Dei, Apostoli. Sancimus „ igitur, sacras per omnia sequentes Regulas, dùm „ quispiam, sequenti omni tempore, ad Ordinatio- „ nem Episcopatûs producetur, considerare priùs e- „ jus vitam, si honesta, si inculpabilis, & undique „ irreprehensibilis sit, & in bonis testimonium ha- „ beat, & neque ex Officiali aut Curiali veniat for- „ tuna: nec ex idiota, mox Clericus; deinde Pres- „ byter, aliquid præteriens, Episcopus appareat. Sed „ neque ineruditus existens sacrorum Dogmatum ad „ Episcopatum accedat. „

Ad secundam rationem, quæ arguit scientiam compositam simplici digniorem. Dicendum est, quòd magis irridenda est, quàm solvenda; unde etiam ipsemet Hostiensis, statim post sibimet contradicit, & benè: nam Trinitatem beatificam ex simplicitate recommendat, tanquam quolibet genere compositionis carentem. Ex quo etiam patet esse falsum & hæreticum illud quod assumit. Scilicet, *Homo dignior est Angelo*: hoc enim simpliciter falsum est, licèt secundùm quid, & quoad aliquam accidentalem conditionem veritatem habere possit.

Ad tertiam: quoad illud quod assumitur, doctrinam Canonum utiliorem esse ad possessiones Ecclesiæ deffendendas; supposito quòd ita esset; hoc non probat intentum, quia spiritualia sunt temporalibus præferenda. Illud tamen non videtur verum esse. quia Ecclesiæ si revolvamus Cronicas; reperiemus Urbanum Papam Romanum natione, prædia pro Ecclesia possedisse, & ante ipsum tamen fuisse septemdecim primitùs Summos Pontifices, acceptantes præcisè pecunias ad providendum egenis: & ab isto Urbano, usque ad Decretalium compositionem, fuerunt centum sepuaginta tres Pontifices Summi, inter quos multi sanguine proprio laureati, non solùm spirituale, sed etiam temporale Ecclesiæ dominium, non modicum laudabiliter ampliarunt: sed post compilationes prædictas Armenia, & Antiochia vastatæ sunt. Tartari & Turci sumpserunt dominium quod hodie, proh dolor! periculosissimè convalescit. Perditæ sunt Constantinopolis, Trypolis, & Provinciæ adjacentes; nec legimus aliquas infidelium terras ad Fidei obedientiam pervenisse. Immò verisimiliter dubitandum per præsens schisma, quod à Theologis minimè procuratum aut firmatum est, plures à Fidei unitate discessuros.

Ad quartam dicendum, quòd non est digna signari: quia clarum est divinam Legem ceteras præcessisse. Ideò dicit Textus: ff. *Digestis. De origine Juris. Lege. 2.* quod *A divina Lege omnes Leges exoleverunt* Et hæc de secundo Articulo.

Quan-

Quantùm ad tertium Articulum in quo quæritur: *Utrùm Prælatus scandalosus possit justè præesse.* dicendum est quòd sic, in certo casu, & cum certis circumstantiis, sicut posteà declarabitur. Sed quia hoc dubium est motum ratione materiæ tactæ in tertia ratione, ante oppositum quæstionis, scilicet, *Utrùm in casu præsentis schismatis, habens jus in Papatu, non obstante scandalo, Ecclesiæ possit justè præesse: vel, ad sedandum hujusmodi scandalum, teneatur Papali præsidentiæ renuntiando cedere, potius quam eam cum scandalo retinere?* Ideò in hac materia sic procedam.

A

Primò. Tangam vias quæ ad sedandum hujus schismatis scandalum ab aliquibus tanguntur.

Secundò. Absque determinatione alicujus earum, ponam aliquas rationes, quæ pro illis viis facere videntur.

Tertiò. Respondebo ad formam Articuli de quo quæritur.

Quantùm ad primum, sciendum est quòd ad sedationem hujus scandalosi schismatis, in genere duæ viæ tanguntur. Una est via rigoris: alia est via amoris. Prima via, est illorum qui dicunt, quòd in hoc casu procedendum est contra schismaticos per excommunicationes, & bellorum impugnationes: secunda via est dicentium contrarium; & ista est tripartita. Prima via ponit quòd istud schisma convenientiùs potest terminari per Concilii generalis determinationem: secunda, quòd per compromissi sive Concilii particularis arbitrariam ordinationem: tertia, quòd per alterius vel utriusque electorum voluntariam cessionem, & novam electionem; & hæc est de qua hìc principaliter quæritur, scilicet *Utrùm habens jus in Papatu, scilicet Dominus noster Clemens, pro sedando schismate ad istam viam teneatur.*

B

Quæ autem istarum viarum sit convenientior non ad me, sed ad majores pertinet definire. Unde in proposito, pensata rei hujus ambiguitate, applicare possum illud quod apud Macrobium, *Lib. 3. Saturnalium*, legitur. Cùm enim inter Eustachium dyalecticum, & Dysarium Medicum, longa argumentorum disceptatio extitisset de illa medicinali quæstione: *Utrùm simplex cibus digestu sit facilior, aut multiplex?* tandem absque quæstionis determinatione, Dysarius ita disputationem conclusit. *Qui volet*, inquit, *eligere sequenda, usum consulat, & quid validius sanitati experientia docebit.* Sic ego in hac materia contentabor pro viis prædictis rationes ad argumenta proponere, & occasionem profundiùs inquirendi aliis tribuere: quæ autem illarum tanquam eligibilior sanitati Ecclesiæ sequenda sit, usus rerum, & experientia declarabit, vel fortè jam proh dolor! satis & plusquàm satis est, demonstravit.

C

Primò ergo inducam rationes & argumenta pro via inimicitiæ & rigoris, quæ ponit quòd contra intrusum, & schismaticos suæ partis procedendum est per excommunicationum pœnas, & bellorum impugnationes.

Et primò ad hoc sunt Jura Canonica, sicut *Canon. In nomine Domini.* cum suis similibus, & cum glossis Doctorum. Item, ad hoc esse videtur processus Christi, *Matthei.* XVIII. de monitione fraterna: nam tales primò sufficienter sunt moniti, & per fratres quos spreverunt, & consequenter per Ecclesiam quam non audiunt. Ergo debent nobis esse sicut ethnici & & publicani, ideft excommunicati: & cùm pertinaciter excommunicationes sustineant, sunt à ritu penitùs extirpandi.

D

Item, arguitur per processum Christi. *Matthei.* XVIII. 9. ubi dicit: *Si oculus tuus scandalisaverit te, projice eum abs te.* Ergo Ecclesia est quoddam corpus mysticum, secundùm Apostolum. Colloss. III. 15. *Vocati estis in uno corpore.* Et ad hoc *Rom.* XII. diffusè. Sequitur quòd scandalisantes hoc corpus, ejiciendi sunt, ne totum pars ducat in interitum. Et si quis pia quadam impietate dixerit ex hoc diminuendos fore Christianos. Respondetur per hoc quòd ibidem subdit Christus. *Matth.* XVIII. 9. Melius est te unam manum habentem intrare Regnum. &c. Ideft, melius est bonos Ecclesiasticos sine aliis esse, quam occasione eorum corrumpi vel scandalisari. Igitur &c.

Item, arguitur per processum qui habetur *Numerorum.* XVI. Cum Datham & Abiron scandalisantes populum & Moysem, vivi absorpti sunt. Ergo à simili, per Justitiam humanam, quæ à divina exemplata est, atque derivata, schismatici, per illos figurati ac designati, etiam debent interfici, & exterminari.

Item, arguitur per exempla naturalia, de morbida ove quæ à grege separanda est, ne totum gregem ex sua contagione inficiat; & de grano uvæ putrido, qui ab aliis separatur, ne eis suam infundat putredinem. Sic etiam corporis mystici Ecclesiæ pars ægra secunda est, ne pars sincera trahatur. Ut ait Naso.

Item, quia nisi sic fieret, redire videretur opinio quam tanquam erroneam reprobat Guillielmus Parisiensis, Libro suo, *De Fide & Legibus*, quòd scilicet nullus est interficiendus, propter hoc, quia de sua conversione sperandum est: nam si aliqui debeant interfici; maximè hæretici & schismatici, cum sint tàm capiti, quàm corpori Ecclesiæ præcipuè nocivi.

Sed contra prædictam viam, & pro via contraria, quæ est benevolentiæ & amoris, arguitur multipliciter. Et primò ex parabola zizaniorum: ubi, petentibus Discipulis: *Vis imus & colligimus ea?* Matth. XIII. 28. dicit glossa: ut excommunicemus eos. Et respondit Christus: *Non: ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul & triticum.* ℣. 29. Ideft, ne bonos simul cum malis, propter ipsorum propinquitatem & colligantiam puniatis.

Ex quibus arguitur sic. Quandocumque ex inflictione alicujus pœnæ provenit scandalum deterius, aut major obduratio, vel bonorum punitio, irrationabiliter infligitur illa pœna. Patet ex responsione Christi & ex hiis quæ super hoc ponunt glossæ. Sed verisimile videtur quòd hæc tria contingunt, vel contingerent, excommunicando plures aut præcipuè bellando contra partem adversam. Igitur &c. Minor declaratur: primò de scandalo majori, quia putarent illi quòd non amore Justitiæ; sed per vindictam, aut cupiditatem, atque ambitionem contra eos in causa speciali procederetur; cùm præcepit Christus Petro recondere gladium in vaginam suam, dicens: *Matth.* XXVI. 25. quòd omnis qui in gladio percutit, gladio peribit, & sic esset jam scandalum non tantummodò passivum, sed activum; non solùm acceptum, sed datum, ex quo factum in se esset minùs rectum.

Secundò. De majori obduratione satis videtur constare ex hiis quæ quilibet potest experiri, & in historiis legere; sicut patet de gratiis à nobis divisis.

Tertiò. De bonorum punitione. Patet primò. Quia pars justa pugnans contra partem injustam, plures haberet occisos, qui non essent in casu schismatis, ut suppono. Similiter pars injusta plures haberet occisos & punitos, qui non essent rei schismatis: quia suppono quòd multi per simplicitatem possunt in hac parte excusari, qui tamen sicut rei punirentur. Et de excomunicatione aliqualis esset similitudo: quia illi de parte recta, & magni Principes, & alii communicant quotidie cum parte adversa in actibus legitimis; similiter simplices partis adversæ, cum culpabilibus sæpiùs conversantur. Ergo sic generaliter Sententias excommunicationis ferendo, puniuntur cum nocentibus innocentes, & sic cum zizaniis eradicatur triticum, quod prohibuit Christus. Igitur &c.

Item, ad idem arguitur; confirmando rationem præ-

prædictam per glossam Augustini quæ habetur super verbo prædicto, *Vis imus* &c. Ubi dicit quòd Communitas & Principes non sunt excommunicandi. Sed manifestum est multos de parte adversa esse Principes, & illam esse Communitatem maximam. Igitur &c.

Confirmatur: quia illud quod inter Principes Catholicos nutrit discordiam, & jam habitam indurat, & non habitam inducit, non est faciendum, & hoc, si aliter possit remediari. Sed videtur quòd excommunicationes & multò magis bella hoc faciant; immò infinita odia generent, immò rebelliones inferiorum ad A superiores, sicut experientia docet. Igitur &c.

Item, ad idem arguitur. Primò de excommunicatione: quia nunquam excommunicationis Sententia ferenda est, nisi in contumaces, & qui parati non sunt Ecclesiæ obedire: nam sicut arguit Scotus, in 4°. *distinctione* 25. *Ad quid pelleretur homo extra Ecclesiam, si illam audire sit paratus.* Sed non omnes de parte adversa sunt contumaces, ut videtur, cùm dicant se velle stare Judicio Ecclesiæ, & in omnibus nobiscum consentiant, ut dicunt, nisi in quibusdam quæ facti sunt, de quibus ad Deum & Ecclesiam se referunt.

Et confirmatur: quia contumacia in Fide non videtur convinci in aliquo, nisi quando sibi sufficienter ostensa est veritas Catholica, & illi renuit assentire: sed, ut dicunt, non adhuc est eis, saltem multis eorum, sufficienter ostensa veritas; quia nec per Prædicationem, nec per Ecclesiæ decisionem. Igitur &c.

Et de bellorum impugnatione posset ex eisdem fundamentis argui; etiam per simile in naturalibus: quia membrum ægrum non est ferro resecandum, quando potest absque sectione sanari. Sed multæ aliæ sunt viæ non tendentes ad exterminationem membrorum Ecclesiæ ægrorum, per quas possunt sanari, ut videtur. Igitur &c. Minorem relinquo judicio prudentum & sapientum, qui super hoc multas vias nituntur invenire, ut supra tactum est, & infra dicetur: per quas, etsi forsan aliqua incommoda sequerentur; quia in tanto morbo difficile est, immò impossibile remediare, sine aliqua læsione: tamen multò minora sequerentur, quàm per bella, aut alios extremi rigoris modos.

Item, principaliter arguitur. Quia *Nunquam ad mortem alicujus procedendum est, nisi certis testimoniis constet eum esse culpabilem*, dicente Lactantio, in principio Libri quinti, *nec prædamnari quemquam, incognitâ causâ, licet.* Et hoc deducit Scotus in 4°. *dist.* 15. & tangit in tertio, in materia de perjurio. *Distinct. penultima.* Et est una ratio sua talis, quia *Qui occultum crimen & non satis cognitum punit; facit injuriam Foro Dei.* Ratio: quia Deus peccata occulta, & non plenè cognita sibi reliquit punienda, & eo facto de Foro suo sunt: non enim voluit omnia in hoc mundo puniri. Ex quo patet stultitia quorumdam Judicum, immò damnatio, qui per exquisita, & injusta media, sicut per mendacia, & per substractionem Sacramentalis Confessionis à reis puniendis, exquirunt ab eis occulta crimina.

Cùm igitur in proposito nostro ab aliquibus videatur non esse certum sufficienter partem adversam in pertinentibus ad Fidem vel unitatem Ecclesiæ, esse schismaticam. Cùm ad utramque partem multæ Decretales à doctis viris allegentur: immò, concesso eo quod est facti; de juris est apud doctissimos Jurisperitos altercatio. Igitur esset periculosum tales, ut certitudinaliter schismaticos condemnare, præsertim ipsorum plurimos, & hoc nisi ab illo, vel illis qui errare non possunt.

Item, arguitur ex modo interrogationis Discipulorum, in parabola allegata. *Vis imus & colligimus ea?* Ubi notatur quòd priùs petenda est Dei voluntas, quàm talis & tam grandis fiat punitio, *Vis?* inquiunt, quasi dicant: tuæ voluntatis approbationem petimus. Sed non satis apparet aliquibus quomodò Dei voluntas quæsita sit sufficienter in hoc casu.

Primò. Non per Orationem generalem Ecclesiæ; quia sicut malum hoc totam concernit Ecclesiam, sic per eam totam generalis facienda est oratio, quemadmodum faciebat populus Judæorum in suis necessitatibus, sicut in Libro *Machabæorum*, & in *Judith*, & *Esther* legitur: hoc autem, non sufficienter apparet esse factum.

Secundò. Non est petita divina voluntas, per morum emendationem, quæ maximè efficax est ad obtinendam divinam revelationem, & impetrandam ejus miserationem. Sed fortè dicitur quòd petita est per divinarum Scripturarum, in quibus loquitur Deus, investigationem, & earum perscrutationem, quod quia verum sit, vestro relinquo judicio, cùm in hac parte Theologorum consilium, atque judicium non solùm non petatur; sed fortè irridetur, reprobatur, atque contemnitur.

Item, finaliter arguitur quòd illi qui non sunt extra statum salutis, non sunt excommunicandi, nec à fortiori per bella interimendi, & hoc pro causa Ecclesiæ, si pars adversa, ut videtur, vel saltem magna ejus pars, est in statu salvationis. Igitur &c. Minor probatur: quia si non, tunc horrendum est cogitare quàm pessimum sit præsens schisma, quod quoB tidie, & à longo jam tempore majorem partem Catholicorum condemnavit: & ita appareret quòd Principes parum curarent de suorum amicorum salute, quorum plures sunt de adversa parte, & Prælati de sui gregis perpetuo interitu, quando non aliter insistunt paci, & concordiæ procurandæ: quod absurdum est credere de viris tantæ majestatis & eminentiæ, scientiæ, atque dignitatis. Et hæc sufficiunt contra viam rigoris, & per viam pacis.

Sed nunc descendo ad inducendum rationes in speciali, circa illas tres vias supra tactas quæ tendunt ad finem concordiæ & amoris: & primò tangam breviter aliquas rationes quas aliqui communiter faciunt.

Pro prima via, quæ ponit quòd præsens schisma convenientiùs potest terminari per Concilii generalis C definitionem. Primò quidem, quia generale Concilium Ecclesiæ, ut isti dicunt, errare non potest, cùm à Spiritu sancto regatur, sicut & ipsa Ecclesia, cujus vices gerit. Pro quo facit illud *Mathei.* XVIII. quod dicit Christus Apostolis, quorum Episcopi sunt successores. 21. *Distinctione. In novo. Ubi*, inquit, *duo vel tres* vestrûm *congregati sunt in nomine meo, ibi sum* ego *in medio eorum*, Matth. XVIII. 20. Et per consequens, multò magis, ubi universalis Ecclesia in Prælatis repræsentata, congregata fuerit pro re tam utili & nomini Christiano tam propinqua. Pro quo etiam facit dictum Gregorii, quod habetur 15. *distinct. Sicut sancti Evangelii quatuor Libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor.* Quod non esset verum, si errare posset generale Concilium. Et per consequens videtur quòd hujus schismatis determinatio ad ipsum referenda sit, juxta illud quod ibidem D sequitur. *Cunctas*, inquit, *personas quas præfata Concilia respuunt, respuo; quæ venerantur, amplector: quia dùm universali sunt consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumit absolvere quos religant, aut religare quos absolverint.*

Item, ad idem arguitur, ex Præcepto Domini, in *Deuteronomio* XVII. Ubi dicitur; in arduis factis recurrendum esse ad Sacerdotes Levitici generis. Et per consequens, in tam arduo facto, sicut est præsens schisma, recurrendum erit ad Concilium Sacerdotum Christianæ Legis, præsertim quia sæpè pro factis minùs arduis, & multò minus Ecclesiæ detrimentum tangentibus, legitur generale Concilium à sanctis Patribus celebratum.

Item,

Item, dicunt Doctores quòd in casu hæresis, Papa de cujus etiam jure aliàs non ambigeretur, subesset Concilio generali: ergo & in casu præsenti, ubi tangitur Articulus Fidei, de unitate Ecclesiæ, ex unitati sui capitis: præsertim cùm ex hac divisione innumerabilia jam scandala secuta sint, & verisimiliter secutura, in Catholicæ Fidei detrimentum.

Item, pro hoc facit Notata glossa *Cap. Si duo. Distinctione* 79. & *Can. licet. De evitanda. De electione*, Et opinio Petri Bertrandi, in Clementinam. *Ne Romani*. Ubi dicit, quòd *Contra malum Papam, non hæreticum, est remedium, quòd Ecclesia oret pro ipso, & quòd Cardinales convocent Concilium generale, si Papa nolit convocare.* Et per consequens, videtur quòd multò magis hoc debet fieri pro sedando præsenti schismate. Pro quo etiam inducunt, quòd Damasius Papa per Concilium generale in Sedem Apostolicam fuit inductus, & Ursinus intrusus, depositus.

Multæ aliæ rationes possent fieri: sed de hiis remitto ad aliquos speciales Tractatus, qui de hoc à quibusdam peritis reperiuntur conscripti.

Sed contra viam prædictam objicio, argumentando pro secunda via, & probando quòd præsens schisma convenientiùs potest terminari per compromissi, seu particularis Concilii arbitrariam Ordinationem, quàm per Concilii generalis determinationem.

Primo quidem: quia communiter dicunt Juristæ, & hoc probare nituntur ex hiis quæ habentur *Distinctione* 17. per totum: quòd Concilium generale non debet congregari, nisi authoritate Papæ. Sed in proposito, vero Papæ non obedirent schismatici, nec ejus authoritate vellent congregari: igitur per generale Concilium nequit præsens schisma terminari; sed convenientiùs per compromissum, seu particulare Concilium factum de consensu communi, & præsertim quia, supposito quòd de consensu communi congregaretur generale Concilium, constat quòd ibi essent plures Episcopi de parte schismatica, quàm de parte vera. Et sic verus Papa exponeret jus suum discrimini, magis quàm ipsum committendo Judicio plurium, qui, ex compromisso, essent ex utraque parte in æquali numero.

Nec videtur habere locum illud quod allegatur: quòd Concilium generale non potest errare, cum regatur à Spiritu sancto: licèt enim concederetur quòd non posset errare in his quæ sunt Fidei; tamen potest errare in hiis quæ sunt facti, & per consequens in proposito.

Item, hæc via videtur brevior, tutior & minùs sumptuosa, quàm via Concilii generalis; & per eam deberent pacificari omnium conscientiæ: quia ex hoc fieret de consensu partium, & per tolerantiam universalis Ecclesiæ implicitè æquivaleret Ordinationi factæ per Concilium generale: & præsertim, quia illud quod sic fieret, posset postea, cessante schismate, per Concilium generale roborari. Igitur &c.

Item, pro hoc inducunt quòd simile legitur factum esse in Concilio Chalcedonensi, ubi conclusum fuit quòd ex utraque parte eligerentur decem, & alii abirent. Ut habetur in Decretis.

Item, pro ista via arguitur, ex hiis quæ leguntur in Chronicis Summorum Pontificum. Nam à tempore Constantini Imperatoris, postquam ab eo temporaliter ditata fuit Ecclesia, fuerunt viginti duo schismata, quorum hoc ultimum apparet esse pejus atque periculosius: ac etiam videtur futurum esse diuturnius; eo quod sit ceteris ampliùs coloratum. Sed nunquam legitur quòd in aliquo præcedentium schismatum, fuerit Concilium generale per Ecclesiam convocatum: sed illi qui fuerunt in schismatibus veri Pontifices, vocaverunt Concilia particularia in diversis locis, prout expedire videbatur. Et per consequens, consimiliter videtur quòd per generale Concilium Ecclesiæ, hoc schisma non sit tollendum; sed magis per Concilium particulare. Et si dicatur quòd particulare Concilium non esset ad hoc efficax, propter pertinaciam quorumdam in hac materia contendentium, nisi illud fieret per modum compromissi, ex communi consensu partium, ad quem consensum non videtur quòd habens jus in Papatu cogi debeat, vel compelli: ad hoc dicunt aliqui quòd ille qui ad viam prædictam condescendere nollet, nec credere, aut aliter rationi se submittere, graviter erraret. Ideòque contra ipsum procedendum esset, ut dicunt, tanquam contra schismaticum, & in schismate pertinacem, ac Ecclesiæ destructorem. Pro quo facit opinio Petri de Palude. *Prima conclusione* 4. *Articuli*. quasi suæ quam facit de potestate à Deo collata Prælatis Ecclesiæ. Ubi post multa dicit: *Quod si Papa sit dilapidator, vel alias enormiter peccet in moribus Ecclesia, debet sibi resisti altero de tribus modis. Vel quòd à scientificis, & ad hoc valentibus & volentibus sibi planè dicatur defectus suus. Sicut Paulus fecit Petro.* ad Galath. II. *vel quòd oret universalis Ecclesia, ut Deus ipsum emendet, aut certè eum tollat de medio, vel quòd Domini Cardinales congregent generale Concilium ad obviandum.* Cui opinioni concordant Petrus Bertrandi, & Glossæ superiùs allegatæ.

Ex quibus videtur apparere in quo esset recurrendum ad Concilium generale. Et breviter transeo de prædictis duabus viis, quia tertia magis est ad propositum quæstionis.

Circa reliqua hanc materiam tangentia, principaliter tractavi in quibusdam cedulis variis temporibus per me scriptis. Secundò principaliter in Concilio generali celebrato in civitate Pisana, & in quibusdam Congregationibus antea Parisiis celebratis.

FINIS.

EJUSDEM
PETRI DE ALLIACO
Cardinalis Cameracensis,
QUÆSTIO.
In suis Vesperiis.
Utrùm Petri Ecclesia Lege reguletur.

REVERENDI Patres & Domini. Ego reus & indignus peccator Petrus, de Pastore Petro & ejus grege vel Ecclesia tractaturus; immò indignus prævaricator Christianus, de Legislatore Christo & ejus Lege, seu Regula primitùs loquuturus: formido nimirùm, & demisso capite veritus sum, ne mihi conveniat illud Prophetæ David eloquium: *Peccatori autem dicit Deus: Quare tu enarras justitiam meam, & assumis testimonium meum per os tuum.* Ps. XLIX. 16. Igitur tremunt labia, hærent fauces, balbutit lingua, & omnia vocis organa ferè penitùs obmutescunt: & dùm in tantorum virorum præsentia, de materia tàm ardua loqui vereor, & tacere prohibeor, fugam cupio; sed quo fugiam nescio. Si enim fugiam ovis ad pastorem, Petrus ad Petrum, imò si confugiam filius ad Patrem, Christianus ad Christum; timeo repelli, & propter peccata mea nullatenùs exaudiri. Non est ergo quò securiùs fugiam, quàm Filius ad Matrem; Filius Ecclesiæ ad Matrem Ecclesiam. Spero namque per hanc piam Matrem quæ peccatores conciliat apud Patrem, non repelli quidem, sed suscipi, & per maternæ pietatis viscera confortari. Ad hanc igitur confugiens, & sua Lege regulari cupiens, me & dicta mea omnia suæ & suorum filiorum tàm præsentium quàm absentium chari-

charitativæ correctioni committo: & sub hac, & aliis protestationibus fieri consuetis, quas supplico haberi pro repetitis, gratiâ brevitatis, ad quæstionis responsionem accedo: pro qua tres breves Articulos faciam, & in quolibet Articulo sic procedam.

Primus erit, de Christi regula, sive Lege.

Secundus erit, de Petri Ecclesia, sive grege.

A Tertius erit, de gregis Petri, & Legis Christi conformitate.

A. Primò. Præmittam tres distinctiones. Secundò. Ponam tres conclusiones responsivas. Tertio. Inferam tres propositiones corollarias.

Quantùm igitur ad primum Articulum, in quo videndum est de Christi regula, sive Lege, sunt tres distinctiones præmittendæ. Prima erit generalis, de Lege. Secunda specialis, de Lege divina. Tertia specialior, de Lege Christi seu regula.

B. Prima ergo distinctio est, quòd Lex, ut ad propositum pertinet, multipliciter, & pro diversis capi solet.

Quandoque sumitur pro prima Lege, quæ est Lex increata. Et sic definit Augustinus Legem. *Libro* I. De Libero arbitrio. *Lex æterna, est summa ratio, cui semper obtemperandum est* &c. & XXII. contra Faustum: *Lex æterna, est divina mens, seu voluntas, ordinem naturalem servari jubens, turbari vetans,* Unde patet quòd sicut voluntas divina, est simpliciter prima causa in genere causæ efficientis; sic ipsa est Lex simpliciter prima in genere Legis obligantis. Quare, sicut nulla secunda causa potest agere, ipsa non agente; sic nulla Lex potest obligare, ipsa non obligante, prout aliàs declaravi. Quandoque verò sumitur Lex pro signo primæ Legis, quod est Lex creata: & sic definit Tullius, *in Philippicis.* Quòd *Lex nihil aliud est, quàm recta ratio a numine tracta,* à Deo . . . . . imperans honesta, prohibensque contraria. Sed sic capiendo Legem pro Lege creata, adhuc quandoque sumitur generaliter pro qualibet tali Lege naturali humana, vel divina; scripta, vel non scripta. Et sic definit Tullius *Lib. De Nat. Deorum.* Quòd *Lex est recti præceptio pravique depulsio.* Quandoque verò sumitur specialiter pro Lege naturali. Et sic definit Tullius, Libro *De Legibus,* quòd *Lex est ratio insita à natura, quæ jubet quæ sunt facienda, prohibetque contraria.* Quandoque etiam sumitur specialiter pro Lege humana scripta. Et sic definit Gratianus, *Distinctione prima.* Quòd *Lex est constitutio populi qua majores natu, simul cum plebibus aliquid sanxerunt.* Et sic quamvis iste terminus, *Lex*, sit generalis ad omnem Legem; tamen quandoque restringitur ad unam determinatam speciem.

C. Secunda distinctio est quòd Lex divina sumitur pro Lege divinitùs inspirata: qualis est Lex Moysis, vel Christi. Uno modo, potest sumi pro aliqua una regula data à Deo aliquid præcipiente, vel prohibente. Alio modo, pro aliqua una congregatione plures tales regulas continente: qualiter tota doctrina Christi dicitur Lex Christi. Et sic sumitur in proposito.

Sed sic capiendo, adhuc potest sumi strictè, pro aliqua tali congregatione solùm continente Præcepta & prohibitiones; quia hæc duo solùm pertinent ad Legem propriè dictam. Alio modo, potest sumi largè pro aliqua tali congregatione, non solùm continente Præcepta & prohibitiones, sed etiam consilia & permissiones, testimonia historialia, exempla imitabilia, miracula, Sacramenta, promissiones præmiorum, comminationes suppliciorum, & multa hujusmodi: quæ licèt non sint de substantia Legis propriæ, quia nec ligant, nec obligant, eo quod his nihil imperatur, aut prohibetur: ipsa tamen sunt fortissima adjutoria ad Legem sustinendum. Ideò dicuntur partes Legis divinæ communiter dictæ.

D. Tertia distinctio est, quòd Lex Christi, seu regula, uno modo potest sumi strictè pro congregatione illorum, & simul eorum quæ docuerunt Apostoli & Discipuli ejus, autoritate sua; & sic sumitur hîc. Unde Lex Christi seu regula dicitur tota doctrina Evangelica, intelligendo per Evangelium, non solùm doctrinam quatuor Evangeliorum, sed generaliter novum Testamentum: quemadmodùm doctrinam suam vocat Paulus Evangelium. 2. *ad Timoth.* I. scilicet sic capiendo. Adhuc potest multipliciter sumi. Uno modo, pro talis doctrinæ veritate, sive sit in mente, sive in scripto, vel in voce: alio modo, potest sumi pro talis veritatis vel objecti intellectuali cognitione. Unde non minùs propriè dicitur Lex, vel Præceptum vel prohibitiò, ipsa cognitio agendorum, vel non agendorum; quia ipsa veritas, enuntians quid agendum, vel non agendum. Ideò dicit Venerabilis Hugo, primo de Sacramentis: par. 6. c. 6. *Quid cognitio faciendorum fuit, nisi quædam ad cor hominis facta præceptio?* Et quid rursùm cognitio vitandorum, nisi prohibitio? Hæc autem cognitio potest esse multiplex; quia vel solùm apprehensiva, vel judicativa: & si judicativa; vel cum formidine, vel cum certitudine: & si cum certitudine, vel potest esse habitualis, vel actualis; vel ab habitu acquisito solùm, vel ab habitu etiam infusò. Unde secun-B dùm hoc, loquendo propriissimè, Lex Christi potest dici Fides infusa, vel actus ejus, quo creatura rationalis firmiter assentit doctrinæ Christianæ veritatibus.

E. His ergò distinctionibus præmissis: ad videndum qualiter hujusmodi Lex seu regula, est rationali creaturæ, pro statu viæ, perfectissima Lex creata, tres sunt conclusiones declarandæ.

Prima conclusio est, quòd Lex naturalis, vel humana, vel etiam Lex Divina Mosayca viatori non est Lex perfectissima creata. Patet primò de Lege naturali vel humana: quia aliter sequitur quòd viator ex puris naturalibus, sine Fide posset omnia ad quæ tenetur perfectissimè cognoscere, & adimplere: contra Apostolum, ad Hebr. XI. 6. *Sine Fide impossibile est placere Deo.* Secundò idem patet de Lege Mosayca, quia secundùm Apostolum, ad Hebr. VII. 19. *Nihil ad perfectum adduxit Lex*, & loquitur de Lege veteri per Moysen data. Quare &c.

C Secunda conclusio est, quòd Lex Christi, seu doctrina vocalis aut scripta, vel ipsa mentalis solùm apprehensiva, vel etiam ipsa adhæsiva, si non sit ex Fide infusa, non est viatori perfectissima Lex creata. Patet: quia nullus viator per Legem Christi, sine fideli credulitate potest omnia ad quæ tenetur perfectè intelligere: juxta illud, *nisi credideritis, non intelligetis.*

Tertia conclusio est, quòd Lex Christi sola, seu doctrina, idest Fidei infusæ habitus, vel actus, quem viator habet de ea, est sibi perfectissima Lex creata. Patet: quia nullus viator per aliud signum: seu directivum creatum, nisi per hujusmodi Fidem, vel ejus actum, omnia ad quæ tenetur perfectè cognoscit, ut ex prædictis apparuit; & per hujusmodi signum illa perfectè cognoscit. Quia si non tunc, fidelis operans secundùm Fidei Christi directionem, non sufficienter operaretur ad consequendum salutem: contra illud Marc. ultimum. 16. *Qui crediderit* D &c. *salvus erit.* &c.

F. Ex prædictis sequuntur aliquæ propositiones corollariæ.

Prima est, quòd sicut virtus justitiæ solùm est in mente, & non in scripto, vel voce; sic in ipsa est propriè Lex, seu regula justæ vitæ. Patet: quia, nullo existente scripto vel voce, adhuc Lex esset; nec regulæ intellectuales, quæ sunt rerum naturales imagines, minùs essent servandæ, nec homo minùs obligaretur ad eas, quàm si ipsas legeret, vel audiret. Quare &c.

Secunda est, quòd sicut vox audibilis non est Lex pro-

propriè; sic nec scriptura legibilis; sed solùm æquivocè. Patet: quia vox, vel scriptura, Lex non dicitur, aut regula; nisi eâ figurâ, vel tropo quâ nomen rei & veritatis imagini imponitur, vel signo; sicut imago Regis, Rex dicitur. Patet: quia Juristæ definientes Legem, definiunt eam secundùm ejus minùs propriam acceptionem: quia, ut supra patet, Gratianus, & alii, solùm definiunt Legem scriptam.

A Tertia est, quia sicut ad Legis Christi habitualem Fidem omnis viator obligatur, sine ulla excusatione; sic ab ejus actuali Fide nullus excusatur; nisi sola incapacitate. Primum patet ex illo dicto Apostoli: Hebr. XI. 6. *Sine Fide impossibile est placere Deo.* Unde licèt inter homines alii aliis minùs sint capaces, propter brevitatem intellectûs, experientiæ paucitatem, aut defectum doctrinæ, vel gratiæ; quia non omnes æqualiter obligantur ad credendum singula Legis in particulari, & explicitè: tamen nullum est genus hominum adeò tardum intellectu, quòd saltem in universali, & implicitè non possit omnia credere; id est credere universaliter quicquid ibi asseritur esse verum. Ideò à tali credulitate habenda, loco & tempore, nullus omnia excusatur, nisi sola incapacitate. Parvulos autem, & furiosos, cæterisque passionibus mente captos, seu alia naturali impossibilitate prohibitos, incapaces voco: etsi non simpliciter; tamen secundùm quid, scilicet dùm his defectibus laborant. Quare non oportet quòd aliquid actualiter credant. Ideò &c. Et hoc de primo Articulo.

G. Quantùm ad secundum Articulum, in quo videndum est de Petri Ecclesia, sive grege; sunt distinctiones præmittendæ. Prima erit, generaliter de Ecclesia. Secunda, specialiter de Militante Ecclesia. Tertia, magis specialiter de Petri Ecclesia.

Prima distinctio est ista Quòd Ecclesia potest multiplicer sumi. Uno modo, pro templo materiali; & sic sumitur in veteri Testamento. Deuteronom. XXIII. 1. *Eunuchus non intrabit Ecclesiam.* Et in novo Testamento. 1 Cor. XI. 22. *Namquid domos non habetis ad manducandum & bibendum*, ac etiam, *Ecclesiam Dei contemnitis.* Alio modo, sumitur pro Templo spirituali: & sic multipliciter potest sumi. Uno modo, particulariter; & sic quælibet rationalis creatura quam Deus spicialiter inhabitat, potest dici Ecclesia Dei, sicut dicitur Templum. Alio modo, magis generaliter, pro aliqua congregatione talium creaturarum, sive universali, sive particulari: & sic iterùm multipliciter potest sumi. Uno modo, pro omnibus cognoscentibus clarè, vel beatificè Catholicas veritates, & sic vocatur Ecclesia Triumphans, de qua dicitur: *Laus in Ecclesia sanctorum*, Ps. CXLIX. 1. Alio modo, pro omnibus cognoscentibus ænigmaticè hujusmodi veritates; & sic non solùm Sanctos, ut Ecclesia Triumphans, sed etiam cum bonis malos, & cum hominibus dæmones apprehendit: unde etiam quandoque, nomine Ecclesiæ significantur, ut cùm dicitur: *Odivi Ecclesiam malignantium.* Ps. XXV. 5. Licèt autem hoc modo iterum Ecclesia multipliciter posset sumi; tamen, ut ad propositum pertinet, Ecclesia sumitur pro hominibus in mortali corpore naturaliter viventibus, & ænigmaticè cognoscentibus Catholicas veritates. Et sic vocatur Ecclesia Militans, de qua dicitur. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo posuit vos Spiritus sanctus Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Act. XX. 28. Et sic sumitur in propositio.

H. Secunda distinctio est ista, quòd Ecclesia Militans dupliciter potest sumi. Uno modo, pro Ecclesia universali, & sic est unica Ecclesia, & extra quam non est salus, de qua dicit Apostolus: *Coloss.* I. 18. quòd Christus *est caput corporis Ecclesiæ*, & corpus ejus est Ecclesia. Alio modo, pro Ecclesia particulari: & sic sunt plures Ecclesiæ, juxta illud dictum ejusdem Apostoli. *Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi.* Rom. XVI. 16.

Utroque autem prædictorum modorum, adhuc multipliciter sumitur Ecclesia. Nam sumendo eam pro Ecclesia universali, quandoque sumitur pro congregatione omnium fidelium actu exsistentium. Quandoque verò generaliùs sumitur pro congregatione omnium fidelium, à tempore Christi, vel Apostolorum usque nunc succedentium; & sic distinguitur Ecclesia Christi contra Synagogam Moysi. Et isto modo accipit Augustinus Ecclesiam, in Libro, *Contra Manichæos*: ut habetur 11. *Distinct. cap. Palam.* & alibi. Ubi dicit quòd Evangelio non crederet, nisi eum Ecclesiæ autoritas compelleret. Hoc enim modo, Ecclesia est majoris autoritatis quàm Evangelium sit; quia hujus Ecclesiæ Evangelista, seu scriptor Evangelii pars existit.

Quandoque autem adhuc generaliùs sumitur Ecclesia pro congregatione omnium fidelium, à principio mundi, usque ad consummationem sæculi: & sic non solùm comprehendit Ecclesiam Christi; sed etiam Synagogam Moysi, & eos qui fuerant sub Lege naturali: & isto modo accipit Augustinus. *Lib.* 10. *De Civitate. cap.* 51. ubi dicit, quòd *Non solùm à tempore corporalis præsentiæ Christi, & Apostolorum ejus; sed ab ipso Abel, usque in hujus sæculi finem peregrinando percurrit Ecclesia.* Et Gregorius in quadam homilia dicit: quòd *Ab Abel justo, usque ad ultimum electum, semper manet Ecclesia.* Hoc etiam modo Synagoga in veteri Testamento appellatur nomine Ecclesiæ. Num. XX. 4. *Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem?*

B Sed etiam sumendo Ecclesiam pro Ecclesia particulari, iterùm multipliciter potest sumi. Uno modo, pro quacunque congregatione fidelium, sive virorum, sivee mulierum. & sic dicitur: 1. Petr. V. 13. *Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylonia.* Et isto modo sumitur in pluribus sacræ Scripturæ locis. Alio modo, sumitur specialiter pro tota congregatione Clericorum, & sic nunquam accipitur in textu Scripturæ divinæ: sed Clerici nomen Ecclesiæ appropriaverunt ad seipsos, vocantes se Ecclesiasticos. Alio modo, sumitur adhuc magis specialiter pro aliquo particulari Collegio Clericorum: & sic in Jure Canonico, Ecclesia iterum habet varias significationes, ut notatur *extra. de verborum sig. cap. Clerici.*

C Sed his & aliis significationibus obmissis, Ecclesia Militans propriè sumpta, pro Ecclesia universali potest isto modo describi: *Ecclesia est omnis homo fidelis, vel omnes homines fideles, in mortali corpore naturaliter viventes.* Et voco homines fideles, actu vel habitu, implicitè vel explicitè credentes, vel ænigmaticè cognoscentes omnes Catholicas veritates. Voco autem Catholicas veritates; veritates quibus quilibet viator actu vel habitu, explicitè, vel implicitè firmiter assentire tenetur: sed dico, omnis homo, vel omnes homines; quia secundùm aliquos, non solùm in pluribus hominibus, sed in uno solo potest, vel potuit stare Ecclesia. Nam, ut dicit Augustinus super Psal. CXXVIII. *Aliquando in solo Abel Ecclesia erat.* Et ut quidem aliquando, scilicet tempore Passionis Christi, tota Ecclesia, & tota Fides Ecclesiæ Christianæ, in Maria Matre Christi remanserat.

D I. Tertia distinctio est ista, quòd Petri Ecclesia dupliciter potest sumi. Uno modo, pro Ecclesia quam Petrus Apostolus personaliter rexit; alio, pro Ecclesia particulari, in qua ipse sedem tenuit. Et quia ista dicitur fuisse Ecclesia Romana; ideò distinguendum quòd Romana Ecclesia multipliciter sumitur. Quandoque pro Summo Pontifice, & quibusdam Presbyteris, & Diaconis, quos non ex autoritate divinæ Scripturæ; sed ex consuetudine observantiæ humanæ Papam & Cardinales vocamus. Quandoque autem sumitur pro solis Cardinalibus. Quandoque pro omnibus Clericis Romanis. Quandoque pro omnibus fidelibus Romanæ Diœcesis. Quandoque pro omnibus credentibus Fidem Apostolicam prædicatam

Romanis. Et sic universalis Ecclesia potest vocari Ecclesia Romana & omnes fideles possunt appellari Romani, ut dicunt aliqui. Sic Paulus Apostolus extra Italiam natus, antequam Romæ fuerit, se esse hominem Romanum asseruit, ut patet *Act.* xvi. Et isto modo, secundum illos, sumitur Ecclesia Romana, ubicumque innuitur quòd contra Fidem errare non potest Romana Ecclesia. ut 24. q. 1. *pudenda* & c. *à recta*.

His distinctionibus præmissis, ad videndum qualiter utraque Ecclesia, scilicet tàm Ecclesia universalis, quàm particularis Ecclesia Romana, sive Romana Diœcesis fuit Petri Ecclesia, tres sunt conclusiones declarandæ.

A Prima est, quòd Petrus Apostolus, ex Christi institutione, principatum habuit universalis Ecclesiæ.

Secunda est, quòd Petrus Apostolus, ex Christi ordinatione, Episcopatum tenuit Romanæ Ecclesiæ.

Tertia, quòd Petrus Apostolus priùs tempore Summus Pontifex fuit, quàm Episcopus Romanæ Ecclesiæ.

K. Ad Declarationem autem harum conclusionum, sciendum est quòd circa istam materiam sunt variæ assertiones istis conclusionibus aliquo modo repugnantes.

Prima est, quòd nullus Sacerdos ex Christi institutione super alios habet aut habuit majorem potestatem, sed omnibus æqualem.

B Secunda est, quòd Petrus Apostolus non habuit super alios Apostolos, nec per consequens, super universalem Ecclesiam principatum : & si habuit inter eos aliquo modo Primatum, hoc non fuit per modum præsidentiæ, vel dominationis; sed per modum voluntariæ reverentiæ & humiliationis: sicque alii Apostoli nòn tanquam sibi subditi, sed ratione suæ antiquitatis & perfectionis, ei in multis voluntariè deferebant.

Tertia est, quòd Petrus habuit super alios propriè principatum: tamen non ex institutione Christi, sed ex ordinatione Apostolorum.

Quarta est, quòd Petrus non fuit Pontifex Romanus, sive Romanæ Ecclesiæ Episcopus.

Quinta, quòd Romana Ecclesia non habet super alias Ecclesias principatum : nisi impropriè capia- C tur Ecclesia Romana pro universali Ecclesia. Et de ista intelligitur quòd Romana Ecclesia est caput omnium Ecclesiarum.

Sexta, quòd particularis Ecclesia Romana habet super alias principatum ; & hoc ponitur secundùm quadruplicem modum.

Primus modus est, quòd ipsa habuit hujusmodi principatum, non ex ordinatione divina; sed humana. Et iste modus est duplex. Unus est, quòd hujusmodi principatum habuit autoritate Imperatoris Constantini, sive aliorum Imperatorum. Secundus modus est, quòd ipsum habuit autoritate generalium Conciliorum. Tertius autem modus est, quòd hujusmodi principatum habuit, non ex ordinatione humana; sed divina. Et iste est duplex.

Unus modus est, quòd hunc principatum habuit immediatè ex institutione Christi, & eum accepit quando Petrus factus fuit Summus Pontifex, dicente Christo, *Tu es Petrus* &c. Matth. xvi. 18. Alius D & quartus modus est, quòd ipsum habuit non immediatè à Christo, sed à Beato Petro, qui de Antiochia in Romanam Ecclesiam Sedem suam transtulit; & eam omnibus aliis Ecclesiis prætulit. Licèt autem non sit facile prædictas assertiones efficaciter impugnare; tamen contra eas probandæ sunt conclusiones præmissæ. Unde ad declarationem conclusionis primæ tres sunt propositiones præmittendæ.

L. Prima est, quòd in Petro & ceteris Apostolis duplex fuit potestas: scilicet potestas Ordinis, & potestas Regiminis. Prima, fuit potestas consecrandi, ligandi, & solvendi. Secunda, fuit potestas ordinandi subjectos & ad eorum salutem gubernandi.

Secunda propositio est, quòd in Petro & ceteris Apostolis fuit æqualis potestas Ordinis, quia unus Ordo erat in singulis, scilicet Ordo Sacerdotalis. Ideò in his quæ ad hoc pertinent, ratione Ordinis, non erat major potestas in uno quàm in aliis.

Tertia est, quòd in Petro & ceteris Apostolis non fuit æqualis potestas Regiminis; sed ex Christi institutione, in hac potestate Petrus fuit major, & præfuit aliis: ideò in multis primam Ordinis potestatem ligare & cohibere potuit in eis. Unde, quia hujusmodi potestas ex Christi institutione in eo major fuerit quàm in aliis, ex verbis Christi concluditur; non præcisè ex eo quod Petro dicit Matth. xvi. 19. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Nam *Matth.* xviii. 18. similia verba dicuntur omnibus Apostolis. Et Joannis xx. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur, & quorum retinueritis, retenta erunt*: Sed ex eo quod priùs tempore & singulariter dicit, illud præmittens &c. cap. xvi. 18. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cœlorum.* Et Joann. i. 24. *Tu vocaberis Cephas.* Et Joan. ultimo. 16. *Pasce agnos meos.* Et ℣. 17. *Pasce oves meas*, per oves simpliciores intelligens. Plura alia possent induci Scripturæ testimonia, sed ex his patet conclusio prima.

Secunda conclusio non potest efficaciter probari ex Scripturis divinis, quia in eis non legitur quòd Christus ordinaverit Petrum Episcopum Romanum; imò, quòd Petrus fuerit vel manserit Romæ, non invenitur in tota Scriptura sacra describente actus Apostolorum: hoc tamen potest rationabiliter persuaderi ex historiis authenticis, quæ narrant quòd Petrus existens Romæ, persecutione in ea crescente, Urbem Romanam voluit dimittere ; sed occurrente ei Christo, ait Petrus : *Domine quò vadis* ; ad quem Christus: *Vado Romam iterum crucifigi*: ex quo dicto Petrus intelligens seipsum tanquam alterum Christum, seu Christi Vicarium, ibidem debere martyrio coronari, reversus est & ibi usque ad finem vitæ remansit. Unde verisimiliter concluditur quòd ibi Sedem & Episcopatum tenuerit : non quidem ordinatione humana, cujuscumque terreni Imperatoris, sive Concilii generalis ; sed ordinatione divina Imperatoris cœlestis, licèt hæc ordinatio fortè postea fuerit & per Imperatores roborata, & per Concilia generalia confirmata. Et sic patet conclusio &c.

Tertia conclusio probatur. Quia Petrus existens Pontifex Summus, priùs in Antiochia sedit, quàm Romæ, sicut patet *Act.* 12. Unde sicut legitur in Chronicis, Petrus per quatuor annos post Passionem Christi, in partibus Hierosolymitanis Ecclesiam rexit, posteà per septem annos Antiochiæ sedit, & sic à Passione Domini fluxerunt xi. anni, antequam Romæ Sedem suam transtulerit; & per conseqens pluribus annis fuit Pontifex Summus, quibus non fuit Pontifex Romanus. Quare patet quòd esse Pontificem Romanum, non est necessarium ad esse Pontificem Summum: quia non est de essentiali necessitate Pontificis Summi, quòd sit Episcopus Romanus, nec alterius particularis Ecclesiæ Episcopus. Et sic patet conclusio tertia.

M. Ex prædictis sequuntur aliquæ conclusiones corollariæ.

Prima est, quòd Pontificatus Summus, & Pontificatus Romanus, sunt Pontificatus distincti ; licèt sint in eadem persona, divinâ ordinatione conjuncti.

Secunda est, quòd Pontificatus isti non sunt necessariò sic annexi, quin ex causa rationabili valeant separari: puta si Summus Pontifex cum Concilio generali judi-

dicaret esse utile Ecclesiæ universali quòd Ecclesiam Romanam omninò dimitteret, & se alteri copularet, & hoc ex causa rationabili; sicut si Roma aut Diœcesis Romana subverteretur, ut Sodoma; vel à Fide everteretur, ut Hierosolyma; vel propter aliud grande crimen, aut grave schisma.

Tertia est, quòd si Pontificatus isti essent de facto separati, Romana Ecclesia non esset caput omnium Ecclesiarum, nec haberet principatum populi Christiani. Patet: quia hanc dignitatem capitis, principatûs, honoris, semper Ecclesia tenet & tenuit, quam summus Pontifex sibi specialiter copulavit. Ideò Antiochia illam dignitatem perdidit, & eam Romana Ecclesia acquisivit, quando Petrus de Antiochia civitate Romam translatus fuit. Quare patet quòd Romana Ecclesia non est caput aliarum, nisi ratione sui capitis, id est Summi Pontificis, qui de facto Pontifex Romanus existit. Ideò excluso hujusmodi capite, vel ipso manente Summo, & non Romano Pontifice, ipsa caret illa dignitate. Quare &c. Et hæc de secundo Articulo.

N. Quantùm ad tertium Articulum, in quo, pro responsione ad quæsitum, videndum est de gregis Petri & Legis Christi conformitate: pro tituli quæstionis declaratione sunt tres distinctiones præmittendæ.

Prima ergò distinctio est ista, quòd Lege regulari, dupliciter potest intelligi. Uno modo, ut idem sit quòd Legem habere, & ea obligari; & isto modo, satis clara est ex primo Articulo quæstionis veritas: alio modo, ut idem sit quòd secundùm Legem vivere, & ei conformari; isto modo tractanda est in præsenti Articulo quæstionis difficultas.

Secunda distinctio est, quòd Legi conformari; potest esse dupliciter. Uno modo, in credendis: alio modo, in valendis. Prima conformitas pertinet ad intellectum, & fit per Fidem, Spem, & Charitatem: nam, secundùm Apostolum 1. Cor. XIII. 13. hæ sunt tres virtutes Theologicæ, in quibus consistit perfecta conformitas Legis divinæ, & tota perfectio Religionis Christianæ.

Tertia distinctio est, quòd Legi difformari, etiam dupliciter potest esse. Uno modo, secundùm intellectum, errando contra Legem errore hæresis, seu alicujus facultatis repugnantis Fidei: alio modo, secundùm affectum, errando contra Legem, non errore hæresis, sed alterius culpæ mortalis, repugnantis Spei aut Charitati. Unde secundùm hoc est intellectus quæstionis. *Utrùm Petri Ecclesia Lege reguletur?* hoc est, utrùm Legi conformetur, sicque nunquam propter aliquem errorem Legis regulæ difformetur.

O. His ergo distinctionibus præmissis, sciendum est quòd de prima conformitate, vel difformitate, est in hac quæstione difficultas specialis: ideò de illa principaliter dicam, & de illa intelligam in conclusionibus ponendis. Sed priùs recitandæ sunt quædam assertiones circa istam materiam plurimùm differentes.

Prima est, in quam communiter omnes fideles videntur consentire, quòd tota Ecclesia, sive multitudo omnium Christianorum hæreticari non potest, sive contra Fidem errare. Secunda est, quòd nec etiam Concilium generale. Tertia, quòd nec Romana Ecclesia. Quarta, quòd nec Collegium Cardinalium. Quinta, quòd nec Papa canonicè intrans.

Aliæ autem sunt quinque assertiones prædictis valdè repugnantes.

Una est, quòd Papa intrans canonicè hæreticari potest, sive contra Fidem errare, quia Petrus & multi alii leguntur sic errasse. Septima est, quòd Ecclesia Romana etiam potest sic errare, sive capiatur pro Collegio Cardinalium, sive pro Collegio Papæ simul & Cardinalium, sive in quacumque alia significatione sumatur; dummodò nomine Romanæ Ecclesiæ, non importetur tota multitudo fidelium, quia, illâ Ecclesiâ scilicet sic errante, adhuc staret Ecclesiam illam non errare, cui Christus promisit perseverantiam in Fide. Octava est, quòd etiam Concilium generale potest contra Fidem errare; quia ipso sic errante, adhuc staret aliquos extra Concilium non errare; & per consequens Fidem Ecclesiæ non deficere. Nona est, quòd tota multitudo non solùm Clericorum, sed generaliter omnium virorum potest sic errare, & Fides Ecclesiæ in solis mulieribus conservari; quia sic conservata fuit in sola Maria Virgine, tempore Passionis Christi. Decima est, quòd tota multitudo Christianorum, non solùm virorum, sed etiam mulierum usum rationis habentium, potest contra Fidem errrare, quia hoc stante, adhuc in parvulis baptisatis possunt salvari omnes promissiones Christi, de Fide Ecclesiæ duratura usque ad consummationem sæculi. Licèt autem omnes prædictæ assertiones habeant secundùm magis & minus aliquas apparentes rationes, tamen eas ad præsens pertractare non patitur temporis brevitas, sed conservando eas usque aliàs, dico pro nunc probabiliter, quòd ex tribus conclusionibus probandis, satis possit apparere aliquarum dictarum assertionum veritas.

P. Ex sacra Scriptura convincitur quòd semper est aliqua Ecclesia quæ Christi Lege reguletur.

Ex sacra Scriptura non convincitur quòd semper est aliqua Ecclesia particularis quæ Christi Legis regulæ conformatur.

Ex sacra Scriptura convincitur quòd semper est aliqua universalis Ecclesia quæ nunquam Christi Legis regulæ difformetur. Et quia istæ conclusiones multùm ad invicem connectuntur, ideò simul una ratione probantur.

Unde arguitur sic. Ex sacra Scriptura convincitur quòd semper est aliqua Ecclesia quæ per rectam Fidem Legis Christi regulæ conformatur; intelligendo, *semper*, à tempore Christi, usque ad consummationem sæculi: sed ex ea non convincitur hoc convenire alicui Ecclesiæ particulari, intelligendo per particularem Ecclesiam quamcumque Ecclesiam distinstam ab Ecclesia universali. Igitur sufficienti divisione ex ea convincitur hoc convenire Ecclesiæ universali; & per consequens sequitur intentum in conclusionibus præmissis, intelligendo eas, ut prædixi, de conformitate & difformitate primo modo dictis. Consequentia patet; sed Minor rationibus probatur, quia illud quod in sacra Scriptura promittitur toti & nulli parti, non debet alicui parti attribui: sed semper rectam Fidem habere, aut nunquam contra veram Fidem errare, in sacra Scriptura à Christo promittitur toti & soli fidelium congregationi, ut patebit ex probatione Majoris. Igitur hoc non debet alicui particulari Ecclesiæ Catholicorum attribui, imò debet temerarium censeri: Major autem principalis rationibus probatur, & primò ex illo verbo Christi. Luc. XXII. 32. Petre *rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Nec dubitandum est ipsum in hoc fuisse exauditum; quia secundùm Apostolum. Heb. v. 7. *Exauditus est pro sua reverentia.* Constat ergo quòd Christus promisit Petro quòd non dificiet Fides sua, non intelligens de ejus Fide personali, sed de Fide generali Ecclesiæ Dei committendæ Regimini Petri: & cùm non loquatur de aliqua Ecclesia partiali, sequitur quòd intendit de Ecclesia totali.

Secundò, patet idem ex illo verbo Christi Math. ultimo. 20. *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Ubi Christus promittit suis Discipulis, non solùm pro se; sed pro suis successoribus in Ecclesia Dei, seipsum, non quidem corporaliter, aut solùm sacramentaliter, sed per Fidem spiritualiter semper adesse, vel affuturum. Unde dicit Gregorius

rius quòd *Per hoc quod Christus usque ad consummationem sæculi cum discipulis se esse promittit, respondit ipsum nunquam a credentibus recessurum*.

Tertiò. Idem sequi apparet ex illo verbo Christi: *Matth.* XXIV. 24. Ubi loquens de persecutione Antichristi dicit quòd inducentur *in errorem, si fieri potest, etiam electi*. Unde ex hoc modo loquendi Christi, patet quia de potentia ordinata hoc non potest fieri, quia ejus promissio est, quòd etiam tempore A Antichristi erunt aliqui electi non errantes in Fide Christi. Et quia minùs videretur de illo tempore promisso, sequitur quòd semper sunt aliqui credentes Fidem Christi, & illi continentur sub aliqua Ecclesia non particulari, sed universali. Quare &c.

Q. Ex prædictis sequuntur aliquæ propositiones corollariæ.

Prima est. Quòd semper in Ecclesia universali erunt plures adulti illustrati veritate Fidei.

Secunda est. Quòd semper in Ecclesia universali erunt plures justi formati virtute Spei.

Tertia. Quòd semper in Ecclesia universali erunt plures electi inflammati Charitate Dei.

Prima propositio patet: quia in autoritate præallegata, ubi Christus dicit quòd, si fieri potest, etiam electi inducerentur in errorem, intendens quòd illo tempore Antichristi, erunt plures electi non errantes contra Fidem: B constat quòd non intendit de parvulis baptizatis, cùm in eis non cadat inductio in errorem, sed de adultis credentibus Fidei veritatem. Unde patet quòd promissiones Christi de Fide Ecclesiæ usque ad finem sæculi permansura, non possunt salvari in parvulis baptizatis, & per consequens nec debent intelligi solùm de Fide infusa; sed etiam de Fide acquisita.

Secunda propositio patet ex prima & tertia: quia Fides & Charitas non possunt haberi sine Spe, de communi, sive de potentia ordinata, ut ad præsens suppono. Igitur &c.

Tertia propositio patet: quia minùs videretur quòd Ecclesia debet stare in Charitate in illo tempore novissimo & pessimo persecutionis Antichristi, quàm quocumque alio tempore: quia de illo tempore dicitur. *Matth.* XXIV. 12. quòd *abundavit iniquitas, & refrigescet charitas*. Et tamen adhuc illo tempore Ecclesia stabit in Charitate: quia ibi dicitur quòd *refrigescet charitas*; & non quòd ipsa totaliter corrumpetur. C Item, dicitur *Charitas multorum* & non dicitur omnium. Item, ibidem de Antichristo dicitur quòd abbreviabuntur dies ejus: quare non videtur quòd debeat interficere omnes Charitatem habentes. Item, ibidem dicitur in plurali, quòd electi non poterunt in errorem induci, & per consequens tunc erunt plures electi contra Legem non errantes, & per consequens Fidem & Charitatem habentes. Quare &c.

R. Ex prædictis ergo patet responsio quæstionis: videlicet quòd Petri Ecclesia Lege regulatur, hoc est, quòd universalis Ecclesia nunquam per errorem Legi difformatur; sed semper Legis Christi regulæ conformatur, non solùm per Fidem mortuam, sed etiam per Fidem, Spe & Charitate formatam, & si non quantùm ad quamlibet ipsius portionem. Et in hoc consistit conformitas Ecclesiæ ad Christi D regulam seu Legem. Hæc igitur sufficiant de tertio Articulo, & pro præsenti & totali quæsito.

QUÆSTIO

Ejusdem Petri Cardinalis.

DE RESUMPTA.

Utrùm Petri Ecclesia Rege gubernetur. Lege reguletur. Fide confirmetur. Jure dominetur.

A. UTRUM *Petri Ecclesia Fide confirmetur*. Arguitur primò quòd non: quia Petrus non habuit Regalem Monarchiam totius Ecclesiæ, seu politiæ Christianæ: imò talis Monarchia videtur ad Imperatorem pertinere. Igitur politia Christiana non debet dici Petri Ecclesia, & per consequens, quoad suppositum, quæstio falsa. Consequentia tenet: quia quælibet politia dicitur propriè esse illius qui in ea est Rex seu Monarcha. Antecedens patet: quia Christus pro se & Petro ejus Vicario futuro, fecit solvi tributum Imperatori. *Matth.* XVII. Igitur &c. Secundò. Si Ecclesia esset Fide confirmata, maximè hoc videretur verum de Fide infusa: sed hoc non. Igitur &c. Antecedens quoad primam partem videtur notum, sed quoad secundam probatur: quia Fides infusa non sufficit ad firmandum in nobis actum credendi, respectu Articulorum, nisi ad hoc concurrat apparentia rationum; ex quibus, secundùm Augustinum. XIV. *de Trinit.* gignitur in nobis Fides, nutritur, defenditur, & roboratur. Igitur Fide non confirmatur Ecclesia; sed magis ex ipsa rationis apparentia: sic enim per apparentia miracula Ecclesia fuit confirmata, juxta illud: *Prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis*. Marc. XVI. 20. Quare &c. Tertiò. Ecclesia Petri in his quæ sunt Fidei potest errare. Igitur confirmatur Fide. Consequentia clara est: quia confirmatio in Fide importat constantem firmitatem, quæ est invertibilis in errorem. Antecedens probatur: quia Ecclesia Romana, propriè dici debet Petri Ecclesia, eo quod in ea fuit Sedes sua; sed ipsa sicut una alia particularis Ecclesia, potest errare in Fide: nam ipsa sic errante, adhuc staret universalem Ecclesiam non errare; & sic salvarentur omnia dicta Scripturæ, & omnes promissiones à Christo factæ, de stabilitate Ecclesiæ & firmitate in Fide &c. Oppositum arguitur: quia Christus oravit pro Petri Ecclesia, ut esset Fide confirmata, juxta illud: Petre, *rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua*. Luc. XXII. 32. Sed hæc oratio Christi fuit exaudita: Nam ut dicit Apostolus: *Exauditus est pro sua reverentia*. Hebr. V. 7. Igitur &c.

Juxta tres terminos quæstionis ad materiam tactam in tribus prioribus argumentis, præmissis tribus præambulis, ponam tres conclusiones responsales, in quibus aliqua dicam, non tàm assertivè, quàm probabiliter & collativè.

B. Primum præambulum est de isto termino, *Petri Ecclesia*, qui licèt multipliciter possit sumi, prout dixi in Vesperiis meis, in secundo Articulo quæstionis; tamen in proposito sumitur pro Ecclesia universali, quæ dicitur Ecclesia Petri: quia in spiritualibus fuit caput ejus, & in ea ex Christi institutione Sacerdos summus. Et per hoc posset solvi primum Articulum, ante oppositum quæstionis factum: quia dicitur Petri Ecclesia, non propter Monarchiam temporalem, sed propter spiritualem & Sacerdotalem. Per hoc etiam posset solvi tertium argumentum, quia Ecclesia universalis magis propriè dicitur Petri Ecclesia, quàm Ecclesia Romana, seu quævis alia particularis, prout aliàs in eodem Articulo declaravi.

Se-

Secundum præambulum est de isto termino *Fides*, qui multipliciter potest sumi. Uno modo, pro Fide habituali de qua dicitur: *Sine Fide impossibile est placere Deo.* Hebr. XI. 6. Alio modo, pro Fide actuali, de qua dicit Augustinus. *Fides est credere quod non vides.* Tertio modo, pro Fide objectali, idest pro objecto Fidei, de quo in Symbolo. *Hac est Fides Catholica* &c. Adhuc autem, primo modo, potest sumi pro habitu infuso, vel pro habitu acquisito: & iterùm tertio modo, vel pro actu Fidei infusæ, vel pro habitu ex actu acquisito procedente, qui actus vel habitus, quando est sine Charitate, dicitur Fides informis, de qua dicitur: *Dæmones credunt & contremiscunt.* Jac. II. 19. Quando verò est cum Charitate seu gratia, dicitur Fides formata, de qua dicit Propheta: *Justus in Fide sua vivet.* Habac. II. 4. Sed omnibus aliis modis ad præsens exclusis, capio hîc Fidem pro habitu infuso, vel actu credendi ab ea pendente, sive sit informis, sive formatus Charitate.

C. Tertium præambulum est de isto termino, *confirmatio*, qui licèt etiam multipliciter possit sumi; tamen hîc sumitur ut importat constantem firmitatem in aliqua virtute, quæ de lege ordinata est invertibilis in vitium contrarium, sicut aliquem diceremus in gratia confirmatum, quia aliqualiter invertibilem in peccatum.

Unde ex prædictis apparet quòd titulus quæstionis dupliciter potest intelligi, secundùm quod huic ablativo *Fide*, duplex propositio potest subintelligi, vel suppleri: nam potest intelligi utrùm confirmetur ex Fide, vel in Fide. Primò, est sensus quæstionis: *Utrùm universalis Ecclesia ex Fide*, scilicet infusa, *confirmetur*; sic quòd ex ipsa, absque rationis apparentia, ad constanter & firmiter credendum sufficienter inducatur, juxta illud quod solet in Ecclesia cantari. *Et si sensus deficit, ad confirmandum cor sincerum, sola Fides sufficit.* Et juxta illud Gregorii. *Fides non habet meritum, ubi ratio humana probat experimentum.* Et contra hunc sensum arguit secunda ratio ante oppositum. Secundo modo, est sensus quæstionis: *Utrùm universalis Ecclesia, in Fide infusa confirmetur.* Sic scilicet quòd de Fidei constanti & firma perseverantia certitudinaliter instruatur. Et ad hunc sensum procedit responsio facta post oppositum. Unde hujusmodi confirmatio in Fide duo importat. Primum est, quòd semper quamdiù erit Ecclesia ipsa perseverabit in Fide. Secundum est, quòd de perseverantia ipsa est certificata ex instructione Scripturæ sacræ, seu alterius revelationis divinæ, juxta illud priùs allegatum: *Petre, Rogavi pro te*, &c. Ubi Christus revelavit quòd semper Petri Ecclesia in Fide perseverabit.

His igitur præmissis, ponam tres conclusiones.

Prima erit, de Ecclesia, & Monarchia Petri: & erit responsiva ad quæstionis suppositum.

Secunda erit, de habitu & actu infusæ Fidei, & erit præambula ad primum quæstionis sensum.

Tertia erit, de quæstione, & confirmatione Ecclesiæ Christi, & erit responsiva ad utrumque quæstionis intellectum.

D. Prima ergo conclusio, juxta materiam argumenti, ante oppositum facti, est de Ecclesia & Monarchia Petri: & est ista. Quòd licèt tàm Christus, quàm ejus Vicarius Petrus, in quantùm caput Ecclesiæ, habuerit Monarchiam spiritualem; non tamen Regiam temporalem. Prima pars patet de Christo, quia secundùm Apostolum. *Coloss.* I. 18. Christus *est caput corporis Ecclesiæ*, & corpus ejus est Ecclesia. Scilicet caput habet Monarchiam principalem, & supremam, respectu, & circa sui corporis membra. Igitur &c. De Petro Christi Vicario idem patet ex dictis in secundo Articulo quæstionis quam tractavi in Vesperiis: ubi respondi quòd Petrus Apostolus, ex Christi institutione fuit caput, & habuit Principatum universalis Ecclesiæ, & fuit in ea Pontifex Summus, & per consequens spiritualis Monarcha supremus. Sed secunda pars conclusionis probatur ex illa propositione quam posui in prima lectione contra re . . . . . Magistrum; quæ fuit hæc. *Sicut nec Petrus Apostolus ultra Monarchiam Sacerdotalem, sic nec Christus secundùm humanitatem,*

A *habuit Monarchiam Regalem.* Cujus secunda pars est contra primam partem secundæ conclusionis principalis tertii Articuli, in qua in Vesperiis suis posuit quòd *Christus unctus est à Deo ut esset, secundùm humanitatem, Monarcha Regalis, & Sacerdotalis totius Orbis generalis.* Contra quam, probavi prædictam propositionem meam tribus responsionibus. Primò, quòd si Christus &c. Tunc Petrus Apostolus, sicut successit Christo in Monarchia Sacerdotali, sic succedere debuisset in Monarchia Regali. Consequentia videtur bona, quia non apparet ratio diversitatis; sed consequens videtur falsum, quia quòd Petrus talem Monarchiam habuerit, non habetur ex Scriptura sacra, quare hoc asserere apparet temerarium. Hîc respondet dupliciter. Primò: negando consequentiam, & assignando rationem diversitatis, dicendo quòd ex causa rationabili, quæ tamen non habuit locum in Christo, tempore novæ Legis, Regnum divisum est à Sacerdotio: scilicet ne Sacerdotes vocati ad altius exer-

B citium spiritualis vitæ, negotiis sæcularibus implicarentur, & hæc est, ut dicit, ratio Apostoli. 2. *Timoth.* II. Alio modo respondet, negando consequens illatum, non esse inconveniens de Beato Petro & de quolibet Papa ejus successore, intelligendo de Monarchia Regali, quoad autoritatem originalem & architectonicam.

Sed contrà arguitur: quia si prima responsio sit bona, & ratio diversitatis in ea assignata; sequitur quòd secunda responsio sit mala: quia per primam in nova Lege Regale dominium non est cum Sacerdotio, nec Sacerdotes debent sæcularibus implicari. Igitur Summus Sacerdos non dominatur tali dominio temporali, per quod retraheretur ab exercitio spirituali, juxta illud Apostoli: *Nemo militans Deo, implicat se sæcularibus negotiis.* 2. Timoth. II. 4. Sic una responsio interimit aliam. Tamen ad fundandum secundam responsionem, ponit duas propositiones. Prima est, quòd quamvis Papa de Jure divino & naturali, utramque

C scilicet spiritualem & temporalem habeat Jurisdictionem auctoritativè; non tamen æqualiter executivè. Prima pars probatur: quia temporalia se habent tanquam dispositiones ad spiritualia. Igitur apud quem est plena autoritas spiritualium, apud illum etiam est autoritas ordinandi de temporalibus &c.

Item, quicumque habet autoritatem judicandi de spiritualibus, ad illum etiam reducitur autoritas judicandi de temporalibus. Igitur &c. Antecedens probatur: quia temporalia, non nisi secundùm spiritualia debent judicari & ordinari, juxta illud Apostoli. I. Cor. 6. 3. *Angelos judicabimus, quantò magis sæcularia?* Glossa. *Idest de rebus sæculi.* Et ad hoc inducit, *extra. Qui Filii sint legitimi. Per venerabilem.* Item deduci potest ex dictis Apostoli. I. *Cor.* II. 15. dicentis: quia *Spiritualis omnia judicat* &c. Secunda probatur: quia in temporalibus Papa non habet meram executionem, sicut in spiritualibus; sed solùm in certis casibus habet executivam Jurisdictionem temporalem, sicut probant Jura, quæ tamen non alle-

D gat causâ brevitatis. Tangit etiam ibi autoritatem Scripturæ, *Deut.* XVII. ex qua concludunt Jura, sicut ipse dicit, quòd cum in temporalibus aliquid fuerit difficile, vel ambiguum; tunc est ad Judicium Sedis Apostolicæ recurrendum &c.

E. Sed ista possent apparenter solvi, & contra ipsum reduci. Unde ad primam & ad secundam simul potest dici, quòd temporalia, idest negotia rerum temporalium & sæcularium, sicut Principatus, Dominium, vel Judicium coactivum litium, aut contentio-

tiosorum actuum civilium, non disponunt, nec ordinantur ad spiritualia, imò magis ea impediunt. Unde super illo verbo Apostoli priùs allegato: *Nemo militans Deo* &c. dicit glossa Ambrosii quod *sicut nemo potest duobus Dominis servire*; Matth. VI. 24. *sic nec Deo militare in spiritualibus, qui implicat se secularibus negotiis quibuslibet*: & dicit *quibuslibet*, nullum excipiendo. Item, nec concludit illa autoritas Apostoli. I. Cor. VI. 3. *Angelos judicabimus* &c. Quia ibi alloquitur Apostolus generaliter omnes de Corintho, ad quos scribebat Epistolam. Unde, quia contendebant de sæcularibus Judicibus, ipsos monebat ut ex cœtu fidelium aliquos Judices constituerent, non quidem Episcopos aut Sacerdotes, sed alios. Propter quod subdit: *Secularia igitur Judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia illos constituite ad judicandum.* &c. I. Cor. VI. 4. Ubi glossa, secundùm Ambrosium & Augustinum, *Contemptibiles*, idest, *aliquos sapientes, qui tamen sint minoris meriti*, supple quàm Apostoli vel Ministri Evangelii, *constituite ad judicandum*: & causa redditur; quia Aposli talibus non vacabant. Unde etiam glossa, secundùm Gregorium. *Hi*, inquit, *terrenas causas examinent, qui exteriorum rerum sapientiam perceperint.* Qui autem spiritualibus donis ditati sunt, terrenis non debent negotiis implicari: est hæc est etiam sententia Bernardi, ad Eugenium Papam. *Lib.* 2. c. 5. Si autem aliqua dicta Sanctorum videantur innuere quòd Judicia sæcularia ad Episcopos pertineant, sicut etiam videtur innuere illa Decretalis. *Per venerabilem.* Ad omnia talia posset dici, ea debere intelligi non de Judicio coactionis, sed de judicio discretionis; vel hoc ad eos pertinere, non Jure naturali aut divino, sed humano & positivo: de quo ad præsens non est intentio.

Item, illa autoritas, *spiritualis omnia judicat:* non videtur digna solutione, quia omnino est extra propositum. Nam Apostolus vocat spiritualem non Episcopum aut Sacerdotem, sed prout distinguitur contra carnalem; quod patet per illud quod præcedit. *Animalis homo*, inquit, idest qui habet animum ad carnalia depressum, *non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei*, idest spiritualia. Nec Apostolus loquitur de Judicio rerum sæcularium, sed spiritualium: quod patet ex autoritate quam allegat. Rom. XI. 25. ex Isaia XL. 13. *Quis enim cognovit sensum Domini* &c. Item ad illam autoritatem Deut. XVII. 8. *Si difficile* est quid &c. potest dici quòd loquatur de Sacerdotio vel Lege: nec secundùm sensum litteralem debet extendi ad Sacerdotes novæ Legis, propter causam supra tactam. Ideò per illam non sufficienter probatur quòd ad eos pertineat Judicium coactivum, de Jure divino &c.

F. Secunda propositio sua est, quòd Sacerdos Apostolicus se habet ad Reges & Principes, sicut Architector ad manuartifices. Probatur: quia Sacerdos Apostolicus habet cognoscere propter quid, & dare Leges & regulas judicandi, secundùm quas Principes sæculares debent populum regere, & Jurisdictionem exercere: nec possunt Legibus uti, quæ eis aliquo modo sint contrariæ, vel earum impeditivæ. Sed quia hoc dicit purè, voluntariè, & sine allegatione Scripturæ authenticæ, ideò non insisto: reputo enim clarum quòd hoc non probat esse de Jure naturali aut divino, sicut nec alia dicta sua. Hîc autem dicit quòd miratur de modo meo arguendi quem feci in prima responsione, dicendo: hoc non habetur ex Scriptura sacra, igitur temerarium est hoc asserere. Nam multa circa materiam Trinitatis & corporis Christi tenemur credere, quæ sacra Scriptura non expressit, sed per doctrinam vocalem Apostolorum, & Traditiones Ecclesiæ ad nos pervenerunt. Quare &c.

Ad hæc respondeo: quòd in materia de qua loquimur, non erat opus de hoc expressam mentionem facere, cùm sit clarum quòd nec ex doctrina vocali Apostolorum, aut Traditione Ecclesiæ, habetur quòd Christus, aut Petrus, & alii Apostoli, & eorum successores, gesserint se tanquam Reges, aut Principes temporales; nec quòd eis imposuerunt Leges, aut Regulas judiciales; nec quòd circa eos Judicia sæcularia exercuerunt; sed suis Legibus & Judiciis se humiliter subjicere voluerunt. Nam Christus per Pilatum Vicarium Romani Imperatoris sustinuit judicari; & licèt fortè significaverit se pati injustum Judicium; non tamen contra ipsum, tanquam contra non Judicem reclamavit. Imò per hoc quod dixit ei; *Non haberes potestatem ullam adversùs me, nisi tibi datum esset desuper.* XIX. 11. Innuere videbatur quòd haberet potestatem ipsum judicandi, & hanc desuper, idest à Deo, secundùm Augustinum. Petrus etiam non dicebat totum mundum in temporalibus sibi esse subjectum; sed loquens de Principibus sæcularibus, dicebat. *Obedite Dominis vestris, etiam dyscolis.* I. Pet. II. 18. Et Paulus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Rom. XIII. I. & dicit, *omnis anima*, idest omnis homo, nullum excipiendo. Ipse etiam ad Cæsarem tamquam Judicem appellavit. Unde dicit. *Ad Tribunal Cæsaris sto, ibi me judicari oportet.* Act. XXV. 10. Ubi Glossa: *quia hic est*, inquit, *locus Judicii* &c. His ergo consideratis, videretur esse temerarium dicere & asserere illa quæ superiùs recitata sunt, esse de Jure divino, nisi ad hoc cogat Scripturæ sacræ autoritas &c. Et hæc non assertivè, sed solùm collativè dicta sint de prima ratione.

G. Secundò. Principaliter arguebam sic. Quòd Christus, secundùm humanitatem, habuerit totius Orbis Monarchiam Regalem, non convincitur ex Scriptura sacra, nec ex illis autoritatibus quas ille Magister allegat: quia omnes illæ, & si quæ sunt similes, vel non dicuntur de Christo secundùm sensum litteralem; vel intelliguntur secundùm divinitatem. Igitur illud dictum est voluntarium, & quâ facilitate dicitur, eadem facilitate respuitur. Et confirmatur, quia ex Scriptura sacra apparentiùs convincitur oppositum. Nam Christus interrogatus utrùm Rex esset, respondit Pilato: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Joan. XVIII. 36. Per hoc dans intelligere quòd ipse secundùm humanitatem, quantùm ad temporalia, quæ mundana vocabat, non habebat totius Orbis Monarchiam Regalem: contra rationem; quia videtur replicatio esse solutio argumenti sui, ipse replicat per aliquas autoritates. Prima est Apostoli. Ephes. I. 20. 21. 22. 23. Ubi dicit de Christo, quòd *Deus Pater operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens illum ad dexteram suam in cœlestibus, super omnem principatum & potestatem, & Virtutem & Dominationem* &c. *Et omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Ubi glossa, *Quia subjecit sub pedibus ejus*, idest sub humanitate ejus, quam etiam Angeli adorant, & ipsi homini Christo omnia subsunt. Secunda, est Psalmistæ, dicentis. Ps. XLIV. 7. *Sedes tua*, vel *Thronus tuus Deus, in sæculum sæculi, virga æquitatis, virga Regni tui.* Quod allegat Apostolus. *Heb.* I. 8. Probans per hoc, Christo esse datum Regnum, vel dignitaem Regiam, seu Sedem judiciariam permanentem in sæculum sæculi. Quòd talis potestas fuerit sibi data à Patre, secundùm humanitatem; patet per hoc quod consequenter ℣. 9. allegat Apostolus. *Propterea unxit te Deus* &c. Glossa, idest, *unxit te, secundùm hominem*, & concludit: ex hoc quòd per hoc quod dicit ipsum esse unctum, signat eum esse Regem & Sacerdotem. Tertia, est ad Hebræos II. 5. *Non enim Angelis Deus subjecit Orbem terræ.* Et paulò post *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* ℣. 8. Et loquitur de Christo homine, de quo idem dicit quòd ipsum paulo minus ab Angelis minoravit, juxta dictum Psalmistæ. *Ps.* VIII. 6. Quarta, est Apocalypsi XIX. 16. *Habet in vestimento & in femore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus dominantium.* Ubi Glossa: Per vestimentum &

& femur, intelligit humanitatem Christi. Quinta, est Matth. ult. 18. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*; ubi, secundùm glossam Hieronymi non loquitur de coæterna Patri divinitate, sed de assumpta humanitate. Ex quibus omnibus infert iste Magister quòd Christum habuisse Monarchiam &c. non voluntariè dictum est &c.

H. Pro solutione istorum, pono istam distinctionem, quòd Regnum Christi, sive ejus Regale dominium, potest imaginari triplex. Unum scilicet divinum, per quod, secundùm divinitatem, est Rex & Dominus omnium, sicut Deus Pater, & de isto dominio potest illa intelligi autoritas Apoc. *Rex Regum & Dominus dominantium.* licèt, secundùm glossam, Christus habuerit scriptum in vestimento humanitatis, quia scilicet Verbum Dei fuit unitum cum pelle humana; ratione cujus, per communicationem ydiomatum, idem dominium quod conveniebat Deo, conveniebat etiam homini. Nec etiam loquitur ibi de tali dominio de quo loquimur, scilicet temporali; sed de dominio Regni æterni. ubi glossa subdit. *Rex Regum, idest super omnes Sanctos*; hi autem sunt in patria; non in via. Quare &c. Aliud est Christi dominium, scilicet humanum, & illud potest subdistingui; & intelligi duplex. Unum spirituale, seu Sacerdotale: aliud temporale, sive sæculare. De spirituali, sive Sacerdotali Regno loquitur secunda autoritas allegata de Psalmista: *Sedes tua* &c. Et generaliter Regnum, sive Imperium Christi, de quo Prophetæ loquuti sunt, sive ejus sedes, aut thronus, aut potestas Regia, intelligenda sunt de regimine spirituali, quoad salutem æternam acquirendam; & non de temporali, sive corporali. Quod posset faciliter ex Scripturis declarari, sed ad præsens sufficit illud quod allegatur. *ad Heb.* Ubi, secundùm Apostoli sententiam, ista sedes, vel potestas permansura est in sæculum sæculi: quia cùm omne Regnum temporale, & omnis potestas temporalis sit transitoria, non potest dici permanere in sæculum sæculi, idest sine fine. Ad idem facit illud Dan. VII. 14. *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, & Regnum ejus quod non* destruetur, sive *corrumpetur*. De temporali ergò, & corruptibili Regno non intelliguntur Scripturæ, nec tale Regale dominium dicunt Christo convenire, & maximè, loquendo de generali Regno totius mundi. Quicquid sit de speciali Regno Judaïci populi, de eo nihil ad præsens, sed intelligitur de Regno Sacerdotali: nec obstat si Sacerdotium Regnum dicatur in veteri Testamento, cùm etiam in novo Petrus Apostolus Sacerdotium Christi vocet Regale Sacerdotium. Quare. &c.

Sed adhuc est aliud tertium Christi Regnum, sive Regale dominium, non temporale, seu terrenum; sed cœleste & æternum, ac supernaturale seu miraculosum: & de tali dominio vel potestate, intelliguntur aliæ tres autoritates, scilicet prima, tertia, quinta, superiùs allegatæ. Nam præesse in cœlo super Angelis, Principatibus, & Dominationibus, & omnia habere subjecta sub pedibus ejus, & habere omnem potestatem in cœlo & in terra, licèt conveniat Christo, secundùm humanitatem, prout sonant prædictæ autoritates; tamen ista non pertinent ad dominium humanum, seu temporale, vel terrenum, de quo ad præsens loquimur. Sed ad dominium Regni æterni quod Christus in sua Passione meruit, juxta illud Apostoli: *Humiliavit semetipsum* Philipp. II. 8. 9, 10. *Propter quod exaltavit illum Deus, & dedit illi nomen quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum*: Hoc ergo dominium licèt Christus ab instanti suæ conceptionis habuerit, secundùm aliquos; tamen non nisi raro, & supernaturaliter, ac miraculosè usus fuit, sicut in ejectione dæmonum in porcos; & præcipitatione porcorum in mare. *Matth.* VIII. & c. XXI. in arefactione ficulneæ; & aliis quibusdam factis miraculosis, ad confirmationem Fidei, & suæ divinitatis ostensionem Discipulis exhibitis, & non ad ostendendum potestatem, seu autoritatem humani, seu terreni Principatus. Quare ex his satis patet prædictas authoritates non esse ad propositum nec probare intentum &c. Sed adhuc pro responsione ad confirmationem rationis meæ ponit istam tertiam propositionem. Licèt, Christus secundùm humanitatem, plenam de temporalibus immediatè ordinandi habuit A potestatem; non tamen illam per se exercuit, ad ostendendum aliud nobilius officium per se pertinens ad Regalem dignitatem. Prima pars, dicit ipse, patet ex jam dictis; sed per præmissa apparet contrarium, ideò probatio sua nulla. Secunda pars, scilicet quòd illam per se non exercuit, patet: nam juveni dicenti Christo: *Dic fratri meo ut mecum dividat hereditatem.* Respondit: ô *homo quis me constituit Judicem super vos?* Luc. XII. 13. 14. Sed ista autoritas non solùm probat quòd non exercuit, quod satis clarum est; sed etiam probat contra primam partem, quòd exercendi Jurisdictionem dominium non habuit; quia negat se esse Judicem: ad Judicem autem non tantùm pertinet Jurisdictionis exercitium, quantùm judicandi dominium. Quare &c. Tertia pars propositionis suæ est: quòd Christus per hoc non exercuit per se talem Jurisdictionem, ostendit quid de per se ad Regnum pertinet, scilicet subjectos regere B per Leges studiosas, in his quæ pertinent ad finem humanum, tàm politicum, quàm ultimatum, & quòd discutere negotia temporalia litigiosa solùm per accidens ad eorum pertinet officium, scilicet propter materiam hominium: & hoc ostendit; quia primum exercitium fuisset in statu innocentiæ, secundum verò non. Ideò Christus ad dandum exemplum perfectæ vitæ, suum Regale dominium reduxit ad exercitium talis status. Item, patet in hoc Psalmo: ubi Propheta in persona Christi dicit: Ps. II. 6. *Ego autem constitutus sum Rex* &c. Et subjungens officium suum Regale dicit: *prædicans Præceptum ejus.* Item quòd tale officium per se ad Reges pertineat, patet ex dictis Philosophi. *Primo Politica.* Ubi ostendit quòd Principatus paternus, qui similis est Regali, magis habet sollicitari circa homines, quàm circa possessiones; & circa virtutes hominum, quàm circa divitias. Sed contra hæc instatur; quia ex his sequitur quòd non erit differentia inter Principatum Regni temporalis, & Principatum Regni spiritualis C seu Sacerdotalis, quod est absurdum. Et consequentia tenet, quia differentia inter istos Principatus est; quia Principatus temporalis ordinatur ad temporalia, Sacerdotalis ad spiritualia. Et ad Reges temporales pertinet principaliter de per se, & propriè subjectos regere per Leges studiosas, non qualscumque, sed per Leges humanas, civiles, seu politicas, & per virtutes morales eos ordinare ad finem politicum hujus vitæ.

Ad Sacerdotes principaliter, & de per se pertinet eos regere per Leges divinas, & per virtutes heroïcas eos ordinare ad finem ultimum vitæ futuræ, & salutis æternæ. Et hoc fecit Christus, per hoc ostendens se esse Sacerdotem & non Regem temporalem. Nec autoritas Psalmistæ quam allegat facit ad propositum suum, sed magis contra ipsum: nam per hoc quod subdit: *Prædicans Præceptum ejus*: clarè patet quòd non loquitur de Regno temporali, sed de Sacerdotali; quia non ad Reges temporales, sed ad Sacerdotes D propriè pertinet prædicatio Præceptorum Dei. Quare &c.

Sed adhuc pro solutione rationum mearum ponit illud corollarium. Quòd quamvis Rex seu Dominus temporalis possit licitè in divitiis & honoribus gloriosus apparere; non tamen de ratione Regis vel Domini temporalis est, taliter Jurisdictionem suam exercere. Prima pars patet: quia hoc potest fieri ad utilitatem Reipublicæ. Secunda patet de Christo,

qui, secundùm eum fuit verus Rex temporalis, secundùm humanitatem; & tamen sicut patet ex decursu Evangelii, in regendo servavit paupertatem & humilitatem: & hoc, sicut dicit, probant rationes meæ, & nihil plùs. Unde quando Christus respondit Pilato: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Joan. XVIII. 26. intelligendum est, secundùm eum, quoad communem modum regendi aliorum, scilicet in divitiis, & gloria mundana. Sed ista expositio videtur distorta, nec est dictis Sanctorum consona: nam super isto passu, dicit Chrysostomus: *Non privat*, inquit, *mundum à sua providentia & prælatione, sive divina, vel spirituali; sed ostendit Regnum suum non esse humanum, sive corruptibile.* Sed constat quòd omne Regnum temporale est corruptibile; quare patet quòd dicebat se non habere Regnum temporale; sed solùm spirituale. Et ad idem est summa Beati Augustini. Igitur &c. Et hoc de secunda ratione principali.

I. Tertiò. Principaliter arguebam sic. Christus tenuit arctissimam paupertatem: igitur non habuit Monarchiam temporalem seu Regalem. Consequentia tenet: quia arctissima paupertas excludit tàm in proprio, quàm in communi, omne dominium temporalium rerum, & per consequens Regale dominium. Antecedens patet: quia Christus tenuit & servavit omne illud quod ipse ad Evangelicam perfectionem pertinere docuit: juxta illud, *Actorum.* I. I. *Cœpit Jesus facere & docere.* Et ipse docuit arctissimam paupertatem ad Evangelicam perfectionem pertinere. Igitur &c. Confirmatur antecedens, probando per octo media quòd Christus facto & verbo summam paupertatem docuit.

Primò. Quia ipse per Prophetam suam futuram paupertatem prædixit. *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea.* Ps. LXXXVII. 16. Secundò. Quia propter nos egestatem & paupertatem assumpsit. *Propter vos egenus factus est*, &c. 2. Cor. VIII. 9. Tertiò. Quia ex pauperibus parentibus natus, omnia paupertatis signa ostendit. *Invenietis infantem* &c. Luc. II. 12. Quartò. Quia inter homines conversando, paupertatem servavit. *Vulpes foveas habent* &c. Matt. VIII. 20. Quintò. Quia pauper & nudus in cruce pependit. *Recordare paupertatis meæ.* Thren. III. 19. Sextò. Quia pauperes Discipulos, scilicet piscatores elegit. *Ecce nos reliquimus omnia* &c. Matth. XIX. 27. Septimò. Quia paupertatis consilium dedit. *Si vis perfectus esse.* ℣. 21. Et, *Nisi quis renuntiaverit. &c.* Luc. XIV. 33. Octavò. Quia pauperibus Regnum cœlorum promittit. *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est &c.* Matth. V. 3.

His ergo attentis, cùm ex Scriptura pateat quòd Christus secundùm humanitatem, in omnibus se ostenderit esse pauperem, mirandum est quòd modò aliquis dicat ipsum fuisse Monarcham totius Orbis, & Regem temporalem, cùm etiam se esse Regem negaverit, *Joan.* XVIII. & à turbis Regnum respuerit *Joan.* VI. & Cæsaris Imperium recognoverit. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari &c.* Matth. XXII. 21. Igitur &c.

Ad istam rationem respondet, negando primam consequentiam; & ad probationem negat mihi quòd arctissima paupertas excludit tàm in proprio, quàm in communi, omne dominium temporalium rerum, ut dicit patere ex dictis, & per illud Zach. IX. 9. *Exulta* &c. ECCE REX TUUS: *Venit tibi justus & salvator: & ipse pauper*, &c. Ideò licèt Christus in omnibus ostenderit se esse pauperem, ut probant præmissæ authoritates: non tamen sequitur ex hoc ipsum non fuisse Regem. Sed contra istam responsionem arguitur, probando consequentiam meam principalem, & assumptum in ea, quod ipse negavit. Nam licèt Christus quantùm ad usum, aliqua tàm in proprio, quàm in communi habuit: in proprio quidem, scilicet cibum, potum, & vestimenta sua propria, sibi singulariter appropriata; in communi verò, quia, sicut patet Joan. XIII. 29. *loculos habebat* quos Judas servabat, in quibus erant, secundùm Glossam, *Matt.* XVIII. communia, scilicet Christo & Apostolis: legitur quòd *erant eis omnia communia.* Act. IV. 32. Tamen hoc certum est, quòd in istis, seu in aliis quibuscumque rebus temporalibus, Christus ultra usum, non habuit propriè dictum dominium, sive in proprio, sive in communi; & quòd sua arctissima paupertas quam docuit & servavit, tale dominium excludit. Nam ubi dat consilium perfectionis, dicens: *Si vis perfectus esse* &c. Matth. XIX. 21. nihil excipit; sed dicit: Omnia, *quæcumque habes da pauperibus*, Marc. X. 21. nec addit proprium, vel commune; sed universaliter hoc intelligit. Ideò signum universale ingeminat, dicens, omnia, & quæcumque. Igitur tale dominium non habuit nec habere voluit, quod Scriptura plerisque locis possessionem nominat, ut ibi: Luc. XIV. 33. *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet* &c. Et Matth. X. 9. *Nolite possidere aurum, neque argentum* &c. Igitur &c. Ad hoc possem inducere Decretales factas super declaratione regulæ Beati Francisci: sed transeo causâ brevitatis. Hæc auctoritas *Zach.* quam inducit, facit ad propositum suum, quia loquitur de Rege spirituali: ideò dicit: *Justus & salvator.* Et cum indecens sit Regem temporalem esse pauperem; si de Rege temporali loqueretur, non diceret: *Exulta & jubila*: quia quòd ipse pauper esset, & contra honorem Regni sui super asinam incederet, non esset causa exultationis, vel jubilationis; sed magis tristitiæ, & doloris populo Judaïco ejus auxilium præstolanti. Quare &c.

Sed adhuc pro solutione quorumdam priùs allegatorum, ponit hanc quartam propositionem. Licèt Christus in omnibus ad Regnum pertinentibus habuit generaliter in Orbe potestatem; non tamen per hoc destituit Imperatorem, vel alios habentes Regiam dignitatem: quia scilicet noluit habere exercitium in temporalibus. Ideò à turbis respuit Regnum. Et quoad hoc dictum: *Reddite quæ sunt Cæsaris* &c. Imperatorem recognovit. Tamen, his non obstantibus, dicit iste Magister quòd Imperator, & Reges alii terreni, in suis gradibus à Deo permissi fuerint, tamquam ministri Christi hominis, super quos, & omnia negotia eis commissa, habuit plenam authoritatem, pro suo libito ordinandi. Sed, ut patet ex supra dictis, hoc non probant rationes suæ. Et etiam, si hoc verum esset, cùm secundùm Augustinum, omnis Christi actio nostra sit instructio, Christus de suis actibus nos debuisset instruxisse: quod tamen, ut patet ex superioribus, ipse non fecit, sed magis verbo & facto docuit oppositum. Quare &c. Et hæc de tertia ratione principali, & de prima conclusione, & suis adjunctis probabiliter dicta sint &c.

K. Secunda conclusio, juxta materiam istiusmodi argumenti ante oppositum quæstionis facti, est de habitu & actu infusæ Fidei, & est ista, quòd, licèt ad salubriter credendum requiratur Fides infusa; tamen ipsa non sufficit ad actum credendi producendum, sine rationis apparentia. Prima pars non potest convinci à pura ratione naturali, quia secundùm eam nulla esset necessitas ponendi habitus infusos, cùm omnia possent salvari, ponendo habitus naturaliter acquisitos. Sed tamen ad eam facit autoritas Scripturæ: nam Apostolus dicit quòd *Sine Fide impossibile est placere Deo.* Heb. XI. 6. Et per consequens, sine ea impossibile est, de lege ordinata, salubriter credere. Et tamen Apostolus loquitur de infusa Fide; quia sine Fide acquisita potest quis placere Deo, sicut patet de parvulis baptisatis, & de adultis quibusdam. Quare &c. Item, ista pars potest aliquo modo persuaderi ratione probabili, licèt non inconvincibili. Nam, sicut arguit Guilielmus Parisiensis, prima parte Tractatûs *De Fide & Legibus.* Ex

Ex solis naturalibus non ascenditur super naturam, vel naturalia; nec aliqua virtus, vel potentia, per semetipsam, est major vel fortior seipsa. Intellectus igitur per semetipsum, vel naturalia sua, non potest credere contra se, vel supra se, vel seipsum vincere, scilicet ipse multa habet credere contra se, idest contra naturalem inclinationem suam: quod probat ibidem, quia eodem Jure, & æquo pleno tenetur subditus esse humanus intellectus Deo, sicut effectus, scilicet humanus effectus. Sic est debitor Deo, quia propter ipsum habet contra se operari, & contra seipsum, & inclinationem amare, vel A odire. Quare & humanus intellectus propter Deum habet contra seipsum credere. Igitur necesse habet super omne lumen naturale illuminari fortiori lumine. Naturalibus autem illuminationibus nulla est fortior hîc in via, quàm ipsa gratia. Quare concludit Fidem esse gratiam, hoc est divinæ largatis donum gratuitum, quo intellectus, propter Deum, credit contra seipsum. Item ex eodem fundamento concedit quòd actus seu operationes Fidei infusæ & acquisitæ, non solùm differunt secundùm magis & minus, ut quidam dicunt; sed differunt specie. Quia lumina descendentia desuper à Patre luminum, alterius modi sunt, quàm lumina ascendentia à rebus creatis, & aliter, secundùm speciem, lucet intellectus, ex irradiatione primi luminis, aliter ex B reverberatione à rebus infimis.

Secunda pars probatur: quia parvulus baptisatus, vel adultus, habens Fidem infusam, ex illa non sufficeret producere actum credendi, respectu Articuli de Trinitate, seu alterius rei inevidentis; nisi priùs confortaretur, vel manuduceretur ex aliqua apparentia. Nam per hoc, sicut dicit Augustinus, ut allegatum est superiùs, Fides, scilicet acquisita gignitur, nutritur, defenditur & roboratur. Et istud posteà clariùs probabitur. Sed oppositum hujus partis tenet Doctor prædictus, in Tractatu præallegato. Potest autem ejus opinio ad aliquas propositiones reduci.

Prima. Quòd credere improbabilia, fortitudinis est, atque vigoris nostri intellectûs; sicut amare damnosa & molesta, fortitudinis atque vigoris nostri affectus. Quia sicut humanus affectus habet velle contra seipsum propter Deum; sic humanus intellectus, C credere contra seipsum.

Secunda propositio. Credere ea quæ apparent esse vera, non est virtutis: sed credere ea quæ non apparent, vel non videntur esse vera, hoc est ex virtute credentis: quia talis credulitas, seu ei debita Fides, ... propter suasiones aut probationes, quia talis etiam cuilibet alteri daretur. Igitur sublimior ei debetur. Unde potest argui. Aut credendum est Deo sine aliqua suasione, aut non: Si sic, habetur propositum: si non, ergo non aliter sibi credendum est, quàm cuilibet alteri. Nec valet dicere quòd ei creditur sine suasione, sed tantùm quia verax est; quia hoc est credere cum suasione: nam qui sic credit, suasum habet quòd Deus verax non vult mentiri. Et sic crederetur cuilibet viro bono, nec in hoc honorificaretur Deus, quia sic cuilibet crederetur, qui eamdem causam credulitatis haberet. Modò debetur Deo specialis honorificentia, & obedientia in credendo. Quare &c. D

Quarta propositio. Non est intellectus firmus, aut fidelis, qui credit per probationes aut apparentiam rationis, quia talis est velut infirmus requirens baculum ad ambulandum; & ratio, est baculus cui innititur: Igitur qui per rationem credit, non firmiter credit. Item, talis est sicut venditor incredulus, qui emptori aliter non credit, nisi pignus & cautionem ei dederit. Et probatio, est velut pignus aut cautio, sine qua non credit. Quare manifestum est intellectum exactorem hujusmodi pignoris esse credulitate infirmum & incredulum.

Quinta sequitur ex prædicta. Quòd sicut multitudo & magnitudo pignoris in domo venditoris, licèt ei securitatem faciant, signum tamen sunt incredulitatis ipsius; sic pignora & securitates probationum, designant incredulitatem intellectûs. Idem patet exemplum de multitudine baculorum & apodiaculorum, quæ designant infirmitatem ambulantis.

Sexta. Sicut hujusmodi credulitas, sive Fides, quæ fit per probationes, vel suasiones non est virtuosa; sic ipsa est vitiosa & Deo contumeliosa, ideòque damnatione & supplicio dignissima.

Primum patet. Quia virtus est circa difficile; hujusmodi autem credulitas non solùm non est difficilis, sed facilis: quia sicut impossibile est non credere manifestè vera; sic difficile est non credere probabilia.

Secundum patet. Quia sicut contumelia fit viro notæ bonitatis, si ei absque pignore non credatur; sic Deo tantò major, quantò melior. Item, non est ita mendax, cui cum pignore non credatur. Quæ ergo reverentia fit Deo, si ei sic credatur, vel Fides attribuatur. Item, tali credulitate non creditur Deo, sed probationi: sicut venditor non credit emptori, sed pignori. Quare &c.

Ex prædictis sequitur septima, quòd Deo digna credulitas, est illa & sola talis quâ ei creditur sine omni pignore rationum, aut probationum cautione, gratis scilicet & obedienter, & non propter hoc quia verax est, aut quia verum est quod loquitur; & omnis alia credulitas est irreligiosa, & Deo contumeliosa: quia per talem Deo non creditur, sed pignori. Quare nec talis facit fidelem.

Octava quam postea infert ex prædictis est, quòd inquisitio probationum est unum impedimentum in cognitione Legis Christi, seu veritatis Articulorum.

L. Sed huic, & aliis propositionibus prædictis iste Doctor videtur in eodem Tractatu contrarius: nam posteà diffusè ibidem probatur, & per multas rationes, quòd una est Fides, ad quam credendam omnes homines obligantur. Persuadet etiam quemlibet Articulum Fidei particulariter; posteà generaliter probat quòd sola Lex vel Fides Christi, est illa ad quam omnes tenentur: scilicet quia omnis contraria est falsa; & sic inducit probationes ad ea quæ sunt Fidei. Insuper dicit ibidem quòd Prophetis & Apostolis non est creditum, nisi ex testimoniis miraculorum. Quare &c. Item, Christus dicit Joan. xv. 24. *Si opera non fecissem in eis quæ nullus alius fecit, peccatum non haberent.* Et loquitur de peccato infidelitatis, secundùm Augustinum. Ergo patet quòd Christus faciebat opera miraculosa; & propter ea sibi & suæ Legi Fides adhibetur. In miraculis autem fundatur quædam rationis apparentia. Quare &c. Item, miracula facta sunt ad confirmationem Fidei, juxta illud priùs allegatum. Mat. ult. *Prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Igitur apparentia miraculi, aut rationis, non tollit firmitatem Fidei: sed magis eam facit. Quare &c. Item, specialiter arguitur contra primam, & secundam propositiones, quia secundùm Philosophum, & etiam secundùm adversarium, sic se habet voluntas ad bonum, sicut intellectus ad verum; & secundùm Philosophum, *Tertio Ethicorum. Voluntas non potest diligere, aut velle, nisi apparens bonum.* Et per consequens, sicut voluntas non potest amare damnosa, & molesta, nisi sub ratione alicujus apparentis bonitatis; ita nec intellectus credere ardua, & difficilia, contra seipsum, nisi ex apparentia veritatis: hoc enim quilibet experitur, quòd illud quod credit apparet sibi verum: & interrogatus de illo quod credit, respondet quòd ipsum sibi verum videtur. Unde & nostrum credere, est quoddam apparere, sicut & quodlibet aliud judicium intellectûs.

Et ideò, quando dicit Apostolus, Heb. xi. 1. quòd *Fides est argumentum non apparentium.* Intelligendum est, non evidentium; ut sit sensus, quòd Fides est notitia inevidens. Quare &c. Item, contra tertiam, sextam, & septimam propositiones arguitur. Quia sicut se habet voluntas ad meritoriè diligendum Deum; sic intellectus ad meritoriè credendum Deo: scilicet voluntas dignè, & meritoriè ipsum potest diligere, propter retributionem, juxta illud Psalmistæ. *Inclinavi cor meum ad faciendum justificationes, propter retributionem.* Ps. cxviii. 112. Igitur &c.

A

Intellectus dignè & meritoriè Deo potest credere, propter rationem; nec ex hoc sequitur quòd non aliter sibi creditur quàm cuilibet alteri: quia sicut Deus non est diligendus propter retributionem præcisè & principaliter, sed propter seipsum; sic non est sibi credendum præcisè, aut principaliter, propter rationem, sed principaliter propter ejus auctoritatem. Et sic intelligenda est communis autoritas Gregorii, *Fides non habet meritum, ubi humana ratio probat experimentum.* Non obstante ergo ratione probabili, stat meritum Fidei, quia principaliter creditur propter obedientiam Dei; & ita plùs creditur sibi, quàm rationi: quia propter ipsum firmiter creditur illud quod ratione solùm probabiliter suadetur, & ita non est facile, sed difficile & virtuosum probabilia non solùm probabiliter, sed etiam firmiter credere. Quare &c.

B

Item contra quartam & quintam propositiones arguitur: quòd sicut, secundùm Philosophum, in 2. *De Anima*: ad videndum requiritur lux corporalis; sic ad credendum naturaliter requiritur apparentia rationis, quasi quædam lux spiritualis. Igitur ratio probabilis non facit intellectum, aut ostendit ipsum infirmum, infidelem, aut incredulum: nec est sicut baculus, aut apodiaculum accidentaliter sustentans ipsum, sed est quasi pes naturaliter portans eum, & naturale ejus adjutorium requisitum ad spiritualiter ambulandum, id est ad credendum. Quare nec multitudo, aut magnitudo probationum, sicut nec multitudo & magnitudo pignoris incredulitatem intellectûs designant; sicut dicit iste Doctor, Imò magis ejus credulitatem augent, sicut docet experientia, & in ipso firmitatem faciunt, sicut dicit Gregorius, in homilia Ascensionis. *Ipsa*, inquit, *Resurrectio Apostolis dubitantibus, per multa argumenta demonstrata est: quæ dum nos legentes cognoscimus, quid aliud quàm de eorum dubitatione solidamur?* Unde patet quòd probabilia argumenta, seu rationes probabiles, non ex sua ratione secùm afferunt formidinem, capiendo formidinem pro quantocumque parvo dissensu conclusi, aut assensu sui oppositi: nam tunc talis ratio aliqualiter, quamvis remissiùs, probaret oppositum conclusi: & sic non posset stare cum firmitate Fidei, quod est falsum. Quare &c. Patet etiam ex eodem falsitas octavæ propositionis: quia insuper ponens eam, non solùm contrariatur sibi ipsi, sed etiam omnibus ferè Sanctis & Doctoribus, qui inquirunt & inducunt rationes probabiles ad ea quæ sunt Fidei; quod non facerent, si esset impedimentum in cognitione Legis Christi. Imò ipsemet Legislator, ad suæ Legis probationem, fecit per seipsum, & suos Apostolos miracula; ut dictum est supra. Quare &c.

C

Sic ergo ex prædictis patent solutiones rationum hujus Doctoris, & falsitas suæ propositionis; ac per consequens veritas octo propositionum contradictoriarum propositionibus præmissis. Et hoc de secunda conclusione & suis adjunctis.

D

M. Tertia conclusio, juxta materiam tertii argumenti, ante oppositum quæstionis facti, est de confirmatione Ecclesiæ Christi, & est ista. Quòd licèt Christi seu Petri Ecclesia ex Fide sola non sit ad credendum sufficienter confirmata; tamen ex Fidei autoritate, principaliter concluditur confirmatio Ecclesiæ in Fide Christiana, & hæc conclusio directè responsiva est ad quæsitum: nam prima pars respondet ad primum quæstionis intellectum; secunda verò ad tertium.

Prima pars autem patet ex dictis in secunda conclusione: quia ex sola Fide infusa non inducitur sufficienter Ecclesia ad credendum, seu ad constanter & firmiter assentiendum, sed ad hoc inducta fuit ex apparentia rationum, sicut etiam arguit secunda ratio ante oppositum, & specialiter ex apparentia miraculorum, sicut ostendit autoritas allegata *Mat. ult.* c. Quare &c. Unde, de multis rationibus quas in prima quæstione Sententiarum inducit Doctor subtilis, & etiam alii Doctores in diversis locis, tantùm unam tango, causâ brevitatis; arguendo sic.

Illa sunt vera & constanter ac firmiter credenda, in quorum veritatis testimonium Deus invocatus fecit miracula. Ista est probabilis in lumine naturali; sed sic est de dictis & doctrina Christi. Ista patuit per experientiam, & nunc etiam est probabilis in lumine naturali, per famosam historiam de ressuscitatione Lazari, & aliis multis miraculis per Christum & ejus Apostolios factis. Igitur &c. Hanc rationem innuebat Richardus 1. *De Trinitate.* c. 2. loquens. *Domine*, inquit, *si error est, à te decepti sumus; tot enim & tantis prodigiis attestata sunt, quæ non nisi per te fieri potuerunt.* Et loquitur in persona indifferentis. Et si fortè hujusmodi miracula negarentur esse facta, hoc nobis grande miraculum sufficit, quòd sine miraculis penè totus Orbis crediderit, sicut dicit August. 22. *De Civit. Dei.* Sufficit enim, quantùm scilicet ad indifferentem, quia aliter esset de protervo.

Hanc eamdem rationem similiter innuebat Christus, dicens: *Opera quæ ego facio testimonium perhibent de me.* Joan. v. 36. Et iterum. x. 38. *Si mihi non creditis, saltem operibus credite.* Et multa hujusmodi in pluribus locis Evangelii. Quare &c.

Secunda pars conclusionis patet ex dictis in tertio Articulo quæstionis quem tractavi in Vesperiis meis: ubi sub tribus conclusionibus probavi quòd semper, scilicet usque ad consummationem sæculi, est, & erit aliqua Ecclesia, quæ per rectam Christi Legem regulabitur, & ei conformabitur. Et ista est Ecclesia universalis, & non aliqua particularis ab universali Ecclesia distincta. Sed quòd sic semper perseverabit universalis Ecclesia in Fide, non potest convinci ratione, sed principaliter convincitur ex Scripturæ autoritate, sicut ibidem probavi ex tribus autoritatibus, scilicet illa. *Luc.* xxii. 32. Petre *rogavi pro te* &c. & illa Matth. ult. 20. *Ego vobiscum sum usque ad consummationem.* Et insuper ex illo dicto Christi dicentis: *Matth.* xxiv. 24. de persecutione Antichristi, quòd tunc inducentur *in errorem si fieri potest etiam electi.* Introducto . . . . dimitto causâ brevitatis. Ex his ergò, ac etiam ex dictis in tertio præambulo hujus, satis patet secunda pars conclusionis.

N. Sed contra unum dictum quod immediatè tactum est, & quod probatum fuit in secunda conclusione dicti secundi Articuli Vesperiarum mearum, quæ conclusio fuit ex sacra Scriptura, non convincitur quòd semper est aliqua particularis Ecclesia quæ Christi Legis regulæ conformetur. Posuit dictus Magister hîc istam propositionem collativam ex sacra Scriptura convincibilem. *Videtur quòd semper, usque ad diem Judicii aliqua particularis Ecclesia militans, Christi Legi seu regulæ conformetur.* Et sic secundùm eum sequitur quòd confirmatio in Fide non solùm convenit universali Ecclesiæ, sed etiam particulari. Cujus oppositum nunc & aliàs tetigi: & in prima lectione mea, respondendo ad rationes illius Magistri, dixi quòd una sola, scilicet quinta, vadit contra intentionem meæ conclusionis. Et contra hoc ip-

ipse postea arguit, scilicet quia processus logicalis est, & magis vocalis quàm realis: ideò transeo causâ brevitatis, & venio ad rationes suas principales.

Prima ratio fuit, quòd semper usque ad diem Judicii durabit Ecclesia, quam Cristus se ædificaturam promisit super Petram, continens in se multas Ecclesias particulares, & distinctiones graduum, officiorum & dignitatum; sicut corpus continet in se multa membra sic distincta. Igitur &c. Consequentia patet: antecedens probatur ex dictis Christi, & Apostoli simul junctis. *Matth.* XVI. I. *Coloss.* II. *ad Ephes.* IV. & V. *capitulis.*

A Secunda ratio fuit. In die Judicii de multis Ecclesiis particularibus, ex diversis mundi partibus concurrent fideles, etiam in Charitate existentes, qui tunc reperientur vivi, & rapientur *in nubibus obviam Christo in aëra.* Igitur &c. Consequentiam reputat claram. Antecedens patet ex duobus dictis Apostoli simul junctis, scilicet I. *Thess.* IV. 16. ubi loquitur de illis qui tunc rapientur vivi & quo . . . . rapientur &c. Et *Ephes.* IV. 13. ubi dicit: *Donec omnes occurramus* &c. Ubi Glossa. *Donec nos omnes occurramus nobis invicem, de diversis partibus mundi, cum desiderio currentes ad gaudium.* & subdit *donec illud fiat durabit.....*

Ad primam rationem respondi in prima lectione, quòd quicquid sit de antecedente, illud non convincitur ex sacra Scriptura, nec ex illis dictis Christi & Apostoli quæ allegat.

B Ad secundam, quicquid sit etiam de antecedente: dixi consimiliter quòd illud non convincitur ex sacra Scriptura, nec ex illis dictis Apostoli. Quare &c. Unde pro materia istarum responsionum posui tres propositiones.

O. Prima, ex sacra Scriptura. Probabile est quòd ante diem Judicii erit aliquod tempus, in quo nulli erunt fideles vivi: patet de illo tempore in quo ante adventum Christi ad Judicium, ignis præcedet, purgans elementa & incinerans corpora mixta, & illud tempus in dictis meis vocabam, consummationem sæculi.

Secunda propositio sequitur ex prædicta. Quòd in illo tempore consummationis, nulla erit Ecclesia Militans, sive universalis, sive particularis. Patet ex descriptione Ecclesiæ Militantis quam posui: quia tunc nulli erunt fideles in mortali corpore naturaliter viventes; & ex hoc patet clarè falsitas suæ propositionis, & etiam antecedentis primæ rationis quoad singulas partes.

C Tertia propositio. In die Judicii nulli homines reperientur vivi, qui obvient Christo venienti, sic scilicet quod illi priùs non fuerint mortui: patet ex dictis, nec oppositum ex illa convincitur autoritate Apostoli I. *Thess.* IV. sicut patet intuenti opiniones Doctorum super hoc passu; & ex hoc clarè patet falsitas antecedentis secundæ rationis.

Sed contra hæc ipse replicat. Primò, contra hoc quod dixi, quòd antecedens suarum rationum non convincitur ex Scriptura, inducit plures autoritates Scripturæ, quæ quasi in idem conveniunt, ideò non repeto, nisi illam quam principaliter inducit contra primam propositionem, scilicet dictum Apostoli. *Ephes.* IV. II. ubi de Christo loquitur sic. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas* &c. *ad ædificationem corporis Christi*: scilicet Ecclesiæ,

D *donec occurramus omnes* invicem Christo venienti ad Judicium, *in virum perfectum*, scilicet *in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* ℣. 13. Sed talem mensuram ætatis non habebimus ante diem Judicii, quia non nisi per resurrectionem; igitur usque ad illud tempus durabit Ecclesia, secundùm distinctionem graduum &c. Ex quo infert quòd est falsa prima propositio, & per consequens secunda. Sed hîc dico quòd in illa autoritate Apostoli, hæc dictio, *donec*, sumitur exclusivè; ut scilicet excludat non solùm diem Judicii, sed etiam istud tempus quod immediatè Judicium præcedet, quandò scilicet Judicii signa incipient apparere, ut magis statim dicetur. &c.

Item, constat contra me, quia illud tempus purgationis electorum, per ignem &c. pertinet ad diem Judicii, imò est pars diei Judicii. Non enim solùm ad diem Judicii pertinet latio Sententiæ, sed etiam multa alia præcedentia & consequentia, ut patet etiam ex multis passibus Scripturæ. Sed quidquid sit de hoc ultimo dicto, tamen primum, propriè loquendo, non est verum; quia illa purgatio per ignem, est unus de signis ante Judicium, secundùm omnes Doctores, & per consequens propriè non est pars diei Judicii &c.

Item, replicat contra tertiam propositionem, quia Christo venienti ad Judicium aliqui rapientur obviam, qui tunc invenientur vivi, & priùs non fuerunt mortui. Igitur illa propositio falsa. Antecedens probatur ex illo Apostoli I. Thess. IV. 16 *Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra* &c, Sed autoritas non concludit quòd Paulus qui jam est mortuus, ibi se connumerat cum illis vivis qui sic rapientur, & per consequens non intendit quòd illi vivi priùs non fuerint mortui, quando dicit quòd imò, sicut patet per Glossam ibidem, & *ma.* l. 4. *distinct.* 43. & Doctores communiter, qui supponunt quòd Christus veniens ad Judicium aliquos inveniet vivos: & tunc consequenter quærunt, utrùm tales quandoque sint morituri, vel non, & tangunt duas opiniones. Unam Hieronymi, qui videtur velle quòd non &c. Aliam Ambrosii, dicentis, quòd in raptu illorum qui vivi rapientur, mors erit & resurrectio, mira quadam volocitate. Idem tenet Thomas de Argentina, super eadem distin. ubi dicit quòd Augustinus. 20. *de Civit. Dei.* c. 21. videtur sentire quòd illi qui mortui fuerint in adventu Judicis priùs duratione resurgent, quàm hi qui invenientur vivi, quia rapientur obviàm Christo, & in illo raptu morientur, & subitò reviviscent.

P. Sed contra hæc. Primò, est illud Apostoli Corinth. XV. 51. *Omnes quidem resurgemus*, & sequitur, ℣. 52. *In momento, in ictu oculi*, &c. & per consequens, secundùm Apostolum, omnes resurgent in eodem instanti, & non aliqui priùs resurgent aliis, prioritate temporis, & sic illud I. ad Thess. IV. 16. *Et mortui qui in Christo sunt resurgent primi: deinde nos* &c. non refert ad prioritatem & posterioritatem temporalem, quoad actum resurgendi; sicut declarat ibidem Magister Nicolaus de Lyra, ad ejus Postillam remitto. Item, sanctus Thomas *in* 4. *Sententiarum. distinct.* 44. 9. 4. *ar.* I. dicit quòd *Licet in hac materia variè loquantur Sancti, tamen hæc est securior & communior opinio*, quòd omnes morientur & à morte resurgent. Et in responsione ad primum argumentum, ostendendo quòd intelligendum est illud Symboli, *Venturus est judicare vivos & mortuos*, dicit quòd „ Ista distinctio vivorum & mortuorum, non est referenda ad ipsum Judicii tempus, quia tunc erunt „ omnes vivi: neque ad totum tempus præteritum, „ quia omnes judicandi aliquo tempore fuerunt vivi, „ & aliquo tempore mortui; sed ad illud tempus determinatum quod immediatè Judicium præcedet. „ quando scilicet Judicii signa incipient apparere. „ Et in 48. *dist.* q. *ult. art.* I. dicit quòd „ Illa conflagratio ignis Judicium præcedet, quoad purgationem mundi. „ Et in responsione ad primum argumentum, dicit: Augustinus, 20. *De Civit. Dei.* ubi videtur oppositum innuere, non loquitur determinando, sed opinando, sicut ostendit ex ejus verbis. Et in responsione ad tertium argumentum, dicit quòd „ Illi vivi qui dicuntur reperiri, sunt illi qui usque „ ad tempus conflagrationis in corpore vivent. „ Ex quibus omnibus apparet propositum &c.

Item, quicquid sit de hoc, tamen ex his variis opinio-

nionibus Doctorum circa hanc materiam, apparet clarè quòd ex sacra Scriptura non convincitur propositum istius Magistri. Imò expressè dicit Magister Sententiarum, ubi eum allegat pro se, quòd horum quid verius sit, non est humani judicii definire. Quare &c. Iterùm verò replicat, dicendo quòd licet dictæ tres propositiones meæ essent veræ, adhuc æqualiter staret difficultas utriusque rationis suæ, ponendo loco illius, *usque ad diem Judicii*, ly, *usque ad tempus signorum diem Judicii præcedentium.* Et deduceretur utraque ratio sicut priùs. Sed tamen non oportet sic modum loquendi variare, ut dicit patere: quia primus modus loquendi trahitur ex Scripturis, & est à Doctoribus usitatus & non meus. Imò dicit quòd modus meus loquendi clarè contradicit conclusioni meæ tertiæ, tertii Articuli Vesperiarum. Sed miror de hoc dicto, quia voluntariè hoc asserit, nec probat, aut declarat istam contradictionem, quam tamen omninò non video. De suo modo etiam loquendi patet ex dictis quid veritatis habeat, & quo modo Doctores variè loquantur. Imò clarè patet quòd modus meus loquendi usitatur à Christo: dicit enim; Matth. XXVIII. 20. *Ego vobiscum sum, usque ad consummationem sæculi*; non dicit, usque ad diem Judicii, aut usque ad tempus signorum &c. Quid autem intelligat per consummationem sæculi, patet ex prædictis.

Et quantùm ad hoc quod dicit, non obstantibus tribus propositionibus meis, rationes suas procedere variato illo modo loquendi &c. Respondeo quòd non, quia illa quæ assumuntur in antecedente & quæ ex dictis Apostoli probantur convenire Ecclesiæ, non de Ecclesia aliqua particulari, sed de sola universali habent locum; capiendo Ecclesiam universalem & particularem ad intellectum conclusionum mearum aliàs satis expressum. Quare &c.

Tertia ratio sua fuit. Quia si propositio sua non esset vera, hoc maximè videretur quoad salvandum dicta Scripturæ, de duratione Ecclesiæ, quòd ipsa posset salvari in uno homine laïco, quia, ut dicit, ista sibi videtur esse mea intentio. Sed falsitatem consequentis probat, quia tunc, secundùm legem ordinatam, deficere posset in Ecclesia Militante Sacerdotium Christi, quod est secundùm ordinem Melchisedech: quod videtur esse contra Apostolum. *ad Hebr.* VII. & Glossam ibidem.

Ad hanc rationem respondi: nego antecedens; & quòd illa fuerit intentio mea, clarè patet ex tribus corollariis tertii Articuli mei, ubi expressè posui & probavi ex Scriptura, quòd semper à tempore Christi, usque ad consummationem sæculi, erunt plures habentes Fidem, Spem, & Charitatem, in Ecclesia universali.

Q. Sed contra replicat. Quia descriptio universalis Ecclesiæ Militantis quam ego posui, salvari potest in uno homine tantùm. Igitur &c. Antecedens patet: quia dixi quòd Ecclesia est omnis homo fidelis, vel omnes homines fideles in mortali corpore naturaliter viventes. Ex qua clarè patet propositum, ut ipse dicit: & etiam ex hoc quod ego induxi de Abel, in quo aliquando salvabatur Ecclesia &c.

Ad illud respondeo. Dico quòd, concesso antecedente, & ejus probatione, neganda est prima consequentia: & ratio est, quia licet Ecclesia nunquam in futurum salvabitur in uno solo supposito: tamen aliquando sic salvata fuit, vel absolutè salvari posset. Modò bona descriptio debet converti cum definito, non solùm pro una differentia temporis, sed pro quolibet, & respectu cujuslibet copulæ, etiam de possibili. Ideò posita fuit illa descriptio disjunctivè. &c. Quare &c.

Quarta ratio sua fuit. Quia nisi sua propositio esset vera, tunc sequitur quòd Lex Christi quoad Sacramenta, vel alios ritus Ecclesiæ à Christo & aliis Apostolis institutos, quandoque deficeret, ante finem mundi. Consequeutia tenet, sicut in argumento præcedenti. Falsitas patet: *ad Hebr.* VII. Et per Glossam.

Ad hoc respondi per idem, sicut ad præcedens, negando consequentiam: unde pro materia hujus rationis & præcedentis, dixi quòd posito quòd esset unus solus homo laïcus fidelis non errans contra Legem Christi, non tamen ex hoc sequitur quòd deficeret Sacerdotium Christi, & Sacramenta, vel alii ritus Ecclesiæ Dei; quia stat quòd aliquis Sacerdos sit, imò Summus Sacerdos, & tamen quòd erret contra Legem Christi, sicut patet de Petro, ut testatur Paulus, *Galat.* II. Imò stat quòd aliquis sit Sacerdos, & possit ministrare omnia Sacramenta Christi, & tamen quòd sit hæreticus, & per consequens quòd non sit fidelis, nec de Ecclesia Dei: ut patet ex communi opinione Doctorum, contra Magistrum Sententiarum. *Lib.* 4. *distin.* 25. Quare &c. Sed contra replicat dicendo, quòd non solvo argumentum. Unde arguit sic. Si cum Scriptura stat Ecclesiam salvari in uno solo homine laïco: igitur cum Scriptura stat, pari ratione, nullum esse Sacerdotem vel Clericum, & tunc stant ambo argumenta præcedentia. Consequentia tamen tenet, ut dicit, quia ex quo ad salvandam Scripturam sufficit Fides Christi in uno laïco, & per consequens non requiritur aliquem Sacerdotem vel Clericum esse &c.

Ad hoc dico. Quicquid sit de antecedente, de quo satis dixi, consequentia neganda est, nec probatio valet. Et ratio est, quia in Scriptura sacra specialiter promittitur duratio Sacerdotii Christi, usque ad consummationem sæculi, ut videtur ex dictis Apostoli, *ad Hebr.* VII. & posset ostendi ex aliis locis Scripturæ: sed transeo causâ brevitatis. Quare &c.

Quinta ratio sua principalis, & quam solam dixi esse ad propositum meæ conclusionis, fuit ista. Ex Scripturis videtur convincibile, quòd nec generale Concilium, nec tota multitudo Clericorum, & laïcorum virorum, nec Romana Ecclesia, quæ distinguitur à tota congregatione fidelium, sicut partes à toto, difformari potest Legi Christi. Igitur &c. Consequentia tenet; sed antecedens non probatur.

Ad istam respondi probabiliter disputativè: dicendo quòd antecedens non convincitur ex Scriptura sacra; & quia oppositum non probavit, ideò non plùs dixi. Sed in prima lectione sua probare visus est antecedens, quoad singulas partes. Et primò, de Concilio generali arguit sic. Tota Ecclesia universalis non potest errare in Fide, seu quoad hoc difformari Legi Christi: igitur nec Concilium generale. Antecedens potest deduci ex Scripturis, sicut concessi: igitur & consequens. Sed consequentia probatur ex hoc, quia à Concilio generali in causa non licet appellare: quia si sic; aut ad aliud Concilium, aut ad Papam, aut ad universalem Ecclesiam. Non ad aliud Concilium quia pari ratione ab illo appellare liceret; & sic tali causæ finis imponi non posset: nec ad Papam, quia in facto Fidei est subjectus Judicio generalis Concilii, eo quod, sicut notatur 19. *dist.* ca. *Anastasius*, Synodus in causa Fidei sit major Papâ; quod potissimè verum est de Synodo generali: nec ad universalem Ecclesiam, cùm Concilium generale sit præstantior pars Ecclesiæ; igitur parti minùs præstanti esset credendum in causa Fidei. Etiam quia universalis Ecclesia in unum convenire non potest. Item, Concilium generale, eo ipso quòd est generale, repræsentat totam Ecclesiam universalem &c. Antecedens patet: quia si non, jam in eo non est consensus totius Ecclesiæ universalis, & per consequens non est generale, sed particulare. Et ad hoc est autoritas Gregorii 15. *dist. ca. Sicut.* ubi dicit de quatuor Conciliis generalibus, quòd universali consensu constituta sunt, & ideò quisquis præsumpserit ab-

absolvere quod illa ligant, aut ligare quod solvunt, seipsum destruit, & non illa; & similis ratio est de quolibet alio Concilio generali. Igitur &c. Item, ex Scriptura convincitur quòd congregati in unum, Christi nomine, non possunt pro tunc difformari Legi Christi: sed sic est de illis qui faciunt Concilium generale. Major patet, *Matth.* XVII. Et Minor apparet: quia aliter non esset generale Concilium, sed Ecclesia malignantium, & particulare conventiculum. Nec valet dicere quòd licèt Deus specialiter assistat congregatis in unum, in Christi nomine, tamen in Fide minimè confirmantur, quin possint labi in errorem. Nam consimiliter argueretur de tota congregatione fidelium universalis Ecclesiæ: quia constat, cùm sit viatrix, quòd non est confirmata &c. & tamen non sequitur quòd possit errare à Fide. Sic in proposito isti de Concilio generali: quia repræsentant totam Ecclesiam, licèt non sint confirmati, quamvis quilibet eorum possit seorsùm errare; tamen non sequitur quòd omnes simul sic congregati possint errare.

A

R. Ad ista probabiliter respondent aliqui, quòd Concilium generale potest contra Fidem errare, imò de facto sic aliquando erravit, sicut per multa exempla ostendunt, & specialiter per Synodum Ephesinam quæ erravit, & ideò reprobata fuit, sicut notat Glossa. 15. *dist.* c. 1. Et ad objecta in contrarium dicunt, negando consequentiam; & ad probationem negant assumptum, dicentes quòd si Concilium generale contra Fidem erraret ab ipso appellare liceret, scilicet ad aliud Concilium generale, si esset facultas ipsum congregandi, & si iterùm illud erraret, liceret ad aliud appellare, & sic semper donec Catholici convenirent. Insuper si Papa non esset præsens, Concilio generali errante, liceret ad ipsum præsentem, vel ad ipsum cum alio Concilio congregando appellare; vel etiam ad universalem Ecclesiam, si posset in unum convenire, esset principaliter appellandum. Si verò tota Christianitas esset sic depravata quòd soli hæretici haberent potentiam, & quòd soli pauci simplices & pauperes manerent in Fide, & reputarent Concilium generale errare, nec possent se humano consilio aut auxilio tueri, vel defendere, non restaret aliud, nisi se divinæ gratiæ committere, & illam injuriam patienter tolerare, cum gemitu, tristitia, & dolore, sicut Hieronymus consulit viro Ecclesiastico, quando in ea quæ vocatur Domus Domini, invalescit iniquitas, & justitia omnis deprimitur, prout recitatur, 11. *Dist.* c. *Quando.* Igitur. Quantùm verò ad illud quod dicitur de subjectione in causa Fidei &c. Dicunt quòd omnis persona, & omnis Congregatio errans in Fide, omni alteri non sic erranti in causa Fidei est subjecta; & talis est præstantior in Ecclesia, qualiscumque, aut cujusque conditionis existat. Ad confirmationem, concesso antecedente, negant consequentiam. Tùm primò. Quia Papa est persona publica, gerens vices totius Ecclesiæ: & tamen potest contra Fidem errare, & per consequens consimiliter Concilium generale. Tùm secundò. Quia non oportet quòd omnis persona, vel Communitas gaudeat omni prærogativa quâ gaudet illa cujus vices gerit. Quare &c. Et ad autoritatem Beati Gregorii, dicunt quòd loquitur de Conciliis deificè, & ritè à Catholicis celebratis, & loquitur de facto, non de possibili: quare non oportet sic esse de omnibus aliis. Ad aliam confirmationem potest dici, quòd stat quòd illi qui sunt in generali Concilio non sint congregati in nomine Christi, sed quòd sint Christo contrarii; tamen, hoc non obstante, non sequitur propositum: quia, illo concesso, staret quòd sic congregati errent in Fide, propter causam ibidem tactam: quia scilicet non propter hoc sunt in Fide confirmati. Nec valet replicatio; quia non sic potest argui de Ecclesia universali: nam licèt sit viatrix; tamen confirmata est in Fide universalis Ecclesia, nec talis confirmatio repugnat statui viæ, ad intellectum super expressum. Nec valet quod dicitur, quòd licèt quilibet seorsùm possit errare, tamen non sequitur quòd omnes simul congregati &c. Nam concursus ad eundem locum, non reddit aliquos magis inobliquabiles à Fide quàm ante: quod sicut locus non sanctificat hominem, sic non confirmat in Fide. Talis etiam concursus, in Christi nomine, habet locum in Conciliis particularibus, & Provincialibus, de quibus tamen constat quòd possunt errare. Quare &c.

S. Secundo loco, probat ille Magister secundam partem antecedentis sui principalis, scilicet quòd tota multitudo Clericorum non potest difformari Legi Christi: quia Deus ita stabilivit Sacerdotes Leviticos, ut in Judiciis, de his quæ erant divinitùs præcepta non possent errare sic, quin eorum Judicio esset standum. Igitur multò fortiùs sic assistit Sacerdotibus novi Testamenti; maximè in his quæ concernunt Fidem, & præcipuè illis ad quos se tota communitas Ecclesiæ refert, in his quæ sunt Fidei. Consequentia patet. Antecedens probatur per Scripturam, *Deut.* XVII. Ubi Deus dicit filiis Israel, quòd de omni Judicio difficili, & ambiguo, debeant venire ad Sacerdotes Levitici generis, & ab eorum Sententia non declinare, neque à dextris neque à sinistris. Item, confirmatur per aliqua superiùs tacta, in tertia & quarta rationibus, quòd sequitur quòd posset cessare in Ecclesia Ordo Prælationis & distinctionis graduum, &c. contra Apostolum. Imò, quòd deficere posset Sacerdotium Christi, Sacramenta, & alii ritus Ecclesiæ &c. Consequentia probatur: quia qua ratione posset illa tota multitudo errare in uno Articulo, pari ratione in omnibus pertinentibus ad Sacerdotium, & Sacramenta &c. Quia non plùs est confirmata, respectu vnius, quàm respectu alterius &c.

B

Ad ista potest probabiliter dici ad primum; negando antecedens: & ad probationem dicitur quòd illa autoritas intelligenda est in illis Judiciis Sacerdotum Leviticorum, in quibus non errabant contra Legem: sed si contigisset eos sic errare, sicut possibile fuit, tunc ab eorum Judicio & Sententia fuisset declinandum. Quare &c. Ad confirmationem: licèt supra tactum sit de materia argumenti; tamen adhuc potest dici dupliciter. Uno modo, quòd licèt tota multitudo Clericorum contra Fidem erraret; tamen aliquis Sacerdos remaneret habens potestatem ordinandi, ligandi, conficiendi, & alia Sacramenta conferendi; & sic remanerent in Ecclesia Ordo Prælationis, distinctio graduum, Sacramenta, & alii ritus, & licèt fortè non in actu, tamen in potentia propinqua. Alio modo, dicunt aliqui, quòd licèt omnes Clerici hæreticarentur, aut omninò nulli ramanerent, propter hoc Ecclesia potestatem habendi prædicta nequaquam amitteret, licèt illa nunquam habere posset per humanam potestatem, sed per miraculosam Dei operationem; qui scilicet diversis modis posset de aliquibus laïcis Catholicis Sacerdotes & Episcopos ordinare; & hoc suæ Ecclesiæ revelare: in quo casu omnes Catholici deberent taliter ordinatos à Deo, sicut veros Episcopos & Sacerdotes habere; & licèt temerarium esset asserere talem casum de facto aliquando evenire, tamen esset etiam temerarium hujus casus potestatem negare, quia hoc esset de futuris temerè divinare, & contra Articulum de Dei omnipotentia, impudenter impingere, quod est absurdum. Quare &c.

C

D

T. Tertio loco probavit iste Magister tertiam partem sui principalis antecedentis, scilicet quòd Romana Ecclesia quæ distinguitur à tota congregatione fidelium, sicut pars à toto, Legi Christi non potest difformari. Et quia multi diversimodè capiunt Romanam Ecclesiam, ideò, ad præsens, vocat Ecclesiam Romanam, illam penès quam residet autoritativè totum Judicium in his quæ Fidei sunt totius universa-

lis Ecclesiæ, secundùm ordinem à Christo institutum; quæ scilicet complectitur Papam & alios ritè ad suum Collegium pertinentes, & vacante Sede, salvatur in illis solis in quibus est autoritas Concilii sui, dicto modo. Et hæc videtur esse intentio Hieronymi, & aliorum Doctorum, quando tantùm extollunt Romanam Ecclesiam, ut in multis Decretis apparet.

Hoc supposito, arguit sic. Romana Ecclesia sic sumpta, est pars universalis Ecclesiæ; & tamen non potest difformari regulæ Legis Christi: quia ad eam sic difformari, sequitur Ecclesiam universalem illi regulæ difformari: quod probat; quia sicut Christus A ordinavit quòd Ecclesia vniversalis non possit difformari suæ Legi, ita etiam ordinavit quòd illa Ecclesia particularis, penès quam residet autoritativè Judicium universalis Ecclesiæ, non possit errare, cùm ipsa sit à Domino constituta tanquam caput universalis Ecclesiæ, ut patet ex suppositione, & etiam in Decretis. 22. *dist. Sacro sancta.* Sed deficientibus sensibus in capite, deficiunt in membris. Quare &c. Confirmatur ex autoritate supra allegata, *Deut.* XVII. Ubi de Summo Sacerdote, & aliis Sacerdotibus Levitici generis apparet quòd Deus dedit eis in omnibus ambiguis autoritatem judicandi Judicii veritatem: ergò multò magis tempore novæ Legis &c. Sed quia supra ad hoc dictum est, ideò de hoc transeo, causâ brevitatis. Item inducit autoritates Decreti. Una est Ambrosii. 24. q. 1. c. *Advocavit.* Ex cujus verbis B datur intelligi quòd nemo potest esse de Catholicis Episcopis, nisi cum Romana Ecclesia communicet. Alia est Hieronymi, ibidem *cap. quam vetus.* Ubi loquens de Romana Ecclesia dicit, quòd super istam Petram fundata est Ecclesia, & quòd quicumque secum non colligit dispergit. Et in eandem sententiam ponit Cyprianus. 92. *dist.* c. *Qui Cathedram.* ubi dicit; *Qui Cathedram Petri super quam fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia se esse non confidat* &c. Tertia est Hieronymi, ubi supra. ca. *Hæc est Fides.* dicentis quòd sancta Romana Ecclesia semper immaculata permansit, & in futuro permanebit, & immobilis omni tempore persistit. Quarta est Augustini, in Libello contra Epistolam Fundamenti Manichæi, *ca.* 2. dicentis. *Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesia Catholica commoveret autoritas*: sed hæc autoritas principaliter residet in illa Ecclesia quæ est caput aliarum, modo prædicto. Quare. &c.

Ad ista probabiliter, & solùm recitativè, & non assertivè potest dici. C Ad primum, respondetur quòd capiendo Romanam Ecclesiam modo prædicto, ipsa potest difformari Legi Christi, nec ad hoc sequitur universalem Ecclesiam Legi Christi difformari: & ad probationem dicitur quòd Christus solùm de Ecclesia universali, & non de aliqua Ecclesia particulari ordinavit quòd nunquam difformabitur suæ Legi; sicut in Vesperiis probavi. Et quando ultra arguitur quòd imò de illa Ecclesia particulari, apud quam residet autoritativè Judicium universalis Ecclesiæ, & quæ est à Christo constituta caput ipsius &c. Respondetur quòd ipsa particularis Ecclesia Romana non est caput universalis Ecclesiæ, nec apud eam residet autoritas prædicta, nisi sub conditione, scilicet quamdiù ipsa manet in Fide recta. Nam licèt ipsa in Beato Petro recepit eam, tamen nihil videtur prohibere quin eam possit perdere, sicut in Ecclesia D Antiochena: & ita tamen, si ipsa fieret infidelis, aut hæretica, illi qui priùs erant Ecclesia Romana, desinerent esse caput Ecclesiæ; nec haberent talem principatum, aut autoritatem prædictam; nec propter hoc deficeret Fides Ecclesiæ universalis. Et quando dicitur quòd deficientibus sensibus in capite, deficiunt in membris &c. Respondi quòd licèt quantùm ad multa, sit similitudo inter corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, & corpus materiale hominis; tamen non in omnibus est similitudo: quia corpus hominis non manet vivus sine capite: corpus autem Ecclesiæ manet vivum, scilicet vitâ Fidei & gratiæ, absque capite in terris, ut puta dùm caret Summo Pontifice; tamen tunc habet caput in cœlis, scilicet Christum, qui est caput Ecclesiæ, ut dicitur, *Ephes.* 1. 22. Et quamvis Romana Ecclesia post Papam sit ipsius Ecclesiæ membrum principale, & ratione ipsius possit dici caput ejus; tamen sine ipsa posset esse Ecclesia. Quare &c.

V. Ad autoritates Decreti, specialiter ad tres primò inductas, respondetur quòd sunt intelligendæ sub conditione prædicta, scilicet quamdiù Romana Ecclesia non errat contra Fidem. Loquuntur etiam de facto, & de illa Ecclesia quæ erat tempore illorum Sanctorum; sed non loquuntur de possibili: & ideò si in futurum contingeret quòd Romana Ecclesia hæreticaret, sicut videtur possibile, nec oppositum ex Scriptura revelatum, quare hoc dicere esset temerarium, tunc illud quod in dictis autoritatibus affirmatur, in illo casu non haberet locum. Et quòd illa tertia autoritas, quæ est Hieronymi, sit intelligenda sub prædicta conditione, patet ex ejus modo loquendi: quia dicit quòd Domino providente, & beato Petro opem ferente, ipsa sic immaculata permanebit, idest si Dominus provideat, & Beatus Petrus opem ferat: sic scilicet quòd ipsa Fidem Petri, & Apostolorum teneat.

Ad autoritatem Augustini dictum est, quòd non loquitur de particulari Ecclesia Romana; sed de Ecclesia universali: quod patet, primò, quia absurdum esset dicere quòd autoritati alicujus particularis Ecclesiæ esset magis credendum, quàm Evangelio. Secundò: patet ex verbis Augustini quia loquitur ibi de Ecclesia quæ successit à tempore Petri, usque ad tempus suum, & sic ipsa comprehendit Petrum, & alios Apostolos, ac Evangelistas, & Sanctos omnes, à quibus in Ecclesia susceptum est Evangelium, & publicata doctrina Christi: & sic major est illius Ecclesiæ autoritas, quàm Evangelii &c. Quando autem subinfertur, & hæc autoritas universalis Ecclesiæ principaliter residet in illa Ecclesia quæ est caput aliarum: patet ex jam dictis quid ad hoc sit respondendum. Et hæc de quinta ratione principali.

X. Sexta ratio sua principalis, fuit arguendo ex dictis meis sic. Ex Scriptura sacra convincitur quòd semper sit aliqua universalis Ecclesia quæ Christi Legis regulæ nunquam difformetur: igitur idem convincitur de aliqua particulari Ecclesia. Antecedens est tertia conclusio tertii Articuli Vesperiarum meorum. Consequentiam probat: quia impossibile est salvari Ecclesiam universalem, sine particulari; sicut impossibile est salvari totum integrale, sine aliqua ejus parte. Et quia probavi conclusionem meam per hoc quia quod in Scriptura attribuitur toti & nulli parti, temerarium est hoc asserere de parte: ex hoc ipse confirmat argumentum suum, improbando meam conclusionem, & simul solvendo rationem; arguendo sic. Quicquid in Scriptura attribuitur toti, sic quòd non stat cum Scriptura illud convenire toti, nisi conveniat alicui ejus parti, hoc temerarium est negare de parte: sed semper usque ad diem Judicii conformari Legi Christi attribuitur in Scriptura toti Ecclesiæ; & non stat cum Scriptura hoc convenire toti Ecclesiæ, nisi conveniat alicui ejus parti, ut ex prioribus deductum est: igitur. Ad istam rationem aliàs respondi, negando primam consequentiam. Et ad probationem etiam negavi assumptum: dixi enim quòd impossibile est Ecclesiam universalem salvari, sine Ecclesia particulari. Patet clarè: quia per Ecclesiam particularem non intelligo quamlibet partem integralem Ecclesiæ universalis, sed aliquam congregationem fidelium partialem, quæ non est tota Ecclesia universalis. Si autem tota Ecclesia universalis salvaretur in duobus suppositi-

positis; patet quòd nulla esset Ecclesia particularis, quia nulla esset congregatio fidelium, quæ non esset tota Ecclesia universalis. Quare &c. Et per idem patet quòd confirmando rationem suam, ipse truncatè & sophisticè tractat & solvit rationem, seu probationem conclusionis meæ. Unde quando ipse arguit quicquid in Scriptura attribuitur toti &c.

Y. Hic dico primò quòd Minor est falsa, quoad primam partem, propter hoc quod dicitur ibi, usque ad diem Judicii: quia semper usque tunc non durabit Ecclesia Militans de qua loquor, ut patet ex dictis in solutione primæ & secundæ rationis.

Secundò dico quòd eadem Minor est falsa, quoad secundam partem, intelligendo per partem Ecclesiæ, non quamlibet ejus partem integralem; sed aliquam Ecclesiam partialem, seu particularem, ut statim dictum est.

Tertiò dico quòd ista dicta sua non vadunt ad intentionem meæ conclusionis, sed solùm ad quandam sophisticam vim sermonis, modò, secundùm Philosophum, sermones sunt secundùm materiam subjectam accipiendi, & secundùm . . . . . *Intelligentia dictorum, ex causis est assumenda dicendi.* Intentio autem meæ conclusionis, ut patuit ex dictis meis, erat quòd datâ Ecclesiâ quacumque, etiam particulari certæ denominationis, quæ non fit toti congregationi fidelium generalis; verbi gratiâ, Ecclesia Clericorum, Ecclesia Italicorum, Ecclesia Gallicorum &c. ex Scriptura sacra non convincitur quòd semper sit aliqua talis, sive consimilis denominationis, quæ Christi Legis regulæ conformetnr. Ut contra hoc solùm arguit quinta ratio sua superiùs soluta. Et quia replicationes suæ factæ contra hoc in prima sua lectione sunt solùm sophisticæ, & non Theologicæ, ideò transeo de eis causâ brevitatis. Et hæc dicta sint de tertia conclusione, & suis adjunctis, & de tota ista quæstione solùm disputativè, & non assertivè.

PROPOSITIONES DAMNATÆ JOANNIS DE MONTESONO DOMINICANI.

Ex Tabulis sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis.

I. MAJOR *est unio hypostatica in Christo, quàm unio trium personarum in essentia increata.*

Et ista non condemnata est tanquam revocanda; sed solùm dictum in cedula Facultatis Theologiæ, quòd istam dicat se dixisse recitativè, nihil asserendo.

II. *Possibile est esse aliquam creaturam puram quæ in puris naturalibus ita posset sibi & homini mereri, sicut anima Christi, concurrente gratia habituali. Non est tamen aliqua possibilis, quæ ita convenienter, congruenter, & sufficienter hominem possit redimere & salvare, sicut Christus.*

Ista condemnatur revocanda tanquam falsa, malè sonans, & erronea.

III. *Aliqua pura creatura rationalis potest in suis puris naturalibus beatificè Dei essentiam intueri.*

Revocanda est tanquam falsa, aliàs Parisiis damnata est tanquam in Fide erronea.

IV. *Aliqua pura creatura est possibilis perfectior Christi animâ in merendo, puta gratia animæ Christi.*

Condemnatur revocanda tanquam falsa, erronea, absurda in Theologia & Philosophia, & Theologicæ doctrinæ irrisiva.

V. *Videtur quòd talis creatura si poneretur, esset simpliciter extra genus.*

Revocanda, sicut immediatè præcedens.

VI. *Ponere aliquod creatum, vel aliqua creata, esse simpliciter & absolutè necesse esse, non est in aliquo contra Fidem.*

Revocanda tanquam falsa & malè sonans in Fide; A secundùm communem loquendi modum Theologorum.

VII. *Necesse esse non repugnat esse causatum.*

Condemnatur revocanda, tanquam falsa & erronea in Fide.

VIII. *Magis est consonum Fidei ponere aliquid citra primum esse absolutè, & simpliciter necesse esse, quàm ponere ipsum sine aliqua additione esse necesse esse.*

Condemnatur revocanda tanquam falsa & erronea, propter falsam & erroneam implicationem compositionis quam includit.

IX. *Asserere aliquod verum quod est contra sacram Scripturam, est expressissimè contra Fidem.*

Condemnatur tanquam falsa & injuriosa Sanctis, & Doctoribus, si eam intelligit universaliter, prout in probatione ejus videtur prætendere.

X. *Non omnes, præter Christum, contraxisse ab Adam peccatum originale, est expressè contra Fidem.*

Condemnatur revocanda tanquam falsa, scandalosa, piarum aurium offensiva, & præsumptuosè B asserta, non obstante probabilitate quæstionis: utrùm B. Virgo fuerit in peccato originali concepta.

XI. *Beatam Virginem & Dei genitricem non contraxisse peccatum originale, est expressè contra Fidem.*

Revocanda tanquam falsa, scandalosa, præsumptuosè asserta, & piarum aurium offensiva.

XII. *Tantùm est contra Scripturam sacram unum hominem esse exemptum à peccato originali, præter Christum, sicut si decem homines ponerentur exempti.*

Revocanda tanquam falsa, scandalosa, præsumptuosè asserta, & piarum aurium offensiva.

XIII. *Magis est expressum contra Scripturam sacram B. Virginem non esse conceptam in peccato originali, quàm asserere ipsam fuisse simul Beatam & viatricem, ab instanti suæ conceptionis, vel sanctificationis.*

C Condemnatur ut præcedens, & revocanda tanquam falsa, scandalosa, præsumptuosè asserta, & piarum aurium offensiva.

XIV. & ultima. *In expositione Scripturæ sacræ, sive determinando per Ecclesiam, sive declarando per Doctores, sive excipiendo per quemcumque; de sacra Scriptura, & non aliunde trahenda est determinatio, declaratio, sive exceptio, sicut in Grammatica, quæ ponit regulas, in eadem exceptio reperitur.*

Revocanda tanquam falsa & erronea, si intelligatur quòd exceptio vel expositio, sit trahenda expressè & explicitè ex Scriptura sacra & non aliundè, prout videtur prætendere; aliter regulam non esse ad propositum suum.

EPISTOLA UNIVERSITATIS PARISIENSIS,

Adversùs

D JOANNEM DE MONTESONO.

Ex Tabulis Universitatis Parisiensis.

UNIVERSIS Christi fidelibus, Rector & Universitas Magistrorum, & scholarium Parisiis studentium, Salutem in Domino: & cum Phinees zelum Fidei jugiter obtinere, & eorum qui nos ante

antecesserunt inhærere vestigiis affectantes, & commissum nobis agrum egregio volentes decorare cultu: curandum in primis arbitramur, ut sagaci vigilique opera evellantur, extirpenturque errorum frutices, vepres, & tribuli, ut superexcrescentes quoque, aridi, atque inutiles nunc supervacuarum, nunc pestiferarum opinionum rami veritatis falce rescindantur; quatenùs perindè, nostro in agro selecta omnium salubrium dogmatum semina fertiliter pullulent: ut insitæ in eo plantæ decoros percurrant salubris doctrinæ flores, uberrimosque veritatis gignant fructus; ut ad extremum odor ejus, tanquam A odor agri pleni, cui benedixit Dominus undique se diffundat. Hæc professio nostra. Hic assiduus labor. Hæ nostræ sunt insomnes vigiliæ. Sed ecce nobis evenit quod sub parabola, agro suo contigisse summus agricola conqueritur. In nostri namque agri florentissima, ac venustissima parte, ubi semen optimum satum erat, inimicus homo, & quod molestius ferendum est, inimicus filius, videlicet Frater Joannes de Montesono, Ordinis Sancti Dominici, non veritus est zizania seminare, nec deformes, hispidosque perversissimorum dogmatum, præsentibus annexorum tribulos inserere formidavit. Tàm cæca, tàm audax, tàmque præceps semper est in malo affectata temeritas; tàm omnia contemnens elata inconsultaque præsumptio.

Ji errorum frutices, ne altiùs profundiùsque radi- B ces agerent, & darent simplicium pedibus offendiculum, Decanus, singulique Theologicæ Facultatis Magistri, ut de more habent, obviare curaverunt; & prædictum Joannem ad se accersitum, primitùs, secundùm Evangelicam doctrinam, secretè inter eos, & charitativè, ut ab erratis resipisceret, monuerunt: sed compertâ ejus pertinaciâ, quâ asserebat usquè ad mortem suas se deffensurum conclusiones, ex injuncto, & non sine magno, ut aiebat, consilio positas; compertâ postmodùm mendosâ ejus illusione, die illo quo jurejurando pollicitus erat dicta sua ad prædictæ Facultatis arbitrium retractare, minimè comparuit. Tandem post examinatam diligenter, ac longissimo temporis tractu, rei veritatem, nedùm per seipsos qui ampliùs quàm 30. erant: sed per suos etiam sufficientiores Baccalarios, Evangelico parentes consilio, dixerunt reliquis trium Facultatum sup- C positis, tanquam fratribus suis, quos nihilò magis idem Joannes audire curavit. Quamobrem prænominatæ Facultatis Theologiæ Magistri, tribus aliis Facultatibus sibi coassumptis, & coadunatis, annuntiaverunt Ecclesiæ, Reverendo scilicet in Christo Patri Episcopo Parisiensi, Ordinario Judici in hac parte, qui tàm maturo consilio, quàm librato judicio, quàm multiplici dierum intervallo, quàm observatis in omnibus cerimoniis, quàm mitissima moderatione admonito, repetitis vicibus, Inquisitore, aut ejus vices gerente, ut sibi adjungeretur; eoque aut renuente, aut dissimulante, processerit, apud penè omnes Parisiensis Diœcesis innotuisse putamus, & apud facti nescios scripti super hoc processus id faciliter atque luculenter potuerunt indicare. Hæc actorum per nos summa est. Reliqua attingamus. D

Satis superque fuisse debuerat adversæ parti, fallaciis & perniciosissimis mendaciis, Studium nostrum replevisse, nec non infractâ contumacique cervice Ordinarium Judicem suum, propriamque Matrem contemptui habuisse: sed finem, modumque nescit inchoata pertinaciter iniquitas. Ecce enim ad appellationem confugit, & eam quæ in refugium innocentis causæ instituta est, nisus est ad suæ punitionis refugium assumere. Ceterùm ad Romanam Curiam, & omnium aures eam incolentium, sicuti fideli relatione didicimus, nunc apertissimis circumsonat mendaciis; nunc clandestinis susurrationibus circumstrepit; nunc seipso conviciis indignissimis, in nos, nostraque supposita ore spurcissimo debacchatur; nunc excusationes; nunc accusationes, sine veritatis glutino confusas involvit; & modò invidiam allegat, modò rancorem, modò inconsultam, præcipitatamque Judicii Sententiam: Jure quidem optimo, ut *qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Apoc. XX. 11. Et si is qui in Deum & Sanctam Sanctarum Matrem ejus temerarius est, in homines reperiatur injurius, quid mirum, quidve stupendum! Nihil quippè insolitum agitur, antiqua res est ut veritatis inopes falsitate se contegant. Et, ô utinam conviciator iste noster tàm proximus esset veritatis agnitioni, quàm longè ab iis sumus vitiis quæ contingit. Ferimus hæc leniter. Scimus equidem nondùm adeò facilem contra nos invaluisse credulitatem, ut talia de nobis suspicentur apud graves, præsertim & eos qui nos moresque nostros agnoverunt. Sed opinatur fortassis degener hic, viperinusque filius, nos à persecutione erroneæ assertionis suæ detinere per hanc appellationem utique frivolam, perque Commissionem quam importunissimis extorsit mendaciis, vigore cujus, quoslibet pro libito voluntatis citare sibi, ut intelleximus, concessum est. At verò, si ita sperat, fallitur: omnia profectò priùs passuri sumus incommoda, quàm inter nos sinamus hæreticam pullulare pravitatem; quamquàm sanè id quod in nobis est peregisse videri possumus, & posse videmur ulteriorem causæ decisionem ex Summi Pontificis officio, nobis aliter non prosequentibus, expectare: nam morem nostrum duntaxat ab antiquissimo jugiter observatum secuti sumus; Propositiones, judicio quidem nostro, liquida ac solida veritate condemnandas, ne apud nos dogmatisentur inhibendo, & subditos juratosque nostros, si quas hujusmodi dixerunt, ad retractandum compellendo. His omnibus accedit, quod non sine magna admiratione nuper audivimus. Majores nempe Ordinis S. Dominici, an totus Ordo, nondùm scimus, adjuncti sunt huic propriæ Matris, veritatisque contemptori, sub hac tamen protestatione, nequid de auditis omittamus, quòd non nisi Propositiones veras, aut quæ B. Thomæ doctrinam tangere possunt, prosequi intendunt. Qualis sit hæc adjunctio & quanta, ne eam versutam dixerimus, aliorum sit judicium. Nos autem millesies diximus, & , ut videmus, non sufficit, qualiter S. Thomæ doctrinam, in dicta nostra condemnatione nequaquàm reprobamus: sed hunc, ejusque fautores, doctrinam ejus ad distortum, Fideique absonum sensum adaptantes, aut ultrà quàm fieri debet, contra ejusdem Doctoris documentum dilatantes condemnandos audacter asserimus. Hoc modo adversariis impetimur, hoc modo vim patitur veritatis agnitio. Quocircà futuris, quantùm fas nobis est, periculis, salubri remedio obviare cupientes, hanc communis Fidei, fideliumque omnium quam suscipimus causam, in publicum deducendam censuimus: ut quemadmodùm omnes tangit, ita communi omnium favore prosequatur; & ut justitia nostra & adversariorum irrationabilis conquestio omnibus innotescat.

Adsit nunc igitur quisquis est fervens Fidei zelator, quisquis verus Ecclesiæ filius, quisquis denique pius nostri, veritatisque quam tenemus amicus. Appellamus vos in primis omnes, & singulos Reverendos in Christo Patres, in altis Ecclesiasticarum dignitatum sedibus constitutos, Clerumque totum vocamus. Exhibete vos nobis viros favorabiles, auxiliatoresque in Synodis ac Sermonibus, aliisque factis publicis, causamque nostram justissimam propalate; nullo pacto doctrinam hanc quam condemnavimus, variam ac peregrinam divulgari, aut palam vel occultè dogmatisari permittite; ejusmodi assertores, aut promulgatores, omni via rationabili compescendo, scientes quoniam, secundùm Apostolum, 2. Tim. II. 17. *Sermo talis, ut cancer serpit.* Et *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Ita Venerabilis Capituli Parisiensis adjun-

adjunctio atque favor impensus, magnam nobis spem dant afferuntque. Similiter faciant reliquarum Ecclesiarum Collegia, causæ quam tuemur cognita dignitate, & ad ita faciendum exhortamur vos in Domino. Subditos verò, juratosque nostros admonemus, & nihilominùs districtè requirimus, ut se nobis, causæque nostræ adjungant, & se adjunctores præbeant quilibet, secundùm statum sui qualitatem: Magistri in rescribendo opiniones suas super condemnatis apud nos Articulis; ceteri in consulendo, notificando, ac revelando quicquid causæ nostræ sciverint fore opportunum. Omnes ad extremum fideles exhortamur in Domino, ut non adversariorum susurrationibus aures præbeant faciles, ne in erroris præcipitium incidant: quin potiùs reprobatas per nos Propositiones pro erroneis habeant, nisi fortassis per Sedem Apostolicam aliter fuerit definitum, quod nec speramus, nec sperandum fore quovis modo suspicamur. Ad hos fines hæc scribimus, ad has conclusiones anhelamus per hæc scripta. Valete in eo cujus causa agitur Virginis gloriosæ Filio; & spem fiduciamque nostram quam de vobis assumimus frustrari nequaquàm permittite; & quod in universali dicimus, dictum sibi sigillatim quilibet arbitretur. Datum Parisiis, in nostra Congregatione generali. Anno Domini 1387. Die. 14. Mensis Februarii, apud S. Mathurinum, Horâ Primæ B. Mariæ super hoc specialiter celebratâ: appositis nostris ac præfatæ Facultatis Theologiæ Sigillis.

PETRI DE ALLIACO

Cardinalis Cameracensis,

SERMO

Coram

PAPA CLEMENTE VII.

Avenione habitus,

Circa Negotium

UNIVERSITATIS PARISIENSIS,

Adversùs

JOANNEM DE MONTESONO

Ex MS. Navarr.

Pater sanctè, in nomine tuo serva eos quos dedisti mihi. Scriptum est Joan. XVII. 11.

VERBA hæc PATER BEATISSIME, ut optimè novit SANCTITAS VESTRA, verba sunt illius cujus vices geritis, D. Salvatoris, qui imminente suæ Passionis tempore, pro Apostolis suis, omnibusque aliis in Fidei suæ defensione Apostolorum successoribus, ad Deum Patrem misericorditer orabat dicens. *Pater Sancte, in nomine tuo &c.* Quos, inquam, dedisti, ad Fidei tuæ, & Legis Evangelicæ veritatem omnibus gentibus promulgandam. Quos dedisti, ad promulgatam jam, atque plantatam Fidem documentis salutaribus irrigandam. Quos prætereà dedisti, ad irrigatam & confirmatam Fidei radicem ab errorum fruticibus defendendam. Serva igitur eos in Fidei stabilitate confirmando, ne ab ea unquàm excidant. Serva eos in constantissima tuæ Legis prædicatione confortando, ne quidquam timeant. Serva eos, ad extremum, in crudeli adversantium persecutione opem dando, ne succumbant.

Talis olim apud Deum Patrem Christi oratio, omnes qui etiam nunc Fidem suam aut docent, aut defendunt, efficaciter commendavit; quod non modicam victoriæ fiduciam adversùs eam quam persequimur erroris perfidiam nobis præstat; ac etiam illis fidelibus VESTRÆ SANCTITATIS filiis, qui nos suis jussionibus obsequentes pro Fidei defensione, ad EJUS SANCTITATIS præsentiam destinarunt. Animosiores si quidem esse debent, atque securiores, omnes quicumque sunt defensores Fidei; cùm ille in cujus nomen omne genu flectitur, & cui data est omnis potestas in cœlo & in terra, pro eis apud Patrem assiduis interpellet precibus dicens. *Pater sancte, in nomine tuo serva eos quos dedisti mihi.*

Sed potest aliter, P. B. oratio hæc præassumpta nostro propinquiùs proposito sub parabola introduci, ita ut verba hæc, verba sint ipsius Fidei Orthodoxæ, pro illis qui nos mittunt, & qui suam agunt causam apud S. V. lachrymabiliter exorantis. Nulla enim alia mediatrix à nobis reperiri potuit, quæ à S. V. libentiùs benigniùsque audiri debeat, nulla quæ celeriùs exaudiri, sine qua hoc suum dignitatis culmen in terris, neque in cœlis gloriam consequi potestis sempiternam: quoniam ipsa est *Sine qua impossibile est placere Deo.* Hebr. XI. 6. Sileamus igitur, & assurgat Fides, atque pro nobis interpellet, causamque suam exprimat, & loquatur, & à verbo proposito exordium sumat, dicens, *Pater Sancte, in nomine tuo* &c. Audiat igitur Fidem quisquis se profitetur fidelem; sed audiat singulariter lachrymabilem Fidei querelam, qui universalem fidelium regit Ecclesiam.

O, igitur, B. P. inquit Fides, ecquis erit malorum modus, quis terminus & ærumnarum erit? Itane semper nequissima inquietudine cruciabor: & sine defensione, hinc externis, hinc domesticis vexabor insultibus? En enim nondum sæva tyrannicæ crudelitatis rabies me persequi destiterat, & hostis surrexit domesticus, eò nequior, quò *nulla est capitalior pestis, quàm familiaris inimicus*; ut Boëtius ait. Ecce, inquam, ex clandestinis insidiis, magno superboque apparatu contra me patenter insurgitur, & quod in latebris & sub tecto jam dudùm hostilis improbitas machinata est, aperto nunc certamine, nequiter contra me defendendam assumit, satagitque totis viribus meos pugiles subjugare, nec quamcumque, sed robustissimam pugilum meorum aciem. Nec terretur superba præsumptio, illorum cohortem aggredi, quæ testimonio Christi *terribilis est ut castrorum acies ordinata.* Cant. VI. 3. illorum videlicet Catholicorum Doctorum quos tu, P. S. dedisti mihi, quos tu, inclytique prædecessores tui, Summi olim Pontifices, ad mei custodiam omni cum sollicitudine dedicastis; & quos inter omnes meos fore præclaros, stabiles, atque perpetuos ordinastis defensores: quibus devictis, facilem triumphum de reliquis inimica impietas haberet, facilemque reportaret victoriam; Heu triumphum, si ita foret, quod absit, jugo omni plùs horrendum, seu victoriam Ecclesiæ, Christicolisque omnibus nocituram! Sed ut hoc tantum nefas prohibeas fieri, PATER SANCTE, *serva eos quos dedisti mihi.* Serva igitur eos quos dedisti mihi, ad veritatem Catholicam ubilibet terrarum, & specialiter in Ecclesia Gallicana, constantissimè ac victoriosissimè defendendam. Serva, inquam, eos, inter quos nuper in humilis ac devotæ filiæ Universitatis Parisiensis gremio feliciter ac suaviter quiescebam; dùm quidam dictus Frater Joannes, Ordinis Fratrum Prædicatorum, de nescio quo Monte-sono, de monte utique ventoso, sono dissono, latrans me violenter irritavit, & me, meos inter domesticos, meis in castris, fraudulenter invasit;

atque peregrinis è partibus adveniens, in illam *quæ*, teste Quintiliano, & Hieronymo recitante, *sola monstro caruit*, *Galliam*, monstrum horrendum, imò errorum monstra quamplurima, pertinaciter inducere conatus est.

Dixit equidem, & ibidem publicè asseruit in Deum & in Christum Domini, ac in Sanctam Sanctorum Matrem ejus, opprobriosa quædam, & adversùs veritatem Catholicam, turgido spiritu, ut dici solet, pleno ore, magnoque boatu, errores varios dogmatisare præsumpsit. Sed hoc auditores, pugiles mei, ægro tulerunt animo, & inde repentè turbati sunt, atque permoti, non aliter quàm si Matrem propriam ignominiosissimis contumeliis affici aspexissent. Sed repressit zeli fervorem, ac animi impetum severa gravitas, & maturo præcedente consilio, advocaverunt ad se præmemoratum Fratrem, ipsumque charitativè, ut ab erratis resipisceret, monuerunt. Ipse verò assertiones suas usque ad mortem sustinere & defendere protestans, obstinatis verbis & factis, monitoribus & correctoribus suis semel, & pluries repugnavit, eos damnabiliter & contumaciter sprevit, spretos postmodùm contumaciùs blasphemavit, & importunissimis tandem mendaciis, & assertionibus sibi mutuò contrariis, ac hæresim manifestam sapientibus, ipsos sic spretos, ac blasphematos, ad hanc Romanam Curiam coëgit evocari. Sed tu, Pater Sancte, *serva eos in nomine tuo &c.*

Dixi breviùs quàm tanta res dici possit, multa inposterùm dicere reservans; præmittens iterùm multa Sanctitati tuæ notissima. Sed & Propositiones dicti Fratris erroneas, ac scandalosas, solidè & maturè condemnatas, ad præsens non exprimo, nec sigillatim reprobo, & quòd nulla earum ex dictis S. Thomæ de Aquino dogmatisanda sit, quamvis possem ostendere, nunc omitto. Non loquor quomodò Frater iste infra certum terminum assertiones prædictas pollicitus sit retractare, & qualiter promissionem hanc effregerit. Sileo prætereà processus ab humili & devoto Sacræ Theologiæ filio, Episcopo Parisiensi, contra eum habitos; latamque justissimè Sententiam. Linquo ad extremum dicere, qualiter iste Frater in dictis suis semper variaverit, qualiter maledictis maledicta impudenter adjecerit, qualiter postremò ipse de hæresi suspectus, benivolos correctores suos damnabili impietate hæreticos vocaverit. Ingens certè est gravaminum & enormitatum cumulus, quas, ut vides, brevitate coacta prætereo, majorem super his audientiam postulans. Sed P. S. retinere omninò non possum, hinc admiratione, hinc indignatione perurgentibus, qua fronte, quove animo apud quamplurimos diffamantur illi qui meam hactenùs causam, ut præmissum est, protegendam susceperunt. Audisti, Æquissime Judex, quamobrem id fecerint, quia videlicet suo periculo, in eo se objecerunt discrimini. Ecce crimen. Ecce scelus. Ecce factum quo & invidiæ, & odii, & seditionis, & turbatæ tranquillitatis arguuntur. O Dei atque hominum fidem! ô Christianæ Religionis pietatem! Eòne res perduci potuit, ut velint quamplurimi, viros ad mei tuitionem singulariter deputatos, multas assertiones, testibus etiam adversariis, pro magna parte scandalosas, atque erroneas, tranquillis animis audivisse, & in mei ac meorum perniciem, quasi eisdem faverent, & dissimulando consentirent, sub silentio præterisse? Cur ita est? Ut pax, omni bello crudelior haberetur. Ut prætereà isti bellum cum iniquitate non gererent, renuerentque Christum imitari dicentem. *Non veni pacem mittere in terram*, *sed gladium*. Matth. x. 34. Sanè incredibile mihi fuerat homines Christianam Religionem professos, sic delirare potuisse, ut hoc cogitarent, aut dicerent. Incredibile erat, hominum Christianorum linguas, sic defensores meos carpere, ac diffamare, & si possent, eos etiam perdere molirentur. Verùm nihil est hominum linguis liberius, nihil quod, teste Jacobo: c. 1. 26. aut domari, aut frenari minùs possit. Sed tu, P. B. tu æquissime rerum arbiter, apud quem detractorum mendaciis mutari rerum veritas nequit, per tuam clementiam, & per illam animi tui constantiam, altitudi-
A nem atque generositatem, peto, & suppliciter exoro, ne credulum te præbeas, nevè ullam, vel modicam malitiæ suspicionem, contra hujus causæ meæ prosequutores assumas, alioqui de me actum est, & perii: repulsis enim defensoribus meis, ut adversariis succumbam necesse est. Repellentur autem, si tu ipse, quod absit, eos oderis; hinc justo timore, hinc tædio districti: nec aliquid indignius est, quàm ubi pro Reipublicæ atque mei tuitione mercedem reportare debuerant, ibi odii suscipere detrimentum. *Malorum enim probatur extremum*, ut Cicero testatur, *inde detrimentum suscipere*, *unde putabantur auxilia provenire*. Sed hæc absint & procul sint à te, P. B. digna est Clementia tua meliore hospite, quàm falso fictoque odio, quale tamen isti inducere, viis omnibus, etiam ubi minimè credideris, enituntur, ut sic suum consequantur optatum. Itaque forti constantique animo repugna, & tales
B obloquutores aut abjice, aut odi, aut corripe; atque æquo animo illos audias & exaudias, pro quibus ab initio exoravi dicens: *Pater Sancte &c.*

Sed qualiter eos servabis, si forsan interrogas? Tempus exigit ut ego ipsa respondeam.

Primò igitur, serva eos te ipsis Clementem, benignum, atque favorabilem exhibendo.

Secundò. Serva eos, publicam & solemnem tuo in Consistorio audientiam concedendo.

Tertiò. Serva eos brevem atque expeditam justitiam eisdem auditis tribuendo.

Hæc enim uno ore omnes requirunt: hæc petunt: hæc rogant: hæc supplicant, quæ, ipsis etiam silentibus, merentur obtinere. His itaque modis serva eos, serva, inquam, eos, in nomine tuo: nihil siquidem aptius tuo nomini, nihil Clementi, nihil tuæ Clementiæ potest decentius convenire. Imprimis igitur serva eos, ut præmisi, te ipsis Clementem exhibendo. Ipsos
C equidem mihi dedisti, ut mihi essent præcipui defensores: *In cassum* verò *quis bona tribuit*, *si non omne quod tribuit ipse custodit*, ut notat Gregorius: *in Regist.* Eos itaque custodias, & illum quem habent ad me zelum, suamque devotionem favore tuo fove. Hac enim in causa mihi, tibi, atque Ecclesiæ sponsæ tuæ, veritatis solius intuitu, dudùm jam obsequuntur, & serviunt: eis, versâ vice peto, ut gratitudinem, benevolentiam, atque favorem impendas.

Secundò. Serva eos publicam & solemnem &c. Habuit illam, morosè atque diù, ille perversæ doctrinæ perversus assertor; illam habeant veritatis Catholicæ defensores. Illi concessa est, qui præsumptuosissimus Judicis sui, atque Matris propriæ, non contemptor solùm, sed reprehensor & accusator exstitit: illis concedatur, qui tàm impiè per eum, tàm indignè, tàmque nequiter accusati sunt. Plùs apud te valeat humi-
D lium filiorum pia devotio, atque supplicatio, veritate fulcita, quàm unius, aut paucorum improbitas, & importunitas infestissima, solis in mendaciis vires habens.

Ne quid verò te lateat, P. S. dicam hìc unum quod sentio. Mirata est humilis ac devota filia tua, Parisiensis Universitas, quamobrem citata est, etiam collegialiter præter solitum: & cur non potiùs iste Frater Parisios remissus fuerit, ea quæ dixerat retractaturus, pensatis audientibus & erroribus quos hìc in tua Curia publicavit. Recogitabat hoc, dùm sibi in mentem venit, velle te ipsam audire non solùm scrip-

scriptis, sed vivis etiam vocibus, *quæ*, ut Hieronymus ait, *habent nescio quid latentis energiæ*, tuum Consistorium, tuam que Curiam velle rationabiliùs informari. Ecce enim, ecce jam, VICARIE VERITATIS, Curia hæc tua, fictis adversarii, fautorumque suorum mendaciis repleta est, atque si possibile foret infecta. Abductæ sunt à veritatis tramite multorum mentes, diffamata sunt humilis & devotæ filiæ tuæ supposita, eò liberiùs, quòd contra absentes litigare perfacile est, & infamationum jacula projicere. Sed omnia hæc & similia, PATER SANCTISSIME, contrariis assertionibus evellenda erant, & de animis hominum extirpanda. Idcircò citationem hanc suspicata est humilis & devota filia tua, ut præmissum est, concessam extitisse. Nuncios suos propterea, ob tuam & sanctæ Sedis Apostolicæ reverentiam, non sine magnis sumptibus huc transmisit, cùm per Procuratorem unum, aut duos, litigium si quod incidat, persequi potuisset. Sed etiam ut hoc ageret, non mediocre impulsivum fuit quod apud Ciceronem, Senecam, & Augustinum, diversis quidem verbis, una tamen sententia reperitur. Nam, ut ait Cicero: *Negligere quid de se quisque sentiat, non solùm arrogantis est; sed etiam omninò dissoluti;* Unde etiam dici solet. *Qui famam suam negligit crudelis est.* Movit enim illud Leonis Papæ. *Extrav. de hæreticis. Qui alios, cum potest, ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat.* Igitur & famam propriam custodire, & proximorum salutem procurare quærentes, propriis sumptibus, & suis ac suorum præsertim nuntiorum non pepercerunt periculis. Quod si radicatus est, & fixus in aliquorum animis error, adeò ut veritati aures claudant, aut ipsam cum defensoribus suis irrideant, ipsi de salute sua viderint: Tua verò humilis & devota filia, quod ad se pertinet superabundanter fecerit, & negligentiâ inculpabilis remaneat.

Tertiò. Serva eos, brevem & celerem &c. Istud te pridem velle, ex hoc conjecturam accipio, quòd ad brevissimam diem isti qui citati sunt, comparere mandantur, quod affectare videtur accelerationis Judicium. Sed tamen ut idipsum distinctè & nominatim peterem, impulit me vox una, quam multi jam prædicant, dixisse scilicet istum Fratrem Joannem, se ultra decennium protelaturum esse hujusmodi decisionem; præsumptuosè id quidem, ut reliqua; utinàm & falsè. Vides P. B. qualiter, si famæ creditur, ipse te, Curiamque tuam totam, ad nutum, &, ut ita dixerim, ad manum se habere putat. Terminum ordinat. Leges præscribit: & quod maximum culpæ signum est, Judicium fugit. Audiant, nisi prorsùs obsurduerint, isti, sui que fautores, Justitiæ consummationem impendere volentes; quòd si *maledictus* est *qui facit opus Dei* negligenter, ut *Jeremias*, XLVIII. 10. ait. Ille sanè maledictissimus meritò, qui ne diligenter fiat obicem ponit. Non sic tu, PATER BENEDICTISSIME; non sic, SEVERISSIME JUDEX: sed occurre velociter, constanter *Apprehende arma & scutum, & exurge in adjutorium mihi.* Ps. XXXIV. 2. Venienti, priusquàm deterius invalescat, medere morbo, ipsumque tuæ condemnationis ferramento confestim reseca. Alioqui formidandum erit ne res in pejus vergat; & quod Omnipotens avertat, in magnam totius corporis Ecclesiæ transeat perniciem. Nec dubium quin hujus causæ decisionem, aut decisionis conclusionem differre, gignere sit & nutrire Christicolis omnibus uberrimam scandalorum atque errorum materiam. Quamobrem, nec causæ hujus conditionem, nec humilis ac devotæ filiæ tuæ, quæ eam prosequitur, professionem litigia decent, nec debent supervacuis, & dispendiosis involvi processibus, nec diffugiis & cavillationibus noxiis, nec frivolis denique ambagibus protrahi; sed bona fide, &, ut vulgò dicitur, pleno negotio pertractari.

Pone igitur, B. P. pone hæc coram oculis cordis tui, & his, aliis que pluribus diligenter attentis, quæ brevitatis causâ prætereo, causam hanc brevi decisione prosequere, & celeri fine conclude. Et ita sanè facies, si benè te, moresque tuos novi; præcipuum scilicet mei zelum, præcipuam ergà Deum ac Sanctam Sanctorum Matrem ejus devotionem, præcipuam denique humilis & devotæ filiæ tuæ Parisiensis Universitatis dilectionem, tuamque de suis vexationibus compassionem dignissimam. Quæ omnia te habere, prout tuis, tuique Pastoralis Officii moribus convenit, confidenter spero; & sub hac spe manens, ego ipsa sileo, ac orationi meæ finem impono.

„ Sic igitur, P. B. ipsa Fides Orthodoxa, pro „ qua ad præcelsum hoc Cæsaris Tribunal evocati sta„ mus, ubi adversarium veritatis oportet judicari; „ ad Tribunal, inquam, Cæsaris sto, ubi oportet „ ore judicari, imò verò ubi à te oportet judicialiter „ condemnari. Sic, inquam, ipsa Fides pro se & „ suæ causæ defensione, apud S. V. exoravit: cujus „ orationi verissimæ, &, ut ipsa est, fidelissimæ, „ addere omninò nihil præsumpsimus; nisi quòd „ ille qui desuper abundanti gratiæ suæ plenitudine, „ in hunc vos dignitatis apicem sublimavit in terris, „ ita splendore suo vestrum semper illustret intelle„ ctum, ita in bono affectum firmet, ita effectum „ dirigat, agendaque confirmet, ut post hanc vi„ tam verè mortalem, vobis æterna & immortalis „ vita donetur: Vobis verò, atque universo gregi „ vestro pax sancta, & jugis tranquillitas habeatur. „ Quod ipse præstare dignetur qui vivit in sæcula „ sæculorum. Amen. „

Sequitur altera Propositio, ab eodem M. Petro facta in Consistorio; qua singulares facti circumstantias prosequitur; nihilque ab Universitate in eis peccatum probat. Sic igitur se habet in prædicto Manuscripto.

PROPOSITIO

Facta in Consistorio per eumdem:

CONTRA

M. JOANN. DE MONTESONO.

Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea detestabuntur impium. Scriptum est Proverb. VIII. 7.

BEATISSIME PATER. Cum omnimoda VESTRÆ SANCTITATIS & hujus sacri Collegii reverentia, ubi assunt Patres Conscripti, Ecclesiæ Principes, Judices terræ, Cardines Orbis, de quibus Prophetice dictum est, *Domini sunt Cardines terræ, & posuit super eos Orbem.* I. Reg. II. 8. Nos vestri, & sanctæ Matris Ecclesiæ humiles filii, ex parte devotissimæ vestræ Venerabilis Universitatis Parisiensis Studii, pro causa Fidei quam defendit, ad hanc vestram Romanam Curiam destinati; dùm nunc ante Thronum Justitiæ, ante sacrum hujus Consistorii Tribunal personaliter adstamus, primitùs Dei nomine invocato, cujus causa tractatur: Quatuor protestationes necessarias habemus præmittere, & ad eas verbum propositum applicare.

I. Igitur pro vestris humilibus filiis Universitatis prædictæ, & pro nobis eorum nunciis, qui suis in hac parte obsequimur mandatis, & documentis innitimur, corde & ore unanimiter protestamur, quòd quidquid hactenùs in hac causa per eos actum est, & quidquid in ea nunc, vel aliàs, pro eis acturi, aut dictu-

dicturi sumus, totum correctioni & Judicio Sedis Apostolicæ, & sedentis in ea Summi Pontificis, humiliter submittimus, dicentes cum B. Hieronymo, 24. q. 1. *Hæc est Fides*, P. B. *quam in Catholica Ecclesia didicimus, in qua si minus peritè, aut parùm cautè fortè aliquid positum est, emendari petimus à te, qui Petri Fidem & Sedem tenes.* Non ignoramus enim, sed firmissimè tenemus, & nullatenùs dubitamus, quòd sancta Sedes Apostolica, est illa Cathedra Petri, supra quam, eodem Hieronymo teste, fundata est Ecclesia, ut habetur, *ead: quæst. in l. Quondam vetus.* & sicut A dicit Cyprianus, 93. *dist. Qui Cathedram.* De qua Sede, in persona Petri Apostoli in ea sedentis, dictum est. *Petre rogavi pro te ut non deficiat Fides tua.* Luc. XXII. 31. Hæc est igitur ad quam determinatio Fidei, & approbatio veritatis Catholicæ, ac hæreticæ impietatis detestatio, maximè pertinet, ideòque convenientissimè dicere potest verbum propositum. *Veritatem meditabitur guttur meum* &c.

II. Protestamur quòd contra honorem & reverentiam Sancti Thomæ de Aquino, aut doctrinæ ipsius, nihil omninò proponemus. Sed sicut dicit Facultas Theologiæ, *Salvâ in omnibus reverentiâ Sancti hujus, nec non doctrinæ suæ, hanc causam Fidei prosequimur.* Nam de hoc sancto Confessore præmemorata Facultas asserit illud quod de B. Martyre Cypriano ab Augustino dictum est. *Ego*, inquit, *Litteras Cypriani, non ut Canonicas habeo; sed eas ex Canonicis considero, & quod in eis divinarum Scripturarum autoritati congruit,* B *cum laude ejus accipio.* Nec tamen ipse injuriosum, aut temerarium arbitratur illud quod sequitur dicere. *Quod autem ei non congruit, cum pace ejus respuo.* Servat siquidem in hujus Sancti doctrina illam sententiam Apostoli, quæ in aliorum Opusculis Doctorum, juxtà Decretum Gelasii servanda est. *Omnia probate quod bonum est tenete.* 1. Thess. V. 21. ut habetur, 15. *dist. c. S. Rom.* Sic igitur hujus Doctoris sanctitatem veneramur; & ejus doctrinam, quantùm Fides, vel ratio patitur, tenendam censemus. Unde in venerationis signum, & honoris judicium, ab eisdem verbis quibus ipse Summam suam contra Gentiles inchoat, hujus causæ, cui præmissa Doctrina ab adversariis irrationabiliter opponitur, ac totius nostri Sermonis sumpsimus exordium. *Veritatem*, inquit, *meditabitur* &c. C

III. Protestamur quòd contra Fr. Joannem de Montesono, Ord. FF. Prædicatorum, & sacræ Theologiæ Professorem, (qui utinàm nec tàm S. Ordinis, nec tàm sacræ sapientiæ Professor exitisset, cùm tantæ confusionis, & tantæ insipientiæ factus sit promotor!) Contra hunc, inquam, Fratrem, animo injuriandi nihil dicere intendimus; sed solùm adversùs illum illa proponere, quæ sunt ad causæ Fidei, & Catholicæ justitiæ fulcimentum; nec falsis, & mendosis, ac injuriosis adinventionibus, cujusmodi ipse aliàs in sacro Consistorio usus est, in hoc negotio uti proponimus: quia nec hujus negotii qualitas exigit, nec hujus auditorii permittit autoritas, nec professionis nostræ honestas patitur; postremò, nec eorum, quorum causam agimus, sinceritas hoc exposcit. Suum ergo fuerit causam suam, quam veritate non potuit, falsitate tueri; suum fuerit, veræ sapientiæ professores accusare, mendaciter & fallaciter criminari. Sic enim veritatis adversarii, ut Augustinus ait, *cum veritatem ipsam criminari, aut obscurare non possunt, hos per quos prædicatur inducunt in odium.* E contrà, nostrum sit pro veritatis defensione, odium spernere; nostrum sit, spretâ adversantium persequutione, veritatem prosequi, & impium mendacium detestari: hoc est in sapientiæ documentum; hoc est quod ipsa clamitat, & in summis excelsisque verbis legitur, dicens: *Veritatem meditabitur guttur meum* &c.

IV. Et finaliter. Protestamur quòd nostro proprio, aut personali nomine, nihil omninò in hujus causæ prosequutione dicemus: sed solùm ex parte, & illorum nomine, qui nos mittunt: ipsi enim sunt quibus præmissa sapientiæ verba convenienter aptantur; ipsi namque, & specialiter Facultatis Theologiæ Doctores per guttur & labia sapientiæ congruentissimè designantur. In gutture si quidem, in quo fit ciborum receptio, & receptorum degustatio, significantur Doctores sacræ sapientiæ, qui spiritualem cibum, idest divinum verbum, meditando suscipiunt, & suscipiendo, ac degustando dijudicant: sicut scriptum est. *Guttur escas gustu dijudicat* Job. XXXIV. 3. In labiis verò, quibus fit formatio & expressio vocis, intelliguntur Prædicatores doctrinæ salutaris, qui divinæ Legis verba denuntiant, & verborum sapientiam manifestant. De quibus dicitur: *In labiis sapientis invenitur sapientia.* Proverb. X. 13. Isti sunt ergò guttur & labia quibus sapientia veritatis verba loquitur. Et licèt, proh dolor, guttur detractorum, & labia impiorum eis adversari non cessent, de quibus dictum est per Prophetam, *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Ps. XIII. 3. & iterùm, *Venenum aspidum sub labiis eorum.* Ipsi tamen à veritate separari, & à falsitate superari nequeunt; sed in meditatione veritatis Catholicæ, & hæreticæ impietatis detestatione, eorum guttur, & labia, firmâ & perpetuâ constantiâ perseverant, sicut scriptum est. *Labium veritatis firmum erit in perpetuum.* Proverb. XII. 19. Sic igitur illa Venerabilis Doctorum Universitas, per quam sapientia mundum illuminat Universum, illa multitudo sapientum, quæ, teste Scriptura, *Sanitas est Orbis terrarum.* Sap. VI. 26. meritò dicere potest verbum ab exordio prælibatum. *Veritatem meditabitur* &c.

His itaque præmissis, quæ pro quadruplici protestatione, ac simul quadrifaria nostri thematis introductione brevitatis causâ sustinuit; sciendum nobis est, quòd in themate proposito duo notantur officia sapientiæ, sive duo sapientiæ opera, quibus correspondent duo principales Articuli, pro nostræ causæ justificatione inferiùs declarandi: teste si quidem Philosopho, duo sunt opera sapientis. Primum est: *Non mentiri de quibus novit.* Secundum est: *Mentientem manifestare posse.* Et hæc duo notantur in themate. Ad primum enim pertinet cognitio veritatis, & ejus approbatio, de quo dicitur: *Veritatem meditabitur.* Ad secundum pertinet ostensio falsitatis, & ejus detestatio, de quo sequitur: *& labia mea detestabuntur.* Unde convenienter ad ista, duo principaliter declarandi sunt Articuli.

Primus, erit recitatio & approbatio quatuordecim veritatum partis justæ quam nunc defendimus.

Secundus, erit reprobatio, & detestatio quatuordecim falsitatum partis iniquæ cui resistimus.

Sic igitur introductioni & divisioni nostri thematis finem statuendo, & ipsum applicando ad prædicta duo sapientis opera, per nos, quantùm Deus dederit, prosequenda, in persona vestræ sapientis filiæ Universitatis prædictæ, non immeritò concludi potest præmissum sapientiæ verbum: *Veritatem meditabitur.*

Nunc itaque, P. B. primum suscepti operis Articulum, juxta præmissum ordinem exequentes aggredimur, in quo fiet recitatio & approbatio quatuordecim veritatum partis justæ quam nunc defendimus. D Unde, quia præmemoratus Frater Joannes de Montesono, de monte, inquam, eminentis superbiæ, sono dissonantis arrogantiæ, intonans in Parisiensi Studio, quatuordecim falsitates erroneas publicavit. Nos contra quatuordecim veritates notorias, in quibus consistit causæ nostræ justitia, VESTRÆ BEATITUDINI, & in hac Audientia, coram quâ præcisè mentiri non licèt incunctanter asserimus.

Prima ergò veritas est, quòd Anno Domini 1387. ante

ante Mensem Julii, dictus Fr. Joannes in scholis FF. Prædicatorum Parisiis publicè dogmatisavit XIV. Propositiones falsas, erroneas & plurimùm scandalosas: quarum quinque posuit in suis Vesperiis, prout patuit ex certis cedulis per eum confessis; alias verò IX. posuit in quæstione de Resumpta, sicut patuit ex quaterno suo, propria manu scripto. Et ibidem multa tunc arroganter asseruit, affirmans etiam quòd illa dicebat ex injuncto, nec sine magno consilio, quòd si vellet, etiam silere non posset.

II. Est, quòd celebrata postmodùm congregatione solemni omnium Magistrorum in Theologia Parisiis, inter quos Frater iste præsens affuit; cùm Theologiæ Facultatis Decanus cœpisset quasdam ejus Propositiones sibi fideliter per scholasticos, qui ex eisdem scandalizati fuerant, scripto tenùs, exhibitas recitare: vix paucas expresserat, cùm *dictus Frater, qui nondùm fuerat nominatus, sui impatiens, nec benè sibi imperans, se ad responsionem obtulit; dicens quòd non oportebat eum silere, & quòd istæ conclusiones ab eo processerant, ipsasque usque ad mortem sustineret, iterùm repetens eas non sine magno consilio posuisse.*

III. Est, quòd ad visitandum prædictum quaternum ejus propria manu scriptum, & ex ordinatione dictæ Facultatis per eum exhibitum, deputati fuerunt sex Magistri, tres Religiosi, & tres Sæculares, qui licèt post longum examen essent in opinione concordes; tamen suam relationem super hoc facere noluerunt, nisi darentur iterùm alii sex, ex parte ejusdem Facultatis; qui iterùm cum aliis dictum quaternum, & quædam alia ejus scripta per ipsum confessata, diligentissimè visitaverunt, & diligenti vitratione omnia scrutati sunt.

IV. Est, quòd non obstante prædictorum XII. Magistrorum concordia; ut securiùs & irreprehensibiliùs ageretur, datæ fuerunt omnibus Magistris, & pluribus Baccalariis prædictæ Facultatis certæ cedulæ, antedictas assertiones continentes, ut quilibet suam super iis opinionem scriberet: ex quibus cedulis per novos iterùm deputatos recollectis, & concordatis; XXVII. Magistrorum tunc præsentium, & deinde VI. supervenientium opinionibus, semper eas in mitiorem partem trahendo, cedula illa quæ dicitur Facultatis Theologiæ, confecta est.

V. Est, quòd prædicta cedula per tot deputatorum consultationes, ac dictæ Facultatis congregationes varias, sic diligenter examinata, & servatâ in causa S. Thomæ & doctrinæ suæ reverentiâ, prout ex ejus Prologo satis patet, ipsa exhibita fuit prædicto Fratri, ut juxta formam ipsius, prædictas suas assertiones, quæ scandalum generaverunt retractaret; qui ita facturum intra certum diem promisit: sed ipse promissum suum in hoc, sicut & in multis aliis violavit.

VI. Est, quòd Facultas prædicta, se ab eo spretam percipiens, & illusam, prædictæ Universitati nunciavit, eam in Juris subsidium requirens, ut in hac causa sibi adjungeretur, supplicando: quod; maturâ priùs deliberatione habitâ, concessum est.

VII. Quòd postquam Universitas & Facultas antedictæ, quod potuerant, & debuerant, quantùm in ipsis erat, perfecerant, nunciaverunt hæc omnia Reverendo in Christo Patri D. Episcopo Parisiensi Judici Ordinario in hac parte, & præsentatâ eidem cedulâ Facultatis prædictæ, sibi, prout in similibus casibus fieri solitum est, requirendo supplicaverunt, quatenùs super his vellet judicialiter procedere.

VIII. Est, quòd ad hanc instantiam & Requestam dictus Parisiensis Episcopus præcepit, & præcipiendo mandavit, ne prædictus Frater qui adhuc Parisiis præsens erat, ab inde recederet, sed ad certam diem tunc assignatam personaliter compareret; responsurus in Aula Episcopali, & coràm dicto Episcopo, super his quæ objicerentur eidem; qui sic judicialiter evocatus, per se, aut per alium nullatenùs sufficienter comparuit: ideò pro prima vice contumaciæ pœnam incurrit.

IX. Est, quòd iterùm bina vice, interposito debito temporis spatio, dictus Frater citatus fuit, nec comparuit, & sic tertiò contumax reputatus est, & excommunicatus.

X. Est, quòd licèt, his attentis, idem Episcopus potuisset contra eum proferre Sententiam; tamen adhuc quarta vice, & de superabundanti, præfato reo aliam dietam assignavit, & interim longo temporis intervallo, matura deliberatione habita cum peritis, & præcipuè cum Theologiæ, & Juris Canonici Doctoribus; tandem in dicto termino, licèt multò graviorem potuisset, tamen mitiorem protulit Sententiam, ordinando videlicet, & præcipiendo quòd dictæ Propositiones XIV. sub excommunicationis pœna non dogmatisarentur, aut publicarentur Parisiis, & quòd contra dictum reum, si apprehendi posset, ulteriùs, prout Juris esset, procederet.

XI. Est, *quòd in dicto processu coram D. Episcopo, in omnibus semper admonitus fuit Inquisitor hæreticæ pravitatis, aut ejus Vicesgerens, ut se in hac causa, juxta formam Juris adjungeret, qui tamen pluries reverenter vocatus, comparere aut noluit, aut dissimulavit.*

XII. Quòd tam dicta Facultas, quàm Episcopus Parisiensis, prædictas Ordinationem suam, & Sententiam, semper Ordinationi S. Sedis Apostolicæ submiserunt & submittunt.

XIII. Est, quòd dictus Fr. Joannes, contra præmissas veritates multa notoriè falsa, aliàs in Consistorio proponendo asseruit, & multa dixit injuriosa contra dictos Episcopum, & Magistros Theologicæ Facultatis, & specialiter eos Manichæos, & hæreticos nominando: quod tamen ipsi in suis Ordinationibus vel Sententiis, de eo non dixerant, nec aliquam suarum Propositionum hæreticam nominaverunt.

XIV. Est, quòd in dicto Consistorio ipse in dictis suis multipliciter variavit; quia alia & longè aliter quàm Parisiis dixerat ibidem proposuit, & etiam coram DD. Commissariis alia exhibuit quàm in Consistorio dixerat: & insuper in querela sua, vel supplicatione, super qua citatio dictorum Episcopi, & Universitatis subreptitiè impetrata est, multa manifestè posuit; & in eis, ac specialiter in quadam assertione, quæ repugnantiam claudit, & hæresim continet implicitam, suam frivolam appellationem fundavit.

Hæ sunt igitur XIV. veritates, P. B. quas hîc breviter enuntiatas nunc ulteriùs declarare non intendimus, quia ad alia declaranda nostra se tenet intentio: sed earum declarationem, ac justificationem usque in finem secundi Articuli reservamus, ubi jam ex dictis, & infra dicendis, ac ex prædictis processibus juridicè confirmandis, quædam elicientur conclusiones justæ & rationabiles, pro quibus humiliter petendis, ac Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ efficaciter impetrandis, ad Vestram sumus Beatitudinem principaliter destinati. Sed unum est, B. P. quod, nulla obstante brevitate, vel festinantia, cogente veritate, diutiùs silere nequimus; qualiter videlicet, quàm falsè, quàm fallaciter præmemoratus Frater, etiam in Vestræ Beatitudinis & vestri Consistorii præsentia affirmare non veritus est, omnia quæ adversùs eum acta sunt, ex paucorum, vel duorum aut trium hominum invidia, atque odio processisse: adeò nihil falsitati inausum est, adeò suam semper culpam in aliud transferre obstinata præsumptio medita-

ditatur; sed hoc falso nihil falsius: quamquam, fingamus hoc verum esse, non ideò idipsum ei suffragari deberet, in hac potissimè causa, in qua juxta Senecæ sententiam. *Non quis dicit, nec quis prosequitur, aut petit; sed quam justum sit id quod prosequitur, aut petitur, inspiciendum est.*

Porrò, B. P. quod de invidia ab hoc veritatis adversario fallaciter allegatur, non magnoperè refellendum putamus; exilis quidem, imò nulla penitùs est hîc invidiæ materia, vulgatum enim est proverbium *Sola miseria caret invidia.* Miseria autem nulla major, aut pejor esse potest, quam quæ in errore animi servata est. Hujus ergò viri miserabiliter à via Fidei aberrantis error miserandus potiùs fuerat, si tamen suiipsius misereri voluisset. Sed ut *in confess. Lib.*, Augustinus confitetur: *Quid miserius misero non miserante sibi?* Itaque obstinata sui erroris miseria, nulla prorsùs invidia, sed nec misericordia, imò severissima correctione digna est.

Ceterùm, quod ipse de quorumdam odio conqueritur, si æquo animo consideretur, hoc allegasse pudebit. Quomodò enim trium aut paucorum, ut ipse ait, odium, tot varias diversorum hominum mentes excæcare potuisset, & à recti judicio dimovere? Qualiter tot & tantæ litteraturæ, discretionis ac probitatis viros, in unam concordiam adunare? Sunt contra hujus Fratris assertiones multa millia vestræ humilis ac devotæ Universitatis Parisiensis supposita, inter quæ plurimi sunt Doctores & Baccalarii exercitati, & edocti in Theologica disciplina. Sunt insuper hujus sententiæ dictus Parisiensis Episcopus, cum Capitulo Ecclesiæ suæ, totusque suæ Diœcesis Clerus, & populus. Sunt cum eis Conventus trium Ordinum Mendicantium Parisiis, & aliarum plurium Diœcesium. Sunt postremò in hac concordia plurium Civitatum, Universitatum, Collegiorum consensus: & generaliter idipsum penè omnes sentire videntur, ad quos hujus causæ notitia propalatur. Cedat igitur deinceps veritas odio, si tantæ virtutis est, ac tantarum virium odii virus, ut ipsum in paucorum hominum pectoribus latens, istud efficere potuerit. Videtis ergo, B. P. videtis, Justissimè rerum Arbiter, quàm falsa & frivola sit hæc accusatio: videtis quòd nec ex invidia, vel odio; sed ex justitiæ & veritatis amore, illa communis animorum concordia processerit. Videtis jam, & experimento probatis, qualiter fictum hujus Fratris mendacium vero cedit; qualiter insidiosa falsitatis machinamenta veritas vincit. Unde cum Tullio exclamare libet. *O magna vis veritatis, quæ contra omnium ingenia calliditatem, solertiam; contraque fictas omnium insidias facilè per seipsam se defendit.* Et hæc de primo Articulo.

Jam verò ad secundum & principalem Articulum progrediamur, in quo fiet reprobatio & detestatio XIV. falsitatum partis adversæ cui resistimus. Unde postquam extirpata fuerint hujusmodi falsitatum zizania, inde veritatum semina in agro Domini fructuosiùs pullulabunt: ideòque eradicandæ sunt penitùs, & radicitùs extirpandæ illæ XIV. Propositiones falsæ, erroneæ, & scandalosæ, quas dictus Frater, ut præmittitur, asseruit; ostendendo eas per sæpè dictam Facultatem Theologicam fuisse rationabiliter, ac justissimè condemnatas, & reprobatas.

Hic autem Articulus quatuor partes principaliter continebit.

Prima, erit reprobatio quinque Propositionum à dicto Fratre, ut prædictum est, in suis Vesperiis positarum: quæ sunt in irreverentiam divinitatis Christi, & suæ humanitatis.

Secunda, erit reprobatio sex aliarum ex quæstione de Resumpta, quæ sonant irreverentiam gloriosæ Virginis Matris.

Tertia, erit reprobatio trium aliarum Propositionum ex eadem quæstione sumptarum, quæ aliquid asserunt de creaturis, quod sonare videtur irreverentiam Creatoris.

Quarta, erit justificatio processuum, occasione dictarum Propositionum factorum, pro conclusionibus juridicis contra dictum Fratrem inferendis judicialiter. Hoc autem prædicto ordine per nos quatuor A prædictæ Universitatis Nuncios prosequitur; quia sic per eam ordinatum est, & nobis impositum, ex certis & rationabilibus causis ipsam moventibus, quas tamen brevitatis causâ subticemus.

Quantùm igitur ad primam partem: antequàm ad prædictarum quinque Propositionum reprobationem procedam, probanda est quædam suppositio, quæ in aliquibus dictarum, & aliarum Propositionum sequentium condemnatione est necessariò prænotanda. Videlicet quòd quamvis aliqua Propositio vel Assertio possit habere aliquem sensum verum; tamen potest rationabiliter condemnari, tanquam revocanda propter alium sensum erroneum in ea, vel in ejus probatione intellectum: & hæc suppositio præambula, & alia per me declaranda probabuntur, tam rationibus, quàm autoritatibus Sanctorum & Doctorum, & specialiter ex dictis S. Thomæ de Aquino, ut sic adversarius qui ejus doctrinam sequi ac B defendere falsè & inaniter gloriatur, convincatur evidentiùs, & velut alter Goliath proprio gladio jugулetur.

Prima ergo dicta suppositio præambula sic probatur. Quia omnis assertio potest rationabiliter condemnari, ex qua potest sequi corruptio Fidei; sed ex aliqua assertione, licèt possit habere aliquem sensum verum, propter alium sensum erroneum in ea, vel in ejus probatione intellectum, sequi potest corruptio Fidei: Igitur &c. Ista ratio fundatur in dictis Sancti Thomæ. 2. 2. in *quæst. De hæresi*, ubi exponendo illud dictum Hieronymi. *Ex verbis prolatis inordinatè, fit hæresis.* In solutione ad secundum argumentum, dicit: quòd si inordinata locutio sit circa ea quæ sunt Fidei; sequi potest ex hoc corruptio Fidei, & ad hoc allegat autoritatem Leonis Papæ di- C centis: *quòd inimici Christi Crucis omnibus verbis nostris insidiantur & syllabis, nullam eis vel tenuem occasionem demus.* Igitur propositum.

Secundò. Probatur ex dictis ejusdem Sancti Thomæ *in 5. Quodlib. Qua circa Doctores*: ubi in 2. Articulo quærit: utrum, si ex doctrina alicujus Doctoris, aliqui revocentur à meliori bono, ille teneatur suam doctrinam revocare. Unde ex ejus responsione, quam brevitatis causâ non recito, clarè patet quòd non solùm doctrina in uno sensu falsa, est revocanda; sed etiam licèt sit omninò vera, tamen quandoque, propter incautam ejus expressionem, est exponenda, & ad utilitatem audientium retractanda; dicente Gregorio. *Incauta locutio in errorem pertrahit.*

Tertiò. Probatur dicta suppositio ex doctrina S. Augustini, ex suo *Retractationum, Lib.* ubi in Prologo dicit, quòd errata sua reprehendit, & quadam D judiciaria severitate recenset. Et tamen constat quòd in dicto Libro multa retractanda exprimit, quæ in aliquo sensu vera sunt. Sicut patet, Lib. 1. C. 1. 2. 3. ubi retractat & corrigit quòd in Libris suis fortunam nominavit; *licèt*, ut ipse ait, *illa verba nulla Religio dicere prohibeat, fortè, forsitan, fortassè, fortuitu,* &c. & causam retractationis subdit dicens, *Verumtamen pœnitet me sic illic nominasse fortunam, cùm videam homines habere in pessima consuetudine, ut ubi dici debet, hoc Deus voluit, dicant hoc voluit fortuna.* Item eodem Libro C. 4. ex Libro *Soliloquiorum*, retractat illam sententiam: quòd *ad sapientiæ conjunctionem non unâ viâ perveniri, non benè sonat, quasi alia via sit præter Christum qui dicit*, Ego sum via. Joan. XIV. 6. *Vitanda ergo erat hæc offensio aurium religiosarum;*

rum; quamvis alia sit illa universalis via, alia autem via de quibus in Psalmis canimus. Vias tuas Domine notas fac mihi &c. *Ps.* XXIV. 4. Ex quibus, & aliis pluribus exemplis, ex doctrina Augustini clarè patet quòd aliqua assertio, licèt sit in aliquo sensu vera, tamen propter alium sensum falsum quem potest generare in animo auditoris, est meritò retractanda. Quare &c.

A Quartò. Probatur propositum per exemplum sumptum ex doctrina Ecclesiæ. Nam per Ecclesiam quandoque assertio ambigua, habens aliquem sensum Catholicum est damnata, imò quandoque assertiones contradictoriæ, secundùm vocem, per eam sunt damnatæ; & ideò altera earum, vel utraque, aliquem habet sensum Catholicum. Et hoc patet manifestè ex recitatione Isidori *Lib.* 6. *Ethimol.* C. 19. & habetur 24. q. 3. c. *Quidam autem.* Ubi narrat quòd utraque istarum; *Deus creat mala*; *Deus non creat mala*: est hæresis condemnata. Unde assertores utriusque inter hæreticos enumerat, dicens: Colitiani à quodam Colito nominati, qui dicunt, Deum non facere mala, contra illud quod scriptum est: *Ego Deus creans mala.* Isaiæ. XLV. 7. Floriani à Floriano, qui è contrario dicunt, Deum creasse mala, contra hoc quod scriptum est: Gen. I. *Fecit Deus omnia bona.* Ex quibus patet assumptum, & per consequens B propositum suppositionis præambulæ.

PETRI DE ALLIACO

Cardinalis Cameracensis,

APOLOGIA

FACULTATIS THEOLOGIÆ PARISIENSIS,

Circa damnationem

JOANNIS DE MONTESONO.

APOSTOLICIS verbis edocti, I. Pet. III. 15. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti* nos C *rationem de eâ quæ in* nobis *est*, fide: ad tuitionem ejus quam profitemur orthodoxiæ; & ut rationabilis quorumdam errorum condemnatio Parisiis nuper facta, ac justificatio exortæ super hoc causæ, & adversantium omnium quæcumque injusta rationabilisque conquestio, oblocutio, atque vexatio singulis innotescat, præsentem Tractatum sub Apostolicæ Petri Sedis, & sedentis in ea Summi Pontificis correctione, duximus compilandum. In quo universis Christi fidelibus, qui ipsum lecturi vel audituri sunt, supplicamus affectè, ut æquo animo puraque mentis acie prospiciant universa nobiscum, &c.

Ad honorem Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, cujus Fidei causam agimus, præsentem Tractatum adversùs errores Fratris Joannis de Montesono, Ordinis Fratrum Prædicatorum, nuper in Parisiensi Studio condamnatos, ex deliberatione Universitatis Parisiensis, & specialiter Doctorum, Baccalaureorum D Facultatis Theologiæ compositum, in tria capitula distinguemus.

In primo, ad fundandum processum factum contra dictum Fratrem per dictam Facultatem Theologiæ, ac etiam processum inde secutum coram Domino Episcopo Parisiensi, ad instantiam Universitatis prædictæ, declarabitur qualiter ad dictos Episcopum & Facultatem Theologiæ pertinet assertiones hæreticas, vel in Fide erroneas, & contra asserentes eas Parisiis condemnare.

In secundo declarabitur, & tàm rationibus, quàm authoritatibus Sanctorum, & Doctorum probabitur, quòd assertiones dicti Fratris per schedulam dictæ Facultatis dicto Domino Episcopo traditæ, fuerunt rationabiliter condemnatæ.

In tertio, quia Magister ac Procurator generalis, & nonnulli dicti Ordinis Fratres, contra prædictum Episcopum, & sibi adhærentes ad Sedem Apostolicam appellaverunt: & dicunt, inter memoratas dicti Fratris assertiones, ut præfertur, damnatas, aliquas ad Sancti Thomæ de Aquino pertinere doctrinam, quam asserunt per Ecclesiam approbatam: ideò declarabitur doctrinam hujusmodi Sancti Thomæ non sic approbatam esse, quòd propter eam oporteat ante dictam condemnationem, aut dicti Episcopi processum, aliqualiter impediri.

CIRCA primum principale est hæc divisio præmittenda: quòd, Definitio circa ea quæ sunt Fidei, id est, approbatio veritatis alicujus tanquam Catholicæ; vel reprobatio, aut condemnatio oppositæ falsitatis, tanquam hæreticæ, aut in Fide erroneæ, potest esse dupliciter. Uno modo scholasticè & doctrinaliter. Alio modo authoritativè & judicialiter. Et hic secundus modus est duplex, secundùm quod hæc authoritas judiciaria est bipartita. *Una est simpliciter suprema: alia est inferior & subordinata.* Juxta hanc trimembrem divisionem quæ clara est, sunt tres conclusiones principales declarandæ, & deinde ex eis quædam aliæ subinferendæ.

Prima erit de definitione judiciali, & authoritativa suprema.

Secunda, de inferiori, & subordinata.

Tertia, de doctrinali, & scholastica. Et ipsarum probatio principaliter fundabitur in Jure divino.

Prima igitur conclusio est. Ad Sanctam Sedem Apostolicam pertinet authoritate judiciali suprema circa ea quæ sunt Fidei judicialiter definire. Et hæc probatur: quia ad illius tanquam ad supremi Judicis authoritatem pertinet in Fide judicialiter definire; cujus Fides nunquam deficit. Sed Sanctæ Apostolicæ Sedis Fides nunquam deficit. Igitur &c. Major est nota, sed Minor probatur: quia de hac Sancta Sede in persona Petri Apostoli in ea præsidentis, dictum est. *Petre rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua.* Luc. XXII. 32. Propter quod dicit Cyprianus. 93. *dist. Qui*, &c.

Secunda conclusio est. Quòd ad Episcopos Catholicos pertinet, authoritate inferiori & subordinata, circa ea quæ sunt Fidei judicialiter definire. Et hoc probatur. Quia ad eos pertinet judiciali authoritate inferiori & subordinata in Fide definire, ad quos pertinet consimiliter Ecclesiam regere. Sed ad Episcopos Catholicos pertinet secundum: igitur & primum. Major patet; quia Ecclesiæ regimen maximè concernit Fidem, & ideò cui Jure divino committitur Ecclesiam regere, ei eodem Jure committitur de Fide cognoscere & judicare. Sed Minor probatur authoritate Pauli. *Act.* XX. 28. ubi dicit: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, Ecclesiam regere Dei.* Unde patet quòd Jure divino & authoritate Spiritus sancti Episcopi positi sunt ad regimen Ecclesiæ Dei. Regimen autem importat judicialem authoritatem: ergo sequitur quòd ad eos pertinet, authoritate judiciali inferiori, & subordinatâ, & supremæ authoritati subjectâ, Ecclesiam regere, & per consequens de Fide cognoscere, & in ea definire. Unde patet quòd de tali regimine ad Fidem pertinere loquatur Apostolus &c.

Tertia conclusio est. Quòd ad Doctores Theologos pertinet determinare de doctrinali & scholastica, & circa ea quæ sunt Fidei doctrinaliter definire, ad quos pertinet sacram Scripturam docere, & ex ea hæreticas assertiones & in Fide erroneas reprobare, ac veritates Catholicas approbare. Sed ad Doctores

res Theologos pertinet secundum: igitur & primum. Probationes & Minoris & Majoris, vide si vis in dicto Tractatu.

Ex prædictis conclusionibus patet responsio ad principalem Articulum: scilicet quòd ad Episcopum Parisiensem, & ad Theologiæ Facultatem pertinet assertiones hæreticas, aut in Fide erroneas, & contra eas asserentes Parisiis condemnare, quia per secundam conclusionem patet quòd hoc ad Episcopum pertinet; definiendo judicialiter. Et per tertiam conclusionem patet quòd ad Facultatem Theologicam pertinet; definiendo doctrinaliter.

A

Sed adhuc, ad magis fundandum propositum, tres aliæ conclusiones ex præmissis sunt subinferendæ.

Quarta igitur conclusio est. Quòd ad dictos Episcopum & Facultatem Theologiæ pertinet, non solùm conjunctim, sed & divisim, modis prædictis, assertiones hæreticas aut erroneas condemnare: licèt tamen quandoque rationabiliter consueverint in hujusmodi condemnatione conjunctim procedere. Probationes dimittuntur hîc causâ brevitatis.

Quinta conclusio: Ad dictam Facultatem Theologiæ contra certas personas, scilicet contra singulares Magistros & Baccalarios eidem Facultati juratos pertinet quandoque non solùm doctrinaliter, sed etiam judicialiter aliquo modo assertiones hæreticas aut erroneas condemnare. Et hæc conclusio probatur ex triplici radice.

Prima probatio fundatur ex concessa eis potestate, &c.

B

Secunda probatio fundatur in observata consuetudine, &c.

Tertia ejusdem conclusionis probatio fundatur in publica utilitate, &c.

Sexta conclusio est. Quòd ad superiorem Judicem pertinet processum per dictos Episcopum & Facultatem Theologiæ factum, nec sine magna & notabili causa, favorabiliter impedire: nec approbationi contra eos in causa Fidei interjectæ, sine matura deliberatione, & prævia informatione deferre. Et hæc probatur, &c.

Ex dictis conclusionibus ad propositum applicatis, patet luce clariùs justificatio processûs facti contra dictum Fratrem Joannem, sicut patet in singulis Articulis.

C

Primus igitur Articulus est. Quòd cùm dictus Frater infra scriptos errores Parisii, in scholis publicè dogmatizaverit, & coram Facultate Theologiæ evocatus, per Decanum ejusdem Facultatis monitus charitativè, ipsos corrigere recusaverit, protestans eos usque ad mortem velle defendere: dicta Facultas errores hujus potuit & meritò debuit doctrinaliter condemnare. Prima pars, scilicet quòd hoc potuit, patet &c.

Secundus Articulus est. Quòd dicta Facultas Theologiæ, coassumptis sibi Magistris aliarum trium Facultatum Universitatis Parisiensis, Doctores priùs per eos examinatos & doctrinaliter comdemnatos, meritò debuit Domino Episcopo Parisiensi, tanquam Judici Ordinario judicialiter denunciare. Et hoc clarè patet ex secunda conclusione, & ejus probatione: sed adhuc, &c. Quamobrem prænominatæ Facultatis Theologicæ Magistri, tribus aliis Facultatibus sibi coassumptis, & coadjunctis, nunciaverunt Ecclesiæ. Ex quibus patet triplex ratio denunciationis prædictæ, quam secreta & charitativa monitio præcessit, licèt tamen hoc non esset necesse, sicut patet ex doctrina sancti Thomæ. 2. 2. q. 33. art. 7. ubi docet quòd peccata publica sunt publicè arguenda: juxta illud Apostoli. 1. ad Tim. v. xx. *Peccantes coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant.* Quod intelligitur de peccatis publicis: ut dicit Augustinus, *in Lib. de verbis Domini*, &c.

D

Tertius Articulus est. Quod dicta Facultas in scholis suis Theologicis & dictus Episcopus in locis suæ Diœcesis, præmissorum errorum dogmatizationem, publicationem, aut defensionem finaliter inhibere potuerunt; & debuerunt judicialiter prohibere &c.

Sed huic Articulo opponuntur tria, quæ ponit dictus Frater in Supplicatione sua, seu querela, Domino Papæ exposita: in qua ferè tot sunt mendacia, quot sunt verba.

Primum est. Quòd aliquæ conclusionum suarum trahuntur ex doctrina sancti Thomæ, quam Facultas Theologiæ aliàs expresè condemnavit, & Dominus Stephanus Episcopus Prisiensis per suas literas approbavit. Secundum est. Quòd Dominus Urbanus Papa quintus per ejus Bullam, Universitati Studii Tholosani scripsit, & voluit ejusdem Sancti doctrinam tanquam benedictam & Catholicam sequi, & teneri à Christicolis & studiosis, & eam pro viribus ampliari. Tertium est. Quòd solius Sedis Apostolicæ est declarare, damnare, & approbare. Unde posteà concludit, quòd dictus Dominus Episcopus apponens falcem in messem Summi Pontificis, dictas conclusiones pronunciavit & decrevit falsas, hæreticas, & erroneas. Et causam subdit ibidem; quia ista quæ tangunt Fidem, sunt de majoribus Ecclesiæ causis, & quæ ad solum Summum Pontificem pro examinatione & decisione deferri debent. Ex quibus sequi videtur, quòd nec Episcopus, nec Facultas prædicta conclusiones prædictas potuerunt judicialiter damnare, nec earum dogmatizationem aut publicationem aut defensionem finaliter cohibere.

Ad illa autem faciliter respondetur. Unde ad primum, respondet Universitas, in suis Literis patentibus. ,, Nos, *inquit*, millesies diximus, & ut vi-,, demus, non sufficit, qualiter sancti Thomæ do-,, ctrinam in dicta nostra condemnatione nequaquam ,, reprobamus: sed hunc, ejusque fautores, doctri-,, nam ejus ad distortum, Fideique absonum sen-,, sum adaptentes, aut ultrà quàm fieri debet, con-,, tra ejusdem Doctoris documentum dilatantes, con-,, demnamus, audacter asserimus. ,, Et hæc clarè patebunt ex dicendis in secundo & tertio capitulis: ubi manifestè probabitur quòd prædictæ erroneæ conclusiones non trahuntur ex doctrina sancti Thomæ, sed magis contrariantur eidem.

Ad secundum respondetur quòd ex prædicta Bulla Domini Urbani, vel ex prællegata litera Domini Stephani Episcopi, aut alia quacumque litera authentica, non potest sufficienter concludi, quòd sancti Thomæ doctrina sit in omnibus approbata, sicut clarè ostendetur in 3. cap. hujus Tractatus: & ad hoc adjiciunt aliqui talem rationem. Illa doctrina non potest sic esse in omnibus approbata, quæ multa continet in Fide erronea. Sed, ut dicunt, prædicta S. Thomæ doctrina non solùm in materia de absoluta necessitate creaturæ, de qua præsentes controversiæ, de quibus inferiùs in tribus ultimis conclusionibus, 3. cap. specialiter tractabitur, sed etiam in pluribus aliis multa continet in Fide erronea: quod clarant. Nam *in* 1. *parte Summæ*. q. 47. *art. ultimo, in responsione ulti. art.* dicit quòd *non est possibile aliam terram esse quam istam: quia omnis terra naturaliter ferretur ad hoc ubicumque esset.* Et notum est quòd non loquitur de potentia naturæ. Item, *in articulo ultimo*, dicit quòd *impossibile est duos Angelos esse unius speciei*: & quòd *impossibile est esse plures albedines separatas à substantiis*, quæ videntur esse contra Articulum de omnipotentia Dei, & contra veritates creditas circa Sacramentum Altaris. Item infra. q. 78. *artic.* 3. & 6. *in quæstionibus disputatis*, tenet Articulum de unitate formæ substantialis in homine: qui est 14. Articulus quintæ partis de Evangelio æterno damnatus per Alexandrum. Item ex hac opinione Th. *de unitate formæ*, sicut dicit in gloss. Okam, *in Dialogo suo*, conclusiones sequuntur quæ in Anglia fuerunt scandalosæ, scilicet quòd *Corpus Christi non*

fuit

fuit idem numero vivum & mortuum: & hoc concedit S. Thomas, *in quæstionibus disputatis*, q. 63. quòd non fuit simpliciter. Unde sequitur ultrà quòd caro mortua nunquam fuit viva: & quòd corpora Sanctorum mortuorum nunquàm fuerunt corpora Sanctorum viventium: & ideò Reliquiæ corporum Sanctorum nunquàm fuerunt partes corporum viventium: nec corpus Christi quod fuit vulneratum in Cruce, jacuit in sepulchro, quæ omnia sunt absurda.

Ex quibus, & aliis pluribus erroribus, contra quos quidam Doctores speciales composuerunt Tractatus, concludunt isti quod hujusmodi doctrina non potest esse in omnibus approbata. Nec hoc obstat ejus sanctitati vel canonizationi, quia non obstante glorioso martyrio Cypriani, ipse erravit in Fide: sicut patet 4. *Sententiarum. dist.* 6. & infrà dicetur, *cap.* 3. Unde sanctitas vitæ non infert sanctitatem doctrinæ: sicut patet de Papa Martyre, qui fuit patronus sectæ hereticæ. Unde ex his omnibus inferunt, quòd prædicta approbatio Urbani quinti, non est hujus doctrinæ approbatio universalis, sed tanquam doctrinæ utilis & in multis probabilis: sicut doctrina Papæ magistraliter dicta, sola habet authoritatem magistralem, sicut Dominus Innocentius quartus de suo apparatu testatus est. Sed de hac materia copiosiùs infrà dicetur, in tribus primis conclusionibus tertii capituli, & ideò breviùs pertransimus.

Ad tertium objectum respondetur primò, quòd nec Facultas &c.

CIRCA secundum principium, in quo declarandum est quòd assertiones dicti Fratris per schedulam Theologiæ Facultatis dicto Domino Episcopo traditàm fuerunt rationabiliter condemnatæ: præmittendum est unum præambulum generale, quod in aliquibus dictarum assertionum, & earum condemnatione est necessariò prænotandum; videlicet quòd licèt aliqua Propositio, vel assertio possit habere aliquem sensum verum, tamen rationabiliter condemnari, tanquàm revocanda, propter alium sensum falsum in ea, vel in ejus probatione intellectum. Et hæc suppositio probatur tàm rationibus quàm authoritatibus sanctorum Doctorum, & specialiter ex dictis sancti Thomæ de Aquino, ut pars adversa, &c.

Quartò. Probatur suppositio præmissa, & singulariter declaranda est per exemplum sumptum ex doctrina Ecclesiæ. Nam per Ecclesiam nonnunquam assertio ambigua habens aliquem sensum Catholicum est damnata; imò quandoque assertiones contradictoriæ, secundùm vocem, per eam sunt damnatæ, & ideò altera earum, vel utraque aliquem habet sensum Catholicum. Et ecce exemplum manifestum: nam Isidorus *in Libr. Etymologiarum*, *cap.* 5. *Libro*, 8. & habetur, 24. *quæst.* 3. *cap. Quadam autem*: apertè insinuant quòd utraque istarum *Deus creat mala*. *Deus non creat mala*, est hæresis condemnata. Unde & assertores utriusque reputat hæreticos dicens: Coliciani, à quodam Colico nominati, qui dicunt Deum non facere mala; contra illud quod scriptum est: *Ego Deus, creans mala*. Isaïæ. XLVII. 5. Floriani à Floriano, qui è contra dicunt, Deum creasse mala, contra illud quod scriptum est: *Fecit Deus omnia bona*. Gen. 1. Ex quibus colligitur quòd utraque istarum est hæresis condemnata: & tamen ista assertio: *Deus creat mala*, habet aliquem sensum Catholicum scilicet istum, *Deus creat mala pœna*. Et similiter ista: *Deus non creat mala*, habet sensum Catholicum, scilicet istum, *Deus non creat mala culpa*. &c. Hac igitur suppositione præambula sic firmiter stabilita, sigillatim declarandum est quòd assertiones dicti Fratris fuerunt rationabiliter condemnatæ.

Prima igitur Propositio sua fuit. *Major est unio hypostatica in Christo, quam unio trium personarum in essentia increata.*

Secunda. *Possibile est esse aliquam creaturam puram in puris naturalibus, qua ita posset sibi & homini mereri, sicut anima Christi, concurrente gratia habituali: non est tamen aliqua possibilis, qua tam convenienter, congruenter, & sufficienter hominem possit redimere, & salvare, sicut Christus.* Et ista condemnatur revocanda tanquam falsa & malè sonans & erronea, ad A intellectum probationis suæ, videlicet de gratia animæ Christi quò ad primam ejus partem.

Tertia. *Aliqua pura creatura rationalis potest in puris naturalibus beatifice Dei essentiam intueri.* Et hanc dicit patere de creatura prædicta. Et ista condemnatur revocanda, aliàs Parisiis damnata tanquam erronea in Fide.

Quarta. *Aliqua pura creatura est possibilis perfectior, anima Christi in merendo, puta gratia animæ Christi.* Et hæc damnatur revocanda tanquàm falsa, erronea, absurda in Theologia & Philosophia, & Theologicæ doctrinæ irrisiva. Addit huic Propositioni istam verificationem, etsi non quoàd quantitatem meriti, tamen quoàd modum merendi hæc omnia eidem prodesse non possunt.

Quinta. *Videtur mihi quod talis creatura si poneretur esset simpliciter extra genus.* Et hæc condemnatur revocanda, sicut immediatè præcedens.

Sexta. *Ponere aliquod creatum, vel aliqua creata esse* B *simpliciter, & absolutè necesse esse, non est in aliquo contra Fidem.* Et hæc condemnatur revocanda tanquam falsa & malè sonans in Fide, secundùm communem modum Theologorum.

Septima. *Necesse esse non repugnat esse causatum.* Et hæc condemnatur revocanda tanquam falsa, & erronea in Fide.

Octava. *Magis est consonum Fidei, ponere aliquid citra primum esse absolutè, & simpliciter necesse esse, quam ponere ipsum sine aliqua additione necesse esse.* Et hæc condemnatur revocanda tanquam falsa & erronea, propter falsam implicationem & erroneam comparationem quam includit; quòd aliquam rem creatam esse necesse esse, scilicet sine aliqua additione, est consonum sacræ Scripturæ, & per consequens aliquod creatum est increatum; quod contradictionem includit.

Nona. *Asserere aliquid fore verum, quod est contra sacram Scripturam, est expressissimè contra Fidem.* Et hæc C condemnatur revocanda tanquam falsa & injuriosa Sanctis & Doctoribus, si eam intelligat universaliter, prout in probatione ejus videtur prætendere.

Decima. *Non omnem hominem præter Christum, contraxisse ab Adam peccatum originale, est expresè contra Fidem.* Et hæc damnatur revocanda tanquam falsa, scandalosa & piarum aurium offensiva, & præsumptuosè asserta, non obstante probabilitate quæstionis: utrùm Beata Virgo fuerit in peccato originali concepta, &c.

Undecima. *Beatam Mariam Virginem, & Dei Genitricem non contraxisse peccatum originale, est expresè contra Fidem.* Et hæc condemnatur revocanda tanquam falsa, scandalosa, præsumptuosè asserta & piarum aurium offensiva.

Duodecima. *Tantùm est contra sacram Scipturam, unum hominem esse exemptum a peccato originali præter Christum, sicut si decem homines ponerentur exempti.* Et hæc condemnatur sicut præcedens, revocanda tanquam falsa, scandalosa, præsumptuosè asserta, & D piarum aurium offensiva.

Tertiadecima. *Magis est expresè contra Scripturam sacram, Beatam Virginem non esse conceptam in peccato originali, quàm asserere ipsam simul fuisse Beatam & viatricem, ab instanti sua conceptionis, vel sanctificationis.* Et postquam probavit corollarium, dicit quòd pari modo videretur dici, quòd magis est expressum ipsam unitam fuisse hypostaticè; & hoc idem in Consistorio in scripto suo coram Judicibus recitavit. Hæc au-

autem Propositio condemnatur sicut præcedens, revocanda tanquam falsa, scandalosa, præsumptuosè asserta, & piarum aurium offensiva, & meritò potuisset rigorosiùs condemnari: quia nulla præcedentium est ita temeraria.

Quartadecima & ultima. *In expositione sacræ Scripturæ, sive declarando per Ecclesiam, sive per Doctores, sive excipiendo per quæcunque: de sacra Scriptura & non aliunde trahenda est determinatio, declaratio, sive exceptio, sicut in Grammatica quæ regulas ponit, in eadem exceptio reperitur.* Et hæc condemnatur, revocanda tanquam falsa & erronea, si intelligat quòd exceptio vel expositio sit trahenda expressè & explicitè ex Scriptura sacra, & non aliundè, prout videtur prætendere: aliter non esset ad propositum suum.

- Harum Propositionum improbationes diffusæ & pulcherrimæ ponuntur in dicto Tractatu.

Circa tertium principale, in quo declarandum est quòd doctrina sancti Thomæ non sic est approbata, quòd propter eam oporteat ante dictam condemnationem, aut dicti Episcopi processum aliqualiter impedire, præmittenda est hìc divisio: quòd, aliquam doctrinam esse per Ecclesiam approbatam, potest tripliciter intelligi.

Uno modo, quòd talis doctrina sit per Ecclesiam tanquam utilis, & in Fide probabilis acceptata, & tanquam talis inter scholasticos divulgata.

Secundo modo, quòd talis doctrina sit sic approbata, quòd oporteat credere quòd ipsa sit in omni sui parte vera.

Tertio modo, sic ut ipsa sic sit approbata, ut oporteat credere quòd ipsa in nulla sui parte sit in Fide erronea, vel hæretica. Nam multa sunt falsa, quæ non pertinent ad Fidem, quæ tamen non inducunt errorem condemnabilem, & in talibus non cadit hæresis, quia hæresis importat corruptionem Fidei Christianæ. In talibus autem falsitas, aut error ad corruptionem Fidei Christianæ non pertinet, ut dicit sanctus Thomas 2. 2. *quæst. de hæresi, art.* 2. Et ideò patet quòd approbatio alicujus doctrinæ secundo modo, major est approbatione alicujus tertio modo.

Primus autem modus approbationis multùm differt à duobus aliis: quia multæ sunt doctrinæ illo primo modo approbatæ, quæ continent non solùm falsa, imò etiam quædam in Fide erronea, ut inferiùs patebit. Unde primus modus approbationis communis est multis doctrinis, seu Libris, vel Tractatibus Sanctorum, & Doctorum. Sed secundus & tertius, valdè paucis scriptis conveniunt, scilicet soli doctrinæ Scripturæ sacræ, & Universalis Ecclesiæ, ut quidam dicunt, sicut apparebit ex dicendis, & ideò uterque ipsorum major est primo. Quilibet autem prædictorum modorum potest subdividi: quia talis approbatio alicujus doctrinæ potest esse expressa, vel tacita. Expressa quidem per Scripturam authenticam, sicut per authoritatem Scripturæ divinæ, vel Constitutionem Ecclesiæ, vel Bullam Apostolicam, aut aliam litteram authenticam alicujus personæ, vel Collegii in hoc potestatem habentis. Et sic expressè approbata est doctrina Scripturæ sacræ novi & veteris Testamenti, generalium Conciliorum, Epistolarum, Decretalium, & quorundam Opusculorum sanctorum Patrum; sicut patet ex Decreto Gelasii Papæ. 15. *di.* c. *Sancta Romana.* Tacita verò potest esse alicujus doctrinæ approbatio per tolerantiam, seu permissionem Ecclesiæ: & sic multæ sunt doctrinæ approbatæ, non solùm sanctorum Patrum; sed etiam quorundam Doctorum & Magistrorum, qui scripserunt Summas & lecturas diversas, & in quibusdam inter se adversas, tàm in Theologia, quàm in Jure Canonico, sicut patet in multis Doctoribus Universitatis Parisiensis, & aliorum Studiorum. Et hæc tacita eorum approbatio habetur implicitè ex præallegato Decreto Gelasii Papæ, ubi dicitur: *Opuscula, atque Tractatus omnem Patrum Orthodoxorum, qui in nullo à sancto Romana Ecclesia consortio deviaverunt, nec ab ejus Fidei prædicatione sejuncti sunt, legenda decernimus.* Unde, quia hìc generaliter omnium illorum Magistrorum, vel Doctorum qui hujusmodi sunt, approbatio tacita est implicita, licèt non explicata; de Opusculis eorum diligenter observandum est quod ibidem sequitur. Quod si causa hæc ad Catholicorum manus advenerit, Beati Pauli Apostoli sententia præcedat. *Omnia probate, quod bonum est tenete.* 1. Thess. v. 21.

Juxta primam divisionem declarandæ sunt tres principales conclusiones circa approbationem doctrinæ S. Thomæ: deinde aliæ tres speciales circa doctrinam ejus de absoluta necessitate creaturæ.

Prima igitur conclusio est. Doctrina S. Thomæ in Opusculis suis Theologicis contenta primo modo, est per Ecclesiam approbata, & tanquam utilis & probabilis divulgata: & hæc probatur, quia, &c.

Secunda conclusio est. Prædicta S. Thomæ doctrina non est secundo modo per Ecclesiam approbata, sic scilicet quòd oporteat credere quòd ipsa in omni sui parte sit vera: & hæc probatur, quia &c.

Tertia conclusio. Præfata S. Thomæ doctrina non est tertio modo prædicto per Ecclesiam approbata, sic quod oporteat credere quòd ipsa in nulla sui parte sit in Fide erronea vel hæretica: & hæc conclusio probatur, quia, &c.

Secundò, principaliter probatur conclusio; quia de illo non oportet credere quòd doctrina ipsa in nulla sui parte sit in Fide erronea vel hæretica, in qua quidem continentur multæ contrarietates & repugnantiæ, etiam in materia ad Fidem pertinente; sed multæ hujusmodi repugnantiæ, & contrarietates continentur in doctrina S. Thomæ. Igitur &c. Major est nota: Sed Minor probatur, & de multis exemplis, brevitatis causâ pauca ponentur.

Primum exemplum est. Quia, *primo Sententiarum, di.* 11. *ar.* 4. tenet S. Thomas quòd Pater & Filius possunt dici duo spiratores, sicut spirantes. In prima verò parte Summæ suæ. q. 36. *art. ult.* dicit quòd sunt unus spirator & non duo, & tamen hæc materia multùm ad Fidem pertinet, cùm in Concilio Lugd. sub Greg. X. celebrato, fuerit definitum quòd Spiritus sanctus à Patre & Filio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit, sicut patet *in ca. Fideliter. extra, de Summa Trin. & Fide Cat. Lib.* 6.

Secundum exemplum est. Quia *in* 2. *Sen. dis.* 1. dicit quòd creatio instrumentaliter communicare potuit creaturæ; sustinens in hoc opinionem Magistri *Lib.* 4. *dist.* 5. in qua tamen ab aliis Doctoribus communiter non tenetur. In prima vera parte Summæ, q. 45. *art.* 5. dicit quòd non: & idem dicit in 2. *Contra Gentiles.* c. 21. & 12. *quæst. de Veritate.*

Tertium exemplum potest poni. Quia in 2. *Sententiarum*, & similiter in 4. tenet quod omnis homo, præter Christum, concipitur in peccato originali, & in primo tenet quòd beata Virgo non fuit concepta in peccato originali, sicut supra dictum est, & tamen pars adversa contra quam agimus asserit 2. expressè, esse, imò expressimè contra Feidem, & ideò habet concedere quòd doctrina S. Thomæ in hac parte est in Fide erronea.

Quartum exemplum. Quia in 3. *Sen.* d. 6. q. 2. a. 2. dicit quòd prima opinio sibi posita à Magistro non est hæretica, licèt sit falsa, scilicet Filius Deus assumpsit hominem ex humana carne & anima rationali constitutum, & ille homo cœpit esse Deus, & Deus

Deus cœpit esse homo ille. In tertia verò parte Summæ, q. 2. *art.* 4. in fine, dicit, quòd est hæretica & damnata in Concilio.

Quintum exemplum est. Quia in 4. *Sen. di.* 38. *art.* 4. in solutione tertii argumenti dicit quòd Papa potest dispensare in voto continentiæ, & in 2. 2. q. 88. *art.* 11. dicit quòd non, allegans Decretalem. *Cùm ad monasterium. extra. de sta. mo.* ubi in fine illius Decretalis dicitur quòd *Abdicatio proprietatis, sicut custodia castitatis, adeò est annexa regula Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit indulgere.* A Sed hæc secunda opinio videtur esse erronea in Fide, cùm sit contra observantiam Ecclesiæ, quæ in tali voto quandoque dispensavit, sicut ostendit Dominus. Duran. in 4.

Sextum exemplum generale quod sumitur ex quodam Tractatu S. Thomæ, de concordia quorundam dictorum suorum inter se discordiantium, qui incipit: *Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia.* Dan. XII. 4. Ubi multa diversa, aut adversa, quæ in doctrina sua continentur, corrigit & exponit. Et quia verisimile est quòd tunc non omnia hujusmodi sibi occurrunt: ideò in fine Prologi sui supplicat Librorum suorum lectoribus, ita dicens: „ Si quis aliquid invenerit non concordanter, si non sit ma- B „ nifesta causa dicendi, ex qua, secundùm Hilarium, „ accipienda est intelligentia dictorum, discretio- „ rem & magis exercitatum consulat. Si verò non „ fuerit inventum quomodò utrumque stare possit, „ alterum eligat quod magis consonum veritati ju- „ dicaverit: alterum verò nosipsi revocaremus, si „ talis discordia nobis occurreret. „ Ex quo dicto corollariè sequitur, quòd si in doctrina S. Thomæ aliqua assertio reperiretur quæ esset hæretica, aut in Fide erronea, non propter hoc sequeretur quòd asserens fuisset hæreticus, quia scilicet eam pertinaciter non asseruisset, cùm ad revocationem humiliter se offerat. Si enim B. Cyprianus, & Beatus Hieronymus, licèt erroneas opiniones vel hæreticas scripserint, quas revocasse non leguntur, ut infrà dicetur; quia tamen eas pertinaciter non defenderunt, non sunt hæretici judicandi, &c. Et propter hoc solùm quòd hæresim tenuerit verbo, vel scripro, non esset post mortem de hæresi accusandus, nisi probari posset quòd talem hæresim pertinaciter tenuisset. Et hoc patet ex dictis S. Thomæ. 2. 2. q. C *de hæresi. art.* 2. in solutione ad tertium argumentum: ubi allegat Augustinum. 2. 4. q. 3. dicentem. *Si qui sententiam suam quamvis falsam atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt: quærunt autem tacita sollicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos computandi.* Unde concludit: „ quòd si aliqui Doctores dissensisse viden- „ tur, in, vel contra ea quorum nihil interest ad „ Fidem, vel etiam in quibusdam ad Fidem perti- „ nentibus, quæ nondum erant per Ecclesiam de- „ terminata, non est vitium hæresis: postquam au- „ tem essent determinata authoritate Ecclesiæ uni- „ versalis, si quis tali determinationi pertinaciter re- „ sisteret, vel repugnaret, hæreticus esse sentire- „ tur. „ Et hæc dicit S. Thomas propter dissentionem quæ fuit inter Hieronymum & Augustinum circa cessationem Legalium. Ex quibus satis patet quòd idem S. Thomas qui Augustinum in regula, & in do- D ctrina sequitur, sicut Magistrum discipulus, dicere potuit & debuit, cum eodem Augustino. *Errare potero, sed hæreticus non ero*: quia non oporteret credere quòd doctrina sua in nulla sui parte fuerit hæretica, vel in Fide erronea, licet ipse non fuerit hæreticus.

Tertiò, probatur eadem conclusio. Quod si oporteat dicere quòd hujus doctrina in nulla sui parte sit in Fide erronea vel hæretica, hoc maximè esset quia ipsa est per Ecclesiam approbata: sed aliqua est doctrina multò magis approbata quàm doctrina S. Thomæ, quæ tamen in aliqua sui parte est heretica, vel erronea in Fide: igitur hoc etiam sine ulla temeritate dici poterit de doctrina S. Thomæ, non obstante ejus approbatione. Consequentia est clara, quod Major nota, quia illi fundamento innititur pars adversa: sed Minor probatur per multa exempla.

Et ut à majoribus ad minora procedatur; primum exemplum ponitur de doctrina Beati Petri Apostoli, quam nulli dubium est esse magis approbatam, quàm doctrinam Beati Pauli, pro omnibus ad Fidem pertinentibus, quæ verbo aut facto docuit, constat quòd hujus doctrina in aliqua sui parte fuit in Fide erronea, scilicet in illa parte in qua Paulus Apostolus eam reprehendit, de qua reprehensione dicitur ad Gal. II. 11. *Cùm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.* Et causam reprehensionis ipsius & aliorum per ejus doctrinam errantium, subdit, ℣. 14. *Quia certè non rectè ambulabat ad veritatem Evangelii.* Et sic patet quòd errabat contra veritatem Evangelii, quia ejus doctrina erat in hoc in Fide erronea. Unde etiam patet quòd in errore Fidei minor reprehendere potest quantumlibet majorem, cum Paulus sic reprehenderit Petrum Principem Apostolorum, & ideò non debet mirum nec temerarium judicari, si minores Doctores reprehenderent sanctum Thomam, ubi ostenderent eum errasse in materia Fidei.

Secundum exemplum est de doctrina sancti Cypriani, qui inter Doctores approbatos primus nominatur in Decreto Gelasii Papæ 15. *dist. c. Sancta Romana.* Et tamen ejus doctrina in aliquibus fuit erronea. Unde de Baptismo parvulorum eundem reprehendit Augustinus. *de Consec. di.* 4. c. *Quomodo.* Et meritò erat reprehendendus, licèt esset sanctus Martyr & insignis, sicut ponitur, 32. *dist.* c. *porrò.* Reprehensibilis autem erat: quia, scilicet, Baptisma hæreticorum, lavacrum diaboli appellabat. Unde Aug. *Lib.* 2. contra quendam Donatistam, de scripturis Cypriani dixit sic. „ Quod in eis divinarum „ Scripturarum authoritati congruit, cum laude ejus „ accipio, quòd autem huic non congruit, cum pa- „ ce ejus respuo. „ Et infrà. „ Viri hujus laudem „ assequi non valeo: ejus multis literis mea scripta „ non comparo: ejus ingenium diligo, ejus laude „ delector, ejus charitatem miror, ejus martyrium „ veneror: hoc quod aliter sapuit non accipio, quia „ Ecclesia non accipit, pro qua sanguinem fu- „ dit. „

Tertium exemplum est de doctrina B. Hieronymi, qui in prædicto Decreto Gelasii inter approbatos Doctores numeratur: *Cujus eloquium*, ut Augustinus de eo ait, contra Julianum, *ab Oriente in Occidentem, instar Solis refulget, ac etiam intantùm defert Ecclesia, ut sacra Scripturæ testimonium, præteritis interpretibus, ex ejus translatione suscipiat.* Et tamen constat quòd ejus doctrina in aliqua sui parte conceditur fuisse erronea, etiam in his quæ ad Fidem & doctrinam Apostolicam pertinere noscuntur. Nam sicut habetur in Decretis. 26. *distin.* circa doctrinam B. Pauli Apostoli dicentis. 1. Tim. III. 2. *Oportet Episcopum* esse *unius uxoris virum*, & non plurium: Hieronymus & Augustinus contrarias sententias protulerunt. Hinc est quòd glossa, in prædicta dist. c. 1. dicit quòd *malè sentit hic Hieronymus, & Augustinus eum corrigit in proximo.* Isti etiam Sancti sicut patet in eorum Epistolis, ut recitat glossa: ad Gala. II. c. *de reprehensione. Quia Paulus dicit Petrum Apostolum esse reprehensibilem*, contrarium sentiebant, ut suprà tactum est: & ideò alter eorum circa veritatem Evangelii erroneam opinionem tenebat. De Augustino etiam, & aliis pluribus approbatis Doctoribus simile posset ostendi.

Quartum exemplum, de doctrina seu compilatione Magistri Sententiarum, quæ in Studiis generalibus,

libus, & quandoque ex Mandato Apostolico publicè tanquam approbata & authentica legitur, & tamen in ea aliqua continentur in Fide erronea; sicut est illa opinio quam tenet *in di. 32.* quòd *Christus in triduo sua mortis fuit homo.* Et quædam aliæ, in quibus communiter reprobatur. Hoc tamen non obstante, videtur quòd ejus doctrina sit magis authentica, quàm doctrina sancti Thomæ.

Quintum exemplum est de doctrina, seu compilatione Decreti Gratiani, quæ à Doctoribus Decretorum tanquam approbata & authentica legitur, & à qua, & non à lectura Decretalium, Doctores Decretorum, non Doctores Decretalium nominantur, & tamen illa doctrina in aliqua sui parte est erronea in Fide: sicut patet, 33. q. 4. c *Sed objicitur.* Ubi narrat Gratianus quòd tempore Regis Achab fuerunt missi duo quinquagenarii ad Heliam, qui dixerunt ei. *Homo Dei, Rex Israël vocat te.* 4. Reg. 1. quod est hæresis explicita, quia contraria veritas explicitè approbata: quia hoc accidit tempore Ochoxiæ, mortuo Rege Achab, sicut expressè in sacra Scriptura reperitur. 4. *Regum.* c. 1. Unde si Gratianus pertinaciter eis adhæsisset, fuisset manifestus hæreticus: sed non fuit hæreticus, quia non pertinaciter, sed inadvertenter illud dixit. Unde super illo passu dicit Glossa: quòd *ipse confundit historiam: non enim Achab misit illos quinquagenarios, sed Rex Ochozias: nec etiam illud contigit tempore Achab, sed sub Ochozia.* In pluribus etiam aliis locis reprobat Gratianum, sicut patet, 2. *quæst.* 3. *cap. ad mensuram.* & 12. q. 1. cap. 1. & aliis quampluribus locis. Et dicunt aliqui propter hoc quòd in multis licet negare Glossas Decretorum & Decretalium, cùm Glossa apertè negat textum. Et consimiliter dicunt aliquid de Glossis Ordinariis Bibliæ, quæ tamen videntur esse majoris authoritatis, quàm doctrina sancti Thomæ, cùm allegantur authoritativè.

Sextum exemplum potest poni de quibusdam Doctoribus qui non sunt Sancti canonizati, sicut Venerabilis Anselmus Cantuariensis Episcopus. Hugo de sancto Victore, & quidam alii, quorum dicta vel scripta in aliquibus repeniuntur erronea, & tamen eorum doctrina non minùs videtur esse authentica, quàm doctrina sancti Thomæ, cùm ipsi communiter in actibus scholasticis à scientificis allegantur authoritativè, nec solent negari, sed eorum dicta reverenter glossari & exponi, quod tamen scholastici nondum consueverunt facere de dictis sancti Thomæ: & ideò præsumptuosum videtur ejus doctrinam super ipsos & alios Doctores sic extollere, quòd non liceat credere, aut asserere ipsum in Fide errasse, sicut & alii erraverunt; nec obstat ejus canonizatio, quam aliqui pro magno colore prætendunt. Ex quibus videtur quòd dicere sanctum Thomam in aliqua parte doctrinæ suæ errasse in Fide, nec obviat, seu derogat canonizationi suæ; nec approbationi doctrinæ suæ Theologicæ: sicut hoc idem dicere de aliis Sanctis & præcipuis Doctoribus, non derogat canonizationi nec approbationi eorum. Nam Ecclesia sicut canonizando aliquem Sanctum, non per hoc approbat omnia ejus facta: ita approbando ejus doctrinam, non per hoc approbat omnia ejus dicta vel scripta; sed solùm illa quæ per Authorem ipsum non sunt retractata, nec per alium sunt correcta, aut meritò, tanquam veritati contraria corrigenda, juxta superiùs allegatam Apostoli sententiam. *Omnia probate, quod bonum est tenete.* 1. Thess. v. 21. Sic igitur per Ecclesiam approbatur aliqua doctrina, non tamen quoad omnia; sed quoad illa quæ sunt veritati consona, sicut patet de doctrina Origenis, de qua dicit Gelasius Papa, 15. *dist.* c. *Sancta Romana.* Quòd *Origenis nonnulla Opuscula, quæ vir beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus: reliqua autem cum Authore suo dicimus esse renuenda.* Ex omnibus igitur prædictis clarè patet tertia conclusio principalis.

Quarta conclusio. Doctrina sancti Thomæ. *lib.* 2. *Summa, contra Gentiles, cap.* 19. *De rerum creatarum necessitate absoluta*, est de virtute sermonis falsa, & multùm impropria. Et hæc conclusio patet: quia illud capitulum intitulatur, *Qualiter in rebus creatis esse potest necessitas absoluta*: & est principalis conclusio capituli, quòd *sunt quædam in rebus creatis quæ simpliciter & absolutè sunt necesse esse, & aliqua quæ sunt contingentia esse.* Sed quòd ista locutio sit de virtute A sermonis falsa, & multùm impropria, & hoc probatur, &c.

Quinta conclusio. Prædicta sancti Thomæ doctrina, secundùm quosdam est in Fide erronea, seu in aliqua sui parte de hujusmodi errore suspecta. Et in hac conclusione non assertivè, sed solùm recitativè loquimur. Dicunt enim aliqui quod ista doctrina multos errores continet.

Primus est, quia ponit aliquid à Deo esse necesse, quod videtur contra sacram Scripturam & intentionem Sanctorum: quia necesse esse est proprium nomen Dei, & videtur esse intentio sacræ Scripturæ. *Exod.* 3. 12. ubi Moysi interroganti Dominum, *Si dixerint mihi quod nomen est ejus, quid dicam eis? Dixit Dominus ad Moysen; Ego sum qui sum: sic dices filiis Israël. Qui est, misit me ad vos.* Super quo verbo dicit Glossa, &c. B

Secundus error (ut isti dicunt) est in principali fundamento prædictæ positionis, quod est istud „ Sunt, *inquit*, quædam in rebus creatis, quæ simpliciter & absolutè necesse est esse, in quibus „ non est potestas ad non esse. Quædam autem res „ sic sunt à Deo in esse productæ: ut in eis naturaliter sit potentia ad non esse. Quod quidem contingit ex hoc quòd materia in eis est in potentia ad „ aliam formam. Istæ igitur res in quibus vel non „ est materia; vel si est, non est potentialis ad aliam formam, non habent potentiam ad non esse: „ eas igitur simpliciter & absolutè necesse est esse. „ Hoc autem iterùm circa medium capituli magis explicat dicens, quòd „ Quia materia secundùm quod „ est in ejus potentia, est ex ordine materiæ, necessariò res aliquæ corruptibiles existunt, sicut animal quod ex contrariis compositum est; quia ejus „ materia contrariorum est susceptiva: forma autem „ secundùm id quod est, actus est, & per eam res C „ existunt actu. Unde ex ipsa provenit necessitas ad „ esse in quibusdam; quod contingit, quia res illæ „ sunt formæ non in materia: & sic non est in eis „ potentia ad non esse, sicut est de substantiis scilicet paratis; vel quia formæ rerum sua perfectione adæquant totam potentiam materiæ, ut sic non „ remaneat potentia ad illam formam, nec per consequens ad non esse, sicut est in corporibus cœlestibus „. Hoc est igitur principale fundamentum positionis sancti Thomæ, quod videtur multipliciter erroneum: primò quia, &c.

Tertius principalis error prædictæ positionis esse videtur, quia dicit: „ Per hoc quod dicitur Deum „ produxisse res per voluntatem, non per necessitatem, non tollitur quin voluerit aliquas res esse, quæ D „ de necessitate sint, & aliquas quæ sint contingenter: „ ad hoc quòd sit in rebus diversitas ordinata. Nihil igitur prohibet res quasdam divina voluntate „ productas necessarias esse „. Et consequenter hæc declarando subdit. „ Esse necesse simpliciter, non „ repugnat ad rationem esse creati: nihil enim habet aliquid necesse esse, quod tamen suæ necessitatis causam habet, sicut conclusiones demonstrationum. Nihil igitur prohibet quasdam res sic esse „ productas à Deo, ut tamen eas esse sit necesse simpliciter. „ Et iterùm posteà ibidem aliam rationem concludit: „ Sic igitur aliqua creatura de necessitate habet esse. „

Ex quibus clarè patet quòd non solùm concepit quasdam res divina voluntate productas, necessarias esse, vel eas necesse esse; sed etiam concludit quod quæ-

quædam de necessitate sunt, & quòd eas esse est ne-
cesse simpliciter, & de necessitate habent esse, mo-
do hoc repugnat libertati divinæ voluntatis, quod
arguitur sic: quia ista consequentia est bona; Deus
vult creaturam esse, ergo creatura est, & è contra, &
per consequens si antecedens liberè & voluntariè ve- A
rificatur de aliqua creatura, consequens consequen-
ter verificatur de eadem: quia si Deus liberè & con-
tingenter vult quamlibet creaturam esse, sequitur
quòd quælibet creatura est contingenter, & nulla est
de necessitate, unde etiam ex opposito sumitur op-
positum: quia, &c.

Quartus error hujus doctrinæ esse dicitur in qua-
dam ratione quæ ibidem sequitur, quæ dicit quòd
,, Quantò aliquid magis distat ab eo quod per seipsum
,, est ens, scilicet à Deo, tantò magis propinquum
,, est ad non esse. Quantò igitur aliquid est propin-
,, quius Deo, tantò magis recedit à non esse: quæ
,, autem jam sunt, propinqua sunt ad non esse, per
,, hoc quod habent potentiam, ad non esse. Illa igi-
,, tur quæ sunt Deo propinquissima, & per hoc à
,, non esse remotissima, talia esse oportet, ad hoc
,, quòd sit ordo rerum completus, ut in eis non sit
,, potentia ad non esse: talia autem sunt necessaria B
,, absolutè: sic igitur aliqua creatura de necessitate
,, habet esse. ,, Hæc autem ratio deficit in mul-
tis. Primò in hoc quòd supponit quòd entia Deo pro-
pinquissima (sicut Angeli) tantò magis recedunt à
non esse: hoc enim, propriè loquendo, non est verum,
quia propriè nihil distat, vel recedit à non esse, &c.

Quintus error prædictæ positionis, est in ipsius de-
claratione, in qua dicit: ,, Sciendum est itaque quòd
,, si rerum creatarum universitas consideretur, prout
,, sunt à primo principio, inveniuntur dependere ex
,, voluntate, non ex necessitate principii, nisi ne-
,, cessitate suppositionis, ut dictum est. Si verò com-
,, parentur ad principia prima, inveniuntur necessi-
,, tatem habere absolutam. Nihil enim prohibet
,, aliqua principia non ex necessitate produci, qui-
,, bus tamen positis, de necessitate sequitur talis ef-
,, fectus, sicut mors animalis, hujusmodi necessita-
,, tem absolutam, propter hoc quòd ex contrariis
,, jam est compositum, quamvis ipsum ex contrariis C
,, componi non fuisset necessarium absolutè. Simi-
,, liter autem quòd tales rerum naturæ à Deo pro-
,, ducerentur, voluntarium fuit: quòd autem, eis sic
,, statutis, aliquid proveniat, vel existat, absolutè
,, necessitatem habet. ,, Ex quo patet quòd hæc
positio est locutio impropria, & petit principium;
quia hoc assumit quod debet probare: nam per exem-
plum positum patet quòd vocat necessitatem abso-
lutam, illam quæ non ex conditione, vel suppositio-
ne, sicut mors hujus animalis: non ex suppositione
vel conditione, scilicet quòd animal non sit ex con-
trariis compositum, non habet necessitatem, & ideò
non habet necessitatem nisi conditionalem, &c.

Sextùs error doctrinæ prædictæ assignari potest in
quodam dicto quod sequitur ibidem, ubi ait: ,, Ma-
,, nifestum est quòd omnia quæ contrarium habent,
,, vel ex contrariis sunt, corruptibilia sunt: quæ
,, autem hujusmodi non sunt, sempiterna sunt, ni- D
,, si pars corrumpatur, sicut formæ quæ non sub-
,, sistunt; sed esse earum est per hoc quòd insunt ma-
,, teriæ. ,, Ex hoc enim sequitur quòd gratia in ani-
ma, vel in Angelo, cùm non habeat contrarium, nec
ex contrariis existat, nec sit forma quæ insit mate-
riæ, est sempiterna: & idem videretur sequi de lu-
ce, vel lumine, si esset sine materia, sicut acciden-
tia Sacramenti Altaris sunt sine subjecto. Hoc etiam
favet Articulo Parisiis condemnato, allegato superiùs,
in quo dicitur quòd *Omne quod non habet materiam, est
æternum.* Et breviter, hæc & alia multa erronea,
falsa, & impropriè dicta, videntur multis in prædicta
doctrina contineri, quæ tamen ex tædio pertransi-
mus. Dicunt etiam quòd in terminis Philosophiæ, &
naturalibus principiis, in eodem Libro, *cap.* 15. er-
ravit manifestè: ubi declarando qualiter Deus Om-
nipotens dicatur quædam non posse, inter alia dixit
quòd *Deus non potest facere unum & idem esse, & non
esse*: quod est contradictoria simul: & posteà subdit
quòd *Contradictio in contrariis, & privativè oppositis
includitur.* Sequitur enim quòd si est album & ni-
grum; quòd sit album & non album: & si est vi-
dens & cæcum, quòd sit videns & non videns. Un-
de ejusdem rationis est, quòd Deus non posset face-
re opposita simul inesse eidem, secundùm idem. Ex
quo patet quòd ponit quòd Deus non magis potest
facere duo contraria simul inesse eidem, secundùm
idem, quàm duo contradictoria. Hoc autem est er-
roneum: quia de facto Corporis Christi, secundùm se
totum in Sacramento Altaris in diversis Altaribus sunt
motus contrarii, sursùm scilicet & deorsùm: & pari
ratione posset facere Deus idem corpus, secundùm se,
totum esse album & nigrum. Dicunt etiam quòd
in pluribus locis doctrinæ suæ ipse erravit, per hoc
quòd principia Philosophiæ, seu potiùs quædam Phi-
losophorum verba, ad conclusiones Theologiæ nimis
applicavit: non enim loqui taliter debent Theologi,
qualiter loquuntur Philosophi, sicut docet Augusti-
nus, x. *Lib. De Civit. Dei. cap.* 23. dicens: *Liberis
verbis loquuntur Philosophi, nec in rebus ad intelligen-
dum difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimes-
cunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne
verborum licentia, etiam de rebus quæ his significantur,
impiam gignat opinionem* &c.

CONCLUSIO.

Huic ergo Tractatui, utinam adverso errori, fi-
nem statuimus. Illi laus, honor, atque gratiarum
actio, qui nobis causam suam tractantibus non defuit,
quo docente, assertam hìc veritatem sentimus; quo
instruente, probamus; quo præcipiente, defendi-
mus: per quem postremò, fraterna charitate permoti,
ad omnes devenire, & nobiscum sentire vehemen-
ter affectamus. Quia si veritati huic, judicio nostro
clarissimæ, nec sic credit, aut alio favore, ut ipsi
conantur, aliove fine quàm ejus postulet dignitas,
criminemur: testamur te Christe; testamur & illam
cui testimonium perhibes esse totam pulchram, &
in ea maculam non esse: omnes ad extremum tui,
atque ipsius amatores in testimonium evocamus; no-
strum nunc debitum sufficienter & (ut putamus) su-
perabundanter explevisse.

PETRI DE ALLIACO


Cardinalis Cameracensis,

TRACTATUS I.

ADVERSUS CANCELLARIUM PARISIENSEM.

Quòd nihil liceat exigere pro Gradu Licentiæ.

Nunc primùm prodit ex MS. Cod. Navarrico.



SICUT dicit Apostolus I. ad Timoth. VI. 10. *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, erraverunt à Fide, & inseruerunt se doloribus multis.* In quibus verbis crimen cupiditatis gravissimum ostenditur, specialiter propter tria: nam ejus radix est malorum productiva; est erroris inductiva, & doloris impressiva.

Primò ergo. Cupiditas, quantùm ad effectum, est productiva malorum culpabilium, quia, sicut Charitas est Mater omnium virtutum, sic cupiditas omnium vitiorum: & sicut radix fomentum præstat omnibus partibus arboris; sic divitiarum cupiditas, singulis peccatis. Ideò præmittit quod *Radix omnium malorum est cupiditas.*

Secundò. Cupiditas, quantùm ad intellectum, est inductiva errorum infidelium: quia cùm *Abyssus, abyssum invocat*, Ps. XLI. 8. hinc fit ut abyssus cupiditatis quosdam trahat in abyssum infidelitatis. Hoc autem ideò contingit, quia, ut ait Ambrosius, super Lucam. *Furor cupiditatis ita mentem animum que perturbat, ut compos sui esse non possit.* Propter quod dicit Apostolus, quod *quidam* cupiditatem *appetentes*, idest, ex cupiditate divitias amantes, *erraverunt à Fide.*

Tertiò. Cupiditas, quantùm ad effectum, est impressiva dolorum pœnalium: nam totus cupiditatis effectus, nihil aliud est, quam labor, timor, & dolor, eo quòd divitiæ cum labore acquiruntur; cum timore custodiuntur; cum dolore relinquuntur; & plerumque in dolorem pœnæ perpetuæ convertuntur. Unde propter hoc de cupidis subdit Apostolus, quòd *inseruerunt se doloribus multis.*

Licèt autem ista latiùs possent declarari; quia tamen satis clara sunt, ad alia declaranda festinat intentio: ideò ex præmissis hoc ad præsens notasse sufficiat, quòd cupiditas, & avaritia, quamvis in singulis sit detestabilis; singulariter tamen in Ecclesiasticis viris: nam sicut ibidem ait glossa. Nihil tàm asperum, tàm que perniciosum, quàm si vir Ecclesiasticus, maximè qui sublimem tenet locum, divitiis studeat; quia non solùm sibi ipsi, sed ceteris hominibus obest.

Hæc ergo, Reverendi Patres, & Domini, ideò vestris Reverentiis proposui, quia licet ab antiquissimis temporibus radix cupiditatis longè latèque pullulaverit, propter quod olim per Prophetam dictum est: *A minori usque ad majorem, omnes avaritiæ student, & à Propheta usque ad Sacerdotem, cuncti faciunt dolum.* Jeremiæ VI. 8. Nunc tamen, proh dolor! hiis diebus novissimis, hæc radix pessima, palmites suos tàm periculosè diffudit, ut non solùm rurales agros, sed etiam agrum scientiæ purgatissimum, ipsum scilicet venale Universitatis Parisiensis Collegium, A fraudulenter occupaverit, ipsiusque fructus uberrimos impedire nisa sit. Nam quidam, ut famâ refert, in ea per cupiditatem erravit à Fide, qui per avaritiam, non solùm gratuita scientiæ dona, & scientiarum gradus liberrimos peccuniâ venales effecit: sed etiam, ut suum excuset errorem, contra Fidei veritatem, quosdam injustos hujus avaritiæ, & venalitatis modos, tanquam licitos & honestos approbare conatur. Huic itaque erroneæ opinioni occurrendum fore existimavi: & ideò præsens opus, licèt improportionatum meis viribus, assumere dignum duxi. Ad hoc autem triplex me ratio impulit.

Primò. Zelus veritatis, & confutatio prædicti erroris.

Secundò. Obedientia Matris meæ Universitatis, quæ pluries concorditer deliberavit, quòd Magistri de hac materia tractarent in Actibus scholasticis. Ego autem, B licèt omnium minimus, priùs incœpi, ut juxta similitudinem Orosii, in Prologo, *De Ormesta mundi: ad Augustinum*: primus canis venaticus, majores, ac potentiores canes excitet ad venandum.

Tertiò. Causa exercitii, & propriæ eruditionis: quia cùm ex concordi deliberatione dictæ Universitatis deputatus fui ad proponendum Parlamento supra materia Fidei, in casu quo opporteret declarare, & sustinere quædam in hæc materia, ex parte dictæ Universitatis proposita: ideò expediens judicavi ad exercitium & eruditionem, in eam quæstionem inferiùs proponendam, scholasticè pertractare; præsuppositis tamen quibusdam protestationibus.

Prima est, quòd nihil intendo dicere ad injuriam Cancellarii Parisiensis, aut alterius cujuscumque; sed solùm ad tuitionem & deffensionem justitiæ causæ nostræ.

C Secunda, quòd nihil intendo determinativè, aut definitivè asserere, nisi ea solùm quæ in Scriptura sacra, aut alia authentica, seu in Doctoribus approbatis continentur, vel ex eis clarè sequuntur: reliqua verò solùm probabiliter recitare.

Tertia, quòd illa quæ de hac materia scripsi, etiam in scripto proponere disposui, ne adversarii veritatis, me aliud dixisse imponant, quàm dicam, & etiam

etiam ut ea quæ dicturus sum correctioni & emendationi singulorum ad quos spectat patenter subjiciam.

Quibus præmissis accedo ad quæstionem, quæ talis est. Utrùm hæreticum sit dicere, quòd liceat pro docendi licentia pecuniam dare, vel recipere. Arguitur primò quòd sic; quia dare, vel recipere pecuniam pro licentia docendi est simoniacum: sed hæreticum est dicere, quòd aliquod factum simoniacum sit licitum. Igitur &c. Major patet: quia sic dare, vel recipere, est commutare temporale pro spirituali, cum scientia sit spiritualis, & licentia docendi scientiam sit potestas, seu authoritas spiritualis: nam scientia donum Dei est, unde vendi non potest, idest, *quasi in non solum*. Sed Minor probatur: tùm primò, quia sic dicere, est expressè dicere contra Fidem, quæ damnat simoniæ vitium tanquam illicitum, sicut patet, *Actuum*. VIII. Et per consequens, dicere ipsum esse licitum, est hæreticum. Tùm secundò, quia simonia est hæresis. Nam Gregorius in Registro, hoc vitium vocat simoniacam hæresim. Et Jura dicunt quòd inter crimina Ecclesiastica, simoniaca hæresis primum obtinet locum, ut, idest, quasi ultimum. Patet etiam, Magister Sententiarum, *Lib.* 4. *Dist.* 25. dicit quòd de simoniacis non est ambigendum quin sint hæretici: & per consequens, à fortiori, simoniam approbare, dicendo aliquod factum clarè simoniacum esse licitum, est hæreticum.

Oppositum tamen arguitur: quia Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis dicit quòd licentiandi licitè dant sibi pecuniam, & quòd ipse licitè recipit eam. Sed quòd hoc sit pro licentia docendi patet: quia ex eo quòd ipsi juraverunt nihil dare pro licentia, ipse eos licentiare recusat, exigens etiam cautionem & securitatem de pecunia danda. Sed ipso notoriè sic dicente, & faciente, Papa, & Ecclesia Romana hoc non ignorantes, cùm sub dissimulatione permittunt impunitum, quod non facerent, si sic dicere esset hæreticum, aut sic facere simoniacum. Igitur &c.

Circa hanc materiam sic procedam. Primò, respondebo ad formam propositæ quæstionis.

Secundò, reprobabo quasdam fraudulentas cavillationes, & sophisticas responsiones adversæ partis, quibus scilicet præfatus Cancellarius utitur ad excusandas excusationes in peccatis.

Quantùm ad primum principale, pro responsione quæstioni propositæ, tres intendo quæstiones probare.

Prima, quòd dare vel recipere pecuniam, pro licentia docendi Theologiam, est propriè simoniacum.
Secunda, quòd sic dare vel recipere, pro hujusmodi licentia, est contra Jus naturale, & divinum.
Tertia, quòd dicere, quòd sic dare, vel recipere est licitum, est hæreticum.

Ad probationem autem primæ conclusionis, & omnium sequentium declarationes, tria sunt consideranda.

Primò, quid sit Simonia.

Secundò, quibus rationibus ostenditur esse illicita.

Tertiò, quomodò ex hiis conncluditur quòd sit simoniacum dare, vel recipere pecuniam pro licentia docendi in Theologia.

De primo ergo sciendum est quòd secundùm Dominum Altissimum, *in Summa sua. Lib.* 4. Et sanctum Thomam, *Secunda Secundæ*, *& supra* 4. *Sent. Distinct.* 25. Simonia describitur, quòd *Est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum*. Et secundùm Ray. . . . . non oportet vendere spirituali annexum, quia spirituali annexum spirituale est, ut, idest quasi in. *Si quis.* Sed in hoc dicto insistere non curo, quia magis esset difficultas vocalis, quam realis.

In prædicta verò descriptione notantur tria. Primò. Illud est principale in hoc peccato, quia omne peccatum in actu vel habitu voluntatis principaliter consistit, & ex hoc completur, quod ex electione procedit. Unde talem actum voluntatis ex electione procedentem prima clausula importat, quia dicitur, *studiosa voluntas*, unde concluditur quòd, A sicut dicit Dominus Altissimus. *Illi Decretistæ erraverunt, qui dixerunt quòd non est simonia, nisi ubi est pactum expressum exterius*: nam in prima simonia non fuit aliqua pactio; sicut patet de Simone mago, in novo Testamento, & de Giezi puero Helisei Prophetæ, in veteri Testamento, qui primò leguntur simoniam commisisse. Primus, scilicet volendo dare. *Actuum* VIII. Secundus verò, volendo recipere, sicut patet 4. *Reg.* V. Unde de Simone legitur, non quòd emerit, seu pactum fecerit; sed quòd obtulit Apostolis pecuniam, dicens: *Date mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Act.* VIII. 19. &c. Et apparet quòd pactum Simonis fuit pactum voluntatis, quia scilicet emere voluit, & pretium obtulit, scilicet ex voluntate deliberata. Ideò dixit ei Petrus. ℣. 22. *Roga Deum, si fortè dimittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Non enim dicit, hæc B oblatio, sed hæc cogitatio, id est, deliberata volitio.

Ulteriùs patet quare hoc pactum magis denominatur simonia, à Simone, qui spirituale voluit emere, quàm giezia, à Giezi qui spirituale voluit vendere: una enim ratio est, secundùm Altissimum, quia magis peccavit Simon magus, quàm Giezi, eo quòd tempore revelatæ gratiæ peccavit. Alia est, secundùm Thomam: quia Simon magus ad hoc spiritualem potestatem emere voluit, ut eam posteà venderet. Unde dicitur prima quæstione, quòd donum Spiritus sancti emere voluit, ut ex venditione signorum quæ per eum fierent, multam pecuniam lucraretur: & tàm volentes emere, quàm volentes vendere, conformantur Simoni.

Sed primi conformantur ei in actu: secundi verò in intentione. Illi autem qui spiritualia vendunt, in actu imitantur Giesi discipulum Helisei, de quo le- C gitur quòd accepit pecuniam à Naaman Syro, per Heliseum à lepra mundato, unde tales non solùm dici possunt simoniaci, sed etiam giezitæ.

Secundò. Principaliter in dicta descriptione notatur materia proxima hujus peccati, seu ipsius actus exterior, circa quem cadit actus prædictus voluntatis interior, scilicet emptio, vel venditio. Ideò dicitur: *voluntas emendi, vel vendendi.* Hîc autem, ut dicit Sanctus Thomas, nomine venditionis & emptionis, intelligitur omnis contractus non gratuitus. Tamen Ray. . . . . excipit contractum permutationis.

Tertiò. Notatur materia remota, scilicet objectum prædictæ emptionis, vel venditionis, per hoc quod dicitur: *spirituale, vel spirituali annexum.* Hic autem, per spirituale non intelligitur Spiritus sanctus, D quia nec Simon magus à quo simonia dicitur, Spiritum sanctum emere voluit, sicut quidam imaginantur, sed potestatem dandi Spiritum sanctum. Unde non dicit: *Date mihi Spiritum sanctum*, sed, *Date mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum.*

Per spirituale verò secundùm Altissimum, intelligitur illud quo habetur Spiritus sanctus, vel quo datur, vel quo haberi aut dari significatur: quo habetur, sicut virtus; quo datur, sicut Sacramentum; quo haberi significatur, sicut donum Prophetiæ, aut

aut potestas faciendi miracula. Unde secundùm eum, ista quatuor tantùm, propriè sunt spiritualia. Tamen, secundùm. Richardum, *Lib.* 10. *De quæstionibus Armenorum.* Convenientiùs videtur esse dicendùm, quòd non solùm illa quatuor sunt spiritualia; sed generaliter omne illud intelligitur esse spirituale, quod est donum Dei gratuitum, aut ejus effectus, sive fructus. Dicitur autem donum Dei gratuitum, donum supernaturale, scilicet quod ex puris naturalibus haberi non potest. Et huic consonat responsio Petri, quam dedit Simoni mago, dicens: *Pecunia tecum sit in perditionem.* Et causam subjunxit: *Quoniam existimasti donum Dei pecuniâ possideri.* Act. VIII. 20. Non enim dicit, hoc donum, scilicet potestatem dandi, Spiritus sancti, sed generaliter dicit, donum Dei, ostendens omnem emptionem, seu voluntatem emendi quodcumque donum Dei, scilicet gratuitum & supernaturale, esse peccatum & meritorum perditionem.

Multa sunt hujusmodi dona Dei, quibus non habetur, nec datur, nec dari, aut haberi significatur Spiritus sanctus, sicut donum sapientiæ, aut scientiæ, aut Prophetiæ, quæ dantur multis, etiam malis, qui nec habent, aut dant Spiritum sanctum, nec potestatem ipsum dandi recipiunt: & tamen illa dona ponit Apostolus inter dona Dei gratuita. 1. *Corinth.* XII. Et sic ab illo peccato Simonis, non solùm voluntas emendi potestatem spiritualem dandi Spiritum sanctum, dicitur simonia; sed etiam voluntas sola, seu voluntas cum oblatione pretii, emendi, vel vendendi donum Dei gratuitum, aut ejus effectum, sive fructum: sicut ab illa specie superbiæ quam Lucifer exercuit, totum genus peccati superbiæ, luciferia posset dici. Et patet quid in proposito per spirituale debet intelligi.

Per annexum verò spirituali, intelligere possumus omne illud quod alicui competit, ratione doni spiritualis, sic quòd, sublato illo spirituali, illud annexum non competeret ei. Sicut Præbenda, aut Beneficium Ecclesiasticum alicui convenit ratione alicujus potestatis spiritualis; sic etiam potestatis evangelizandi, aut alicujus alterius doni spiritualis: aliter talia non propriè Ecclesiastica dicuntur, sicut dicit Richardus, ubi supra. Qui ergo talia annexa inseparabiliter spiritualibus vendunt vel emunt, spiritualia vendere aut emere concluduntur, quia *Quicumque eorum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit. ut in quæstione* 3. *Si quis objecerit.* Et habetur 4. *Sententiarum.* 25. *distinctione.* Et sic patet quid sit simonia. Et hoc de primo.

De secundo verò, scilicet quibus rationibus simonia ostenditur esse illicita. Sciendum est quòd propter quatuor rationes illicitum est dona Dei gratuita, seu ipsorum effectus, vel fructus, aut inseparabiliter annexa vendere, vel emere, seu velle ea temporali pretio commutare.

Prima ratio sumitur ex parte Dei principaliter dantis.

Secunda, ex parte Ministri ministerialiter conferentis.

Tertia, ex parte doni impretiabilis.

Quarta, ex parte recipientis.

Prima ergo ratio est ex parte Dei principalis authoris, qui est summè potens, & summè dives, ac nullius egens; juxta illud; *Quoniam bonorum meorum non eges.* Ps. XV. 2. Et ideò lucro mercationis non indiget, nec talis mercatio ei congruit; sed ejus gratuitam largitatem, quantùm in se est, dehonestat: unde ipse dicit: *Gratis accepistis, gratis date.* Mathei. X. 8. Igitur &c.

Secunda ratio, ex parte Ministri, scilicet ipsius nuda potestas ministerialis, quia hujusmodi donum suum non est, sed Dei, qui ipsum gratis retribuit. Ideò si pro illo recipit, cùm hoc ad utilitatem Domini Omnipotentis recipere non possit, & ipse non sit illius Dominus, sed minister & dispensator, juxta illud Apostoli. 1. Chorinth. IV. 1. *Sic nos existimet homo ut ministros & dispensatores ministeriorum Dei.* Sequitur quòd ad suum privatum commodum recipit alienum, quia pretium si quidem erat, Dei esse debebat. Igitur &c.

Tertia ratio est ex parte doni impretiabilis: quia pretio terreno non potest comparari, sicut de Sapien-
A tia dicitur. Proverb. III. 15. quòd *est pretiosior cunctis opibus, & alia desiderabilia ei non valent comparari*, Ideò Petrus reprehendebat Simonem, quia donum Dei æstimabat pecuniâ possideri.

Quarta ratio est ex parte recipientis: quia scilicet in collatione donorum Dei gratuitorum, Ministri Ecclesiæ recipienti ea nihil de suo, præter benevolentiam voluntatis, impendunt: sed ex Lege naturæ, cuivis homini benevolentiam tenemur impendere: ergo qui illam venderet; vel illam, nisi percepto pretio, retraheret, Legem de benevolentia proximo impendenda impiè violaret.

Ex hiis rationibus primò sequitur, quòd licèt Petrus dixit Simoni: *Pecunia tua* &c. *quia existimasti donum Dei pecuniâ possideri*: tamen ideò ei dixisset de quolibet alio munere temporali, cùm rationes etiam productæ hoc concludant, cur hîc, nomine pecuniæ, intelligitur non solùm pecunia propriè dicta, seu numisma; sed secundùm sanctum Thomam, intelligitur omne illud cujus pre-
B tium pecuniâ potest mensurari, seu numismate adæquari: unde à mensurando numisma dicitur, secundùm Philosophum. 6. *Ethicorum.* Et ideò si propter servitium, vel obsequium, aut preces Dominorum, vel favorem humanum, aut aliquod hujusmodi, principaliter darentur dona spiritualia, esset propriè simonia. Unde secundùm Gregorium, Super illo loco Isaïæ. XXXIII. 15. *Beatus qui excutit manus suas ab omni munere.* Triplex munus distinguitur, scilicet munus à manu, sicut pecunia: munus ab obsequio, sicut servitutis debitæ impensa: munus à lingua, sicut favor. Ut 1. *quæst.* 1. *sunt nonnulli.* Ergo ex radice secundæ rationis potest inferri, secundùm Thomam. *Secunda Secundæ*, & super 4. *Sentent. dist.* 25. *art.* 3. *quæst*, quòd Papa potest committere vitium simoniæ, sicut & quilibet alius
C homo. Immò, secundùm eum, hoc peccatum tantò in ejus persona esset gravius, quantò majorem obtinet locum. Et ideò, ut dicit. *Opinio illa est erronea quorumdam, qui dixerunt quòd Papa non potest committere simonias, ex eo quia res Ecclesiæ sunt suæ: nam quamvis res Ecclesiæ sint ejus, tanquam principalis dispensatoris, non tamen sunt ejus, ut Domini & possessoris, & ideò si reciperet pro aliquo spirituali pecuniam, non careret vitio simoniæ.*

Tertiò. Ex prima & tertia rationibus sequitur, quòd licèt pro dono temporalis eleemosynæ, Deus det spiritualem thesaurum vitæ æternæ: juxta illud Mathei. XIX. 21. *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus & habebis thesaurum in cœlis.* Non tamen hoc dat pro ipsa eleemosyna temporali; sed pro merito, spirituali; nec dat pro merito, quasi pro pretio, quia meritum non est æquivalens præmio: & ideò ibi non est emptio, vel venditio propriè dicta, sed impropria & mechanica. Quemadmodùm etiam in Isaïa legitur.
D LV. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas, venite, emite absque ulla commutatione* &c. Unde distinguenda est duplex emptio doni spiritualis. Una bona, alia mala: bona est, licèt impropriè dicta, scilicet ipsum meritum, quando est opus acceptum Deo, pro dono spirituali obtinendo, sine tamen commutatione offerre, juxta verbum Prophetæ. Mala verò est emptio; bonum aliquod corporale aut temporale pro spirituali dono, cum voluntate commutandi offerre, aut dare, vel velle offerre, aut dare: & hanc detestatur Scriptura,

ra, & non primam; & damnatur peccatum Simonis, non solùm quia emere voluit donum Dei; sed quia illicito & incongruo pretio per commutationem ipsum voluit possidere.

Quartò. Ex radice quartæ rationis sequitur quòd pro benevolentia voluntatis illius qui confert donum spirituale, licitum est recipienti posteà munus offerre, vel dare; non tamen conferenti licet exigere, scilicet rigorosè. Unde sicut legitur, 4. *Reg.* v. Naaman Syrus Helyseo pecuniam obtulit, & Giezi petenti eam dedit; nec de hoc Naaman culpatur, quia ante pecuniæ dationem, aut sponsionem donum Dei recepit: quod verò postea fecit, laudabilis gratitudinis fuit. Sed factum Giezi damnatur, licèt post donum Dei impensum pecuniam recepit. Ratio diversitatis est, secundùm Richardum, Libro præallegato: quia recipiens donum Dei, ex duplici causa potest rependere pecuniam, sive aliud genus muneris; vel propter ipsum donum Dei receptum, vel benevolentiam largientis: propter benevolentiam potest pro viribus, & tenetur vicem rependere, licèt non propter donum. Conferens autem, nec pro ipso dono, nec pro benevolentia aliquid potest exigere, ut dictum est. Quare &c. Et hæc de secundo.

De tertio, scilicet quomodò ex prædictis concluditur, quòd sit simoniacum dare, vel recipere pecuniam pro licentia docendi in Theologia: sciendum est quòd circa hoc quatuor sunt declaranda.

Primum est, quòd Theologia est donum Dei spirituale.

Secundum, quòd doctrina seu prædicatio ipsius, est res spiritualis.

Tertium, quòd licentia, seu potestas, vel authoritas docendi, vel prædicandi eam, est authoritas spiritualis.

Quartum, quòd potestas licentiandi in ea, est spiritualis potestas. Ex quibus clarè sequitur quòd pro quocumque istorum dare vel recipere pecuniam, est propriè simoniacum.

Prima propositio patet: quia secundùm Altissimum: aliquod donum Dei dicitur spirituale dupliciter, secundùm quòd Spiritus sanctus habetur duobus modis. Uno modo habetur, ut inflammans affectum, & sic habetur per virtutes & Sacramenta. Alio modo, ut illuminans intellectum, & habetur per scientiam: ideò dicitur spiritualis. Unde ipse concludit quòd emere, vel vendere quamcumque scientiam, simoniacum est; sed secundùm diversos gradus scientiarum, est minor, vel major simonia. Sed quidquid sit de hoc, & quidquid dicendum sit de aliis scientiis; tamen non est dubium de Theologia, quin ipsa sit donum Dei spirituale, & quin, propriè loquendo, sit simoniacum ipsam vendere vel emere. Quod clarè patet: quia Apostolus 1. Cor. XIII. 8. Ipsam primo loco enumerat inter dona Dei spiritualia, dicens: *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ, secundùm eumdem Spiritum &c.* Thelogia autem propriè dicitur sapientia, cùm sapientia sit de divinis, secundùm Aristotelem. 6. *Ethicorum*. Et ideò non solùm in novo Testamento, sed etiam in veteri prohibitum est ipsam vendere, vel emere: juxta illud Proverbiorum. XXIII. 23. *Noli vendere sapientiam* &c. Igitur &c.

Secunda propositio, scilicet quòd doctrina, seu prædicatio Theologiæ est res spiritualis. Patet ex hoc, quia Christus. *Matth.* x. 8. ubi dicit, *Gratis accepistis, gratis date*. Immediatè autem permisit illa spiritualia gratis danda, & inter illa primò ponit doctrinam, seu prædicationem Theologicæ sapientiæ, cùm dixit Apostolis. ℣. 7. *Euntes autem prædicate, dicentes: quoniam appropinquavit regnum cœlorum: Infirmos curate* &c. Unde clarè patet doctrinam, seu prædicationem hujusmodi, non esse venalem, sed gratis exhibendam. Ideò Sapiens, postquam dixit: *Noli vendere sapientiam*, addit, *neque doctrinam*: clarè innuens quòd sicut divina sapientia, sic ejus prædicatio, seu doctrina, nullatenùs est vendenda, quia est res spiritualis nullo terreno pretio comparabilis; eodem dicente, quòd *Sapientia pretiosior est cunctis* &c. Prov. III. 15. prout apparet. Igitur &c.

A Tertia propositio est, quòd licentia, seu potestas, vel authoritas docendi, vel prædicandi Theologiam, est authoritas spiritualis. Patet: quia actus hujus potestatis, vel authoritatis, scilicet doctrina, vel prædicatio, est res spiritualis, ut jam dictum est: ergo hujusmodi potestas, vel authoritas est spiritualis. Unde dicit Altissimus, quòd prædicatio est spiritualis, & etiam annexa spirituali: spiritualis, quia scilicet per eam datur Spiritus sanctus; & est annexa spirituali, scilicet Ordini, quia Sacerdotum est prædicare, vel ad minùs ordinatorum; quod intelligo, non solùm de ordinatis in Ordine sacro, sed etiam in Ordine hierarchico, idest missorum & approbatorum, ad prædicandum authoritate Apostolica, pro universali Ecclesia, juxta illud Apostoli. *Quomodò prædicabunt nisi mittantur.* Rom. x. 15. Et ideò patet quòd hujusmodi missio ad prædicandum, quæ nihil aliud est quàm licentia ad docendum, est potestas spiritualis, quæ non potest esse licitè venalis. Unde Altissimus quærens utrùm Cancellarius vendens potestatem docendi, B sit simoniacus: respondit quòd sic. Quod maximè verum est de potestate docendi in Theologia, ut patet ex dictis. Igitur &c.

Quarta propositio est, quòd potestas licentiandi in Theologia, est potestas spiritualis, quæ patet ex hoc quòd Christus, in novo Testamento, hanc potestatem exercuit, quando Apostolos in Theologia licentiavit, dicens: *Ite docete omnes gentes* &c. Mathei. XXVIII. 19. Et priùs Math. x. 7. *Euntes autem prædicate* &c., ubi subdit: *gratis accepistis, gratis date*. Unde Apostoli, ibidem, receperunt à Christo, non solùm licentiam seu potestatem docendi, & prædicandi, sed etiam pro se & suis successoribus, acceperunt potestatem alios licentiandi, ad docendum Theologiam & prædicandum. Et ibi docuit eos Christus, & eorum successores, scilicet, Papam, & ejus Commissarios in hac parte, quòd hujusmodi spiritualem potestatem non poterant vendere; sed sicut eam gratis accipiant, ipsam tenebantur gratis dare. Igitur C patet quòd pro ea pecuniam dare vel recipere, est propriè simoniacum. Unde super prædicto verbo: *Euntes prædicate* &c. dicit glossa ordinaria. *Ne Judas qui loculos habebat, de prædicta potestate pecuniam congregare vellet, nequitiam ejus supprimit Dominus, dicens: gratis accepistis* &c. Et damnat hìc perfidiam simoniacæ hæreseos. Et apparet clarè prima conclusio.

Secunda conclusio principalis: quòd dare vel recipere præmium, pro licentia docendi Theologiam, est contra Jus naturale, & divinum. Et ista probatur. Primò: quia hoc est simoniacum, ut patet ex prima conclusione. Igitur est contra Jus naturale, & divinum. Consequentia tenet: quia simonia est contra Jus naturale & divinum, ut patet ex dictis. Et quòd ipsa sit contra Jus divinum satis notum est: sed quòd sit contra Jus naturale specialiter, probari potest; quia *Numerorum* XXII. quòd reprobatus est à Domino, & D damnabilis judicatus Balaam, qui de Balath Rege Moabitarum pretium suæ prophetationis accepit: unde de quibusdam impiis imitantibus eum scribitur in secunda Epistola Petri, & in Epistola Judæ: & iste vendens donum Prophetiæ, vel potiùs effectum doni ipsius, damnabilis judicatur; & tamen ipse, nec Legem Dei novam, nec antiquam receperat: & per consequens, istud vitium ex Lege naturæ reprehensibile erat. Unde & hoc vitium ab ipso Balaam, ejus primo authore, Balaamina posset congruè nominari. Nominatur tamen à Simone; quia rationem hujus criminis Christus in novo Testamento clariùs expressit, quando

do dixit: *Gratis accepistis, gratis date.* Ideò magis peccant contra hoc venientes in nova Lege: tamen & sub Lege Moysi & sub Lege naturæ: ratio, quia ut Christus hîc innuit, omnium hominum cordibus naturaliter debebat esse impressa. Quare &c.

Secundò. Ex prædicta radice probatur conclusio, quia donum Theologicæ sapientiæ, & ejus effectus, ac potestas eis correspondens, non minùs, immò magis sunt spiritualia, quàm donum Prophetiæ, & ejus effectus, ac potestas eis correspondens. Nam Apostolus. 1. *Corinth.* XII. 8. enumerans dona gratuita & spiritualia, A proposuit donum sapientiæ, dicens: *Alii autem datur per Spiritum sermo sapientiæ,* & post posuit donum Prophetiæ; dicens: *alii Prophetia.* Et concludit: ℣. 11. *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus* &c. Ergo si vendere secundum, aut aliquid ei inseparabiliter annexum, est simoniacum, & non solùm contra Jus divinum, sed etiam contra Jus naturale, prout jam de Balaam dictum est: sequitur quòd etiam vendere primum, aut aliquid ei inseparabiliter annexum &c. Et per consequens vendere, vel emere potestatem docendi sapientiam, seu pro ea dare, vel recipere pecuniam, est contra Jus divinum, & naturale &c. Apparet conclusio.

Ex qua conclusione & ejus probatione, primò sequitur quòd dare, vel recipere pro licentia docendi Theologiam, juramentum de reverentia, & honore illi qui eam ministrat impendendum, vel ejus, aut sui Officii juribus deffendendum, non minùs est contra Jus B naturale & divinum, quàm dare pecuniam. Patet: quia non minùs est simoniacum, ut patet ex dictis in 2. puncto primæ conclusionis. Nam tale juramentum, & ejus effectus, sive illud super quo præstatur, potest pecuniâ comparari, & sub nomine pecuniæ comprehendi; etiam est munus ab obsequio, ut notum est. Igitur &c.

Et ideò licèt recipiens licentiam, ad talem reverentiam, de congruentia, teneatur; tamen dans licentiam, pro illa exhibenda juramentum egixere non potest, ratione licentiæ conferendæ; sicut & Episcopus, pro Ordinibus conferendis, tale juramentum non posset exigere; licèt dignum sit ut ei ab ordinatis honor exhibeatur: juxta illud Apostoli: *Qui benè præsunt Presbyteri duplici honore digni sunt.* 1. C Thim. v. 17. Ulteriùs sequitur ex conclusione, quòd prohibitio quæ habetur: *extra. De Magistris.* 1. 2. & 4. Capitulis: quâ scilicet, prohibetur, ne pro licentia docendi exigatur aliquid, aut etiam promittatur, quantùm ad hoc, & in quantùm respicit licentiam docendi in Theologia, non est, propriè loquendo, Jus humanum, sed Jus naturale, & divinum; licèt hujusmodi Constitutiones, quantùm ad aliquas pœnas ibidem expressas, possint dici Jura humana: & ideò dicerent aliqui, ex hoc posse inferri, quòd non solùm Judex spiritualis, sed etiam Princeps aut Judex temporalis, transgressores prædictæ prohibitionis, in hiis quibus sunt ei subjecti, potest judicare, & pœnis Jurisdictioni suæ competentibus coërcere. Itaque istud crimen, quantùm est de se, non est exemptum à sæculari Jurisdictione: ex eo scilicet, quia est contra Jus naturale, sicut etiam dicerent de usura, licèt sit Jure Canonico prohibita.

Ulteriùs, sequitur quòd Privilegium Gregorii U- D niversitati Parisiensi concessum, quod incipit *Patres scientiarum,* quantùm ad illam clausulam; *nec Cancellarius à licentiandis Magistris juramentum, vel obedientiam, seu aliam exiget cautionem, nec aliquod emolumentum, seu promissionem recipiet pro licentia concedenda.* Scilicet in quantum respicit licentiam in Thologia, non est propriè Privilegium, quasi privans Legem, vel quasi privata Lex; sed est Jus commune, non solùm humanum, sed naturale, & divinum.

Et ideò sequitur, quòd hoc non potest aliqua præscriptione vel contraria consuetudine abrogari: nec contra hoc potest præscriptio aut justa consuetudo acquiri, quia consuetudo non præjudiciat Juri naturali, vel divino: unde propter hoc contraria consuetudo, seu potiùs corruptela, quæ dudùm erat in Gallicana Ecclesia, sub anathemate prohibetur, *extra. de Magistris. quanto.* Ubi etiam dicitur quòd hæc prava consuetudo, à cupiditatis radice processit, & decorem Ecclesiasticæ honestatis confundit. Et hæc de secunda conclusione.

Tertia Conclusio principalis est, quòd dicere quòd dare, vel recipere pecuniam, pro licentia docendi Theologiam, sit licitum, est hæreticum. Et ista probatur sic. Quia omnis illa assertio est propriè hæretica, quæ Fidei, seu Catholicæ veritati est contraria: sed dicere quòd dare, vel recipere pecuniam, pro licentia docendi Theologiam, est licitum, est asserere contra Fidem, seu veritatem Catholicam. Igitur &c. Consequentia clara est, & Minor satis patet ex dictis in declaratione primæ & secundæ conclusionis, quia sic dicere, est asserere illud esse licitum: quod tamen secundùm Fidem, & Catholicam veritatem est symoniacum, & quod est contra Jus naturale & divinum, ut clarè ostensum est. Sed Major apparet: quia licèt in Jure Canonico hæresis multipliciter sumatur, & multis modis dicatur aliquis hæreticus; tamen in Theologia, hæresis à qua aliquis propriè hæreticus dicitur, est error in Fide; & assertio hæretica, est assertio erronea in Fide. Unde ab Augustino definitur hæreticus, quòd est ille qui falsam de Fide opinionem vel gignit, vel sequitur. Ut. 34. q. *apparet hæreticus,* intelligendum est de illo qui in Fide pertinaciter errat.

Ex quibus sequitur, quòd qui pertinaciter assereret quòd licitum est licentiare in Theologia pro pecunia, seu pro quocumque alio quod potest pecuniâ appretiari, seu aliquid dare, vel recipere, pro hujusmodi licentia, non solùm assereret hæresim; sed etiam esset hæreticus censendus, & tanquam hæreticus puniendus.

Secundò sequitur, quòd licèt licentiare in Theologia pro tali pretio temporali, seu hujusmodi pretium dare, vel recipere, pro tali licentia, sit simoniacum, & grave peccatum, & per consequens in moribus erroneum; tamen hoc non est hæresis, nec hoc faciens ex hoc est hæreticus. Verbi gratiâ, licèt fornicatio sit peccatum; tamen fornicari non est hæreticum, nec fornicator ex hoc est hæreticus: sed dicere quòd licitum est fornicari, est hæreticum, & hoc pertinaciter asserens hæreticus est censendus. Et ista in proposito.

Ex quo tertiò sequitur, quòd authoritates in principio quasi allegatæ, quæ sonare videntur quòd simonia sit hæresis, & quòd simoniaci sunt hæretici, non sunt intelligendæ secundùm propriam nominis significationem, scilicet secundùm propriam hæresis acceptionem; sed secundùm exteriorem operis protestationem; quia in hoc quòd aliquis vendit, vel emit spirituale, vel ostendit exteriùs se velle vendere, vel emere; quodammodò protestatur, licèt non in mente, tamen in opere, se esse, aut velle esse donum rei spiritualis, & quòd ipsa sit pretio comparabilis: hoc autem est hæreticum.

Secundò, etiam ex aliqua causa simoniaci dicuntur hæretici, quia Simon magus, præter hoc quòd ab Apostolis donum Spiritus Sancti emere voluit: etiam dixit, quòd mundus non erat à Deo creatus, sed à quadam superna virtute: ut dicit Isidorus, *Lib.* 1. *Ethicorum.* Et secundùm hoc inter alios hæreticos simoniaci computantur, ut patet per Augustinum. *Lib. de hæresibus.*

Sed ad hoc tertiò, ex alia causa simoniaci hæretici dicuntur: quia Simon magus, non solùm habuit errorem voluntatis, volendo emere spirituale pro temporali; sed etiam errorem intellectûs, existimando donum Dei pecuniâ possideri, id est, pretio

tio pecuniæ comparari, & ista existimatio erat hæretica; & qui in hoc essent Simonis imitatores, pertinaciter hunc errorem credendo, essent hæretici; Et ad hunc intellectum dicitur prima quæstio, id est tolerabilior Mathedonii impia hæresis, quàm simoniacorum &c.

Ex quo ulteriùs patet, quòd existimare, seu credere Licentiam docendi in Theologia, pro pecunia, seu pretio temporali posse comparari, vel possideri, non solùm esset simoniacum; sed etiam propriè hæreticum. Et hoc de tertia conclusione, & de primo Articulo principali.

Quantùm ad secundum Articulum, in quo reprobabo quasdam fraudulentas cavillationes quibus utitur pars adversa, ad excusationem sui erroris:

Primò, sciendum est, quòd dictus Cancellarius concludit, quòd pro Licentia docendi in Theologia non recipit, nec exigit aliquid à Baccalaureis licentiandis; sed alias causas assignat suæ receptionis. Una est quam ponit in Articulis per eum Domino Papæ in Romana Curia præsentatis scilicet quod Baccalaurei licentiandi, receptis cedulis, quæ communiter signeta vocantur, & per quas de eorum Licentia obtinenda securi redduntur & certificati, Cancellario, à prædictis Baccalaureis, nec per se, nec per alium quidquam petente, singuli Baccalaurei, scilicet trium Facultatum, Theologiæ, Decretorum, & Medicinæ, in signum virtuosæ recognitionis, & gaudiosæ congratulationis, de ipsorum libera, & merè spontanea voluntate consueverint Cancellario per nuntios qui eis dicta signeta portaverunt remittere, seu in pecuniis, aut aliis encæniis, aliqua munuscula, tanta & talia, sicut eorum gratuitæ libertati expedire videtur, quos postea licentiat, nullum super eo quod parum misit calumniando. Et hæc in VIII.º & IX.º Articulis.

Alia est causa suæ receptionis, quam proposuit coram Regia Parlamenti Curia: scilicet quòd Baccalaurei in Theologia licentiandi, ex laudabili consuetudine, & usu hactenùs observatis, debent, & tenentur sibi dare & mittere, post dictam receptionem signetorum, & ante Licentiam, ad minus decem francos auri, & ultra liberum est eis plùs mittere sibi, prout eorum placet voluntati, & hoc dicit esse sibi licitum recipere, ratione sui laboris quem habet occasione dictæ Licentiæ conferendæ. Et hanc rationem etiam proposuit in dictis Articulis, scilicet Articulo x. in quo dicit quòd dictus usus laudabilis, & similiter in aliis Universitatibus observatus, scilicet quòd Baccalaurei licentiandi donaria faciant, faciunt quandoque majora promissa illi à quo Licentiam obtinent, tàm ratione supra tacta, quàm ratione laboris quem pro eis in eorum examine, & aliis habuit sustinere. Et quòd sit licitum, & justum sic dare, & recipere, pro labore, videtur posse probari aliquibus rationibus & authoritatibus Scripturæ sacræ.

Prima est: quia potestas, vel officium prædicandi, non minùs est spiritualis, quàm potestas vel officium Cancellarii; sed Paulus prædicabat pro temporalibus, ut fierent collectæ pauperibus: ut patet, 1. *Corinth. ultimo.* Similiter Christus docuit Apostolos recipere necessaria vitæ, ab hiis quos docebant, & hoc omninò esse justum, dicens: *dignus est enim operarius mercede sua.* Luc. x. 7. Unde Apostolus ex hoc fundamento dicit, 1. Timoth. v. 17. 18. *Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Dicit enim Scriptura: *Non infrenabis os bovi trituranti.* Et, *dignus est operarius mercede sua.* 1. Cor. IX. 9. Similiter eamdem sententiam ponit pluribus aliis locis, specialiter 1. *Chorinth.* IX. 7. ubi dicit: *Quis militat suis stipendis* &c. Et ℣. 11. concludit. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, non magnum est, si nos carnalia vestra metamus.* Si ergo Apostolus prædicabat, & spiritualia ministrabat pro temporalibus, vel saltem pro labore prædicandi; sequitur quòd etiam Cancellarius hoc potest pro labore licentiandi.

Item. Usus Prophetiæ non minùs videtur esse spiritualis, quàm usus potestatis licentiandi; sed pro usu Prophetiæ olim licitum erat dare & recipere. Nam. 1. *Reg.* IX. legitur de Saül: & 3. *Reg.* XIV. de uxore Jeroboam, quod attulerunt pretium sanctis Prophetis. Igitur pro usu, seu labore sui officii licitum est Cancellario recipere à licentiandis.

Item. Ministri Ecclesiæ pro labore in administratione Sacramentorum, & celebratione Missarum, & aliorum Officiorum Ecclesiasticorum licitè recipiunt redditus annuos, & proventus temporales, sicut & in Lege veteri, ut patet *Numerorum.* XVIII. & scribitur quòd filii Levi recipiebant ex ordinatione & dono Dei omnes decimas Israël, pro ministerio quo serviebant in Tabernaculo fœderis. Et infra dicitur, ℣. 31. *comedetis eas* &c. *quia pretium est pro ministerio quo servitis in Tabernaculo* &c. Ergo à fortiori, licitum est Cancellario recipere pretium pro suo ministerio.

Item. Licitum est omni Jure, locare alicui operas suas, etiam in rebus spiritualibus, sicut Magistris docentibus pueros pro officio docendi, & Advocatis pro consilio & officio patrocinandi. Ergo & Cancellario pro officio licentiandi.

Sed, præmissis non obstantibus, dico quòd prædictæ duæ responsiones stare non possunt: & primò, declarabo quòd una illarum aliam interimit. Secundò, quòd prima responsio in se falsa est, & quòd evidentiæ Fidei contradicit. Tertiò, quòd secunda responsio etiam falsa est, & multa inconvenientia includit. Priùs respondebo ad prædictas rationes.

Quantùm ad primam, quòd una dictarum responsionum aliam interimat, & cum ea stare non possit; patet: quia in prima dicitur quòd Baccalaurei liberè & merè, spontaneè, gratuitè, liberaliter dant quod volunt; & in secunda dicitur quod debent & tenentur dare decem francos, & ad hoc obligantur ratione laboris dicti Cancellarii. Modò ista clarè repugnant, etiam quia illud quod debetur pro labore, non datur merè, liberè, & gratuitè: nam illi qui operatur rem, pro labore merces debetur. Merces hujusmodi, seu stipendium laboris, secundùm sententiam Christi, & Apostoli, non impenditur secundùm gratiam; sed secundùm debitum, & justitiam: quia *dignus est operarius mercede sua.* 1. Tim. v. 18. Igitur &c.

Quantùm ad secundam, scilicet quòd prima responsio falsa sit, patet: nam evidentia facti satis ostendit quòd Baccalaurei non merè, gratuitè, & liberaliter dant, quia secundùm Ray..., *in summa*, ℞. *De Simonia.* Si dubitetur utrùm gratis, vel ex corrupta voluntate datum sit, tria sunt maximè attendenda; scilicet qualitas dantis, vel recipientis; videlicet utrùm à paupere, diviti; vel è converso; sive à divite locupleti. Secundò, quantitas muneris, si magni, vel parvi pretii res data existit. Tertiò, tempus donationis: an scilicet instante necessitate, seu alio tempore conferatur; & secundùm hoc est habenda præsumptio. Ut *extra.* 4. Et sunt quæstiones.

Et ideò, ratione primi, est evidens præsumptio quòd Baccalaurei non gratis dant; quia communiter sunt pauperes, & ut plurimùm Mendicantes, qui vivunt de eleemosynis, & nihil habent proprium unde dare possunt. Ratione secundi idem patet: quia nullatenus est præsumendum quia pauperes gratis dant talia munera magna, quæ ipse recipere satagit, licèt vocet ea munuscula, & imponat pretiosa nomina culpæ: munus etiam decem francorum non est uni pauperi munusculum. Ratione tertii patet idem: quia non dant post Licentiam, sed immediatè ante, &

& ad hoc instante necessitate, quia licèt receptis signetis, essent securi de Licentia, non tamen de loco seu ordine locorum. Ideò præsumendum est quòd non gratis dant, sed ut plus danti locus honestior assignetur, & hoc ostendunt abusus commissi. Igitur &c.

Quantùm ad tertiam, scilicet quòd secunda responsio non valet, & quòd multa inconvenientia continet, tres conclusiones sunt declarandæ. Prima est, quòd Cancellarius non potest licitè recipere, vel saltem non potest exigere à Baccalaureis licentiandis, ratione sui laboris. Secunda, quòd non potest licitè tantùm exigere, quantùm exigit pro labore. Tertia, quòd esto quòd pro labore exigere possit, tamen non taliter, qualiter exigit. Primam conclusionem declarabo. Primò, ex Jure divino. Secundò, ex Jure humano. Tertiò, ex speciali privilegio Universitati Parisiensi concesso.

Prima ergo ratio principalis quæ fundatur in Jure divino, talis est: quia Papa non posset licitè recipere, vel saltem exigere à licentiandis, ratione sui laboris; si ipse hujusmodi licentiandos in propria persona licentiaret: ergo nec Cancellarius hoc potest. Consequentia tenet: quia suppono pro claro, quòd Cancellarius in hac parte gerit personam Papæ, & est ejus commissum, nam ipse licentiat Apostolica authoritate, & per consequens, in hoc Officio non habetur potiùs, scilicet quàm Papa, cujus ipse est Commissarius, tanquam Judex Ordinarius, ut ipsemet dicit. Sed antecedens probatur ex Evangelio; quia Papa, super omnes alios, tenetur pascere spiritualiter gregem Christi, & maximè pastura spirituali prædicationis, seu doctrinæ salutaris, quia Petro pro se, & suis successoribus, specialiter dictum est: *Pasce oves meas.* Joan. XXI. 17. Sed quia grex est magnus, & per se ipsum totum gregem pascere non potest, alios quos scit esse ad hoc idoneos ad pascendum gregem, mittere & licentiare debet, vel per se, vel per alium, juxta illud Mathei. IX. 37. *Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Idest, *Prædicatores, ad congregandum electorum Ecclesiam.* Secundùm glossam. Et super eodem Lucæ. X. 2. *Messis est turba credentium, operarii sunt Apostoli & sequaces.* Et licèt messis verbo Dei sit sata; tamen culturæ laborem sollicitum requirit, ne aves cœli dispersa semina dissipent.

Ex quibus patet quòd Papa licentiando aliquos in Theologia, sive per se, sive per alium, mittit eos ad pascendum gregem sibi commissum, & ad messem Ecclesiæ colendam: & per consequens mittit eos ad opus suum. Sed absurdum est dicere, & omninò contra Jus naturale & divinum, quòd aliquis mittendo alium ad opus suum, pro labore mittendi eum, possit ab eo mercedem recipere, vel saltem exigere; immò magis tenetur, si hoc potest, sui operis & sui laboris præmium ei reddere; juxta Parabolam Evangelicam, de illo qui misit operarios in vineam suam: non enim dicit, pro laborre meo mihi dabitis, sed, *quod justum fuerit dabo vobis.* Mathei. XX. 4. Et ideò sequitur quòd propter licentiando aliquos in Theologia, quod nihil aliud est, quàm eos mittere ad pascendum gregem, seu ad colendum messem, vel vineam Ecclesiæ sibi commissæ, non solùm debet pro labore mittendi, vel licentiandi, ab eis recipere, vel exigere; immò debet eos pro suo labore, justa mercede, quantùm potest, remunerare, & de fructibus vineæ, & lacte gregis, idest de bonis Ecclesiæ tenetur eis saltem necessaria vitæ concedere; juxta illud Apostoli. *Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte ejus non manducat?* I. Chorinth. IX. 7.

Confirmatur etiam antecedens prædictum, exemplo Christi, cujus Papa est Vicarius, & quem tenetur in hoc imitari. Nam Christus quando licentiavit Apostolos, dixit: *Euntes prædicate* &c. Mathei. X. 7. Pro labore licentiandi nihil ab eis recepit, aut exegit; sed omninò gratis dedit, & eum gratis dare docuit, etiam quod ad laborem: quia dicit, *Euntes*, in quo nominatur labor eorum. Unde subdit, ℣. 8. *Gratis accepistis* &c. quod dicit prout ait glossa interlinearis: *Sicut ego sine pretio vobis do talem potestatem, & vos date gratis, ne Evangelii gratia corrumpatur*; quia, ut ibidem dicitur: *Bona spiritualia pretio vilescunt.* Ille autem non gratis, nec sine pretio daret talem potestatem, qui reciperet, & maximè qui exigeret pretium laboris. Igitur &c. Dico autem nominatim, qui exigeret pretium laboris: quia licèt in casu liceret aliquid recipere pro labore; non tamen exigere, nec recipere quasi pretium, sed sicut gratis oblatum. Unde super eodem verbo Lucæ 10. dicit glossa. *Ecce qui saccum & peram prohibuit, sumptus ex prædicatione concedit: sic tamen, ut oblato cibo & potu sint contenti.*

Tertiò. Ex hoc confirmatur propositum: quia pro effectu illius potestatis, seu authoritatis, scilicet Licentiæ in Theologia, hoc est, pro doctrina, vel prædicatione, nec pro labore ei inseparabiliter annexo, potest aliquid exigi, quasi pretium, immò nec recipi, nisi sicut gratis oblatum, nisi fortè in casu necessitatis extremæ: ut patet ex prædicta glossa, & ex dictis Augustini. 3. *De Verbis Domini*, & diffusè, *Libro, De Opere Monachorum.* Igitur, à fortiori, nec pro medio, scilicet pro labore, seu alio inseparabiliter requisito ad conferendum talem potestatem; quia iste labor non minùs est spiritualis, vel spiritualiter annexus, quàm primus.

Ex quo sequitur quòd pro tali labore, seu inquisitione supra sufficientia licentiandorum, aut pro prædicatione, seu labore Simonis, vel collationis in Licentia Theologorum, non est licitum Cancellario pretium exigere, seu ipsum in Judicio contentiosè petere: & dicere hoc esse licitum, videtur esse hæreticum.

Quartò. Hoc idem confirmatur: quia simoniacum est dare, recipere, aut exigere pecuniam, aut aliud pretium pro Beneficio Ecclesiastico habendo, aut habito; vel pro ministerio, seu labore in ejus collatione impenso; juxta Capitulum primum de simonia, *in antiquis.* Sed insanum est in Fide, dicere quòd authoritas docendi in Theologia, & prædicandi Evangelium, non sit spiritualior & major authoritas in Ecclesia Dei, quàm potestas resultans ex Beneficii non Curati collatione. Ergo sequitur quòd simoniacum est, pro ministerio, seu labore adhibito in illius authoritatis collatione pretium petere, seu prædicta exigere: & per consequens hoc approbare est hæreticum.

Quintò. Aliter, sequeretur quòd cujuslibet potestatis administratio, quantumcumque spiritualis, esset licitè acquisibilis pro pecunia; saltem in ratione laboris, & sic nullus posset simoniacus conjici, immò nec Simon magus potuisset de simonia convincibiter reprehendi; quia Scriptura dicit quòd obtulit pecuniam, dicens: *Date mihi hanc potestatem* &c. Act. VIII. 19. & non habetur quòd obtulit pecuniam pro illa potestate; quia potuisset dicere quòd offerebat eam pro labore, & negasset Petro quòd existimasset donum Dei pecuniâ possideri.

Sexto. Quia sicut patet, *Numerorum* XXII. Balaam à Domino per Angelum reprehensus, qui pro muneribus arripuit iter, & laborem, ut iret ad utendum potestate spirituali, scilicet Propheticæ benedictionis, & maledictionis: ergo multò magis sub Lege Evangelica damnandus est Cancellarius, qui pro lucro assumit laborem ad finem Licentiæ concedendæ, seu benedictionis spiritualis conferendæ; & per consequens, pro hujusmodi labore non potest aliquid exigere. Igitur &c. Et pro ista conclusione expressè Durandus, in 4. *Sententiarum*, & ibi dicit quòd *Allegare*

gare quòd recipitur, aut exigitur pro labore, est cooperimentum Simone . . . . &c.

Septimò. Hoc idem principaliter ex Jure humano, scilicet per Jura canonica. *Extra. De Magistris. Ne exigatur aliquid pro Licentia docendi.* Nam intentio, necessarium est prohibere, non solùm exigere pro Licentia, sed pro labore, seu quacumque occasione Licentiæ annexa. Et licèt hoc sit clarum cuilibet non malè affectato; tamen hoc multipliciter ostenditur.

Primò. Quia aliter hujusmodi Jura imponerent Legem verbis & non rebus: nam nullus unquam diceret se exigere pro Licentia, idest, ex quo posset honestè A & irreprehensibiliter exigere pro labore; & frustrà fuissent ista Jura condita, & penè inutiliter. Ibidem expressè. Item, cùm de Jure divino sit clarum quòd non licet exigere pro Licentia, maximè in Theologia; ista Jura nihil adderent, quantùm ad hoc, ultra Jus divinum, nisi excluderent etiam exigere pro labore &c. Item, ibidem dicitur, in capitulo 4. ubi damnatur consuetudo Gallicana, quòd digni sunt animadversione illi qui sine certo pretio docendi alios Licentiam non impendunt; & indistinctè, sive pro labore, sive pro alia occasione negat pretium impendenti Licentiam. Hoc autem capitulum factum fuit contra Cancellarium Parisiensem, qui à quolibet docente marcam unam exigebat: ut dicit glossa Vincentii, in antiqua compilatione.

Item, sequitur ibidem: *Quicumque viri idonei & B litterati voluerint legere studia litterarum, sine molestia & exactione qualibet permittantur.* Ubi negat exactionem quamlibet, sive pro Licentia, sive pro alia causa Licentiæ annexa &c.

Item, in Capitulo. *Quamquam Ecclesia.* dicitur quòd *Pro Licentia docendi nullus pretium exigat, vel sub obtentu alicujus consuetudinis, ab eis qui docent adquirat, nec docere quemquam qui sit idoneus interdicat.* Ubi non solùm negat pro Licentia pretium exigere; sed etiam alia occasione à docentibus aliquid quærere, quacumque consuetudine non obstante: & per consequens, ex quo consuetudo est damnata, posteà non potuit fieri licita. Item Ray. . . . . . *In summa:* quærens quid de Cancellario Parisiensi, vel Bononiensi, qui cupiditate, vel consuetudine longa, nolunt aliquando dare Licentiam docendi, nisi aliquo sibi dato. Respondet simpliciter, non distinguendo, sive pro Licentia, sive pro labore detur: & dicit quòd nec Magister qui petit Licentiam debet C aliquid dare, vel promittere, nec aliquis supradictorum aliquid exigere, & hoc tenet per Jura prædicta. Igitur &c.

Tertiò. Principaliter probatur propositum ex speciali Privilegio Universitati Parisiensi concesso: quia in Privilegio supra allegato, quod incipit, *Parens scientiarum,* non solùm dicitur quòd Cancellarius nihil exigat; sed etiam quod nihil recipiat pro Licentia concedenda, & sic, ultra Jura prædicta quæ solùm exprimunt de exactione, Privilegium addit & declarat de receptione.

Item, quia de Jure divino clarum est quòd non est recipiendum pro Licentia in Theologia, ut patet ex dictis in primo Articulo: Privilegium addit quòd nec etiam pro labore in Licentia ministranda, & hoc notat ille Theologus, seu concedenda; in quo notatur labor qui est pro concedendo, seu ministrando Li- D centiam: aliter enim, quantùm ad Licentiam Theologiæ, Privilegium fuisset frustra datum, quia non adderet ad Jus divinum.

Item, idem patet ex Privilegio quod incipit, *Servus Crucis.* In quo dicitur: *Nullus recipiat Licentiam à Cancellario, vel ab alio, datâ pecuniâ, vel fide præstita, vel alia conventione habita.* Et in fine, contra contumaces transgressores fertur executionis Sententia. Unde, per hoc quod dicitur, *datâ pecuniâ,* sine quacumque additione, clarè ostenditur quòd nec pro Licentia, nec pro labore, seu alia occasione, est pecunia danda: & ita dicendum de fide, seu juramento, vel conventione. Igitur &c. probatur prima conclusio.

Secunda conclusio est. Quòd esto quòd Cancellarius possit exigere, aut recipere pro labore, non tamen tantum quantum exigit, vel quantum se posse recipere asserit; & hoc probabitur tribus.

Primò. Ex conditione recipientis. Secundò. Ex consideratione dantis. Tertiò. Ex comparatione doni & laboris.

Prima ergo ratio fundatur ex consideratione recipientis, scilicet ipsius Cancellarii, qui est in hac parte Judex Ordinarius, ut suppono: sed constat quòd talis Judex non debet pro justa Sententia ferenda pretium recipere, vel exigere, & maximè talia, & tam magna munera quæ possent ejus judicium verisimiliter pervertere.

Et istud patet primò ex Scriptura divina. Nam *Exod.* XXIII. 8. dicitur Judici: *Non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum.* Et Deuteronomii, XVI. 18. *Judices & Magistros constitues* &c. Et sequitur ℣. 19. *Non accipies personam, nec munera: quia excæcant oculos sapientium, & mutant verba justorum.* Et Eccli. XX. 31. *Encænia & dona excæcant oculos Judicum.* Unde contra oppositum facientes dicitur: Mich. III. 11. *Principes ejus muneribus judicabant.* &c.

Secundò. Idem patet secundùm Jura: quia sicut dicit Ray.... Ordinarii Judices non debent petere etiam expensas, cùm propter Justitiam tenendam suas habeant dignitates, & redditus assignatos. Ad istos enim extenditur illud: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.* Lucæ. III. 14. Ubi glossa Ambrosii & Augustini: *Ne dùm sumptus quæritur, prædo grassetur.* Moderata tamen encænia possunt recipere spontè oblata; non tamen nisi consideratis tribus circumstantiis quas supra recitavi, ut per hoc mala suspicio vitetur. Et hoc probatur ex Juribus, quibus etiam concordat ratio moralis. Et ideò licèt Judici spirituali sit licitum aliquod munus accipere, ut *extra. de Simonia. Capitulo. Et si quæstiones.* Tamen, sicut dicit sanctus Thomas 4. *Sententiarum. distinctione 25.* „ Hoc ibi conceditur, ubi non est probabile quòd animus Judicis spiritualis flectatur ad aliquid faciendum pro parvo munere: aliter non. „ Et propter hoc, in parvis muneribus Judici datis, Ecclesia, cujus Judicium est secundùm exteriora, non judicat simoniam committi: sed apud Deum, qui cor videt, simonia est, sive in magnis, sive in parvis muneribus, si animus Judicis ex eis flectatur, & hoc si sit spiritualis Judex, aliter, non committit simoniam, sed graviter peccat. Modò Cancellarius Judex est spiritualis & ordinarius, quia, etiam mortuo Papa, non exspirat ejus potestas judiciaria. Sequitur ergo quòd non potest sine periculo simoniæ recipere magna munera, & per consequens, nec exigere. Igitur &c.

Item, secundùm Jura, & ut tenet Ray. . . . . Si aliquis Magister habet Beneficium, qui ex officio teneatur docere, certum est exigere aliquid propter hoc, simoniacum esse. *Ut extra. De simonia. c. Nemo.*

Vendentes in Templo sunt, qui hoc quidem quod quibusdam Jure debetur præmium, non sine pretio largiuntur. Cùm ergo Cancellarius habeat Beneficium, & ei ratione Officii competat licentiare; si Licentiam quæ dignis Jurè debetur, non sine pretio largiatur, simoniacus est. Item, secundùm sanctum Thomam, supra, 4. *Sententiarum. Distinctione.* 5. „ In actibus qui spirituales sunt, „ quantùm ad suum principium, idest qui competunt alicui ex aliquo spirituali dono, vel Officio, „ nullo modo potest sine simonia aliquis locare actus suos vel operas suas. „ Sic est in proposito. Igitur ex hac & præcedente ratione, sequitur quòd tàm

tàm ratione Beneficii, quàm ratione Officii spiritualis, Cancellarius non potest exigere pro operis suis, seu laboribus &c, & per consequens, nec recipere, præcipuè magna munera: alioquin bis solvetur pro eadem opera, cùm ex Beneficio Ecclesiastico habeat laboris stipendium: juxta illud quod habetur, *extra. de Ma. Cap. Cum Ecclesia.* Ubi de illo qui sub obtentu alicujus consuetudinis, aliquem idoneum non sine pretio docere permittit, dicitur quòd ab Ecclesiastico fiat Beneficio alienus & causa subditur: quia dignum est, ut in Ecclesia fructum laboris sui non habeat, qui Ecclesiasticum profectum nititur impedire: & Beneficium Ecclesiasticum quod habet Cancellarius est fructus laboris sui, quo fructu debet privari, si pro labore alium fructum exigat: maximè si propter hoc dignos à prædicatione & doctrina Fidei impediat, vel retardet.

Item, prædicatoribus non licet ab illis quibus prædicant recipere ad abundantiam, sive voluptatem, saltem non eis licet hoc petere, juxta illud Apostoli: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, hiis contenti sumus* 1. Thimoth. VI. 8. Etiam omnes Glossæ, & omnes Doctores loquuntur solùm de vitæ necessariis; & per consequens, nec hoc licet illis qui licentiant eos, seu mittunt ad prædicandum, maximè quando illis est per Beneficium Ecclesiasticum de competenti victu provisum. Igitur &c.

Secundò. Principaliter probatur propositum ex consideratione dantis, scilicet Baccalaurei licentiandi, à quo ipse exigit. Nam Baccalaureus cui Licentia denegatur, pro cujus examine Cancellarius laboravit, pro ejus labore non tenetur ei saltem ad tantùm, quantùm ipse petit. Igitur nec pro eodem labore ad tantùm obligatur Baccalaureus Licentiatus. Antecedens videtur notum; & consequentia patet: quia tantùm & plùs communiter laborat Cancellarius pro Licentia Baccalaurei non admissi, sicut Baccalaurei Licentiati.

Item, secundùm Augustinum, in quadam Epistola, ad Macedonium. *Non ideò Judex debet vendere justum Judicium, aut testis verum testimonium, quia vendit Advocatus justum patrocinium, aut Jurisperitus justum consilium*: & rationem subdit. *Illi enim*, Judex scilicet & testis, *inter utramque partem ad examina adhibentur; isti ex una parte consistunt*, scilicet Advocatus & Jurisperitus: & per consequens ex illa ratione, si licitè Judex in aliquo casu posset recipere pro labore, deberet ab utraque parte recipere. Cùm ergo Cancellarius sit Judex in hac materia, ut dictum est: patet quòd una pars, scilicet Baccalaureus licentiandus non plùs debet ei pro labore, quàm alia pars scilicet Baccalaureus non admissus, à quo tamen nihil recipit. Igitur &c.

Tertiò. Probatur intentum, ex comparatione doni & laboris; quia donum, seu pretium quod Cancellarius petit, est multò majus quàm deceat, si comparetur ad parvitatem laboris, ut satis notum est: & maximè quia sicut ipse qui est Judex, laborat pro justo Judicio dando, sic Magistri etiam laborant pro fideli testimonio perhibendo de Baccalaureis licentiandis; & tamen pro isto labore nihil omninò recipiunt, aut exigunt. Igitur indecens est quòd Cancellarius pro suo labore tam magna stipendia recipiat, aut exigat, maximè cùm ipse pro hoc Officio exercendo habeat Beneficium, & ipsi non. Igitur &c.

Item, omninò absurdum videretur quòd Cancellarius pro tali labore posset quemlibet recipere; sic scilicet quòd non esset aliqua determinata mensura, ultra quam non posset recipere, sicut ipse proposuit in Judicio, quod aliqua est determinata mensura, scilicet decem florenorum, citra quam Baccalaurei Theologiæ non debent dare: nam cùm labor suus non sit infiniti valoris, sed est pretio nummismatis appretiabilis in policia benè ordinata, oportet quòd appretietur sub justa mensura. Ideò non conceditur actio illi qui proponit in appretiatione alicujus rei se esse deceptum ultra medium justi pretii. Igitur &c.

Tertia Conclusio. Quòd esto quòd Cancellarius pro labore suo exigere posset, non tamen per modum per quem exigit. Et ista probatur: nam modus per
A quem exigit est iste, quia eo quòd Baccalaurei fecerunt certum juramentum de non dando Cancellario, ipse impedit, vel differt eorum Licentiam, & proponit in Judicio quòd hoc licitè potest. Sed ad reprobandum istum modum, tres sunt propositiones declarandæ.

Prima est, quòd iste modus est illicitus & multipliciter scandalosus. Secunda, est propriè simoniacus. Tertia, quòd si Cancellarius hunc modum pertinaciter approbet, ipse est hæreticus censendus.

Prima propositio patet. Nam secundùm doctrinam sancti Thomæ, quæ in hoc omni Juri & rationi consonat, ad hoc quòd evitetur peccatum, cùm in dispensatione Sacramentorum, seu aliorum spiritualium, aliqua recipiuntur: primò requiritur quòd hoc fiat ex concessione Juris divini, vel humani, aut saltem piæ consuetudinis. Secundò, quòd sit intentio pura, non corrupta. Tertiò, quòd sit forma
B honesta, scilicet quòd non requiratur aliquid ante pii officii exhibitionem, ne pactum intervenire videatur.

Primò ergo, apparet dictum modum exigendi esse illicitum, ratione primæ conditionis: quia ad sic exigendum pro Licentia Theologiæ, quæ est potestas, vel authoritas spiritualis, ut patet ex primo Articulo, Cancellarius non habet concessionem Juris divini, immò hoc magis est contra Jus divinum, ut patet ex dictis in prima conclusione hujus Articuli. Etiamsi Jus divinum sibi concederet posse recipere pro labore licentiandi, Papa non posset hoc sibi negare quod Jus divinum sibi concederet; & tamen Papa prohibet sibi recipere pro labore ab Artistis licentiandis, quorum tamen Licentia non est sic spiritualis sicut Licentia Theologiæ. Item, nec hoc ha-
C bet ex concessione Juris; sicut patet ex secunda conclusione hujus Articuli, & etiam ex secunda probatione primæ conclusionis: quia Jura perhibent exigere. Item, nec ex concessione piæ consuetudinis: quia Jura damnant consuetudinem quam allegat; etiam Privilegia Universitatis prohibent dare, & recipere; & per consequens exigere: ut patet ex dictis in fine dictæ secundæ conclusionis. Igitur &c.

Secundò. Patet propositum, ratione secundæ conditionis, scilicet quòd sit intentio pura, non corrupta: nam quæ sit unica intentio in proposito, ostendit sanctus Thomas, *in Secunda Secundæ*, scilicet quòd non exigatur quasi pretium rei spiritualis cum intentione vendendi, vel emendi, nec ab invito; sed quòd accipiatur quasi stipendium, & quòd intentio referatur ad observantiam consuetudinis, & præcipuè quando quis voluntariè solvit. Hæc autem
D non sunt in proposito, ut notum est. Igitur &c.

Item Raymundus; *in Rub. De simonia*: distinguit quando aliquid datur in collatione spiritualis rei; scilicet utrùm principaliter detur propter illud, an non; ita quòd aliàs esset daturus. In primo casu tenet, & esset simonia, & per consequens corrupta intentio; sed non in secundo casu. Ut *extra* 4. c. Et, *Si quæstiones.* Cùm ergo Cancellarius publicè confiteatur, & in Judicio, quòd aliter non est daturus Licentiam, nisi sibi detur pecunia: patet quòd non est in eo pura intentio, sed corrupta & simoniaca. Constat etiam quòd Baccalaurei aliter non essent daturi, nisi essent licentiandi. Ideò non gratis dant, sed coacti, & per exactionem. Igitur &c.

Tertiò. Patet intentum ex ratione tertiæ conditio-

tionis, scilicet quòd sit forma honesta, sic quod nihil priùs exigatur. Nam secundùm sanctum Thomam, & Ray.... ubi supra. Exactio in hac materia omninò damnatur, maximè antè exhibitionem pii officii. Licèt autem receptio in aliquibus casibus concedatur pro labore, vel stipendio; tamen, ut ipsi dicunt, in hiis omnibus sollicitè cavendum est omne illud quod habet speciem simoniæ, vel cupiditatis, & non solùm à malo, sed ab omni specie mali abstinendum est; secundùm Apostolum. I. *ad Thess. ultim.* A

Cùm ergo in proposito, in sic exigendo non solùm sit species mali, immò grande scandalum Fidei, & offendiculum Evangelii: tùm primò quia per talem exactionem datur occasio Gentilibus & Judæis dicendi quòd doctrina Fidei Christianæ, & authoritas ipsam docendi est venalis; sicut jam de facto aliqui Judæi in Tholosa dixisse traduntur, quòd Rabi Fidei nostræ fiunt per pecuniam, quod tamen valdè cavendum est, quia bonum testimonium quærendum est, secundùm Apostolum I. *Thimoth.* III. 7. non solùm à domesticis, sed etiam alienis, scilicet Judæis & Gentilibus; ut ibidem dicit glossa: tùm etiam quia per hoc datur occasio Licentiatis, ut sicut ab eis exigitur pecunia, aliter non licentiantur ad docendum & prædicandum; sic etiam sine exactione pecuniæ non doceant, neque prædicent, & ipsi, & doctrina, ac prædicatio eorum scandalizabuntur, & vilipendentur: juxta illud Micheæ. III. 11. *Sacerdotes ejus in mercede docebant.* Ubi dicit Hieronymus quòd *Quia pecuniam accipiebant, Prophetia eorum facta est divinatio.* Et etiam doctrina, & prædicatio theologica reputabitur divinatio, & fortè deceptio, propter turpem quæstum.

Ideò hiis attentis, quamvis Cancellarius de Jure, in casu, posset aliquid recipere, cessante tali scandalo, tamen non debet in scandalum Fidei, ubi occasio malignandi, & species mali, notoriè & publicè suspicatur, & præsumitur, non solùm exigere, immò nec recipere, exemplo Apostoli, qui licèt de Jure divino potestatem haberet ab iilis quibus prædicabat, recipere; tamen dicebat, *Sed non sumus usi hac potestate, ne aliquod offendiculum daremus Evangelio Christi.* I. Cor. IX. 12. Igitur &c.

Secunda propositio. Scilicet quòd prædictus modus exigendi, est propriè simoniacus, patet satis ex immediatè dictis in declaratione primæ propositionis; tamen specialiter declarantur: pro quo supponitur quòd juramentum dictorum Baccalaureorum fuit licitum. Nam, secundùm veritatem, ipsi nihil aliud juraverunt, nisi solùm quòd Cancellario nihil darent, juxta formam & intentionem Privilegiorum Universitatum superiorum allegatarum. Sed tale juramentum fuit licitum, nec est in aliquo contra dictum Cancellarium, cùm dicta Privilegia sint justa, sancta & licita, prout ipsemet Cancellarius non negat, cùm etiam ipsemet eadem juraverit.

Item, dare aliquid Cancellario est Baccalaureis prohibitum, ut patet ex clausula Privilegii. *Servus Crucis*, superiùs allegata: ergo peccatum inobedientiæ esset dare, & per consequens licitum est jurare non dare.

Item, licitum est jurare non participare criminosè in crimine; sed Cancellarius exigendo est criminosus, ut ex dictis patet, & ille qui daret sibi sic exigenti, participaret secum in hoc crimen, juxta illud quod habetur *extra. De simonia, non satis.* ubi dicitur. *Tam ille qui dat, quam ille qui recipit, vel consentit, partem simoniæ non dubitet esse habiturum.* Igitur &c.

Item, istud juramentum habet utilitatem spiritualem, & causam rationabilem, tùm quia factum est ad providendum saluti & dantis & recipientis, ut peccandi tollatur occasio, & præsumptio malè suspiciendi, & justum Judicium pervertendi, & pro vitandis injustis promotionibus, ac pauperibus sublevandum; tùm etiam quia factum est ad vitandum confusionem Ecclesiæ: quia prima consuetudo dandi, vel recipiendi, in materia juramenti, decorem Ecclesiasticæ honestatis confundit, ut supra allegatum est. *extra. de materia quantò.* Igitur juramentum non solùm est licitum, sed meritorium.

Hoc ergo præsupposito, arguitur sic: negare dignis, tempore debito, Licentiam docendi in Theologia, vel eam differre, quia juraverunt licitum juramentum de non dando Cancellario, est propriè simoniacum, quia hoc est negare spirituale, nisi detur temporale, quod est species venditionis: hoc est etiam propter commodum temporale principaliter, impedire opera charitatis, scilicet opera doctrinæ & prædicationis. Sed hoc facit Cancellarius, ut patet; & per consequens simoniam incurrit: immò etiam ultra hoc incurrit perjurium; quia juravit dignis, tempore debito, Licentiam conferre, ut patet ex Privilegio, *Parens Scientiarum.* Igitur &c.

Item, si dicatur quòd dictum juramentum non fuit licitum, quia Baccalaurei non solùm juraverunt, ut præfertur, sed ultra hoc aliquid in dicti Cancellarii B præjudicium, licèt hoc sit falsum: tamen supposito quòd ita esset, adhuc per hoc non deffenditur à simonia. Nam secundùm Sanctum Thomam, *supra 4. Sententiarum, distinct.* 2. & Ray....... ubi supra, & communiter omnes Doctores Theologos & Juristas: quando in administratione spiritualium, ex pia consuetudine fidelium aliquid datur, sicut in sepulturis, vel exequiis mortuorum, aut hujusmodi, hoc tamen non debet à Sacerdotibus exigi: & si negatur; non propter hoc debent spiritualia differri, sed ex post facto potest per Superiorem correctio adhiberi in illos qui denegant dare quod consuetudo exposcit. Sicut patet *extra. De simonia. Ad Apostolicam.* Et ideò cùm Licentia Theologiæ sit ita, vel magis spiritualis, sicut sepultura, vel hujusmodi; licèt Universitas, vel Baccalaurei dictum Cancellarium gravassent per dictum juramentum, etiam supposito quòd esset illicitum, & illicitè in præjudicium ejus factum; tamen propter hoc non C debet dignis negare Licentiam, vel differre, nec ante eam aliquid exigere; sed ante omnia tenetur licentiare, & posteà poterit agere contra transgressores consuetudinis, vel super hoc auxilium Judicis implorare: & ideò quia alio modo exigit, simoniam incurrit.

Item, licèt hoc satis sit clarum de Jure; tamen probatur ratione: quia nisi sic esset, nunquam aliquis posset de simonia convinci. Unde potest sic argui, quandocumque ista propositio verificatur: Nisi dederis mihi, vel promiseris, aut securum feceris de dando A, non dabo tibi B, ibi est venditio, sive contractus non gratuitus. Et per consequens si A sit temporale, & B sit spirituale: ibi est simonia; aliter enim nullus posset convinci quòd venderet, vel commutaret A, quasi B. Modò sic est in proposito, quòd dicta D propositio verificatur: quia Cancellarius dicit Bacalaureis, quòd nisi ei dederint, aut promiserint, vel eum securum fecerint de dando pecuniam, non dabit eis Licentiam in Theologia, quæ tamen Licentia est res spiritualis, ut dictum est, & per consequens incurrit simoniam, modo prædicto, exigendo, & differrendo Bacallaureorum Licentiam. Igitur &c.

Tertia propositio. Scilicèt quòd si Cancellarius prædictum modum exigendi, cum circumstantiis præmissis, pertinaciter approbaret, sustinendo ipsum esse licitum, ipse esset hæreticus reputandus. Patet ex prædictis, quia hoc esset pertinaciter approbare crimen simoniæ, vel saltem crimen concussionis, & multa alia crimina, scilicet inhonestæ cupiditatis, & scandalosæ exactionis, & etiam crimen perjurii: & insuper esset approbare quòd licitum esset impe-

pedire opera misericordiæ & charitatis, scilicet doctrinæ, & prædicationis. Sed constat quòd omnia talia approbare tanquam licita, includit multas hæreses. Igitur &c. Et sic patet conclusio principalis.

Tunc respondendum est ad rationes quæ videntur esse contra prædicta, & pro parte adversa.

Ad primam ergo rationem, negatur Minor. Unde Dico primò, quòd Paulus nunquam prædicavit pro temporalibus. Nam Altissimus ponit hanc regulam generalem, quòd non licet prædicare pro lucro temporali, vel favore humano, quia ut dicit Hieronymus . . . notat causam principalem, quando propriè accipitur; & sic accipio hic, & in omnibus dictis præcedentibus, modò nunquam licitum est spiritualia principaliter dare pro temporalibus: aliquid autem dare principaliter pro temporali, secundùm Ray. . . . . ubi supra, est sic dare, quòd sine illo non esset daturus ille qui dat, & sic non licet principaliter prædicare pro temporalibus. Unde Augustinus. *Non enim debemus evangelizare ut manducemus; sed manducare ut evangelizemus*: ut cibus non sit præmium quod appetitur; sed necessarium quod additur: aliquis tamen potest prædicare, etiam principaliter, ut moveat homines ad opera pietatis: ad hujusmodi autem finem consequitur datio temporalium, & consecutivè prædicat Apostolus pro temporalibus, ut fierent collectæ pauperibus. Nam hoc erat opus pietatis, ad profectum spiritualem dantis, & ad sublevandum defectum temporalem recipientis.

Secundò. Dico pro solutione aliarum authoritatum, quòd Apostoli & alii Prædicatores licitè recipiunt, & recipere possunt mercedem, sive stipendium, ab illis quibus prædicant, ad sustentationem vitæ, pro ministerio, sive potiùs pro labore in ministrando, vel adhuc magis propriè loquendo, non pro labore, sicut probat dictus Durandus, ubi supra; sed pro victûs necessitate; ne scilicet cogantur relinquere verbum Dei, & circa procuranda sibi necessaria occupari: & sicut dicit sanctus Thomas. *Ista non debentur eis, quia pretium prædicationis, nec sicut merces dispensationis; sed sicut stipendium necessitatis.* Unde super ille verbo: *Qui benè præsunt* &c. 1. Tim. v. 17. dicit glossa Augustini. *Accipiant sustentationem necessitatis à populo, mercedem dispensationis à Domino.*

Ex hiis tamen non probatur quod eodem modo sit licitum Cancellario recipere à Bacallaureis. Ratio diversitatis est, quia hoc Prædicatoribus expressè conceditur à Jure divino, licèt non sic conceditur Cancellario; immò negatur, ut patet ex dictis in prima & secunda conclusionibus hujus secundi Articuli: licèt fortè per hoc probatur quòd in casu necessitatis, scilicet si aliter non haberet unde, posset recipere à populo cui licentiandi prædicabunt, & cui mittit eos ad prædicandum, vel docendum; sed non ab ipsis quos ipse mittit. Exemplum de Episcopo qui mittit Mendicantes ad prædicandum &c.

Tertiò. Dico quòd licèt Prædicatores, modo prædicto, possunt vitæ necessaria recipere, tamquam eis Jure divino concessa; non tamen possunt, saltem ultra necessitatem vitæ exigere, seu compulsivè petere; sed gratiosè, sine compulsionis rigore petere solùm necessaria vitæ; juxta illud Augustini. Lib. De opere Monachorum. *Constituit Dominus quòd ex Evangelio viventes, panem gratuitum manducarent, ab eis quibus gratuitam gratiam prædicabant.* Ideò si eis vitæ necessaria denegarentur quæ eis debentur; non tamen propter hoc licitè possent denegare, vel differre prædicationem petentibus doctrinam, si aliundè, etiam propriis manibus laborando, possunt vivere, exemplo Apostoli &c. Unde patet quòd licèt ex prædictis authoritatibus probaretur quòd Cancellarius posse e recipere pro labore; non tamen quòd posset exigere compulsivè, nec Baccalaureis, non dare volentibus, Licentiam denegare. Igitur &c.

Ad secundam rationem dicendum est, sicut dicit Hieronymus, *super Micheam*: quòd talia munera spontè exhibeantur bonis Prophetis, non quasi ad emendum Prophetiæ usum; sed ad sustentationem ipsorum, ut spiritualibus vocarent: liberiùs tamen pseudoprophetæ illud retorquebant ad quæstum. Unde super illud Micheæ III. 11. *Sacerdotes ejus in mercede docebant.* dicit glossa interlinearis de aliis, quòd *Non nisi accepto pretio docebant populum, nec responsa Dei, nisi pro mercede proferebant, qui prophetare debuerant.* Ideò dicit ibi Hieronymus, quòd *Prophetia talium facta est divinatio.* Et ita est in proposito. Igitur &c.

Ad tertiam: conceditur antecedens, sed negatur consequentia. Et licèt ratio satis pateat ex dictis; tamen adhuc dico cum sancto Thoma. *Secunda Secunda*, quòd „ Accipere, vel dare aliqua pro sustentatione ministrantium spiritualia, secundùm ordinationes Ecclesiæ, & consuetudinem approbatam, est licitum. Ita tamen quòd desit intentiò emptionis, & venditionis spiritualium, & quòd ab invitis non exigatur per substractionem spiritualium quæ exhibenda sunt; quia hoc haberet quamdam venditionis speciem: sed, spiritualibus priùs gratis exhibitis, possunt statutæ & consuetæ oblationes, vel quicumque alii proventus exigi à nolentibus, & valentibus solvere, authoritate Superioris interveniente. „ Verba sunt sancti Thomæ. Sed constat quòd ista clarè sunt contra Cancellarium, quia non est sibi concessum, immò prohibitum recipere, ut ostensum est: etiam notum est quòd ipse exigit contra formam prædictam. Igitur &c.

Ad quartam: licèt satis responsum sit ex prædictis; tamen adhuc dico cum sancto Thoma. *Secunda Secunda*, quòd „ Ille cui committitur spiritualis potestas, ex officio obligatur ad usum potestatis sibi commissæ, in spiritualium dispensatione, & etiam pro sua sustentatione statuta stipendia habet ex reditibus Ecclesiasticis; & ideò si aliquis acciperet pro usu spiritualis potestatis, non intelligeretur locare operas suas, quas ex debito suscepti officii debet impendere, sed intelligeretur vendere ipsum spiritualis gratiæ usum. Ille autem qui habet scientiam, ideò non suscipit officium ex quo obligetur aliis usum scientiæ impendere, & ideò licitè potest pretium suæ doctrinæ, vel consilii accipere, non quasi veritatem, aut scientiam vendens; sed quasi operas suas locans. Si autem ex officio ad hoc teneretur, intelligeretur ipsam veritatem vendere, unde graviter peccaret: sicut patet in illis qui instituuntur in Ecclesiis ad docendum Ecclesiasticos &c. „ Hæc sanctus Thomas. Ex quibus, & aliis supra dictis, patet quòd Cancellarius non potest recipere, vel saltem exigere pro labore licentiandi, sicut Advocatus pro labore patrocinandi &c.

Et sic ex omnibus prædictis apparet quòd pars quæstionis affirmativa est vera. Unde ad rationem in oppositum, dicendum quòd Papa, & Curia Romana, non sunt super hoc adhuc sufficienter informati: sed quando constabit eis de veritate quæ parum est notoria, ipsi super hoc salubriter providebunt, & Universitatis Parisiensis veracem opinionem nullatenùs condemnabunt; advertentes illud quod dicit Augustinus contra Donatistas. *Non facile pro uno, vel paucis, adversùs multos Religionis & unitatis viros, & magno ingenio, & libera doctrina præditos, nisi pertractatis, pro viribus, atque perspectis rebus, ferenda Sententia est.* Et hoc de quæstione.

FINIS.

PE-

PETRI DE ALLIACO

Cardinalis Cameracensis,

TRACTATUS II.

An liceat pecuniam dare, vel exigere, pro docendi Licentia.

Nunc primùm editus ex Cod. MS. Navarr.

SUPER *omnia vincit veritas.* Ut dicit Propheta: sed quia non est victoria sine pugna, & ubi pugna fortior, ibi victoria gloriosior, ideò ut veritas fortiùs impugnata, gloriosiùs vincat, intendo prout promisi, veritatem quam in quadam quæstione aliàs declaravi, pluribus rationibus tunc contra me factis, & quibusdam aliis impugnare, & easdem pro posse solvere, ac etiam non solùm ipsis, sed aliis interficiendis, illo adjuvante, qui coronam gloriæ legitimè pro veritate certantibus pollicetur, aliqualiter respondere: præmissis tamen & præsuppositis protestationibus aliàs per me factis.

Igitur in quæstione aliàs per me tractata, quâ quærebatur utrùm hæreticum sit dicere, quòd liceat pro docendi Licentia pecuniam dare vel recipere; quantùm ad primum Articulum tres fuerunt conclusiones declaratæ. Prima fuit, quòd dare vel recipere pecuniam pro Licentia docendi Theologiam, est propriè simoniacum: ad cujus declaratiouem, quibusdam præmissis circa materiam simoniæ tandem positæ fuerunt quatuor propositiones, & per ordinem declaratæ.

Prima fuit, quòd Theologia est donum Dei spirituale.

Secunda, quòd doctrina, seu prædicatio ipsius, est res spiritualis.

Tertia, quòd Licentia, seu potestas, vel authoritas docendi, vel prædicandi eam, est authoritas spiritualis.

Quarta, quòd potestas licentiandi in ea, est etiam potestas spiritualis.

Ex quibus clarè sequitur conclusio, scilicet quòd dare vel recipere pecuniam pro Licentia docendi Theologiam, seu pro quocumque prædictorum, est propriè simoniacum.

Contra primam propositionem arguo sic. Theologia non est gratuitum donum Dei, seu donum supernaturale, idest quod ex puris naturalibus non possit haberi: igitur non est donum Dei spirituale. Consequentia tenet ex dictis in eodem Articulo, in declaratione tertiæ partis descriptionis simoniæ. Antecedens probatur: quia aliquis infidelis, vel hæreticus posset esse Theologus, & Theologiam purè naturaliter acquirere. Et per idem arguitur contra secundam propositionem: quia talis Theologus infidelis vel hæreticus, potest ex puris naturalibus scire Theologiam, docere, & prædicare: & talis doctrina, vel prædicatio non est spiritualis, vel supernaturalis. Et confirmatur argumentum: quia ex hoc quod Theologia est sapientia, seu donum sapientiæ, probatum est quòd ipsa est res spiritualis, vel supernaturalis, & quòd non debet esse venalis. Sed sapientia est unus de quinque habitibus intellectualibus, de quibus tractat Aristoteles, 6. *Ethicorum*, qui sunt habitus merè naturales. Etiam secundùm eumdem, *Libro Metaphysicæ*, in pluribus locis, Metaphysica est Theologia, & est sapientia, & tamen non est supernaturalis, nec ex illo sequitur quin ipsa, vel ipsius doctrina possit esse venalis. Igitur nec valet probatio illius propositionis. Igitur &c.

Ad primum nego antecedens, loquendo de Theologia propriè dicta, de qua hîc intelligo: unde pro materia dico primò quòd Theologia, propriè loquendo, est habitus acquisitus, vel plures habitus acquisiti ex discursu propriè Theologico, vel discursibus Theologicis. Vocatur autem discursus propriè Theologicus, qui constat ex dictis, seu propositionibus in sacra Scriptura contentis; vel ex hiis, vel saltem A ex altero hujusmodi sequentibus: & principia Theologiæ sic sumptæ, sunt sacri Canones, idest sacræ Scripturæ veritates. Distinguendo autem conclusiones contra principia: conclusiones Theologicæ dicuntur omnes veritates, non secundùm se formaliter in sacra Scriptura contentæ, sed ex contentis in ipsa, de necessitate sequentes, & non aliæ.

Secundò. Dico quòd talis Theologia de hujusmodi conclusionibus, & per hujusmodi principia, modo prædicto acquisita, in animo illius qui dat fidem sacræ Scripturæ, est quædam Fides, seu habitus creditivus: & ideò Theologia sic accepta, & propriè dicta, est quædam Fides acquisita. Igitur sequitur quòd non potest ab infideli acquiri, ipso manente infideli; nec est possibile aliquem infidelem esse Theologicum, loquendo de infideli simpliciter, qui nulli parti Scripturæ fidem daret. Si verò accipiatur Theolo-B gia magis largè, pro illo, vel illis habitibus, quo, vel quibus aliquis novit sensum sacræ Scripturæ, & unum dictum per aliud exponere & probare, talem Theologiam potest infidelis acquirere, & ipsam docere.

Tertiò. Dico quòd Theologia primo modo dicta, cum sit quædam Fides, est quoddam Dei donum gratuitum; nam Fides enumeratur inter gratias gratis datas 1. *Chorinth.* XII. & *ad Ephesios*, II. 8. dicitur *Gratia salvati estis per Fidem, & non ex vobis, ne quis glorietur: Dei enim donum est.* &c. Unde dicit Sanctus Thomas. *Secunda, Secundæ. quæst.* 6. art. 1. quòd *Cum homo ad assentiendum hiis quæ sunt Fidei elevetur supra naturam suam, opportet quòd hoc insit ei ex supernaturali principio interius movente*, quod est Deus, & ideò Fides, secundùm eum, quantùm ad assensum, qui est principalis actus Fidei à Deo interiùs movente per gratiam. Similiter Guillielmus Parisiensis, in prima parte Tractatûs sui. *De Fide & Legibus.* concludit ex multis rationibus, Fidem C esse gratiam, hoc est divinæ largitatis, & beneficentiæ gratuitum donum: quia scilicet intellectus vincit se, & concludit quia in se, vel saltem supra se, & est lumen vincens naturalia lumina intellectûs humani, & ideò est gratia quæ est media inter gloriam & naturam, & idem dicendum est de Theologia sic accepta. Igitur &c.

Quartò. Dico quòd licèt Theologia, secundo modo dicta, vel etiam secundùm aliquos qui non tenerent opinionem prædictam, licèt Theologia primo modo dicta posset naturaliter acquiri, præsupposita prima revelatione Scripturæ sacræ: tamen ad istum sensum potest dici supernaturaliter haberi, quia objectum, seu principium Theologicum, scilicet ipsa Scriptura sacra, naturaliter non habetur ex supernaturali revelatione; juxta illud 2. Pet. 1. 21. *Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines* &c. Et ad eumdem sensum Theologia, utroque D modo sumpta, & ipsius prædicatio, seu doctrina, dicitur res spiritualis: satis enim notum est quòd prædicatio, seu doctrina Theologiæ; seu prædicare, & docere, est quidam actus corporalis, & per consequens naturalis. Et tamen alia consideratione dicitur spiritualis, & supernaturalis, quia est respectu sacræ Scripturæ supernaturaliter inspiratæ, sicut etiam Baptismus & alia Sacramenta, quantùm ad materiam, sunt quædam corporalia, & per consequens naturalia; & tamen dicuntur spiritualia, & supernaturalia, quantùm ad effectum, scilicet quantùm ad sacramentalem gratiam, vel etiam quia supernaturaliter, & divini-

tùs instituta. Unde generaliter in proposito, illa dicuntur spiritualia, & supernaturalia, quæ respiciunt regimen humani generis, non solùm in hiis quæ sunt ex puris naturalibus humanitùs adinventa, sed ex speciali revelatione divinitùs inspirata. Sic autem est de Theologia quocumque modo sumpta, & ejus prædicatione, vel doctrina. Igitur &c.

Ad confirmationem dico qùod Theologia est sapientia. Nam *Deut.* IV. 6. in principio Legis dicitur: *Hæc est vestra sapientia & intellectus coram populis.* Similiter secundùm, Augustinum, 12. de Trinitate, *Sapientia est divinarum rerum cognitio*, & secundùm eum, *ibidem*: superior pars rationis sapientiæ deputatur; inferior autem scientiæ. Superior autem ratio ut ipse in eodem Libro dicit, rationibus supernis deputatur, idest, divinis & conspiciendis & consulendis: conspiciendis quidem, secundùm quod divina in se ipsis contemplantur, consulendis autem, secundùm quod per divina judicat de humanis, ut per divinas regulas actus humani dirigantur, utrumque autem horum convenit Theologiæ. Primum, secundùm illam partem in qua ipsa est speculativa: secundùm verò, secundùm illam partem in qua est practica. Igitur patet quòd ipsa propriè est sapientia. Tamen distinguenda est duplex Theologia, & duplex sapientia, secundùm quod duplex est cognitio divinorum. Una est de veritatibus quæ ex puris naturalibus humanitùs possunt sciri, & de ista loquitur Aristoteles, *in Libro Metaphysicæ. 26. Ethicorum.* Alia est de veritatibus quæ supernaturaliter & divinitùs inspirantur & revelantur; & de ista ad præsens loquimur: nec talis Theologia, vel sapientia est venalis, nec ejus prædicatio, vel doctrina sine simonia, ut satis probatum fuit ex dicto Christi: *Matth.* 10. & glossa ibidem. Igitur &c.

Secundò. Principaliter arguo contra tertiam propositionem, probando quòd Licentia Theologiæ non sit aliqua potestas, vel authoritas spiritualis; quia habenti scientiam Theologiæ, non est prohibenda ipsius prædicatio, seu doctrina: sed quilibet sciens Theologiam permittendus est prædicare, & docere, sine speciali missione vel licentia: igitur ad hoc non requiritur aliqua spiritualis authoritas, vel potestas. Consequentia videtur nota. Antecedens probatur: quia prædicare, & docere, sunt opera misericordiæ, ergo non sunt alicui prohibenda. Sed multitudo prædicantium & docentium, cum sit ad salutem fidelium, est multùm appetenda, juxta illud Sapientiæ VI. 26. *Multitudo sapientum* idest *cœtus prædicatorum*, secundùm Glossam, *sanitas est Orbis terrarum.*

Item, confirmatur: quia *Num.* XI. 28. legitur quòd cum in castris filiorum Israël quidam propter mandatum Moysi prophetarent, & ob hoc Josuë dixisset: *Domine mi Moyses prohibe eos.* Ipse tamen non prohibuit, sed respondit, ℣. 29. *Quid*, inquit, *æmularis? Quis tribuat ut omnis populus prophetiset?* &c. Igitur videtur, à simili, quòd nullus sciens prædicare, est probibendus. Item, *ad Philip.* I. 18. dicit Apostolus. *Sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur, & in hoc gaudeo & gaudebo.* Ubi glossa: *Ideò Apostolus non prohibet mercenarios*, scilicet eos qui prædicant Christum, per occasionem terrenam; *sed eos permittit, quia utiles sunt ad aliqua.* Ergo nullus utiliter prædicans, etiam si non sit missus, est prohibendus; sed de ejus prædicatione gaudendum est. Item *Lucæ.* IX. 50. Cum prohibuissent Apostoli quemdam facientem in nomine Christi miracula, ne ampliùs ea faceret, eò quòd non sequebatur eos: ait eis Christus. *Nolite prohibere: qui enim non est adversùs vos, pro vobis est.* Ergo, à simili, videtur quòd habens scientiam prædicandi, non debet à prædicatione prohiberi.

Item, *Actuum,* XVIII. 24. legitur quòd *Apollo* Judæus *Alexandrinus, cùm esset eloquens & potens in Scripturis.* &c. ℣. 25. *docebat diligenter ea quæ sunt de Jesu, sciens tantùm Baptisma Joannis*, id est nundùm baptisatus Baptismate Christi, sed Baptismo Joannis tantùm: non tamen fuit ejus prædicatio à Discipulis repulsa. Ergo quicumque est potens in Scripturis, ejus prædicatio non est prohibenda &c.

Ad istam rationem respondeo, negando principale antecedens: & pro declaratione dico primò, quòd nullus quantumcumque sciens in Theologia, licitè potest exercere officium publicæ & authoritativæ prædicationis, seu doctrinæ, sine speciali missione, vel licentia, Juxta illud Apostoli ad hoc prædicandum allegatum. *Quomodò prædicabunt nisi mittantur?* Rom. X. 15. Ubi dicit glossa: *Non sunt veri Apostoli, nisi missi, nec prædicabunt, nisi mittantur.* Unde etiam, cùm Christus sciret messem esse multam, operarios verò paucos; non tamen eos præcipitanter multiplicavit, nec eos indifferenter præmisit, sed dixit Apostolis: *Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Matth. IX. 38. Ipsi autem rogaverunt eum, ut legitur 21. *dicto Cap. in novo*, & ipse rogatus, eos misit dicens: *Ecce ego mitto vos* &c. Lucæ. X. 3. Hoc autem totum plenum est mysterio, & doctrinali exemplo, cùm omnis Christi actio nostra sit instructio; & ideò per hoc instruimur quòd nullus debet publicè prædicare, nisi missus.

Secundò. Dico quòd illorum qui mittuntur quidam mittuntur à Deo tantùm, id est non per hominem, ut dicit Augustinus, ad Orosium: *Missi fuerunt à Deo, & non per hominem; Moyses & Joannes Baptista, qui missi fuerant per Angelum, vel per divinam revelationem.* Tales autem sic missi probare debent suam missionem, aut per miraculum sibi ad indicium suæ missionis injunctum, sicut Moyses probavit per conversionem virgæ in colubrum, & è converso, sicut Dominus ei injunxerat: *Exod.* VII. aut per specialem Prophetiam de ipsis dictam, sicut Joannes probavit suam missionem per Prophetiam Isaïæ, quam exposuit de seipso, dicens: *Ego vox clamantis in deserto* &c. Joan. I. 23. Aliter enim non est credendum ipsis dicentibus se missos, cùm idem dicerent hæretici, sicut legitur. *Extra, de hæreticis. Cùm ex injuncto.* Missi autem à Deo per hominem sunt, sicut Josuë per Moysem, & Prælati per Ecclesiam, vel aliqui non Prælati per Ecclesiæ Prælatos Canonicè mittuntur: sicut etiam Paulus, quando non sufficiebat omnibus, mittebat discipulos suos sibi experimento probatos: unde I. *Cor.* IV. 17. dicit. *Misi ad vos Thimotheum* &c. Et talis missio probari debet per Canonica documenta, sicut & alia quæ per Ecclesiam fiunt, secundùm Jura. Unde à Deo mitti creditur, qui canonicè mittitur, & ritè ab Ecclesia ad hoc eligitur. Nam super illo verbo Hæbreorum. V. 4. *Nec quisquam assumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Dicit glossa quòd *à Deo vocatur, qui rectè eligitur.*

Tertiò. Dico quòd illorum qui mittuntur à Deo per hominem, seu per Ecclesiam, quidam sunt ordinariè instituti, sicut Episcopi, loco Apostolorum, ut Guillielmus dicit, *quorum vices.* Et minores, seu parochiales Presbyteri, loco LXXII. Discipulorum: ut 21. dicitur, *in novo*, & secundùm glossam. *Lucæ.* X. Isti duo Ordines ab initio Ecclesiæ fuerant principaliter constituti; sed posteà Archidiaconi & Archipresbyteri, seu alii, secundùm diversos ritus Ecclesiarum, ad animarum regimen addicti sunt, qui *opitulationes*, id est opem majoribus ferentes appellati sunt, secundùm glossam. I. *Chorinth.* XII. 28.

Quidam autem sunt extraordinariè missi, sicut generaliter dici possunt extraordinariæ opitulationes, illi quos Episcopi, in aliis occupationibus impediti, mittunt per suas Diœceses, ad exercendum vice ipsorum prædicationis officium, seu ad regimen ani-

marum, sicut eis videtur expedire: ut legitur, *extra. de officiis Ordinariorum. Inter cetera*; quod etiam eadem ratione dici potest de minoribus Prælatis, sicut sunt Plebani, & alii Rectores Ecclesiarum, qui videlicet possunt per suas Parochias Prædicatores mittere, vel vocare, vel mutare. ut 7. *quæstione.* 1. *Episcopi, vel Presbyteri.*

Quartò. Dico quòd quia Papa est summus Episcoporum, & Ordinarius singulorum, ex certis causis, secundùm quod judicaverit expedire, potest mittere aliquas personas ad prædicandum, vel aliud regimen animarum, ut, *extra. de hæreticis. Cùm ex injuncto.* Et hoc modo ab eo mittuntur illi qui authoritate Apostolica in Theologia licentiantur. Sed cùm *ars artium sit regimen animarum*, ut dicit Gregorius: ideò non passim cuilibet est prædicationis officium permittendum, sed solis idoneis, & probatis: juxta illud 1. Thim. III. 10. *Hii autem probentur primum, & sic ministrent* &c.

Hiis præmissis, respondeo ad objecta, & primò ad probationem principalis antecedentis, dicendo quòd quidquid sit de secreta prædicatione, correctione, seu doctrina; tamen publica prædicatio, sicut nec publica correctio, est opus misericordiæ, nisi prout fit cum debitis circumstantiis; inter quas una est, quòd ille qui eam facit, sit ad hoc missus: nec publica doctrina cuilibet permittitur, cùm dicat Apostolus: *Mulierem docere in Ecclesia non permitto.* 1. Tim. II. 1. Nec multitudo sapientium, idest prædicatorum est utilis, nisi debitè instituta, & approbata, maximè cum non debeat assiduari prædicatio, ne vilescat: quia super illud Hebræorum. VI. 7. *Terra cum sæpè venientem super se bibens imbrem*, dicit glossa. *Doctrina sacra ad instar imbris, si rara est non sufficit, si assidua vilescit.* Et de Autoribus, seu Prædicatoribus sacræ Scripturæ dicit Augustinus, Lib. 18. De Civitate Dei, Cap. 41. *Ipsi sanè pauci esse debuerunt, ne multitudine vilesceret, quod religione carum esse opporteret.* Ideò si prædicatores multiplicarentur sine missione, vel licentia, eorum prædicatio non esset approbanda; sed prohibenda.

Ad primam confirmationem antecedentis dico, quòd Moyses sciebat illos duos esse de illis viris electis, quibus dederat Dominus spiritum ad prophetandum, ideò illos tanquam à superiori, scilicet à Deo missos noluit prohibere. Hoc etiam argumentum non cogit; quia non sumitur ibi prophetare, pro prædicare; sed pro laudes Deo canere. Igitur &c.

Ad aliam dico, quòd ibi loquitur Apostolus de mercenariis, qui prædicant propter quæstum, sicut patet per glossam allegatam: quidam autem eorum sunt missi, ideò tolerandi quamdiù Evangelio proficiunt. Dico tamen quòd prædicatio actio, idest actio prædicationis illorum qui prædicabant Christum, occasione terrena, ut dicit glossa, non placebat Apostolo, quia cùm illi peccarent, Apostolus gaudendo de peccato peccasset: sed prædicatio passio, id est effectus, vel profectus prædicationis illorum, qui Deo authore, inde proveniebat, Apostolo placebat, & hoc non.... glossa 16. quæst. 1. *addicimus. sicut de crucifixione Christi dicitur, actio displicuit, Passio grata fuit.*

Ad Tertiam, dico quòd opera miraculorum permissa etiam sunt malis, & à Deo non missis, ad damnationem eorum, & utilitatem aliorum. Publica verò prædicatio nulli permittitur, quantumcumque prædicet in nomine Christi, nisi à Deo tantùm, vel à Deo per hominem mittatur, ut dictum est. Et jam ratio diversitatis est, quia facientes in nomine Christi miracula, nullius usurpant officium: sed publicè prædicantes non missi, usurpant officium Prælatorum, & Sacerdotum, ac aliorum missorum.

Ad Ultimam dico, quòd licèt fortè ille Apollo non esset missus ab homine, tamen missus erat à Deo, quia dicitur ibidem, quòd *Doctus erat viam Domini, & fervens spiritu loquebatur.* Et aliqui Discipuli habentes discretionem spirituum cognoverant quod ductus erat à Spiritu sancto. Ideò eum non prohibuerunt, quia qui Spiritu ducuntur non sunt sub Lege. *Gal.* V. 18. Similiter, etiam quia nundùm tunc distincta & distributa erant officia Ecclesiastica; ideò nullius Prælati officium usurpabat. Igitur non sic prohibendus erat, sicut modò, quando distributio officiorum facta est in Ecclesia, per quam aliqui sunt A Prælati, & alii subjecti, ut legitur 2. q. 7. *hiis itaque.* Unde licèt tunc essent Apostoli, & Apostolatûs officium, non tamen sic se habebat illius Apostolatûs discursus, sicut modò se habet, ut dicit Augustinus, & per hoc ultimum dictum posset responderi ad omnia objecta. Ex quibus omnibus patet quòd ad prædicationis officium requiritur authoritas vel potestas, seu missio, vel Licentia. Igitur &c.

Tertiò. Principaliter argumentatum fuit contra me una ratione, quæ simul facere videtur contra tertiam & secundam propositiones, probando quòd Licentia docendi, vel authoritas licentiandi, licèt sit aliqua potestas, non tamen potestas spiritualis; quia talis potestas potest committi, & convenire laïco, & meritò, Matrimonio conjugato. Ergo talis non videtur potestas spiritualis, sed magis civilis & temporalis.

B Ad istam rationem aliàs respondi, negando consequentiam, & dixi quòd asserere talem consequentiam esse bonam, esset hæreticum. Quia hæreticum est dicere assertivè, quòd potestas Episcopalis, vel Sacerdotalis, non sit spiritualis, & talis posset, aut potuisset convenire alicui Matrimonio conjugato. Nam quandoque Sacerdotes verum Matrimonium contrahebant: immò etiam Episcopi, juxta illud Apostoli, 1. Timoth. 3. 2. *Opportet Episcopum esse unius uxoris virum.* Et adhuc etiam Sacerdotes Græcorum, secundùm Doctores, contrahebant verum Matrimonium. Immò dicunt aliqui, quòd non repugnat Episcopos plures antiquitùs habuisse uxores, & quòd intelligitur dictum Apostoli: *Opportet Episcopum esse unius uxoris virum.* & illud quod *ad Titum primo*, quod probatur, debet esse *unius uxoris vir*, scilicet post Baptismum; quia si ante Baptis- C mum habuerat unam, post Baptismum poterat ducere aliam, nam Baptismus tollebat illam Irregularitatem, secundùm Hieronymum, & ut ibi dicit Glossa.

Item, mirum esset quòd Matrimonium potestati Sacerdotali aut alteri spirituali repugnaret; cùm infidelitas vel hæresis ei non obstet. Potest enim aliquis esse Sacerdos, & fieri infidelis, vel hæreticus, manente in eo sua spirituali potestate. Igitur ex hoc quòd aliquis Matrimonio conjugatus, vel quod majus est, ex hoc quòd aliquis infidelis, vel hæreticus posset esse Theologus, & habere licentiam docendi, vel potestatem licentiandi, concludere quòd hujusmodi non sint spiritualia, est puerilis consequentia; nec esset sanum talem consequentiam sustinere. Exemplum de Prophetia & potestate prophetandi, quæ convenit infideli: Igitur &c. Et ex hoc etiam D apparet solutio primæ rationis principalis superiùs factæ &c.

Item, nulli dubium est quin potestas excommunicandi sit potestas spiritualis, & tamen talis potestas potest committi, & convenire laïco: quia sicut dicit Barthus 32. *distinctione, in glossa, super Cap. verum.* Et etiam secundùm Hugonem Papam; tàm excommunicationem, quàm absolutionem, quæ pertinet ad potestatem Jurisdictionis, scilicet in Foro contentioso, potest committere, seu delegare laïco: & de facto, hiis temporibus, hujusmodi potestas, ut dicitur, commissa est, in certis casibus, Parisiensi Præposito, qui est Judex laïcus & irregularis. Igitur &c.

Item, quod majus, secundùm aliquos, & sicut tenet Joannes, *in Summa Confessorum.* Laïcus si ordinaretur, reciperet Ordinem & potestatem sacerdotalem, & ipsius caracterem, ex quo baptisatus esset: quia Baptismus est janua omnium Sacramentorum. 27. *dicti Cap. verum.* Et illud quod videtur esse contra hoc, *in Cap. omnis.* 38. *distinctione*, referendum est ad Ordinis executionem. Et idem tenet Ostiensis. Et per consequens ex hoc quòd aliqua potestas committitur laïco, non infertur quòd non sit potestas spiritualis. Igitur &c.

A Quartò. Principaliter potest argui contra conclusionem in se, per quamdam rationem Juristarum. Nam in Jure Canonico post Rubricam de simonia, sequitur Rubrica de quadam specie simoniæ, scilicet ne Prælati vices suas sub annuo censu concedant. Et deinde ponitur Rubrica spiritualis, *de Magistris*, ne aliquid exigatur pro Licentia docendi: in qua, postquam dictum est qualiter spiritualia prohibeantur acquiri in præcedentibus Rubricis; consequenter tractatur de hiis quæ spiritualium instar se habent, scilicet de Licentia docendi, secundùm Ray.... ibidem Ergo sequitur quòd Licentia docendi non sit propriè potestas spiritualis; nec ipsam vendere, aut pro ipsa aliquid exigere, est propriè simoniacum, nec simoniam committit exigens aliquid; sed crimen concussionis, secundùm Ostiensem, & alios Doctores Juris Canonici: aliter enim tale crimen debuisset, Rubricâ, *de Simonia*, prohiberi. Alioquin B istæ Rubricæ Canonicæ, non essent convenienter distinctæ. Igitur &c.

Ad istud dico, quòd non est generaliter verum de qualibet Licentia docendi, quòd sit res spiritualis; sicut nec quælibet doctrina est spiritualis, ut de spirituali hîc loquimur. Et ideò non quamlibet Licentiam docendi vendere, aut pro ea exigere est propriè simoniacum; sed in pluribus est solùm crimen concussionis: propter quod, post materiam de simonia, rationaliter ponitur spiritualis Rubrica: *Ne pro licentia docendi* &c. Quæ quidem Licentia, licèt spiritualium instar se habeat; tamen in pluribus scientiis sæcularibus, & humanitùs adinventis non est propriè spiritualis. Unde à majori fit denominatio illius Rubricæ, de C hiis quæ spiritualium instar se habent. Tamen cum hoc stat quòd Licentia docendi in Theologia, sicut & ipsa doctrina Theologica, est spiritualis; juxta quod de ipsa spirituale est, & quòd eam vendere, vel pro ipsa aliquid exigere, propriè simoniacum est: nec propter hoc necesse fuit crimen, in Rubrica, *de Simonia*, prohiberi. Tùm primò, quia hoc crimen satis est prohibitum Jure naturali & divino, ut ostensum fuit in quæstione, & in solutione primæ rationis principalis nunc factæ. Igitur non necesse fuit de hoc specialem prohibitionem fieri in Jure Canonico. Tùm secundò, quia in dicta Rubrica non tractatur de qualibet specie simoniæ; sed specialiter de illa quæ fit in Sacramentalibus, vel in Beneficialibus, ut patet intuenti Rubricam. Unde etiam ibidem aliqua prohibentur, quæ non sunt propriè simoniaca à Jure divino: nam in capitulo primo dicitur: sicut non debet Episcopus manuum impositionem; D ita nec Minister, vel Notarius, in ordinatione ejus vocem vendere, vel calamum, vel cartam; & tamen ista non sunt propriè spiritualia, aut spiritualibus annexa, nec de Jure divino in talibus propriè committitur simonia. Similiter in Capitulo, *In tantum*, ne pro Ecclesiarum Investitura pecunia postuletur. Et in Capitulo, *Audivimus.* Ne pro sepultura aliquid exigatur expressè, tanquam simoniacum prohibitum est: & tamen ista non sunt propriè spiritualia, vel saltem non sunt magis spiritualia, quàm Licentia in Theologia, seu prædicatio, vel doctrina Theologica, de quibus non tamen tractat Jus Canonicum, hoc relinquens tanquam clarum per Jus divinum: cùm etiam in illa Rubrica magis tractetur de simonia positiva, quæ est à Jure humano, quam Henricus Bo. . . . . . vocat simoniam canonicam, in Capitulo, *significasti*, *de electione*, quàm de simonia propriè dicta, quæ est à Jure divino. Igitur &c.

Secunda principalis conclusio fuit, quòd dare, vel recipere pecuniam pro Licentia docendi Theologiam, est contra Jus naturale & divinum, quæ probata fuit principaliter per istud medium: quia simonia est contra Jus naturale & divinum, ut ibi fuit ostensum. Ex qua conclusione inter alia corollaria fuit illatum istud corollarium, quòd dare, vel recipere pro Licentia docendi Theologiam juramentum de reverentia, vel honore, illi qui eum ministrat impendendis, vel ejus, aut sui Officii juribus deffendendis, non minus est contra Jus naturale & divinum, quàm dare, vel recipere pecuniam; quia tale juramentum obsequiosum, est munus ab obsequio, in quo committitur simonia, sicut in munere à manu, ut dictum fuit. Igitur &c.

Sed contra ista arguitur sic: Papa licitè potest pro Licentia docendi Theologiam recipere pecuniam, vel juramentum obsequiosum: igitur talia dare, vel recipere, &c. non est contra Jus naturale & divinum. Consequentia patet: quia Papa non potest licitè facere contra Jus naturale & divinum, cùm non sit à tali Jure exceptus, plusquam quicumque alius. Sed antecedens probatur: quia si Papa non posset hoc licitè, hoc maximè esset pro tanto, quia istud est simoniacum, sicut patet ex probatione conclusionis. Sed hoc non obstat; quia Papa, secundùm quosdam, non potest committere simoniam, ex eo quòd res Ecclesiæ sunt suæ. Igitur &c.

Confirmatur: quia Papa recipit, seu mandat recipi juramentum obsequiosum, scilicet juramentum fidelitatis ab Episcopis consecrandis, aut ab Archiepiscopis, in Pallii traditione. Cap. *Significasti. de Electione.* Si ergò licitè detur & recipiatur tale juramentum, pro consecratione Episcopali, seu Episcopali Ordine, multò magis hoc poterit pro Licentia Theologiæ, & per consequens neutrum est contra Jus divinum, vel naturale. Igitur &c.

Ad Primum, potest negari antecedens, capiendo li, *pro*, sicut ego dixi in quæstione. Et ad probationem respondet sanctus Tomas, *in Secunda Secundæ*, & etiam super 4. *Sent. distinct.* 25. *art.* 3. *quasi.* Quòd Papa potest committere vitium simoniæ, sicut quilibet alius homo. Immò, secundum eum, hoc peccatum tantò in ejus persona esset gravius, quantò majorem obtinet locum: & ideò, ut dicit, opinio illa est erronea quorumdam qui dixerunt quòd Papa non potest committere simoniam, ex eo quia res Ecclesiæ sunt suæ. Nam quamvis res Ecclesiæ sint ejus, tanquam principalis dispensatoris, non tamen, ut dicit, sunt ipsius, tanquam Domini, & possessoris: & ideò si reciperet pro aliqua re spirituali pecuniam, non careret vitio Simoniæ. Et ad hoc facit secunda responsio quam feci in secunda parte primi Articuli, ad ostendendum quare simonia est illicita. Aliqui tamen Juristæ distingunt de duplici simonia: nam quædam sunt prohibita, quia simoniaca, sicut vendere vel emere Sacramenta, & breviter, omnia quæ in Veteri, & Novo Testamento simoniaca erant: quædam autem sunt simoniaca, quia prohibita, scilicet illa quæ per Constitutionem Ecclesiæ tantùm sunt simoniaca; ut si quis renuntiet Ecclesiæ, eo pacto, ut detur nepoti suo. Hæc autem distinctio est intelligenda, quòd quædam est simonia propriè dicta, quæ est prohibita Jure naturali & divino; alia impropriè, & similitudinariè dicta, quæ est prohibita Jure humano, scilicet ab Ecclesiæ instituto, sicut tactum est in solutione quartæ rationis priùs factæ. Loquendo ergo

go de Simonia propriè dicta, de qua hîc loquimur, Papa potest esse simoniacus, sicut quilibet alius: sed loquendo de simoniaca, secundo modo, Papa non potest simoniam committere, scilicet simoniam canonicam sic quòd incurrat pœnam à Jure taxatam; aliter non, secundùm Durandum; quia cùm sit caput Ecclesiæ, non est subjectus Juri humano; scilicet Ordinationi, seu Constitutioni ab Ecclesia institutæ: ut *extra. quæst.* 3. *Cuncta.* Tamen quidquid sit de hoc, non potest licitè vendere Licentiam docendi Theologiam, seu eam dare pro pecunia, seu alio munere ab obsequio, nam hoc est simoniacum primo modo, quia prohibitum Jure divino, ut in probatione primæ conclusionis probavi ex glossa, super illo verbo: *Euntes ergo prædicate* &c. Matthei x. 7. Ubi sequitur, *gratis accepistis, gratis date.* ℣. 8.

Ad confirmationem dico, quòd concesso antecedente, scilicet quòd Papa licitè recipiat juramentum obsequiosum, scilicet fidelitatis, ab Episcopis consecrandis; non tamen sequitur illud quod infertur, scilicet quòd illud recipiat, seu licitè recipere possit pro Consecratione, seu Episcopali Ordinatione: & ideò nec sequitur quòd hoc possit licitè recipere pro Licentia Theologiæ, licèt posset tale juramentum licitè recipere, vel ordinare, aut statuere quòd reciperetur ab ipsis licentiandis, sicut & ab ipsis ordinandis, maximè post electionem, seu provisionem, ut infra dicam. Et si quæratur, si non recipit pro ipso Ordine Episcopali, vel pro tali Licentia, pro quo ergo recipit talia juramenta? Ad hoc dico quòd ipse, in tali casu, hujusmodi juramenta recipit pro eo, quia Papa est caput Ecclesiæ, & Romana Ecclesia caput omnium Ecclesiarum; & ideò, ratione istius superioritatis, omnes inferiores Ecclesiæ, & personæ specialiter Ecclesiasticæ, tenentur ei ad fidelitatem, & obedientiam. Propter quod Papa pro se, & Ecclesia Romana potest licitè recipere juramentum à suis inferioribus, de illo ad quod tenentur; præcipuè hoc potest ab illis qui sunt in dignitatibus, & altioribus gradibus Ecclesiasticis, sicut sunt Episcopi consecrandi: & hæc ratio ponitur in Canone, *Significasti. de Electione.*

Et si dicatur quòd ergo, pari ratione, Episcopus possit licitè, ab illis quibus confert Sacros Ordines, recipere juramentum fidelitatis & reverentiæ: quia licèt non pro ipsis Ordinibus conferendis, tamen pro eo, quia est eorum superior, & ipsi sibi ad hujusmodi fidelitatem & reverentiam tenentur. Dico quòd, quidquid sit de consequente, tamen illud non sequitur ex dictis: ratio diversitatis est, quia multa licent Papæ qui est supremum caput, quæ non licent cuilibet Superiori, respectu suorum inferiorum: sicut multa licent Regi, quæ non Duci; & Duci, quæ non Comiti. &c. Unde talia jurementa obsequiosa de fidelitate, reverentia, vel honore servando, non debent recipi, vel exigi in administratione rerum spiritualium, nisi à Superiori; nec quolibet, sed à solo Papa, vel de ejus speciali authoritate, vel licentia, aut ex consuetudine per ipsum tacitè approbata. Et credo quòd aliqui Archiepiscopi, & Episcopi, ab aliquibus Abbatibus per eos consecratis, certa juramenta recipiunt, vel fortè ratione alicujus temporalitatis, in qua eis temporaliter subjiciuntur; sicut etiam Rex à pluribus Episcopis, & Abbatibus de novo consecratis, hujusmodi juramenta recipit. De hac autem materia juramentorum inferiùs magis dicam: ideò hæc sufficiant circa tertiam conclusionem.

Tertia conclusio principalis fuit, quòd dicere vel asserere, quòd dare, vel recipere pecuniam appretiativè pro Licentia docendi Theologiam sit licitum, est hæreticum. Probatio autem hujus conclusionis principaliter in hoc fundabatur; quia hoc est asserere illud esse licitum quod secundùm Fidem & Catholicam veritatem est simoniacum, & contra Jus naturale & divinum, ut patet ex duabus præcedentibus conclusionibus. Igitur &c.

Ex qua conclusione inter alia corollaria inferebatur istud corollarium, scilicet quòd existimare, vel credere Licentiam docendi in Theologia, pro pecunia, seu pretio temporali, posse comparari, vel possideri: non solùm esset simoniacum; sed etiam propriè hæreticum: & hoc fuit declaratum ex tertia causa quæ data fuit, propter quam Simon magus, & simoniaci ab eo sic vocati, dicuntur hæretici; A scilicet quia existimavit *donum Dei pecuniâ possideri*, ut dicitur, *Actuum* VIII. 20.

Sed contra hoc arguitur; quia non est hæreticum asserere, quòd licitum sit dare pecuniam pro Spiritu sancto, seu pro habendo Spiritum sanctum: ergo à fortiori non est hæreticum asserere quòd licitum est dare pecuniam pro Licentia docendi Theologiam, seu pro habendo hujusmodi Licentiæ gradum. Consequentia est satis clara: sed antecedens nuper in publico Sermone posuit & concessit quidam Magister, ut mihi relatum est; qui tamen de hoc non est tanquam de hæresi reprehensus. Unde circa hanc materiam tria dogmatisavit, & publicè asseruit, sub hac verborum forma.

Primò enim, quasi nescio quid grande intonans ait: *Simon magus*, inquit, *habere voluit Spiritum sanctum, quia nemo dat quod non habet:* & adjunxit B quòd *In hoc non peccavit*, *quòd Spiritum sanctum habere voluit.*

Secundò, dixit quòd *Nec in hoc peccavit quòd voluit dare pecunias suas*, *pro habendo Spiritum sanctum.* Et probationem subdidit: *Nam licet dare temporalia pro spiritualibus, nec hoc est simonia*: juxta illud, Matth. XIX. 21. *Vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* &c.

Tertiò, dixit quòd *Peccatum Simonis, unde simonia nomen accepit, solùm fuit hoc, quòd voluit habere Spiritum sanctum ut venderet aliis, in hoc simoniæ peccatum commisit: & non in hoc, quòd voluit dare temporalia sua pro habendo Spiritum sanctum.*

Ex quibus Patet quòd ipse dogmatisavit, licitum esse dare pecuniam pro habendo Spiritum sanctum; & cùm ly *pro*, denotet appretiationem, seu commutationem, secundùm modum loquendi Doctorum; C licitum est, secundùm eum, emere Spiritum sanctum; & emere spiritualia pro temporalibus, & per consequens Licentiam Theologiæ; & alia spiritualia, pro pecunia, seu pretio temporali commutare, & possidere; & per hoc sequitur quòd sic asserere, vel credere, non est hæreticum: quod est contra conclusionem, & corollarium; cùm ipse ex hujusmodi dictis & publicè dogmatisatis, non sit reprehensus. &c.

Ad istam rationem respondeo; negando principale assumptum: & ad illa quæ dixit ille Magister, nisi esset propter reverentiam Magisterii, sufficeret pro omni responsione dicere illud satyricum Persii.

Folle premis ventos, & clauso murmure raucus,
Nescio quid tecum grave cornicaris inepte.

Tamen per singula ejus dicta censui discurrendum. D

Cùm ergo primò dicit, quòd *Simon magus habere voluit Spiritum sanctum, quia nemo dat quod non habet:* aut hoc omninò non est ad propositum, aut ipse per hoc intelligit quòd nemo potest dare Spiritum sanctum, nisi ille qui habet ipsum, quemadmodùm nemo dat denarium, nisi qui habet denarium, & in hoc manifesta includitur hæresis: nam licèt solus Deus propriè & principaliter dare possit Spiritum sanctum; tamen loquendo de datoribus mediatis, qui dicuntur dare Spiritum sanctum ministerialiter, secundùm quem modum Simon magus dari voluit Spiritum sanctum ab Apostolis, & qualiter Aposto-

si ipsum dare poterant, & eorum successores, scilicet Prælati & Sacerdotes; certum est quòd sic dare possunt Spiritum sanctum, scilicet ministerialiter in ipsis Sacramentis, aliqui qui non habent ipsum, quia sunt in peccato mortali: alioquin soli Ministri Ecclesiæ qui essent in gratia, dare possent Spiritum per Sacramenta, quod est hæreticum, ut possset ostendi.

Quantùm verò ad illud quod secundò dixit: scilicet quòd *Simon magus in hoc non peccavit quòd voluit dare pecunias suas pro habendo Spiritum sanctum.* Contra hoc expresè videtur esse textus Scripturæ: quia Petrus ei respondit, *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecuniâ possideri.* Act. VIII. 20. Sed velle dare pecunias pro habendo Spiritum sanctum, seu velle habere Spiritum pro pecunia, est velle ipsum pecuniâ possidere, quod Petrus reputabat damnabile. Igitur &c.

Et per idem, respondeo ad probationem illius dicti. Quando enim subjungit, quòd *Licet dare temporalia pro spiritualibus, nec hoc est simonia.* Istud nego, loquendo secundùm communem usum Doctorum: & ad illam authoritatem quam allegat, *Vade & vende* &c. satis responsum est in uno corollario partis secundæ, primi Articuli. Tamen adhuc dico, quòd cùm dicitur aliquid temporale dari pro spiritualibus, sicut pro vita æterna, vel hujusmodi; sicut dicitur Danielis. IV. 24. *Peccata tua eleemosynis redime.* Ibi ly *pro*, non capitur propriè, prout scilicet notat appretiationem, vel propriè dictam emptionem: sed secundùm Thomam & Jeronymum, *in Summa*, & alios Doctores omnes, ibi accipitur meritum pro emptione, vel redemptione, & est impropria & methaphysica locutio. Si ergo sic intelligat, quòd licitum est dare temporalia pro spiritualibus, scilicet per modum meritoriæ actionis, hoc modo constat quòd Simon magus non voluit dare pecuniam pro Spiritu sancto, vel ejus dono, & per consequens non est hoc ad propositum de simonia; sed est inducere eos qui nesciunt quid sit simonia, ut generaliter credant fore verum quòd pro spiritualibus licet dare temporalia; quæ doctrina est mala, cùm talis propositio, secundùm se, & juxta communem modum loquendi falsa sit, quia in hac materia, ly *pro*, apud Doctores capitur prout notat appretiationem, sicut etiam expresè notavi in conclusione; vel etiam prout notat causam motivam principalem, prout dixi circa finem quæstionis, in solutione cujusdam rationis. Nam sicut dicit Dominus Altissimus, ly *pro*, notat causam principalem, quando propriè accipitur; & in nullo casu licitum est dare temporalia pro spiritualibus, nec sic dare debemus eleemosynam pro vita æterna, seu pro nostra Beatitudine; sed principaliter propter Deum, seu pro Dei bonitate: licèt possumus licitè dare eleemosynam pro vita æterna: sed ly *pro*, denotat causam motivam minùs principalem.

Sed quantùm ad illud quod tertiò dixit, scilicet quòd *Peccatum Simonis, unde simonia nomen accepit, solùm fuit quòd in hoc voluit habere Spiritum sanctum, ut venderet aliis, & in hoc peccatum simoniæ commisit, & non in hoc quòd voluit dare temporalia* &c. Ista propositio innuit, immò quasi clarè exprimit quòd peccatum Simonis non fuit in hoc quòd voluit emere Spiritum sanctum; sed in hoc solùm quòd voluit vendere ipsum, ita quòd si voluisset emere ipsum, absque hoc quòd ipsum voluisset vendere, non peccasset, nec peccatum quod simoniam vocamus commisisset, quod est contra Augustinum, *super Joannem.* Ideò dicitur quòd *Quæ honnestè emuntur, non illicitè venduntur.* Hoc ergo manifestè falsum est, & ut credo, simpliciter hæreticum. Nam licèt verum sit quòd Simon magus ad hoc spiritualem potestatem emere voluit, ut eam posteà venderet, ut dicit sanctus Thomas, & sicut habetur, *in quæst.* 3. *Salvator.* propter quam causam tàm volentes emere quàm volentes vendere, communiter dicuntur simoniaci, sicut dixi in secundo corollario primæ partis descriptionis simoniæ, in primo articulo, *Quasi*: tamen, prout dixit sanctus Thomas 2. *distinctione* 4. *Summarum.* Si distinctè loqui volumus, ementes dicuntur simoniaci, vendentes giezitæ, quia Giezi spiritualia vendere voluit 4. *Reg.* V. Sed quòd Simon magus ea vendere voluit, licèt hoc verisimiliter præsumatur ut dixi; tamen hoc ex textu Bibliæ *Act.* VIII. expresè non habetur; sed solùm quia ea emere voluit: & hæc emptio, seu cogitatio, id est A deliberata volitio emendi, ibi tanquam damnabilis ab Apostolo reprehenditur, quæ etiam damnabilis, & reprehensibilis erat, etiam supposito quòd non habuisset voluntatem vendendi; sicut clarè patet ex dictis in secunda parte primi Articuli, *Quasi*, & specialiter ex secunda ratione ibi facta; quia scilicet dona Dei spiritualia, sunt impretiabilia &c. Et per consequens non solùm in volendo vendere; sed etiam in volendo emere consistit peccatum simoniæ, & principaliter denominatur ab ipsa emptione, sicut patet ex textu sacræ Scripturæ, & per omnes Doctores. Igitur &c.

Item ostendo quòd tertium dictum non stat cum secundo; quia si Simon magus in hoc solùm commisit peccatum simoniæ, quòd Spiritum sanctum voluit aliis vendere; tunc arguo sic: quia per secundum ejus dictum, ipse in hoc non peccavit, quòd B voluit dare pecunias pro habendo Spiritum sanctum. Vel ergo Apostoli peccassent dando, seu volendo ei dare Spiritum sanctum pro suis pecuniis; vel non: si dicat quòd sic, ergo etiam ipse peccasset, volendo pro suis pecuniis ab eis habere, vel sibi dari Spiritum sanctum; quia in hoc particeps fuisset peccati ipsorum, quod est contra ejus secundum dictum. Si dicat quòd non: ergo nec ipse Simon peccasset, volendo aliis vendere Spiritum sanctum, seu volendo eum dare aliis pro pecuniis, quod est contra tertium ejus dictum. Nec Prælati, aut Sacerdotes peccarent, volendo dare Sacramenta, & alia dona Dei spiritualia, pro pecuniis, seu pro temporalibus volendo vendere spiritualia; & sic evacuaretur omnis simonia; & per consequens patet quòd ejus dicta simul non concordant, nec consonant modo loquendi sacræ Scripturæ, & Doctorum. Igitur sunt malè sonantia in Fide, & meritò revocanda, vel saltem exponenda. C

Unde evidenter apparet qualiter aliqui, nescio quo zelo ducti, ferventi animo contra Matrem nostram Universitatem, pro ejus adversario, veritatem persequuntur, dùm falsam & perniciosam doctrinam, sub quadam verborum obscuritate, de mentibus hominum educere, & in publicum dogmatisare conantur. Nec latet, quàm libenter tales in angulis, & latenter, contra veritatis declarationem murmurant, dùm in favorem falsitatis talia obscura, & inepta dogmata, in Fide malè sonantia, patenter asserere, & prædicare publicè non formidant. Et hæc circa tertiam conclusionem, & totum primum Articulum sufficiant.

Quantùm ad secundum Articulum, reprobavi duas D cavillosas responsiones, quibus Cancellarius nititur sustinere quòd pro Licentia docendi in Theologia, non recipit, nec exigit aliquid à Baccalaureis licentiandis. Una est quam dedit in Articulis Domino Papæ præsentatis, in qua dicit, quòd Baccalaurei de ipsorum libera, & merè spontanea voluntate, gratuitè, & liberaliter dant quod volunt. Alia est quam dedit in Parlamento, ubi proposuit quòd Baccalaurei in Theologia licentiandi, tenenter sibi dare ad minùs decem francos, & hoc ratione laboris quem habet occasione Licentiæ conferendæ. Et pro ista secunda via feci quatuor rationes, & induxi aliquas authoritates Scripturæ divinæ, quibus videtur posse

posse probari quòd sit licitum dare, & sic recipere pro labore. Sed posteà ad illas clarè respondi, &, illis non obstantibus, declaravi quòd dictæ duæ responsiones stare non possunt.

Et Primò, ostendi quòd una illarum aliam interimit.

Secundò, quòd prima responsio falsa est.

Tertiò, quòd secunda multa inconvenientia includit.

Probavi primam: quia repugnat quòd Baccalaurei gratis & liberè dant quod volunt, sicut dicit prima responsio, & quòd tenantur ratione laboris dicti Cancellarii sibi dare decem francos, sicut dicit secunda responsio. Et ibi dixi quòd illud quod debetur alicui pro labore, non datur ei merè, liberè, & gratuitè: nam illi qui operatur & cui pro labore merces debetur, merces hujusmodi, seu stipendium laboris non impenditur secundùm gratiam; sed secundùm debitum justitiæ, juxta dictum Christi & Apostoli. *Dignus est operarius mercede sua.* Luc. x. 7.

Sed contra hoc objicitur, quia ex hac authoritate Christi, & aliis pluribus Apostoli, patet quòd Prædicatoribus, ex debito justitiæ debetur victus, ab illis quibus prædicant. Et hoc expresè dicit sanctus Thomas, *in Secunda Secundæ. Quæstione, De Religiosis Prædicatoribus. Art. 5.* Et tamen secundùm Augustinum, hujusmodi victus Prædicatoribus gratis datur, ut ipse dicit in Libro, *De opere Monachorum. Constituit Dominus quòd ex Evangelio viventes, panem gratuitum manducarent ab eis, quibus gratuitam gratiam prædicabant.* Ergo hujusmodi panis, in quo eorum victus intelligitur, licèt eis debeatur; tamen est gratuitus, & gratis datus, & per consequens stat aliquid esse gratis datum, & tamen debitum.

Ad hoc potest dupliciter responderi. Primò, quia Prædicatoribus debetur victus: non dico tamen quòd pro labore, sed pro vitæ necessitate, ut aliàs tetigi, & magis infra declarabo. Et ideò, propriè loquendo, eis non datur gratis; sed tamen dicitur gratuitus: quia licèt eis à populo debeatur; tamen ex eo quòd non est determinata certa quota, quæ ab isto singulari supposito, vel ab illo debetur, ideò quod datur ab aliqua singulari persona, gratuitum, seu gratis dari dicitur.

Alio modo, & magis ad intentionem Augustini, potest responderi quòd panis Prædicatorum, licèt sit debitus, tamen dicitur gratuitus; non quia gratis datus, sed quia sine corporali labore recipitur: & hoc dicit Augustinus, in eodem Libro, sub hiis verbis: *Ut tamen spiritualiter operantes, scilicet prædicando, manducent panem à corporali labore gratuitum.* Ideò patet quòd, non obstante illa authoritate, non stat aliquid esse gratis datum, & de Jure debitum.

Quantùm verò ad primam viam, probavi quòd ipsa non stat, & quòd falsum est quòd Baccalaurei gratis dant; & hoc ostendi ex tribus conditionibus quas ponit Ray. . . . . . *in Summa*, & habentur, *extra. De simonia. Et si quæstiones.* per quas concluditur utrùm gratis, vel ex corrupta intentione datur.

Prima, est qualitas dantis & recipientis.
Secunda, quantitas muneris.
Tertia, tempus donationis.

Unde ex hiis concludebam, verisimiliter præsumendum quòd Baccalaurei licentiandi non dant gratis &c.

Sed contra hoc secundò objicitur, quia, non obstantibus prædictis conditionibus, à magno tempore, & tanto quòd quasi non est memoria de contrario, omnes Baccalaurei licentiandi dederunt: ergo omnes corrupta intentione, & non gratis dederunt, &, per consequens, omnes simoniaci fuerunt, & meritò à suis gradibus deponendi, vel non fuerunt verè Graduati, quod est absurdum, cum etiam multi, ratione hujusmodi graduum, sæpè fuerint in Ecclesia ad summas dignitates promoti.

Ad hoc respondeo, & dico primò quòd falsum est antecedens, scilicet quòd omnes dederunt; quia scio quòd aliqui, & de tempore istius Cancellarii, & aliorum, nihil dederunt.

A Secundò, dico quòd licèt multi dederint, non tamen in omnibus prædictæ conditiones concurrerunt. Igitur stare potuit quòd gratis dederunt.

Tertiò, dico quòd licèt in multis tres prædictæ conditiones concurrerunt; tamen non sequitur quòd omnes tales corrupta intentione dederint. Et ratio est, quòd licèt prædictæ conditiones faciant præsumptionem Juris, ad concludendum quòd corrupta intentione datum sit, & hoc in Foro exteriori: tamen secundùm Guillelmum, illæ conditiones intelligendæ sunt in Foro Causarum, ubi accipitur præsumptio de simonia ex multis circumstantiis, quòd non obstantibus prædictis conditionibus, aliqui qui dederunt, habuerunt conscientiam & intentionem interiorem rectam, vel saltem non corruptam.

Pro cujus declaratione ulteriùs dico quòd aliqui sic dederunt, non advertentes Jura Canonica in ista B materia, nec etiam Privilegia Universitati concessa, & ex illa inadvertentia dabant, non pro ipsa Licentia, seu pro majoris sui honoris promotione, per muneris corruptelam inducenda, aut procuranda; sed credentes quòd sic dare esset licitum & honestum: & licèt tales haberent intentionem in hoc erroneam, & per illam inadvertentiam opinionem falsam; non tamen intentionem mala affectione corruptam.

Quintò, dico quòd aliqui dederunt, qui in dando habuerunt intentionem rectam; quia si dederint ad redimendam vexationem suam, & hoc maximè potuit esse tempore istius Cancellarii, qui non dantibus vexationes multas intulit, auferendo, vel differendo jus suum. Quando autem aliquis sic vexatur injustè in suo spirituali jure, licitum est dare pro vexatione sua redimenda. *Extra. De simonia. Canone. Dilectus* 1. Et juxta illud Apostoli *Redimentes tempus cùm dies mali sunt.* Ephes. v. 16. ut *in quæst. 9. quæsitum.* & *extra. De Magistris. Prohibeas.* Hoc tamen secundùm C glossam, & secundum Guillelmum, & sanctum Thomam, *in summa*, non habet locum super jure spirituali, nisi quando redimenti pro certo constat de Jure suo, aliter non.

Et si dicatur quòd nulli potest pro certò constare quòd habeat jus ad Licentiam Theologiæ, quia hoc de se credere esset superbè præsumere. Igitur &c.

Ad hoc respondeo, negando antecedens, quia ex illo sequeretur quòd nullus posset licitè appetere, seu petere Licentiam Theologiæ, quod est falsum. Nam sicut dixit sanctus Thomas, in quadam quæstione. De tertio quolibet. *Petere hujusmodi Licentiam quantùm est in se, nullam videtur turpitudinem continere; potest tamen quandoque turpitudinem continere, ratione præsumptionis, quæ esset, si ille qui non est idoneus ad docendum, peteret docendi officium: sed hæc præsumptio*, ut dicit, *non æqualiter est in petentibus Licentiam ad docendum, & in petentibus Pontificatum.* Et rationem subdit, quæ est ad proposi- D tum: *Nam scientiam per quam aliquis est idoneus ad docendum, potest aliquis scire per certitudinem se habere: Charitatem autem, per quam aliquis est idoneus ad pastorale officium, non potest aliquis scire, per certitudinem se habere: & ideò semper est vitiosum Pontificatum petere, non autem semper est vitiosum petere Licentiam docendi.* Igitur patet quòd multi, absque superba præsumptione, possunt credere, immò de certo scire, se habere jus ad Licentiam Theologiæ, & tales quandoque potuerunt licitè dare pro redimenda vexatione, vel saltem sine corrupta intentione.

Dico tamen ulterius. Si aliqui non fuerint idonei ad

ad docendum, sive hoc crediderint, sive oppositum, & illi dederint ad Licentiam Theologiæ obstinendam; tales corruptam intentionem habuerunt, & simoniam commiserunt, nec per redemptionem vexationis excusati sunt.

Dico septimò, quòd stat aliquos non gratis dedisse; sed in dando corruptam intentionem habuisse, & tamen simoniam non commisisse. Patet, si aliqui fuerint idonei ad docendum, & securi de Licentia habenda, qui tamen dederint, non pro ipsa Licentia, sed ad honestiorem locum Licentiæ obtinendum: tales enim non commisissent crimen simoniæ, sed vitium concussionis, vel ambitûs, seu ambitionis: & ideò licèt peccassent; tamen fuissent verè Graduati & Licentiati. Secùs autem de illis qui fuissent ad Licentiam simoniacè promoti. Exemplum potest poni de illo qui dignè esset ad sacros Ordines promovendus, & de sua promotione esset securus, si daret Episcopo pecuniam, non pro ipsis Ordinibus, sed ut inter alios esset primo loco ordinatus, in casu quo, tali primævitati esset aliquis honor annexus: talis enim non esset simoniacus, sed ambitiosus, nec à Gradu, vel Officio removendus.

Ultimò dico, quòd licèt Baccalaurei qui tempore retrò acto dederunt, modis supradictis, vel quibusdam aliis, possint à simonia excusari, & ab omni crimine vel vitio; tamen non sic excusari possunt illi qui modò darent Cancellario. Ratio diversitatis est, quia ipse ab eis pecunias, & quædam juramenta obsequiosa simoniacè exigit, & in sic exigendo est manifestè simoniacus, ut aliàs probavi, & inferiùs declarabo. Igitur illi qui sibi sic exigenti darent, secùm in crimine simoniæ participarent, & sicut ipse, simoniaci essent, nec possent propter redemptionem vexationis excusari. Sui verò prædecessores non sic exegerunt; sed solùm tanquam gratis oblata receperunt, quod patet de Joanne de Calore suo immediato prædecessore, qui à Clerico suo quem mittebat ad portandum signeta, recipiebat juramentum quòd nihil exigeret, & quòd non portabat signeta, animo aliquid recipiendi, & ipsum, ut audiui, instruebat, quòd sibi oblata prima vice, in signum quòd essent gratis data, cum quadam honesta modestia refutaret. Scio etiam quòd aliquas pecunias sibi missas, & gratis datas quandoque reddere obtulit. Et si dicatur quòd saltem ipse excusari non possit, de hoc quod recepit, quia fecit contra Privilegium, *Parens scientiarum*: in quo dicitur quòd nihil recipiat pro Licentia concedenda.

Respondeo quòd istud Privilegium solùm prohibet recipere pro Licentia, vel etiam pro labore annexo inseparabiliter in ipsa Licentia concedenda, sicut aliàs dixi in tertia probatione primæ conclusionis principalis secundi Articuli: sed non videtur prohibere recipere gratis data. Et si iterùm dicatur, quòd Privilegium, *Servus Crucis*, prohibet gratis dare, quia simpliciter dicit: *Nullus incipiat Licentiatus à Cancellario ab alio datâ ei pecuniâ* &c. Respondeo quòd istud solùm prohibet Baccalaureis dare; sed non Cancellario recipere, saltem expressè. Quia tamen si Baccalaurei illicitè dant, Cancellarius illicitè recipit, quia in sic recipiendo cum eis in peccato participat & consentit: ideò dico quòd Licentiatus, qui gratis dat, non illicitè dat, nec in hoc peccat, dùm tamen non incipiat, quia in hoc Privilegio non incipere, est pœna dantis. Ideò si talem pœnam subeat, videtur quòd culpam non incurrat, juxta M. Joannis Monachi. *Canone... cupientes. de electis. Lib. 6. Ca. ad hoc.*

Aliter potest dici quòd istud Privilegium simpliciter prohibet dare etiam gratis, & implicitè prohibet Cancellario recipere à Baccalaureis, secundùm mentem Legislatoris. Et ideò tàm Cancellarii, quàm Baccalaurei qui contra fecerunt, saltem contumaciter, Sententiam excommunicationis incurrerunt, ut ibidem dicitur. Credo tamen quòd ipsi, vel saltem multi ipsorum, agnoverunt hoc Privilegium. Ideò non intelligitur contumaciter fecisse contra ipsum, quia licèt ignorantia Juris communis, & maximè Juris divini non excuset: ignorantia tamen Juris privati, sicut talis Privilegii benè excusat, dùm tamen non sit ignorantia crassa, & affectata, qualis esset ignorantia quæ modò est in quibusdam, qui, non obstante quòd sciant Privilegium, tamen ex inordinata affectione non credunt quòd sit illicitum dare, vel recipere, & ex tali ignorantia dant, vel recipiunt.

Et ex omnibus prædictis clarè patet responsio prædictæ rationis principalis, & excusatio quorumdam qui dederunt, & receperunt temporibus retroactis, & etiam accusatio aliquorum in casibus certis.

Sed quia nos sumus in materia de dando gratis, adhuc tertiò principaliter arguitur contra istud quod modò dictum est de Privilegio, *Servus Crucis*, scilicet quòd simpliciter prohibet dare etiam gratis. Nam videtur quòd non potest prohiberi quin licitè possit gratis dari; nam quidam non pro Licentia, aut labore, vel pœna in ipsa Licentia concedenda; sed pro benevolentia voluntatis ipsius Licentiam conferentis, juxta illa quæ dixi in ultimo corollario secundæ partis primi Articuli; quia sic dare gratis, est actus virtutis, scilicet liberalitatis, vel gratitudinis; sicut dictum fuit de Naaman Syro &c. Sed actus virtutum non sunt prohibendi, nec possunt illicitè fieri, quia secundùm Philosophum. *Virtutibus non contingit malè uti.* Igitur &c.

Ad hoc posset dupliciter responderi: uno modo, modificando illud quod dictum est, quòd illud Privilegium simpliciter prohibet dare, etiam gratis, scilicet ante Licentiam & incœptionem: & hoc notatur cùm dicitur *Nullus incipiat datâ pecuniâ &c.* Sed non prohibet dare gratis, post incœptionem, sicut etiam Naaman Syrus dedit Giezi pecuniam, vel dare obtulit, post doni spiritualis receptionem, ut dixi in corollario præallegato. Sic autem dare in collatione doni spiritualis, est actus virtutis & laudabilis gratitudinis, aliàs non. Si quis verò omninò dicere velit quòd illud Privilegium simpliciter prohibet dare pecuniam, & ante, & post incœptionem, potest consequenter respondere quòd recipiens Licentiam pro benevolentia voluntatis ipsius conferentis, potest benè aliud reprehendere, quàm pecuniam, scilicet reciprocam benevolentiam, & honorem, & reverentiam. Et ideò Privilegium non prohibet sibi actum virtutis, scilicet gratitudinis; sed solùm prohibibet secundùm quid, scilicet circa certam materiam, idest pecuniam, & hoc non est inconveniens.

Insuper potest dici, quòd virtutibus, & earum actibus interioribus non contingit malè uti: sed quia earum actus exteriores, secundùm se, non sunt boni, vel mali, sed prout procedunt ex actu interiori: ideò talibus actibus exterioribus contingit malè uti, & propter hoc, vel quandoque, vel ex alia causa rationali, aliquibus personis, & in casibus certis possunt prohiberi. Verbi gratiâ: publicè docere, est actus virtutis, & tamen hunc actum prohibet Apostolus mulieribus, ut supra dixi. Similiter eleemosynam dare, est actus virtutis; & tamen prohibetur aliquibus Religiosis, quia Religioso cui non est rerum dispensatio commissa, non licet eleemosynam facere, ut dicit Sanctus Thomas, *in quadam quæstione. de tertio quolibet.* Sic ergo in proposito, gratis dare, potest non solùm Religiosis; sed etiam aliis prohiberi, & hoc ex causa rationali, scilicet ad tollendum omnem speciem mali, & omnem suspicionem corruptelæ. Et hæc sufficiant circa primam responsionem partis adversæ.

Quantùm ad secundam responsionem Cancellarii, in

in qua dicit, quòd potest licitè à Baccalaureis licentiandis recipere, & rigorosè exigere, ad minùs decem francos pro suo labore: contra hoc declaravi tres conclusiones.

Prima fuit, quòd Cancellarius non potest licitè recipere, vel saltem non potest exigere à Baccalaureis licentiandis, ratione sui laboris: & hanc probavi primò, ex Jure divino. Secundò, ex Jure humano. Tertiò, ex speciali Privilegio Universitati Parisiensi concesso.

A Prima autem probatio continebat sex rationes, in quarum prima & principali dixi, quòd Papa non posset licitè recipere, vel saltem exigere à licentiandis, ratione sui laboris. &c. Et per consequens, nec Cancellarius &c.

Sed contra hoc quartò arguitur. Nam ista ratio fundatur in hoc, quia Papa licentiando aliquos in Theologia, mittit eos ad opus suum; scilicet ad pascendum gregem Ecclesiæ, & ideò pro labore sic mittendi non debet ab eis exigere, sed magis eos remunerare &c.

Contra hoc arguitur autem: quia sicut se habebat Aaron Sacerdos Summus, ad Sacerdotes inferiores Legis Moysi; sic Papa ad Licentiatos, & alios gradus Ecclesiasticos Legis Christi; sed Summus Sacerdos à minoribus Sacerdotibus, licèt eos mitteret ad opus suum, sicut Papa, quando mittit aliquem ad docendum, poterat ab eis pro suo labore exigere decimam decimæ, sicut patet, *Numerorum.* XVIII. 24. Ergo & propter hoc licitè posset ab eis quos licentiat ad docendum, vel prædicandum. Igitur &c.

Confirmatur: quia licèt fortè prædicta ratio haberet locum, vel aliquam apparentiam in illis Licentiatis quos Papa, motu proprio, mitteret ad opus suum, pro necessitate Ecclesiæ; non videtur tamen valere de illis qui requirunt & procurant ut ab eo mittantur, etiam quandoque importunè, & absque ulla Ecclesiæ necessitate. Igitur saltem à talibus licitè posset exigere.

Ad Primam dico. Primò quòd, sicut inferiùs pleniùs declarabo, nec Summus Sacerdos, nec alii Levitici generis recipiebant decimas pro labore suo in spiritualium administratione, sed pro necessitatibus vitæ. Unde ibidem dicitur: *Decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum & necessaria separavi.* Ideò Minor rationis est falsa.

Secundò. Dico quòd Summus Sacerdos ab aliis inferioribus decimam decimæ non exigebat, sed per modum oblationis gratuitè Deo factæ eam recipiebat. Unde sequitur ibi. ℣. 26. *Cùm acceperitis decimas à filiis Israël, primitias earum offerte Domino, idest, decimam partem decimæ.* &c. *Et date Aaron Sacerdoti* &c. ℣. 29. Et ideo iterùm Minor est falsa.

Tertiò. Dico quòd Summus Sacerdos licèt ab aliis Sacerdotibus reciperet immediatè illam decimam decimæ, tamen mediatè recipiebat eam à populo, cui ipse, & alii ministrabant in Tabernaculo: & hoc est quod ibi permittitur, *Cùm*, inquit, *acceperitis decimas à filiis Israël.* Et etiam Papa potest licitè recipere, immò qualibet die exigit decimam à viris Ecclesiasticis, de redditibus beneficialibus, quos loco decimarum habent à populo Christiano. Et hoc modo, si illi quos ipse per se, vel per alium licentiat, haberent reditus à populo, posset ab eis recipere, vel exigere decimam decimæ, & tunc magis censeretur eam recipere per medium ipsorum à populo, quàm ab eis. Igitur &c.

Ultimò. Dico quòd quia hujusmodi Licentia non est annexa opitulatio ordinaria, ratione cujus ipsi Licentiati habeant, vel recipiant certos redditus, vel proventus à populo: ideò Papa vel alius, loco Papæ, eos licentians, & mittens ad opus doctrinæ, vel prædicationis, non potest licitè exigere decimam decimæ, vel aliud temporale emolumentum, ratione sui laboris, & suæ missionis. Igitur &c.

Ad confirmationem dico, quòd ratio mea habet locum in omnibus Licentiatis, tàm in illis quos Papa, motu proprio, mittit, quàm in illis qui procurant & requirunt ut mittantur: quia illi qui procurant, & petunt ut licentientur; vel sunt ad hoc digni, vel non: si sunt digni, tunc licitè petunt Licentiam, secundùm opinionem sancti Thomæ, ut supra dixi, in secunda responsione principali hujus Articuli, dùm tamen ea non petant importunè & inhonestè, & quòd hoc faciant pro utilitate Ecclesiæ: quia velle per licentiam Papæ scientiam suam aliis communicare, laudabile est, & ad Charitatem pertinens, juxta illud Sapientiæ. VII. 13. *Quam sine fictione didici, & sine invidia communico.* Et prima Petri IV. 10. *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrùm illam administrantes.* Et ideò se ad opus doctrinæ, vel prædicationis offerre, talibus non est vituperabile; cùm Isaïas ad hoc se obtulerit, dicens, *Ecce ego mitte me.* Isaïæ VI. 8. Igitur ex hoc quòd tales Papæ se offerunt ad faciendum opus suum, non potest ab eis licitè exigere pro labore eos mittendi lucrum & emolumentum; sed magis eos pro hoc remunerare.

B Si verò tales sunt indigni ad tale officium, tunc præsumptuosè petunt, nec mittendi, aut licentiandi sunt; & à talibus recipere, vel exigere, haberet speciem mali, quia probabilis suspicio esset quòd tales indigni, essent propter lucrum temporale promoti. Igitur patet quòd nec à dignis, nec ab indignis Licentiam petentibus, potest aliquid Papa exigere, ratione sui laboris.

Quintò. Principaliter arguitur contra prædictam conclusionem in se, & simul contra præmissam probationem ejus: quia Episcopus pro quibusdam operibus spiritualibus ad quas tenetur, à suis subditis, ad quos pascendos mittitur, licitè potest recipere, & exigere; puta cùm ipse consecrat Ecclesiam, vel visitat Episcopatum, potest exigere procurationem. *Extra. de simonia. Cum sit Romana.* x. q. 4. *Relatum.* Et dicit Gaufredus, quòd non audet dicere quòd pro actu consecrandi, vel visitandi, Episcopus aliquid exigat, sed pro labore viæ. Cùm ergo Episcopus, authoritate Juris, & per consequens, authoritate Papæ, sic possit exigere pro suo labore; sequitur quòd etiam Papa, & Cancellarius, qui ab eo mittitur ad ipsos Baccalaureos, & pro ipsis licentiandis, pro suo labore potuerint exigere ab eis, quia non apparet ratio dissimilitudinis.

C Ad istud dico. Primò quia hic est magna dissimilitudo: quia Episcopus exigit ab illis ad quos principaliter mittitur: Cancellarius autem non; quia ipse non mittitur ad Baccalaureos licentiandos, principaliter pro ipsis, sed pro illis ad quos ultimatè mittuntur, scilicet principaliter pro populo docendo, in favorem totius Ecclesiæ: & ideò Ecclesia, & non ipsi Baccalaurei debet eum remunerare. Et idem dico de Papa, in casu quo propter hoc aliquid vellet recipere, vel exigere, sicut aliàs tetigi exemplum de illis quos Papa mittit in guerram suam, vel Ecclesiæ, &c.

Secundò. Dico quòd opinio Gaufredi non est vera, quæ dicit quòd Episcopus, in prædictis casibus, exigat procurationem pro labore viæ. Unde Bernardus in Glossa, super Capitulo, *Cùm sit Romana*, dicit expressè quòd nec pro labore, sed potiùs quia ista procuratio à Jure permissa est. Immò etsi Ecclesia propter paupertatem procurare non posset Episcopum; ipse suis sumptibus Ecclesiam debet consecrare 10. quæst. 4. *Cavendum hoc*, & idem tenet Ostiensis. Ibidem. Igitur &c.

D Tertiò. Dico quòd ex prædicta opinione Bernardi, & Ostiensis, & communiter omnium Doctorum, apparet quòd in administratione operarum spiritualium, ad quas ex officio quis tenetur, nunquam est licitum exigere, nisi bonum, hoc est, expressè permissum à Jure: & ideò cùm licentiare in Theo-

 lo-

logia, sit opera spiritualis, ut declaravi, non est Cancellario licitum in illius administratione, cùm ad hoc ex Officio teneatur, aliquid exigere; quia hoc non est sibi à Jure permissum, immò expresse prohibitum. *Extra. de Magistris. Quanto quod causam*, ut dicit Glossa, propter Cancellarium par Ecclesiæ fuit factum: quia cùm hoc sit à Jure permissum Episcopo in visitando, & non Cancellario licentiando, patet clarè ratio dissimilitudinis, & ex dicto patet quòd ratio non est ad propositum conclusionis.

Sexto. Arguitur contra illud quod dictum est, quòd non est licitum exigere pro labore, sicut etiam nunc tactum est, secundùm Bernardi opinionem, & Ostiensis: unde quidam aliter arguebat sic: quia in administratione rerum minùs pretiosarum, licitum est laborem suum vendere, seu pro ea exigere, sicut patet de labore in administratione rerum corporalium; ergo similiter in administratione rerum magis pretiosarum, scilicet rerum spiritualium. Igitur &c. Et confirmatur ex parabola Evangelica Mathei. XIII. 45. De homine negotiatore qui *inventâ unâ pretiosâ margaritâ, vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* Ut dicit glossa, quòd *Illa pretiosa margarita est scientia salutis.* Si ergo scientia salutis, scientia Theologica, propter suam pretiositatem licitè potest emi; multò magis labor in sui administratione, ratione suæ pretiositatis, majori pretio potest vendi, quàm labor in administratione rei vilioris; scilicet rei corporalis. Igitur &c.

Ad hoc dico. Primò, negando consequentiam: quia non est simile de labore in rebus corporalibus, & in spiritualibus; nec pretiositas rerum spiritualium concludit quòd talis labor sit licitè venalis: immò magis concludit oppositum, sicut patet ex tertia ratione quam posui in secunda parte primi Articuli, quod & hic nunc magis declaro, scilicet ex comparatione rei venditæ, ad pretium. Nam sicut dicit Durandus: *Prima quæstione, de simonia.* super 4. *dist.* 41. Illa venditio est de se illicita, in qua res vendita non potest per pretium comparari, vel compensari: hoc enim habet natura emptionis, & venditionis, quòd res empta, vel vendita compensetur pretio; sed res spiritualis non potest terreno, vel temporali pretio compensari, juxta illud *Proverbiorum.* III. 15. quod dicitur de Sapientia, quòd *Pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur, ei non valent comparari.* Et eadem ratione, hoc verum est de aliis donis spiritualibus, sicut tetigit Petrus, *Actuum* VIII. 20. dicens Simoni. *Pecunia tua* &c. *quia existimasti* &c. Unde concedendo quòd quia res spiritualis propter sui pretiositatem non est licitè venalis; propter hoc nec labor in ejus administratione inseparabiliter annexus, qui etiam per attributionem spiritualis dicitur, nunquam licitè venditur, quidquid sit de labore in administratione rei corporalis, quæ propter minorem pretiositatem est pretio comparabilis, & ideò labor ei annexus potest dici licitè venalis.

Tamen adhuc dicit prædictus Doctor ibidem, in eadem quæstione, quòd *Non solùm concomitantia illa, maximè quæ inseparabilia sunt ab administratione Sacramentorum, ut labor corporalis, qui est in administrando Sacramenta, vel in consecrando Ecclesias, nullo modo vendi possunt sine vitio simoniæ.* Immò, reddendo causam hujus, subdit generaliter quòd *Labor operantis nunquam cadit sub conditione, sed solùm opus, etiam in pure corporalibus.*

Et hoc declarat sic: *Quia sicut operarius, sicut carpentator, vel fossor vinearum, posset opera sua exercere, sine labore quocumque, nihilhominus posset vendere ea: & si laborando exerceat prædicta opera, & ea vendat plus propter laborem; tamen emens non emit plus propter laborem, sed propter fructum operis, ad quem nihil facit labor operantis: quia si sine labore fierent, æqualis fructus fieret ementi prædicta opera: unde labor nunquam secundùm se emitur ex intentione mentis, sed solum opus cui annexus est labor.* Et ideò concludit quòd *Si opus administrationis Sacramentorum, & aliorum spiritualium, non potest cadere sub venditione, sine vitio simoniæ; nec per consequens vendi potest labor qui est in tali opere, nisi simoniacè: & dicere oppositum est rediculum, & præstans velamentum excusationis simoniacorum, qui possent dicere: non vendimus Sacramenta, sed laborem quem habemus in administratione Sacramentorum.* Et ideò ulteriùs concludit, quòd *Si aliquid licitè recipit Minister Ecclesiasticus, dispensando Sacramenta, non recipit illud* A *ut pretium operis, vel laboris; sed ut sustentationem Ministri*: sicut etiam aliàs dixi, & idem tenet Petrus Aureoli, *Lib.* 4. *dist.* 41. *quæstione* 3. *art* 2. *ejusdem.* Et ad hunc intellectum vera est opinio supra dicta Bernardi, & Ostiensis. Igitur &c.

Ad confirmationem verò, dico quòd in illa parabola Evangelica, Christus loquitur similariè, & capitur ibi emptio, non propriè, sed metaphysicè; sicut etiam supra dixi, Regnum cœlorum emi, scientiam, margaritam: scientia Christi similariè, & mysticè dicitur emi, omnibus aliis venditis, quia pro ea homo omnibus mysteriis veteris Legis & observationibus renuntiat, sicut fecit Paulus, ut ibidem dicit Glossa. Igitur &c.

Septimò. Arguitur, contra illud quod dictum fuit in tertia probatione principali dictæ conclusio- B nis, scilicet quòd per Privilegia Universitatis, Cancellarius non solùm non potest licitè exigere, sed etiam nec recipere pecuniam, aut juramentum obsequiosum &c. Nam si Papa per hujusmodi Privilegia voluit prohibere dationem, & receptionem pecuniarum, scilicet quia inductivæ sunt ad corruptionem: ergo similiter prohibere debuit recipere preces, seu litteras precum, cùm tales possint corrumpere Judicem. Etiam munus à lingua consistit in precibus, & in tali munere potest committi simonia, sicut in munere à manu, vel ab obsequio, ut dictum est. Igitur &c.

Ad hoc dico quòd Papa rationabiliter magis debuit prohibere pecuniæ receptionem, quàm precum, quia receptio pecuniæ, quantùm est de se, magis est corruptiva Judicii, & magis habet speciem mali. Unde etiam quandoque preces non corrumpunt Judicem, sed sæpè instruunt, & informant de sufficientia illius pro quo fiunt. Tamen, sicut dicit Duran- C dus, ubi supra, *quæst.* 2. & communiter alii Doctores, distinguendum est, quia preces, vel fiunt pro digno, vel pro indigno: si pro indigno, tunc benè apparet clarè, quod nihil aliud movet ad exaudiendum tales preces, nisi favor precantis, aut periculum quod timetur, nisi preces potentis exaudiantur, quæ preces dicuntur armatæ. Et ideò in hoc casu semper est simonia, cùm ad tales preces aliquid spirituale datur: si verò preces fiant pro digno, quantùm ad judicium hominum, probabile est quòd dans magis moveatur intuitu dignitatis personæ, quàm favore precum. Verumtamen si principaliter moveatur favore precum, vel timore rogantis; quantùm ad Judicium Dei, simoniam committunt & rogatus qui dat, & rogans, si hoc intendat ut dicit iste Doctor. Et idem, Sanctus Thomas, & Ostiensis, & alii: D & similiter, secundùm eum, dicendum est de obsequio, quantumcumque sit honestum, quòd simonia est, si pro eo detur principaliter spirituale donum.

Ratio autem istorum est, quia idem est judicium de pecunia, & de omni pretio temporali quod potest per pecuniam comparari: sed favor personæ, & quodcumque obsequium, quantumcumque honestum, est commodum temporale quod potest pecuniâ comparari: ergo sicut est peccatum simoniæ conferendo aliquid spirituale digno, vel indigno, pro pecunia; similiter est simonia, si conferatur digno, vel indigno, aliquod spirituale pro munere

re à lingua, ideft, pro favore precum; vel munere ab obsequio, si ad hac principaliter habetur respectus: habetur autem principaliter respectus, quando sine hiis non esset aliter collatum. Hæc ille. Et concordat cum hiis quæ dixi in primo corollario secundæ partis, primi Articuli, *Quasi.* Et per hæc patet solutio prædictæ rationis. Et hæc circa primam conclusionem.

Secunda conclusio fuit, quòd esto quòd Cancellarius posset aliquid exigere, aut recipere pro labore, non tamen tantum quantum exigit, vel quantum se posse recipere asserit & proponit: & hæc conclusio probabitur tripliciter.

Primò, ex conditione recipientis.

Secundò, ex conditione dantis.

Tertiò, ex comparatione doni, & laboris.

Prima ratio fundatur in hoc, quia Cancellarius habet in hac parte Judicis Officium, & pro hoc Officio habet Ecclesiasticum Beneficium; ratione quorum, scilicet Officii, & Beneficii, tenetur ad licentiandum: quare non debet recipere magna munera, sicut est munus decem francorum &c. Juxta notas Ray. . . . , sancti Thomæ, & aliorum Doctorum &c.

Contra hanc conclusionem arguebat quidam sic: quia Archidiaconus Tholosanus, qui ex Officio licentiat in Theologia, plùs recipit quam Parisiensis Cancellarius: unde quia ipse quandoque volebat exigere viginti francos, ut solitum erat; lis super hoc fuit in Romana Curia, & tandem illa summa fuit ad duodecim francos reducta: & tamen ille non habet tantum laborem, sicut Cancellarius Parisiensis; quia nec ipse facit collationem in Licentiis, nec arguit in Magisteriis, ut iste asserit. Igitur &c. Ad hoc etiam facit illud quod Cancellarius allegat in suis Articulis, scilicet Articulo X. Ubi dicit quòd prædictus usus laudabilis est, & similiter in aliis Universitatibus observatus, scilicet quòd Baccalaurei licentiandi dona omnia faciunt quandoque majora præmissis &c.

Ad hoc dico primò, quòd ille usus, seu abusus, in Tholosa generavit scandalum Fidei, quia ibi dixerunt Judæi, quòd Rabi Fidei nostræ, ideft, Doctores & Magistri, fiunt per pecuniam: & ideò, propter speciem mali tollendum, etiam si non esset alia ratio, Papa deberet illum abusum damnare, sicut patet ex dictis in tertia conclusione, in probatione primæ propositionis.

Secundò. Dico quòd non credo quòd Papa, vel Romana Curia, illum usum in Tholosa approbaverit per Sententiam definitivam: sed fortè partes litigantes in hoc consenserunt per communem concordiam: & si Papa hoc diffinivisset, videnda esset forma Mandati; aliter de hoc nescirem certitudinaliter loqui.

Tertiò. Dico quòd illa diffinitio, vel declaratio Papæ, magis esset contra Cancellarium, quàm pro eo; quia ille Archidiaconus Tholosanus reciperet, vel exigeret authoritate Papæ, & ex speciali Privilegio; Cancellarius autem non. Immò contra Jus commune, & contra Privilegia Universitatis, & Mandatum Papæ, ut dictum est.

Quartò. Idem dico de aliis Universitatibus, in quibus ille usus servaretur, non tamen servatur in omnibus; nam Aureliano, nihil datur, & etiam Parisiis, in Artium Facultate, Papa prohibet recipere, etiam pro labore: & si ita sit in hiis, multò magis debet servari in Theologia, cùm ipsa sit magis spiritualis, & magis debet esse libera & liberalis, quàm scientia Legum vel Artium liberalium, ut notum est. Igitur &c.

Octavò. Sic arguitur contra prædictam conclusionem, & ejus probationem, sive ex ejus probatione contra eam: quia per probationem, ideò non est licitum Cancellario exigere, quia pro tali Officio exercendo habet Beneficium. Si ergo non haberet Beneficium pro Officio, vel si Beneficium non sufficeret ad victum suum, vel statum; videtur quòd posset exigere, sicut Magister, licet habeat Beneficium, si tamen ipsum habeat, & non pro Officio docendi, vel si Beneficium sit Officio docendi annexum, & non possit commodè illo Beneficio sustentari, potest exigere, secundùm Ray. . . . , & Ostien-
A sem. *Argumento 12. quæst. 2. quicumque.* Et *Capitulo, Ecclesiasticis.* Et *Capitulo, Charitatem.*

Modò Cancellarius dicet, quòd non habet Beneficium Cancellariæ pro Officio licentiandi, quia Beneficium Cancellariæ fuit antequam fortè esset Cancellario commissum Officium licentiandi. Dicet etiam, quòd licet haberet tale Beneficium pro hujusmodi Officio, tamen non potest de illo commodè sustentari, ut ipse in Parlamento proposuit; & per consequens, poterit exigere pro supplemento victus sui. &c.

Ad istud dico primò, quòd non est simile in proposito, de Magistro docente, & de Cancellario licentiante; quia in casu prædicto, concessum est à Jure quòd Magister docens recipiat, vel exigat, ut patet per Jura allegata. Sed in propositio non est sic Cancellario à Jure concessum, vel permissum: immò expressè prohibitum, ut aliàs dictum est, &
B ostensum.

Dicunt etiam aliqui, sicut Guillielmus in Glossa, quòd illi Magistri, qui ab Ecclesia habent stipendium non sufficiens, possunt inopiam suam scolaribus exponere, & insinuare quòd libenter reciperent, si gratis darent: sed non licet extorquere ab invito; nec debent eos repellere à scolis, vel spolia eorum accipere, si non velint spontè promittere. Sed postquam promiserint, promissa possunt exigere, & sic, ut credo, intellexit Ray. . . . . : quòd si sua non sufficiunt eis competenter, & honestè, possunt licitè exigere moderatè. Et consimiliter dici posset in proposito de Cancellario, nisi esset sibi omninò prohibitum tàm exigere, quàm recipere, sicut patet ex speciali Privilegio supra allegato.

Dico secundò quòd Cancellarius habet Beneficium propter Officium licentiandi: nam Papa, habenti
C Beneficium Ecclesiasticum sufficiens ad victum honestum, potest ex causa rationali, & pro utilitate Ecclesiæ, committere aliquod Officium, maximè quando est honoris, absque hoc quòd augeat ejus Beneficium, vel quòd ei det authoritatem ad recipiendum novum stipendium, maximè quando ipsum non contingit extra suum domicilium proficisci. Juxta *Ca. statutum. De Rescriptione. Lib.* 6. Et juxta *Capitulum. Cum ab omni de vi. . . . & ho. . . . Cle. In antiquis.* Et potest poni exemplum in materia nostra, de Cancellario sanctæ Genovefæ. &c. Pro hoc etiam faciunt notata per Ostiensem, *in dicto cap, Cum ab omni.* Ubi dicit, quòd delegatus Papæ, sufficienter beneficiatus, vivens de bursa litigantium, inhonestè vivit & peccat. Et ratio est, quia stipendia sui Beneficii sunt de patrimonio Christi, & debet esse illis contentus, sicut Judex sæcularis de hiis
D quæ dantur à Fisco. Et sic, à fortiori, dico de Cancellario, cum sit Judex Ordinarius; & tunc talis censetur habere hujusmodi Beneficium propter Officium, etiam supposito quòd priùs habuerit Beneficium, ante illud Officium. Et Cancellarius censetur habere Beneficium Cancellariæ, propter Officium licentiandi.

Dico tertiò quòd Cancellaria Parisiensis sufficit ad victum honestum Cancellarii, & si tamen non habet alia Ecclesiastica Beneficia, de quibus potest honestè sustentari, & hoc sufficit: quia cùm ipse exercendo Officium licentiandi, non solùm serviat Universitati, nec Ecclesiæ Parisiensi, nec uni Regno, vel Patriæ, sed toti Ecclesiæ universali; suffi-

sufficit etiam quòd sustentetur de bonis Ecclesiæ cujuscumque, & in hoc debet contentari: sicut, à simili, dicitur de illo qui servit Principi, pro Republica, quòd debet & potest recipere stipendium de aliqua alia Ecclesia particulari, licèt eidem specialiter non serviat, & *in Canone. Cùm dilectus. De Clericis non residentibus.* Cum suis similibus.

Dico quartò, quòd esto quòd ipse non haberet de bonis Ecclesiasticis ad sufficientiam sui status; tamen in hoc non debet esse Judex; nec ad ipsum, sed ad Papam, vel alium Judicem superiorem pertineret judicare, vel determinare quid & quantùm sufficeret ad sui status honestatem: nec propter indigentiam deberet exigere, vel recipere, cùm sit sibi prohibitum; nec propter hoc licitè posset sui Officii exercitium denegare, sed teneretur suum officium exercere, aut Beneficium dimittere; exemplo pauperum Curatorum, qui licèt habeant pauperrima Beneficia, tamen tenentur eis deservire, vel ea dimittere. Igitur &c.

Decimò. Arguebatur contra eamdem conclusionem, quia Magistri recipiunt vestes à Baccalaureis magistrandis, & hoc licitè recipiunt, ratione sui laboris: ergo Cancellarius similiter poterit licitè recipere à Baccalaureis licentiandis, quia non minorem videtur habere laborem, ratione Licentiæ, quàm Magister ratione Magisterii conferendi; & tamen vestes quæ dantur Magistris, regulariter plus valent quàm illud quod petit Cancellarius. Ergo in hoc non videtur reprehendendus &c.

Ad hoc dico quòd hîc est magna dissimilitudo, & multiplex ratio diversitatis.

Primò. Quia Magisterium non est quid spirituale, sicut Licentia Theologiæ, ut infrà dicam: & ideò recipere aliquid in ipsius administratione, non habet speciem simoniæ, sicut recipere in administratione Licentiæ. Non dico tamen quòd Magistri recipiant pro ipso Magisterio, nec etiam pro labore in ipsum administrando, saltem propriè & principaliter, licèt fortè adminiculativè, & occasionaliter.

Secundò. Quia Magistri circa suos Baccalaureos magistrandos non habent post Licentiam judicialiter cognoscere, nec de eorum sufficientia judicare: & ideò talium vestium, aut aliorum munerum receptio, vel oblatio, non corrumpit, aut pervertit in eis judicium; secùs autem est de Cancellario, cùm sit Judex &c. ut aliàs dictum est.

Tertiò. Quia Magistri ex Officio suo non tenentur ad illos labores, seu actus exercendos, quos habent circa Baccalaureos per eos magistrandos: Cancellarius autem ex Officio tenetur ad licentiandum Licentiatos.

Quartò. Quia Magistri pro prædictis laboribus, & actibus exercendis, non habent Beneficium, seu publicum stipendium, sicut Cancellarius: & ideò pro stipendio possunt vestes recipere, seu aliud genus muneris, & non ipse: aliàs ipse, ut dixi, pro eadem opera haberet duplex stipendium; contra capitulum, *Cùm Ecclesia. extra. de Magistris.*

Quintò. Quia Magistris non est prohitum sic recipere, sicut Cancellario: immò hoc est eis à Jure permissum, seu concessum: saltem aliis quàm Theologis concessum est quòd possint operas suas locare Theologis, quòd recipiant sustentationem vitæ ex doctrina, vel prædicatione: quia secundùm Ray..., & Ostiensem, si Magisterio non sit annexum Beneficium, potest collectam pro suis laboribus accipere, & in hoc omnes conveniunt; immò quod plus est, dicit Ostiensis, & concordat Ray......, quòd si sit annexum Magisterio Beneficium Ecclesiasticum, aut publicum salarium sic sufficiens ad vitam, quòd nullam habeant indigentiam; licet tamen non debeant aliquid exigere: tamen gratis oblata, & spontè, possunt suscipere. 10. *quæst.* 3.... *priscis.* Cùm ergo Magistri hujus Universitatis, ratione Magisterii, non habeant Beneficia annexa, vel publica stipendia; & ipsi, maximè in tribus Facultatibus, scilicet Theologiæ, Decretorum, & Medicinæ, à scolaribus, vel Baccalaureis collectas non recipiant, vel exigant; non est illicitum si à Baccalaureis magistrandis vestes percipiant, maximè gratis, & spontè oblatas.

A Sextò. Quia hoc cedit ad honorem ipsorum Baccalaureorum, & non solùm ad utilitatem ipsorum Magistrorum recipientium. Secùs autem esset, si pecunias reciperent, sicut vult facere Cancellarius; quia in hoc non honorantur Baccalaurei, sicut ex vestibus Magistri: immò potiùs dehonestantur, & indè est quòd hujusmodi pecuniæ clandestinè dantur, & recipiuntur, quòd non est signum liberalis, & gratuitæ donationis; sed est occasio malæ suspicionis. Igitur &c. Et hoc circa secundam conclusionem.

Tertia conclusio principalis fuit, quòd esto quòd Cancellarius pro labore suo aliquid exigere posset, non tamen per modum per quem exigit: & ista probatur; quia modus per quem tunc exigebat, quando prædictam quæstionem tractavi, erat iste. Nam ex eo quòd Baccalaurei fecerant certum juramentum de non dando Cancellario; ipse impediebat & differebat eorum Licentiam: posteà verò de malo in B pejus procedendo, modum prædictum aggravavit: quia licèt dictos Baccalaureos ad Aulam Episcopi vocaverit, & eosdem tanquam dignos recommendaverit, & approbaverit pro Licentia concedenda; ex eo tamen quia ab eis certum juramentum obsequiosum exigit, quod ipsi præstare noluerunt, ipse eisdem Licentiam denegavit, & eos licentiare recusavit & recusat.

Sed ad reprobandum istum modum exigendi, tres propositiones declaravi.

Prima est, quòd iste modus sit illicitus, & multipliciter scandalosus.

Secunda, est propriè simoniacus.

Tertia, quòd si Cancellarius hunc modum pertinaciter approbet, ipse est hæreticus censendus.

C Principale autem fundamentum omnium istorum stat in hoc; quia in administratione rerum spiritualium, ante ipsius rei spiritualis administrationem exigere aliquod pretium temporale, sicut pecuniam, vel juramentum obsequiosum, seu aliud quod potest pecuniâ appretiari; & hoc sic rigorosè exigere, quòd non volenti dare denegetur ipsum donum spirituale, est illicitum, & scandalosum, & propriè simoniacum, & hoc pertinaciter approbare est hæreticum. Modò sic est in proposito, ut probavi diffusè. Igitur &c. Pro hiis clarè facit C..... *Ad Apostolicam. De simonia*: & causa redditur in C.... *in tantum:* supra 4. ubi dicitur quòd expressiùs exprimit venditionis speciem, qui priùs recipit pretium, quàm conferat rem pretiosam.

D Contra hoc arguebatur: quia ex hiis sequitur quòd Universitas Parisiensis esset simoniaca, & quòd Rector, & omnes Facultates ipsius multipliciter committerent vitium simoniæ. Consequens videtur absurdum, & consequentia declaratur per simile. Nam Rector, & Universitas, ab ipsis Baccalaureis Licentiatis ad Magisterium admittendis, ante Magisterium si exigant certa emolumenta pecuniaria, & certa juramenta obsequiosa, sicut de honore Rectoris, & de secretis celandis, de Privilegiis observandis, & hujusmodi, unde si Baccalaurei magistrandi talia non vellent dare, non essent admissi ad Magisterium in dicta Universitate. Igitur &c.

Confirmatur specialiter de Facultate Theologiæ, quæ, sicut & aliæ Facultates, non solùm prædicta exigit à Baccalaureis magistrandis; sed etiam à Baccalaureis ad lecturam Cursuum, vel etiam Sententiarum admittendis. Nam tales non admiterentur ad hujus-

jusmodi lecturam, nisi solverent certas bursas, & facerent certa juramenta obsequiosa, scilicet de honore Decani, Facultatis, & Magistrorum &c. & tamen non sic admittendo Baccalaureos, Facultas est Judex, & habet Judicis officium: unde & talis admissio ad legendum videtur esse quædam Licentia docendi in Theologia. Igitur omninò simile videtur, sicut supra dictum est, de Cancellario. Igitur &c.

Secundò. Confirmatur: quia in Ecclesiis Cathedralibus, & pluribus Collegiatis communiter nullus recipitur, nisi priùs solvat quædam jura Ecclesiarum solvi consueta, & juret quædam juramenta obsequiosa, sicut de honore Decani, & de secretis, & Privilegiis, de juribus Capituli servandis, vel hujusmodi. Igitur à simili, vel omnes tales Ecclesiæ erant simoniacæ, quod est absurdum; vel Cancellarius sic exigendo non est simoniacus. Igitur &c.

Tertiò. Confirmatur: quia in quibusdam locis, ab illo qui excommunicatus est præexigitur ante pecunia, & quandoque etiam juramentum de parendo Mandatis Ecclesiæ, vel Judicis, antequam absolvatur, nec aliter Absolutionis Beneficium ei daretur. Igitur in proposito, à simili, vel à fortiori, Cancellarius in sic exigendo, de simonia non convincitur. Igitur &c.

Pro solutione istorum argumentorum dico aliqua: Et primò, quòd non est simile de Rectore Universitatis, vel de ipsa Universitate, aut de quatuor Facultatibus ejus, respectu Baccalaureorum suorum magistrandorum; & de Cancellario, respectu Baccalaureorum licentiandorum. Unde in hoc est multiplex dissimilitudo.

Prima est: quia Licentia docendi in Theologia à Cancellario data, est potestas, seu authoritas spiritualis, ut dictum est: sed Magisterium, etiam in Theologia, non est, ultra Licentiam prædictam, aliqua authoritas spiritualis, sed solùm quidam honor, seu quidam honoris gradus politicus, seu civilis: unde Magisterium hujusmodi se habet ad Licentiam, sicut nuptiæ ad Sacramentum Matrimonii. Et licèt hujusmodi Sacramentum sit spirituale, non tamen hujusmodi nuptiæ; sed sunt quædam solemnitas, ad honorem & decorem Sacramenti: & sic in proposito. Ideò Patet quòd Universitas, vel aliqua Facultas, etiam si venderet Magisterium, non posset in hoc simoniam committere, sed solùm crimen concussionis, vel ambitûs; non enim debet vendi Magistratus, seu Jura, quia non est licitum vendere gradus honoris, qui debentur virtuosis, in signum virtutis, secundùm Philosophum. 4. *Ethicorum.*

Secunda dissimilitudo est: quia Rector Universitatis, & Facultas quælibet, respectu Baccalaureorum, & generaliter respectu omnium suorum suppositorum, habet quemdam politicum ordinem, & ordinatam superioritatem, ratione cujus potest recipere, & exigere à suis suppositis illa quæ sunt utilia, & expedientia ad conservationem & tuitionem suæ politicæ Communitatis. Nam quælibet ritè ordinata, & approbata Communitas, ab illis quos in suum consortium admittit, potest, secundùm sui status exigentiam, onera rationabilia, sive pecuniarum, sive juramentorum, sicut suis subjectis imponere, recipere, & exigere. *Art... Cap.* 1. *de jurejurando. Lib.* 6. Et in proposito, exigit Universitas, vel Facultas quælibet à suis Baccalaureis, non pro ipso Baccalaureatu, vel Magisterio; sed pro ipsius conservatione & tuitione. Hoc etiam modo, & pro eadem ratione, exigunt quædam Ecclesiæ certa juramenta, & alia emolumenta ab illis qui volunt suum Collegium introire. Cancellarius verò, respectu Universitatis, seu ejus suppositorum, non habet talem politicum ordinem, seu superioritatem: alioquin essent in corpore Universitatis plura capita non subordinata, quod est monstruosum. Unde postquam Baccalaurei sunt licentiati, ipse, ratione Licentiæ hujusmodi, nullam habet superioritatem super eosdem. Igitur nec ab eis potest talia onera exigere.

A Tertia dissimilitudo est: quia Universitas prædicta, ad præmissa onera exigenda habet Privilegium, scilicet de collectis, vel contributionibus levandis, & certis juramentis exigendis. Cancellarius autem non.

Primò dico contra hoc: Universitas ultra Jus generale, habet speciale Privilegium, ut dictum est. Igitur &c.

Dico secundò, quòd nec Universitas, nec Facultas Theologiæ, quidquid fiat in aliis Facultatibus, à licentiandis de novo magistrandis in Theologia, præexigit aliqua juramenta officiosa; sed solùm post Magisterium, quando volunt intrare ad eorum congregationem, vel consortium: cujus tamen oppositum assumitur in primo argumento; secùs autem est de Cancellario. Igitur &c.

Dico Tertiò, quòd in exactione juramentorum, in ipsa administratione rerum spiritualium, quantùm B ad propositum sufficit, possunt tres conditiones considerari.

Prima. Utrùm exactum juramentum detur ante, vel post rei spiritualis administrationem: & utrùm exigatur à Superiori, vel non. Unde, secundùm Ray. . . . . . *De Simonia*, quidam dicunt, & benè, sicut dicit Glossa, quòd ante electionem nulla cautio, seu pactio peti potest, scilicet ab illo qui eligendus est, per suos electores, secundùm Glossam, & si præstatur, simonia est; quia videtur facere propter hoc ut eligatur. 8. *quæstione tertia. Talia.* &, *ut non. Hugo supra.* 4. *Capitulo.* Hoc exigere est simoniacum, & idem tenet Archidiaconus. *De Jurejurando. Cap.* 1. *Lib.* 6. Similiter dicit Ostiensis, quòd ante promotionem non potest cautio exigi, benè post, scilicet illa quæ Jure, vel antiqua consuetudine approbatur, & quæ est licita & honesta. 8. *quæst.* 3. *Cap. Artardus* 1. *quæst.* 2. *quæ primo*, Et, *Ut non prædicti Doctores.* Et hoc verum est, dùm tamen ante promotionem pactum non præcesserit de C præstando talem cautionem, ut in dicto Cap. *Artardus.* &, *Ut non.* Ostiensis, *in Summa de simonia. Cap.* 3. *Visi ultra.* Ubi excipit Superiorem: quia secundùm eum, & alios Doctores, ante confirmationem, & post, benè potest cautionem debitam exigere, non solùm nudam, sed juratoriam, ut in Cap. *Significasti. de Electione.* Sed, ut dicit, non ante electionem, seu promotionem. *Art. de Electione Officii.* Quod autem dicit Ray. . . . . . quòd illa opinio magis placet, quæ dicit quòd per Superiorem potest peti honesta cautio, & ante & post electionem; ut 26. *Distinctione. De Syracusana* 10. *quæstione* 3. *Cap. ultimo.* Glossa non concordat cum Ray. . . . , ad hoc quòd possit ante electionem cautio exigi: D sed dicit quòd nec Prælatus, nec alius potest exigere aliquam cautionem ab illo qui eligendus est ante electionem. Et Jura quæ inducuntur ad contrarium, loquuntur de jam electis non eligendis, ut in dicto Capitulo, *Significasti. De jurejurando nullus.* 23. *Distinctione. Quamquam.* & aliis, quæ loquuntur de jam electis, seu confirmatis; & hæc opinio verior est, secundùm Ostiensem. Et ideò ex hiis sequitur quòd Cancellarius non potest, sine simonia, exigere hujusmodi cautionem juratoriam, ante ipsorum Baccalaureorum promotionem, scilicet ante Licentiam, etiam supposito quòd esset eorum Superior, & quòd hujusmodi juramentum non esset contra Jus commune, vel Privilegium speciale, quod tamen falsum est, ut dixi.

Secunda conditio quæ in proposito potest circa hujusmodi juramentum considerari, est utrùm illud

de quo exigitur juramentum, sit ipsi rei spirituali quæ confertur annexum, ut in dicto Capitulo, *Significasti*, notat glossa antiqua Vincentii, & allegat Capitulum, *Significatum. De præbendis*, & 28. *distinctione*, *Diaconi*. Sic enim licitè exigit Cancellarius juramentum à Baccalaureis Licentiatis, quòd fidele testimonium perhibebunt de futuris Baccalaureis licentiandis, quia hoc onus perhibendi tale testimonium est rationaliter annexum eorum Licentiæ, & hoc, interveniente authoritate Papæ, ut patet ex Privilegio, *Parens scientiarum*. Et licèt omnino honestiùs esset tale juramentum exigi post Licentiam, quàm ante; tamen si ante exigitur, non habet aliquam speciem simoniæ, ex eo quòd non est in favorem exigentis, sed totius Reipublicæ.

A

Tertia conditio quæ potest hìc considerari, est utrùm tale juramentum sit obsequiosum: per quod intelligitur illud juramentum quod est ad ipsius exigentis personale commodum, non propter dantis tale, obsequium, sicut est juramentum illud quod exigit Cancellarius à Baccalaureis, scilicet quòd servabunt honorem suum, Jura, libertates, & laudabiles consuetudines Cancellarii, & Officii. Unde licèt tale juramentum deberetur Cancellario; non tamen ante Licentiam potest illud ab invitis exigere, sine vitio simoniæ, cùm in talibus juramentis obsequiosis maximè habeant locum illa quæ dicta sunt. Quia verò ei non debetur hujusmodi juramentum, eo quod talis exactio est sibi à Jure interdicta, in Capitulo *Quanto. De Magistris*: nec ante, nec post, potest hujusmodi juramentum obsequiosum exigere: secùs autem est de juramentis non obsequiosis, quæ non dantur in favorem personæ suæ, seu ad suum commodum temporale, vel personale, sicut est prædictum juramentum de fideli testimonio perhibendo, vel juramentum de pace servanda inter Religiosos & sæculares, & si quæ sunt similia quæ dantur in favorem Reipublicæ, vel in favorem dantis, sicut est juramentum de non exponendo ultra materiam grossorum, in Magisterio, juxta Cap. *Cum sit nimis. De Magistris. In Clem...* quæ exiguntur authoritate Juris, vel Legislatoris. Unde ipse quasi non censetur ista exigere, sed magis hoc exigit Jus Ecclesiæ, ut 18. quæst. 2. *Eluthorius*, & ut notat dictus Vincentius, ubi supra, *in Cap. Significasti*.

B

Ex præmissis ergo patet multiplex solutio ad primum argumentum: & etiam aliqualiter respondeo ad confirmationem primam, & alias sequentes.

Tamen ad secundam confirmationem dico ulteriùs, quòd Facultas Theologiæ, licèt aliquo modo sit Judex in cognoscendo de sufficientia Baccalaureorum admittendorum ad lecturam; tamen talia emolumenta quæ ab eis exigit, vel etiam juramenta, si obsequiosa dici debeant, non sunt munera de quibus præsumatur quòd corrumpant judicium, sicut illa quæ Cancellarius petit: quia talia non sunt ad singularem utilitatem Magistrorum, sed totius Communitatis; etiam aliquo modo ad utilitatem dantis, sicut recipientis: quia pro conservatione totius ipsius Communitatis, vel Facultatis, cujus ipsi Baccalaurei sunt membra. Nec etiam talis admissio, quâ Facultas admittit Baccalaureos ad legendum, est talis Licentia docendi, sicut illa Licentia quæ datur per Cancellarium; sicut videtur præsupponere argumentum. Nam Licentia docendi, quæ datur Baccalaureis non est aliqua potestas, vel authoritas spiritualis, sicut nec doctrina eorum authoritativa; sed solùm examinatoria, & tentativa, seu probativa. Ideò non datur eis Licentia docendi generalis, sed in certo loco, & particularis. Secùs autem de Licentiatis per Cancellarium. Igitur patet ratio diversitatis &c.

Ad secundam confirmationem dicendum est, sicut dicit Ostiensis, & post eum Joannes.... *In Summa Confessorum*, quòd ubi est consuetudo quòd Canonicus de novo receptus det cappam, vel aliquod simile, consuetudo est servanda, tanquam laudabilis. *Argumento*. Cap. . . . . *Significatum. De Prabendis*. Non tamen debent retinere Præbendam loco pignoris: vel dici potest quòd etiam retineri possit, si hoc sit consuetudo, & ibi exigitur, loco Dei, spirituale pro spirituali, & non quæritur utilitas privata.

Dico etiam quòd ibi Decanus, vel Capitulum exigentes talia emolumenta, vel juramenta, non ea exigunt ante rei spiritualis collationem, quia Papa, vel Collator, jam contulit Canonicatum & Præbendam, & isti non dant aliquam rem spiritualem, sed solùm possessionem corporalem. Igitur ibi non potest esse simonia: secùs autem de Cancellario, in materia nostra. Igitur &c.

Ad tertiam dicendum, secundùm sanctum Thomam, & Jo. . . . . post eum, in loco prææallegato, quòd in Absolutione ab excommunicatione non exigitur pecunia, tanquam pretium Absolutionis, quia hoc esset simoniacum, sed quasi pœna culpæ præcedentis, pro qua fuit excommunicatus. Et idem Ostiensis, *Lib. 6. Rubrica*, *De excessibus Prelatorum*. Et addit quòd excommunicatus absolvi debet liberè, &, eo absoluto, cogi potest ad satisfaciendum de pœna: sed ante non potest exigi, cùm pro illo nec fuit excommunicatus. Et consimiliter dico de juramento obsequioso, & si propositum fiat alicubi, censeo quòd non videtur consuetudo, & ita in proposito. Igitur &c.

Duodecimo. Arguitur principaliter, quia in quibusdam locis Curati non dant, nec suis parochianis ministrant Sacramenta, nisi priùs eis datur pecunia: similiter nec quidam Episcopi ministrant Ordines, nisi priùs pecuniâ receptâ; unde, ut quidam dicebat, in Anglia etiam est consuetudo, quòd non ministratur Corpus Christi parochianis, nisi priùs jurent quòd benè solvent decimas illo anno. Sed absurdum esset dicere quòd omnes tales essent simoniaci, & per consequens consuetudo loci, vel patriæ, facit illum modum exigendi esse licitum; & ita poterit dici in proposito: nam Cancellarius dicit se habere consuetudinem laudabilem de sic exigendo hujusmodi Juramentum, à tanto tempore, quòd non est memoria de contrario.

C

Confirmatur: quòd decimæ debentur Ministris Ecclesiæ, ex Jure divino, ut patet *Num.* XVIII. Et tamen, ut quidam arguebat, in quibusdam locis est consuetudo quòd decimæ non solvuntur: unde absurdum esset dicere, quòd omnes qui non solvunt ibidem essent in peccato mortali, & per consequens, consuetudo loci, vel patriæ, excusat eos. Si ergo consuetudo potest acquiri contra Jus divinum, multò magis contra Jus humanum: & per consequens Cancellarius potuit acquirere consuetudinem exigendi per modum supra dictum. Igitur &c.

Ad primum dico quòd Curati, in administratione Sacramentorum; & Episcopi, in collatione Ordinum, licèt quandoque petant pecunias, seu aliqua jura eis de Jure, vel consuetudine debita, de quibus Juribus ad præsens non disputo, nec ea approbo, vel reprobo: tamen non possunt talia sic exigere, quòd non dantibus temporalia, denegent spiritualia. Aliud est simpliciter petere, & aliud prædicto modo rigorosè exigere, quia in casu primum posset fieri, non secundum; nec sic exigere, posset aliqua consuetudine excusari, cum sit contra Jus divinum, & propriè simoniacum: nec credo quòd in Anglia sit consuetudo sic exigendi, salvâ reverentiâ dicentis. Si tamen esset ibi talis consuetudo, seu potiùs corruptela, non esset approbanda, nec faceret illum modum exigendi contra Jus divinum, esse licitum. Sic ergo dico in proposito, quòd Cancellarius non habet, nec habere potest laudabilem consuetudinem, vel justam possessionem exigendi tale

D

jura-

juramentum, per modum prædictum; & hoc probo multipliciter.

Primò. Quia talis modus exigendi est contra Jus divinum; cùm sic exigere, sit propriè simoniacum, ut patet ex dictis. Sed contra Jus divinum consuetudo non habet locum, nec præscriptio; nec contra ipsum potest haberi justa possessio. Igitur &c.

Secundò. Quia, esto quia sic exigere non esset contra Jus divinum, quod tamen omninò falsum est; tamen per Jus Canonicum exactio quælibet in proposito, expressè prohibetur Cancellario, *in Capitulo, Quanto. De Magistris*, & ibi damnatur consuetudo, tanquam prava & inhonesta, prætextu cujus Cancellarius Parisiensis volebat exigere. Si ergo hujusmodi consuetudo ante Jus conditum erat prava, & damnetur tanquam corruptela, multò magis post Jus conditum ipsa est damnabilis & repudianda: maximè quia ex quo aliqua consuetudo est à Jure expressè prohibita, supposito quòd priùs fuisset justa, vel licita; tamen post nunquam fiet consuetudo justa, aliter esset frustra Jure damnata. Ideò non dicitur ampliùs consuetudo, sed corruptela. *Art. nono: per Jo...... De bigamia. Capitulo unico. Lib. 6.*

Tertiò. Quod esto quòd non esset Jure prohibita; tamen Cancellarius qui est Magister in Artibus, & in Theologia, sicut & alii Magistri, juravit servare Privilegia Universitatis, ad quemcumque statum devenerit. Inter quæ juravit servare Privilegium, *Parens scientiarum*, in quo prohibetur non solum exigere, immò etiam recipere hujusmodi juramentum, & per consequens, ipsum sic exigendo, agit contra proprium juramentum, nec ipse, sicut fortè aliqui prædecessores sui, potest in hoc per ignorantiam, vel inadvertentiam excusari: igitur ex hoc videtur incurrere perjurium. Sicut autem ipse dicit quòd sui prædecessores receperunt juramentum hujusmodi, à tanto tempore quòd non est memoria de contrario; licèt hoc fortè sit falsum, sicut quidam dicunt; nec illud videtur verisimile, cùm illud juramentum non inveniatur scriptum in aliquo scripto antiquo, vel aliquo Libro antiquo: quidquid tamen sit de hoc; dico etiam quòd sui prædecessores, à tanto tempore quòd non est memoria de contrario, vel saltem à majori tempore quàm facta fuerit dicti juramenti exactio, fuerunt Magistri, & dictæ Universitatis Jurati, & per consequens, sic exigendo, contra Universitatis Privilegium, fecerunt contra proprium juramentum: sed actus, vel usus ab aliquo, contra suum juramentum factus, non acquirit sibi justam consuetudinem, vel possessionem, nec justum dominium, seu præscriptionem: non concederem; sed potiùs negarem sibi, quòd prædecessores sui, valentiores eo, exegissent contra sua juramenta. Immò concedo, sed per ignorantiam quam ad Privilegium, *Servus Crucis*. . . .

Quartò. Si fortè dicatur quòd illud juramentum generale, scilicet de servando Privilegia &c., non sufficiat ad concludendum ipsum perjurum, vel ipsum, aut suos prædecessores non habere, vel habuisse usum justum: induco adhuc juramentum speciale; quia ipse, sicut & ceteri Cancellarii, quando primò recipitur ad hujusmodi Officium, specialiter jurat dignis, tempore debito, Licentiam conferre, ut patet in prædicto Privilegio, *Parens scientiarum.* Ergo denegando modò Licentiam Baccalaureis ad hoc dignis, ipse incurrit perjurium: & supposito quòd illud juramentum, & alia quæ petit à Baccalaureis, sibi de Jure, vel consuetudine deberentur, quod est falsum; tamen non potest licitè eis Licentiam denegare, seu hujusmodi Licentiam eis debitam retinere, per modum pignoris: sicut Rector Ecclesiæ, supposito quòd debeat aliquid habere, puta vestes defuncti, prætextu consuetudinis; si tamen ei non satisfiat de illa, non debet retinere loco pignoris exequium quod conferri debet gratis, ut notat Ostiensis, *In Summa..... De simonia. cap. generaliter commutatur.* Igitur &c.

A Si verò dicatur, sicut quidam aliàs arguebat, quòd Cancellarius non denegat Licentiam dignis, nec retinet eam per modum pignoris, sed ex eo denegat quòd isti Baccalaurei reddunt se indignos, & ostendunt se malè morigeratos, quia scilicet denegant sibi juramenta, & alia ei de Jure, vel consuetudine debita, quod est injustum, vel illicitum. Igitur &c.

Ad hoc respondeo quòd de hoc non potest se Cancellarius juvare, cùm ipse hujusmodi Baccalaureos in Aula Episcopi publicè vocaverit, & solemniter recommendaverit tanquam dignos ad Licentiam recipiendam. Et tamen ante juraverant sibi nihil dare, juxta tenorem Privilegiorum Universitatis.

Secundò. Dico quòd illud juramentum non fuit illicitum, sed meritorium, ut aliàs dixi: & supposito quòd fuisset illicitum; tamen hoc non est clarum, sed sibi dubium, nec in hoc debet esse Judex: ut in secundo proposito.

Tertiò. Dico quòd esto quòd illud Juramentum esset clarè illicitum, & quòd Baccalaurei hoc jurando, vel ea quæ petit denegando, peccassent; tamen non quodlibet peccatum reddit aliquem indignum habendi Licentiam ad docendum. Igitur &c.

B Quintò. Si Cancellarius acquisivit possessionem & consuetudinem exigendi dictum juramentum, &c. ut dicit; constat quòd hoc acquirere non potuit, nisi ex donatione Baccalaureorum; sed ostendo quòd non fuit justa donatio inter eos: nam ad justam donationem, quatuor conditiones requiruntur, quas ponit Doctor subtilis in 4. *Distinctione 15. Quæst. 2. Articulo 2.* in materia de translatione dominiorum. Primò. Requiritur liberalis translatio ex parte dantis. Secundò. Voluntas recipiendi, scilicet justa, ex parte illius cui fit donatio. Tertiò. Libertas ex parte amborum; hujus, dandi; & illius, recipiendi. Quartò. Quòd nulla Lege superiore prohibeantur iste dare, vel ille recipere; nec per actum alterius, scilicet Superioris prohibeantur, à quo dependeant in ista translatione.

Propter defectum secundæ conditionis, dico quòd non potest quis donare pecuniam Fratri Minori, quia ille non vult justè esse dominus, & propter C eamdem causam dico quòd non potest aliquid justè dare. Propter defectum tertiæ & quartæ conditionis, dico quòd nec Monachus, præter Abbatis licentiam; nec filius familias, præter voluntatem Parentis; nec Clericus, in casu, sine voluntate Papæ: ut habetur, *extra. de Censibus. Romana*: ad cujus Capituli observationem pœnam ponit Gregorius X. *Lib. 6. Decretalium. Can. Exigit.* Scilicet, quòd visitantes à visitatis nulla recipiant munuscula, & si recipiant, teneantur duplum restituere &c.

Sic ergo dico in proposito, quòd licèt prima conditio quandoque fuerit in Baccalaureis dantibus, & in aliquibus Cancellariis recipientibus; quia per ignorantiam, vel inadvertentiam poterant ab injusta voluntate dandi, vel recipiendi excusari: tamen tertia & quarta non sunt in proposito, quia tàm à Lege superiore, scilicet à Jure communi, quàm ex Privilegio Papæ, à quo isti dependent in hujusmodi donatione; tàm donantes, quàm recipientes, erant prohibiti, & non habebant justam libertatem dandi, vel D recipiendi, & quandoque etiam duæ primæ conditiones defuerunt. Igitur patet quòd non fuit ibi justa donatio; nec per consequens justa possessio, aut consuetudo. Igitur &c.

Sextò. Supposito quòd sic exigere, non esset Cancellario Jure divino, vel humano, vel à Papa, ex speciali Privilegio prohibitum, nec esset contra ejus juramentum, & quòd dare, vel recipere esset Baccalaureis, vel ipsi Cancellario permissum, vel concessum, quæ omnia falsa sunt, ut dixi; tamen ad-

adhuc dico quòd non poteſt habere conſuetudinem ſic exigendi, ſicut modò exigit, per uſum prædeceſſorum ſuorum: quod patet, quia prædeceſſores ſui nunquam habuerunt uſum exigendi ab invitis; nec eſt à ſeculo auditum quod à nolentibus dare juramentum, per denegationem Licentiæ, ipſum exigerent, ſeu involuntariè extorquerent, ſed ſolùm à liberè volentibus receperunt. Et, in ſignum hujus, antequam hujuſmodi juramentum reciperent, petebant ab eis: *Vultis vos iſta jurare.* Et, per conſequens, ex talibus actibus non habuerunt uſum, vel conſuetudinem extorquendi hujuſmodi juramenta involuntariè. Exemplum de illo qui qualibet die tranſiret per domum meam, petendo à me: vis quòd tranſeam: non eſt dicendum quòd iſte acquireret uſum, poſſeſſionem, vel conſuetudinem tranſeundi per eam, me invito, & me nolente, & contradicente ſibi. Igitur &c.

Ad confirmationem dicendum eſt cum ſancto Thoma, *in Secunda, Secundæ*: quòd Præceptum de ſolutione decimarum, partim erat morale, partim erat judiciale: quòd enim illis qui divino cultui miniſtrabant ad ſalutem populi, totus populus victûs neceſſaria miniſtraret, hoc dictat ratio naturalis, & quantùm ad hoc, illud Præceptum eſt morale: ſed determinatio certæ partis, ſcilicet decimæ, non erat de Jure naturali, ſed fuit introducta ex inſtitutione divina, ſecundùm conditionem illius populi. Et quia *Omnia in figura contingebant illis*, ut dicit Apoſtolus 1. *Cor.* x. 11. ideo non ſolùm Præcepta ceremonialia erant alicujus futuri figurativa: in hoc tamen eſt inter ea differentia; quia multa, tempore Legis gratiæ, illicitum eſſet ceremonialia obſervare. Judicialia verò, etſi non obligent, tempore gratiæ, ſcilicet virtute inſtitutionis Legis antiquæ; tamen poſſunt obſervari abſque peccato, & ad eorum obſervantiam poſſumus obligari, ſi ſtatuantur authoritate illorum quorum eſt Legem condere: & determinatio decimæ partis ſolvendæ, ampliùs non eſt authoritate Legis divinæ, ſed ſolùm authoritate Eccleſiæ inſtituta; quæ tamen, penſatis opportunitatibus temporum, & perſonarum, poſſet aliam partem determinare ſolvendam. Et ideò dico quòd ex parte Juris divini, ſi non obſtaret aliud, ſcilicet inſtitutio Eccleſiæ; conſuetudo loci, vel patriæ, poſſet etiam aliam partem, ſcilicet tertiam, vel quartam partem decimæ determinare, nec ex hoc ſequitur quòd conſuetudo poſſit acquiri contra Jus divinum. Igitur &c.

Tredecimò. Principaliter arguitur contra unum quod dixi in probatione primæ propoſitionis tertiæ concluſionis, ſcilicet quòd ſi Jus divinum concederet Cancellario quod poſſet recipere pro labore Licentiæ, Papa non poſſet hoc ſibi negare quod ſibi Jus divinum concederet; & tamen Papa prohibet ſibi recipere pro labore ab Artiſtis licentiandis &c. Igitur &c.

Contra hoc quidam arguebat ſic. Quia Archidiaconus, & in quibuſdam Eccleſiis Decanus, viſitat ſubditos ſuos, & in ſic viſitando de Jure divino debet recipere viſitationem, ſeu procurationem, ſcilicet ad victum ſuum & veſtitum; & tamen Papa poteſt inhibere ne aliquid recipiat, contentus ejus Beneficio, & fructibus ejus. Igitur Papa alicui poteſt negare illud quod ſibi Jus divinum concedit. Igitur &c.

Ad hoc dicendum eſt, ſicut immediatè tactum fuit, & ſicut ibidem dicit ſanctus Thomas, quòd licet, de Jure naturali, & divino, Miniſtris Eccleſiæ debeantur victûs neceſſaria, ſicut & hiis qui eorum utilitati invigilant, ut Principibus, & militibus debentur ſtipendia vitæ; unde & Apoſtolus hoc probat 1. *Corinth.* ix. 7. per humanas conſuetudines, dicens: *Quis militat ſuis ſtipendiis, quis plantat vineam, & de fructibus ejus non edit?* &c. tamen in Jure divino, ſaltem in Novo Teſtamento, non eſt determinatio certæ quantitatis: nam Apoſtolus ſolùm generaliter dicit: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, hiis* itaque *contenti ſimus* 1. Timoth. vi. 8. Et ideò dico quòd Papa, ſecundùm qualitatem locorum, & ſtatum perſonarum, poteſt quantitatem determinare; & quidquid eſt ultra alimenta, & veſtimenta neceſſaria, non eſt de Jure divino, vel naturali; ſed de Jure humano: unde Epiſcopo, vel Archidiacono habenti Beneficium unde poteſt habere vitæ neceſſa-A ria; viſitationes, ſeu procurationes quas recipit in viſitando, non habet Jure divino, ſed ex permiſſione Juris humani; ſcilicet, quia iſta procuratio à Jure permiſſa eſt, ſicut dicunt Ber . . . . . & Oſtienſis, ut ſupra allegavi, in ſolutione quintæ rationis principalis hujus Articuli. Et ideò Papa poteſt inhibere ne aliquid recipiat, maximè ſi habeat Beneficium unde poſſit meritò contentari. Hoc autem non poſſet ei negare, ſi eſſet ei conceſſum Jure divino, vel naturali. Et in propoſito. Igitur &c.

Decimoquartò. Arguitur contra unum dictum in probatione tertiæ propoſitionis; quòd quantumcunque iſta propoſitio verificatur: niſi dederis mihi aut promiſeris, vel ſecurum feceris de dando A. non dabo tibi B. & ſi dederis, dabo: ibi eſt venditio, ſeu contractus non gratuitus; & per conſequens, ſi A. ſit temporale, & B. ſpirituale, ibi eſt ſimonia &c.

Et ad hoc facit illud quod dicit Scotus Doctor ſubtilis, loco præallegato, in duodecima ratione B hujus Articuli. Scilicet quòd „ Quædam eſt tranſlatio dominii, non meræ liberalitatis, quæ diſtinguitur contra propriè dictam donationem, in qua transferens expectat aliquid pro illo quod tranſfert, & dicitur propriè contractus, quia ibi ſimul trahuntur voluntates partium. „ Trahitur enim iſte ad transferendum in alium pro aliquo commodo, & iſta tranſlatio, vel contractus exprimitur, ſecundùm eum, dicendo *Do ut des, vel ſi des*; & debet eſſe ſolùm rei utilis, pro re utili; & quaſi æquivalentis pro æquivalenti, ſicut declarat iſte Doctor: & per conſequens patet quòd non debet eſſe rei ſpiritualis pro temporali.

Sed contra: quia ſi hæc vera eſſent, ſequitur quòd omnes Sacerdotes & Religioſi Mendicantes qui celebrant Miſſas, recipiendo Annualia, & omnes C Curati tradentes Curas ſuas Capellanis mercenariis ſub Firma, ex certa conventione prohibita, eſſent ſimoniaci, quia ibi habet locum, *Do ut des*, & per conſequens contractus non gratuitus. Igitur &c.

Ad hoc reſpondeo quòd ſecundùm Ray . . . . *De ſimonia, dicto Capitulo.* Si deſunt ei ſumptus, poteſt eos licitè recipere: & concordant in hoc Oſtienſis, & Gaufredus; ſimiliter Innocentius III. *Can. Non ſatis.* Et addit poſteà Ray . . . . quòd ſi talis aliundè habet ſumptus; aut debet cantare gratis, aut ceſſare, aliàs videtur facere ex avaritia, licèt fortè hìc non eſſet ſimonia; & idem tenet Gaufredus, ſed gloſſa hoc dicit, quòd, in omni caſu, gratis debet cantare: quia ſive detur ei pecunia pro ſumptibus, ſive dentur ei ſumptus in dono illius quia juvat, officiando, Eccleſiam, ſive habeat Eccleſiam ad Firmam, de qua reddit certam penſionem, & reſiduum retinet, ex pacto, pro ſumptibus; gratis tamen debet impendere Officium; & quod datur ei, D gratis debet dari; ſicut dicit Auguſtinus, quòd *Apoſtoli gratuitum panem accipiebant ab illis quibus gratuitam prædicationem impendebant.* Et hiis ſatis videtur concordare Thomas, *in ſecunda.* Similiter, ſecundùm Ray . . , *titulo, Ne Prælati.* 6. *in principio.* Nec Epiſcopus, nec Archidiaconus, nec alius Prælatus, poteſt ſub pretio, vel annuo cenſu concedere alicui vices ſuas, ideſt Prælationem, vel Juriſdictionem, vel aliquod jus ſpirituale. *Extra.* 4. *Cap.* 1. 2. & 3. Et concordant in hoc Gaufredus, & Oſtienſis, 4. *titulo.* Sed tamen licet Prælatis, & aliis Eccle-

clesiasticis vendere, vel ad pensionem concedere fructus temporales Beneficiorum suorum, scilicet ad tempus; dùm tamen sub tali venditione nihil spirituale interveniat, secundùm Ray . . . *ibidem.* Et quamvis possent hujusmodi Prælati, vel Rectores Ecclesiarum conductarum Presbyteris, vel etiam conductori fructuum, ad tempus curam animarum, vel aliud jus spirituale committere, secundùm eumdem: tamen, sicut dicit glossa hic, non habet in A talibus locum locatio, & conductio, sed gratis debet fieri. Et Ostiensis dicit: *quasi gratis, & sine pactione aliqua.*

Et ex omnibus prædictis patet quòd sine vitio simoniæ, non potest in talibus præhaberi conventio, quæ sit contractus per, *Do ut des*; & hoc, si hujusmodi conventio, vel contractus cadat super re spirituali; potest tamen contractus cadere de temporali ad temporale. Igitur &c. Et talem intentionem debent habere Sacerdotes, qui pro pecuniis cantant Missas, vel qui tradunt, aut qui recipiunt ad Firmam Parochiales, aut alias Ecclesias. Aliter non habent conscientias rectas, nisi actualiter, vel saltem habitualiter hoc intendant; & fortè contra hoc multi per ignorantiam peccant, de quo dolendum est. Patet ergo responsio ad vigesimas rationes principales in primo & secundo Articulis factas, ex B quarum solutione, & argumentorum principalium eis annexorum, potest ad multa alia responderi.

Pro fortificatione verò & confirmatione illorum quæ dixi in tribus conclusionibus principalibus secundi Articuli, & in solutione quatuor rationum in fine quæstionis; ultimatè, per modum recollectionis, notandum est, quòd Ecclesia, seu Ministri Ecclesiæ, in spiritualium administratione tribus de causis temporalia recipiunt, quas ponit Altissimus. *Lib.* 3. in materia, *de Simonia, quæstione* 3.

Prima causa est, propter devotionem. Secunda, propter Ministrorum Ecclesiæ stipendium, vel sustentationem. Tertia, propter correctionem.

Primo modò, debet Ecclesia facere Anniversarium, non pro redditibus, sed pro devotione dantis, & in signum devotionis debet dari pecunia, vel redditus, & ita in aliis similibus. Et concordant in hoc Ray.., Glossa, Gulielmus, sanctus Thomas, & alii Doctores Theologici; similiter Innocentius, & O- C stiensis. *In Can. Cum enormis. Ne Prælati ut suas.* &c.

Secundo modo, Sacerdotes recipiunt Ecclesias ad Firmam, & Episcopi, ac Archidiaconi procurationes ab illis quos visitant.

Tertio modo, Episcopus recipit ab excommunicato, non pro excommunicatione, sed pro ipsius pœna, & correctione. Et diffusè hæc tria prosequitur iste Doctor; sed nunquam invenitur quòd ipse, vel alius Doctor Theologus antiquus dicat, quòd sit recipiendum pro labore, & si aliquis novellus hoc dicat, habet pro eodem dicere pro labore, sicut pro sustentatione vitæ, non admittens differentiam.

Secundò. Notandum est pro regula, secundùm prædictum Doctorem, & Ray... *In Summa*, & Glossam Guilielmi, & communiter omnes Doctores; quòd numquam datur temporale pro spirituali, vel è contra, sine simonia: & hæc præpositio, *pro*, notat appretiationem, vel commutationem; sed benè, si no- D tet causam finalem; ut sit sensus: iste dedit denarium pro Sacramento, idest pro veneratione Sacramenti. Similiter, si notet causam efficientem; ut sit sensus: iste dedit pro Sacramento, idest pro devotione quam habuit ad Sacramentum, & quòd notet causam primam & principalem, seu motivam remotam, & occasionem quam Altissimus vocat causam sine qua non, sive adminiculantem. Ut cùm dicitur aliquid dari pro Missa, vel pro Visitatione; & generaliter, sicut ipse dicit, si in talibus habeatur respectus ad pecuniam, tanquam ad causam principalem, simonia est. Non autem dicimus quid fiat, sed quid fieri debeat.

Tertiò. Notandum quòd in talibus, secundùm omnes Doctores, numquam sunt exigenda temporalia per substractionem spiritualium: & si ante, vel post aliquid obtinetur per talem modum, simonia est, nulla consuetudine obstante, juxta Canonem, *Sicut pro certo. De simonia. Et can. Apostolicam.* Et quantùm ad hoc, in hiis quæ allegavi de sancto Thoma, concordant Gaufredus, Ray.... & Glossa; & similiter Innocentius, & Ostensis, & communiter omnes Doctores Juris, secundùm Jo. . . . *In Summa: Titulo* 1. *Quæstione* 31.

Et ideò Patet quòd Cancellarius non potest sine vitio simoniæ, nec pro suo labore, nec pro quacumque alia causa, vel occasione, pecuniam, vel juramentum obsequiosum exigere à licentiandis in Theologia, per substractionem Licentiæ, non obstante quacumque consuetudine, cum talis Licentia sit spiritualis, ut probavi in primo Articulo, *Quasi.* Et in hoc stat principalis intentio Matris nostræ Universitatis. Sub ejus correctione hæc dicta sunt de præsenti quæstione.

Sequens Tractatus debuisset primum locum obtinere in ista Appendice, vel saltem sequi duos Tractatus De falsis Prophetis: *sed cùm serius advenerit; ad calcem hic positus est.*

PETRI DE ALLIACO

Cardinalis Cameracensis

TRACTATUS

CONTRA ASTRONOMOS.

INcipit Tractatus de Legibus & Sectis, contra superstitiosos Astronomos; compilatus a Reverendissimo in Christo Patre & Domino, Domino Petro de Alliaco Cardinali Cameracensi.

COntemplatio Conditoris in suis operibus, & specialiter in cœlestibus corporibus, manifestè refulget, & in eis velut in Libro quodam naturali manibus Dei descripto repræsentata est. Unde meritò dicebat eximius Prophetarum: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum.* Ps. XVIII. Et ideò veneranda est Astronomiæ scientia, quæ cœlorum mensuras, eorumque motus, influentias & virtutes considerat, ac per hoc ad contemplandum Dei gloriam, ejus gloriosam sapientiam & potentiam, Fideique Christianæ detrahunt *. De quorum numero illos maximè fore existimo, qui Legem Dei astrorum legibus subjiciunt, & ab eis dependere contendunt. Ideò contra hanc eorum opinionem occurrendum esse utile judicavi, & in hoc Tractatu brevi eam tanquam superstitionem verissimam reprobare. Hoc opus decem Capitulis distinguitur.

PRIMUM CAPITULUM

De distinctione Legum & sectarum, antiquam opinionem Astronomorum recitat.

SECUNDUM CAPITULUM

Aliam opinionem circa hoc aliquo modo concordantem inducit.

* Locus corruptus.

TERTIUM CAPITULUM

Pro opinione prædicta persuadet quòd Lex Christi Mercurio attribunda sit.

QUARTUM CAPITULUM

Eamdem opinionem confirmans, allegat quòd Astronomi non solùm utiliter loquuntur de Legibus, sed particulariter determinant tempora, inceptionem earumdem, & finem aliquarum.

QUINTUM CAPITULUM

Contra prædictas opiniones quasdam inducit probabiles rationes.

SEXTUM CAPITULUM

Recitat aliqua quæ prædictas rationes solvere, seu aliquo modo reparare videntur.

SEPTIMUM CAPITULUM

Tres conclusiones persuadet, quibus patet quid in hac materia probabilius sit tenendum.

OCTAVUM CAPITULUM

Occasione materiæ præcedentis, quærit de mensuratione cœlestium motuum, & ad unam partem quæstionis arguit.

NONUM CAPITULUM

Rationes ad partem contrariam prædictæ quæstionis apparenter inducit, quodam modo prioribus responsionibus responsivas.

DECIMUM CAPITULUM

Ex præcedentibus concludit præmissam quæstionem ad utrumlibet fore disputabilem; & inde duplicem errorem quorundam Astronomorum refellit.

CAPITULUM PRIMUM.

De distinctione Legum & Sectarum, antiquam opinionem Astronomorum recitat.

SICUT narrat Gallorum Doctor eximinus, Guilliel-mus Parisiensis, Libro suo, *De Fide & Legibus*: quidam ex hiis qui in mundo reputati sunt sapientes, diversitates Legum attribuunt cœlis & stellis, sicut & alias diversitates & conditiones hominum, & hii dixerunt quòd Lex Hæbreorum ortum habet a Saturno, & cœlo ipsius; & propter hoc celebriorem habent diem Saturni, quæ est dies Sabbati; & in ea, propter causam hanc, maximè vacatur Legi huic, legendo scilicet, docendo, & implendo: & propter multiplicia infortunia Saturni, videlicet retrogradationes, combustiones, aliasque ejus occasiones, Lex illa & regimen ejus, atque gens ipsius, variis semper cladibus, multiplicibusque infortuniis exposita est. Quia etiam ipse Saturnus, ut aiunt, dux est prophetiæ & revelationis, ideo in Lege ejus abundavit prophetia, & multiplicata est valdè, sicut apparet in Libris Legis ipsius, & in Libris Prophetarum, Librisque Regnorum. Sunt & alia propria, ut dicunt, Saturni, scilicet avaritia, pertinacia, & duritia, quibus vitiis gens illa Hæbreorum semper noscitur laborasse.

Juxta hunc modum sentiunt, & de Lege Sarracenorum & Regno eorum, unde & credunt & planè asserunt Legem hanc die & hora Veneris promulgatam, & etiam quòd per Venerem, id est luxuriam, viget, & per hanc causam, ut dicunt, & ipsi diem Veneris omni septimana celebriorem habent. Quantùm autem gens illa omni Veneris turpitudine se polluat, manifestum est: quia nec multitudo ipsorum sodomiticam turpitudinem extinguit, licèt in ipsa Lege ipsorum interdicta sit. In hoc ergo, ut A aiunt, & gens illa, & Lex ejus, & Regnum apparet esse Veneris.

De Lege verò Christiana, quæ sola est Lex veritatis, honestatis & sanctitatis, perfectè dicunt, quòd ipsa est Lex Solis, & Regnum ejus Regnum Solis, & propter hoc celebriorem habet gens Christianorum diem Solis. Propter hoc etiam, qui præest in spiritualibus in Regno isto, id est Romanus Pontifex, sedem habet in civitate Solis, quæ etiam habet figuram Leonis, qui in cœlo est domicilium Solis, & ipsa civitas etiam fundata est in ortu, sive ascensu Leonis; & propter hoc civitatem Solis eam dicunt: & quia Lex ista firmitatem testimonialem habet a Lege Hæbreorum; ideò sedes ejus capitalis & radicalis in Italia est, in medio ipsius, videlicet Urbs Romana; Italiam enim dicunt de regionibus B partem esse Saturni. Propter hoc etiam dicunt Pontificem Romanum, in confirmationibus, & testificationibus suis uti sigillo plumbeo, quia plumbum est proprium metallum Saturni, sicut & ipsa Lex cui præest, ut Pontifex confirmationibus & testificationibus utitur Jure Saturni. Vestibus autem rubeis utitur, propter participationem Solis, cujus pars de coloribus color rubeus secundùm eos. Sectarum verò particularium, & hæresum quæ sunt præter istas Leges, dicunt causas esse conjunctiones & participationes planetarum ad invicem: propter hoc mutationes Legum atque Sectarum; nec non & Regnorum, sive magnorum, quæ tria supra diximus, sive minorum, ex hiis prædivinare & præcognoscere se posse opinantur; & de hiis in Libris judiciorum Astronomiæ multa leguntur.

CAPITULUM II.

C *Aliam opinionem priori aliquo modo concordantem inducit.*

LICET autem præallegatus Doctor præmissam veterem opinionem multipliciter impugnavit, ut dicetur infra, eam tamen quidam Doctor Anglicus renovare nisus est; nec solùm manutenere; sed magnificare, & adeò præsumpsit extollere, ut dicere nisus sit sic: potestas Mathematicæ non solùm naturali scientiæ, sed etiam Theologiæ absolutè utilis est, immò adhuc utilior, per respectum ad Ecclesiam Dei & rempublicam fidelium, & conversionem infidelium: & hoc propter aliquos casus qui sunt quasi infiniti miraculi, & utilitatis ineffabilis, inter quos primo loco ponit certificationem Fidei D quam tenet Ecclesia; & hanc Fidem confirmari asserit ex opinione præmissa, sicut patet ex ejus dictis quæ sub certis Atticulis hìc fideliter recitabo.

Primò ergo præmittit quòd magnum solatium Fidei nostræ habere possumus, postquam Philosophi qui ducti sunt solo nutu rationis, nobis consentiunt, & Sectam, seu professionem Fidei Christianæ confirmant, & nobiscum concordant in stabilitate hujus Sectæ; non quia quæramus rationem ante Fidem, sed post Fidem; ut duplici confirmatione certificati, laudemus Deum de nostra salute quam indubitanter tenemus.

Secundò, dicit quòd per hanc viam Mathematicæ,

cæ, non solùm certificamur de professione nostra; sed præmunimur contra Sectam Antichristi, de qua simul cum Secta Christi, fit consideratio in Mathematica.

Tertiò, asserit quòd hæc nobilissima perscrutatio fit per revolutionem omnium Sectarum principalium, a principio mundi, quæ sunt sex, nec possunt esse plures; & sunt Secta Hæbreorum, Caldeorum, Egiptiorum & Agarrenorum, seu Sarracenorum, qui fuerunt ex Agar & Ismaële; & Secta Christi, & postremò Secta Antichristi, nec mirum si de hiis locuti sunt Philosophi qui fuerunt post Patriarchas.

Quartò, super hiis narrat sententias Mathematicorum, in quibus actores concordant: dicunt enim Jovem & Venerem esse planetas benivolos & fortunatos; Saturnum & Martem, malivolos & infortunatos; Mercurium verò medio modo se habere: & sic cum bonis bonus, & cum malis malus, quia convertibilis naturæ est. De benivolis autem, Jovem meliorem esse, & majorem fortunam ei deberi, minorumque Veneri. Et ideò cùm duæ vitæ sint, præsens, & futura; & plus valeat futura quàm præsens, sicut æternum quàm temporale; dicunt Venerem significare super fortunas hujus vitæ, quantùm ad laudes & gaudia, atque lætitiam, & hujusmodi: & Jovem habere respectum ad bona alterius vitæ quæ majora sunt; & significat sapientiam & intellectum, & solutionem somniorum, & divinum cultum, & Legis doctrinam, Religionemque, & venerationem & timorem Dei, & artationem morum, multaque talia narrant Astronomi.

Quintò, recitat qualiter ipsi distingunt totum cœlum in duodecim partes, quas vocant domos, quarum primam dant Saturno, secundam Jovi, & sic ulteriùs secundùm ordinem planetarum. Ita quòd octava datur Saturno, & nona Jovi. Et dicunt concorditer quòd hæc nona domus, est domus Religionis & Fidei. Unde Ptolomeus, Albumazar, & Archabucius, & alii omnes assignaverunt istis domibus proprietates suas, quarum prima est domus vitæ; secunda, domus substantiæ, & sic de cæteris, juxta suas proprietates & dispositiones naturales; ita quòd nona domus, ut dicunt, est peregrinationum, atque itinerum Fidei & Deitatis, & Religionis, ac culturæ Dei, & sapientiæ, Librorum quoque, & Epistolarum, & Legatorum, narrationum, & rumorum, atque somniorum: & ideò meritò, ut dicunt, attribuitur Jovi, quia habet respectum ad bona alteriùs vitæ, quia illis bonis habentur Fides, & Religio, & cultura Dei, & consideratio sapientialis, & Librorum ac Epistolarum multitudo, ut patet ex Lege divina, & ex Legatorum, id est Prophetarum, & Apostolorum, ac Prædicatorum copia, narrantium rumores idoneos de nobilibus conditionibus illius vitæ, & revelationes frequentes habentium in somniis & hestasi; & raptibus de hac vita.

Sextò, applicando præmissa ad propositum, inducit opinionem eorum qui dicunt ex planetarum conjunctione & applicatione ad invicem, scilicet quando fuerunt in eodem signo, & præcipuè in eodem gradu, vel minuto illius gradus cum Jove, posse sumi significationem super Sectas Religionis & Fidei. Unde dicunt quòd quia sex sunt planetæ quibus conjungi potest Jupiter, ideò fore debent sex Sectæ principales: quia si conjungatur Jupiter Saturno, significat Libros divinos, & Sectam significat Judaïcam, eo quòd est antiquior aliis, & prior, sicut Saturnus Pater Planetarum, & remotior, ac primus in ordine eorum, & ipsam omnes confitentur, & ipsam nullam aliam * sicut Saturno omnes Planetæ complectuntur, & ipse nulli, propter tarditatem sui motus, quia quando aliquis Planeta est ante eum ad Orientem, nunquam ipse Saturnus consequitur aliquem: sed in tantum invalescit alius planeta, & sequitur aliquando Saturnum, & conjungitur ei. Omnes quidem Sectæ appodiant se ad Sectam Judæorum, quia hæc fuit prima, & est radix aliarum, a qua omnes aliquod genus testimonii, & constitutionis habuerunt. Immò & ipsa Philosophia accepit ab illa multa testimonia, sicut quidam sapientes dixerunt. Si verò Jupiter conjungitur Marti, tunc dicunt ipsum significare super Legem Caldaïcam, quæ docet adorare ignem, cujus naturæ Mars est in naturali potentia & effectu. Si autem Soli, significatur Lex Egyptiaca, quæ colit militiam cœli, cujus princeps est Sol: si Veneri, significare dicitur super Legem Sarracenorum, quæ tota est venerea & voluptuosa, quam licèt Machometus in scriptis dederit, tamen per longa antè tempora in usu vitæ a suis cultoribus habebatur, sicut notabatur in Libro qui ascribitur Ovidio, de vitæ suæ mutatione; ubi loquitur de Secta Venerea, licèt hunc Librum ab Ovidio non fuisse scriptum satis patet omni homini sapienter consideranti. Si verò Jupiter conjungatur Mercurio; tunc est Lex Mercurialis, & hanc dicunt esse Christianorum. Si autem Lnnæ, tunc erit Lex Lunæ, quam attribuunt Antichristo, & de hiis duabus post dicetur.

Ex præmissis patet quòd licèt hæc opinio hujus Doctoris cum præmissa opinione antiqua & ejus radice in multis conveniat; tamen in quibusdam discordat: quia illa solùm tres principales Sectas, hæc verò sex principales asserit esse. Illa insuper Legem Christi ipsi Soli, hæc autem ipsi Mercurio ascribit. Unde hæc diversa & adversa opinioni veritatis, manifestum signum est quòd opiniones hujusmodi & earum radices, non ex vera & solida ratione, sed magis ex vana & phantastica imaginatione procedunt.

CAPITULUM III.

De sequendo præmissam opinionem, allegat quòd Lex Christi Mercurio attribuenda sit.

SED tamen Doctor iste ad probandum quòd Lex Christi sit Mercurialis, ut prætactum est, inducit etiam quasdam persuasiones, quæ causam magis videntur habere vanitatis quam veritatis: etiam pro fundamento primo supponit, quòd Mercurius, ut dicunt Astronomi, respectum habet ad deitatem, & oracula Prophetarum, & credulitatem & orationem, & maximè quando conjungitur ei Jupiter. Unde & Lex Mercurialis difficilior est ad credendum quàm aliæ, & hoc propter motus Mercurii difficiles, & circuitus in Epyciclo, & Essentrico, & Equante, qui sunt mirabiliores, & difficiliores omnibus motibus planetarum, sicut patet ex dictis Ptolomei, & pleniùs Albategni & Alphargani: quapropter hoc significat super Legem quæ habet difficiles Articulos, & occultas veritates; hujusmodi est Lex Christiana.

Secundò, ponit quòd Mercurius est significator scripturæ & profunditatis, & dulcedinis locutionis & Rhetoricæ, & velocitatis ejus, & explanationis scientiarum. Ideò significat quòd tam authenticis scripturis, & tam profundis sententiis, & tanta potestate eloquentiæ deffendetur, quòd stabit semper in robore suo, donec Lex ultima Lunæ perturbet eam ad tempus.

Tertiò, quòd hæc est Lex prophetiæ secundum quod dixerunt Astrologi, quòd nasciturus erat de Virgine: nam omnes Caldei, & Egyptii Astronomi, & primi Auctores eorum, docent quòd prima facie Vir-

* Locus corruptus.

Virginis oritur virgo munda, puella immaculata corpore, devia vultu, venusta habitu, modesta, crine prolixo, puerum nutriens & pascens in terra Hæbrea, a quibusdam nationibus nominatum *Jesum*, quem nos Græco sermone *Christum* dicimus: sic enim scribitur in majori introductoria Albunazar.

Quartò, subjungit quòd hic ortus Prophetæ de Virgine multùm convenit Legi Mercuriali, quia Mercurius habet maximam potestatem, seu testimonium, seu virtutes & fortitudines in virgine, secundùm judicium omnium Astronomorum: creatus enim fuit in virgine, & dignitates, seu fortitudines quinque quæ debentur planetis, ratione signorum, habet Mercurius in virgine, ut sunt scilicet domus exultatio, triplicitas, terminus & facies: in hoc diffusè declarat & concludit quòd nunquam tantùm dominatur Mercurius sicut in Virgine, nec aliquis alius Planeta habet in ea tot dominia, quare appropriatur Virgini Mercurius, & ideò ex hac causa dixerunt Legem Mercurialem * diem esse Sectam prophetæ nasciturí de Virgine, & hanc posuerunt Legem Christianam.

Quintò, ponit quòd, secundum Astronomos, si Jupiter conjungatur Lunæ, tunc ex hoc Lex Lunæ, quæ erit ultima, sicut circulus Lunæ est ultimus, & hæc erit Lex corruptionis & fœda, quæ violabit omnes alias Leges, & suspendet eas, etiam Mercurialem ad tempus: Luna enim, ut dicunt, significat super Nigromanciam & mendacium. Et ideò Lex Lunæ erit magica & mendosa, & propter corruptionem Lunarum, motus, & figurationem Lunarum, significat super corruptionem Legis istius, quæ in se etiam corrupta, & alias corrumpens, non multùm durabit; quia Luna velociter mutatur cum figuratione & luce sua, & motu, propter brevitatem circuli. Et hoc, ut asserunt statuetur ab aliquo magno & potente qui prævalebit aliis, & æstimant Astronomi, tàm antiqui quàm moderni, quòd hæc erit Antichristi: quia ultimò veniet, & inducet Legem corruptionis, & infatuabit mundum per artem magicam & mendacia sua.

Sextò, ex omnibus præmissis concludit quòd cùm Astronomi & præcipuè Albunazar in Libris conjunctionum, modo prædicto distinguit sex Sectas principales prænominatas, indè manifestè sequitur quòd Secta Christi ad alias comparata, propter ejus nobiles conditiones, sola digna est, & aliæ omnes indignæ nomine Legis, sed sunt hominum figmenta. Ubi advertendum est quòd si in hac generalitate comprehendat Legem Moysi, labitur in hæresim Manicheorum, qui eam damnaverunt; cum tamen de ipsa Christus dixerit, *Non veni Legem solvere sed adimplere.* Matth. v. 17.

De aliis verò Sectis, verum est quod dicit; nam de Lege ultima satis manifestum est, & de Lege venerea quæ est Sarracenorum, & de aliis Sectis, quæ sunt Idolatriarum. Secta verò Judæorum, ut ipse ait, minùs elongatur a veritate; sed Legislator non fuit filius virginis, sicut in Lege Christiana, nec habet conditiones alias tam nobiles: Ideò opportet quòd Lex Christi super omnes alias principatum obtineat.

CAPITULUM IV.

Prædictam opinionem confirmans, ponit quòd Astronomi non solùm universaliter loquuntur de Legibus, sed particulariter de temporibus earum.

ADHUC autem Doctor prædictus ostendit quòd Astrologi non solùm sic in universali investigant Leges, ut dictum est; sed etiam determinant tempora inceptionum earum, & finem aliquarum.

Primò igitur Albunazar in Libro *Conjunctionum*, & alii, concorditer determinant tres esse Saturni & Jovis conjunctiones; magnam videlicet, majorem, & maximam: magna, est quâ conjungitur in omnibus viginti Annis, in quocumque signo: Jupiter
A enim perficit cursum suum duodecim Annis, & Saturnus quasi in triginta, & ideò ut post viginti Annos jungantur in novo signo ab eo in quo priùs juncti fuerunt, & post alios viginti in alio, videlicet in quinto a primo, & post tertios viginti iterum in illo primo, & hæc est conjunctio magna, quæ dicitur significare pluries super sublimationem Regum, & Potentum, & super gravitatem annonæ, & super ortus Prophetarum. Et postquam in illa triplicitate totiens conjuncti fuerunt, ut ad aliam mutentur & conjungantur; tunc vocatur conjunctio major, quæ fit in omnibus ducentis quadraginta Annis, vel circiter, & significat super Sectam, & mutationem ejus in quibusdam regionibus. Sed quando fit conjunctio ab ista triplicitate in aliam, ut a fine Cancri ad initium Arietis, tunc dicitur maxima, per revolutionem Saturni triginta duabus vicibus; & sic fit in omnibus nongentis sexaginta Annis, & significat super mutationes Imperiorum &
B Regnorum, & super ignitas impressiones in aëre, & super diluvium, & super terræ motum, & gravitatem annonæ.

Secundò, narrat iste, quòd una fuit major conjunctio; vel ferè maxima, vigesimo quarto Anno Augusti Cæsaris, quam dixerunt sapientes significare super Legem Mercurialem futuram, de qua mentio fit in prææallegato Libro, qui dicitur Ovidii, & inscribitur, *de vetula*: sed de hac authoritate modicum curandum est, quia benè consideranti perspicuum est Librnm illum non ab Ovidio, sed ab alio longè post adventum Christi fuisse scriptum, & in adulationem Fidei, quia si Lex Christi ab Ovidio fuisset prævisa, eidem esset attributa. Lex autem nostra verissima, non eget falsa adulatione.

Tertiò, dicit quòd cùm Mercurius nunquam in aliis signis sic dominetur sicut in signo Virginis, ut supra tactum est: illa prædicta conjunctio fuit, quando prima facies Virginis ascendebat in Orien-
C te, & facta est propriè caput Arietis. Si enim revolvamus motus Saturni & Jovis ad tempus illud, inveniemus eos fuisse conjunctos per medios cursus suos, ante nativitatem Christi, per sex Annos, quinque dies, & tres horas, & fuit illa conjunctio in Tauro, & si fuisset propinquior capiti Arietis, fuisset maxima.

Quartò, dicit quòd non solùm per conjunctionem prædictam; sed etiam per revolutiones motuum Planetarum, Astronomi confirmant propositum: nam Albunazar docet quòd mora Sectæ, & Regni, & earum permutatio, accidunt præcipuè secundùm qualitatem decem revolutionum saturnalium, & præcipuè si Saturno conveniat mutatio ad signa mobilia, quæ sunt Cancer, Libra, Capricornus, & Aries; dummodò Jupiter fuerit cadens ab eo. Sed si Jupiter fuerit cum eo, aut aspiciat eum, minuet multùm de malo, propter ejus bonitatem. Quando enim fuerunt complectæ decem revolutiones Satur-
D ni, in diebus Darii, fuit apparitio Alexandri Magni, & destructio Regni Persarum. Et similiter post alias decem revolutiones completas, apparuit Jhesus, Filius Mariæ, cum permutatione facta. Et quando completæ sunt decem aliæ, venit Lex, quæ est inter Paganos & Nazarenos. Et post decem alias venit Machometus, & illud fortè est ante complementum decimæ, ut in revolutione nona, vel post, in undecima, & illud est, secundùm quantitatem ejus, quod exigunt conjunctiones præmissæ, quæ sunt fortiores istis revolutionibus. Et similiter mu-

* Locus corruptus.

mutatur hoc citiùs, vel tardiùs, secundùm proprietates Planetarum dominantium Regnis diversis; ut Saturnus dominatur Indiæ; Jupiter Babyloniæ; Mars Traciæ; Sol Romanis & Imperio; Mercurius Ægypto; Luna Assyriis. Sed qualiter hæc assignatio Planetarum ad hæc Regna posset salvari cum assignatione eorumdem ad septem climata, quam aliter, & diversi modè assignant Astronomi, non est facile concordare. De hoc tamen hic discutere non est mei propositi; sed in Tractatu *De imagine Mundi*, circa hoc aliquid tetigi. A

Quintò, ponit Doctor iste quòd de destructione Legis Machometi certitudinaliter loquuntur Astronomi; nam secundùm quod Albunazar dicit: Lex illa non potest durare ultra 694. Annos, sed tantùm durabit, nisi propter aliquam causam incidentem abbrevietur tempus, secundùm quod priùs actum est, quòd abbreviatio potest fieri major ex causis diversis. Et ut iste Doctor dixit tunc, quando hæc scripsit; jam erat Annus Arabum sexentesimus sexagesimus quintus, a tempore Machometi, & ideò concludebat quòd citò destrueretur, & quòd istud erit magnum solatium Christianis, unde laudandus erat Deus, qui Philosophis dedit talem lucem sapientiæ, per quam Lex veritatis confirmatur & roboratur, & per quam percipimus inimicos Fidei destrui debere. Et pro concordia hujus sententiæ inducit Scripturam Apocalypsis, quæ dicit quòd numerus bestiæ est vi^c. sexaginta tres, qui numerus minor est prædicto triginta annos. Sed in multis locis subticet aliquid de numero completo; nam hic est mors Scripturæ, ut dicit Beda, & hoc forsan noluit Deus quòd exprimeretur totaliter, sed aliqualiter occultaretur, sicut & cætera quæ in Apocalypsi scribuntur: quia fortè aut illud tempus ultimum quod fuit Sectæ, secundùm ejus causam principalem, determinat Albunazar, continget quòd Sarraceni destruentur, aut per Tartaros, aut per Christianos, sicut jam tunc maxima pars Sarracenorum destructa erat per Tartaros, & caput Regni quod fuit Baldat; & Califh, qui fuit sicut Papa eorum. Sed hiis non obstantibus, licèt jam postea tempus magnum lapsum sit; tamen experientia docet quòd nundùm Secta illa perditionis destructa est: sed proh dolor! sæpè & multùm contra Christianos invalescit, quod in hac opinione fragilis est & exigua, seu invalida certitudo. B

Sextò, dicit iste Doctor quòd quia credimus quòd post Legem Machometi nulla Secta veniret, nisi Lex Antichristi, & Astronomi similiter in hoc concordant quòd erit aliquis potens, qui Legem fœdam & magicam constituet post Mahometum, quæ omnes alias suspendet: ideò multùm esset utile Ecclesiæ Dei, considerare de tempore illius Legis; an citò veniet post destructionem Legis Machometi, an multùm longè. Et Ethicus Philosophus dicit in sua *Cosmographia*, quòd gens quæ fuit clausa inter portas Caspias irruet in mundum, & obviabit Antichristo, & eum vocabit Deum Deorum. Jam verò, ut dicit: Tartari qui fuerunt inter portas illas, inde exierunt; nam portæ illæ fractæ sunt, sicut retulerunt aliqui Christiani, qui per medinm earum transierunt. Hoc ergo inducit quasi signum proximi adventus Antichristi; undè concludendo dicit: scio quòd si Ecclesia vellet revolvere Textum sacrum & Prophetias sacras, atque prophetias Sibillæ, & Merlini, Aquilæ, & Joachim, & multorum aliorum, insuper historias, & Libros Philosophorum, atque juberet considerari vias Astronomiæ, inveniretur sufficiens suspicio, vel magis certitudo de tempore Antichristi. Sed hiis videtur obviare dictum Christi: *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Act. 1. 7. & illud: *De die autem illa & hora nemo scit.* Matth. xxiv. 36. Quid autem super hiis dicendum sit, non est præsentis operis diffinire: sed de hac materia tractavi in quodam Sermone *de Adventu Domini*, super verbo: *Scitote quoniam prope est regnum Dei.* Luc. xxi. 31. C D

CAPITULUM V.

Contra prædictas opiniones quasdam allegat probabiles rationes.

Licet verò præmissa omnia iste Doctor inducere videatur ad Fidei confirmationem, & Legis Christi laudem; tamen multa ex eis perspicaciter consideranti apparent magis infirmare, quàm confirmare Fidem, nec esse veræ laudationis, sed magis fictæ adulationis Legis, seu Religionis Christianæ: unde contra ejus opinionem procedere videntur rationes quas Libro præallegato facit dictus Guillielmus Parisiensis, contra opinionem antiquam superiùs recitatam.

Quarum prima est: quia vera Fides docet stellas & planetas subditos esse cultui divino & Legi, & nullatenùs è converso. Nam jubente Josuë, & dicente: *Sol contra Gabaon ne movearis &c.* Josue. x. 12. obediverunt Sol & Luna, stetitque Sol in medio cœli, spatio unius diei, & non festinavit obcumbere, & sic duplicata est dies; quæ duplicatio, ex necessitate, toti mundo visa est, & per consequens, sensibili testimonio Cœlorum error iste destruitur: obediverunt etiam Sol & Luna Josuë cultori Dei, & ministro Legis ejus, & non nisi propter Dei cultum, Legisque ministerium: quia manifestum est ipsum Dei cultum & Legem superiores esse & fortiores Sole & Luna, superioresque facere & fortiores eis hujusmodi cultores atque ministros. Nullatenùs ergo cultus Dei & Lex ejus subsunt Planetis, sed magis è converso: ad idem facit retrocessio Solis, & reversio umbræ per decem lineas, quæ facta fuit Ezechiæ, sicut in Libris Regum legitur & in Isaya.

Secunda ratio est: quia Cœli & stellæ, aut scienter, aut voluntariè ista operantur quæ eis imponunt, naturaliter; sicut ignis calefacit, & lux illuminat. Si primo modo inducunt Sectas perditionis quibus contradicitur cultui divino & Legi, necesse est eis gravissimè peccare in Deum, & in animas quas a cultu ejus & Lege avertunt, & in errores impietatis adducunt; quare & malos eos esse, & Dei capitales inimicos dubitari non potest. Item malitia ista aut esset eis innata, aut adventitia, & acquisita. Si primum dicatur, erunt igitur naturaliter mali, & cùm nihil habeant naturale quod Deus in eis non creaverit, non solùm eos malos creasset Deus; sed etiam malitiam creasset in eis; quod quàm longe sit a divina voluntate, palam est. Nam si malitiam creasset Deus, contumeliam creasset, & adversùs semetipsum contradictionem, & inimicitiam capitalem. Si verò secundum dicitur, tunc necessariò corrupti sunt atque decepti, mutatique a suo statu & bonitate naturali, quasi locum habeat apud animas eorum immutatio & corruptio, cùm corpora eorum naturaliter incorruptibilia esse constet, & hoc ordo naturæ non patitur, ut in eis nobilior sit status corporum quàm animarum. Restat igitur ut non scienter & voluntariè operentur talia. Si verò dicatur quòd ista operantur absque scientia & voluntate, purè naturaliter, quemadmodùm lapis ad imas attrahit ferrum; hæc ergo potentia necessariò, & non liberè operatur, vel non operatur, quæ quidem operatio servilis est, sicut dicit Philosophus: quòd *Natura operatur per modum servitutis.* Hoc autem videtur impossibile, cùm virtus sic operans immobilis est & vilis, & comparativè virtutis liberè operantis, scilicet quæ potest in utrumque oppositorum, id est, suum operari, & suum non ope-

operari, vilius autem impossibile esse causam rei nobilioris. Quare virtutes cœlorum impossibile est causare in nobis sapientiam, vel virtutes, vel bonos mores, vel etiam quascumque artes, vel voluntates; cùm omnia hæc nobiliora sunt omnibus hujusmodi quæ ipsi ponunt in cœlis.

Tertia ratio est: quia virtutes cœlorum ex quibus sunt hujusmodi operationes, aut sunt corporales, aut spirituales; si corporales, igitur non possunt naturaliter imprimere dispositiones spirituales, quia naturales operationes per similitudinem sunt: cùm agens naturaliter intendat dare quod habet, & assimilare sibi recipiens: manifestum est igitur quòd nec Leges, nec Sectæ, nec alia hujusmodi, ex talibus educi possunt, propter naturalem dissimilitudinem, & quia hæc nobiliora sunt eis, cùm impossibile sit in natura, ut causa sit ignobilior causato. Item corporales virtutes non agunt, nisi per contractum agentis, vel patientis, vel medii: quare in hiis quæ in antris, vel locis subterraneis nascuntur & degunt, nihil poterunt virtutes hujusmodi, & ita non poterunt eos invitare ad mores, vel Leges, aut Sectas. Si verò dicatur virtutes cœlorum esse spirituales; cùm tales virtutes non operentur intelligendo, imaginando, & desiderando primò apud se, necesse ergo erit Cœlos intelligere primum, & desiderare hujusmodi impressiones in hominibus. Et ex hoc sequitur, ut prius dictum est, quòd scienter & voluntarie mala prænominata, & non solùm bona imprimant hominibus & animabus humanis, & etiam hujusmodi operationes nec loco, nec tempore adjuvantur, sive impediuntur, sicut apparet in operationibus animarum nostrarum. Æquè enim intelligunt, & æquè liberè volunt, æquè imaginantur, & desiderant in uno loco sicut in alio, & per consequens, quælibet stellarum æquè potens est ad hujusmodi operationes in uno situ vel loco, sicut in alio quocumque. Æquè igitur in ortu, ut in occasu; æquè in uno signo, ut in alio quocumque. Non ergo locum habet apud nos domicilium, neque exaltatio, neque casus, aut aliquid aliorum undecim, quæ hii non sapientes, sed somniantes eis attribuunt. Alioquin debiliores essent intellectus & imaginatio, & voluntas, & desiderium apud eos, quàm apud nos.

Ad confirmationem istius rationis multa subdit, ex quibus aliqua non solùm videntur probare propositum quod in materia præsenti quæritur; sed ultra hoc etiam reprobare videntur magnam partem Astronomiæ de judiciis. Hoc autem facere non est præsentis intensionis; ideòque de illis pertranseo: nam ad ea, secundùm Astronomos, & jam dari posset probabilis responsio.

Quarta ratio est: quia aut istæ constellationes sive stellarum positiones, sunt signa tantùm istorum eventuum inferiorum, aut sunt signa & causæ simul; si signa tantùm, aut erunt commutantia res de necessitate, aut non. Si sic; cùm igitur ipsa signa necessaria sunt, hoc est, quæ adverti, vel mutari, nullo modo possunt, erunt ipsi eventus immutabiles, & inadversabiles, & ita omnia de necessitate evenient mortalibus. Si verò sunt signa & causæ istorum eventuum, cùm in se necessariæ sint, erunt eventus ex necessitate necessarii. Motus enim cœlorum concomitantur eventus inferiores, & erunt possibilia separari ab ipsis. Signum autem a quo separata est ejus res signata, signum mendax est: quare possibile est hujusmodi signa fallere. Non est igitur scientia de significationibus eorum; scientiæ enim non sunt de fallibilibus. Si verò signa sunt & causæ istorum eventuum; cùm in se necessaria sint, erunt eventus ex necessitate necessarii: motus enim cœlorum cum omnibus dispositionibus suis necessariis est immutabilis; quare eventus omnes causati a constellationibus similiter erunt necessarii.

Ex præmissis finaliter concludit quòd Sectæ perditionis & errores, atque vitia & peccata quibus, de justo Judicio, æterna damnatio reddenda est, nullatenùs cœlestibus creaturis attribuenda sunt, quia nec naturaliter, nec voluntariè a bonis Dei creaturis tantæ Dei contumeliæ, tantæque perditiones hominum effici possunt, sive creaturæ istæ cœlestes animatæ sint & animalia, ut ipsi opinantur, sive
A non. De omni verò Lege bona, omnique salutari credulitate, nullatenùs dubitandum est quin sit ab actore fonteque universali, ac primitivo bonorum, qui est Deus Altissimus.

Adhuc autem ad confirmationem omnium præmissorum, induci possent rationes ejusdem Doctoris, quas facit in Libro suo *De Universo*, *parte prima*, contra Astronomos, qui blasphemant contra bonitatem Dei Altissimi, dicentes: quosdam ex planetis vel stellis malos esse, & eos expressè vocantes infortunia, & attribuentes eis magnam partem malorum, quæ fiunt in hoc mundo, ut homicidia, furta, rixas, cædes, prælia, lites, & jurgia, & fraudes, & alia hujusmodi: hæc enim infamatio quam specialiter duobus Planetis attribuunt, videlicet Saturno & Marti, in blasphemiam directè refunditur Creatoris, ut diffusè probare nititur: & hanc aliasque multas quorumdam Astronomorum, vel Magorum superstitiones, ibi rationibus variis persequitur.
B Tandem verò postquam de cœlis & stellis, & earum virtutibus multa tractavit utilia; concludit quòd virtutes cœlestes, non per modum quem putaverunt Astronomi, possunt in Leges, vel Sectas; nec in artes, aut disciplinas; vel mores hominum similiter; nec in honores, aut dignitates, principatus, vel divinationes rerum humanarum.

CAPITULUM VI.

Aliqua recitat quæ prædictas rationes quodam modo solvere videntur.

SED quamvis huic opinioni multùm favere videantur dicta Sanctorum, sicut Augustinus, Libro *De Civitate Dei*, & plurium aliorum; tamen hujus-
C modi conclusio, & rationes hujus Doctoris ad eam probandam inductæ in illa generalitate qua traditæ sunt, nimis apparet enervare, & pro magna parte penitùs annullare Astronomiæ scientiam, & Astronomicam potestatem. Undè videtur quòd hæc opinio possit restringi, possintque aliquo modo temperari probationes ipsius, per aliqua ad excusationem Astronomorum apparenter inducta ab illo Doctore Anglico præmemorato, cujus dicta breviter recitabo.

Primò ergo, dicit quòd secundùm Astronomos, & præcipuè Catholicos & fideles, licèt fortè aliquo modo sint a constellationibus cœlestibus; tamen hujusmodi Sectæ vel Leges pendent ex libertate rationis, cùm non imponant aliquam necessitatem libero arbitrio: dicentes Planetas esse signa imminentia nobis ea quæ Deus disposuit ab æterno fieri, sive per naturam, sive per voluntatem humanam, sive per rationem propriam, secundùm placitum suæ voluntatis, sicut dicitur Libro *de Cursibus plane-*
D *tarum*.

Secundò, dicit quòd secundùm Astronomos, licèt voluntas non cogatur; tamen corpus alteratur per virtutes cœlorum, & tunc anima corpori unita excitatur fortiter, & inducitur efficaciter, licèt non cogatur ut velit sequi, licèt gratis, seu liberè, inclinationes corporis ad actus privatos, seu liberos, & ad bonos sicut ad malos, ut sic opiniones, Sectæ, & mutationes consuetudinum inducantur per aliquem famosum in populo, & potentem, secundùm

dùm quod prævisum fuit & præcognitum a Deo; ita quod Planetæ sic non solùm sint signa, sed aliquid faciant in excitando. Et in hoc ultimo verbo benè dicit, meo judicio; quia non videtur mihi benè intelligibile quòd constellationes sint signa imminentia futura, nisi aliquo modo sint eorum causæ.

Tertiò, dicit quod cum aliqui Astronomi posuerunt Dominum Jesum Christum esse Deum & hominem, ut Ethicus manifestè dicit in *Cosmographia*, & Altrimus similiter, & sicut in præallegato Libro, *De vetula*, Deum incarnari in Christo expresè concluditur, attribuunt ista Christo non tanquam purè homini, cùm ista naturaliter homini denegentur; nec volunt quòd dispositio cœlestis potuerit esse signum conceptionis Virginis, & nativitatis illius hominis de Virgine, in quantum homo: sed sicut dicitur in Libro *Cursuum planetarum*, planetæ omnes, & cæteræ stellæ aliter Deo homini facto, aliter puro homini, aliterque Creatori, aliter creaturis famulantur. Voluit ergo Deus res suas sic ordinare, ut quædam quæ futura præviderit, rationabiliùs per planetas ostenderit; ideò scilicet ut mens humana Dei mirifica recognoscens, in amorem sui Conditoris succensa excresceret. Et ideò voluit quòd innuere & significare possunt cœlestia hoc opus Deificum conceptionis & nativitatis, quatenùs creatura attestetur suo Creatori in carnem venienti, sicut contra naturam Sol obscuratus fuit in Passione: propter quod Philosophi hoc videntes, dixerunt quod aut Deus naturæ patiebatur, aut tota mundi machina dissolveretur. Et procul dubio volunt quòd impossibile sit sic Deum subjici creaturæ, nec illud opus divinum, in quantùm fuit cum virtute infinita, & super naturam fuit aliquo modo subjectum dispositioni cœlesti. Jam verò in hoc dicto videtur iste discedere a via scientiæ naturalis, & quòd Astronomi naturaliter non habuerunt præcognitionis Astronomicæ scientiam, respectu hujus operis divini, nec, per consequens, futuræ Legis Christi, quæ tota est divina & supernaturalis.

Quartò, dicit quòd licèt illud opus mirificum, in quantum supernaturale, non fuerit subjectum cœlesti constellationi; tamen in quantum Virgo mundissima fuit vera Mater & naturalis Domini Jesu Christi, & aliquo modo operata fuit ex virtute naturali, in præparando materiam, & fovendo: & in hoc posuerunt virtutem cœli cooperatam fuisse virtuti naturali Virginis & excitasse eam, in quantum naturaliter operabatur, quia homo generat hominem, & Sol. Si enim aliquid naturale fuerit in illa conceptione per materiæ præparationem & fomentum in utero, & hoc in quantum fuit vera & naturalis Mater, non æstimant inconveniens ponere cœlestem dispositionem esse plusquam signum illius. Sed tandem concludit quòd quidquid isti dicunt in hac parte, ad regulam Fidei reducendum est, ut a Catholica veritate non discordet: & licèt omnia ad plenum non sufficiant ostendere secreta hujus Sectæ, tamen an sic & qualis in universali pulchrè attestiantur. Unde in hoc excusare debemus ignorantiam eorum, quâ deficiunt a plena certificatione ritûs Christiani, cùm in eo non fuerint instructi; & laudare quòd nobiscum concordant, & nostram professionem confirmant.

CAPITULUM VII.

Tres conclusiones persuadet, quibus patet, quid in hac materia probabiliùs tenendum sit.

EX præmissis manifestè patet quòd diversæ sunt & adversæ sententiæ in hac materia, sed utile judico, licèt sit difficile inter extrema medium eligere: & ad hoc aliquas conclusiones hîc probabiliter explicabo.

Prima, est quòd omnes Leges vel Sectæ, quantùm ad illa quæ in eis naturalia sunt & naturaliter fiunt, Astronomicæ potestati, seu constellationi, seu dispositioni cœlesti aliqualiter subesse possunt; & hæc est in hoc fundata, quia orbis iste inferior infra spheram Lunæ contiguus est, & subjectus lationibus superioribus, idest cœlestibus corporibus, ut, secundùm Aristotelem, tota virtus ejus gubernetur, inde & hoc verum est, non de hiis quæ purè liberè, vel miraculosè fiunt; sed de hiis quæ naturalia

A sunt, & naturaliter procedunt: nam de hiis tàm ratione quàm experientia manifestum est quòd aliqua cœlesti dispositioni subsunt, ut in Libro præallegato dictus Guillielmus Parisiensis pulchrè declarat. Cùm ergo non appareat major ratio de aliquibus rebus naturalibus, quàm de aliis, concludendum est de omnibus quod sic naturaliter subsunt. Quare quantùm ad hæc, non erit illud inconveniens dicere de Legibus vel Sectis, etiam de Lege Christiana. Verbi gratiâ Christus Legislator noster a sua nativitate valdè bonam complexionem naturálem dicitur habuisse. Non est ergo Fidei dissonum, & est rationi naturali consonum, quòd sub bona cœli dispositione seu constellatione natus fuerit, a qua complexione bonitas naturaliter in eo dependere potuit, sicut etiam supra dictum est de conceptione in utero Virginis, quantùm ad naturalem præparationem materiæ, & fomentum. Unde juxta hunc modum

B non videtur inutile figuram nativitatis Christi veraci calculatione describere, ut innotesceret, secundùm Astronomos, qualis tunc erat dispositio cœli.

Ad confirmationem autem hujus rei, per similitudinem potest induci unum exemplum Legis Moysi, scilicet, de Diluvio, de quo tangit dictus Parisiensis, Libro præallegato. Nam ubi tractat de Katharactis cœli, de quibus loquitur Moyses, exponit quòd per eas intellexit Propheta partes illas Cœli, quæ generativæ sunt pluviarum, & inundationes aquarum, qualis sunt Signa Aquatica, ut Cancer & Pisces, similiter Pleyadas, & Orion: de Planetis verò Mars, Venus, & Luna. Katharactæ ergo hujusmodi tunc apertè intelliguntur, cùm causæ hujusmodi ad istas operationes pluviarum, nutu Creatoris laxatæ sunt, & etiam confortatæ. Cùm igitur hæc

C dicat de Diluvio illo quod tanquam miraculosum narrat Lex Hebraïca; quare non similiter dici poterit de pluribus aliis quæ in eadem Lege, vel etiam in Lege Christiana leguntur? Hæc autem & alia possent ad prædictam conclusionem induci: sed brevitatis gratiâ hiis contentari expedit.

Secunda conclusio, est quod Leges, vel Sectæ quæ vel humana adinventione, vel diabolica suggestione introductæ sunt, sicut Secta Machometi, vel supradictæ Sectæ Idolatriæ, aut aliæ hujusmodi, cœlesti dispositioni naturaliter subsunt. Et hæc ex præmissâ conclusione sequitur: nam cùm in hujusmodi Sectis nihil miraculosè, aut supernaturaliter fiat; consequens est ut totum a causis naturalibus aliqualiter dependeat, licèt ad eas principaliter corrupta hominum voluntas liberè operetur: nec propter hoc stellæ & planetæ diffamandi sunt de malitia vel in-

D fortunio, ut benè probat præallegatus Doctor, ubi supra tactum est. Unde & Saturnus, & Mars, nominandi sunt boni & fortunati & fausti, cùm istæ nominationes debeantur eis naturali bonitate, quam nec casus, nec accidentia alia hujusmodi eis auferre poterunt, & ideò per hoc respondetur rationibus ejusdem supra factis, quòd corpora cœlestia, vel cœlestes intelligentiæ, sicut naturaliter bona quædam excellentia sunt; ita, quantùm in eis est, bona efficiunt quæ ab eis procedunt. Quare in hujusmodi Sectis perditionis, nec naturaliter, nec voluntariè mala

mala intendunt, seu errores, vel peccata quæ in eis fiunt; sed hæc præter eorum naturalem intentionem accidunt: & ideò Astronomi; qui Saturno vim, vel potentiam adjuvandi, vel dirigendi animam intellectivam humanam attribuunt, nullo modo debent eidem attribuere corruptiones, aut perversitates ipsius, nec inclinationem ad fraudes, dolos, astutias, atque mendacia; sed hæc omnia fieri, in vi intellectiva humana, per ineptitudinem, seu inhabilitatem susceptibilitatis, & hæc ineptitudo est ex parte corporis, sicut est exemplum in operatione lucis solaris, quæ in aliquibus visum adjuvat, in aliis lædit, vel tollit, juxta dispositionem suscipientis. Sic ergo dicendum est, quòd cùm ipse, secundùm eos, intendat dirigere & illuminare vim intellectivam ad ea intelligenda quæ recta & utilia sunt, & interdùm, ut dicunt, usque ad splendorem prophetiæ: tamen impeditur propter hoc intensio ejus & operatio a parte corporis quod ipsi animæ conjunctum est; ut cùm ex hac illuminatione deberet quis esse studiosus circa scientias sacras & divinas, efficitur curiosus circa alias, & melancholicus, ac cogitator vanarum rerum, vel noxiarum, quales sunt fraudes & doli. Hoc autem etiam de aliis planetis, secundùm earum proprietates, consimiliter declarat iste Doctor pulchrè & utiliter: per hoc tamen quod hic dicit de hujusmodi indispositione quæ est ex parte corporis, non tollitur quin principaliter ad hos errores & peccata Sectarum prædictarum operetur depravatio libera voluntatis: de qua re plura possent dici; sed hæc ad præsens sufficiant.

Tertia conclusio, est quòd Leges, vel Sectæ divinæ, id est non humanitùs, sed divinitùs inspiratæ, qualis est Lex Christi, & qualem fuisse credimus Legem Moysi, in quantum a divina voluntate libera supernaturaliter & miraculosè procedunt, nullatenùs Astrorum legibus, seu eorum constellationibus subjectæ sunt, nec ad eas, vel earum veritates sublimes, & rationem naturalem excedentes, Astronomicæ scientiæ potestas aliquatenùs se extendit. Et hæc patent primò, quia cùm cœlestis constellatio sit virtus naturalis; cùm etiam Astronomia sit naturalis scientia, eorum potestas vires naturales non excedit, nec ad ea quæ contra, aut super naturam sunt se extendit, cujusmodi sunt ea quæ miraculosè & supernaturaliter fiunt; quales sunt leges prædictæ, & plurimæ veritates quæ secundùm eas docentur & creduntur. Non ergo attribuetur Lex Christi Mercurio, sicut dicit Doctor ille Anglicus; sed Soli Deo Altissimo, nec conventio, aut colligantia, aut concomitantia, aut connexio difficultatis motuum Mercurii, ad difficultates veritatum Fidei, & præcipuè illarum quæ facultatem naturæ, & naturalem excellunt intellectum, sicut Sanctæ & Individuæ Trinitatis, æternæ generationis, hypostaticæ unionis, conceptus virginalis, & aliorum hujusmodi Articulorum Legis Christianæ. Si verò ille dixerit quòd, quantùm ad ista supernaturalia, Mercurius, & difficiles ejus circuitus, seu quævis aliæ dispositiones cœlestes, non se habent sicut causæ, sed sicut signa; jam supra tetigi hoc non esse intelligibile.

Pro cujus declaratione sciendum est quòd figura cœli seu dispositio, est velut quidam Liber naturalis, manibus Dei scriptus, sicut à principio tactum est, in quo tanquam litteras, seu quasi scripturas legibiles fecit luminaria cœlestia, sicut ipse per Moysem testatur; ut essent in signa & tempora. Ibi ergo repræsentantur futura, non quæcumque, sed naturaliter fieri possibilia, & respectu istorum, sunt in Cœlo signa, non quidem ad placitum, sed naturaliter significantia. Ideò non possunt esse signa rerum quarum non sunt aliquo modo causa naturalis, cùm ad illa signa naturaliter sequantur eorum signata, sicut positâ causâ ponitur effectus. Ex hiis ergo patet propositum, quòd ex hujusmodi cœlestibus signis non potuerunt Astronomi prænosticare de Lege Christi, & præcipuè de supernaturalibus veritatibus prædictis. Si verò quis dixerit quòd de hujusmodi veritatibus multa prædixerunt infideles, sicut Hermes Trimegistus, de Verbo æterno; & Sybillæ, de Christo multa scripserunt; sicut docet Lactantius, & in Libro *De Civitate Dei*, recitat Augustinus. Unde & de sybillinis versibus canit Ecclesia.

A

Ad hoc respondeo quòd hii, seu alii Gentiles, vel Philosophi, vel Astronomi, qui de hiis scripserunt, non hæc habuerunt per Astronomicam, seu naturalem scientiam; sed hæc receperunt ex divinis Scripturis, quas fortè aliqui legerunt, vel ad hæc præcognoscenda elevati sunt per revelationem divinam, quam propriè vocamus prophetiam, quam nec à Saturno, nec à Cœlo, sicut fabulantur Astronomi; sed à solo Cœlorum Creatore credimus provenire.

Sed adhuc ad confirmationem propositi unam facio rationem, quæ velut Achilles, fortior est: nam signemus figuram Cœli, seu constellationem, quæ significant, secundùm Albunazar, vel alios Astronomos, super Lege Christi futura: tunc quæro ab eis, an similis constellatio aliquando præcesserit, vel

B

non. Si dicatur quòd sic; ergo tunc similis Propheta, & similiter natus de Virgine, similis Lex, vel Secta, similes Legis veritates præcedere debuerunt, cùm similem causam sequi debeat effectus similis, seu ad simile signum simile signatum: hoc autem consequens nullus fidelium diceret; nam Fides docet quòd Lex ista sicut Legislatoris Mater incorrupta, nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

Si verò dicant quòd nunquam similis constellatio præcesserit, aut futura sit, nec similis causa in Cœlo, aut simile signum, unde sequi posset talis eventus, aut evenire similis effectus: sequitur quòd ipsi, aut alii authores Astronomiæ prædecessores, non potuerunt habere experientiam, &, per consequens, naturalem scientiam quòd hujusmodi constellatio esset aliquo modo causa efficiens, vel signum prænosticans, hujus Legis, vel Sectæ futuræ: quare nec

C

talem eam futuram esse ex hujusmodi constellatione naturaliter præcognoscere potuerunt.

Insuper, si hoc concedatur quòd nunquam similis constellatio aut præcesserit, aut secutura sit; sequitur ex hoc quòd motus corporum cœlestium, seu revolutiones cœlestes, sint improportionales, & incommensurabiles; ita quòd præcisè & punctualiter nunquam Cœlum revolvitur ad eundem statum; cujus oppositum supponere videtur communis Astronomorum opino.

Ex præmissis ergo conclusionibus, & earum rationibus, satis patet quid in proposita materia probabilius sit dicendum.

CAPITULUM VIII.

D

Occasione præmissorum quærit de commensuratione motuum cœlestium, & ad unam partem quæstionis arguit.

Et adhuc pro majori hujus materiæ declaratione, & specialiter hujus quod in ultima ratione prætactum est, hìc rationabiliter quæri potest, quid de præmissa incommensuratione cœlestium sit tenendum; & utrùm sint proportionabiles, vel non. Unde sciendum est quòd ad utramque quæstionis partem rationes probabiles inductæ sunt, quas hìc recitare breviter non videtur inutile.

Pars

Pars ergo affirmativa probatur quadruplici ratione, quarum prima fundatur in hoc quòd pars contraria divinæ bonitati detrahit. Secunda, quia ipsa Cœli decorem, totiusque mundi perfectionem tollit, vel minuit. Tertia, quia scientiæ Arithmeticæ magnam injuriam attribuit. Quarta, quia hominibus, & maximè antiquis Philosophis multam ignorantiam imponit.

Prima itaque ratio est, quia omnis incommensurabilium proportio, a ratione naturali quodammodò secluditur, & inde appropriare rei irrationali nuncupatur. Igitur divinæ bonitati indignum esse videtur, ut ipsa motus Cœli proportione irrationali, quasi indiscreta quadam habitudine connexisset, per quos ceteri motus debiter & rationabiliter ordinantur; & confirmatur, quia inter figuras & numeros, quidam à sapientibus digniores reputati sunt, aut quòd secreta ratione naturæ, aut quia rebus perfectioribus insunt. Sic circulus, apud Aristotelem, dicitur perfectissimus ex figuris, & ternarius perfectissimus numerorum. De quo etiam Virgilius ait:

Numero Deus impare gaudet.

Et sicut ita est in figuris vel numeris; ita opportet dicere de eorum proportionibus. Unde dicit Averroys quòd antiqui multùm commendabant proportionem duplam, de qua quidem ait: *Infinita supremis proportio dupla ligavit.* Quo suppositio, unusquisque quasi naturali instinctu concedit proportiones rationabiles fore aliis irrationabilibus digniores. Sicut ergo cœlestibus orbibus convenit figura perfectior; ita eorum motibus convenit proportio nobilior, ut corporibus, quæ propter nobilitatis excellentiam Aristoteles gloriosa vocavit, nullus desit decor corporeus. Cùm igitur ipsa irrationalis proportio, incommensurabilis potiùs disproportio dicenda sit, seu proportionis privatio, & abilitas privatione melior & pulchrior: sic sequitur quòd divinæ bonitati & sapientiæ convenit, ut in cœlestibus corporibus, & eorum motibus proportionem & commensurabilitatem posuerit, nec carentiam, seu privationem hujus pulchritudinis atque perfectionis in eis esse permiserit.

Secunda ratio, est quia omnis pulchritudo in quadam proportione & commensurabilitate consistit, sicut jam tactum est. Unde secundùm perspectivos, omne quod delectat intuitum consistit in proportione rationali: & armoniæ, quæ mulcent auditum, omniumque saporum & odorum confectiones delectabiles, certa & proportionali commensuratione miscentur; nec tamen omnes proportiones rationales inducunt sensibus voluptatem, sed determinatè; de quibus Aristoteles ait: Simphoniæ verò paucæ, & istæ reputatæ sunt inter alias digniores. E contra autem, omnis irrationalis proportio ostendit in sonis auditum, in saporibus gustum, & sic de aliis, ut vult Aristoteles, nec solùm lædit sensum; sed etiam intellectum: propter quod aliqui dixerunt animam constare quadam magistrali & armoniaca ratione.

Cùm igitur, ut ex præmissis patet, non solùm sensibus nostris, sed etiam intellectibus disconveniat, atque displiceat irrationalis proportio; quantò magis intelligentiis cœlestibus? Quomodò ergo ponemus eas cœlestia corpora cum tali incommensurabilitate, & inamœna & tristabili disparitate manere? Cùm, secundùm Philosophum, in motu suorum orbium optimam vitam ducere & gaudere atque delectari affirmentur.

Et confirmatur ratio: quia si quis faceret horologium materiale, utique efficeret omnes rotas, motusque earum commensurabiles, quantùm posset: quantò magis ergo opinandum est de architectore summoque opifice Deo, qui omnia fecisse dicitur numero, pondere, & mensura? Unde ait Boëtius, quòd omnia quæ à primæva rerum origine processerunt, ratione, numeroque formata sunt. Platoque ait, mundi opificem quatuor Elementa in proportionabilitate continua convertentem, duos numeros cubicos, & duos eorum proportionaliter medios connexisse. Hinc est illud Boëtii: *Qui numeris elementa ligas* &c.

Si ergo ita sit in horologiis artificialibus, & in Elementis, pluribusque rebus corruptibilibus; quantò magis in corporibus, motibusque cœlestibus, quòd eos considerat rationalis commensuratio & analogia naturalis? Cùm verò in hiis inferioribus contingat quòd propter narrationem continuam aliqua proportionentur incommutabiliter, hoc fit, juxta verba Aristotelis, quia ista inferiora sunt plena turbine propter longè distare à commodo divino, id est à Deo, qui talem inordinationem propè se in cœlestibus non permittit. Ex quibus omnibus concludit quòd hujusmodi incommensurabilitas cœlestium motuum & divinæ derogat bonitati, ac pulchritudini totius Universi.

Tertia ratio fundatur in hoc, quia scientiæ Arithmeticæ fieri videtur injuria, si ad cœlestes motus numerorum proportio nequeat applicari. Cùm enim musica ad sonos, contra numeros aëreos non poterit Astronomia ad motus cœlestium coaptare, cùmque per eam numerantur astra, cur eorum motus non poterunt suis numeris mensurari? Cùm insuper Arithmetica cum Deo habitet, quia unus & trinus est, quomodò a Cœli motibus excludetur? Ipsa verò inde excludi videtur, si in cœlestibus motibus proportio irrationalis etiam ponatur. Nam talis proportio, seu potiùs mensuræ privatio ipsi Arithmeticæ, immò cunctis rebus disconveniens & dissona, jam superiùs probata est.

Et confirmatur: quia talis proportio irrationalis non solùm a Cœlo excludit Arithmeticam; sed etiam scientiam sibi subalternam, scilicet musicam. Nam proportio hujusmodi est ab omni consonantia aliena, magisque apta horrendis luctibus inferni, quàm Cœli motibus, in quibus dulcissima musica, secundùm multorum Philosophorum testimonia, creditur resonare, & Dei gloriam enarrare. Unde Pytagoras ibi supremam consonantiam se fatetur audivisse, per cujus duscedinem mundi opifex nexum moderari creditur universæ fabricæ mundi. Narratur etiam in sexto *De Republica*, somnium Scipionis, ubi dicitur quòd impleat aures ejus cantus dulcis sonus, qui pulsu & motu ipsorum orbium efficitur. Quod exponens Macrobius, allegat Platonem, qui in Libro *De Republica* sua, cùm de sphærarum cœlestium volubilitate tractaret, ait sphærarum motum, cantum numeris exhibere. Theologi quoque gentilium, idest, Poëtæ, novem Musas, octo sphærarum musicos cantus, & unam maximam consonantiam, quæ conficitur ex omnibus, esse voluerunt.

Ad hoc propositum Macrobius allegat Æsiodum, & multa subdit de illa musica cœlesti, concludens quòd ideò in hac vita omnis anima musicis sonis capitur: quia in corpus defert memoriam musicæ cujus in Cœlo fuerit consona. Sed etiam Boëtius affirmat quòd non frustra à Platone dictum est, mundi animam musicâ consonantiâ fuisse compactam, & quòd non potest dubitari quin animæ nostræ & corporis status eisdem quodam modo proportionibus videatur esse compositus, quibus Astronomicæ modulationes copulantur. Item quoque Boëtius trinam posuit musicam, primamque vocavit mundanam, de qua dicit quòd in hiis inspicienda est, quæ in Cœlo, vel in compagine Elementorum, aut temporum varietate visuntur. Et subdit: *Unde non potest ab hac cælesti vertigine rectus ordo modulationis assistere.* Hermes insuper Pater Philosophorum, ait: *Non immeritò in hominum cœtum, musarum chorus est a summa divinitate dimissus*, scilicet ne terrenus mundus videretur

retur incultior, si modorum dulcedine caruisset: sed potiùs in musicatis hominum cantilenis, cùm celebrarent laudibus qui solus est omnia, aut Pater est omnium, atque cœlestibus laudibus, nec in terris armoniæ suavitas defuisset. Hæc enim rationalis proportio cœlestem musicam faciens, in sacris tangitur eloquiis, ubi dicitur: Quis enarrabit cœlorum rationem, aut concentum quis dinumerare ferat. Unde Cassiodorus regnum dans musicæ, ait: *Quid enim præstantius quam cœli machina, quæ sonora dulcedine modulatur & naturæ continentiam ubique dispersam virtutis suæ gratiâ comprehendit.*

Ex præmissis ergo patet, in cœlestibus motibus esse musicam, & per consequens, rationalem proportionem arithmeticam; unde opinionem contrariam constat scientiæ arithmeticæ magnam afferre injuriam.

Sciendum tamen est quòd Plato voluit cœli motum rationabilem fieri sine sono, nec placet Aristoteli quòd motus orbium faciant strepitum, sive sonum audibilem, & ita, secundùm prædicta, erit symphonia sine sono. Non ergo intellexerunt Philosophi mundi musicam fore auribus sensibilem; sed animo intelligibilem. Et hoc, secundùm Hermetem, a paucissimis qui pura mente dotati sortiti sunt cœli suscipiendi universalem curam. Unde secundùm eundem, musicam nosse, nihil aliud est nisi cunctarum rerum ordinem scire & quæque ratio divina sortita est.

Ordo enim singularum rerum in unum collatus, concentum quemdam dulcissimum, verissimumque conficit. Unde cum hæc mundana musica non sit perceptibilis auribus corporis, Cassiodorus asserit dicens: *Harmonia cœli humano sermone non potest explicari, quam animo tantùm ratio dedit, sed auribus natura non indidit.* Qualis vero in cœlo sit musica, manifestiùs ostendit, quando de lyra ait quòd eam Mercurius dicitur invenisse, quam Astrologi inter stellas requirendam esse putaverunt, persuadentes cœlestem esse musicam, quando Lunæ formam comprehenderunt inter sydera collocatam. Unde Poëta.

Solis opus, cytharæ studium, lyra mercuriale.

Sic etiam antiqui imaginati sunt septem planetarum tetracordum, quibus cœli hermonicum tripudium amœna taciturnitate conficitur, nec solùm in cœlis planetarum, sed etiam supra posuerunt musicam; quia sicut idem Cassiodorus ait: *Dicuntur debere credi quòd beatitudo supercœlestis illis musicis oblectationibus perfruatur, quæ nec fine deficit, nec aliqua intermissione marcessit.*

Non est autem ex hiis intelligendum quòd in illa beatitudine sit musica, seu musicalis delectatio sensualis, sed spiritualis; quia aliter dicere, esset declinare ad intentionem loquentium de Paradyso sensibilium voluptatum, juxta errorem Gentis Sarracenorum, sicut docet prædictus Guillielmus Parisiensis, parte prima Libri *De Universo*.

Quarta ratio, est quia negat motus cœli proportione commensurari, ponit in hominibus magnam & multiplicem ignorantiæ cæcitatem: nam sic nullus poterit planetarum conjunctiones, & alios aspectus præcognoscere, nec eorum effectus prævidere, & per consequens peribit Astrologia, nec erit inter scientias mathematicas numeranda. Frustra ergo mundi Opifex.

Os homini sublime dedit cœlumque videre
Jussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Ut ait Ovidius.

Et confirmatur: quia non solùm ex hoc sequitur ignorantia Astronomiæ; sed etiam omnium quasi Philosophorum error gravissimus.

Et quidem primò, quòd errasset Aristoteles Græcorum Philosophorum princeps, definiens tempus, quod *est numerus motus Cœli.* Si hujusmodi motus Cœli non posset numero mensurari; & ex hoc sequeretur quòd omnes tabulæ Astronomiæ essent falsæ. Sequitur etiam quòd falsa sit communis illa Philosophorum opinio, qui dixerunt corpora cœlestia redire ad statum similem omnium circulationum, revolutione quam vocant magnum Annum, de quo Plato in Thymeo diffusè loquitur; quod etiam Apolloninus pulcherrimè explicavit, de quo scripsit Macrobius. De Sole quoque in divinis Scripturis dictum est: *Oritur sol & occidit, & ad locum suum revertitur.* Eccle. 1. 5. Et tamen si motus Solis sint incommensurabiles, impossibile est ut in suos circulos revertatur. Ibi etiam scribitur: *Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est.* Eccle. 1. 9. 10. Hoc autem verum non esset, si foret incommensurabilitas in motibus cœli; sed semper essent constellationes & effectus earum quales non fuerunt in perpetuum.

Unde huic multùm contrariatur illorum Philosophorum opinio, qui in magno Anno posuerunt omnes effectus reverti similiter sicut ante. Immò Platonici dixerunt eosdem homines iterùm redituros, illa magna revolutione peracta, quos insequitur Poëta Claudianus dicens.

Certis que ambagibus ævi.
Rursùm corporeos animæ mittuntur in artus.

Similiter & Virgilius, ubi ait:

Has omnes, ubi mille rotam volvêre per annos,
Rursùmque incipiunt in corpora velle reverti. Enæid. 6.

Et intelligit per rotam, mille Annorum circuitus revolutionum, quos vocant magnum Annum: de quo etiam prædicavit Pytagoras sicut recitat Ovidius. Ex quibus omnibus satis persuasum esse videtur id quod & principio quærebatur.

CAPITULUM IX.

Rationem ad partem quæstionis inducit prioribus rationibus aliqualiter responsivas.

Sed in contrarium præmissorum sunt quædam persuasivæ responsiones, atque probabiles, & apparentes, prioribus rationibus responsivæ.

Prima ratio: quia licet, ut prætactum est, in proportionibus rationabilibus consistat quædam perfectio; verumtamen cœlestia non minori, sed multo ampliori decore fulgere videntur, si corpora commensurabilia, & motus sint incommensurabiles saltem aliqui, quantùm si forent omnia commensurabilia, ut scilicet irrationabilitate & regularitate convinctis, regularitas irrationalitate varietur, & irrationabilitas regularitate debita non fraudetur: propter quod etiam quilibet motus simplex sphæricus est, secundùm partes subjectivas difformis, & secundùm partes temporis regularis. Unde sive rationabilis proportio irrationali sit nobilior, sive non; earum tamen congrua mixtio, & communicatio, uniformi singularitate pulchrior est. Sic enim videmus in aliis; nam mixtum ex Elementis melius est optimo Elemento, cœlum pulchrius stellarum varietate distinctum; quàm si essent undique stellæ similes per totum Cœli circuitum.

Sed & universum est perfectius, ut quidam annuit, propter corruptibilia, & etiam propter monstra. Cantus quoque dissonantiis variatus dulcior est, quàm si optima consonantia fieret continua, scilicet diapason: & pictura diversis coloribus speciosior efficitur, quàm si colore pulcherrimo tota superficies uniformiter decoretur. Sic igitur cœlorum machina nullo carebit decore, si tali varietate consonantur, ut corpora numeris, singulorumque pondere, id est, magnitudine, motu atque mensura constent; quæ mensura, si esset naturalis, frustra dictum esset, numero, pondere & mensurâ.

Hæc

Hæc ergo mensura ad continuitatem illam refertur, quæ non potest per numeros dimetiri, & dùm eam comprehendere non possumus, ipsam irrationabilem & incommensurabilem appellamus. Ipsam tamen distinctè cognoscit Dei ratio & sapientia, & suo conspectui patet, & placet cœlestes circuitus ex hoc effici pulchriores, licèt hoc humanæ imbecillitati lateat absconditum. Sicut solet etiam sæpè contingere, ut homo subtilis in multa varietate pulchritudinem percipiat, cujus diversitatis ordinem homo rudis non advertens, totum æstimat esse confusum. A

Secunda ratio: quia cum hujusmodi opinio nec divinæ bonitati, aut sapientiæ; nec decori, aut perfectioni universi repugnet, ut jam patet ex præmissa ratione; consequens est quòd nec proportiones rationales, nec numeros, aut Arithmeticam, a Cœlo intendit excludere. Sed si cum eis in Cœlo, ubi omnia relucent, etiam proportiones aliæ esse dicantur, nullum inde patitur Arithmetica, aut musica detrimentum.

De hiis tamen quæ de Cœli musica dicta sunt, videtur quòd non debet credi hujusmodi testibus sibi invicem discordibus. Unus enim dicit quòd illa harmonia sit cum sono audibili; alter verò negat. Unus asserit quòd orbis supremus resonat acutiùs; alter verò quòd infimiùs. Unde, secundùm Plinium, Libro secundo *Naturalis historiæ*, & hæc hiis similia jocunda magis, quàm necessaria subtilitate dicta sunt: quàm si diceretur quòd voluntariè & poeticè facta sunt, sine Physica ratione.

Sed adhuc supposito quòd cœli facerent aliquam consonantiam tacitam: tamen non est proportio sonorum sicut velocitatum. Unde Pythagoras non malleantium motum, non lacertorum mensuravit vigorem; sed malleorum proportionem quæsivit, quantitatem que eorum per pondera novit. Igitur acucies soni non sequitur velocitatem, sed potiùs corporum sonantium quantitatem, aut figuram, aut rigorem, aut in cordis asperitatem majorem vel minorem, aut quantitatem propulsi aeris, ut vult Aristoteles, in problematibus, aut plura istorum, seu plurium concursivum. Insuper proportiones velocitatum Cœli non sunt symphonicæ, sicut dicunt aliqui, quòd Solis ad Venerem proportio seu symphonia, sit diesis. Nam motus Cœlorum a sapientibus non ponuntur secundùm aliquam consonantiam principalem proportionaliter commensurari.

Si igitur sphæræ Cœli faciant aliquam talem consonantiam in movendo, illa non est attendenda penès velocitates motuum; sed secundùm capacitates sphærarum, seu penès orbium quantitates. Negata igitur commensuratione motuum, dùm tamen commensuratio corporum cœlestium concedatur, in nullo præjudicatur musicæ, quin ipsa in cœlesti choro, etsi non sensibiliter; tamen spiritualiter, seu intelligibiliter plaudat. In suo tamen plausu varietas plùs delectat, quàm uniformitas omnimoda, sicut cantilena multoties repetita, non tantùm placet, sed fastidium generat. Unde nec bonus musicus est, qui in novos musicæ modos nescit multipliciter variare.

Tertia ratio est: quòd si omnes motus Cœli essent commensurabiles, necesse esset eosdem motus, vel similes, & eorum effectus eosdem aut consimiles, si mundus in infinitum duraret, infinities iterari, & illum magnum Annum fieri, de quo ibi tactum est. Sed perfectiùs est, & divinitati convenientiùs, quòd non totiens repetatur idem, & quòd Deus novas & dissimiles prioribus constellationes, effectusque varios semper producat, ut illa sæculorum prolixa series, quam Pythagoras per cathenam auream intellexit, non redeat in circulum; sed rectè procedat semper in longum: quod fieri non posset sine aliqua incommensurabilitate motuum cœlestium. Nec credendendum in hoc est illis prophetiis poeticis, quemadmodùm, sicut de aliis dictum est, ipsi invicem non concordant in quantitate illius magni Anni, nec dicta eorum possunt stare cum experientiis ab Astrologis hactenùs observatis. Licèt tamen, sicut recitat Guillielmus Parisiensis, Libro præallegato, aliqui Astronomi hunc magnum Annum posuerunt, & dixerunt eum continere XXXIV. mille Annorum, & hoc quemadmodùm secundùm probationem Ptolomei unaquæque stellarum fixarum movetur singulis centum Annis uno gradu. Circulus autem Cœli continet 306. gradus, quare quælibet circuitum complet in trecentis quadraginta centenariis Annorum, quæ sunt XXXIV. * mille Annorum, quos ille Annus magnus continet, quo numero etiam planetæ ad statum primitivum revertentur; ut quidam eorum dixerunt.

Aliqui tamen, ut ipse ait, dixerunt Annum istum L. mille Annorum spatium continere. Et hoc forsitan propter diversitatem reversionis septem planetarum.

Hanc autem opinionem Doctor iste diffusè reprobat, maximè quo ad hoc quòd ponit res easdem numero, in hujus magni Anni reversione redire, seu in ejus revolutione renovari: & inter sex causas hujus erroris primam ponit, quia crediderunt cœlestem circuitum habere principatum causalitatis super mundum istum inferiorem, & posuerunt in eo mutationes magnas fieri, juxta dispositiones stellarum & luminarium. Qualis fuit mutatio humani generis per Diluvium universale. B

Similiter, ut ipse ait, per mutationes Legum & Sectarum, atque magnorum Regnorum. Ex quibus patet quòd opinio quæ ex commensurabilitate cœlestium motuum dependet, favet non modicum errori, quòd Lex Christianorum, & natiuitas Legislatoris ex Virgine aliàs & futura sit ex constellatione stellarum; quod superiùs reprobatum est.

Quarta ratio fieri potest. Et si omnes motus Cœli essent commensurabiles, impossibile esset Solem & Lunam conjungi vel opponi æternaliter, præter quàm in paucis punctis Cœli; & de aliis aspectibus, & de reliquis Planetis similiter essent multi gradus Cœli, in quibus aliqui Planetæ non possunt convenire: & ita de multis similibus quæ non sequerentur ex incommensurabilitate motuum cœlestium; quæ tamen non videntur verisimilia, nec congruentia ordini, ac pulchritudini Universi. Quare enim una pars lineæ Eclypticæ magis quàm alia privabitur a conjunctione Solis & Lunæ, & alia conjunctione notabili Planetarum? Magis ergo erit dicendum quòd ipsius Eclypticæ nulla est proportio tam modica, in qua aliquando non sit Solis & Lunæ conjunctio, & sic de similibus quæ incommensurabilitatem motuum consequuntur. C

Illud quod objicitur de ignorantia hominum circa Astronomiam, non concludit contrarium: sufficit enim Astronomis scire conjunctionem, vel Eclipsim futuram esse infra aliquem gradum, vel minutum ipsius mobilis, vel temporis: nec opportet prædicere in quo puncto aut instanti, cùm hoc non est possibile, ut post tangetur. Nam etiam si motus punctualiter essent noti, & ille magnus Annus foret possibilis; jam omnia ventura, totusque ordo eventuum futurorum posset ab hominibus prævideri, & sic forent in hoc similes Deo Immortali. Magis ergo ponenda est incommensuratio hujusmodi motuum, ex qua hæc inconvenientia non sequuntur: nam etiam quibuslibet ignotis magnitudinibus demonstratis, verisimiliùs est illas esse incommensurabiles, quàm contrarium; sicut quacumque multitudine proposita, verisimilior est conjectura quòd non sit perfectus numerus, quàm perfectus; quare similiter de proportione quorumlibet duorum motuum nobis ignota, verisimiliùs est ipsam irrationalem esse, quàm rationalem; si non obstet alia ratio quæ in proposito non apparet. D

CAPI-

* Locus corruptus.

CAPITULUM X.

Concludit quæstionem præmissam ad utrumlibet disputabilem, & inde duplicem errorem Astronomorum excludit.

A EX præmissis igitur rationibus hinc inde factis, quæ non demonstrativè & evidenter, sed solùm persuasivè & apparenter concludunt, probabiliter infertur quòd proposita quæstio de commensurabilitate motuum cœlestium, est problema neutrum, de quo naturaliter haberi non potest evidens certitudo.

Sed quod majus est de quibus cœli motibus, qui ab Astronomis commensurabiles esse probati sunt, punctualis certitudo, præcisaque eorum proportio adeò difficilis inventionis est, ut humana in hiis occupatio, videatur esse afflictio spiritûs, & labor interminabilis humanum transcendens ingenium. Nec mirum, cum etiam in rebus inferioribus & nobis sensibilibus, nequeat sæpè punctualis præcisio deprehendi; sed minor pars quàm millesima æqualitatem tollat, & proportionem de rationali ad irrationalem commutet, & hoc docuerunt sapientes Astro- B logi. Unde asserit Albategni, authoritate Ptolomei, quod in tanti magisterii excellentia, veritatem ad unguem comprehendere, non est cuiquam possibile; cujus causam posteà assignat, dicens quòd fortè est aliquis motus cœli, qui nundùm hominibus innotuit, aut propter ipsius tarditatem, aut propter ipsius ad alium vicinitatem: & ideò benè dicit prius, quod cœli mensura non venit in digitos: ex quibus omnibus manifestè colligitur & colliditur multiplex error hominum.

Primus, est quorumdam præsumptuosorum, qui jactant se Almanach, seu verum Kalendarium perpetuum tradere, cum tale quid invenire fortè sit impossibile, vel saltem impossibile cognoscere se aliquid hujusmodi reperisse. Cujus rei signum est, quod non obstante summa antiquorum diligentia, nundùm quantitas Anni Solaris, cum præcisa certitudine creditur adinventa, sicut ex compoto Lin- C conienti apparet. Nam cum Annus sit reditio Solis ab aliquo puncto in Zodiaco fixo ad eumdem punctum, ut ab eodem Solstitio ad idem Solstitium, vel ab eodem Æquinoxio, ad idem Æquinoxium in quantitate hujus Anni; fundatores Kalendarii nostri sequuti sunt doctrinam Abrachis quæ remotior est a veritate, quàm doctrina Ptolomei; quia dixerunt quantitatem anni 365. dies & sex horas, & posuerunt tres annos continuè, unumquemque 365. dies, dimittendo minutias, & quartum Annum constituerunt ex 366. diebus, & diem interjectum, in quarto Anno, vocant diem bissextilem, quia miserunt eum in Februariò sexto Kl. Martii, & super eamdem litteram in Kalendario bis dicunt 60. Kl. Et sic computant in Anno bissextili super eadam littera duos dies.

Unde si vera esset dicta opinio de quantitate Anni, Sol rediret ad idem punctum, a quo incipit moveri a principio eorumdem Annorum, & non egeret Kalendarium nostrum alia verificatione quàm intercalatione, seu interpositione diei bissextilis. Sed secundùm Ptolomeum quantitas Anni minor est, quàm prædicta, de trecesima parte unius diei: & ita in trecentis Annis Kalendarii nostri erit Solstitium ante finem Anni per diem unum. Ideò si a trecentis Annis Kalendarii exciperetur dies unus, Sol esset in fine illorum 300. Annorum reversus ad idem punctum, & sic verificatum esset Kalendarium nostrum.

Sed secundùm Albategni, quantitas Anni est minor quantitate prædicta, quam ponit Abrachis, quàm quantum est una centesima unius diei. Et sic si de quibuslibet centum annis Kalendarii nostri exciperetur dies unus, esset in fine centum Annorum semper reversio Solis ad idem punctum, & per hoc verificatum esset Kalendarium nostrum. Unde si vera esset opinio Albategni, in quibuslibet centum Annis Kalendarii nostri deberet solstitium nostrum præcedere die uno, propter defectum prædictæ exceptionis: & hoc, sicut dicit Linconiensis, plus consonat, & quod invenimus per experimentum nostri temporis, de antecessione Solstitii; quia Dominus noster Jesus Christus natus fuit in Solstitio hyemali, secundùm Scripturas. Nunc autem præcedit Solstitium circiter tot dies quot sunt centenarii Annorum ab ejus nativitate jam lapsi. Sed istud dictum Linconiensis non est undique verum.

Pro cujus declaratione sciendum est quòd secundùm Ptolomeum, quantitas Anni est 365. dies, sex horæ. 55. minuta & 12. secundæ; & sic Annus Kalendarii nostri in trecentis Annis excedit per unum diem. Et hoc benè concordat cum dicto Linconiensis, quantùm ad opinionem Ptolomei.

Sed secundùm Albategnum, quantitas Anni non est tanta; quia cum illis quinque horas non ponit, nisi 47. minuta, & 9. secunda, & sic in centum & duodecim Annis, excedit Annus Kalendarii nostri non die una integra, sed solùm de 23. horis, 59. minutis & 12. secundis.

Unde Patet quòd hîc Liconiensis deficit secundùm opinionem Albategni. Insuper deficit magis secundùm opinionem magis communem: quia communiter ponitur quòd licèt quantitas Anni sit minor quàm illa quam ponit Albategni, quod apparet ex hoc, quia secundùm aliquos, æquinoxium per centum & circiter viginti Annos mutatur, ascendendo per unam diem: secundùm alios verò per centum & circiter viginti quinque dies; quia dicunt quod hoc tempus satis convenit cum numero Annorum Christi, ut semper unus dies minuatur de quantitate Anni, & denotet mutationem Solstitii & Æquinoxii: hoc autem non est præcisè verum. Unde qui magis appropinquant veritati, dixerunt quantitatem Anni minorem esse illâ quâ utitur Ecclesia, quasi de una centesima trecesima parte unius diei; ita quod in 130. Annis, si auferretur una dies, esset Kalendarium correctum. Et huic opinioni satis videtur concordare Tabula, de introitu Solis in Signa, quæ ponitur in Kalendario Reginæ: quia secundùm illam, Solstitia, & Æquinoxia ascendunt in uno Anno undecim minutis unius horæ, & sic in quinque Annis ascendunt quinquaginta quinque minutis, sicut patet ex canone dictæ Tabulæ: quia licèt Tabula signet pro quinque Annis unam horam, tamen in sexagesimo Anno cessat a computatione unius horæ pro quinque Annis, & ex eo, quia singulis quinque Annis deficiunt quinque minuta de una hora. Et sic secundùm eum in 130. Annis Solstitia & Æquinoxia non mutantur ascendendo, nisi per unam diem, & adhuc deficiunt decem minuta unius horæ, quæ horæ superaddunt unum Annum, & per consequens ascendunt in Kalenderio de uno die in 131. Annis, excepto uno minuto

D Licèt autem hæc calculatio sit veritati propinqua; tamen adhuc non est præcisa: nam secundùm opinionem Alphonsii, quæ communiter censetur verior, quantitas Anni est 365. dies, 49. minuta, 16. secunda: & sic Annus Kalendarii nostri in 134. Annis, excedit de 33. horis, 58. minutis, 18. secundis, 37. tertiis, & 51. quartis. Unde quantitas Anni vera, minor est quantitate Anni Kalendarii nostri, modicum plus de sexta parte unius horæ; & per consequens opportet quòd Solstitia & Æquinoxia & alia fixè signata in Kalendario nostro, ascendant circiter per unam diem in 134. Annis, & sic si in tot Annis

Annis auferretur una dies, verificatum esset Kalendarium, quod satis convenienter fieri posset, cessando uno Anno a Bissexto.

Adhuc tamen hic oritur alia difficultas, propter opinionem Thebit, quæ ponit Zodiacum mobilem compositum ex imaginibus stellarum fixarum in octava sphæra moveri super capita Arietis & Libræ Zodiaci fixi valdè tardè; secundùm motum octavæ spæræ, cum qua, secundùm eum, moventur omnes sphæræ planetarum, & auges eorum, nec habent auges motum alium; & hic motus primus vocatur motus accessus & recessus. Et secundùm hunc motum Solis & stellarum erit quantitas Anni, non reditio Solis ab eodem Solstitio, vel Æquinoxio ad eumdem punctum. Sed erit reditio Solis ab eadem stella fixa, ad eamdem stellam fixam. Quia hæc quantitas est semper una: reditio autem Solstitii ad Solstitium, secundùm istum modum, non est unius quantitatis, quantitasque, secundùm Thebit, est 356. dies & quarta diei & ultra 23. secunda unius diei, & sic major est quàm supra dictum est, sicut recitat Linconiensis.

Item alia difficultas hîc oritur; quia aliqui Tabulas Alphontii redarguunt, eo quod supponunt tempus Anni solaris, seu circuitus Solis, semper æquale, & invariabile permanere; & sic, secundùm eorum opinionem, non est aliqua certa Anni quantitas assignanda. Sed in hiis opinionibus, & hiis quæ ex eis sequuntur non insisto, quia hiis non innititur Ecclesia.

Et insuper quia, secundùm Aristotelem, prædicti modi motuum cœlestium sunt possibiles in imaginatione sola, & ut dicit Linconiensis, impossibiles sunt in natura, quia, secundùm Philosophum, omnes sphæræ novem concentricæ sunt, & habet quælibet sphæra motum sibi proprium, ab Oriente in Occidentem super Polos proprios. Et quælibet octo sphærarum inferiorum, propter motum sibi proprium, movetur motu divino a virtute sphæræ primæ, ab Oriente in Occidentem, nec, secundùm ipsum, planeta habet alium motum proprium a motu sphæræ suæ, & motu in Essentrico & Episiclo, secundùm eum, nihil est, ut Alpetragius nuper adinvenire credidit modum qualiter possibile est salvare processiones & stationes, & inflexiones, ac retrogradationes planetarum, & omnia apparentia, per modum Aristotelis, absque Essentricis & Epicyclis: sed ista opinio Aristotelis & adinventio Alpetragii, non est adhuc benè certitudinaliter nota: nam secundùm eum necesse est quòd Annus sit reditio Solis ab uno Solstitio ad idem Solstitium, vel ab Æquinoxio ad idem Æquinoxium.

De quantitate verò Anni, nihil Aristoteles dicit, vel Alpetragius, aliud ab eo quod adinvenit Ptolomeus. Insuper Ecclesia nondum certificata de quantitate Anni, ut supra patet, non mutavit antiquam doctrinam de inveniendis Solstitiis & Æquinoxiis, posuit Æquinoxium vernale 12. Kl. Aprilis, quia ibi secundùm Rabanum, fuit Æquinoxium in primo Anno sæculi; vel fortè ibi fuit Æquinoxium tempore eorum qui hanc doctrinam addiderunt.

Ibi verò accidit error in Kalendario, propter antecessionem Solstitiorum, & Æquinoxiorum, qui nondum est per Ecclesiam correctus; sed tamen potest corrigi per verificationem quantitatis Anni, vel etiam absque hujusmodi verificatione, potest cognosci veraciter dies Æquinoxii, vel Solstitii, per instrumentum considerationis, vel per Tabulas Astronomicas verificatas, ut hæc in compoto Linconiensi plenius continetur.

Unde ex hoc patet quòd Solstitia & Æquinoxia, non debent in Kalendario poni diebus fixis, ac si semper fuissent, aut ibi forent in æternum: cùm certum sit ea ascendere in Kalendario, ut dictum est. Et sicut non sunt fixa hujusmodi Solstitia & Æquinoxia in Kalendario, sed mutantur: sic etiam privationes Lunæ; licèt tardiùs? Nam in 300. Annis & quatuor, fit mutatio unius diei in Kalendario. Sed hoc non est præsentis intentionis, cùm etiam præmissa solùm occasionaliter, & gratiâ exempli recitata sint. Hæc ergo de motu Solis, & Anno solari: ideò hæc collegi, quia cum Sol & ejus motus inter alios planetas sit nobis notior; tamen circa ipsum maxima difficultas est, & incertitudo, quare in aliis majorem esse manifestè concludendum est.

A Addit autem ad difficultatem & incertitudinem præmissorum, quòd nondùm certificati sunt motus augum planetarum. Nam, secundùm Jactorem, *De Rhetorica*, eorumdem auges dicuntur moveri versùs Orientem, septem gradibus, nongentis Annis; & tantùm versùs Occidentem, in aliis nongentis Annis, iterum dicuntur moveri ab Albategni in 60. Annis, & quatuor mensibus gradu uno semper versùs Orientem.

Alpharganus autem narrat eas moveri in centum Annis, uno gradu, semper versùs Orientem. De aliis quoque motibus innumeræ sunt difficultates, sicut patet in dicta Theorica planetarum.

Sed auget adhuc difficultatem hujus materiæ, quorumdam opinio, qui ponunt quòd aux movetur secundùm motum stellarum Cœli, videlicet per ascensum & descensum Polorum ejus, vel per motum B capitum Arietis & Libræ Cœli stellati in parvo circulo, circa capita Arietis & Libræ fixa, quæ sunt in circulo novo: quo quidem motu capita Cancri & Capricorni moventur, progrediendo & regrediendo in superficie Eclipticæ Zodiaci immobilis, nunc ad Orientem, nunc ad Occidentem, sicut apparet ex imagine Thebit, qui super ossa Ptolomei addidit in hac parte juxta sententias Indorum.

Sic cùm assignatur motus octavæ sphæræ; & in hoc Arzarcol in Tabulis & Canonibus concordat; & Albunazar in Libro conjunctionum, & omnes Astronomi sic modò utuntur. Sed & sic ponunt augem Solis progrediendo moveri, & ita non recedit a geminorum signo. Propter quod non vadit in circuitu terræ, ut oppositum augis aliquando contingat terras habitabiles, quia tunc fierent inhabitabiles; & è converso inhabitabiles fierent habitabiles, quod eis videtur absurdum.

C Ex quibus omnibus manifestum est quanta sit difficultas de motu Solis & ejus Anno, & quàm diversa & adversa sit opinionum varietas in hac parte, quare patet illorum error qui præsumunt Halmanack, seu Kalendarium præcisum & perpetuum componere de omnibus motibus planetarum. Unde ex hiis iterum concluditur & confunditur alius error pejor priore; videlicet quorumdam superstitiosorum, qui per Astronomiam de judiciis præsumunt, non solùm generaliter, sed particulariter, & distinctè cognoscere atque prædicere eventus contingentium futurorum. Nam cùm in Astrologia de motibus tot & tantæ difficultates sint & incertitudines, ut prædictum est; necessariò apparet quòd in Astronomia de judiciis plures sint & majores, cùm hoc ex illa de-D pendeat, & ultra eam multa incerta præsupponat, quæ magis videntur voluntariè dicta, quàm ratione probata. Et quia ab antiquis scripta sunt sola fragili authoritate & historica narratione creduntur: ideò videtur esse humana superbia, ex hujusmodi conjecturis velle pertingere ad talem præscientiam contingentium futurorum. Unde talem præscientiam Deus sibi soli creditur reservasse, saltem respectu aliquorum futurorum: non ideò quia Deus humanæ scientiæ invideat, sicut mentitus est Esiodus, qui propter hoc Deos mundos appellavit, cui alter Poëta dixit: *Non hæc invidia*, inquit, *nec etiam livescere fas est*, *aut nocuisse Deos*. Et Plato dicit: *Ab optimo Deo longe invidia relegata est*. Et Boëtius: *Forma boni livore carens*. Non igitur invidiâ; sed benivolâ pru-

prudentiâ suâ voluit Deus hanc scientiam ab hominibus, multis difficultatibus abscondere, ut humanis viribus ad eam perfectè attingere non præsumant.

Meliùs ergo fuit, ut de rebus tam excellentibus aliquid ab hominibus esset scitum, & semper aliquid A restaret ignotum, & ulteriùs inquirendum, quod quadam prægustata dulcedine, generosos animos a terrenis abduceret, & excitato desiderio, in cœlestium consideratione venerabili exercitio occupatos teneret: & sic etiam ex consideratione cœlestis operis, in contemplationem sui opificis elevaret: quod ipse nobis concedat, qui in cœlis gloriosè vivit & regnat per infinita sæculorum sæcula.

AMEN.

Explicit Tractatus *De Legibus & Sectis*, *contra superstitiosos Astronomos*, a Domino Petro Episcopo Cameracensi compilatus: Anno Domini millesimo quadringentesimo, decimo sexto; Mensis Decembris die XXIV.

FINIS.

JOAN.

JOANNIS BREVISCOXÆ


Doctoris Parisiensis in sacra Theologia,

TRACTATUS
DE FIDE, ET ECCLESIA,
ROMANO PONTIFICE,
ET
CONCILIO GENERALI.

PROPOSITIO QUÆSTIONIS:

Utrùm Ecclesia sit immaculata.

Nunc primùm prodit ex Cod. MS. Victorino. 1083.



UÆSTIO est ista. Utrùm Ecclesia Christo per Fidem desponsata, sit tota pulchra per gratiam & immaculata: ita quòd unum supponit & quærit duo. Supponit dico unam Ecclesiam esse Christo per Fidem desponsatam. Quærit primò utrùm Ecclesia sit tota pulchra per gratiam. Secundò quærit utrùm Ecclesia sit immaculata per errorem.

Ideò primò arguitur contra suppositum sic: Ecclesia Christo desponsatur per vestem nuptialem; vestis autem nuptialis, est ipsa Charitas, & non Fides. Igitur Ecclesia Christo desponsatur per Charitatem, & non per Fidem. Consequentia nota. Antecedens pro prima parte, secundùm quod Ecclesia Christo desponsatur per vestem nuptialem, probatur exemplo Regis, de quo scribitur, *Mathei*, XXII. qui cùm faceret nuptias cuidam filio suo, plures invitavit ad nuptias. Cùm enim vidisset hominem venientem ad nuptias, non vestitum veste nuptiali, eum repulit à nuptiis, jussitque eum mitti in tenebras exteriores: ex quo patet quòd propter vestem nuptialem, quis est admittendus, aut non admittendus ad nuptias: Minor, seu Antecedens, pro secunda parte, probatur authoritate Augustini, dicentis quod *Charitas est vestis nuptialis, quæ dividitur inter filios Regni, & filios perditionis.* Ergo probatur quòd per Charitatem, & non per Fidem Ecclesia desponsatur Christo. Et per consequens suppositum totum quæstionis est falsum. Confirmatur ratio per glossam quæ sequitur, verbo allegato. Scilicet, *Vidit hominem non vestitum veste nuptiali.* ℣. 11. Ait: *Vidit hominem non vestitum, id est Fidem habentem, non opera Charitatis, per quæ Dominus associandæ sibi Ecclesiæ ad nuptias venit.* Ex quo sequitur quòd Ecclesia associanda erat Christo per Charitatem, & non per Fidem desponsanda. Quare quæstionis suppositum est falsum.

Confirmatur secundò dicta ratio, per illud Jeremiæ. II. 2. *Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, & Charitatem desponsationis tuæ.* Igitur per Charitatem Ecclesia desponsatur Christo, & non per Fidem. Quare quæstio ut priùs supponit falsum.

Secundò. Principaliter arguitur: quia primum probando, quòd Ecclesia non sit tota pulchra per gratiam, temerarium est asserere totam Ecclesiam esse immunem à peccato. Ergo temerarium est asserere totam Ecclesiam esse pulchram per gratiam. Consequentia sequitur; quia ista consequentia est bona: Tota Ecclesia pulchra est per gratiam: ergo tota est immunis a peccato. Ergo si consequens asserere est temerarium, sequitur quòd etiam asserere antecedens, est temerarium. Antecedens probatur: quia primâ Joannis, I. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Ergo si veritas in nobis non est, *Si dixerimus*; sequitur quod illud asserere, omninò est temerarium.

Confirmatur: quia *In die septies cadit justus* Proverb. XXIV. 16. Ergo de quocumque asserere quòd sit in Charitate, aut etiam de quibuscumque, est temerarium; nisi de aliquo, aut aliquibus specialiter esset aliquibus, aut alicui revelatum quòd essent in Charitate. Ergo cùm non est revelatum de aliquo, quòd talis sit in Charitate, temerarium est asserere de tali quòd sit immunis à peccato: non autem nobis est revelatum quòd tota Ecclesia sit extra peccatum. Igitur &c.

Tertiò. Principaliter arguitur: quòd secundum assumptum principale, * quod Ecclesia erroris maculâ sit

* Locus corruptus.

sit maculata, aut saltem, quod temerarium est oppositum asserere quòd Papa, & Ecclesia Romana, possunt hæretica pravitate maculari, & contra Fidem errare; temerarium est asserere Romanam Ecclesiam hujusmodi maculâ esse immaculatam.

Consequentia probatur: quia capite dolente, cetera membra dolent. Papa autem est caput omnium fidelium, & Romana Ecclesia est caput omnium Ecclesiarum: quare si pravitate hæretica maculantur, sequitur totam Ecclesiam tali pravitate non esse immaculatam. Antecedens pro prima parte proba- A tur: scilicet quòd Papa possit contra Fidem errare.

Primò. De Apostolorum Principe beato Petro, quem errasse asserit beatus Paulus, eum reprehendens, ad Galathas II. 11. ait: *Cùm autem venisset Cephas Antiochiam, ei restiti in faciem, quia reprehensibilis erat.* Quòd autem erravit contra veritatem Evangelicam, ostendit Paulus, dicens: ℣ 14. *Cùm vidissem quod non rectè ambulabat ad veritatem Evangelii. Dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cùm Judæus sis, gentiliter vivis, & non judaïce: quomodo cogis Gentes judaïsare?* Ex quibus sequitur quòd Petrus contra Fidem erravit. Probatur & illud antecedens, de beato Marcellino, qui idolatravit: etiam de Anastasio tertio, qui propter pravitatem hæreticam fuit à Romana Ecclesia expulsus, secundùm quod in Decretis. *Distinctione* 18. legitur. Ergo prima pars antecedentis est vera.

Nunc probatur secunda pars ejusdem anteceden- B tis, scilicet quod Romana Ecclesia possit contra Fidem errare, quia nisi sic; tunc Romana Ecclesia non indigeret aliorum consilio, pro quæstionibus Fidei terminandis, quod tamen est falsum. Igitur &c.

Secundo. Arguitur contra idem quæsitum: Concilium generale potest pravitate hæretica irretiri; ergo asserere totam Ecclesiam ab errore esse immunem, est omnino temerarium. Consequentia patet. Antecedens patet de Synodo Stephani Papæ septimi, qui erroneè Ordinationes factas per Formosum Papam irritas esse decrevit: quæ Ordinatio per Joannem Papam IX. postea extitit reprobata. Illa autem Synodus fuit Concilium generale. Ergo patet quòd Concilium generale de facto erravit: & per consequens temerarium est asserere quòd tota Ecclesia tali labe, aut macula non sit maculata; quod fuit C probandum.

Oppositum arguitur. Et quantùm ad suppositum probatur quod Ecclesia per Fidem sit Christo desponsata, per illud verbum Domini & Salvatoris nostri, populo suo dicentis, Oseé II. 20. *Sponsabo te mihi in Fide.* Ergo Ecclesia, & populus Christi, eidem desponsatur per Fidem: quod supponebat quæstio.

Pro duobus quæsitis quæstionis, arguitur per illud Canticorum IV. 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Quæ verba communiter exponuntur de Christo, & Ecclesia ejus sponsa. Ergo quæstio pro parte affirmativa vera.

DIVISIO OPERIS.

In quæstione ista erunt tres Articuli.

Primus, erit de Fide Ecclesiæ, & ejus despon- D satione.

Secundus, erit de decore gratiæ sponsæ, & ejus confirmatione.

Tertius, erit de sponsæ puritate, & ejus immaculatione.

In primo Articulo erunt tres Subarticuli.

Primus, erit de Fidei habitu à Deo infuso.

Secundus, erit de Fide acquisita, & ejus objecto.

Tertius, erit de desponsatione Ecclesiæ cum Christo.

ARTICULUS I. DE FIDE ECCLESIÆ, ET DESPONSATIONE.

§. I.

De Fidei habitu infuso.

Circa primum Articulum, est primò notandum quòd duplex est Fides, scilicet acquisita, & infusa. De Fide acquisita, & ejus objecto dicetur in secunda parte hujus Articuli: igitur ad præsens de ipsa taceo.

Secundò. Notandum est quid est Fides infusa: unde describitur sic. Fides infusa est habitus à solo Deo in potentia intellectiva causatus, cum intellectu cujuscumque Catholicæ veritatis, actuum credendi mediatè, vel immediatè productivus. Per hoc quod dicitur: habitus à solo Deo causatus, distinguitur Fides infusa ab acquisita, quæ est habitus ex actibus credendi causatus. Per hoc quod dicitur: in potentia intellectiva causatus, denotatur quòd si hujusmodi habitus causaretur in lapide, aut alio subjecto, & non subjecto intellectivo, tunc non esset Fides: quia lapis per illud non esset fidelis. Per hoc autem quod dicitur: actuum credendi &c. productivus; non definitur habitus Fidei ab aliis Theologicis habitibus, secundùm quod magis declarabitur inferiùs.

Ex istis sequitur primò, quòd habitus Fidei non est essentialiter Fides: probatur; quia si illum habitum causaret Deus in solo asino, non esset hujusmodi habitus Fides, quia asinus non esset fidelis per illum.

Secundò sequitur: licèt in quolibet Catholico ponatur Fidei habitus infusus: pluralitatem tamen talium ponere in eodem, est omninò superfluum. Probatur: quia unus solus habitus infusus, potest causare actum credendi, respectu cujuscunque credibilis, per quid nominis Fidei infusæ. Ergo superfluum esset ponere pluralitatem talium: quia si ponerentur plures; hoc esset propter actus credendi producendos. Patet igitur illud corollarium.

Istis visis, ponuntur aliquæ quæstiones.

Prima Quæstio. Licèt ratione naturali non possit convinci quemlibet viatorem, ad finem ultimum consequendum necessariò indigere Fidei habitu supernaturali; ratione tamen sumpta ex dictis Sanctorum, & ex sacra Scriptura, hoc potest manifestè inferri.

Prima pars hujus quæstionis, scilicet quòd ratione naturali non possit convinci quemlibet viatorem ad finem ultimum consequendum necessariò indigere Fidei habitu supernaturali, probatur sic: Nulla potest esse ratio naturalis evidens ad concludendum habitum Fidei supernaturalem esse in nobis, nisi propter operationes ad quas inclinat hujusmodi habitus; quia omnes habitus innotescunt nobis propter operationes: sed omnes operationes quas experimur, mediantibus istis habitibus supernaturalibus, possumus experiri, mediantibus habitibus acquisitis. Igitur &c. Minor hujus rationis probatur. Quia paganus nutritus inter Christianos posset quemcumque Articulum Fidei credere, & per consequens habituari ad illum credendum, & per consequens, mediante tali habitu, posset faciliter exire in actum credendi talem Articulum; & ita de aliis Articulis Fidei: & tamen non haberet Fidem infusam. Ergo prima pars quæstionis est vera.

Se-

Secunda pars quæstionis probatur: scilicet quòd ratione sumpta ex dictis Sanctorum, & sacra Scriptura, posset inferri quemlibet viatorem ad finem ultimum consequendum necessariò indigere Fidei habitu supernaturali.

Arguitur etiam sic: sine habitu Fidei supernaturali impossibile est quemquam Deo placere: ergo sine tali, impossibile est finem ultimum consequi. Consequentia nota. Antecedens probatur: Quia, *sine Fide impossibile est* quemquam *Deo placere*. ad Heb. xi. 6. Quod autem Apostolus loquatur de Fide infusa, patet: quia de illa Fide loquitur, quæ inter dona Spiritus sancti gratis data numeratur, primâ ad Chorinthios XII. & XIII. Capitulis. Unde XIII. Cap. Art. 13. scribitur *Nunc autem manent Fides, Spes, & Charitas.* Hic etiam loquitur Apostolus de habitibus infusiis quos comparat ad invicem: unde, ad Heb. 11. 6. de eadem Fide dicit Apostolus: *Sine Fide impossibile est placere Deo.* Patet igitur quòd illa verba intelliguntur de Fide infusa. Confirmatur ratio, probando idem, videlicet quòd illa verba debeant intelligi de Fide infusa. Arguitur sic: sine Fide impossibile est quemquam placere Deo: sed parvuli immediatè post Baptismum decedentes, sunt Deo grati, quod probatur per Augustinum, *de Fide ad Petrum*, dicentem: *Sicut parvuli qui sine Baptismo moriuntur, infidelium munero ascribuntur, ita qui baptisantur fideles dicuntur.* Ergo hujusmodi parvuli, Fidem habent sed non acquisitam. Quod quidem probatur authoritate Augustini, dicentis, in Libro de Baptismo parvulorum: *Parvulos fideles non facit ea Fides qua in fidelium voluntate consistit; sed Fidei sacramentum.* Ergo si prædicta verba vera sint, intelligenda sunt de Fide infusa.

Secundò. Principaliter arguitur ad eamdem partem quæstionis, authoritate * Jeronimi, dicentis: *Fides qua fideles facit, in aquis Baptismi datur, vel nutritur: non habenti datur, ut habeatur; habenti datur ut ampliùs habeatur.* Ergo Fides quæ nos fideles facit, sine qua impossibile est Deo placere, est habitus supernaturalis a Deo infusus. Quod fuit probandum. Et sic patet conclusio pro utraque parte.

Ex ista conclusione & ejus probationibus, sequuntur aliqua corolaria.

Primum Corollarium. Supernaturalis habitus Fidei aliàs infunditur, quàm in susceptione Baptismi. Probatur: ad finem ultimum consequendum, necessariò requiritur habitus Fidei supernaturalis, per conclusionem positam; sed aliquis non baptisatus consequitur finem ultimum: ergo aliquis non baptisatus habet habitum Fidei infusum. Consequentia probatur per Augustinum dicentem: invisibilem sanctificatorem affuisse, & profuisse sine visibilibus Sacramentis. Et ponit exemplum de latrone, & illo non baptisato, cui dictum est: *Hodie mecum eris in Paradiso* Luc. XXIII. 43. Patet illud corolarium authoritate ipsiusmet Augustini, dicentis: *Fides datur, & nutritur in Baptismo*: ergo aliquis ante Baptismum habuit hujusmodi Fidem, aliter nunquam nutriretur.

Secundum Corollarium. Omnis fidelis, seu Catholicus, Fidei supernaturali habitu est illustratus. Probatur: quia Fides quæ nos fideles facit, in aquis Baptismi datur, vel nutritur, per ** Jeronimum jam allegatum. Igitur quicumque est Catholicus, vel fidelis, per Fidem infusam est fidelis. Consequentia patet: quia Fides quæ datur in Baptismo, est Fides infusa, & non acquisita ex actibus credendi, ut notum est.

Tertium Corollarium, Fidei habitus supernaturalis non semper corrumpitur ad corruptionem Charitatis. Probatur: quia facit aliquem esse Catholicum, & esse extra gratiam, aut Charitatem: sed per corollarium secundum; omnis Catholicus habitu supernaturali est illustratus, ergo ad corruptionem Charitatis non sequitur corruptio Fidei supernaturalis. Probatur: quia aliter, quando quis peccaret, statim efficeretur hæreticus, quia non esset Catholicus, & per consequens, esset hæreticus.

Istud Corollarium etiam probatur per illud primæ ad Chorinthios XIII. 2. *Si habuero omnem fidem, ut montes transferam, & Charitatem non habuero, nihil sum.*

Ex quibus verbis innuitur, quòd stat aliquem habere Fidem, & non Charitatem.

Quartum Corollarium. Nullus pertinax, aut hæreticus possessor est Fidei infusæ habitûs. Probatur: quia ille habitus denominaret ipsum fidelem. Cum ergo omnis hæreticus sit infidelis, idem esset fidelis, & infidelis; quod implicat contradictionem.

Quintum Corollarium. Licèt, de lege ordinata, sine Fide Charitas non possit dari; è contra tamen, sine Charitate Fides potest infundi. Prima pars probatur: quia *sine Fide impossibile est Deo placere*: quicumque habet Charitatem, Deo placet; quia Charitas reddit habentem, Deo carum & gratum. Ergo sine Fide impossibile est habere Charitatem. Secunda pars corollarii probatur: quia stat aliquem hæreticum reverti ad Fidem, & non resurgere ad gratiam; sicut stat aliquem esse Catholicum, & esse sine gratia: cùm autem revertitur ad Fidem, infunditur eidem Fides; quia, per corollarium secundum, omnis Catholicus, hujusmodi habitu est illustratus, & sibi non datur Charitas. Igitur corollarium est verum.

Sextum Corollarium. Stat finem ultimum consequi, sine quocumque actu credendi. Probatur de parvulis baptisatis, non habentibus usum rationis. Probatur etiam, si quis baptisatus usque ad annos discretionis nutriretur extra omnem societatem hominum; tunc visibile esset quòd nullum actum credendi circa Fidem Catholicam haberet, & tamen esset fidelis, per habitum infusum, & finaliter salvaretur, nisi aliundè peccaret. Ergo corollarium illud est verum.

Sed contra istud corollarium arguitur per illud Marci ultimo, 16. *Qui crediderit & baptisatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Ergo ad consequendum finem ultimum, non sufficit habitus Fidei infusus, sed requiritur actus credendi.

Ad istam objectionem respondet beatus Augustinus, dicens, quòd *nihil aliud est credere, quàm Fidem habere*: & ideò qui non crediderit, condemnabitur. Nititur sic: qui non crediderit, id est, qui Fidem, quæ est principium credendi, non habuerit, condemnabitur.

Aliter potest dici, quòd verba illa intelliguntur de adultis habentibus usum rationis, quibus sufficienter Lex Christi est divulgata, & dogmatisata: de istis etiam est verum, quòd nisi crediderint actu, non semper, sed pro aliquo tempore: quia nullus tenetur semper habere actum credendi, licèt quidem obligetur ad aliquem actum credendi habendum, aliquo tempore, condemnabitur. Et sic patet quòd corollarium stat in veritate. Hæc de prima conclusione.

Secunda Quæstio. Eadem Fides infusa cujuslibet catholicæ veritatis, expliciti assensûs mediatè, vel immediatè est productivus. Ista quæstio probatur sic: habitus Fidei infusus productivus est assensuum aliquorum Fidei Orthodoxæ Articulorum, quia si non tunc frustra poneretur in nobis: cùm potissimùm ratio quæ habetur ad ponendum in nobis habitus dictos ab actibus, sit, quia experimur quòd habituatus faciliùs operatur, & exit in actum, quàm non habituatus. Ex quo concludimus quòd habitus inclinat ad operandum: habitum autem inclinare ad operandum, non est aliud quàm actum suum producere. Ergo frustra poneretur in nobis habitus infusus Fidei; nisi aliquos actus credendi, partialiter saltem, posset producere, aut qui respectu cujuslibet catholicæ veritatis posset producere actum credendi, aut respectu aliquorum, & aliquorum non,

* *forte*, Augustini. ** *forte* Augustinum.

Si primum; habetur propositum: si secundum; cùm sicut indigemus habitu infuso Fidei, ad assentiendum alicui veritati Catholicæ; ita & ad assentiendum omnibus: sequitur quod plures erunt habitus Fidei infusi, specie distincti in eodem. Consequens est ponendum. Igitur illud secundum dari non potest. Ultima consequentia, scilicet, quòd essent in eodem plures habitus infusi, specie distincti, est nota: sed falsitas consequentis probatur. Quia non est ponenda pluralitas, sine ratione evidenti, experientia, & authoritate: nulla autem authoritas, aut experientia docet quòd sit ponenda talis pluralitas habituum Fidei in eodem, ut satis est notum, nec hoc evidenti ratione concluditur. Quod probatur: quia si aliqua ratio concluderet istud, maximè esset ista; scilicet, quia idem agens naturale, non potest producere effectus tam disparatos, sicut sunt assensus omnium Articulorum Fidei Catholicæ. Sed ista ratio non concludit, nec probat sufficienter talem pluralitatem habituum Fidei infusorum, ut interiùs patebit. Igitur conclusio est vera.

Confirmatur: si in eodem ponerentur plures habitus Fidei infusi, specie distincti; sequeretur quòd in quolibet viatore, tot essent habitus Fidei infusi sic distincti, quot Articuli Fidei quibus assentit. Consequens est falsum: ergo non est ponenda talis pluralitas. Consequentia probatur. Quia si propter varietatem, & distinctionem Articulorum Fidei ponitur talis pluralitas: cùm omnes Articuli specie distinguantur; sequitur quòd tot erunt Fides infusæ, specie distinctæ, quot erant Articuli. Sed falsitas consequentis probatur: quia, a simili, in eodem tot essent habitus Charitatis, specie distincti, etiam infusi, quot sunt actus meritorii, specie distincti, quod nunquam aliquis posuit. Item plures essent virtutes theologicæ, specie distinctæ, quàm tres, quod est falsum. Patet igitur illa conclusio.

Contra istam conclusionem objicitur primò sic: Parvuli baptisati, & aliqui etiam adulti baptisati usum rationis habentes, quibus nunquam fuit Fidei Orthodoxæ aliqua veritas dogmatisata, habent habitum Fidei infusum; cùm tales sunt fideles & Catholici, & omnis Catholicus habeat hujusmodi habitum, per secundum corollarium; & tamen nullum actum credendi circa quemcumque Articulum Fidei habent, saltem possibile est quòd nullum habeant, per sextum corollarium, eoquod Fides fit per auditum, secundùm Apostolum, & loquitur de acquisita. Conclusio sequitur: quia Fides infusa, non est productiva assensuum omnium Articulorum Fidei, cujus contrarium dicebatur in conclusione, & per consequens conclusio est falsa.

Secundò. Contra eamdem conclusionem arguitur sic. Si eadem Fides infusa posset producere actum credendi quorumcumque Articulorum Fidei; sequitur quòd eadem causa non liberè, sed naturaliter agens, posset producere effectus contrarios. Consequens est falsum. Igitur &c. Falsitas consequentis probatur. Quia si illud consequens concedatur; pari ratione poterit concedi quòd frigidum producit caliditatem, & è contra calidum producit frigiditatem, quod est absurdum. Sed consequentia probatur: Quia si eadem Fides producit assensum omnium Articulorum Fidei; eadem Fides poterit producere assensus contradictoriorum: sed assensus contradictoriorum sunt contrarii. Igitur &c. Minor patet per primum. Major probatur. Quia propositiones contradictoriæ successive fierent Articuli Fidei; ut puta istæ: *Christus morietur. Christus non morietur.* Cùm igitur idem, ut Beatus Petrus aut Beatus Joannes, fuerit obligatus ad assentiendum istis successivè; quia scilicet tenebantur credere quòd Christus morietur, ante Passionem, & post Passionem quòd non morietur, sequitur quòd eadem Fides infusa meritò potuit producere assensum istarum. Assensus autem istarum sunt contrarii, ut probatum est. Sed quia istæ sunt contradictoriæ: ergo eadem causa naturaliter agens, poterit producere effectus contrarios; quod erat probandum: hoc autem est falsum, ut probatum est. Ergo conclusio prima est falsa.

Pro solutione istarum rationum, & majori declaratione secundæ quæstionis; videndum est quomodò est una Fides infusa omnium Fidei Articulorum, & quomodò hujusmodi Fides tam disparatos effectus possit producere. Pro quibus erit primò notandum.

A Omnis Fides infusa habet quoddam complexum pro objecto immediato, quod potest esse præmissa, vel principium partiale inferendi quemcumque Articulum in speciali; sicut istud complexum: *Omne revelatum a Deo est verum*, eo modo quo revelatum est à Deo. Istud namque complexum potest esse principium partiale, seu præmissa, ad inferendum quemcumque Fidei Orthodoxæ Articulum; scilicet arguendo sic: *Omne revelatum ad Deo est verum. Deum esse trinum & unum.* Aut *Deum fuisse passum, incarnatum, &c. revelatum est a Deo. Ergo Deum esse trinum & unum, est verum.* Habitus igitur Fidei infusus, cujus istud complexum est commune immediatum, inclinat immediatè ad actum elicitum circa quemcumque Articulum, in speciali, scilicet virtute illius complexi: *Omne revelatum a Deo est verum.* Et ita

B est causa immediata, respectu Catholicorum Articulorum in speciali, sicut habitus principiorum sunt causa mediata conclusionis. Quia si illi habitus immediatè causant actus assentiendi, seu assensus principiorum, * qui assensus immediatè causant assensum conclusionis. Aliter tamen inclinat Fides infusa ad credendum Articulos Fidei in speciali, & aliter habitus principiorum ad actum sciendi conclusionem. Pro quo est notandum, quòd Fides infusa, se solâ, nec ipsa cum intellectu, potest esse principium sufficiens eliciendi actum credendi circa aliquem Articulum in speciali: & istud benè probat prima ratio facta contra secundam conclusionem scilicet de Christiano baptisato, & adulto solitario, qui sine informatione educatus, habet Fidem infusam quam recipit in Baptismo, qui tamen nullum actum credendi possunt elicere. Patet ergo quod Fides infusa cum internis, non sufficit producere actum credendi circa aliquem Articulum Fidei, sed tunc est dubium quod ultra requiritur.

C Ad istud respondetur, quòd ad assentiendum alicui Articulo in speciali, necessario requiritur Fides acquisita circa illum Articulum, ut puta, per auditum: quia secundùm Apostolum; Fides acquisita, est per auditum; vel etiam potest esse per visum: ut si aliquis credat totam Bibliam esse veram, & omnes historias in ea scriptas. Nam licèt hoc credat actu elicito, nunquam tamen potest habere actum credendi in speciali alicujus historiæ præcisæ, ex hoc, nisi habeat Fidem acquisitam de illa historia, ut quia audivit quòd talis historia scripta est in Biblia, aut quia vidit illam in eadem esse scriptam. Habitus igitur Fidei infusæ immediatè causat assensum illius complexi: *Omne revelatum a Deo est verum.* Quia assensus, cum Fide aquisita circa aliquem Articulum, in speciali, & cum potentia intellectiva, est causa partialis immediata actus credendi illum Articulum, in speciali.

D Non tamen requiritur Fides aquisita, capiendo Fidem pro habitu acquisito, & generato ex actibus credendi talem Articulum, in speciali, ad primum actum credendi illum Articulum. Patet: quia ille præcedit habitum acquisitum: sed requiritur Fides acquisita talis, scilicet, *Hoc est revelatum a Deo*, vel æquivalens; & tunc mediante isto assensu, aut ista Fide cum potentia intensiva; habitus Fidei infusus, mediante actu suo, est principium sufficiens eliciendi actum credendi circa talem Articulum, in speciali; & sic habitus Fidei infusæ, est solùm causa mediata assensus illius Articuli, quia est causa causæ.

Tunc

* Locus corruptus.

Tunc restat dubium, an Fides infusa cum intellectu, sit principium sufficiens ad eliciendum actum credendi circa suum proprium objectum & immediatum, scilicet circa istud complexum, *Esse Revelatum*, &c.

Ad illud respondetur, quia patet de Christiano baptisato, in casu dicto, & de adulto baptisato solitario, qui habent Fidem infusam, & tamen nullum actum credendi possunt elicere, etiam circa illud complexum, sine Fide acquisita, & instructione; & ita requiritur Fides acquisita, non similis Fides acquisita Fidei quæ requiritur ad assentiendum alicui Articulo in speciali, in casu dicto: quia, ut dicebatur, ad assentiendum alicui Articulo in speciali, sufficit credere de illo Articulo, quòd est à Deo revelatus, dùm tamen talis assentiat illi complexo: *Omne revelatum* &c. Istud autem credere non sufficit, cum habitu infuso Fidei, & interiùs, ad eliciendum actum quòd *Omne revelatum à Deo est verum*; quia negans consequens, negaret consequentiam. Requiritur igitur alia Fides acquisita, scilicet quòd assentiatur illi complexo propter aliqua media. Et tunc restat dubium, quomodò dicitur Fides infusa inclinare immediatè ad actum credendi illud complexum.

Ad quod respondetur, quòd habita Fide acquisita circa illud complexum, potest tunc immediatè concurrere habitus Fidei infusus cum internis & Fide acquisita, sicut causa principalis, ad eliciendum primum actum credendi theologicum & meritorium circa illud complexum; ita quod est causa immediata partialis, licèt præsens, sine habitu acquisito, non potuit talem actum producere, quia defuit una causa partialis necessariò requisita, scilicet Fides acquisita; & ita est causa immediata, respectu sui objecti immediati: respectu autem aliorum Articulorum in speciali, est causa mediata tantùm, quia si est causa immediata actus illius complexi licèt partialis, qui actus est causa immediata etiam partialis, respectu actus credendi aliquem Articulum in speciali.

Ex dictis sequitur quòd habitus Fidei infusæ frustra ponitur in nobis, quod repugnat primæ conclusioni, & aliquibus corollariis ejusdem. Ergo ista quæ hîc ponuntur sunt malè dicta, aut prævia. Ergo & sua corollaria sint falsa. Consequentia patet, & antecedens probatur: quia ante productionem Fidei acquisitæ, Fides infusa nihil operatur in nobis, nec potest aliquem assensum producere: posito verò habitu Fidei acquisito, ille cum intellectu potest producere actum credendi circa objectum immediatum absque Fide infusa. Nam habitus generatus ex actibus credendi isti complexo, *Omne revelatum* &c. potest cum intellectu producere assensum ejusdem complexi immediati, & per consequens, potest esse causa mediata assensus cujuscumque Articuli Fidei in speciali. Quare ponere habitum Fidei infusum omninò videtur superfluere.

Ad istam objectionem dicitur, quòd ista ratio benè probat primam conclusionem pro prima parte, scilicet quod non potest convinci ratione naturali, quòd ad finem ultimum consequendum necessariò requiratur Fides infusa: sed non probat quòd defectio sit ponenda hujus Fidei, & ideò mereatur assensum rationis. Et ad probationem, dicitur quòd sine habitu acquisito, Fides infusa non potest producere assensum cujuscunque Articuli: & dùm generatus est habitus Fidei acquisitæ hujusmodi habitus potest &c.

Respondetur quòd licèt sine Fide acquisita, Fides infusa non possit producere etiam partialem assensum cujuscumque Articuli. Cum Fide tamen acquisita concurrit effectus ad assensum cujuscunque Articuli Fidei, mediatè vel immediatè, sicut priùs dictum est. Et licèt Fides acquisita intus possit producere actum credendi, respectu alicujus Articuli, aut respectu omnium Articulorum; non tamen posset producere actum ita perfectum, sicut producit Fides infusa, cum Fide acquisita & intellectu. Et ideò non frustra ponitur hujusmodi habitus; quia per ipsum actus perfectior producitur, quàm sine ipso, etiam sine eo nullus actus credendi est propriè catholicus.

Ex istis patet quomodò respectu omnium Articulorum orthodoxæ Fidei, potest esse una Fides infusa.

Alius modus dicendi unam Fidem esse infusam omnium Articulorum Fidei à quibusdam ponitur. Dicunt etiam non esse inconveniens quòd multorum effectuum, specie distinctorum, sit una causa æquivoca immediata; quod probatur de Sole, respectu hominis & asini: & non, secundùm istos, posset dici quòd infusus Fidei habitus est causa æquivoca immediata assensuum omnium Articulorum Fidei, & potest esse causa immediata actus credendi cujuslibet Articuli Fidei in speciali. Non tamen potest producere unum actum, respectu omnium Articulorum, immediatè; quia omnes Articuli non possunt credi uno actu explicitè; quia quot sunt Articuli, tot sunt Fides acquisitæ, quarum quælibet inclinat tantùm ad actum circa unum Articulum, & non circa alium. Et quia Fides infusa non inclinat ad aliquem actum, nisi mediante Fide acquisita; ideò non potest immediatè inclinare ad unum actum, circa omnes Articulos Fidei, hoc est, qui actus sit assensus explicitus omnium Articulorum Fidei. Et licèt iste modus sit probabilis; primus tamen veritati & experientiæ videtur magis consonare. Sæpe enim quilibet experitur in se, quòd alicui propositioni assentit, dùm sibi denuntiatur quòd talis propositio est Articulus Fidei, aut determinata per Ecclesiam, aut quòd oppositum dictæ propositionis est Articulus damnatus, & hoc non est in virtute illius complexi. *Omne revelatum à Deo est verum*, aut virtute actus æquivalentis; sed virtute istius, *Quidquid Ecclesia credit est verum.*

Istis positis, respondetur ad rationes factas contra secundam conclusionem.

Ad primam rationem patet ex dictis, quid sit dicendum. Naturalis ratio benè probat quòd habitus Fidei infusæ non est tantùm sufficiens intellectu ad producendum actum credendi, circa quemcumque Articulum; quia adultus baptisatus, extra omnium societatem hominum nutritus, habet Fidem infusam, & tamen nullum actum credendi circa quemcunque Articulum posset producere. Non tamen probat ratio, quin Fides infusa possit esse causa partialis omnium Articulorum Fidei, modo priùs exposito: & ideò illa ratio non est contra dicta.

Ad secundam rationem respondetur, quòd licèt eadem causa naturaliter agens, non possit esse causa immediata totalis effectuum contrariorum; eadem tamen causa naturalis cum alia & alia causa concurrendo, potest mediatè producere effectus contrarios, sicut calor sine humido consumit & corrumpit; & tamen cum debito humore, sicut est humor radicalis, conservat & confortat. Ita potest dici quòd Fides infusa, cum una Fide acquisita & intellectu, inclinat ad istam: *Christus est mortuus*, & cum alia Fide acquisita inclinabat ad istam: *Christus morietur*. Et ideò eadem est Fides infusa, sed non est eadem Fides acquisita. Nec valet consequentia, quâ infertur quòd per rationem posset concedi quòd frigidum posset producere caliditatem, & è contra: quia non conceditur quòd eadem causa possit immediatè producere effectus contrarios, tanquam causa totalis. Non enim producit ignis caliditatem, eodem modo quo Fides infusa producit actum credendi, circa aliquem Articulum in speciali: quia ignis producit caliditatem immediatè; Fides verò producit actum credendi circa aliquem Articulum, in speciali, non solùm mediatè, sed mediante actu immediati

sui

sui objecti, nec patet quod ratio non probat aliquid contra dicta.

Ex ista conclusione secunda, & aliis per ejus declarationem positis, sequuntur aliqua corollaria.

Primum Corollarium.

STat habitus aliquos specie distingui, & distinctos effectus fore ejusdem speciei, secundùm quod dictum est, quòd habitus infusus non potest producere actum credendi circa distinctum suum objectum, A scilicet istud : *Omne revelatum a Deo* &c. sine Fide acquisita, circa idem objectum. Ergo Fides acquisita & Fides infusa inclinat ad idem objectum, hoc est, ad assensum ejusdem objecti, & ad eumdem assensum simul concurrunt ; ergo habitus specie distincti, cujusmodi sunt isti, partialiter producunt eumdem actum , & immediatè ; quia habitus acquisitus ex actibus assentiendi isti complexo. *Omne revelatum* &c. inclinat immediatè ad similes assensus. Patet igitur quòd stat aliquos habitus specie distingui, & proprios actus eorum fore ejusdem speciei, etiam in eodem : & hoc est cùm unus est infusus, & alius acquisitus : sed de duobus acquisitis istud non stat, quia actus ejusdem speciei causant habitus etiam ejusdem speciei, & habitus Fidei infusus B non causatur ex actibus credendi , & ideò non est simile de habitibus duobus acquisitis, & de illo quorum alter est infusus.

Secundum Corollarium.

PEr Fidem infusam sufficienter posset salvari in antiquis Patribus, & modernis viatoribus unitas veræ Fidei. Probatur : quia si non hoc est , alia fuerunt complexa ab eis credibilia, & à nobis. Immò tenebantur aliqua credere, & nunc tenemur contradictorium firmiter tenere : ut quia tenebantur credere , *Christus nascetur de Virgine. Christus morietur* ; & nunc tenemur credere , *Christus non nascetur de Virgine. Christus non morietur.* Tenemur dico credere, *Christus natus est de Virgine* , & tenebantur ante Incarnationem credere, *Christus non est natus de Virgine.* Et licèt non tenerentur illud credere ; tamen tunc temporis verum erat quòd Christus non C fuerat natus de Virgine : & nunc illud idem est falsum : modò non videtur quòd eadem Fides possit producere effectus sic contrarios & disparatos : sed ista ratio non valet, immò priùs fuit soluta, quia eadem Fides infusa ad omnia ista potest inclinare, non immediatè, sed mediantibus diversis habitibus acquisitis , secundùm quod priùs fuit declaratum. Ergo sufficienter potest salvari unitas Fidei inter hos & illos, dicendo quòd tàm antiqui Patres, quàm moderni fideles, habent eamdem Fidem infusam, non eamdem numero, sed specie, & hoc sufficit. Igitur corollarium est verum.

Tertium Corollarium.

SIcut unica est Fides infusa omnium credendorum ; sic est unica Charitas omnium diligendorum.

D Pro cujus declaratione notandum, quòd sicut immediatum objectum Fidei infusæ est unum complexum, *Omne revelatum a Deo est verum.* Ita immediatum objectum Charitatis est unum complexum, scilicet, *Deus* , & *Omne quod Deus vult* , *a me diligitur.* Et mediante isto , tanquam principio partiali, Charitas inclinat ad diligendum proximum meum, si diligam Deum , & omne quod à me vult diligi : & post constat mihi per Scripturam, aut aliàs, quod vult animas à me diligi. Tunc Charitas inclinat ad illud mediatè, scilicet mediante suo actu : & ista notitia quâ constat quòd vult animas, à me diligi cum voluntate , etiam si constet mihi quòd Deus vult inimicum meum à me diligi pro statu isto : tunc charitas mediatè actu suo volente , & illâ notitiâ, inclinat ad diligendmm pro statu isto inimicum, & ita de aliis propositis , sicut est dictum de Fide infusa , respectu credendorum. Et patet corollarium.

Quartum Corollarium.

OMnis habitus perfectè virtuosus, cujuscumque perfectæ virtutis actus mediatè, vel immediatè est productivus.

Quintum Corollarium.

OMnis habitus bonus moraliter, ad cujuscumque virtutis moralis actum inclinat naturaliter.

Et licèt ista duo corollaria formaliter non sequantur ex prædictis ; ipsa tamen voco corollaria, quia fundantur super eodem fundamento, super quo fundatur secunda quæstio , & eadem ratio est hîc, & ibi. Quare pro aliquali deductione, seu declaratione istorum duorum corollariorum, est primò notandum, quid vocatur habitus perfectè virtuosus, & habitus moraliter bonus. Pro quo sciendum quòd actum bonum exercens , exercere contingit temporaliter, ut puta pascere pauperem, prædicare, &c. Uno modo , propter Deum. Secundo modo, quia dictatur à recta ratione. Tertio modo, propter bonum delectabile , vel utile consequendum ; aut aliquod malum , vel periculum evitandum. Actibus primo modo elicitis correspondent perfectæ virtutes. Qui enim veritatem ex habitu loquuntur, propter Deum, habent virtutem , quæ est perfecta virtus ; istam habent soli fideles, quia isti soli veritatem propter Deum verum ex Charitate loquuntur, & ista virtus nullum vitium secum patitur. Habens enim istam virtutem, secundùm præparationem cordis, habet omnes virtutes, & omni vitio caret : Charitas enim nullum vitium secum patitur.

Actibus secundo modo elicitis correspondent veræ virtutes, & imperfectè, respectu primarum virtutum : & qui ex habitu veritatem loquitur, quia recta ratio dictat veritatem esse dicendam, licèt non cogitet de Deo ; virtutem habet , quæ est vera virtus, sed imperfecta, & habens taliter virtutem, habet, secundùm præparationem cordis, omnes habitus bonos morales. Talis secunda virtus, secundùm aliquos, omne vitium morale excludit. Secundùm quod posteà aliquantùm declarabitur.

Actibus autem tertio modo elicitis non correspondent veræ virtutes : qui enim loquitur veritatem, ut honoretur, vel ditetur, vel aliquod malum evitet, quemadmodùm ambitiosi, hypocritæ, avari ; licèt veritatem dicat, non tamen habet virtutem quæ est vera virtus, nec perfectè, nec imperfectè, nec tales sunt virtuosi, sed ambitiosi, tumidi, & avari.

De habitibus correspondentibus primis actibus loquitur quartum corollarium , asserendo quòd quælibet perfecta virtus inclinat ad quamcumque aliam perfectam virtutem ; & hoc potest sic declarari : si enim aliquis habet virtutem perfectam castitatis virginalis, ita ut velit vivere castè propter Deum , & aliquis sibi minetur mortem vulnera, vel verbera, nisi fornicetur: iste habens castitatem virginalem, & nullam fortitudinem, quia nunquam habuit aliquem actum fortitudinis, antequam fornicetur, vult sustinere mortem, verbera , &c. & tunc elicit primum actum fortitudinis, respectu cujus virginalis castitas est causa mediata , capiendo castitatem pro habitu, quia actus castitatis est causa immediata partialis actûs illius fortitudinis, ex quo actu generantur habitus,

bitus, & acquirit virtutem fortitudinis perfectam, per virtutem perfectam castitatis. Et sicut est de istis virtutibus, ita est de omnibus aliis, & patet corollarium quartum, quod adhuc inferiùs magis declarabitur.

De habitibus correspondentibus actibus secundo modo elicitis, loquitur quintum corollarium: Dicit enim illud corollarium, quòd omnis habitus moraliter bonus inclinat ad quemcumque alium actum moraliter bonum; & istud declaratur: quia qui castus est, quia vult vivere secundùm rectam rationem castitatis, habet principium inclinativum, seu dispositionem inclinantem ad actum cujuslibet virtutis; quia velle vivere castè, propter hoc quia recta ratio sic dictat esse vivendum, inclinat ad operandum aliquos actus, secundùm rationem rectam, quia illo actu quo vult vivere castè, propter rectam rationem, vult castitatem, & cum hoc rectam rationem: sicut si diligo Joannem propter Deum, ille actus est dilectio Joannis & Dei: sic in propositis. Istud autem velle, scilicet velle rectam rationem, seu velle vivere secundùm rectam rationem, potest esse causa mediata cujuscumque virtutis, producendo partialiter actum talis virtutis cum isto; scilicet recta ratio dictat sic esse faciendum. Immò dicunt aliqui quod qui vult vivere secundùm rationem rectam castitatis, vult etiam facere actum virtutis cujuslibet, quandoque recta ratio dictat quòd talem actum facere debet, sic quòd qui in uno delinquit, & non rectè agit, in nullo benè agit, hoc est virtuosè: verbi gratiâ: si aliquis est vitiosus in aliquo morali vitio, ut avarus, vel ambitiosus, licèt sit castus, quia abstinet ab actu venereo; non tamen habet veram virtutem castitatis, nec ab actu tali abstineret propter rectam rationem: sed aliquando propter absentiam causæ particularis, quæ ad talem actum requiritur, vel propter aliquam causam prædominantem impedientem. Sæpe enim talis habet desiderium delectandi in actu venereo, sed se restringit, quia sibi deficit objectum, vel propter timorem pœnæ, vel confusionis, vel & alterius damni: & licèt talis priùs moreretur quàm committeret actum illum; hoc tamen non est ex amore rectæ rationis, sed propter aliquam causarum dictarum, & ideò talis non habet virtutem castitatis. Et ista opinio est valdè probabilis. Nam si aliquis faciat duos actus, & primum actum faciat contra rectam rationem, & scit se facere illum contra rationem, videtur quòd etiam faciat alium contra rectam rationem, quia eodem modo recta ratio dictat unum esse faciendum, sicut alium. Ubi autem est eadem causa, idem debet sequi effectus. Si ergo dictamen rectæ rationis non est causa quare talis facit unum illorum, nec erit causa quare facit alium: & hoc est quod priùs dicebatur, scilicet quòd virtus vera moralis non compatitur secum aliquod morale vitium.

Sed ista opinio est benè rigorosa, & ideò probabiliùs dicitur quòd stat eumdem virtuosè agere circa aliquod objectum, & non virtuosè circa aliud: hoc enim quilibet videtur experiri in se. Experiri enim quilibet videtur quòd aliquando propositum habet subveniendi indigenti, & de facto ei subvenit, præcisè quia recta ratio dictat sibi tali esse subveniendum, & sine gravamine potest sibi subvenire, ita quòd intuitu pietatis subvenit eidem, & tamen cum illo velle, habet propositum actuale verberandi socium qui fore fecit sibi; aut habet actu desiderium fornicandi: & ita in uno est virtuosus, & non in alio. Sæpè enim videmus aliquos aliquibus vitiis irretitos, habituatos esse ad dandum eleemosynam, & subveniendum pauperibus, ac multa alia virtutum opera exercenda. Et visible est quòd aliquando talia opera faciunt propter rectam rationem, non obstante quòd in aliis sunt vitiosi. Nec sic opportet quòd recta ratio sit causa totalis, quare talis actus sit virtuosus. Nam si esset causa totalis, ratio prædictæ opinionis concluderet: sed illud non opportet, ad hoc quòd talis sit virtuosus; requiritur tamen quòd recta ratio sit causa partialis talis actus.

Ex istis patet declaratio quinti corollarii, & etiam quarti. Quia licèt stet eumdem esse virtuosum in uno, & vitiosum in alio; tamen quælibet virtus potest esse principium producendi virtutem oppositam vitio, quo talis irretitur, & cum hoc, cujuslibet alterius virtutis: scilicet per modum priùs declaratum.

Sextum Corollarium.

Quod voco Corollarium, sicut alia duo immediatè præcedentia.

OMne crimen, vel vitium, cujuscumque actus mali est, vel esse potest initium.

Istud corollarium declaratur particulariter de aliquibus vitiis. Primò de superbia: nam Eccli. x. 15. *Initium omnis peccati est superbia.* Isti sententiæ concordat Innocentius, ipsam superbiam in hunc modum alloquens. *O insupportabilis superbia, omnibus odiosa, tu semper es prima, tu semper es ultima; nam omne peccatum, te antecedente, committitur, & te recedente, dimittitur.* Quod virtutem habet ad assensum corollarii positi, scilicet principativè & dispositivè, quia superbia potest esse principium cujuscumque peccati.

Secundò. Declaratur corollarium, de cupiditate quæ est speciale peccatum: quia 1. ad Thimoth. vi. 10. *Radix omnium malorum est cupiditas.* Ubi Glossa objiciens ait: *alibi dicit Scriptura* Eccli. x. 15. *quòd* superbia est initium omnis peccati, *hic verò dicit quòd* cupiditas est radix omnium malorum, *quæ convenire non videntur.* Et respondens ait: *Sciendum verò utrumque esse verè dictum: nam nullum est peccatum, quin aliquando proveniat ex cupiditate, idest, nullum est quin aliquando proveniat ex superbia, fit enim ex cupiditate superbus, & contrà.* Aliquis est enim qui non esset amator pecuniæ, & forsan plures sunt tales, nisi per pecuniam putaret se esse excellentem. Ergo omnis cupidus, secundùm præparationem cordis, est omni alio crimine irretitus.

Septimum Corollarium.

SEptimum corollarium declaratur de iracundia. Nam glossa super illo verbo Proverb. xxix. ℣. 22. *Vir iracundus provocat iras.* Ait: *Janua omnium vitiorum est iracundia; quâ clausâ, virtutibus intrinsecus dabitur quies: apertâ verò, ad omne facinus armabitur animus. Hæc non potest claudi, nisi per mansuetudinem quæ est vera virtus.* Ergo patet corollarium quod in aliis omnibus posset declarari. Et istæ probationes seu declarationes pro nunc sufficiant.

Contra istud corollarium arguitur aliquibus rationibus. Corollarium enim videtur dicere, quòd omnis criminosus in aliquo crimine, secundùm præparationem cordis, est omni alio crimine irretitus. Istud autem nullus intellectus deberet opinari.

Primò, quia quædam vitia sunt inter se contraria, unum autem contrariorum, non est præparatio, seu dispositio ad aliud ergo &c. Antecedens pro secunda parte est notum. Pro prima parte, antecedens probatur de prodigalitate, & tenacitate, quæ vitia inter se contrariantur. Igitur &c.

Secundò arguitur sic: Quædam vitia sunt penitùs inter se disparata; ergo unum talium non est dispositio ad aliud, quia opportet principium & principatum, inter se habere aliquam connexionem. Ergo corollarium est falsum.

Tertiò arguitur sic: Videmus aliquos in aliquibus criminosos, qui alia vitia & crimina tantùm detestantur, quòd priùs morti se exponerent, quàm illa committerent. Ergo non est verum quòd omnis crimino-

nosus in aliquo crimine, secundùm præparationem cordis omni crimine est irretitus: & per consequens corollarium sextum est falsum.

Non obstantibus istis rationibus, dico quòd corollarium illud est verum, juxta illud Jacobi II. 10. *Qui in uno delinquit, factus est omnium reus.* Quæ verba debent intelligi secundùm præparationem cordis, quia non possunt intelligi secundùm actum, & ideò respondetur ad objectiones, & cum primo assumitur quòd corollarium videtur dicere quòd omnis criminosus in uno, secundùm præparationem cordis, est omni alio crimine irretitus. Dico quòd hoc est verum. Unde pro majori declaratione notandum est quid est, secundùm præparationem cordis, aliquo crimine irretiri. Unde, irretiri, secundùm præparationem cordis, aliquo crimine, non est aliud, quàm habere dispositionem, ut principium naturaliter inclinans ad tale vitium. Hoc est habere aliquam dispositionem, quæ potest esse causa partialis effectiva talis vitii. Et simili modo, habere actus virtutis, secundùm præparationem cordis, non est aliud, quàm habere dispositionem, vel principium, quod potest esse causa partialis effectiva actûs cujuslibet virtutis, secundùm modum priùs declaratum, & non conceditur quòd omnis criminosus habet, secundùm præparationem cordis, omnem actum vitii sibi possibilem.

Respondetur igitur ad rationes oppositum probantes. Ad primam, cùm dicitur quòd quædam vitia sunt contraria, unum autem contrariorum non est præparatio, nec respondetur quòd quamvis quædam vitia sunt contraria, & ideo actus ipsorum simul esse non possunt. Habens tamen unum vitium, simul habet dispositionem malam inclinantem ad actum vitii contrarii requisitum. Verbi gratiâ: Prodigalitas, & tenacitas, sunt vitia contraria; & tamen tenax habet actum prodigalitatis, secundùm præparationem cordis. Habet etiam tenax desiderium acquirendi pecuniam: & ideò quando tenax videt quòd per actum prodigalitatis potest multa acquirere, desiderio acquirendi plura, exit in actum prodigalitatis.

Item, videmus quòd virtutes & vitia contrariantur; & tamen vitiosus sæpè habet actum virtutis, secundùm præparationem cordis. Sæpè enim mendax, ut sibi credatur, loquitur veritatem. Ambitiosus, ut magnos honores acquirat, parvos honores despicit: & ita de multis aliis. Patet igitur quòd ratio ista non probat, quin omnis criminosus, secundùm præparationem cordis, est quocumque alio crimine irretitus: sed benè probat quòd non omne vitium potest esse causa totalis immediata cujuscumque actûs vitiosi, & hoc est verum: sed cum hoc stat sextum corollarium præsens positum.

Contra prædictam est unum dubium; quia dictum est in solutione primæ rationis quòd vitiosus habet actus virtutum, secundùm præparationem cordis. Ergò, à simili, virtuosus habet actus vitiosos, secundùm præparationem cordis, quod est falsum.

Respondetur ad istud dubium, quòd non est simile quòd omnes actus virtutum exteriores possunt malè fieri, ut orationes, jejunia, & hujusmodi, propter quod vitiosus habet actus virtutum exteriores, & non interiores actus virtuosos, secundùm præparationem cordis.

Ad secundam rationem priùs factam, respondetur quòd nulli actus vitiorum sunt tam disparati; quin irretitus in quocumque crimine, habeat dispositionem malam naturaliter inclinantem, nisi impediatur, vel aliquod deficiat, puta aliqua causa partialis requisita, ad quemlibet actum vitiosum. Sed & tunc est dubium, quæ est dispositio mala, quæ inclinat ad omnem actum vitiosum.

Respondetur quòd multæ sunt tales; scilicet contemptus rationis, amor sui, aversio à Deo, & hujusmodi, quæ à nullo vitio separantur: qui enim contra rectam rationem agit, ipse contemnit rectam rationem, & ex actu contemnendi rectam rationem, potest conservari habitus inclinans ad similes actus, scilicet ad contemnendum rectam rationem; & ideò licèt recta ratio dictet aliquod aliud esse faciendum, vel non faciendum; iste habitus inclinabit cum quibusdam aliis causis, ad agendum contra rectam rationem. Sicut experimur quòd si quis consuevit dicere Matutinas nostræ Dominæ, vel audire quotidiè Missam, ipse invitè transiret unam diem absque Missâ. Si verò ipse obliviscitur audire Missam per hebdomadam, vel mensem, ipse ferè non curabit utrum qualibet die audiat Missam, vel non. Patet igitur quòd unum vitium potest esse causa partialis mediata, vel immediata cujuscumque actûs mali & vitiosi, & per hoc patet responsio ad secundam rationem.

Ad tertiam rationem dicitur quòd non ideò dicitur quis habere actum vitiosum, secundùm præparationem cordis, quòd semper paratus sit omnem actum exercere; sic etiam mendax, secundùm præparationem cordis, non habet actum mendacii, quia nequaquam vult semper mentiri. Sed quis dicitur habere actum vitiosum, secundùm præparationem cordis, quia habet dispositionem inclinantem ad actus vitiosos, modo priùs exposito. Et ideò licèt aliqui in aliquibus vitiosi, detestantur multa alia crimina; tamen vitia illa in quibus vitiosi sunt, possunt inclinare mediatè, vel immediatè ad alia crimina, sed non sufficiunt hujusmodi crimina per se, & immediatè producere, stat enim, sicut priùs dictum est, quòd aliqui sunt virtuosi in aliquibus, & vitiosi in aliis. Opinio tamen priùs tacta diceret, quòd si aliqui irretiti aliquibus vitiis, adeò detestantur aliqua vitia, quòd priùs se vellent morti exponere, quàm talia committere; hoc tamen non est ex amore rectæ rationis, aut virtutis; sed quia habent aliquas dispositiones non virtuosas ad actum illum inclinantes, ut potè quia timent confusionem, & in illis timor confusionis prædominatur passioni ad tale vitium inclinanti.

Ex istis patet solutio tertiæ rationis, & per consequens, corollarium dictum stat in virtute. Ex quibus omnibus patet quid est Fides infusa, & in quibus est Fides infusa, & in quibus non. Patet secundo, quomodò est una Fides omnium credendorum, & incidentaliter visum est de connexione virtutum inter se, & secundò, vitiorum inter se. Et ideò ista sufficiant pro prima parte primi Articuli, in qua erat videndum de Fidei habitu à Deo infuso.

§. 2.

De Fide acquisita.

In secunda parte primi Articuli, erat videndum de Fide acquisita, & ejus objecto.

Et primò, videbitur de Fide acquisita. Secundò, de ejus objecto.

Est igitur primò notantum quòd duplex est Fides acquisita, capiendo Fidem acquisitam prout distinguitur contra objectum Fidei: quandoque enim capitur Fides acquisita pro actu credendi; capiendo *credere*, prout distinguitur contra *opinari*, & *scire*: & tunc credere, est assentire sine formidine alicui propositioni veræ, de cujus veritate non stat per rationem, nec per experientiam; sed solùm per testimonium aliorum, & debemus nos credere quòd non videmus per sensum, nec per rationem.

Secundo modo: accipitur Fides acquisita, pro habitu; & tunc Fides acquisita, est habitus ab actu, vel actibus credendi, cum intellectu, immediatè, & naturaliter productus.

Secundò, notandum quòd Fides, quocumque prædicto-

ctorum modorum accipiatur, potest largè accipi: scilicet pro omni actu credendi, vel habitu ex credendi actibus generato, sive sit alicujus pertinentis ad Fidem Catholicam, sive non. Nam sæpe acquiritur Fides de aliquo complexo, quod nullo modo pertinet ad Fidem Catholicam. Secundo modo, Fides potest accipi, pro habitu, vel actu credendi, respectu actus veritatis ad Fidem orthodoxam pertinentis: & isto modo accipio Fidem, in prima parte istius Articuli.

A Istis positis: pro majori declaratione hujus materiæ, & aliquorum dictorum in prima parte hujus Articuli; pono aliquas conclusiones.

Prima quæstio: respectu omnium actuum quos habemus, vel habere possumus, *& nobis possibilis naturalis, similium actuum immediatè productivus.

Pro declaratione hujus quæstionis, est notandum quòd alia est necessitas ad ponendum habitum in potentia naturali activa, sive passiva; & alia ad ponendum talem habitum in potentia libera. Et est major necessitas ponere talem habitum in potentia naturali, putà in intellectu & appetitu sensitivo, & secundò in potentia sensitiva apprehensiva, quàm in potentia libera: quia talis potentia de se est indifferens ad multos actus; & tamen aliquando est ita determinata, respectu alterius, quòd non potest in oppositum, nec in aliud, nisi per imperium voluntatis, quæ est potentia superior, & aliquando non sic fertur. Ergo necessariò opportet ponere quòd in tali potentia derelinquatur aliquis ex actibus inclinans ad actus similes, & non contrarios. Exemplum. Potest enim homo appetitu sensitivo elicere aliquos actus circa aliquod objectum, cum delectatione, ex quibus potest generari ibi fortis habitus, quod nisi refrenetur per voluntatem, non potest in actum congruum, plus quàm brutum. Ideo furiosus habens habitum acquisitum circa aliquod delectabile, cum habuit adhuc usum rationis, & hoc in parte sensitiva, nisi sit activa tristitia fortior vincens talem inclinationem, habitus fertur in illud objectum sine remedio, in quod præsens non oportuit eum ferri, propter imperium voluntatis.

Secundo modo: intellectus potest tot actus elicere circa aliquod objectum, quia non potest de se oppositum apprehendere sine imperio voluntatis: ergo hoc est, per habitum inclinantem. In potentia autem libera non potest poni habitus, propter istam causam; quia cùm quæcumque voluntas inclinetur ad aliquod objectum, potest tamen de se, propter suam libertatem in actum oppositum, vel saltem non producere illum. Ibi tamen potest poni habitus, & debet poni; quia quilibet experitur quòd post multos actus elicitos a voluntate circa aliquod objectum, ipsa faciliùs inclinatur & intensiùs, ad eliciendum actus consimiles, ita quòd licèt actus contrarios ex libertate posset producere; non tamen nisi cum tristitia, & non cum tanta delectatione, sicut potuit, antequam esset habituata ad actus tales eliciendos. Exemplum. Nam si aliquis eliciat multos actus diligendi circa unum hominem; ille non potest eumdem hominem odire, nisi cum tristitia: nam post talem actum odiendi, habet remorsum conscientiæ, qui non est aliud, ut videtur, nisi quædam tristitia derelicta in voluntate, ex hoc quòd elicit actum aliquem circa illud objectum, contra inclinationem acquisitam, propter quam inclinationem expertum est necessarium ponere habitum in voluntate, & non propter libertatem, nec propter aliam causam.

Patet igitur quòd respectu omnium actuum quos habemus vel habere possumus, possumus habere habitum naturalem ad tales naturaliter inclinantem: Quia si circa aliquod objectum eliciamus aliquos actus, post istos elicitos, faciliùs & promptiùs possumus similes elicere. Ergo, respectu omnium talium, in nobis acquiritur habitus, aut saltem potest, qui potest immediatè inclinare ad actus similes eliciendos. Et conclusio priùs posita est vera.

Ex ista conclusione sequuntur aliqua corollaria.

Primum Corollarium.

RESPECTU cujuscumque Catholici credibilis, est nobis possibilis habitus naturalis. Probatur ex conclusione sic. Respectu omnium actuum quos habere possumus, possumus habere habitum naturalem; sed respectu cujusque credibilis Catholici, possumus habere actum credendi. Ergo respectu cujuscumque credibilis Catholici, est nobis possibilis habitus naturalis. Major est Conclusio, aut saltem in Conclusione continetur. Minor est nota de se.

Secundum Corollarium.

RESPECTU omnium Articulorum Fidei, habitus potest in nobis acquiri. Probatur corollarium sic. Idem habitus potest esse assensus omnium Articulorum Fidei, saltem implicitus; sed respectu cujuscumque actus quem habere possumus, possumus habere habitum naturalem: Igitur &c. Minor est Conclusio, & Major probatur: quia assensus hujus propositionis, *Omnes Articuli Fidei Catholicæ sunt veri*, est assensus implicitus omnium Articulorum Fidei. Ergo corollarium est verum. B

Tertium Corollarium.

RESPECTU ejusdem Articuli possumus habere habitum acquisitum per primum corollarium, & per secundum corollarium habitus idem potest inclinare simul ad omnes Articulos. Ergo respectu ejusdem Articuli, erunt plures habitus acquisiti: unus scilicet inclinans solùm ad illum Articulum, & alius inclinans ad alium Articulum, & cum hoc ad plures alios. Primus inclinat immediatè ad talem Articulum, & alius qui scilicet inclinat simul ad omnes, aut plures, ad nullum in speciali inclinat immediatè; sed solùm mediatè proportionaliter, sicut est dictum de Fide infusa. Respectu tamen ejusdem Articuli, benè sunt in nobis habitus distincti ad talem Articulum immediatè inclinantes: scilicet ad istum Articulum. *Omne revelatum à Deo est verum.* Sed unus est infusus, & alius acquisitus, non enim possunt in nobis acquiri, respectu ejusdem objecti, distincti habitus specie ad talem objectum immediatè inclinantes. C

Ex istis patet corollarium tertium. Et hæc de Fide habituali acquisita ad præsens sufficiant.

Nunc est videndum de actu Fidei, qui dicitur *Credere*, capiendo, *Credere*, strictè, sicut priùs fuit declaratum; scilicet, prout dicitur contra opinari, & propriè scire, seu evidenter cognoscere. De quo sit secunda Conclusio ista: Solus actus credendi ex habitibus infusis & acquisitò causatus, est actus veræ Fidei proprius, & Catholicus. Probatur sic: ergo ille actus, & nullus alius, est actus propriè Catholicus, quo actu quis efficitur propriè Fidelis & Catholicus; sed per talem actum credendi, & per nullum alium, quis efficitur fidelis & Catholicus: ergo Conclusio vera. Consequentia patet. Nota major: quia si alius actus esset Catholicus, tunc posset habentem denominare Catholicum: quia accidens dat suo subjecto illam denominationem in concreto, quam habet in abstracto. Minor probatur, & quoad primam partem, scilicet quòd actus credendi causatus ex habitibus, acquisito & infuso, sit Catholicus. Dicta Minor est satis nota: quia si aliquis est actus Catholicus, maximè est talis, cùm sit assensus firmus, & non propter rationem. Sed quoad secundam partem, scilicet quòd nullus alius actus credendi sit propriè Catholicus, seu quòd per nullum talem quis effici- D

Appendix ad Tom. I.

* Locus corruptus.

ficitur propriè Catholicus, probatur: quia si esset alius, maximè esset actus causatus ab habitu acquisito, sive habitu infuso. Patet de se: & per talem nullus efficitur fidelis. Igitur &c. Minor probatur: quia Paganus potest credere Articulum Fidei, propter aliquam rationem, & potest instrui in Fide; ex quibus actibus credendi potest acquirere habitum ad actus consimiles naturaliter inclinantem: potest igitur, mediante tali habitu & intellectu, causare actum credendi circa Articulos Fidei: & tamen cùm hoc fiat quòd non habeat Fidem infusam, & sic erit infidelis, & non Catholicus. Ergo talis actus credendi ex habitu acquisito causatus, non efficit ipsum Catholicum; quod fuit probandum, & per consequens conclusio posita est vera.

Ex ista conclusione sequuntur aliqua corollaria.

Primum Corollarium.

NULLUS assensus, quo primo assentitur Articulis Fidei, est actus præcipuè Catholicus debitus divinæ Legi. Probatur: quia talis non est ex habitibus infuso & acquisito. Igitur &c. Consequentia patet per conclusionem. Antecedens probatur: quia habitus non præcedit actus, seu actum, scilicet habitus acquisitus, quare primus actus non causatur ab habitu acquisito, nec ab habitu infuso, quia superius est dictum quòd habitus infusus non potest producere actum aliquem credendi, sine Fide acquisita. Igitur patet corollarium.

Secundum Corollarium.

NON omne credere ex habitu, respectu Catholicæ veritatis, est actus Catholicus debitæ fidelitatis. Patet corollarium de Pagano, qui ex habitu assentit Articulis Fidei.

Tertium Corollarium.

STAT aliquem essentire Articulis Fidei sine formidine, & ipsum irretiri damnabili infidelitate. Patet de illis qui assentiunt Articulis Fidei, præcisè propter aliquam rationem: nam multi sunt Articuli Fidei qui possunt insufficienter probari, etiam cuique infideli, aut hæretico. Si autem aliquis propter aliquam talem rationem, sibi scilicet concludentem, assentiat talibus Articulis, & nullis aliis dissentiat, nec & assentiat, quia cognitio de talibus ad eum non pervenit; licèt talis pluribus Articulis Fidei explicitè, & omnibus implicitè assentiat, quia credit omnes posse probari per rationem naturalem, sicut probantur illi quibus assentit explicitè: non fidelis, immò de infidelitate meritò est arguendus. Igitur corollarium verum.

Patet igitur quòd solus actus credendi, causatus ab habitu infuso, & habitu acquisito, unà cum intellectu, est propriè Fides Catholica actualis.

Quartum Corollarium.

EX quibus sequitur quartum Corollarium, quòd tot sunt Fides Catholicæ, numero dictæ, quot sunt Catholici firmiter adhærentes Fidei Orthodoxæ. Patet: quia actus ipsorum numero distinguuntur; similiter & habitus tàm infusi quàm acquisiti. Immò stat duos esse fideles & Catholicos; & tamen habere habitus acquisitos, & actus specie differentes, & nullos ejusdem speciei: sed semper manet Fides infusa, quæ est eadem specie in omnibus fidelibus & Catholicis. Ex quibus patet quis actus sit præcipuè Fides acquisita actualis, & quis habitus sit verus habitus Fidei acquisitus. Quare prædicta sufficiant pro declaratione duarum conclusionum positarum.

Sed adhuc restant aliqua dubia contra dicta in ista parte secunda istius Articuli. Dictum est tamen quòd credere, est assentire sine formidine alicui propositioni, de cujus veritate non constat per rationem, nec per experientiam contra. Et primò, à quo causatur primus actus credendi, quo quis primò credit Fidei Christianæ, aut alicui contento in ipsa, aut etiam causatur à voluntate, aut à voluntate cum Fide infusa, aut à ratione convincente intellectum ad sic assentiendum, non à voluntate solùm, quia, pari ratione, * quemcumque quis vellet, ipse posset assentire cuicumque propositioni priùs sibi dubitæ; ut puta, isti propositioni: *Stellæ sunt pares*: quilibet in se experitur istud esse falsum. Nec etiam propter præmium æternum potest quis assentire Fidei orthodoxæ; quia eódem modo posset talis propter præmium decem florenorum assentire huic: *Rex sedet*; posito quòd talis distat à Rege per mille leucas: consequens istud est falsum, ut quilibet in se experitur, nec talis actus causatur à voluntate, cum Fide infusa, quia priùs dictum est quòd Fides infusa non potest inclinare ad aliquem actum credendi, sine fide acquisita: igitur relinquitur quòd talis actus credendi causatur ex assensu aliarum propositionum, qui assensus cogit intellectum sic assentire. Ergo Fides acquiritur per rationem.

A

Confirmatur. Si quis dubitat de ista propositione, *Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio*: Et sufficienter sibi posteà ostendatur quòd prædicta propositio est determinata explicitè per Eclesiam; statim illi propositioni assentiet: hoc verò esset formando istam rationem, aut similem. *Quodcumque Ecclesia credit, est verum*, Ecclesia credit Spiritum sanctum procedere à Patre, & Filio; ergo hoc est verum: & sic formatur ista ratio, ad assentiendum huic propositioni. Ita formatur eadem ratio, vel similis, ad assentiendum cæteris Articulis Fidei. Igitur Fides est per rationem.

B

Secundùm dubium est contra primam conclusionem: quia nulla videtur necessitas ponendi tales habitus in diversis potentiis. Quia sicut ** maximè esset: quia post multos actus circa objectum aliquod elicitos; eliciens, faciliùs posset consimiles elicere, eo quod habitus naturaliter inclinat ad consimiles actus actibus ex quibus fuit causatus. Istud patet per declarationem dictæ conclusionis: sed istud est falsum. Non enim inclinat naturaliter habitus ad tales actus, quia quandoque esset talis habitus semper & continuè ad similes inclinaret, & sic habens habitum circa dilectionem alicujus, semper actualiter diligeret illum, quod est falsum. Igitur post destructionem actus, aut cessationem ab actu, non relinquuntur habitus ab hujusmodi actu naturali inclinantes ad actus consimiles.

C

Ad ista duo dubia est respondendum. Ad primum dubium est primò respondendum. Pro cujus responsione est notandum quòd cùm dicitur quòd credere est assentire sine formidine alicui propositioni, de cujus veritate &c. Non est intelligendum quòd aliquis possit assentire alicui veritati Catholicæ propter aliquam rationem. Immò stat quòd quis assentiat alicui principio propter rationem, quæ tamen ratio illud principium nullo modo probat; sed est ratio falsifica. Sic cùm quis assentit alicui veritati Catholicæ, propter aliquam rationem, quæ nullo modo probat primam veritatem. Et illa ratio sufficienter cum intellectu causat in tali assensum talis veritatis, & in alio assensum talis veritatis non causaret generaliter. Igitur est intelligendum quòd Fides non causatur per rationem, nec experientiam. Minor est videnda. Pro cujus declaratione est notandum quòd assensus propositionis dubitabilis, est non per se notæ, nec evidentis, cujusmodi sunt Articuli Fidei, quia si essent ex se noti, quilibet statim, vellet, nollet, eis assentiret, & tunc non esset meritorium talibus assentire. Igitur tales sunt dubitabiles, & inevidentes.

D

Ta-

* Locus corruptus. ** Locus corruptus.

Talium igitur propositionum dubitabilium assensus quadrupliciter potest causari.

Primò, potest causari per experientiam, ut aliqua principia causantur per experientiam singularium. Verbi gratiâ, istud exemplum. *Omnis ignis est calidus*: non potest probari per rationem, sed solùm per experientiam singularium, ut puta quia iste ignis est calidus in istis circumstantiis. Aut potest talis propositio inevidens, evidenter inferri ex hiis quæ per experientiam prædicto modo possunt cognosci.

Secundo modo, assensus talis potest causari ex primis principiis, aut ex hiis quæ ex eis evidenter deducuntur; cujusmodi conclusiones sequuntur in demonstratione.

Tertio modo, assensus talis propositionis dubitabilis potest causari ex propositionibus probabilibus, aut ex una per se nota, aut ex per se notis deducta, & altera probabili.

Quarto modo, potest assensus propositionis de se inevidentis causari ex propositionibus merè creditis. Ut si quis dubitet an Spiritus Sanctus procedat à Patre & Filio, & aliquis cui credat, dicat sibi istam propositionem esse determinatam per Ecclesiam: tunc talis statim illi propositioni assentiret, virtute istarum duarum propositionum ab eo creditarum; scilicet: *Quidquid Ecclesia credit est verum*. Et *Ecclesia credit Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio*. Aut ex duobus potest causari talis assensus, ex una credita, & alia non credita; & hoc dupliciter: quia vel ex non credita, solùm probabili; vel ex evidenti, aut nota quæ ex evidentibus potest deduci. Nam illi interfuerunt Concilio Generali, in quo determinata fuit dicta Propositio, Scilicet, *Spiritus sanctus procedit a Patre & Filio*: ex una credita, & alia eis per experientiam nota, concluserunt Spiritum sanctum procedere ab utroque, scilicet ex illa credita: *Quidquid Ecclesia credit est verum*, & illâ quam per experientiam sanciverunt, scilicet, *Ecclesia determinat Spiritum sanctum procedere a Patre & Filio.*

Istis notatis, ponuntur aliquæ Propositiones.

Prima Propositio.

Articuli Fidei non possunt naturaliter per experientiam mediatè, vel immediatè cognosci. Probatur: quia Articulorum Fidei quidam sunt contra rationem naturalem, ut iste Articulus. *Virgo peperit Filium*. Ergo non possunt per experientiam deduci, seu cognosci. Item, habita tali cognitione, Articuli Fidei scirentur, & non crederentur, & non esset tunc meritorium Articulis Fidei assentire.

Secunda Propositio.

Articuli Fidei ex principiis evidentibus non possunt mediatè vel immediatè deduci. Probatur: quia si sic, tunc præcipuè possent sciri, & sic assensus eorum esset scientia, & non Fides.

Tertia Propositio.

Ex probabilibus, aut altera probabili, non potest Fides generari. Probatur: quia propositio probabilis solùm generat opinionem, & non adhæsionem sine formidine. Fides autem est firma adhæsio sine formidine. Igitur &c.

Quarta Propositio.

Ex ambabus merè creditis, aut ex una credita, & alia evidenti, aut ex evidentibus, de dubitabili potest Fides causari. Patet per exemplum positum in quarto membro divisionis priùs positæ, tale argumentum: Ubi scilicet assumitur. Aliquid merè creditum in proposito, non vocatur ratio, sed solùm illa argumento in proposito, vocatur ratio, in qua infertur aliquod ex principiis per se notis, vel evidentibus, aut ex hiis quæ ex talibus possunt deduci, aut etiam in qua infertur aliquid ex propositionibus probabilibus, quarum assensus acquisivimus ex quibusdam naturalibus experientiis, & investigatione, seu discursu, cujusmodi sunt multæ propositiones nobis probabiles: nullo autem istorum modorum potest causari Fides. Prima enim ratio, scilicet in qua infertur aliquid ex principiis evidentibus, aut ex hiis quæ ex talibus possunt deduci, causat scientiam & non Fidem. Secunda autem ratio, quæ scilicet est ex probabilibus, aut altera probabili, solùm causat opinionem, & non Fidem. Et sic Patet quòd Fides est assensus firmus non per rationem, aut experientiam causatus, scilicet causando rationem præcipuè ad assensum priùs positum, scilicet, pro ratione naturali, in qua nihil merè creditum assumitur.

A

Istis visis, respondetur ad formam primæ rationis primi dubii. Unde cùm primò quæritur, à quo causatur actus credendi, quo quis primò assentit Fidei Catholicæ: dicitur quòd de isto sunt diversæ opiniones. Quidam dicunt, quòd si aliquis jam adultus de novo convertatur ad Fidem; primus actus quo assentit Articulis Catholicis, potest causari à voluntate, cum aliqua ratione probabili, sic quòd voluntas potest præcipere intellectum, seu inspirare quòd assentiat talibus Articulis: & tunc intellectus, dùm habeat aliquam rationem ad sic credendum probabiliter, etiam non convincentem, potest causare cum illa ratione probabili assensum firmum circa talia credibilia.

B

Istam assertionem probant per Augustinum, *Super Joann. Tract.* 26. dicentem: *Cætera potest homo nolens, credere non potest nisi volens* &c.

Item, Deus irrationabiliter homini præciperet talia credere, si non esset in potestate sua talia credere, & irrationabiliùs puniret homines, si talia non crederent &c. Item, non esset meritorium, nec demeritorium talia credere, vel non credere: quod est falsum. Igitur &c.

Alii dicunt quòd, in casu posito, actus primus credendi non potest causari ab intellectu, ex solo imperio voluntatis, etiam cum quacumque ratione non convincente, sic necessariò requiritur aliqua ratio quæ convincat intellectum sic assentire. Pro ista assentione isti arguunt sic: Ex solo imperio voluntatis intellectus posset &c. Sequeretur quòd quantumcumque ego vellem, ego possem assentire isti propositioni. *Rex sedet* aut, *stellæ sunt pares.* Quod tamen est falsum.

C

Item, nulli propositioni possum assentire, nisi appareat mihi ita esse in re, sicut ipsa significat: & non est in potestate mea quòd res appareant mihi sic esse, vel sic non esse. Nam si ego essem Romæ, & socius meus esset Parisiis; non videtur esse in potestate mea quòd mihi appareat quando socius meus comedit, vel non comedit. Nec valet illud quod alii dicunt, scilicet quòd licèt ex solo imperio voluntatis intellectus non posset assentire &c. potest tamen ex imperio voluntatis, cum aliqua ratione probabili, quia talis ratio probabilis solùm causat opinionem: sed actus credendi non est opinio; sed adhæsio firma, sine formidine. Ergo intellectus ex imperio voluntatis potest facere quod aliquid quod solùm probabile, appareat certum, & tali assentiat sine formidine: quod est falsum.

D

Ista secunda opinio est valdè probabilis, & forsan probabilior prima opinione, licèt prima sit generalior: & ista opinio habet respondere ad illud quod inferebatur in illa prima ratione primi dubii, scilicet, sequitur quòd Fides est propter rationem: & sic habere Fidem non esset meritorium, quia, secundùm Augustinum: *Fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum.* Et ideò ad istud respondetur: Primò, quòd licèt aliqua ratio convince-

ret intellectum talem ad credendum Articulos Fidei orthodoxæ; tamen illa ratio non probat, nec sufficienter infert tales Articulos, nec propter illam rationem quilibet alius, & habens bonum judicium assentiret talibus Articulis: & ideò ratio illa non est de se apta nata causare talem assensum. Ex quibus sequitur quòd omnis talis primò assentiens firmiter Fidei Catholicæ, est deceptus; quod volo sanè intelligi: non enim deceptus est, quia assentit talibus Articulis; sed deceptus est, quia assentit propter ra- A tionem quæ nullo modo probat illud quod credit, causa * probare. Quia vel est ex propositionibus probabilibus, & illæ non causant assensum firmum; vel ex evidentibus, aut ex deductibilibus ex eis, & talis non causat Fidem, quia dictum est superiùs quòd Articuli non possunt sic cognosci, nec ex talibus deduci. Igitur &c. Secundò, dicitur quòd cum quis sic primò assentit propter rationem cogentem intellectum ad sic assentiendum, quæ tamen ratio non est ex altero merè credito, ille assensus non est præcipuè Fides, nec est propriè meritorius, vel demeritorius; sed actus voluntatis, quo, scilicet talis, vult credere Catholicæ Fidei, & secundùm eam vivere, est meritorius: solus enim actus voluntatis, & non intellectus, propriè dicitur meritorius; sed denominatione extrinseca, actus intellectûs, sicut & actus interiorès possunt dici, merirorius, vel etiam demeritorius.

Ad confirmationem dictæ rationis primi dubii, re- B spondetur quòd assensus alicujus Articuli, in speciali, potest causari per aliquam rationem, scilicet assentientem in una præmissarum, aut in ambabus, aliquid quod est merè creditum arguendo, sicut dictum est. Non tamen potest quicumque Articulus Fidei inferri & probari per rationem sumptam ex evidentibus. Si enim aliquis Articulus inferatur per aliquam rationem solùm probabilem, illa ratio solùm causat opinionem, & non Fidem. Et ideò Fides non potest acquiri per rationem naturalem, & non assentientem aliquid merè creditum, nisi in decepto, qui scilicet crederet talem rationem aliquid probare, quod tamen non probaret. Et ideò talis ratio non est de se causa sufficiens, cum intellectu, ad producendum talem assensum. Immò cùm talis posteà percipit quia ratio sua illud non probat, &, hoc non obstante, adhuc eidem assentit, & tunc talis C assensus potest causari ab habitu acquisito, & intellectu, cum habitu infuso; & talis actus credendi sic causatus, est propriè actus Fidei, secundùm quod priùs est dictum.

Ad secundum dubium respondetur, quòd necesse est ponere in diversis potentiis diversos habitus, propter rationem in eodem dubio tactam, & in notabili primæ quæstionis ampliùs declaratam. Et cùm dicitur quòd habitus non inclinat naturaliter ad consimiles actus, quia semper inclinaret habituatum &c. Respondetur quòd non sequitur quia semper inclinaret habituatum ad actus consimiles; quia habitum inclinare, non est aliud quàm actum suum producere, modò habitus non est causa totalis sui actus: sed cum tali habitu requirtiur apprehensio objecti, quæ cum tali potentia, scilicet in qua est talis habitus, & ipso habitu, producit partialem talem actum. Exemplum: Nam si aliquis occupatus circa aliquid, D non advertat de aliquo objecto corruptibili circa quod est habituatus, nullam sentit inclinationem. Si verò posteà apprehendat illud objectum sensibiliter, vel intellectualiter, tunc experitur inclinationem ad tale objectum quam priùs habuit, & tamen omnem habitum quem habuit, tempore inclinationis, priùs habebat. Patet igitur quòd ad producendum talem inclinationem, seu actum, requirebatur aliquid ab habitu, scilicet apprehensio objecti. Et ita cum hoc stat quòd habitus inclinat naturaliter; partialiter tamen ad tales actus. Et patet solutio illius secundi dubii. Et hæc sufficiant de habitu Fidei acquisitæ, & ejus actu.

* Locus corruptus.

§. 3.

De objecto Fidei.

POst prædicta, restat videre de objecto Fidei: & quia objectum Fidei Catholicæ non est aliud quàm Catholica veritas; ideò ad declarandum quæ veritates sint Catholicæ, & quæ non Catholicæ, & quæ etiam hæreticæ, & quæ non hæreticæ: ad declarandum etiam aliqua incidentia circa istam materiam, movebo quatuordecim dubia brevissima. Priùs tamen est notandum quòd accipiendo Fidem pro objecto; Fides Catholica potest capi quadrupliciter. Uno modo, pro qualibet veritate Catholica. Alio modo, pro omnibus veritatibus per Ecclesiam explicitè approbatis. Tertio modo, pro omnibus veritatibus Catholicis, sive sint explicitè approbatæ, sive non. Quarto modo, magis largè, pro omnibus talibus veritatibus, ac etiam quibusdam aliis præceptivis, prohibitis, vel conciliativis rationibus in sacra Scriptura contentis. Cujusmodi est ista. *Dilige Dominum* &c.

Ad videndum igitur quæ veritates sunt Catholicæ, & quæ non: primum dubium est. Quid est veritas Catholica.

Secundum dubium. Quid est credere implicitè, & quid explicitè.

Tertium. Quot sunt genera credendorum.

Quartum. De approbatione Opusculorum Sanctorum.

Quintum. Quid est hæresis.

Sextum. An per determinationem Concilii, propositio priùs non hæretica, fiat hæretica; & non Catholica, fiat Catholica.

Septimum. Quot sunt genera errorum, vel hæresum.

Octavum. An omnis hæresis sit damnata.

Nonum. Quot sunt genera hæresium explicitè damnatarum.

Decimum. Quid est Catholicus.

Undecimum. Quid est hæreticus, & quot modis sumitur hæreticus.

Duodecimum. Quid est pertinax, seu pertinaciter adhærere.

Decimum tertium. Qualiter est intelligendum quòd, *Dubius in fide, est infidelis.*

Decimum quartum, & ultimum. Quæ est potissima ratio ad concludendum quòd quis tenetur scire explicitè istum Articulum, vel illum, demonstrato aliquo Fidei Articulo.

Istis dubiis solutis, satis apparebit quid est sentiendum de ista materia, scilicet de objecto Fidei.

Istam autem materiam per talia dubia proposui tractare, ad majorem declarationem ejusdem. Soluto tantùm uno ipsorum, cuilibet advertenti faciliter posset occurrere aliud.

Quantùm ad primum dubium; est videndum quid est veritas Catholica. Unde, pro nunc, veritas Catholica sic describitur. *Catholica veritas, est veritas quam quilibet viator, utens ratione, cui Lex Christi fuit sufficienter dogmatisata, de necessitate salutis explicitè, vel implicitè, tenetur credere.* In hac descriptione ponitur *viator*, eò quòd Sancti multas veritates Theologicas sciunt intuitivè, & ideò non tenentur tales credere, quia actus credendi non stat cum actu visionis, respectu ejusdem, *Utens ratione*, idest, habens usum rationis, ponitur propter parvulos qui nihil credere tenentur, ac etiam propter furiosos, & dementes, qui nihil tenentur credere, stante tali furia, aut dementia. *Cui Lex Christi fuit* &c. ponitur propter illos qui statim postquam fuerint baptisati, nutriti fuerunt extra omnem societatem Christianorum & fidelium, & in Fide nunquam fuerunt instructi, si qui

qui sunt tales. *Explicitè, vel implicitè* ponitur; quia nullus viator tenetur scire omnes veritates Catholicas explicitè; nullus enim tenetur scire totam Bibliam: omnes autem veritates Bibliæ sunt Catholicæ. Ergo nullus tenetur scire explicitè omnes veritates Catholicas, & ideò ponitur, *explicitè vel implicitè. Ex necessitate salutis tenetur credere*, ponitur: ad differentiam aliarum veritatum non Catholicarum, ut sunt veritates Philosophicæ & Geometricæ: istas enim non tenetur scire aut credere aliquis viator, de necessitate salutis.

Nunc restat secundum dubium, scilicet quid est credere implicitè, & quid credere explicitè, & quia istud ponitur in prædicta descriptione, & ideò isto ignoto, ignoraretur tota descriptio.

Ad istud secundum dubium respondetur quòd credere implicitè, est alicui universali, ex qua multa sequuntur, firmiter assentire, & nulli contrario pertinaciter adhærere. Et ideo qui firmiter tenet omnia in sacra Scriptura contenta, ac doctrinam universalis Ecclesiæ esse vera & sana, & nulli contrario pertinaciter adhæret, Fidem integram, & inviolatam tenet implicitè. Nam si quis credit quòd quidquid Ecclesia credit est verum, credit implicitè isti: *Beatus Andreas fuit Apostolus Christi*: quia Ecclesia istam tradit; licèt talis ignorat quòd Ecclesia illud credat. Sicut si quis assentit isti: *Omnis homo credit*, assentit implicitè isti: *Sortes credit*, si sortes sit homo: & ideò assensus illius propositionis, *Omnis homo credit*, est assensus implicitus istarum: *Sortes credit*. * Plurimo credit, & est assensus explicitus illius universalis: & sic assensus explicitus propositionis universalis, est assensus implicitus suarum singularium. Unde assentire explicitè alicui propositioni, est assentire immediatè tali propositioni, sicut si videam Sortem credere, assentio immediatè isti, & explicitè, scilicet, *Sortes credit*: & ita de aliis.

Isto declarato, adhuc potest rationabiliter quæri, quot sunt genera credendorum, & quibus veritatibus quilibet viator tenetur assentire, sive explicitè, sive implicitè? & ideo ad istud dubium tantùm est respondendum.

Pro quo est notandum quòd de isto sunt diversæ opiniones. Dicunt enim quidam quòd illæ veritates sunt Catholicæ, & de necessitate salutis credendæ, quæ in Canone Bibliæ explicitè asseruntur, vel quæ ex solis contentis in ea, consequentiâ necessariâ, & formali possunt inferri, ut hæc: *Christus est unus Deus, & verus homo*, quia ex contentis in sacra Scriptura, necessariò sequitur, licèt sub hac forma immediatè contineatur.

Isti probant istam assertionem, authoritatibus & rationibus.

Primò. Authoritate Salomonis: Proverbiorum xxx. 6. *Ne addas quidquam verbis illius, & arguaris, inveniarisque mendax.*

Secundò. Arguitur authoritate Beati Augustini, in quadam Epistola, ad Jeronimum, dicentis: *Ego solis libris, qui jam Canonici dicuntur, didici hunc honorum deferre, ut eorum nullum scribendo errasse firmiter credam. Si autem aliquid invenio in eis quod veritati videatur contrarium; vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum quod dictum est, vel me non intelligere non ambigo: non ita de aliis libris, aut scripturis.*

Tertiò. Idem in Epistola, ad Vincentium, & allegatur. *Distinctione 9. Cap. Noli, Frater.* Loquens de scripturis posterioribus novo & veteri Testamento, dicit: *Hoc genus litterarum ab authoritate Canonum distinguendum est. Non enim sic leguntur, ut ex eis ita testimonium proferatur, ut contra sentire non liceat.*

Quartò. Veritates quas Augustinus docuit, nullus tenebatur, de necessitate salutis, recipere, ut ipsemet testatur in *prologo Libri 3. De Trinitate*, & recitatur *distinctione*, Et *Cap. Noli meis*. Idem testatur ipse, in Epistola *ad Vincentium Victorem Lib. 2.* Ut habetur *Distinctione nona. Cap. Negare.* Ergo eadem ratione, nec scriptuæ quorumcumque aliorum, qui inter Scriptores Bibliæ non habentur, sunt de necessitate salutis recipiendæ. Consequentia patet: quia Augustinus videtur tantæ authoritatis, sicut quicumque alius, qui inter Scriptores Bibliæ nominatur.

Quintò. Secundùm Beatum Augustinum: *In Scriptura divina quidquid est utile invenitur, & quidquid nocivum damnatur.* Ergo extra sacram Scripturam, A nulla veritas Catholica recipitur.

Sextò. Arguitur authoritate beati Jeronimi, loquentis de Scripturis divinis: *Quod de Scriptura authoritate non habetur, eadem facilitate contemnitur, quâ probatur.* Nullum autem tale, quod scilicet eadem facilitate potest contemni, quâ facilitate probari potest, est judicandum inter veritates Catholicas. Ergo illæ solæ veritates sunt inter Catholicas judicandæ, quæ authoritatem habent ex Scripturis divinis: hoc est quia ex Scripturis divinis necessario possunt inferri.

Alii dicunt quòd pluribus veritatibus quæ nec in sacris litteris habentur, nec ex solis contentis in eis necessariò sequuntur, de necessitate salutis est assentiendum. Pro ista opinione arguitur.

Primò. Authoritate Innocentii tertii, ut habetur *extra. de celeb. Miss. Canone. Cum Marthæ*, ubi ponit in summa; quòd *quamvis forma conficiendi Sacramenti* B *sacræ Eucharistiæ nequaquam reperiatur, secundum se totam, in Scriptura divina, quod tamen illam formam Christus tradiderit, esse firmiter credendum.*

Secundò. Teste Agatho Papa, ut habetur *distinctione 19. Canone. Sic omnes. Omnes Apostolicæ Sanctiones, accipiendæ sunt, tanquam ipsius Petri divina voce formatæ.* Ergo omnes hujusmodi Sanctiones sunt ejusdem authoritatis, cum Scripturis beati Petri, quæ inter Scripturas divinas censentur; & tamen plures sunt tales, quæ in Scripturis divinis minimè sunt insertæ. Ergo aliquibus & pluribus veritatibus est assentiendum, quæ nec ex Scriptura divina, nec ex solis talibus necessariò insequuntur.

Tertiò. Arguitur sic. Nisi sic; sequeretur quòd liceret negare Symbolum fuisse ab Apostolis factum. Sedem Petri de Antiochia fuisse translatam Romam. Romanos Pontifices Beato Petro successisse; quod C tamen est falsum: & consequentia probatur; quia ista in Scriptura divina non habentur, nec ex Scripturis divinis possunt necessario inferri. Ergo &c.

Quartò. Arguitur sic. Non minus Catholici tenentur credere determinationibus Summorum Pontificum, cùm nihil contra Fidem definiunt, quàm astringuntur eorum Statutis obedire, cùm nihil contra voluntatem Dei præcipiunt: & ad secundum tenentur, ut habetur *Distinctione 12. Cap. quod.* & *Capite, præceptis*, & in multis aliis capitulis. Ergo Catholici etiam tenerentur ad primum, & per consequens habetur propositum.

Quintò. Non minùs reverenda debet haberi Apostolorum doctrina, quàm eorum Statuta. Sed eorum Statuta quæ in Scripturis rediguntur, & ea quæ solo verbo servari mandaverunt, sunt servanda; ergo & omnes veritates quæ solo verbo docerentur, & non in scriptis redigerentur, sunt firmiter tenendæ D & credendæ. Plura autem docuerunt quæ in scriptis mi[illegible] habentur. Dum tamen Christus vivebat in car[illegible]ortali, multa docebat Apostolos, & coram eis faciebat, quod etiam Apostoli postea docuerunt & prædicaverunt, quæ in Biblia non habentur. Ergo &c.

Sexto. Non minoris authoritatis sunt scripta Summorum Pontificum, & Sanctorum, quæ pro sanctis dogmatibus conscripserunt, quàm quæcumque Cronicæ & Historiæ quæ extra sacram Scripturam habentur; sed omninò fatuus diceretur, qui omnes Cronicas vel Historias, extra canonem Bibliæ, diceret minimè approbandas. Ergo &c.

Ul-

* Locus corruptus.

Ultimò. Arguitur sic: Ecclesia Universalis non potest errare, ipsa veritate testante, Matthei ultimo 20. *Vobiscum sum, usque ad consummationem sæculi*, quæ & pro Fide Petri rogavit, ne unquam deficeret. Universalis autem Ecclesia multas prædicat veritates, quæ nec in sacris Scripturis habentur, nec ex solis Scripturis sacris possunt inferri necessariò. Ergo &c.

Et sic patet per istas rationes quòd multæ sunt veritates quibus opportet necessariò assentire, hoc est, de necessitate salutis, quæ tamen in sacris Scripturis non continentur, nec ex illis solùm formaliter, & necessariò possunt inferri. Et ista opinio apparet mihi probabilior aliâ. Et ideò, prosequendo istam opinionem, restat videre quot sunt genera credendorum. Pro cujus declaratione est notandum, quòd secundùm istam opinionem quinque ponuntur genera veritatum Catholicarum, quibus opportet Christianos, & Catholicos firmiter assentire.

Primum genus veritatum Catholicarum, est earum quæ in sacra Scriptura, vel ex eis necessario argumento possunt inferri.

Secundum genus, est earum quæ ab Apostolis ad nos, per successivam revelationem, vel Scripturas fidelium pervenerunt, licèt in sacris Scripturis non innumerantur, nec ex eis possunt concludi.

Tertium, est earum quæ in fide dignis Cronicis & Historiis, relationibus fidelium invenimus.

Quartum, est earum quæ ex veritatibus primi generis, vel secundi, tantummodò; vel quæ ejus, vel alterius earum, unà cum veritatibus tertii generis possunt manifestè concludi.

Quintum genus, est earum quas Deus præter veritates revelatas Apostolis, aliis revelavit, ac noviter revelaret, vel inspiraret; quæ revelatio, vel inspiratio ad Universalem Ecclesiam, absque dubitatione pervenit, vel etiam perveniret.

Sed contra ista dicta arguitur sic; probando quòd plura sunt genera credendorum, quàm quinque: quia determinationes, & diffinitiones Summorum Pontificum, ac Concilii Generalis, seu Universalis Ecclesiæ, sunt firmiter credendæ, & inter veritates Catholicas numerandæ; & tamen inter illa quinque genera veritatum Catholicarum non enumerantur. Igitur &c.

Ad istam objectionem respondetur, quòd veritates quas Ecclesia, seu Concilium generale determinant, sub aliquo quinque generum credendorum, continentur. In quo notandum quòd non est in potestate Ecclesiæ, hoc est Concilii Generalis, gerentis vicem Ecclesiæ, quæcumque approbare, vel rereprobare: sed Ecclesia approbando ritè quæcumque approbat, vel approbavit, in aliquo quinque generum Catholicarum veritatum se fundavit. Unde est notandum quòd Papa, Concilium generale, aut etiam Universalis Ecclesia, in damnando, vel ritè definiendo aliquam assertionem, uni vel pluribus de talibus fundamentis debet inniti.

Primum fundamentum, est Scriptura sacra. Isti fundamento innitebantur Concilia generalia principalia, hæreses Arii, Macedonii, Dioscori, & multorum aliorum condemnando.

Secundum fundamentum, est Doctrina Apostolica, in Scripturis Apostolicis non redacta, quæ relatione fidelium succedentium, vel Scripturis fide dignis ad nos pervenit. Isti fundamento innititur Nicolaus Papa, ut habetur in Decretis, *Distinctione* 22. *Canone, Omnes*: definiens hæreticum esse dicere Romanam Ecclesiam non esse Caput omnium Ecclesiarum. Hanc enim Ecclesiam Romanam, esse Caput omnium Ecclesiarum, in sacris Scripturis non invenitur; sed ex illis necessariò potest inferri, & ita docuerunt Apostoli: & hæc doctrina, relatione fidelium sibi invicem succedentium, vel scripturarum Sanctorum primùm ad nos pervenit, & ista pertinet ad secundum genus veritatum Catholicarum.

Tertium fundamentum, est revelatio, vel inspiratio divina. Si tamen aliqua veritas æterna pertinens ad salutem de novo reveletur Ecclesiæ, tanquam Catholica est approbanda: si tamen aliquibus aliqua veritas de novo reveletur, non sufficit nudè asserere quòd eis talis veritas est revelata; sed opportet quòd talem revelationem appositione aperta miraculi confirment. Si verò omnes Christiani, nullo excepto, aliquam veritatem tanquam Catholicam firmiter acciperent, quæ ex Scripturis divinis, nec ex aliqua doctrina Apostolorum posset ostendi, talis veritas inter Catholicas esset numeranda; cùm omnes fideles firmissimè teneant quòd, juxta promissionem Salvatoris, Matthei ultimo, 20. *Vobiscum sum* &c. Ecclesia Universalis nunquam errabit. Constat autem quòd talis concors adhæsio ad aliquod tale credendum, sine miraculo & speciali inspiratione divina non potest contingere. Si autem pauci dissentirent, aut etiam solus dissentiret, talis veritas non esset tanquam Catholica accipienda; quia sicut tempore Christi tota Fides in uno supposito remansit, scilicet in beata Virgine, ita & nunc, in uno solo supposito potest remanere, & verisimiliùs cum ibi essent Apostoli.

Finito isto dubio, adhuc potest rationabiliter dubitari de quibusdam Opusculis quorumdam Sanctorum, ut Augustini, Jeronymi, Ambrosii, & multorum aliorum, an scilicet tales Opusculi, sive Libelli, sint tanquam Catholici accipiendi, & de necessitate salutis credendi.

Pro responsione ad istud dubium pono duas conclusiones.

Prima conclusio. Non eo ipso quòd aliquis Sanctus opinatur aliquid esse credendum, illud est a cunctis fidelibus, tanquam veritati consonum approbandum. Probatur authoritatibus Beati Augustini, quæ habentur, *Distinctione* 9. *Capitulo Noli* & *Cap. Negare*, & in multis aliis Capitulis, quas, causâ brevitatis, non enarro; sed eamdem conclusionem alia ratione probo sic: Sancti, stante sanctitate, possunt errare contra Catholicam veritatem: ergo non eo ipso quòd aliquis Sanctus opinatur aliquid esse credendum, illud est à cunctis fidelibus, tanquam veritati consonum approbandum. Consequentia nota est. Antecedens probatur, de Augustino, qui multa docuit, & scripsit contra Catholicam veritatem, stante sanctitate sua, quæ posteà revocavit. Patet etiam idem antecedens; quia error qui pertinaciam non habet, non obviat sanctitati.

Secunda conclusio: non omnibus sententiis quæ inveniuntur in Sanctorum Opusculis jam per Ecclesiam divulgatis, est firmiter adhærendum. Probatur ista conclusio sic. Sancti in Opusculis jam divulgatis per Ecclesiam, sunt contrarii, in hiis etiam quæ tangunt Fidem; ergo non omnibus sententiis in hujusmodi Opusculis repertis, est firmiter adhærendum. Consequentia nota. Antecedens probatur: quia Augustinus & Jeronymus, circa doctrinam Pauli dicentis, 2. ad Timoth. III. 2. *Oportet Episcopum esse unius uxoris virum*, sententias contrarias protulerunt, ut habetur, *Distinctione* 26. Ideò dicit Glossa in prædicta Distinctione. *Cap. unius. Malè sentit hic Jeronymus, benè Augustinus.* Item, *De consec. Distinctione* 4. *Cap. Quomodò.* Augustinus reprehendit beatum Cyprianum, quia dicebat, non posse esse Baptismum Christi apud hæreticos, & schismaticos. Ergo conclusio vera.

Contra ista arguitur sic: ex istis conclusionibus, & maximè ex secunda conclusione, sequitur quòd nihil remansit authoritatis in Opusculis dictorum Sanctorum: immò omnes suspecti habentur, secundùm illud Augustini, de Scripturis sacris loquentis, *Distinctione* 9. *Capitulo. Si ad Scripturas sacras*, *si ad eas* ad-

admissa fuerint etiam officiosa mendacia, nihil authoritatis remanebit in eis. Cum ergo beatus Hieronymus, & beatus Cyprianus erraverint in hiis quæ Fidem tangunt, sequitur quòd in suis Opusculis nihil authoritatis remansit; & tamen Opuscula istorum, inter Opuscula Sanctorum approbata numerantur, scilicet, *Distinctione* 15.

Ad istud dubium, seu argumentum, respondetur quòd non omnia Opuscula Sanctorum, quoad omnia in eis contenta sunt approbata; quia constat quòd in eis sunt multa veritati contraria: omnes tamen Libri Sanctorum, de quibus in prædicta distinctione, scilicet 15. fit mentio, approbantur quoad omnia quæ nec per actorem nec per alios sunt correcta. Patet ergo quòd non omnes veritates quæ in Opusculis Sanctorum habenrur, sunt tanquam Catholicæ acceptandæ: quia Sancti quædam tradiderunt tanquam Catholica; quædam tanquam necessaria, ad Fidem non pertinentia; quædam verò tanquam solùm probabilia, & non necessaria, nec evidentia, nec determinata. Isti sententiæ concordat Anselmus: *Cur Deus homo.* Libro primo. Et sic patet solutio hujus quarti dubii.

Viso quid est veritas Catholica, adhuc pertinenter ad materiam potest dubitari quid est hæresis, seu falsitas hæretica: & ideò, respondendo ad istud dubium, dicitur quòd hæresis est dogma falsum Fidei orthodoxæ contrarium. Istam descriptionem plures dederunt, & ponunt: ideò aliam non volui dare, maximè quia apparet sufficiens & bona, & quæcumque alia daretur, quæ valeret, conveniret cum ista; quòd enim hæresis sit dogma falsum, testatur Hieronymus, ut habetur, *Decret.* 2. *p. C.* 24. *Quæstione* 3. *Inter hæresim. &c.*

Item, schisma dicitur hæreseos perversum dogma, & contrarium Fidei orthodoxæ. Ponitur ad differentiam falsitatum non hæreticarum, ut sunt falsitates purè Physicæ, aut Geometricæ. Sed contra istam descriptionem arguitur sic: multæ fiunt novæ hæreses, & tamen illæ non incipiunt esse falsa dogmata contraria Fidei orthodoxæ: ergo aliquando fuerunt falsa dogmata Fidei Catholicæ; & tamen non fuerunt hæreses, & per consequens descriptio data non est bona. Consequentia nota: & antecedens probatur; scilicet quòd multæ fiunt novæ hæreses: quia, ut habetur Decret. 2. p. Caus. 24. quæst. 3. Cap. *Notandum. Urbanus Papa Pelagium & Cælestinum novam Legem in sanctam Ecclesiam introducentes excommunicavit.* Et Gratianus, C. 24. quæstione 1. ait, *Omnis hæreticus, aut jam damnatam hæresim sequitur, aut novam confingit.* Ergo cum finguntur novæ hæreses, & per consequens, antecedens priùs assumptum est verum.

Pro salvatione hujus rationis, potest rationabiliter quæri. Utrum omnis assertio debeat reputari hæretica, quæ sacræ Scripturæ quomodolibet adversatur; & omnis veritas reputanda sit Catholica, quæ Scripturæ sacræ consonat, seu quæ ex eadem Scriptura deducitur.

Circa istud dubium diversi diversimodè sentiunt. Dicunt enim quidam quòd multæ sunt assertiones quæ in rei veritate adversantur sacræ Scripturæ, quæ tamen inter hæreses non sunt numerandæ; quia non sunt per Summum Pontificem condemnatæ: sed postquàm per eum fuerint condemnatæ, inter hæreses tunc erunt numerandæ. Eodem modo multæ sunt veritates sacræ Scripturæ consonæ, quæ non sunt inter Catholicas veritates computandæ, donec fuerint per Summum Pontificem determinatæ.

Isti fundant se in duobus. Primò. In Cap. *Alexandri. Extra. de hæreticis* 9. *Christus.* Ubi, ut dicunt, facit novum Articulum, scilicet quòd *Christus est Deus & homo*: & dicunt quòd ante tempus illius Alexandri licebat illud non credere.

Secundò. Isti fundant se in Constitutione Domini Innocentii, *Cum inter nonnullos.* In qua definitur deinceps esse hæreticum dicere, Christum & ejus Apostolos nihil habuisse, nec in speciali, nec in generali: & per consequens, antea illud non fuit hæreticum; & confirmatur ista opinio rationibus. Arguitur primò sic: Multæ fuerunt assertiones, de quibus earum assertores, antequam condemnarentur dictæ assertiones ab Ecclesia, non fuerunt tanquam hæretici condemnandi, sed post condemnationem dictarum assertionum, dicti assertores fuerunt tanquam hæretici condemnati. Ergo tales assertiones, ante condemnationem non fuerunt hæreses; sed post dictam condemnationem, hæreses meritò debuerunt nuncupari. Consequentia patet: quia per assertionem hæresis, qui est hæreticus condemnandus. Antecedens patet de Græcis, qui negantes Spiritum sanctum procedere à Filio, ante damnationem dictæ assertionis non fuerunt hæretici reputati: post verò dictam condemnationem, fuerunt hæretici reputati, ergo antecedens assumptum est verum.

Item assertores opinionis Joachimi, à Concilio Generali damnatæ, post damnationem hæretici judicantur. Ipse tamen ante condemnationem non fuit hæreticus reputatus, ut habetur *Extra. de summa Trinitate, & Fide Catholica.* Capitulo *Damnamus.*

Secundò arguitur sic: nisi sic esset, sicut ista opinio ponit, sequeretur quòd nihil plùs videretur operari Summi Pontificis determinatio, vel approbatio, quàm approbatio alicujus Doctoris per rationes & authoritates aliquid declarantis. Consequens est falsum; & consequentia probatur: quia sicut per determinationem Doctorum assertio non Catholica, non fit Catholica; vel per ejus damnationem non hæretica, non fit hæretica; ita foret quòd per determinationem Summi Pontificis, assertio non Catholica, non fieret Catholica; nec per condemnationem ejus, assertio non hæretica, fieret hæretica, Ergo dicta opinio est vera, & benè posita.

Alii dicunt quòd ea quæ ad Fidem nostram spectant, nequaquam ex voluntate humana dependent: & ideò Summus Pontifex, nec & tota Ecclesia non potest facere de assertione non Catholica, Catholicam, sicut nec potest facere de assertione non vera, veram, nec etiam potest facere de assertione non hæretica, hæreticam.

Probatur sic: ista opinio; Nulla veritas est Catholica, nisi quia est divinitùs revelata, vel in sacris Scripturis inserta, vel per certitudinem Ecclesiæ Universalis innotuit, vel ex aliquo aut aliquibus illorum necessario argumento sequitur; nihil autem prædictorum ex approbatione Summi Pontificis, aut Ecclesiæ Universalis videtur dependere. Ergo &c.

Secundò. Arguitur sic: si aliqua assertio est Catholica, quia est per Summum Pontificem approbata; aut quia est approbata explicitè, vel implicitè; aut quia est approbata explicitè tantùm. Si primum, tunc non potest facere Summus Pontifex, de non Catholica, Catholicam; quia Romani Pontifices totam Fidem nostram approbaverunt. Si dicatur secundum: tunc tales veritates: *Christus mortuos suscitavit. Christus fuit Deus & homo.* & hujusmodi, non essen Catholicæ reputandæ, si essent à Summo Pontifice approbatæ explicitè: quod videtur inconveniens. Ergo habetur propositum.

Tunc est respondendum ad rationes alterius opinionis, quia ista opinio secunda videtur probabilior, & rationes pro ipsa adductæ sunt difficiliores, & veritatem videntur concludere. Et ideò pro responsione aliarum rationum est notandum, primò, quòd Articulus Fidei capitur dupliciter.

Uno modo, pro veritate Catholica, in Symbolo authentico, sub forma propria inserta; & sic non loquimur hîc de Articulo Fidei, cùm dixerimus quòd Papa non posset facere novum Articulum: quia, sic capiendo Articulum Fidei, posset facere novum Ar-

Articulum : quia in Symbolo aliquo authentico posset addi aliqua propositio Catholica, quæ in eodem minimè nunc continetur.

Alio modo, capitur Articulus Fidei pro omni veritate Catholica, & isto modo dicunt quòd Papa non posset facere novum Articulum Fidei. Et ideò ad primam rationem pro alia opinione factam, scilicet ad *Can. Alexandri*. respondetur quòd Alexander non fecit novum Articulum; sed fecit quòd nec asserendo, nec opinando, licet dicere contrarium illius quod ante fuit Catholica veritas; ita quòd dicentes contrarium, excommunicationi subderentur: non enim facit Summus Pontifex aliquam veritatem Catholicam; sed per approbationem suam definit aliquas veritates, approbando eas fuisse Catholicas, & condemnat aliquas assertiones, declarando eas fuisse hæreticas: & ita non facit novum Articulum Fidei; sed noviter definit aliquem Articulum pertinere & pertinuisse ad veritatem Catholicam.

Ex istis patet solutio ad illa duo fundamenta, super quibus primi assertores se fundabant.

Nunc est respondendum ad alias rationes : pro quarum solutione, est primò notandum quòd sicut sæpe est aliquis hæreticus, qui tamen non debet judicari tanquam hæreticus, eo quod est occultus hæreticus : tamen ita sæpè est aliquis hæreticus, quia pertinaciter adhæret hæresi, & tamen non est notum explicitè quòd assertio sua sit, & fuerit hæretica. Ideò antequam explicitè innotuerit Ecclesiæ quòd dicta assertio sit, & fuerit hæretica, non debet tanquam hæreticus judiciari, aut condemnari, & ibi capitur Ecclesia pro Concilio Generali, vel Papa. Postquam autem Ecclesiæ, sic accipiendo Ecclesiam, innotuerit quòd dicta assertio si hæretica : si pertinax inveniatur; debet tanquam hæreticus condemnari.

Ex istis patet solutio de Græcis, & Joachim. Nam quia non innotuerat Ecclesiæ quod assertiones ipsorum essent hæreticæ; condemnari tanquam hæretici non debuerunt: sed postquam illud innotuit Ecclesiæ, pertinaces in eisdem operibus debuerunt tanquam hæretici condemnari.

Ad aliam rationem quâ infertur quòd nihil plùs videtur operari determinatio Summi Pontificis, quàm aliorum Doctorum &c. respondetur quòd consequentia non valet. Nam licèt ad Summum Pontificem pertineat authenticè definere quæ assertio est Catholica, & quæ est hæretica; non tamen potest facere de non Catholica Catholicam, aut non hæritica hæreticam: non obstante hoc tamen plùs operatur definitio, aut determinatio Summi Pontificis, quàm determinatio alicujus Doctoris; quia post determinationem Doctoris licet oppositum definiti, seu determinati opinari, & publicè opinando tenere; hoc autem non licèt post determinationem Summi Pontificis. Similiter post determinationem Summi Pontificis licet cuilibet Episcopo & Inquisitori pravitatis hæreticæ contra tenentes oppositum determinationis procedere, juxta canonicas Sanctiones, nisi tales offerrent se ad probandum Summum Pontificem errorem definisse : in quo casu esset ad Concilium generale recurrendum. Non sic autem post determinationem alicujus alterius Doctoris. Et sic patet quòd determinatio Summi Pontificis plùs operatur, quàm determinatio cujuscumque alterius Doctoris: & sic solvitur illa ratio secunda. Et hæc sufficiant de isto sexto dubio.

Nunc Septimò, dubitatur quot sunt genera hæresium, vel errorum.

Ad quod respondetur quòd sicut de veritatibus Catholicis diversi contrariè opiniantur, quibusdam dicentibus quòd illæ solæ veritates sunt Catholicæ, quæ explicitè, vel implicitè in Libris divinis habentur; aliis dicentibus quòd præter illas, multæ aliæ veritates inter canonicas sunt numerandæ: ita juxta istas assertiones, diversi diversimodè opinantur de hæresibus.

Quidam dicunt istas propositiones esse hæreticas, & non alias, quæ scilicet sacris Scripturis repugnant; & de talibus ponunt tres species : quia quædam veritatibus, sub forma propria in sacra Scriptura repertis, non solùm quomodolibet adversantur; sed etiam in eisdem terminis contradicunt; ut ista: *Verbum non Caro factum est.*

Aliæ sunt hæreses quæ patenter omni intelligenti & illustrato, hiis quæ in divinis Libris habentur repugnant : ut, *Christus non fuit natus pro salute nostra.*

A

Aliæ sunt hæreses quæ non omnibus, sed solùm sapientibus, eruditis in Scripturis divinis, per subtilem considerationem, sacris Litteris inveniuntur adversari: ut, *Christus non est aliquid*, sed quod homo istos tres modos * possum prædici assertores.

Alii juxta quinque genera veritatum Catholicarum ponunt quinque species hæresum, vel errorum.

Prima species hæresum, vel errorum, est eorum qui solùm contentis in sacra Scriptura repugnant; & ista species plures modos continet, ut patet ex immediatè dictis. Isti errores propriè hæreses debent nuncupari.

Secunda species erroris, est eorum qui doctrinæ Apostolicæ, aut Scripturis quoquo modo repugnant: & ista species etiam potest dividi in plures modos, ut prima species.

B

Tertia species erroris, est eorum qui revelatis, vel inspiratis Ecclesiæ, post Apostolos quomodolibet obviarent.

Quarta species erroris, est eorum qui chronicis, vel gestis, vel historiis Apostolicis contrariantur.

Quinta species, est eorum qui Scripturæ divinæ, vel doctrinæ Apostolicæ extra suas Scripturas habitæ, vel inspiratis, aut revelatis Ecclesiæ, cum aliis veris quæ negari rationabiliter non possunt, incompossibiles demonstrantur : licèt ex forma propositionum talibus veritatibus nequaquam appareant incompossibiles. Hujusmodi est ista : Fides Augustini non fuit vera; & licèt tales propriè, & strictè non sint hæreses : sapiunt tamen manifestam hæresim, hoc est, ex ipsis & quibusdam veris sequitur apertè hæresis manifesta. Et sic patet quòd secundùm quod sunt quinque genera veritatum Catholicarum, ita proportionaliter sunt quinque genera errorum, seu hæresum. Et hæc sufficiant pro isto dubio.

C

Post prædicta verò potest dubitari an omnis hæresis sit damnata.

Ad istud dubium respondetur, quòd sic : probatur per Concilium generale, sub Innocentio tertio celebratum, de quo habetur, *Extra. de hæreticis.* Cap. *Excommunicamus.* Ait enim : *Excommunicamus, & anathematisamus omnem hæresim extollentem se adversùs hanc sanctam Catholicam, & Orthodoxam Fidem.* Igitur sequitur quòd omnis hæresis est condemnata; ita & omnis canonica veritas est approbata.

Si verò dicatur quòd in illo Capitulo *Excommunicamus*, solùm damnatur hæresis extollens se adversùs Fidem quam Concilium generale exposuit. *Extra. De summa Trinitate, & Fide Canonica.* Cap. *Firmiter.* Ad illud dicitur quòd ex isto sequitur propositum, arguendo sic. Tota Fides Catholica in dicto Capitulo *Firmiter* approbatur. Ergo omnis hæresis in Capitulo *Excommunicamus* damnatur, & excommunicatur. Consequentia nota; & antecedens patet; quia dicit † cum illud *Firmiter* expressè approbando ** hæc sancta Trinitas &c. per Moysem & sanctos Prophetas, aliosque famulos suos, juxta ordinatissimam dispositionem temporum humano generi doctrinam tribuit salutarem; ergo doctrina quam per famulos suos aut per se ipsum tribuit nunc fidelibus est doctrina salutaris.

D

† *Forte* Cap.

* Locus corruptus. ** Locus corruptus.

Ex

Ex quo sequitur quòd in dicto Capitulo tota Fides Catholica approbatur.

Item glossa 24. quæst. 3. 1. *Omnis hæreticus est excommunicatus, quantumcunque sit occultus.* Ergo sequitur quòd omnis hæresis etiam est damnata, quia pro assertione non damnata, non dicitur quis damnari, seu excommunicari: quia tantùm litterati videntur quandoque distinguere inter hæresim damnatam, & hæresim non damnatam. Unde Gratianus, ut jam priùs allegabatur, eamdem distinctionem videtur approbare. Ait enim: *Omnis hæreticus, aut hæresim jam damnatam sequitur, aut novam fingit.* Ideò est notandum, pro intellectu Gratiani, & aliorum talem distinctionem approbantium, quòd quædam hæreses sunt damnatæ explicitè, & quædam sunt damnatæ implicitè tantùm. Gratianus autem, & alii ponentes dictam distinctionem, loquuntur de hæresibus damnatis explicitè. Dicit enim Gratianus quòd *Omnis hæreticus, aut hæresim jam damnatam explicitè sequitur, aut novam fingit*, id est, asserit aliquam hæresim non damnatam explicitè. Cum hoc tamen stat quòd talis hæresis implicitè sit damnata.

Tunc oritur dubium nonum: quot sunt genera hæresum explicitè damnatarum. Ad quod respondetur quòd quatuor sunt genera hæresum sic explicitè damnatarum.

Primum genus, est earum, quæ damnatione speciali sub propria forma damnantur. Sic damnatur hæresis Arii, Macedonii, & multorum aliorum: sicut patet ex distinctione 15. cap. *Canones*, & cap. *sicut Sanctis*. & cap. *Sancta Romana*.

Secundum, est earum quarum contrariæ sub forma propria à cunctis fidelibus usum rationis habentibus, asseruntur, & approbantur. Ut ista: *Deus non est factor omnium visibilium & invisibilium.*

Tertium, est earum quarum contradictoriæ in aliquo Volumine, vel Libro, aut Tractatu specialiter approbato, tanquam canonico, sub forma propria approbantur, seu continentur: & ideò omnes hæreses, quarum contradictoriæ in Canone Bibliæ confirmato sub propria forma continentur, hæreses damnatæ explicitè sunt censendæ.

Quartum genus hæresum explicitè damnatarum, est earum ex quibus patenter etiam omnibus laïcis usum habentibus rationis, sequitur aliqua hæresis, sub aliquo trium modorum priorum comprehensa.

Ista sunt genera quatuor hæresum explicitè damnatarum.

Tunc quæritur quæ sunt hæreses damnatæ implicitè: tum ad quid dicitur quòd illæ hæreses, quæ sub nullo prædictorum modorum continentur, de quibus solùm viris in sacris Litteris eruditis per subtilem considerationem apparet * quomodò canonicæ repugnant veritati, aut contentis in sacris Scripturis, vel doctrinæ universalis Ecclesiæ adversantur, & quòd ex eis sequatur aliqua hæresis aliquorum generum prædictorum. Talis fuit hæresis Græcorum, dubitantium Spiritum sanctum procedere à Filio, antequam damnaretur explicitè.

Ex prædictis patet quid est veritas Catholica, quid etiam est hæresis, quot sunt genera hæresum. Nihil tamen adhuc est dictum, quid est hæreticus, aut etiam quid est Catholicus; & ideò de istis est videndum.

Dubitatur igitur, primò, quid est Catholicus. Pro declaratione hujus dubii est notandum quòd hoc nomen, *Catholicus*, potest sumi tripliciter.

Uno modo, sumitur *Catholicus*, pro omni ritè baptisato, qui nulli contrario Legi Christi pertinaciter adhæret: & in ista descriptione tàm adulti credentes Legi Christi, quàm & parvuli baptisati, non plùs adhærentes Legi Dei & Christi, quàm Sectæ Mahometi, comprehenduntur.

Alio modo, sumitur Catholicus pro omni adulto usum rationis habente, Catholicam Fidem integram, & inviolatam servante, seu tenente. Servare autem Catholicam Fidem integram contingit, omnia quæ ad Fidem pertinent orthodoxam explicitè vel implicitè, absque dubitatione credendo.

Quid autem est credere implicitè, priùs fuit declaratum. Nam, sicut priùs dictum est, qui tenet omnia in sacra Scriptura contenta, ac doctrinam universalis Ecclesiæ esse veram & sanam, & nulli contrariæ veritati Catholicæ pertinaciter adhæret; Catholicam Fidem integram & inviolatam tenet, & secundùm istum modum, est censendus Catholicus.

Isto modo sumendo Chatholicum, quis diceretur Catholicus, si Fidem Catholicam dicto modo servaret, etiam convictus ratione; ita quòd præcisè adhæreret Legi Christi, propter rationem quam forsan crederet demonstrativam, aut saltem incunctabiliter concludentem.

Tertio modo sumitur Catholicus, pro illo qui dicto modo servat Catholicam Fidem, non propter rationem, sed credit Legi Christi absque ratione ipsum convincente, scilicet ex habitibus acquisitis, mediante habitu supernaturali; quia, sicut priùs dictum est, proprius actus Fidei Catholicæ, est actus causatus ab habitibus, infuso & acquisito: quia habitus infusus non potest causare aliquem actum, sine habitu acquisito, secundùm quod priùs dicebatur. Ideò etiam propriè Catholicus est, qui habet tales actus, qui propriè sunt Fides. Et ideò qui ex habitu acquisito, cum habitu infuso assentit huic, *Lex Christi est vera*, aut alicui æquivalenti, & nulli contrario Legi Christi pertinaciter adhæret: talis propriè vocandus est Catholicus.

Ex ista distinctione satis patet quid est Catholicus, & quot modis sumitur hoc nomen *Catholicus*.

Nunc restat videre quid est hæreticus & an hoc nomen, *hæreticus*, habeat unam significationem tantùm, aut plures.

Ad istud dubium respondetur quòd nomen hæretici plures habet significationes. Uno modo, capitur hæreticus pro excommunicato, ut notat Nicolaus Papa. cap. 4. *quæst.* 1. *Ca. Quod autem.* Et eodem capitulo idem notat glossa.

Secundo modo, hæreticus dicitur perversor sacrarum rerum; & symoniacus dicitur hæreticus * unum glossa ut. 1. quæst. 1. *quisquis*: ait quisquis per pecuniam ordinatur, ad hoc quod fiat hæreticus promovetur. **

Tertio modo sumitur hæreticus magis propriè, pro illo qui Fidem Catholicam putat esse falsam vel fictam: & Judæi, Sarraceni sunt hæretici; sic etiam dubii in Fide sunt hæretici, quia sunt infideles: ut habetur, *extra. De hæreticis. Cap.* 1.

Quarto modo, hæreticus dicitur, qui putat, aut putavit se esse Christianum, & tamen errat pertinaciter contra Catholicam veritatem. Quia putat, vel putavit &c. ponitur, propter illos qui extra formam Ecclesiæ baptisantur, qui non sunt Christiani, licèt putant, vel putaverunt se esse Christianos, & tamen si pertinaciter errant contra Catholicam veritatem, aliter sunt puniendi quàm Sarraceni, & ideò non aliter dicuntur hæretici hii, & illi.

Quinto modo, sumitur hæreticus pro omni qui pertinaciter adhæret alicui errori hæresim sapienti, seu qui sapit hæreticam pravitatem. Et iste modus est communis tertio & quarto modo; quia sic capiendo, tàm Sarracenus, sive Judæus, quàm verè baptisatus errans pertinaciter contra Fidem, dicitur hæreticus. Et etiam potest rationabiliter quæri descriptio hujus nominis, *hæreticus*, in significatione in qua sæpius capitur, scilicet pro illo qui si fuerit de hæresi convictus, & non correxerit se, secundùm formam Ecclesiæ tradendus est Curiæ sæculari.

Ad quod dicitur quòd sic accipiendo, *hæreticum*, hæreticus describitur sic: hæreticus est præcisè bapti-

* Locus corruptus.

* Locus corruptus. ** Locus corruptus.

tisatus, vel gerens se pro baptisato, pertinaciter dubitans, vel errans contra Chatholicam Fidem. Per primam particulam excluduntur Judæi, & Sarraceni, excluduntur etiam jocosè, & extra formam Ecclesiæ baptisati. Per secundam particulam comprehenduntur illi qui putant, vel fingunt se esse baptisatos, & inter Christianos conversantur. Per tertiam particulam excluduntur illi qui ex simplicitate, vel ignorantia, sine pertinacia, errant contra Fidem, vel dubitant. Tales tantùm non sunt hæretici, neque tanquam hæretici puniendi. Et patet de isto dubio quid est dicendum, quia in descriptione hæretici, veritate data, ponitur ista particula, pertinaciter dubitans, vel errans contra Fidem Catholicam, quæ particula non omnibus forsan est clara.

A

Ideò ad declarationem majorem dictæ descriptionis, dubitari potest & quæri; quid est pertinax, seu pertinaciter alicui adhærere, seu pertinaciter de aliquo dubitare.

Ad quod dubium respondetur, quòd pertinax, est qui persistit in eo quod debet dimittere. Quòd hæc descriptio sit bona, confirmatur sic. Perseverantia, & pertinacia opponuntur. Et perseverans, est qui persistit in eo quod non debet dimitere. Ergo pertinax, est qui persistit in eo quod debet dimittere. Consequentia patet: quia contraria contrariis descriptionibus definiri, seu describi debent.

B

Secundò. Confirmatur dicta descriptio per Isydorum dicentem: *Pertinax dicitur, quia impudenter tenax.* Impudenter autem tenax est, qui tenet quòd dimittere debet. Ista autem descriptio competit omni pertinaci, tàm in Fide, quàm extra Fidem. Et ideò dicta descriptio potest aliter appropriari erranti, vel dubitanti pertinaciter in Fide. Unde pertinaciter dubitans contra Fidem, est qui persistit in dubitatione, circa ea quæ sunt Fidei, quam de necessitate salutis debet dimittere: & proportionaliter, pertinaciter errans contra Fidem, est qui persistit in errore, circa ea quæ sunt Fidei, quem de necessitate salutis debet dimittere. Unde generaliter pertinax potest sic describi. Pertinax in Fide, est qui persistit in errore, aut dubitatione, circa aliquam veritatem Catholicam, quem errorem, vel dubitationem, de necessitate salutis tenetur dimittere.

C

Contra istam descriptionem instatur sic: si ista descriptio foret bona, sequeretur quòd omnis errans sit pertinax. Consequens est falsum; quia errans qui paratus est corrigi, non est pertinax. Consequentia probatur; quia omnis errans aliquandiù persistit in errore, & omnis errans errorem tenetur dimittere. Igitur omnis errans persistit in eo quod debet dimittere, &, per consequens, omnis errans est pertinax: quod fuit probandum.

Ad istam instantiam respondetur; & primò negatur ipsa consequentia quâ infertur quòd omnis errans sit pertinax, & ad probationem dictæ consequentiæ, quando dicitur quòd omnis errans aliquandiù persistit in errore; conceditur: & negatur quòd omnis errans, errorem suum, de necessitate salutis, debeat dimittere. Et si quæratur quando igitur tenetur errans errorem suum dimittere: respondetur quòd errans quantumcunque errat contra Fidem, non est censendus pertinax, nec hæreticus, si semper paratus sit corrigi, & errorem suum dimittere, quando scilicet legitimè fuerit correctus. Pro quo notandum quid est legitima correctio. Unde illa sola correctio est sufficiens & legitima, quâ apertè erranti ostenditur quòd assentio sua Catholicæ obviat veritati, ita quod judicio intelligentium non possit negare, quando sibi fuerit sufficienter & apertè ostensum, quòd assentio sua obviat veritati. Verbi gratiâ: si quis diceret, ex ignorantia, duas personas fuisse in Christo, & sibi per textum Synodi Ephesinæ ostenderetur quòd hæc est hæresis Nestorii per eamdem Synodum damnata, non posset negare, quin esset apertè sibi ostensum quòd assentio sua veritati Catholicæ adversatur, & talis correctio est sufficiens. Quare licèt dicat quòd non fuerit sibi apertè ostensum quòd assentio sua Catholicæ obviat veritati; si illud fuerit sufficienter sibi ostensum: stare cogitur judicio peritorum; qui si reputaverunt sufficienter esse probatum quòd assentio talis obviat Fidei orthodoxæ: statim tenetur assentionem talem revocare.

D

Ex istis dictis sequuntur aliqua Corollaria.

Primum Corollarium.

NON ad solam monitionem Episcopi, aut alterius specialis Prælati tenetur quis, de salutis necessitate, errorem suum statim revocare. Ita quòd corollarium vult dicere quòd quis, de necessitate salutis, non tenetur deponere errorem suum, ad solam monitionem sui Prælati, nisi patenter fuerit ostensum sibi per eumdem, quòd error suus obviat Catholicæ veritati.

Istud corollarium probatur sic. Doctores & tractatores Sacræ Scripturæ, præferuntur Prælatis & Jurisdictionem habentibus, in expositione ejusdem, & per consequens, præferuntur illis in traditione illorum quæ ad Fidem pertinent Orthodoxam. Igitur non tenentur opiniones suas revocare, licèt fuerint erroneæ, ad solam monitionem Prælatorum suorum, nisi fuerit ostensum &c. Consequentia patet; quia qui majoris authoritatis est in aliquo, in hoc nequaquam minori subjicitur. Antecedens probatur per rationem contrariam quam ponit sub istis verbis. Quò quisque majori ratione nititur, eò majoris authoritatis est: Doctores autem sacræ Scripturæ, ratione majori utuntur in expositione ejusdem. Igitur in hoc majoris sunt authoritatis aliis Prælatis, & Jurisdictionem habentibus. Si igitur ratione periti, non tenentur revocare opiniones suas, etiam erroneas, ad solam monitionem Prælati, nisi &c. Eadem ratione, nec simplices peritorum sequaces, tenentur opiniones quas à peritioribus acceperunt, revocare, nisi &c.

Secundò. Arguitur sic. Qui in eis quæ sunt Fidei non tenetur alteri fidem indubiam exhibere; non tenetur ad solam ejus monitionem, opinionem erroneam revocare; quia scilicet, qui assertionem erroneam revocat, debet assertioni contrariæ firmiter adhærere. Subditi autem in hiis quæ sunt Fidei non tenentur Prælatis suis fidem indubiam exhibere: igitur &c. Minor probatur: quia aliter Fides subditorum in sapientia hominum consisteret, tùm etiam, quia tàm ex simplicitate, quàm pertinacia, Prælati possunt errare.

Tertiò. Arguitur per Beatum Petrum qui, in Canonica sua prima. 3. Cap. 15. scribens singulariter Prælatis, ait: *Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est*, Fide. Si igitur tenentur reddere rationem de Fide, omni poscenti: sequitur quòd subditi non tenentur opiniones suas revocare, nisi &c.

Secundum Corollarium.

NON ad solam monitionem Papæ quilibet tenetur suum errorem revocare. Patet, quia Papa tenetur de Fide rationem reddere, sicut cæteri Prælati, quia sicut narrat glossa, *extra. de rescriptis.* Cap. *si quando* De omnibus debet reddi ratio, si potest: tùm quia in causa Fidei à Papa licet appellare; tùm quia Fides nostra non consistit in sapientia Papæ. Patet igitur Corollarium.

Ter-

Tertium Corollarium.

OMNIS correptus à suo socio, vel quocumque alio, legitimè, errorem suum statim tenetur dimittere. Probatur sic: Fides nostra non consistit in sapientia hominum. Si igitur quis tenetur dimittere errorem suum, dùm sibi ostenditur à Prælato suo quòd assertio sua obviat Fidei orthodoxæ, sequitur quòd à quocumque hoc sibi ostendatur, eamdem assertionem tenetur dimittere.

Quartum Corollarium.

QUi per se ipsum invenerit errorem suum Catholicæ veritati obviare, absque alia monitione, talem errorem tenetur dimittere. Probatur per eamdem rationem, per quam probatum fuit tertium corollarium. Probatur etiam exemplo Anselmi: *Cur Deus homo. Cap.* 8. dicentis *Certus sum quòd si quid dixero, quod Scriptura sacra contradicat, quòd falsum est, nec illud tenere volo, si cognovero.* Igitur corollarium verum. Patet etiam ex istis quia non est differentia inter correptum à Prælato, & correptum à non Prælato, quantùm ad hoc quòd error dimittatur, quia uterque tenetur errorem dimittere, si fuerit benè correptus. Sed quantùm ad multa alia, est differentia, quòd Prælatus potest errantem citare, ut audiat suam informationem, eum ad publi- B cam revocationem compellere, & si pertinax fuerit, eum punire, quod tamen non potest non Prælatus.

Adhuc circa istam materiam est breve dubium, quomodò potest quis de pertinacia convinci.

Pro cujus declaratione est notandum quòd duplex est pertinacia; quædam mentalis seu interior, alia exterior mentalis: quando scilicet quis pertinaciter adhæret hæreticæ pravitati, aut dubitat pertinaciter de Catholica veritate. Unde tripliciter potest quis errare pertinaciter in mente. Primò, si quis, non obstantibus miraculis quæ audivit fuisse facta pro Fide firmanda, putat Fidem esse falsam, vel incertam. Secundò, si in generali credit totam Fidem esse veram: alicui tamen errori in speciali, quem nescit explicitè ad Fidem pertinere, adhæret tam fortiter, quòd quantumcumque sibi ostenderetur ad Fidem pertinere errorem illum, nullo modo dimitteret; sed ante putaret Fidem esse falsam. C Sicut in Veteri Testamento, quando nullus tenebatur tenere Trinitatem personarum, cum unitate essentiæ, aliquis tenens doctrinam Moysi, & Prophetarum, priùs tenuisset doctrinam illam esse falsam, quàm tenuisset unitatem personarum, cum unitate essentiæ.

Tertiò. Si alicui errori quis inhæret, & negligit quomodò, & quando debet quærere veritatem; talis enim non est paratus corrigi, sed persistit in errore quem debet de necessitate salutis dimittere, nec est inconveniens quòd aliqua negligentia sit pertinacia reputanda.

Quartò. Notandum quòd nullus potest convinci de pertinacia mentali, sive interiori; nisi per pertinaciam exteriorem quæ in facto, scripto, vel voce consistit. Plures autem sunt modi pertinaciæ exterioris, quorum aliquos ego hìc declarabo brevi- D ter, illos scilicet, ex quibus evidentiùs, & clariùs arguitur pertinacia: Alios verò minùs claros, causâ brevitatis dimittam.

Primus modus pertinaciæ exterioris, est cùm facto, verbo, vel scripto quis monstrat se non firmiter credere Fidem Christianam esse veram: ut, si quis dicat Fidem Christianam esse falsam, vel dubiam; vel si quis ad aliam Sectam se convertat, utpotè si se faciat circumcidi, vel Mahometum adoret: talis si convictus fuerit, vel confessus in Judicio quòd aliquod tale fecerit, vel dixerit, tanquam pertinax est judicandus, & tanquam hæreticus condemnandus, nec potest talis excusari, nisi in duobus casibus.

Primus, pro morte vitanda, & tunc licèt non sit reputandus hæreticus, tamen mortaliter peccat. Secundus casus est, si, absoluta coactione sit coactus talem actum habitualem committere; in quo casu à peccato excusatur. Aliter autem non potest excusari, nisi dicatur quòd per illata tormenta, vel metum illorum, talis possit excusari.

Secundus modus pertinaciæ est, si quis dicat ali- A quam partem Novi, vel Veteris Testamenti aliquod falsum asserere, aut non esse recipiendam à Catholicis; talis enim esset pertinax, & hæreticus judicandus, ut fuerunt Manichæi. Si tamen aliquis illuminatus laïcus diceret de aliquo Libro, de quo aliàs nunquam audiverat mentionem, ut puta, de Libro Josuë, quòd talis Liber ad Vetus Testamentum non pertinet, aut quòd talis Liber aliquid falsum asserit, non propter hoc esset pertinax & hæreticus judicandus, sed esset examinandus & informandus. Si verò post informationem se non corrigeret, tunc esset hæreticus censendus.

Si autem aliquis litteratus sciens Libros quos Ecclesia approbat, & reputat esse de integritate Veteris, & Novi Testamenti, diceret Librum Josuë ad Vetus Testamentum minimè pertinere, hæreticus & pertinax esset statim reputandus, nec esset expectandus ut se corrigeret.

Tertius modus pertinaciæ est, si quis Christianus capax rationis, & intelligens, neget quamcumque assertionem Catholicam, quæ apud omnes Catholicos, & fideles cum quibus conversatur, divulgatur, & approbantibus publicè verbum Dei prædicatur; ut ista: *Christus fuit crucifixus*, qui enim istam negaret, esset statim pertinax judicandus. Patet: quia talis non potest per simplicitatem excusari, cùm ponatur quòd talis sit capax rationis, & intelligens. Per ignorantiam etiam non potest excusari; quia ignorantia Juris naturalis apud omnes divulgati, non excusat, secundùm quod habetur in Decretis 1. q. 4. c. *Nunc ergo.*

Notandum igitur, à fortiori, nec ignorantia Juris divini apud omnes divulgati excusat: si tamen in rei veritate talis ignoraret talem assertionem sic divulgatam, apud Dominum excusaretur; apud Ecclesiam etiam excusaretur, si posset probare se ignorasse talem assertionem ab eo negatam, apud omnes Catholicos & fideles tanquam Catholicam divulgatam.

Quartus modus pertinaciæ exterioris, est cùm quis correctus, minimè se non corrigit, hæresim suam non revocando: aut cùm quis sic correctus, emendationi, & correctioni illius, vel illorum, cujus, vel quorum interest, subjicere se recusat.

Probatur iste modus & arguitur per Pelagium, qui, ut habetur c. XI. q. I. Cap. *Christianis.* Ait: *Qui judicium refugit apparet eum de justitia diffisum.* Igitur &c.

Quintus modus pertinaciæ exterioris, est cùm quis ad suum errorem deffendendum, post legitimam correctionem præceptis, comminationibus, præmiis, promissionibus juratis, vel alio quovis modo, alios coarctare molitur. Patet per Isydorum, qui, ut habetur c. XI. quæst. 3. Cap. *Qui consentit peccantibus.* Ait: *Si qui alterius errori consentit, sciat se cum illo simili modo, culpabilem judicandum.* Item, arguitur per Alexandrum tertium qui, ut habetur *extra. De Sententia excommunicationis.* Cap. *His verò.* Ait: *Cum aliquis verè communicat cujus authoritate vel mandato delictum committitur.* Ergo ille judicandus est pertinaciter errorem deffendere, qui per alium, errorem, seu hæresim pertinaciter deffendit.

Sextus modus pertinaciæ, est cùm quis cogit aliquem, vel aliquos, aliquam veritatem Catholicam abju-

abjurare, aut pœnis, vel præceptis, aut alio modo Catholicam negare veritatem. Patet: quia qui cogit aliquem veritatem aliquam Catholicam abjurare, cogit eumdem hæresi contrariæ irrevocabiliter adhærere. Talis autem, ut dictum est immediatè priùs, est censendus hæreticus & pertinax. Igitur &c.

Septimus modus pertinaciæ, est cùm quis abjurat aliquam veritatem Catholicam, vel jurat se servaturum aliquam assertionem, quæ in rei veritate est hæretica, tanquam Catholicam, in perpetuum. Vel etiam cum quis verbis, vel factis protestatur talem assertionem hæreticam minimè revocare. Patet: quia talis non est paratus corrigi, cum firmet se in proposito negandi assertionem, quia est Catholica; vel tenet assertionem quæ est hæretica.

Octavus modus pertinaciæ, est cùm quis errans, de veritate damnata renuit informari; maximè in casu in quo dicta assertio à peritis reprehenditur, & de cujus dogmatisatione scandalisantur fideles. Patet: quia qui nec est, nec vult esse discipulus veritatis; ille tanquam pertinax est judicandus. Talis autem renuens informari, non vult esse discipulus veritatis, quia non vult audire veritatem. Ergo talis est pertinax judicandus.

Nonus modus pertinaciæ, est cùm quis in favorem hæreticæ pravitatis prohibet legi Scripturas Catholicas; vel prohibet prædicari, aut publicari Catholicas veritates. Talis enim est defensor hæreticæ pravitatis, & oppressor Catholicæ veritatis.

Decimus modus pertinaciæ exterioris, est cùm quis in defensionem hæreticæ prævitatis novos errores fingit. Talis enim non est paratus corrigi. Igitur pertinax est judicandus.

Plures alii modi possent poni: sed quia isti sunt clariores, & patentes, & multi alii coinciderent in istis: ideo isti pro nunc sufficiant.

Ex quibus omnibus patet quòd benè respondendum sit ad duodecimum dubium.

Adhuc contra prædictum objicitur sic. Omnis infidelis est pertinax; sed omnis dubitans de aliqua veritate Catholica, etiam si paratus sit corrigi, est infidelis; igitur omnis talis est pertinax, etiam si paratus est corrigi, quod est contra dicta. Major hujus rationis est nota, & Minor probatur: quia, *Dubius in fide est infidelis.* Patet per beatum Bernardum qui in Libro 5. ad Eugenium Papam, ait: *Fides si habet hæsitationem infirma est.* Dubitans autem de aliqua veritate Catholica, habet hæsitationem: igitur Fides illius infirma est. Omnis autem Catholicus firmiter debet credere: ut habetur: *Extra. de summa Trinitate, & Fide Catholica, Cap. firmiter credimus.* Igitur nullus habens Fidem infirmam est Catholicus, & fidelis; & per consequens, dubitans de aliqua veritate Catholica est infidelis; quod fuit probandum.

Ista ratio solùm requirit declarationem hujus propositionis. *Dubius in fide est infidelis*, seu iste dubius in fide, habet infirmam Fidem, quæ alteri equivalet, quoad veritatem. Est igitur dicta propositio sic intelligenda. *Dubius in fide*, id est dubitans Fidem esse veram, habet infirmam Fidem, seu, *est infidelis*: Fides enim debet esse firma in universali, & opportet quemlibet cuilibet Articulo in speciali firmiter adhærere, hoc est per firmam Fidem, scilicet implicitè: sed non opportet quòd quilibet explicitè cuilibet veritati Catholicæ firmiter adhæreat. Dubitans igitur, * ista Fides Christiana est vera, est manifestus hæreticus & pertinax judicandus, quia non est paratus corrigi: nullus enim est paratus corrigi per doctrinam quam credit esse falsam. Et ideo qui de propositione prima, in aliquo ordine, quæ nullo modo potest fieri nota, per aliam dubitat, non est præsumendum quòd ad notitiam illius sit venturus. Si verò quis dubitaret de aliqua posteriori, ad notitiam illius potest devenire, per propositiones priores. Primum autem quod opportet fideliter credere, est quòd Fides Christiana est vera.

Ex illis patet solutio illius rationis: quia quilibet Catholicus habens usum rationis; ultra primam propositionem *Fides Christiana est vera*, tenetur scire A aliquos Articulos Fidei in speciali. Ideò quæritur quæ est ratio potissima ad concludendum quòd aliquis fidelis, ut puta *Sortes*, tenetur scire istum Articulum in speciali, vel istum, ut puta quòd Spiritus sanctus procedat à Patre, & Filio.

Ad istud dubium respondetur quòd potissima ratio ad illud concludendum, est quòd talis Articulus, seu talis veritas, apud omnes Catholicos & fideles, cum quibus conversatur talis, scilicet *Sortes* tenetur tanquam Catholica, divulgatur, & a prædicantibus verbum Dei publicè & sæpè prædicatur, aut quia talis Articulus, aut veritas, ex alia veritate tanquam Catholica sic divulgata, patenter ab omni Catholico, & illuminato potest inferri.

Ex quo sequitur quòd multæ sunt veritates Catholicæ, quas nullus Catholicus tenetur explicitè B credere, quibus quilibet fidelis utens ratione, tenetur assentire explicitè, si apud omnes Catholicos & fideles essent sufficienter divulgatæ, & dogmatisatæ.

Sed contra istud arguitur sic: sequeretur quòd prædicantes verbum Dei, & dogmatisantes veritates Catholicas, obligarent Catholicos ad assentiendum talibus veritatibus explicitè; quod videtur falsum. Et consequentia probatur per dicta: quia ante divulgationem talium veritatum, fideles non tenentur illis explicitè assentire. Post verò divulgationem ipsarum, tenentur talibus firmiter & explicitè assentire.

Ad istam objectionem respondetur quòd prædicantes verbum Dei, & dogmatisantes veritates Catholicas, non obligant Christianos ad credendum &c. Sed Deus eos obligat ad sic credendum, dùm per illos sic divulgantur & prædicantur.

C Ex istis patet solutio hujus dubii. Et hæc sufficiant de objecto Fidei; & sic patet quid sit dicendum de Fide aquisita, & ejus objecto, dequo erat videndum in secunda parte primi Articuli.

§. 4.

De Desponsatione Ecclesiæ cum Christo.

Finita secunda parte primi Articuli; videndum est in tertia parte ejusdem, de desponsatione Ecclesiæ cum Christo: ad cujus declarationem ponam aliquas divisiones, & aliqua notabilia. Secundo subjungam aliquas Conclusiones, & aliqua Corollaria.

Prima divisio erit de Ecclesia. Hoc enim nomen, D *Ecclesia*, in variis locis Scripturarum variè accipitur. Quandoque enim accipitur Ecclesia pro loco materiali divinis officiis deputato. Sic accipitur 1. Ad Chorinth. XI. 22. *Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum*, &, *Ecclesiam Dei contemnitis.*

Secundo modo, accipitur nomen Ecclesiæ, pro ipsa Ecclesia triumphante, Christo scilicet, & ejus Sanctis. Sic accipitur Psalmo CXLIX. 1. *Laus ejus in Ecclesia Sanctorum.*

Tertio modo, capitur Ecclesia pro Ecclesia militante; & accipiendo diversis locis, diversimodè accipitur. Quandoque enim accipitur impropriè pro Ecclesia malignantium, de qua Psalmo XV. 5. *Odivi*

* Locus corruptus.

vi Ecclesiam malignantium. Quandoque accipitur pro Ecclesia seu congregatione fidelium, & in ista acceptione, à diversis diversimodè accipitur. Quandoque etiam accipitur pro quolibet fideli Christiano: nam sicut quilibet fidelis Christianus potest vocari templum Domini, in quo scilicet habitat Deus per gratiam; sic potest vocari Ecclesia Domini. Sic secundùm istam acceptionem scribitur, 1. Paralip. XXIX. 20. *Benedixit omnis Ecclesia Domino Deo.* Quandoque accipitur Ecclesia, pro aliqua speciali multitudine Christianorum, sive laicorum: sic accipitur 1. Petri v. 13. *Salutat vos Ecclesia quæ est in Babilone.* Accipitur etiam quandoque Ecclesia pro Collegio Clericorum: sic accipitur in Jure Canonico; nam Clerici, nomen Ecclesiæ ad Clericos restrinxerunt, Clericos solos vocantes Ecclesiam: & adhuc, secundùm istam significationem, plures habent significationes, secundùm quod notatur *extra*: *de verborum significationibus.* Cap. *Clerici.* Quandolibet etiam tantùm designat Episcopum. 7. q. 1. cap. *Scire.* Quandolibet capitur pro majori parte Capituli. 8. Cap. *Apostolica.* Quandolibet capitur pro congregatione Clericorum alicujus provinciæ *extra. De usu pallii.* c. 1. Quandoque accipitur pro aliqua multitudine Cardinalium & Papæ. Quandoque etiam capitur pro totali congregatione omnium Clericorum.

Alio modo, capitur Ecclesia & propriè, pro congregatione omnium fidelium in hac mortali vita degentium. Et isto modo Ecclesia comprehendit tàm viros quàm mulieres; tàm laicos, quàm Clericos. De ista scribitur Actuum XX. 28. *Attendite vobis, & universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

Quarto modo, principaliter capitur Ecclesia; & non solùm Catholicos viventes, sed etiam fideles mortuos comprehendit, & nomen Ecclesiæ comprehendit Apostolos, Prophetas, & alios fideles defunctos. Sic accipit Ecclesiam Beatus Augustinus, in Libro quem edidit contra Manicheos, sicut patet in textu.

Ultimo modo, capitur Ecclesia adhuc magis largè, prout comprehendit statum utriusque Testamenti, scilicet Novi, & Veteris Testamenti: quia sicut una est Fides antiquorum, & modernorum, variata secundùm majorem, & minorem explicationem: sic una est Ecclesia, variata secundùm majorem & minorem conjunctionem ad dominium: quia scilicet magis est juncta Deo tempore Novi Testamenti, quàm fuerit tempore Veteris Testamenti, sicut postea declarabitur. Sic accipit Ecclesiam Gregorius, Homilia 4. dicens: *Quis similitudinem Patris familias rectius tenet, quam Conditor noster, qui eos quos condidit, sic possidet quasi subditos in domo qui habet vineam, scilicet Universalem Ecclesiam, quæ a primo Abel justo, usque ad primum Eliam qui in finem mundi nasciturus est, quot Sanctos protulit, tot palmites misit.* Istis modis accipitur nomen Ecclesiæ variis locis Scripturarum.

Secundò. Notandum quòd hoc nomen, *Fides*, in proposito, potest capi dupliciter. Uno modo, pro actu, aut habitu credendi; aut etiam objecto talis actus, vel habitus, sicut priùs fuit declaratum. Altero istorum modorum sæpe capitur in sacra Scriptura.

Alio modo, accipitur Fides, magis impropriè, pro aliquo pacto & promissione, quo, vel qua quis obligavit & promisit se aliquid facturum, vel servaturum, vel aliquid non facturum: quia ita benè cadit obligatio in negativis, sicut & in privativis. Sic Accipitur Fides: Ecclesiastici XXII. 28. *Fidem posside cum amico in paupertate illius, ut in bonis illius læteris.* Juxta istam secundam acceptionem Fidei, potest proportionaliter distingui de fideli.

Uno modo, capitur fidelis, qui assentit sine formidine Legi Christi. Sic accipitur Joannis XX. 27. *Noli esse incredulus, sed fidelis.*

Secundo modo, dicitur fidelis, qui servat Fidem, secundo modo dictam, scilicet qui servat, & facit ea quæ servare, vel facere tenetur. Et diceretur quis fidelis Christianus, qui servat Fidem Christi, ad quam servandam obligatur. In servando autem Fidem Christi duo principaliter requiruntur. Primum, adhærere Legi Christi sine formidine, scilicet modo priùs exposito. Secundum, Præcepta ejus corde & opere adimplere. Sic accipitur fidelis, Tobiæ x. 6. *Satis fidelis est vir ille.*

Tertiò. Notandum quòd sicut ad conjunctionem maritalem, quæ Matrimonium vocatur, requiritur, & sufficit consensus, de præsenti, animorum, seu voluntatum personarum legitimarum, per verba, aut alia cuncta signa expressus, juxta sententiam Isidori, dicentis: *Consensus facit Matrimonium*: sic ad desponsationem spiritualem requiritur, & sufficit consensus, de præsenti, sponsæ & sponsi, per cuncta signa externa expressus.

Quartò. Notandum, quòd hujusmodi consensus in Matrimonio, est fides, vel pactum, quo promittitur mutua dilectio, & corporum conjunctio; ut scilicet alter alteri se exhibeat, ut quisque sibi, & alteri se copulare non liceat. Patet per verbum Christi. *Mathei.* XIX. 5. dicentis; *Propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Per hoc enim quod dicit Christus, *adhærebit uxori suæ*, denotatur conjunctio animorum, in amore & dilectione. Unde Augustinus, in Libro, de bono conjugali, *Conjugium, est signum spirituale conjunctionis & dilectionis quâ inter se conjuges uniri debent.* Propter quod ait Apostolus, ad Ephesios v. 25. *Viri diligite uxores vestras*, ut corpora vestra. Per hoc autem quod dicit Christus: *Erunt duo in carne una*, denotatur societas conjugalis quâ opportet eos cohabitare, nisi causâ rationabili corporaliter, usque ad tempus, vel usque ad finem vitæ separentur.

Istum consensum vocat Isidorus fidem, *in Lib. Ethicorum.* Juxta secundum membrum divisionis priùs positæ, dicens: *Conjuges appellantur a prima desponsatorum fide, quamvis adhuc inter eos ignoretur carnalis concubitus.*

Quinto. Est notandum quòd sicut in sponsalibus corporalibus, scilicet in Matrimonio, debet esse duplex unio, secundùm quod fuit declaratum, scilicet animorum & corporum; sic in sponsalibus spiritualibus duplex unio, seu conjunctio proportionaliter debet inveniri. Ibi enim debet esse unio animorum; quia mutuo amore sponsus & sponsa tenentur se diligere, exemplo ipsius gratiosissimi sponsi Christi qui suam sponsam, *Canticorum* II. 10. alloquitur in hunc modum: *Surge propera amica mea, sponsa mea & veni*, quæ cum * Deus mutuum amorem quo dilectissimam suam sponsam diligit, ait Canticorum 1. *Dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur.*

Secundò. Ibi debet esse unio naturarum, seu corporum, ut sponsa dilectissimo suo sponso se, & corpus suum exhibeat, exemplo ipsorum Martyrum, Apostolorum, & Confessorum, qui pro Christo suo dilectissimo sponso se, & propria corpora exhibuerunt; qui etiam sponsus pro sua sponsa proprium corpus usque ad mortem humiliavit.

Istis positis, ponuntur tres Conclusiones.

- Prima. De Ecclesia Judæorum.
- Secunda. De Ecclesia Christianorum.
- Tertia. De comparatione istarum.

* Locus corruptus.

Pri-

Prima Conclusio.

POpulus Judaïcus in monte sancto Sinaï desponsatus fuit Deo per acceptionem Legis Moysi: per acceptionem autem istam, intelligo consensum interiorem quo populus Judaïcus acceptavit Legem Moysi. Hoc est Legem datam à Deo Moysi pro populo illo.

Ad probandum autem istam conclusionem oportet duo probare.

Primum est, quòd populus Judaïcus acceptaverit Legem Moysaïcam.

Secundum, est quòd hujusmodi acceptio sit causa sufficiens ad hoc quòd populus Judaïcus desponsetur Deo.

Probatur igitur primum per illud Exodi XXIV. 7. *Ea quæ locutus est Dominus faciemus, & erimus obedientes.* Ex quo patet quòd acceptaverunt Legem Domini datam Moysi.

Probatur secundum, scilicet quòd ista acceptio sit causa sufficiens desponsationis populi Judaïci cum ipso Deo, per verbum Domini, *Exodi* XIX. 5. dicentis. *Si audiveritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium præ cunctis populis:*

Et confirmatur idem ratione: quia per acceptionem Legis Moysaïcæ, seu per illud pactum quo populus Judaïcus promittit servare Legem Moysaïcam, promittit idem populus Dominum supra omnia diligere, quia sibi per illam Legem præcipitur Dominum supra omnia diligere. Unde Deuteronomii VI. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Promittit etiam se Deo exhibere, Mandata ejus servare, alteri se non copulare, nec obedire: quia *Exodi*, XX. 3. ait Dominus: *Non habebis Deos alienos coram me.*

Patet igitur per primam acceptionem Legis, quòd unitur populus Judaïcus Deo, voluntate Dominum supra omnia diligendo; unitur etiam Deo corpore, se scilicet & corpus suum Deo, & non alteri exhibendo. Igitur per acceptionem Legis Moysi, populus ille sufficienter desponsabatur Deo. Patet consequentia per ea quæ dicta sunt in 4. Notabili prius posito. Patet igitur prima conclusio.

Secunda Conclusio de Ecclesia Christianorum, est ista.

SIcut Synagoga Judæorum desponsabatur Deo per acceptionem Legis Moysaïcæ; sic Ecclesia Christianorum desponsatur Christo per acceptionem Legis Evangelicæ.

Prima pars hujus conclusionis est prima conclusio, quæ satis fuit probata. Secunda pars probatur: quia per acceptionem Legis Evangelicæ, Ecclesia Christianorum unitur Christo voluntate, & corde: unitur etiam Christo corde, vel voluntate; & contra Christus Ecclesiæ unitur mutuo amore se diligendo: quia *Joannis* XIV. 21. ait Christus Salvator noster. *Qui habet Mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum.* Igitur per acceptionem Legis Evangelicæ, Ecclesia & Christus corde uniuntur, mutuo amore se diligendo.

Secundò. Per hujusmodi acceptionem unitur Ecclesia Christo corde. Et è contrà Christus Ecclesiæ, scilicet se, & corpus suum Christo exhibendo, & non alteri se copulando, nec obediendo. Unde 2. ad Corinthios VI. 4. *In omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros.* Exhibuit se etiam, & corpus suum Christus, pro ipsa Christianorum Ecclesia, *Factus obediens usque ad mortem*, ad Philippenses II. 8. Unitur etiam Christus ipsi Ecclesiæ, eam usque ad finem sæculi associando, juxta verbum ipsius Mathei ultimo 20. *Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Desponsavit etiam sibi spiritualissime ipse Deus, Filius Patris Ecclesiam Fidelium, naturam humanam ypostaticè sibi associando: & istæ sunt nuptiæ quas Rex ille de quo scribitur Mathei XXII. 2. *fecit Filio*, quæ celebratæ fuerunt in utero virginali, de quo Christus erat *tanquam sponsus procedens de thalamo suo*, Psalmo XVIII. 6. Per acceptionem autem
A Legis Evangelicæ quis efficitur pars hujus Ecclesiæ sic Deo desponsatæ. Patet igitur conclusio, quòd Ecclesia Christianorum per acceptionem Legis Evangelicæ desponsatur Christo, & istud est quod fuit probandum.

Tertia Conclusio, de comparatione desponsationum istarum Ecclesiarum, est ista.

ECclesia Christianorum perfectiùs desponsatur Christo per Legem Evangelicam, quàm Ecclesia Judæorum desponsabatur Deo, per Legem Moysaïcam.

Probatur sic ista conclusio per Evangelicam Legem. Ecclesia Fidelium magis, & perfectiùs unitur Christo, quoad utramque unionem, scilicet quoad unionem voluntatis, & naturæ; quàm populus Judaïcus uniebatur Deo, per Legem Moysaïcam.
B Igitur &c. Consequentia nota est per ea quæ dicta sunt superiùs in notabilibus: & antecedens.

Primò. Quoad unionem voluntatis, quæ est per dilectionem & mutuum amorem; quia cuilibet fideli, & Christiano infunditur à Deo charitas quâ specialiter conjungitur Deo: juxta illud 1. Joannis IV. 16. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Istam autem charitatem non infundebat Deus, de Lege communi, populo Judaïco. Igitur sequitur quod Ecclesia Christianorum magis & perfectiùs unitur Deo, per acceptionem Legis Evangelicæ, quàm Ecclesia Judæorum uniebatur per acceptionem Legis Moysaïcæ.

Secundò. Idem probatur de unione naturæ: quia Christus promisit se associaturum Ecclesiam fidelium, usque ad consummationem sæculi, juxta verbum ipsius jam allegatum, *Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*; non autem promisit se sic associaturum
C Ecclesiam Judæorum. Igitur &c. Item, Christus sibi specialiter univit Ecclesiam Christianorum, ypostaticè sibi associando naturam humanam in Lege Evangelica, hoc est assumendo naturam humanam in unitate suppositi, secundùm quam voluit adimplere, & de facto adimplevit Legem Evangelicam: non autem sic assumpsit naturam humanam in Lege Moysaïca. Quare &c. Istis conclusionibus positis & probatis, pono aliqua corollaria, quæ ex dictis, cum aliquibus veris coassumptis possunt inferri; sicut patebit.

Primum Corollarium.

QUælibet fidelium congregatio specialis, Christo desponsatur, per acceptionem Evangelicæ Le-
D gis. Probatur: quia per acceptionem Evangelicæ Legis, eodem modo unitur Christo quælibet congregatio fidelium specialis, sicut per eamdem acceptionem eidem unitur Ecclesia Universalis: quia, positâ eadem causâ, idem sequitur effectus, vel similis. Sed per acceptionem Legis Evangelicæ Ecclesia Universalis desponsatur Christo, per conclusionem secundam: Igitur corollarium est verum.

Secundum Corollarium.

QUælibet fidelis anima dici meretur sponsa Christi, & amica: hîc autem voco animam fidelem, quæ in nullo transgredit Legem Christi, quam servare promisit. Juxta secundam acceptionem, *fidelis*, priùs positam.

Probatur corollarium sic: quælibet talis anima unitur Deo, per dilectionem, & cordis exhibitionem. Igitur quælibet talis dici meretur sponsa Christi & amica. Consequentia patet: quia Deus diligit diligentes se *Proverbiorum* VIII. & per consequens corollarium est verum.

Tertium Corollarium.

ECclesia Beatorum perfectiùs desponsatur Christo, Ecclesiâ viatorum. Probatur corollarium sic: Ecclesia Beatorum perfectiùs unitur Deo, tàm unione dilectionis, quàm unione naturæ. Igitur &c. Consequentia nota per dicta priùs: Antecedens probatur. Primò. De unione dilectionis: quia uniuntur Beati ipsimet Christo, per visionem claram, & fruitionem beatificam. Fruitio autem beatifica, est perfectior dilectio, quàm sit dilectio viatorum: unde, quantò summum bonum magis apparet bonum, tantò plùs diligitur. Visio autem, seu cognitio Beatorum, quam scilicet habent de Deo, perfectior est cognitione viatorum. Juxta illud I. ad Chor. XIII. 12 *Nunc autem videmus per speciem & in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Igitur dilectio ipsorum Beatorum quam habent de Deo, perfectior est dilectione, quâ viatores deligunt Dominum. Uniuntur & Beati ipsi Christo perfectiùs, unione naturæ, seu corporali, quàm ipsi viatores, scilicet sibi & non alteri serviendo, & in perpetuum cum ipso commanendo. Propter hoc etiam Paulus comparans statum viatorum statui Beatorum, ait, Philip. I. 23. *Coarctor enim è duobus, desiderium habens dissolvi; & cum Christo esse, multò etiam magis melius.* Patet igitur corollarium.

Quartum Corollarium.

CHristo perfectiùs desponsatur, ejus humana natura, quàm eidem desponsatur quævis alia natura.

Istud corollarium probatur eodem modo quo probatum est tertium corollarium, scilicet quia humana natura Christi perfectiùs sibi unitur, tàm unione dilectionis, quàm unione naturæ. Igitur &c. Consequentia patet, ut priùs. Antecedens probatur. Et primò. De unione dilectionis, quia in Christo est supereminens charitas, quâ Dominum diligit. Juxta illud ad Eph. III. 14. *Hujus rei gratia, flecto genua ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus, in interiorem hominem*: & sequitur ℣. 19. *Scire, etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini omni plenitudine Dei.* Patet igitur quòd Christus habuerit supereminentem charitatem veram, *& de plenitudine ejus omnes accepimus, & gratiam* &c. Joannis I. 16.

Secundò. Probatur, quia natura humana Christi, perfectiùs unitur Christo, unione naturæ, quàm quæcumque alia creatura sibi uniatur: nam tanta fuit unio inter humanam illam naturam, & Christum Dei Patris Filium, ut propter illam Filius Dei diceretur homo, aliaque prædicata humanæ naturæ convenientia ipsi Filio convenirent: nulla autem alia creatura sic unitur Christo. Igitur &c.

Quintum Corollarium.

PErfectior est Christi & Ecclesiæ unio, quacumque viri, & uxoris, corporali conjugio. Probatur per Magistrum Sententiarum, *Lib. 4. Dist. 26.* dicentem: *Cùm conjugium sit sacrum, opportet ipsum esse alicujus sacræ rei signum, est autem signum sacræ rei, scilicet conjunctionis Christi, & Ecclesiæ.* Igitur sequitur quòd perfectior est unio Christi, & Ecclesiæ, A quàm unio viri & uxoris, quia signatum perfectius est signo.

Et confirmatur: quià dilectio quâ Ecclesia diligit suum sponsum, scilicet Christum, perfectior est dilectione, quâ vir diligit uxorem, vel è contrà, cùm non debeat diligi uxor propria, nisi propter Christum Deum. Ergo &c. Unione etiam naturæ perfectiùs unitur Christus Ecclesiæ, quàm vir propriæ uxori, vel è contrà; quia assumpsit ipse Christus naturam humanam, quæ est pars, immò caput ipsius Ecclesiæ. Hæc autem unio naturarum, multò perfectior est unione corporali quâ unitur vir uxori, vel è contrà. Igitur &c.

Sextum Corollarium.

PLus peccaret Christi sponsa, Legem sponsi non implendo, quàm peccaret non sponsa, eamdem Le- B gem transgrediendo. Istud corollarium solùm pono probabiliter, ipsum non asserendo, & interim ubi cætera essent paria.

Probatur corollarium sic. Plùs peccat mulier desponsata alicui viro, fornicando cum alio, quàm si nulli esset desponsata. Igitur, à simili, plus peccaret Christi sponsa, Legem sponsi non implendo, quàm peccaret non sponsa, eamdem Legem transgrediendo. Antecedens notum est de se.

Secundò. Arguitur sic: Christi sponsa spontaneè se obligavit servare Legem sponsi, ad quam servandam non sponsa sic se non obligavit. Igitur &c. Consequentia patet: quia, si aliquis voveret se aliquid facturum sub pœna peccati mortalis, teneretur illud implere quod tamen implere non tenebatur C ante votum. Etiam licèt Deus obliget omnes ad suam Legem; videtur tamen quòd plus tenetur qui se ad Legem servandam obligat spontaneè, quàm qui ad illam servandam minimè se obligat, & per consequens magis peccat primus, quàm secundus, licèt quilibet peccet mortaliter. Quare sequitur quòd corollarium illud est verum.

Istis sic positis & declaratis; patet quid est dicendum de desponsatione Ecclesiæ cum Christo. Desponsatur enim Christi amoris* Ecclesia Christo per Fidem, hoc est per acceptionem Fidei Christi, & desponsatur per Fidem, capiendo primo modo, prout ly *per* denotat causam materialem. Desponsatur secundo per Fidem, & capiendo Fidem prout ly *per* denotat efficientem: quia acceptio, vel consensus, seu pactum, quo Ecclesia promittit vel promisit servare Legem Christi, est causa desponsationis D Christi & Ecclesiæ, non quidem principalis, quia Deus est causa principalis illius desponsationis, nec etiam est causa naturalis, eo modo quo ignis est causa caloris; sed est ex causa instrumentalis, vel causa sine qua non, hoc est, ex institutione ipsius Dei est causa desponsationis Christi & Ecclesiæ, eo modo quo dicimus quòd Contritio est causa gratiæ: quia scilicet Deus instituit quòd quandocumque quis verè contritus fuerit, sibi infundetur gratia: & sic Contritio dicitur causa sine qua non, respectu gratiæ. Ita est dicendum de illo pacto quo quis promittit Christo servare suam Legem; quod pactum vocatur fides, juxta secundam acceptionem fidei priùs positam.

Et sic patet quid est dicendum de tertia parte hujus primi Articuli, & per consequens, de primo Articulo.

* Locus corruptus.

ARTICULUS II.

DE DECORE GRATIÆ, ET CONFIRMATIONE SPONSÆ.

§. 2.

De Ecclesiæ indefectibilitate.

EXPEDITO primo Articulo, restat expedire secundum, in quo est videndum de decore gratiæ sponsæ, & ejus confirmatione, scilicet in gratiam, vel per gratiam: & quia per sponsam Christi intelligimus ipsam Ecclesiam, ut patet ex supra dictis in tertia parte primi Articuli: ideò juxta diversas acceptiones Ecclesiæ, est aliæ, & alteri respondendum. Nam si Ecclesia capiatur pro Ecclesia triumphante; patet quod sponsa Christi est tota pulchra per gratiam, & in gratia confirmata, quia omnes Beati sunt securi de sua beatitudine, quod non essent, nisi essent confirmati in sua beatitudine, &, per consequens, in gratia. Si autem Ecclesia capiatur, licèt impropriè, pro Ecclesia malignantium, de quibus in Psalmo XXV. 5. *Odivi Ecclesiam malignantium.* tunc clarum est quod illa Ecclesia non est per gratiam confirmata, nec etiam de facto per gratiam pulchra, seu decorata; nec ista Ecclesia etiam est propriè Christi sponsa, cùm suam sponsam amicam suam appellat, istam autem Ecclesiam odio habeat. Si vero Ecclesia accipiatur pro aliqua partiali multitudine fidelium, ut puta, pro congregatione Papæ, & Cardinalium, vel pro congregatione Electorum; tunc non est ita clarum an talis Ecclesia sit tota pulcha per gratiam, & in gratia confirmata, & de isto inferiùs dicetur. Si verò Ecclesia capiatur in sua significatione magis propria, aut saltem in significatione in qua sæpiùs accipitur, videlicet pro Congregatione omnium fidelium in hac vita degentium: tunc est major difficultas, an talis Ecclesia sit tota pulchra per gratiam, & in gratia confirmata, quàm sit de duabus primis acceptionibus Ecclesiæ. Ideo pro solutione hujus dubii, seu difficultatis, est sciendum quòd descriptio Ecclesiæ ultimatè posita, videlicet ista: *Congregatio omnium fidelium, in hac vita degentium*; dupliciter potest intelligi, secundùm secundam acceptionem hujus dictionis, *infidelium* seu, *fidelium*, prætactam in tertia parte primi Articuli. Nam, secundùm quod priùs dictum est, *fidelis*, quandolibet accipitur pro Catholico, id est pro illo qui sine formidine assentit Legi Christi, sicut Christus accipiebat, cum dicit Thomæ: *Noli esse incredulus, sed fidelis,* scribitur *Joannis* XX. 27. Alio modo accipitur, *fidelis*, pro illo qui credit, & servat Legem Christi, sicut ille servus dicitur fidelis, qui implet Mandata Dei sui. Sic etiam ille dicitur fidelis Christo, qui tenet Legem Christi, nihil committendo, vel obmittendo contra ejus Præcepta, & veritatibus in ipsa Lege contentis firmiter assentiendo. Sic accipitur, *fidelis*, Mathei XXV. 21. *Euge serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Hoc dictum est illi servo cui tradita erant quinque talenta, & alia quinque lucratus fuerat; & juxta istam duplicem acceptionem *fidelis*, dupliciter potest sumi Ecclesia.. Uno modo, pro Congregatione omnium fidelium, juxta primam acceptionem, *fidelis*: sic etiam comprehendit omnes Christianos, non hæreticos, sive sint in gratia, sive non. Alio modo, potest sumi pro congregatione omnium fidelium, juxta secundam acceptionem, *fidelis*, & sic solùm comprehendit Catholicos viventes conformiter Legi Christi, & excludit omnes existentes in culpa mortali.

Ulteriùs est notandum quòd si juxta verba Christi sponsam suam alloquentis, in hæc verba: *Tota pulchra es amica mea.* Cant. IV. 7. quæratur utrùm Christi sponsa tota sit pulchra per gratiam & in gratia confirmata; distinguendum est de ista dictione *tota*, quia potest teneri cathegorematicè, & syncathegorematicè, & secundùm hoc aliter, & aliter esset respondendum. Nam si ista dictio, *tota*, capiatur syncathegorematicè, & etiam Ecclesia capiatur pro Congregatione omnium fidelium, juxta primam acceptionem, *fidelis*: tunc clarum ipsam Ecclesiam non esse totam pulchram per gratiam, quia sæpe contingit quòd aliqui Catholici sciunt se aliquid committere, vel obmittere, contra Legem Christi, & mortaliter peccare. Si verò Ecclesia accipiatur pro Catholicis Legi Christi conformiter viventibus: tunc clarum est quòd si aliqua est talis Ecclesia, quod ipsa est tota pulchra per gratiam: quia omnis qui conformiter vivit Legi Christi, nec nihil contra ipsam Legem committit, vel obmittit, est Deo gratus, & acceptus, & per consequens, in statu gratiæ, ut satis notum est. Si verò capiatur *li* tota, cathegorematicè, & Ecclesia capiatur pro Congregatione omnium fidelium, juxta primam acceptionem, *fidelis*, idest pro Congregatione omnium Catholicorum: adhuc restat major difficultas, an tota illa Ecclesia Christo per Fidem desponsata, sit in gratia confirmata.

Et pro responsione ad istud dubium ego ponam tres conclusiones, cuilibet conclusioni annectendo aliquas corollarias, seu collaterales propositiones.

Secundò. Ego movebo contra dictas conclusiones aliquas dubitationes & objectiones.

Tertiò. Dictarum dubitationum ego subjunguam solutiones.

Est igitur prima Conclusio.

DE nulla viatorum Ecclesia potest rationabiliter astrui eam esse in gratia confirmatam, cujus confirmatio ex sacra Scriptura non potest convinci, nec habetur per specialem Spiritus sancti revelationem. Ergo. Probatur sic. Quia nihil quod de se est inevidens, cujus etiam notitia non potest haberi per naturalem experientiam, est rationabiliter assentiendum, nisi illud per rationem naturalem concludi valeat, aut ex aliqua authentica scriptura possit convinci, aut ejus notitia ad nos pervenerit per successivam fide dignorum relationem, aut nisi illud alicui specialiter fuerit revelatum. Patet ista propositio: quia si aliquid assentiatur absque aliquo prædictorum modorum; videtur quòd illud purè gratis, & absque motivo quocumque assentiatur, & per consequens, non rationabiliter assentitur. Quia autem illud quod assentitur, absque aliquo prædictorum modorum, purè gratis assentitur, quia in divisione prædicta continentur omnia genera motivorum sufficientium ad hoc quòd aliquid possit astrui rationabiliter, vel asseri, ut satis patet diligenter intelligenti. Cum igitur de nulla viatorum Ecclesia sit evidens quòd ipsa sit in gratia confirmata, nec aliquam sic esse confirmatam, potest probari per rationem naturalem, ut satis notum est, cùm per rationem naturalem non possit probari gratiam esse qualitatem in anima viatorum requisitam ad hoc quòd talis sit Deo gratus: cùm secundam non accipimus pro prima modorum relatione, aliquam Ecclesiam sic esse in gratia confirmatam; sequitur quòd de nulla viatorum Ecclesia est rationabiliter asserendùm

dum quòd sit confirmata in gratiam, cujus confirmatio ex sacra Striptura convinci non potest vehementer, per specialem spiritus Sancti revelationem, cùm ex nulla alia scriptura authentica istud valeat concludi; quia saltem scriptura non utatur Scriptura divina, tanquam proprio fundamento: quod dico propter Decreta summorum Pontificum aut Ecclesiæ determinationes. Nam licèt de aliqua Ecclesia viatorum esset determinatum per Ecclesiam, aut Concilium generale, quòd esset in gratiam con- A firmata: hoc tamen non esset determinatum, nisi propter aliquod prædictorum motivorum, imò nisi ex sacra Scriptura potuisset convinci, aut alicui fuisse specialiter revelatum. Patet igitur prima conclusio.

Ex ista conclusione, & ejus probatione infero aliqua corollaria.

Primò. Infero quòd de nullo viatore est simpliciter asserendum quòd sit confirmatus in gratia, nisi cujusquam confirmatio alicui specialiter sit revelata. Probatur: quia de nullo viatore potest probari per rationem naturalem, nec etiam per Scripturam sacram, quòd sit confirmatus in gratia: ergo cùm non sit evidens de aliquo quòd sit confirmatus in gratia, sequitur quòd de nullo illud est simpliciter asserendum, nisi cujusquam confirmatio alicui fuerit specialiter revelata, quod fuit probandum. B

Ex quo sequitur quòd à nullo est firmiter asserendum Summum Pontificem in gratia esse confirmatum. Cuiquam enim sic esse confirmatum, non est specialiter revelatum. Probatur: quia Summus Pontifex est primus viator. Ergo &c. Consequentia Patet per corollarium præcedens. Antecedens est de se notum.

Tertiò. Ex prædictis, & aliquo vero coassumpto, sequitur quòd de nullo partiali viatorum fidelium Collegio compellimur firma Fide credere ipsum confirmatum esse in gratiam, seu charitatem. Probatur: quia de nullo partiali viatorum Collegio est de se evidens quòd ipsum sit sic in gratia confirmatum, ut notum est. De nullo etiam tali Collegio potest probari per rationem naturalem quòd ipsum sit confirmatum: de nullo etiam tali est sufficienter revelatum quod sit confirmatum. Saltem revelatio ad notitiam nostram non pervenit, nec ex sacra Scriptu- C ra potest convinci quòd aliquod tale viatorum partiale Collegium sit in gratia confirmatum: quia si illud ex sacra Scriptura posset convinci; hoc maximè esset ex Cap. XXIV. *Mathei*, aut ex XIII. Cap. *Marci*; aut ex XXI. Cap. *Lucæ*. Quia ista Capitula expressiùs loquuntur de ista materia, quàm quæcumque alia Novi, vel Veteris Testamenti Scriptura. Sed ex nullo dictorum Capitulorum, nec ex eis omnibus potest convinci quòd aliquod partiale Collegium viatorum sit confirmatum in gratia; ut satis apparebit inferiùs. Igitur de nullo tali compellimur, firma fide, credere quòd ipsum sit confirmatum in gratia, seu charitate; nec patet quòd coassumpto isto vero, quòd ex sacra Scriptura non potest concludi quòd aliquod partiale viatorum Collegium sit in gratia confirmatum.

Cum supra prædictis sequitur corollarium prædictum. Ex quo sequitur quòd, Christi lege stante, possibile est Cardinalium Collegium damnabiliter er- D rare, licèt fortè de facto ita sit quòd nunquam illud Collegium totum erraverit, nec unquam errabit. Patet corollarium, quòd Collegium Cardinalium est quoddam partiale Collegium viatorum fidelium.

Ulteriùs sequitur quòd, Christi lege stante, totam fidelium congregationem, quæ nunc est Ecclesia universalis, possibile est contra ipsam Legem aliquid obmittere, vel committere: Non dico quòd cum Lege Christi stet quòd aliqua multitudo fidelium sit Ecclesia universalis, & quòd ipsa erret, seu obmittat vel committat aliquid contra ipsam Legem: sed dico quòd, demonstrata tota multitudine fidelium, quæ nunc est, cum Lege Christi stat quòd illa multitudo errat, seu obmittit, vel committit aliquid contra Legem Christi. Probatur corollarium: quia hæc multitudo, stante Lege Christi, potest esse partiale fidelium Collegium. Ergo compellimur firma Fide credere quòd ipsa multitudo sit confirmata in charitate, & per consequens, Lege Christi stat, quòd illa multitudo errat: quod fuit probandum. Et hæc sufficiant de prima conclusione.

Secunda Conclusio est ista:

ETsi universalem fidelium Ecclesiam esse in gratia confirmatam, ex sacra Scriptura non potest convinci evidenter; ex eadem tamen Scriptura, & quibusdam veris, quæ rationabiliter negari non possunt, istud concludi potest efficaciter. Probatur enim ista conclusio. Et primò probatur secunda ejus pars, quia ex ejus probatione faciliter probatur prima pars ejusdem. Probatur consequentia, quòd ex sacra Scriptura, & quibusdam veris quæ rationabiliter negari non possunt sufficienter inferatur universalem fidelium Ecclesiam esse in gratia confirmatam; non sic intelligendo eam esse confirmatam, ut per nullam potentiam possit peccare; sed sic intelligendo, quòd à tempore Christi, usque ad consummationem sæculi, semper fuerunt, sunt, & erunt aliqui Deo grati, aut accepti, aut saltem aliquis. Et pro probatione illius partis conclusionis assumo tanquam verum, quòd rationabiliter negari non potest istud, scilicet, quod si tempore maximæ persecutionis Ecclesiæ & fidelium Christi, semper sit aliquis, aut sint aliqui Deo accepti, & grati; quòd in tempore minoris persecutionis dictæ Ecclesiæ, & tempore quo nulla est persecutio in dicta Ecclesia, semper est aliquis, aut sunt aliqui sic Deo grati & accepti, perseverantes in Fide & Lege Christi. Patet: quia si illud quod minus videtur inesse, inest; & illud quod magis: nec istud posset, nisi purè gratis & irrationabiliter negari.

Hoc autem assumpto, arguitur sic: Tempore maximæ persecutionis futuræ Ecclesiæ Christi, semper erunt aliqui electi Deo grati, & accepti, perseverantes in Lege & Fide Christi: ergo Ecclesia Christi est in gratia confirmata, ad sensum priùs positum, videlicet quòd usque ad sæculi consummationem semper stabunt aliqui, aut saltem aliquis, per gratiam Deo grati & accepti. Consequentia ista patet per propositionem priùs assumptam, quæ, ut dictum est, rationabiliter non potest negari. Antecedens autem hujus consequentiæ, scilicet quòd tempore maximæ persecutionis futuræ Ecclesiæ Christi, semper erunt aliqui Deo grati & accepti, sequitur ex sacra Scriptura. Ergo secunda pars dictæ conclusionis vera. Consequentia ista nota. Antecedens probatur: scilicet quòd ex sacra Scaiptura sequatur quòd tempore maximæ persecutionis Ecclesiæ Christi, semper stabunt &c. nam maxima persecutio futura Christi fidelibus, est persecutio quæ futura est tempore Antichristi: de illa enim ait Christus. Mathei XXIV. 21. *Erit tunc tribulatio magna, qualis nunquam fuit ab initio, neque fiet.* Et tamen, tempore persecutionis illius, erunt aliqui electi perseverantes in Fide, idest, Lege Christi, quod patet per dictum Capitulum XXIV. 22. *Mathei.* Ubi sic habetur, *& nisi abbreviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter electos breviabuntur dies illi.* Et sequitur statim post, ℣. 24. *surgent enim pseudo-christi & pseudo-prophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem ducantur, si fieri potest, etiam electi.*

electi. Eadem sententia habetur *Mathei.* XIII. & *Lucæ.* XXI. Capitulis. Ex quibus sequitur quòd tempore dictæ persecutionis erunt aliqui electi propter quos breviabuntur dies persecutionis, ut fiant salvi, & in errorem non ducantur. Dixit enim Christus: *Nisi abbreviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro*, idest nullus homo comtemporaneus illi persecutioni fieret salvus, nisi &c. ex quo patet quòd abbreviavit Deus illos dies, ut electi non ducantur in errorem, sed semper perseverent in Lege Christi per Fidem & Charitatem.

Similiter potest probari quòd semper ab initio Ecclesiæ usque nunc, fuerunt aliqui Deo grati, & accepti: quia tempore maximæ persecutionis præteritæ Ecclesiæ Christi, semper fuerunt aliqui Deo grati, perseverantes in Fide, & Charitate. Igitur &c. Consequentia patet ut priùs: antecedens probatur ex dicto Capitulo *Mathei.* ỳ. 4. Nam Discipulis Christi secretò petentibus signa destructionis templi, ait ipse Christus: *Videte ne quis vos seducat. Multi venient in nomine meo dicentes: ego sum Christus, & multos seducent. Audituri estis prælia, & opiniones præliorum, Videte ne turbemini.* Et statim post sequitur, ỳ. 7. *consurget gens contra gentem, & regnum in regnum, & erunt pestilentiæ, & fames, & terræ motus per loca.* Et sequitur poulo post, ỳ. 9. *Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Tunc scandalisabuntur multi, & invicem tradent & odio habebunt invicem. Et multi pseudo-prophetæ surgent & seducent multos, & quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum, qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

Ex istis patet quòd tempore dictæ persecutionis, quæ fuit maxima usque nunc, quâ, ab incœptione Ecclesiæ, usque nunc, non legitur alia major; semper steterunt aliqui perseverantes in Fide, & Lege Christi, & semper fuerunt aliqui Deo accepti, & Deo grati. Dixit namque, *Refrigescet charitas multorum*: non dixit, extinguetur, sed *refrigescet*; ut denotaret quòd aliqui semper manerent in charitate, dixit etiam *multorum*, & non omnium. Ex quibus omnibus patet quòd tempore dictæ persecutionis semper fuerunt aliqui Deo grati, & accepti.

Hoc etiam patet ex XXI. Cap. *Lucæ* ỳ. 15. Ubi Christus loquens de eadem persecutione ait. *Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere, nec contradicere omnes adversarii vestri*, & statim post sequitur ỳ. 19. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Ecce quod expressè Christus promiserat Discipulis suis dare os & sapientiam, ad resistendum pseudo-prophetis, & omnibus adversariis suis. Promisit etiam eis quòd in patientia sua possiderent animas suas. Ex quibus patet propositum. Cùm ergo Christo non sit minor cura, vel minor dilectio erga suam Ecclesiam quam sponsam appellat in Canticis, & in Apocalypsi, XXI. *Cap.* tempore moderno, quàm fuerit dictæ persecutionis tempore; cùm nunc regatur Spiritu sancto, sicut tunc: sequitur quòd sicut tunc dedit ei os, & sapientiam, ad resistendum omnibus adversariis ejus, sic nunc dat sapientiam & virtutem, ad resistendum insidiis & tentationibus inimici.

Confirmatur etiam dicta conclusio quoad dictam partem: quia cùm tempore maximæ persecutionis præteritæ, semper steterunt aliqui Deo accepti, ut jam probatum est, & etiam tempore maximæ persecutionis futuræ stabunt etiam aliqui Deo grati, ut etiam ex Capitulo XXIV. *Mathei*, sufficienter deductum est: sequitur quòd etiam, tempore quo nulla est, aut erit persecutio in Ecclesia sancta Dei, aut tempore quo minor est, aut erit persecutio; etiam stabunt aliqui in Charitate, perseverantes in Fide, & Lege Christi, quasi illud quod minùs videtur &c. & illud quod magis. Ex illis patet probatio secundæ partis conclusionis.

Ex probatione secundæ partis satis apparet quòd ex sola sacra Scriptura non evidenter sequitur Ecclesiam Christi esse confirmatam in gratia, quia ista consequentia non est evidens: tempore maximæ persecutionis Ecclesiæ, stant aliqui in charitate perseverantes &c. ergo etiam & tempore quo nulla est persecutio., quia faciliter possunt calumniari; quia diceret adversarius quòd tempore dictæ persecutionis Spiritus sanctus speciali auxilio præservat Ecclesiam sanctam Dei, & non tempore quo nulla est persecutio, quia magis indiget speciali auxilio Spiritus sancti, tempore persecutionis, quàm tempore quo nulla est persecutio in ea, vel contra eam. Et sic sequitur prima pars dictæ conclusionis, & per consequens tota conclusio.

Et confirmatur conclusio per illud Mathæi ultimo. 18. *Data est mihi omnis potestas* &c. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti, & ecce vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Super quo verbo dicit Rabanus. *Ex hoc autem intelligitur quòd usque in finem sæculi, non sunt defuturi in mundo, qui divina mansione, & habitatione sint digni.* Idem dicit glossa ordinaria, super eodem verbo. Patet igitur conclusio.

Ex conclusione sequitur corollarium, quòd non est possibile, de potentia Dei ordinata, totam Christi sponsam esse damnabiliter vitiosam, exponendo *ly* totum syncathegorematicè. Probatur: quia ex sacra Scriptura, & quibusdam veris coassumptis, sequitur eam esse in gratia confirmatam &c. Consequentia nota; antecedens patet ex conclusione. Secundò, sequitur corollarium, quòd à tempore Christi, usque ad consummationem sæculi, semper fuit, est, & erit aliquis in statu æternæ salutis. Patet manifestè ex conclusione, & corollario præcedenti.

Tertia Conclusio.

Sicut à tempore institutionis Ordinis Apostolici, usque ad præsentem diem, ipse Ordo Apostolicus continuatus est per spiritualem Sacerdotum generationem: sic etiam semper conservabitur, usque ad sæculi consummationem. Patet conclusio sic; & quia prima pars satis nota est, quia à Patribus & Parentibus nostris satis audivimus quòd semper fuerint aliqui Sacerdotes Apostolis succedentes. Hæc etiam habemus in cronicis, quia pluribus fide dignis, & de facto experimur multos esse in præsenti. Ideò illam partem primam conclusionis aliter non probo. Patet igitur secunda pars dictæ conclusionis, scilicet quòd usque ad finem sæculi conservabitur Ordo Apostolicus, per successivam Sacerdotum generationem, quia summæ sapientiæ nullatenùs congruit, tam nobilem Ordinem, & tàm utilem ad salutem totius humani generis institutum statim deficere, etiam causâ finali nondum adeptâ, scilicet salute omnium Clericorum, propter quam causam ipsa summa sapientia Ordinem illum instituit. Hæc etiam sententia videtur mihi expressa ab ipso Domino, Capitulis priùs allegatis. Videlicet *Math.* XXIV. *Marci.* XIII. & *Lucæ* XXI. Ubi Discipulis Christi secretè petentibus ab eo signa destructionis templi, & sui adventus ad Judicium & finem sæculi, qui Discipuli, sic exprimitur *Marci* XIII. fuerunt *Petrus, Jacobus, Joannes, & Andræas.* Respondit eis, prædicendo prælia, seductiones pseudo-prophetarum, obscurationem Solis, & Lunæ, & stellarum, ut patuit in probatione conclusionis præcedentis, adjiciens similitudinem de arbore fici, dicens Matth. XXIV. 32. *Ab arbore autem fici discite parabolam. Cùm jam ramus ejus tener fuerit, & folia nata, scitis quia propè est æstas. Ita & vos, cùm videritis hæc omnia, scitote quòd propè est in januis. Amen dico vobis, quòd non præteribit generatio ista, donec omnia fiant. Cœlum & terra*

terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Quasi eadem verba dicunt Marcus, & Lucas: in quo dicto, quamvis diversi diversa senserunt; circumstantiis tamen legitimè pensatis, quid per generationem, de quo loquitur, possit intelligi, non videtur, nisi generatio spiritualis Apostolici Ordinis.

Unde constat quòd Christus locutus est Apostolis, non tantum pro se, sed pro suis successoribus generationis illius; quantùm Apostolis, in suis personis non conveniebat. *Cum videritis hæc omnia fieri, scitote* &c. cùm ipsi per mille annos mortui sunt, A ante hæc tempora præsentia, & multa illorum signorum sunt adhuc futura. Licèt enim aliqui illorum destructionem Civitatis Jerusalem, per Titum & Vespasianum, fuerant visuri, & omnes fuerant visuri pseudo-prophetas; tamen alia signa sui adventus nullus ipsorum fuerat visurus. Unde non nisi sibi, & posteris, disjunctim conveniebat, *cum videritis hæc omnia fieri* &c. nec etiam pro se conveniebat quod illi tres Evangelistæ concorditer dicant. *Cum autem videritis hæc fieri,* sive *cum cæperint hæc fieri, levate capita vestra, cum appropinquat redemptio vestra.* Luc. XXI. 28. Redemptionem appellans, non dubium, eorum glorificationem, per Judicium finale; sed hæc suis successoribus congruebat, ut scilicet, hiis evenientibus, capita sua levarent. Unde constat totum eis esse dictum pro se, & suis suc- B cessoribus, qui faciunt unam generationem spiritualem, de qua ait Christus, *Non transibit generatio hæc, donec omnia fiant.* Luc. XXI. 32. Si verò dicatur quòd per hujusmodi generationem intelligatur generatio Christianorum, & fidelium in generali, & non specialis generatio Ordinis Apostolici; ex isto etiam satis sequitur propositum: nam si usque ad consummationem sæculi permaneat Religio Christiana, sequitur quòd usque ad consummationem sæculi erunt semper aliqui habentes potestatem Ecclesiastica Sacramenta ministrandi, ut baptisandi, peccata remittendi, desponsandi, & sic de aliis: aliàs perirent Sacramenta Legis Christianæ, & per consequens Religio Christiana. Item cùm, ut prædictum est, Ordo Apostolicus institus sit propter electos, & usque ad consummationem sæculi, semper erunt aliqui electi, videtur quòd usque ad sæculi consummationem conservabitur ipse Ordo Apostolicus; quod C fuit probandum.

Ista etiam conclusio satis patet ex dicto Christi jam allegato. Mathei ultimo. 18. *Data est omnis potestas in cœlo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi, & ecce vobiscum sum usque ad consummationem sæculi:* constat enim quòd illis personis quæ statim fuerant moriture, non erat ipse futurus omnibus diebus sæculi. Ergo in personis eorum, & suis successoribus locutus est, cum quibus usque in finem sæculi esse poterit successivè. Unde sequitur quòd potestatem ac dignitatem evangelizandi, & baptisandi in Apostolis & sibi successoribus confirmavit. Eis enim præcipuè locutus est dicendo, *docete baptisantes,* & dicendo, *vobiscum sum,* item quod dicit: *Docentes omnes gentes servare quæcumque mandavi vobis,* satis D ostendit Apostolis potestatem contulisse spirituales filios in dignitate sibi succedentes creandi. Nam cùm ipse Apostolis mandavit consecrare alios, baptisare, & ipse præcipiat eis alios docere quæ ipse mandavit eis, sequitur quòd ipse præcepit Apostolis quòd ipsi docerent alios consecrare, & baptisare, ac etiam Evangelium prædicare. Frustra autem ista docerent alios, nisi & potestatem baptisandi, consecrandi, & evangelisandi eis communicaret, unde constat quòd illi qui Apostolis legitimè successerunt, ex vigore perfectionis ordinationis, aut successionis, hanc Apostolicam authoritatem acceperunt: quod in persona Mathiæ claruit, qui statim cum per sortem fuit electus, annumeratus est cum Apostolis, sicut legitur Actuum primo Cap. Ex istis patet quod iste Ordo Apostolicus per filiorum spiritualium procreationem continuabitur, usque ad sæculi consummationem: quod fuit probandum.

Ex ista Conclusione sequitur corollarium. Quod si Episcopis, vel Archiepiscopis insit aliqua Ordinis potestas, quæ non sit in simplici Sacerdote; impossibile est, stante Christi Lege nunc currente, ipsum Episcoporum & Archiespiscoporum Ordinem ante sæculi consummationem omnimò deficere.

Istud corollarium probatur eisdem rationibus, quibus probabatur tertia Conclusio; cùm omnis Ordo quem habent Episcopi vel Archiespiscopi, institutus est à Deo, propter salutem humani generis. Non autem congruit summæ sapientiæ quod tam utilis Ordo deficiat ante adeptionem sui finis, id est antequam completus sit electorum numerus. Semper verò usque ad sæculi consummationem erunt aliqui electi. Ergo &c. Etiam omnem Ordinem quem habent Episopi, seu Archiespiscopi, illum susceperunt mediatè, vel immediatè ab Apostolis Christi. Cùm igitur probatum sit quòd Ordo Apostolicus, usque ad sæculi consummationem per spiritualium filiorum generationem conservabitur: sequitur propositum.

Secundò. Corollarium sequitur. Quòd sicut Apostoli Christi filios spirituales ejusdem Ordinis, & dignitatis cum ipsis potuerint generare, & de facto generaverint: sic eorum moderni successores, totam sui Ordinis dignitatem aliis possunt conferre, & quandoque de facto conferunt. Probatur: quia nisi sic, statim deficeret Ordo Apostolicus, qui tamen, ut probatum est, non deficiet usque ad sæculi consummationem. Igitur &c.

Ex prætactis rationibus, saltem aliquibus nititur Armacanus, concludens quòd Beato Petro successit, & usque ad sæculi consummationem semper succedet aliquis in Pontificatu summo; quia, ut asserit, Ordo Apostolicus nullatenùs permaneret, defficiente suo Principe. Istud etiam alia ratione nititur roborare; arguit enim sic: cum ratio naturalis dictet, & Philosophi gentium fateantur, quòd optimus modus regiminis cujuscumque civitatis, sit ut unus sit Princeps, sicut est in toto Universo; non est verisimile quòd summa sapientia, scilicet Christus Dei Filius, Ecclesiam suam, sive Congregationem electorum, quos sibi suo sanguine acquisivit, sine talis regiminis modo dimitteret, quin eam potiùs, sicut eam primitùs perse, ita consequenter per Petrum gubernavit, & rexit, ita usque ad sæculi consummationem simili regimine gubernabit, nisi quatenùs tale regimen intercipi contingeret Lege naturæ, per mortem præsidentis, donec alius ordinetur.

§. 2.

RESPONSIONES

Ad ea quæ objiciuntur adversùs Ecclesiæ indefectibilitatem: ubi de distinctione Episcoporum & Presbyterorum, ac utrorumque potestate & Jure.

NUNC contra prædicta restat movere aliqua dubia; & primò contra corollarium quintum primæ conclusionis, in quo dictum est, quòd Christi Lege stante, totam fidelium Congregationem, quæ nunc est Ecclesia Universalis, possibile est contra ipsam Legem aliquid obmittere vel committere. Nam si sic; sequitur quòd Ecclesia Universalis non est confirmata in gratia, cujus omne dictum est in se-

secunda parte secundæ conclusionis. Probatur assumptum & arguitur sic.

Hæc Congregatio, demonstrata Congregatione omnium fidelium, potest aliquid contra Legem Christi obmittere, vel committere: hæc Congregatio est Ecclesia universalis; ergo Ecclesia universalis potest &c. & per consequens Ecclesia universalis non est confirmata in gratia.

Item, de nullo viatorum fidelium partiali Collegio compellimur, fide firma, credere, ipsum confirmatum esse in gratia, seu charitate, ut dicit corollarium tertium primæ conclusionis. Cùm igitur de toto fidelium Collegio quod nunc est Ecclesiæ universalis, etiam non tenemur credere ipsum esse in gratia confirmatum: sequitur quòd de nulla Ecclesia compellimur credere ipsam in gratia esse confirmatam, seu charitate; & per consequens, non habemus dicere universalem Ecclesiam in gratia esse confirmatam: cujus oppositum jam satis probatum est.

Secundum dubium est, quia ex probatione secundæ partis secundæ conclusionis tantùm sequitur quòd semper fuit, & semper erit aliquis Deo gratus, & acceptus; ex hoc autem quòd unus, duo, vel tres sunt Deo grati, non consequenter potest concludi totam universalem Ecclesiam esse deo gratam. Immò, si major pars sit vitiosa, potiùs denominari potest vitiosa, quàm Deo grata. Patet igitur quòd dicta pars secundæ conclusionis non sufficienter fuit probata, & sic restat eam adhuc probare, aut irrationabiliter fuit posita.

Tertium dubium, est de eo quod tactum est in primo corollario tertiæ conclusionis, videlicet, an Episcopis vel Archiepiscopis insit aliqua Ordinis potestas, quæ non sit in simplici Sacerdote: & primò videtur quòd non, quia multa sunt peccata, de quibus simplices Sacerdotes non possunt absolvere, & tamen de illis absolvere possunt Episcopi, & Archiepiscopi, similiter simplices Sacerdotes non possunt sacros Ordines celebrare, nec Ecclesias consecrare. Hæc autem possunt Episcopi: Igitur &c.

Oppositum tamen arguitur: quia omnes Apostoli æqualem potestatem receperunt à Christo. Cùm ergo quilibet Sacerdos dicitur successor alicujus Apostoli, sequitur propositum, scilicet, quòd non est major potestas in uno Sacerdote, quàm in alio. Consequentia satis nota. Antecedens probatur authoritate Christi, dicentis cunctis tum Apostolis, Mathei. XVI. 19. *Amen dico vobis, quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Ergo æqualem potestatem solvendi, & ligandi dedit omnibus Apostolis, nec aliam potestatem dedit uni, quam non dederit alteri. Igitur &c.

Ad ista dubia est respondendum per ordinem.

Ad primum dubium, est notandum quòd per hoc quod dico, universalem Ecclesiam esse in gratia confirmatam, non intelligo eam sic esse confirmatam, ut per nullam potentiam tota possit labi in peccatum, ut jam priùs tetigi: sed per, Ecclesiam universalem in gratia esse confirmatam, intelligo quòd, stante Lege, & promisso Christi, non stat aliquam Congregationem esse Ecclesiam universalem, & quòd ipsa tota cadat à gratia, & labatur in peccatum; cùm Ecclesia universalis regitur à Spiritu sancto, & specialiter conservatur, ne tota cadat à gratia, & ne tota labatur in culpam, seu peccatum. Nam ex XXIV. Cap. *Mathei.* XIII. *Marci* & XXI. *Lucæ*, ut priùs fuit ostensum, satis concludi potest quòd usque in finem sæculi semper erunt aliqui Deo grati, & accepti: unde & *Lucæ* XXI. Cap. promisit Christus dare suis Discipulis, non tantùm pro se, sed etiam pro suis successoribus, & pro suis electis os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii ejus. Et ulteriùs eodem Capitulo, eis prædixit quòd in patientia sua possiderent animas suas. Et patet quòd cum isto promisso non stat quòd tota universalis Ecclesia labatur in peccatum, & cadat à gratia. Istud etiam non stat cum prædictis Capitulis Mathei & Marci.

Ex istis patet quòd sicut concedendum est, quòd necesse est Religiosos Ordinis Cisteriensis esse Monachos albos, si qui sint Religiosi ilius Ordinis; & tamen negandum est Religiosos Ordinis Cisteriensis necesse est esse Monachos albos, etiam supposito quòd sunt aliqui Religiosi dicti Ordinis, quia qui sunt de illo Ordine, ad strictiorem Ordinem possunt assumi, & sic possunt fieri Monachi nigri; cùm Ordo Monachorum nigorum, strictior communiter concedatur. Sic etiam in proposito concedendum est quòd necesse est Ecclesiam universalem esse Deo gratam, necessitate ordinaria, ad sensum priùs dictum, idest necesse est tali necessitate semper aliquem, aut aliquos esse Deo gratos, & acceptos; & tamen negandum est omnem Ecclesiam universalem necesse est esse Deo acceptam, vel Deo gratam; quia contraria est simpliciter concedenda, scilicet Ecclesiam universalem possibile est Deo non esse gratam, quia æquipollet isti: Aliqua Ecclesia, vel aliqua Congregatio quæ potest esse Ecclesia universalis, potest non esse Deo grata, aut accepta, quæ simpliciter est concedenda. Nam societas & populus possunt esse Ecclesia universalis, & tamen societas & populus possunt non esse Deo grati, aut accepti, ut notum est. Cum hoc tamen stat Ecclesiam universalem esse in gratia confirmatam, ad sensum priùs dictum.

Per ista satis patet qualiter respondendum est ad primam objectionem. Unde simpliciter conceditur consequens illud: Ecclesia universalis potest aliquid committere, vel obmittere contra Legem. Sed negatur consequentia. Ergo Ecclesia universalis non est confirmata in gratia. Intelligo eam esse confirmatam, juxta sensum priùs declaratum, id est non sequitur: Ecclesia universalis potest aliquid committere contra Legem Christi; ergo possibile est Ecclesiam universalem aliquid committere contra Legem Christi, vel, ergo stat aliquam congregationem esse Ecclesiam universalem, & ipsam aliquid committere, vel obmittere contra Legem Christi.

Ad secundam objectionem respondetur. Nam patet per prædictam, quòd licèt de nullo partiali viatorum fidelium Collegio teneamur asserere ipsum esse in gratia confirmatum, nec etiam compellamur credere totam Congregationem fidelium, quæ nunc est Ecclesiæ universalis, esse in gratia confirmatam: compellimur tamen tenere Congregationem universalem fidelium totam esse in gratia confirmatam, ad sensum priùs dictum; quia hoc sequitur ex sacra Scriptura, ut priùs fuit deductum. Et hæc de primo dubio.

Ad secundum dubium respondetur, dicendo quòd ex prædictis manifestè patet quòd à tempore primitivæ Ecclesiæ, semper fuit, usque nunc, aliqua Ecclesia Deo grata secundùm se totam, & usque ad sæculi consummationem etiam semper erit aliqua sic, secundùm se totam, Deo accepta, & hoc, capiendo Ecclesiam pro Congregatione omnium fidelium in hac vita degentium, juxta secundam acceptionem, *fidelis*, in isto Articulo priùs positam, scilicet pro Congregatione Catholicorum, conformiter Legi Christi in hac vita degentium. Nam priùs probatum est, quòd à tempore primitivæ Ecclesiæ semper fuerunt aliqui &, usque ad finem sæculi, semper erunt aliqui perseverantes in Fide & Lege Christi; & ista est Ecclesia, quæ propriissimè vocatur sponsa Christi. Accipiendo tamen Ecclesiam pro Congregatione omnium fidelium, id est omnium Catholicorum in hac vita degentium; Patet quòd

quòd ista est confirmata in gratia, non secundùm quamlibet sui partem, quia stat quòd aliqui de hujusmodi Ecclesia quandoque sunt vitiosi; & non in statu æternæ salutis, & ad sensum priùs dictum, sic quòd non stat, de lege ordinata, eam esse totaliter vitiosam: sed semper est aliquis, aut erunt aliqui Deo grati, & accepti, & forsan major pars est Deo grata & accepta. Licet hoc non possit inferri ex sacra Scriptura: ex sacra tamen Scriptura sufficienter infertur quòd semper erunt aliqui, aut saltem aliquis: & ad alium sensum non fuit posita

A

dicta *. Si verò dicatur, si major pars universalis Ecclesiæ sit vitiosa; potiùs debet dici vitiosa, quàm Deo grata: dicendum est quòd licèt major pars Ecclesiæ esset lapsa in peccatum; adhuc tamen convenienter diceretur non benè esse in gratia confirmata pro tanto, quia non stat eam totam labi in peccatum, nec eam esse totam vitiosam. Stat autem eam esse totam virtuosam; & sic in hoc confirmata est quòd tota non potest esse vitio irretita. Accidit etiam quandoque, quòd totum sortitur denominationem suæ partis, sicut homo dicitur simus, quia habet nasum simum. Hoc tamen propriè est quando talis denominatio, non est apta nata competere, nisi solùm illi parti cui competit; sicut nulla alia pars hominis à naso, est apta nata suscipere denominationem simi: & ideò benè concedo quòd non est simile in proposito. Dico tamen quòd propter causam priùs tactam,

B

Uniuersalis Ecclesia rationabiliter potest dici in gratia confirmata, quia scilicet non stat eam esse totam vitiosam tùm promisso & Lege Christi. Et hæc sufficiant pro responsione ad istud dubium.

Pro responsione ad tertium dubium, sunt aliqua notanda: est enim primò notandum quòd in Petro & in singulis Apostolis Christi fuit duplex potestas, scilicet potestas Ordinis, & potestas Regiminis.

Ad potestatem autem Ordinis spectat consecrare Corpus, & Sanguinem Christi, prædicare, Confessiones audire, peccata retinere, aut remittere, pœnam temporalem pro peccato injungere, & similia.

Ad potestatem verò Regiminis spectat ordinare, & gubernare subjectos, juxta doctrinam Christi, & rationem, prout habenti potestatem, de salubri consilio, saluti subditorum videbitur convenire.

C

Potestas verò Ordinis potest subdividi in septem Ordines Ecclesiasticos, videlicet in quatuor Ordines, qui minores Ordines nuncupantur; & Subdiaconatum, Diaconatum, & Sacerdotium.

Potestas autem Regiminis potest subdividi, in temporale Regimen, & spirituale: & quia de temporali Jurisdictione non quæritur hìc; idcircò de temporali spirituali Regimine, aut Jurisdictione, pro præsenti taceo.

Spirituale verò Regimen, est circa ea quæ Religioni Christianæ sunt propria, quæ in nulla alia Secta sunt reperta, nec ad Legem naturæ sunt spectantia: sicut ordinare qualiter Ecclesiastica Sacramenta sunt dispensanda, terminare causas Fidei, & similia. Regimen verò spirituale, seu spiritualis Jurisdictionis iterum potest subdividi: quia quoddam

D

habet Jurisdictionem coactivam sive coërcitivam sibi annexam; & quoddam nullam talem Jurisdictionem coarctivam habet sibi annexam.

Secundò. Est notandum quòd per simplicem Sacerdotem intelligo illum qui statum dignitatis Ecclesiasticæ, præter Sacerdotii potestatem non habet, & ob hoc simplex vocatur: alios autem voco non simplices, sed Prælatos, qui aliquam talem dignitatem præter Sacerdotii potestatem habent in Ecclesia. Dignitatem verò Ecclesiasticam præter sacerdotalem Ordinem voco Papatum, Patriarchatum, Archiepiscopatum, Episcopatum, Archidiaconatum, aut Rectoratum.

Hiis declaratis, est primò videndum de potestate Ordinis simplicium Sacerdotum, & Prælatorum. Secundò. Videbitur de potestate Regiminis eorum, & præcipuè Apostolorum Christi.

Et pro majori declaratione dicendorum, est primò videndum quid poterant Apostoli Christi per dignitatem Apostolicam, & Ordinem sacerdotalem. Unde & per ipsum Ordinem poterant baptisare; confirmare; per manuum impositionem Spiritum sanctum dare, aut impetrare eum dari ad robur; Corpus, & Sanguinem Christi conficere; prædicare, seu evangelisare; ligare, atque solvere peccata; remittere, atque retinere; infirmos inungere; alios in ista tota potestate præficere, seu spiritualiter propagare.

De Baptismo, legitur Mathei ultimo 19. *Ite, docete omnes gentes, baptisantes eos* &c. De confirmatione: Actuum VIII. 17. *Imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* De Conseratione Corporis & Sanguinis Christi: *Mathei* XXVI. *Marci* XIV. Et *Lucæ* XXII. Et prima ad Chorinth. XI. 25. *Hoc facite in meam commemorationem.* De actu ligandi, & solvendi: Mathei. XVIII. 18. *Quæcumque ligaveritis* &c. De remissione & retentione peccati: Joannis XX. 22. 23. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis* &c. De Unctionis actu: Jacobi ultimo: 14. *Infirmatur aliquis ex vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo, in nomine Domini, & oratio Fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.* De aliorum propagatione: *Actuum primo*, de Mathia: & ad Titum primo. *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicut ego disposui tibi.* Hos actus sacramentales Apostoli poterant exercere, per hanc potestatem Ordinis sacramentalis: poterant etiam Apostoli infirmos curare; dæmones ejicere; leprosos mundare; mortuos suscitare; sicut Legitur *Mathei* X. Sed hæc non videntur pertinere ad potestatem Sacerdotalis Ordinis; cùm Apostolus apertè distinguit gratias curationum, & virtutes, ab officio Apostolorum. *Prima ad Chorinth.* XII. 28. dicens: *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia. Primùm Apostolos. Secundò Prophetas. Tertiò Doctores. Deinde virtutes; exinde gratiam curationum.*

Hiis dictis, restat videre, an simplices Sacerdotes, & Prælati, sunt ejusdem potestatis Ordinis, & sacerdotalis, sive sacramentalis.

Ad quod dubium diversi diversimodè respondent. Dicunt enim quidam quòd Episcopi in consecratione sua, sacrum aliquod, seu potestatem spiritualem sacramentalem accipiunt, quâ possunt aliquos actus spirituales exercere, quos exercere non possunt simplices Sacerdotes. Unde dicunt isti quòd quinque sunt actus quos soli Episcopi possunt exercere, videlicet Ordinatio Clericorum, sive celebratio Ordinum; Consecratio virginum; Dedicatio Ecclesiarum; confectio Chrismatis; Confirmatio: manus impositio; & addunt quidam actum ligationis, & absolutionis, quo ad aliquos certos casus. Isti nituntur persuadere istam assertionem aliquibus rationibus & authoritatibus. Nam dicto XXIV. Cap. *prælectis*, habetur quòd ad Episcopum pertinet, ultra ea quæ pertinent ad simplicem Sacerdotem, Basilicarum consecratio, unctio Altaris, confectio Chrismatis, Ecclesiasticorum Ordinum distributio, Sacrarum virginum consecratio: & quia ibi non fit mentio de Confirmatione, ideò ipsi specialiter sic probant quòd soli Episcopi habeant potestatem confirmandi: quia *Actuum* VIII. habetur quòd cùm Philippus prædicasset Samaritanis, aut eos baptisasset, & non confirmasset, ac *Apostoli, qui erant Jerosolimis audissent quod recepisset Sama-*

* *Forte deest* acceptio.

maria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem, qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum. Act. VIII. 14.

Ex quibus videtur quòd soli Apostoli, quibus soli succedunt Episcopi, ut asserunt, Sacramentum Confirmationis dederunt; quia si Philippus potestatem confirmandi habuisset, verisimile eos confirmasset, sicut eos baptisavit.

Secundò. Arguitur per illud quod habetur in Decreto, *Distinctione* 21. *In novo Testamento.* Nam & A in dicto Cap. Sic habetur. *Ipsis* scilicet Apostolis *decedentibus, in eorum loco surrexerunt Episcopi.* Loquitur enim de Apostolis. Et statim post sequitur: *Videntes autem Apostoli messem esse multam, & operarios paucos, rogaverunt Dominum messis, ut mitteret operarios in messem suam. Unde ab eis electi sunt septuaginta duodecim discipuli: quorum typum gerunt Presbyteri: atque in eorum loco sunt constituti in Ecclesia.* Ex isto Capitulo apparet, quòd Apostoli fuerunt majoris dignitatis, quàm dicti 72. Discipuli, & quòd soli Episcopi succedunt Apostolis. Simplices verò Sacerdotes succedunt dictis 72. Discipulis, & per consequens, Episcopi sunt majoris dignitatis, & potestatis Sacramentalis, quàm simplices Sacerdotes.

Tertiò. Arguunt isti principaliter, de Confirmatione, per Cap. *Quanto de benignitate*, quòd habetur *Lib.* I. *Decretalium*, Titulo, *de Consuetudine. c. Quanto.* in quo Cap. scribit Papa Vicario suo, apud B Constantinopolim constituto: ita dicit. *Ad audientiam nostram pervenit, quòd quidam simplices Sacerdotes apud Constantinopolim ea Sacramenta præsumant fidelibus exhibere, quæ ab Apostolorum tempore fuerunt solis Pontificibus reservata, ut est, Sacramentum Confirmationis, quod crismando renatos sibi debent Episcopi per manus impositionem conferre; ad excusandas excusationes in peccatis solam consuetudinem prætendentes.* Et infra *Distinct. t. Mandamus quatenùs omnibus Presbyteris districte prohibeas, ne talia, de cætero, sua temeritate præsumant, quæ licèt non sint à fidelibus contemnenda, tutius tamen est ea sine periculo, ex necessitate quæ Legem non habet obmittere, quam ut ab his quibus ea conferre non licet, ex temeritate, quæ Lege damnatur, non sine gravi periculo inaniter conferantur: cùm umbra quædam ostendatur in opere: veritas autem subeat in effectu.*

Ex ista ultima particula manifestè apparet, ut asse- C runt isti, quòd simplices Sacerdotes naturaliter non conferunt Sacramentum Confirmationis, etiamsi totis viribus ipsi nitantur illud conferre: & per consequens, sequitur quod Episcopi sunt majoris dignitatis sacramentalis, quàm simplices Sacerdotes.

Quartò. Arguunt isti, authoritate beati Dionysii, in *De Ecclesiastica Hierarchia.* Cap. 5. Dionysius, distinguens propria opera Episcoporum, ab operibus Sacerdotum: dicit quòd *Divina Lex segregavit in hereditatem hierarchicis, idest Episcopis & Archiepiscopis, & cæteris Prælatis, ista opera, videlicet hierarchiarum Ordinum sanctificationem, divini unguenti perfectionem, seu confectionem, & Sacramenta Altaris, perfectionis operationem.* Unde patet quòd ista tria subtrahit à simplicibus Sacerdotibus, scilicet collationem Ordinum, confectionem olei Sacri, & Ecclesiarum, seu Altaris Consecrationem, vel Dedicatio- D nem; affirmans quòd hæc tria, divina Lex hierarchicis singulariter segregavit.

Patet igitur quòd Episcopi sunt majoris potestatis, etiam loquendo de potestate Ordinis, quàm sunt simplices Sacerdotes, & confirmatur ratio: quia in eo dicto subdit Beatus Dionysius: *Minores enim ad meliora transilire nequeunt, nec fas ipsis est ad talem conari jactantiam.* Ubi ex intentione videtur affirmare, quòd minores nequeunt majora opera facere. Ex quo evidenter sequitur propositum.

Quintò. Arguunt sic. In veteri Testamento soli summi Sacerdotes prædicta opera exercebant, aut saltem ab ipsis solis hæc facta fuisse leguntur. Et in Novo Testamento, Ecclesia hactenùs observavit, & in præsenti hoc idem observat. Nam Exodi XXIX. & XXX. Et Levitici VIII. Capitulis, legitur Moyses hæc opera singulariter perfecisse, & filium summi Sacerdotis unctum debere hoc facere. Nam etsi simplices Sacerdotes hæc opera exercere possent, non est verisimile quin tempore primitivæ Ecclesiæ aliquis simplex Sacerdos, non Episcopus, ab aliquo Prælato delegatus, seu commissus, aliqua, seu aliquod dictorum actuum in aliquo casu exercuisset.

Patet igitur quòd cùm non legitur quòd aliquis simplex Sacerdos aliquod prædictorum actuum unquam exercuerit, quòd ob hoc fuit, & est, quòd simplices Sacerdotes non habent ex Ordine Sacerdotali potestatem hujusmodi opera faciendi, vel exercendi. Et sequitur quòd Episcopi sunt majoris potestatis sacramentalis.

Sextò. Arguunt sic. Frustra Episcopi consecrarentur, nisi novum Ordinem, seu novam potestatem reciperent: nam etsi dicatur quòd non recipit novum Ordinem; pari ratione potero dicere, quòd cum Subdiaconus fit Diaconus, quòd ipse nullam novam accipit potestatem. Unde, & cùm aliquis priùs Episcopus, fit Archiepiscopus; non opportet eum consecrari, nec etiam de facto consecratur, eo quòd de novo nullam sacramentalem potestatem accipiat; sed solùm quamdam regiminis potestatem, quam priùs non habebat. Patet igitur quòd in consecratione Episcopi confertur aliquis Ordo, seu aliqua sacramentalis potestas quâ hujusmodi consecratus priùs caruit. Et sequitur propositum.

Istæ sunt rationes hujus opinionis.

Dicunt alii quòd Episcopus in consecratione nihil de novo recipit quoad potestatem sacramentalem, seu Ordinis; & sic consequenter dicunt quòd nullus, quantumlibet magnæ dignitatis, in regimine habet quidquam ampliùs de potestate Ordinis, seu de potestate sacramentali, quàm simplex Sacerdos; sed solam regiminis potestatem. Dicunt etiam quòd omnes Apostoli fuerunt ejusdem potestatis sacramentalis, nec in eis fuit major Ordinis potestas, quàm in hiis quos simplices Sacerdotes vocamus, quales, non dubium, instituerunt per diversas particulares Provincias & Ecclesias. Et sic consequitur quòd omnes Sacerdotes Prælati, & non Prælati, sint ejusdem, vel æqualis potestatis Sacramentalis; quæ potestas per Apostolos, qui eam immediatè à Christo susceperunt, aut Christi Discipulos, in utrosque derivatur, propagatione spirituali in posteros. Ulteriùs tamen dicunt isti quòd rationabiliter Ecclesia statuit quòd actuum sacramentalium nonnulli per solos Episcopos debeant exerceri, ut eis in regimine major reverentia, & amplior obedientia exhibeatur à subditis.

Aliam etiam rationem isti assignant, dicentes quòd à tempore distinctionis Ecclesiarum & Parochiarum, nullus licitè actus hujusmodi sacramentales potest exercere, nisi in illis locis in quibus habet regiminis potestatem; quam quia simplices Sacerdotes non habent, non possunt actus hujusmodi licitè exercere, nisi actus illi ab habentibus potestatem in illis locis, illis Sacerdotibus simplicibus committantur. Hæc autem restrictio potestatis Sacerdotalis non fuit in primitiva Ecclesia; unde collatio Ordinum, Consecratio olei, Dedicatio Ecclesiarum, licitè non possunt nunc exerceri, nisi ab illis Sacerdotibus qui habent regere alios, & curam gerere aliorum, cùm ordinati debent Ordinatoribus esse meritò subjecti, & præsidentes populis, debent eorum Altaria & Ecclesias consecrare, & Sacrum oleum conficere, & non alii. Ideò hæc opera sunt propria hierarchicorum, scilicet, Præsidentium, & non quorumlibet Sacerdotum.

Unde

Unde & aliqui prædictæ opinionis dicunt quòd Sacerdos non habet, ex Ordinis Sacramento, potestatem exercitii actus Sacramentalis alicujus, nisi tantùm consecrationis Corporis & Sanguinis Christi; quia actus iste subjectionem non exigit alicujus: alios autem actus sacramentales non potest sine licentia licitè exercere, ut est actus baptisandi, absolvendi, confirmandi, ungendi, &c. Et isti allegant Beatum Dionysium, in *De Ecclesiastica hyerarchia. Cap.* 2. qui dicit, quòd *Baptisandus, in primitiva Ecclesia baptisabatur ab hyerarchicis Sacerdotibus, aliis eis assistentibus ministris.* Quia tamen, propter multitudinem conversorum, consequenti tempore, opportuit alios à hyerarchicis, scilicet Episcopis, baptisare, & alia opera Sacramentalia exercere: ideò sub Episcopis fuerunt ordinati Sacerdotes, quibus regimen certæ villæ, aut certæ Parrochiæ fuit commissum, ut possint Sacramentalia opera ad salutem conversorum necessaria exercere: nunquam tamen committi solebat hujusmodi, inferioribus in regimine, exercitium potestatis celebrandi Ordines, aut consecrandi oleum Sanctum, seu Ecclesias, sive Altaria, quia in veteri Testamento, soli summi Sacerdotes hæc talia faciebant, aut saltem ab ipsis solis hæc facta fuisse leguntur. Ideò in novo Testamento Ecclesia hoc idem observat, & horum actuum exercitium solis Episcopis reservavit, & aliis minoribus nunquam hujusmodi consecrationes committit, nec fas est ipsis minoribus ad talem conari jactantiam, quia scilicet non possunt talia licitè exercere; non quia eis de substantia Ordinis quicquam desit; sed solùm potestas regiminis, qua potestate habita per Ordinem sacramentalem quem habent, possunt actus hujusmodi licitè exercere.

Nam &, secundùm istos, si omnes Episcopi essent defuncti, Sacerdotes minores possent Episcopos ordinare, & etiam consecrare: & per ista solvunt isti rationem quartam alterius opinionis, quâ videlicet arguebatur authoritate Beati Dionysii in *de Ecclesiastica hierarchia Cap.* 5. Unde dicunt quòd exercitium dictorum actuum sacramentalium Ecclesia solis Sacerdotibus reservavit, sive Lex divina; nec minores possunt licitè talia exercere, nec ad talem fas est eis conari jactantiam. Cum hoc tamen stat quòd simplices Sacerdotes, & Prælati, ejusdem sint potestatis sacramentalis, sive consimilis, quod alii negant.

Istam opinionem isti nituntur probare similibus sacræ Scripturæ testimoniis, & rationibus.

Arguunt enim primò sic: Si in consecratione Episcopi dicatur quòd Episcopus recipit novum Ordinem sacramentalem, pari ratione dici poterit, quòd Abbates Ordinis Sancti Benedicti, Sancti Augustini, & Sancti Bernardi, novum Ordinem recipiunt, quando per Episcopos consecrantur, seu benedicuntur. Quod si dicatur: cùm isti gradus seu status, sint ex hominum inventi sola devotione, non à Christo, aut ejus Apostolis instituti, licèt sint meritò ab Ecclesia approbati; sic consequenter poterimus affirmare, quotquot volumus sacros Ordines, saltem possibiles in Ecclesia Christiana, * cùm hominum devotio poterit quotquot voluerit invenire, & inventos poterit legitimè approbare, etiam inventorum Ordinum Præpositos, quatuor scilicet Ordinum Mendicantium Provinciales, & eos quos Custodes in uno Conventu vocant, & quos Guardianos, sive Priores in alio, posset Romana Ecclesia consecrare, nec ob hoc esset concedendum quòd simplices Fratres Sacerdotes essent minoris potestatis sacramentalis. Ergo propter consecrationem Episcoporum, non est asserendum quòd aliquem novum Ordinem in dicta consecratione recipiant; sed solùm consecrantur ut fiant sanctiores, per susceptionem gratiæ amplioris, ut ferventiùs diligentes gregem Christi, circa regimen ipsius sint magis solliciti, & attenti. Nam & Reges in sua coronatione consecrantur, nec ob hoc diceret aliquis quòd Reges in hujusmodi consecratione aliquem Ordinem, aut aliquam potestatem Ecclesiasticam recipiant. Unde & quando Apostoli Christi, post ejus Ascensionem, Spiritum sanctum receperunt, non dubium, sacrificati * fuerunt, nec ob hoc est asserendum quòd illo tunc novam dignitatem Sacramentalem receperint. Ergo propter consecrationem Episcopi non est asserendum quòd consecratus aliquem novum Ecclesiasticum Ordinem recipiat. Ex istis patet solutio sextæ rationis, aliorum opinionem contrariam ponentium.

Secundò. Isti arguunt sic. In Scripturis Evangelicis, aut Apostolicis, non invenitur aliqua distinctio inter Episcopos & simplices Sacerdotes, qui Presbyteri appellantur: ergo in omnibus est una & æqualis potestas ex Ordine. Ecce enim Paulus Apostolus, *ad Titum* 1. Cap. 5. Titum ejus discipulum sic alloquitur. *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per Civitates Presbyteros, sicut ego tibi disposui, si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Opportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem* &c.

Ex quibus patet quòd Apostolus eosdem appellat Presbyteros, ad curam populi in civitatibus constitutos, & Episcopos: quia ex hoc quod dicit, *opportet Episcopum sine crimine esse &c.* eum instruit ordinare Presbyteros.

Idem Paulus sicut legitur *Actuum* xx. 18. in Mileto existens, vocavit ad se majores natu Ecclesiæ Ephæsiorum. *Qui cum venissent ad eum & simul essent, dixit eis: vos scitis à prima die qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino cum omni humilitate.* Et post pauca ỷ. 27. sequitur, *Non enim subterfugi quominus annuntiarem consilium Dei vobis. Attendite vobis, & universo gregi, in quo Spiritus sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Ubi planissimè patet quòd majores natu Ecclesiæ Ephæsiorum vocat omnes Episcopos, scilicet omnes qui aliorum curam habebant. Unde idem est Episcopus, quòd superintendens, sive speculator. Patet igitur propositum.

Quartò, Arguitur sic. Cùm Apostolus, 1. *ad Timoth.* III. *Cap.* 2. describens quales conditiones debeat habere Episcopus, sic dicit: *Opportet Episcopum esse irreprehensibilem, unius uxoris virum* &c. & immediatè adjungit ỷ. 8. *Diaconos similiter pudicos, non bilingues &c.* Unum constat quòd inter Ordinem Episcopalem, & Ordinem Diaconatûs, non est Ordo medius, ** quando si quis esset, notandum quando iste Doctor maximus qui suum Evangelium recepit à Christo, ut ipse scribit, *ad Galath.* 1. derelictum suum Discipulum Thimotheum ita de eo instruxisset, & ei regulas dedisset, sicut de superiori & inferiori Ordinibus regulas sibi dedit.

Quinto. Arguitur sic: Paulus 1. *ad Corinth.* XII. 27. distinguens membra Ecclesiæ ita dicit: *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia: primùm Apostolos; secundò Prophetas; tertiò Doctores; deinde virtutes; ex inde gratias curationum; opitulationes; gubernationes; genera linguarum; interpretationes sermonum* &c. Unde constat quòd Ordo Sacerdotalis, & Episcopalis, aut omninò non exprimitur, aut nomine Apostolorum, & Episcopi & simplices Sacerdotes designantur, & videntur esse unius & æqualis Ordinis omnes Apostoli, & quicumque Sacerdotes, Episcopi, vel non Episcopi. Unde cum Ecclesia principaliter sit fundata in Sacerdotibus: constat quòd Paulus numerando membra Ecclesiæ, Sacerdotes non obmisit, nec errando eos postposuit.

* Locus corruptus.

* *fortè* sanctificati. ** *fortè* quia.

Et ideò videtur quòd eos sub Apostolorum nomine intellexit; cùm Ordo Sacerdotalis sit majoris dignitatis in Ecclesia, quàm Prophetia, cùm actus incomparabiliter habeat nobiliores: quia, non dubium, nobiliùs est consecrare Corpus, & Sanguinem Christi, baptisare, absolvere, peccata retinere, quàm futura prædicere, &, per consequens, Ordo Sacerdotalis debet postponi Prophetiæ. Et ita verisimiliter videtur quòd Paulus postposuit, & quòd nomine Apostolorum, quosque Sacerdotes intellexit, & quòd omnes sint cum Apostolis ejusdem Ordinis sacramentalis.

Item, ad Ephesios IV. 11. dicit Apostolus. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores: ad consummationem Sanctorum.* Ubi Presbyteri omninò non ponuntur; aut nomine Apostolorum, vel Pastorum designantur. Patet igitur propositum.

Sextò. Isti arguunt sic, authoritate Beati Jeronimi, quæ ponitur, *Distinct.* 93. *Cap. Legimus.* Ait enim Jeronimus. *Cùm Paulus perspicuè doceat eosdem esse Presbyteros quos Episcopos, quid patitur mensarum & viduarum Minister* &c. Et infra. *Audi aliud testimonium: in quo manifestè divulgatur, vel comprobatur eundem esse Presbyterum, & Episcopum.* Et aliquibus interpositis, subjungit: *Quod autem postea unus electus est ut cæteris præponeretur: in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Ecclesiam Christi rumperet. Nam & Alexandriæ, à Marco Evangelista, usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant.* Et statim post ait Jeronimus: *Quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat.* Quasi dicat nihil.

Unde ex istis manifestissimè apparet quòd Jeronimus voluit dicere, quòd Episcopi non sunt majoris potestatis sacramentalis, quàm cæteri Sacerdotes: quod erat probandum.

Septimò. Arguunt isti authoritate ejusdem, super Epistolam, ad Thimotheum, quæ ponitur, *Distinctione* 95. *Cap. Olim.* Ait enim Jeronimus. *Olim idem erat Presbyter, qui & Episcopus: & antequam diaboli instinctu studia, vel schismata in Religione fierent, & diceretur in populis, ego sum Pauli: ego sum Apollo: ego sum Cephæ; communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur: postquam autem unusquisque eos quos baptisaverat suos esse putabat, non Christi: in toto Orbe decretum est, ut unus de Presbyteris supponeretur, & schismatum semina tollerentur.* Et paulo post *Sicut igitur Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine, ei qui sibi præpositus fuerit esse subjectos: ita & Episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispensationis Dominicæ veritate, Presbyteris esse majores, & in communi debere Ecclesiam regere.*

Ex his patet manifestissimè quòd olim idem erat Presbyter & Episcopus; & in toto Orbe decretum est, ut unus de Presbyteris supponeretur, & schismatum semina tollerentur. Ex quo patet quòd Episcopus, & simplex Sacerdos, sunt ejusdem potestatis sacramentalis. Puta* isti adducunt alias rationes, quibus probare nituntur in particulari de dictis actibus sacramentalibus propriis Episcopis, & Prælatis, juxta assertionem primæ opinionis, quòd dictos actus simplices Sacerdotes possunt etiam exercere, absque susceptione novi Ordinis sacramentalis: licèt juxta Decreta Romanæ Ecclesiæ, illos non possint licitè exercere, nisi efficiantur Episcopi, vel Archiepiscopi. Et primò, istud probatur de Confirmatione, per Apostolum I. ad Thimoth. IV. 14. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manus Presbyteri.* Quod videtur ob hoc dictum, ut ostendatur quòd manus impositio, ut detur Spiritus sanctus, ad potestatem Presbyteri pertineat: Hæc enim nomina apud nos, scilicet Presbyter, & Sacerdos, sunt unius significationis. Nisi ergo adversarii, contra rationem, & præter testimonum sacræ Scripturæ, dicere voluerint, solos Episcopos, nomine Presbyteri ibi debere intelligi, & in aliis dictis similibus; satis ex hoc dicto poterit apparere actum Confirmationis, non solùm ad Apostolos, sed ad omnes Presbyteros pertinere.

* Locus corruptus.

Secundò. Ad id, ex Scriptura sacra non reperitur
A quòd Paulus Apostolus istud Sacramentum unquam receperit, nisi ab Anania, qui fuit quidem Discipulus Damasci, qui, ut legitur, *Actuum* IX. imposuit manus Paulo; aut ab aliis Doctoribus, & Prophetis qui erant Antiochiæ, qui manus Paulo & Barnabæ imponebant, sicut legitur Actuum XIII. 1. ubi sic legitur. *Erant autem in Ecclesia quæ erat Antiochiæ, Prophetæ, & Doctores, in quibus erat Barnabas, & Simon qui vocatur niger, & Lucius Cyrenensis, & Manaen, Herodis Tetrarchæ collactaneus, & Saulus. Ministrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dicit Spiritus sanctus: segregate mihi Paulum & Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes & orantes, imponentes que eis manus, dimiserunt eos &c.* Quodcumque autem istorum dicatur; sequitur quòd Paulus prædictum Sacramentum ab uno simplici Discipulo, aut à pluribus Discipulis, non Apostolis, receperit: & per consequens, simplex Sacerdos hujusmodi Sacramentum potest conferre, nec est dicendum quòd Paulus prædictum Sacramentum un-
B quam receperit. Igitur &c.

Iterùm, isti arguunt specialiter de propagatione spirituali, probantes quòd quilibet Sacerdos potest ex suo Ordine, Ordines Ecclesiasticos conferre & celebrare: & arguunt per Apostolum, ad Titum I. 5. dicentem Tito: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per civitatem Presbyteros, sicut ego disposui tibi.* Cùm igitur Titus fuerit Discipulus, nec ex Scriptura habetur quòd fuit Episcopus; sequitur propositum.

Secundò, ad idem. Naturale videtur unicuique rei naturali corporali, dispositionis perficere,* ut possit continuari in sua natura, & in sua specie, cùm in uno supposito continuari non potest. Ergo congruit ut Deus talem potestatem cuilibet Sacerdoti communicaverit. Puta, arguunt isti de actu Absolutionis, seu absolvendi & ligandi, probantes quòd quicum-
C que Sacerdos potest à quocumque peccato absolvere, quantùm est ex sui Ordinis potestate: licèt licitè simplex Sacerdos non possit ab aliquibus peccatis, Episcopis, & Pontificibus reservatis. Dicunt tamen quod si simplex Sacerdos à talibus absolvat, quòd illi sunt verè absoluti, aliis tamen conditionibus habitis, quæ requiruntur ad hoc quod quis verè absolvatur à peccato, seu peccatis. Et ad istud probandum isti argunt sic. Simplex Sacerdos absolvere potest à peccatis maximis, ut est blasphemia in Spiritum sanctum, peccatum superbiæ, peccatum iracundiæ, peccatum avaritiæ excessivæ, quæ, non dubium, sunt majora, quàm infringere vota peregrinationis, vel quàm percussio Clerici, a quibus Ecclesia Romana simplices Sacerdotes absolvere non permittit. Ergo, quantùm est ex Ordinis sacramentalis potestate, ab hiis minoribus etiam possunt absolvere. Nec valet dicere quòd Papa potest ligare potestatem cujuscumque Sacerdotis: quia licèt ita
D sit, non tamen sequitur quin, si absolvat, quòd talis quem absolvit sit verè absolutus: licèt Sacerdos absolutus peccaret, eo quod contra Præceptum Papæ ipse absolveret. Nam si Papa prohiberet, ex aliqua causa rationabili, quòd Sortes simplex Sacerdos non celebraret diebus Dominicis; non obstante hujusmodi præcepto, diebus Dominicis ille posset celebrare, si vellet; celebrando tamen peccaret: & tamen ita potest Papa ligare postetatem Sortis ad unum, sicut ad aliud. Nam de facto, licèt sit præceptum

* *fortè meliùs* perfectæ.

ceptum ab Ecclesia quòd nullus celebret nisi jejunus; potest tamen Sacerdos celebrare Corpus & Sanguinem Christi post prandium, sicut potest jejunus: licèt sic agendo peccaret. Patet igitur propositum.

Item, quòd hæc potestas sit in quocumque Sacerdote, ex hoc constat quòd non prohiberetur eis talis actus simpliciter, sed cum exceptione, nisi in articulo mortis; nec semper erant eis prohibiti, sed A paulatim per summos Pontifices, certi casus fuerint sibi prohibiti. Unde sequitur quòd habent potestatem absolvendi hominem in articulo mortis constitutum, à quocumque peccato: sed ex suscepto Ordine sacerdotali, non magis habent potestatem absolvendi hominem in articulo mortis, quàm aliàs, dùm tamen pœniteat; nec quicquam, per talem prohibitionem, de potestate sacerdotali Ordinis eis subtrahitur. Unde manifestè sequitur propositum.

Item, sive potestas absolvendi, & ligandi, fuerit collata Apostolis, in ipsorum Ordinatione ad officium Apostolatûs, de qua ordinatione habetur, *Marci* III. Sive quando Christus Apostolis dixit: *quæcumque ligaveritis* &c. Mathei XVIII. 18. Sive post Resurrectionem, quando insufflavit in eos, & dixit B eis: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis* &c. Joannis XX. 22. Sive in die Pentecostes, quando dedit eis Spiritum sanctum, sicut legitur, *Actuum* II. constat quod illa potestas ex institutione una fuit indivisa, sive data erat Apostolis & Discipulis; sive solis Apostolis. Ergo quiscumque successor eorum quibus data est, eam totam accipit. Cùm igitur data erat eis absolvendi simpliciter à quocumque peccato; sequitur quòd omnis successor eorum quibus erat data, talem in sua ordinatione accepit, vel accipit potestatem, ut à quocumque peccato possit absolvere, sicut sui prædecessores. Et sic sequitur propositum.

Ex isto capite dicunt isti quòd quoad potestatem ligandi & solvendi, sive remittendi peccata, vel retinendi, sive baptisandi, aut consecrandi, aut benedicendi; quò etiam ad quamcumque potestatem actus sacramentalis expressam à Christo in Evange- C lio, quòd quiscumque Sacerdos in ordinatione sua totam accepit, aut nihil ipsius: cùm singula simul, & indivisa, seu conjuncta sint data à Christo: *Quod autem Deus conjunxit, homo non separet.* dicit Christus: sicut legitur Mathei XIX. 6. & Marci X. 9.

Istæ sunt rationes istius opinionis, quibus isti nituntur probare quòd omnes Sacerdotes, Prælati & non Prælati, sunt ejusdem Ordinis sacramentalis. Dicunt isti insuper, quòd rationes primæ opinionis, nullius sint vigoris. Nam primam rationem quæ allegat Capitulum *Perlectis* quod habetur, *Distinct.* 25. solvunt isti dicentes, quòd illud Cap. dicit quòd *ad Episcopos solos pertinet* juxta Decreta & consuetudines Romanæ Ecclesiæ, *Basilicarum consecratio: Unctio Altaris* &c. & hoc est verum: & ideò soli Episcopi actus hujusmodi licitè possunt exercere. Cum hoc tamen stat quòd simplices Sacerdotes habent essentialem potestatem sacramentalem hujusmodi a- D ctus exercendi. Licèt licitè non possint talia exercere, eoquod eis est prohibitum ab Ecclesia.

Ad rationem verò quâ probatur quòd soli Apostoli poterant confirmare; quia, *Cùm audivissent Apostoli, qui erant Jerosolimis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem* &c. Ut legitur, *Actuum* VIII. 14. Dicunt quòd isti per illud factum non possunt probare illud quod astruunt; cùm ibi non dicitur quòd ideò Apostoli Petrum & Joannem Jerosolimis miserunt, ut confirmarent Samaritanos: sed dicitur ℣. 15. quòd *cùm venerunt, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum, quia nondum in quoquam illorum venerat.* Potest etiam dici quod Philippus, ex causa rationali, non confirmavit, aut voluit confirmare Samaritanos; aut quia antequam posset eos confirmare, monitus est ab Angelo ut obviaret eunucho, sicut legitur in eodem Capitulo; aut quia opus suum in illâ civitate magna Samariæ noluit perfectè consummari per actum Confirmationis, ut Fides quam evangelisaverat ampliùs confirmaretur, aut ex alia causa rationali nobis occulta. Et sic ex illo facto Philippi, non videtur à simplicibus Sacerdotibus actus Confirmationis exclusus.

Ad secundam rationem quæ allegat causam in Novo Testamento; respondent quòd Episcopi succedunt Apostolis, ratione regiminis, & non simplices Sacerdotes: omnes tamen succedunt ipsis, ratione Ordinis sacerdotalis; & ideò soli Episcopi debent succedere Apostolis, quia succedunt eis, ratione Ordinis, & ratione regiminis. Simplices Sacerdotes debent succedere 72. Discipulis, quia eumdem habent Ordinem 72. Discipuli, scilicet sacerdotalem Ordinem; non autem habuerunt tale regimen sicut Apostoli, dicti 72. Discipuli, nec etiam illud regimen habent simplices Sacerdotes, sed soli Episcopi. Dicunt tamen aliqui quòd 72. Discipuli, aut saltem ipsorum nonnulli non habuerunt Ordinem sacerdotalem; nec ex sacra Scriptura potest concludi quòd primum Ordinem habuerint, quia solùm misit illos Deus prædicare, & curare infirmos, ut legitur, *Lucæ* X. Et sic, secundùm istos, simplices Sacerdotes non succedunt dictis 72. Discipulis: Qualitercumque tamen dicatur, apparet solutio rationis.

Ad tertiam rationem quæ arguit per Capitulum *Quanto de benignitate.* Lib. I. Decret. *Tit. De consuetudine.* Dicunt quòd ex illo Cap. non excluditur potestas confirmandi simplicibus Sacerdotibus; cùm ibi dicatur. *Tutius est ea sine periculo, ex necessitate quæ Legem non habet, obmittere; quàm ut ab his quibus ea conferre non licèt* &c. Non dicit, quàm ab hiis qui ea conferre non possunt, sed dicit, *quàm ab hiis quibus ea conferre non licet*, ut ostenderet simplices Sacerdotes habere potestatem sacramentalem confirmandi: licitè tamen illa potestate uti non possunt. Et quando arguitur per ultimam particulam dicti Capituli, ubi sic legitur. *Cùm umbra quædam ostendatur in opere, veritas autem non subeat in effectum.* dicunt isti quòd ibi dicitur quòd si quis ex temeritate vellet à simplici Sacerdote confirmari, & simplex Sacerdos, etiam ex temeritate, vellet talem confirmare, quòd tunc Sacerdos ipse non verè confirmaret; & hoc est verum, propter indispositionem illius qui ex temeritate & præsumptione vult confirmari à simplici Sacerdote; quia talis præsumptio foret peccatum, & stante tali peccato, non reciperet Spiritum sanctum.

Quartam rationem, quâ arguitur, authoritate beati Dionysii, in *De Ecclesiastica hierarchia*, dicunt esse solutam per ea quæ dicta sunt in explanatione, & declaratione suæ opinionis.

Quintam rationem dicunt esse solutam per id quod solvitur ratione quarta.

Sextam etiam rationem dicunt esse solutam per priùs dictam: quia dictum est quòd Episcopi non consecrantur, ut novum Ordinem sacerdotalem, vel sacramentalem recipiant; sed ut fiant sanctiores & magis ferventes circa regimen gregis Christi sibi commissi, ut etiam in majori reverentia habeantur, & ampliùs eis obediatur. Sic solvunt isti rationes primæ opinionis. Illi verò qui tenent primam opinionem, nituntur etiam rationes istorum dissolvere, & enucleare.

Unde ad primam rationem, quæ videtur inferre, quòd devotio hominum posset quotquot vellet Ordines novos instituere, & institutos posset etiam approbare; dicunt quòd non sequitur quòd cùm Abbates consecrantur, non eis confertur alius

alius Ordo, quàm Ordo Episcopalis, si eis aliquis Ordo de novo conferatur: & ideò potest dici quòd inter Episcopos & Abbates non est differentia, ex parte Ordinis sacramentalis, si concedatur quòd eis conferatur aliquis Ordo de novo; sed una est differentia in potestate regiminis, & propter hujusmodi differentiam, & diversitatem, unus dicitur Abbas, alius Episcopus. Et etiam cùm conceditur quòd homines possent quotquot nomina vellent diversa imponere, ad significandum illos qui hujusmodi dignitatem Episcopalem habent; non tamen ob hoc sequeretur diversitas in Ordine, sed solùm ex congnotatione nominum. Et patet quòd ratio non concludit. Quod verò assumitur quòd Reges consecrantur, & tamen non recipiunt &c. Hoc est verum quòd consecrantur; sed non est similis forma in consecratione ipsorum, & consecratione Episcoporum. Quare ratio non concludit.

A

Secundam autem, tertiam & quartam rationes isti solvunt per hoc, quòd nomen Episcopi quandoque largè sumitur pro omnibus hiis quibus commissum est regimen certæ Villæ, aut Parochiæ, quia idem est Episcopus & superintendens, sive speculator. Ille verò Sacerdos, cui commissum est regimen certæ Parochiæ debet speculari, & intendere super Parochiam sibi commissam, sicut Episcopus super Provinciam totam, etiam sibi commissam. Immò quandoque, per Episcopi nomen intelliguntur quicumque Ministri Ecclesiæ, quia debent intendere & vigilare circa ministerium eis commissum. Quandoque etiam in sacra Scriptura, nomine Presbyteri, intelliguntur Episcopi & Sacerdotes simul. Et per ista, isti solvunt dictas rationes.

B

Ad quintam rationem dicunt quòd Apostolus Paulus per Apostolos, intellexit Episcopos: per gubernationes, intellexit alios Curatos Sacerdotes, quibus videlicet est commissum regimen certæ Parochiæ.

Ad id verò quod dicitur, quòd non est verisimile quòd Paulus numerando membra Ecclesiæ erraverit, in præponendo, vel postponendo dicta membra juxta dignitates suas: respondetur quòd ad illum Ordinem præponendum non advertit Paulus, nec est magna vis numerare sic membra Ecclesiæ, ut præponerentur, vel postponerentur qui majoris sunt dignitatis. Nam 1. *ad Chorinth.* XII. Paulus nominat Doctores tertio loco; &, *ad Ephes.* IV. eosdem nominat quinto loco: & sic patet quòd Paulus ad dictum Ordinem minimè advertebat.

C

Ad sextam & septimam rationes, quibus arguitur, authoritate Beati Jeronimi: diversi diversimodè respondent. Dicunt enim quidam quòd Jeronimus voluit tantùm dicere, quòd omnes Presbyteti & Episcopi sunt ejusdem potestatis sacramentalis, quoad consecrationem Corporis & Sanguinis Christi.

Alii verò illud dictum Jeronimi, *Quid facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbiter non faciat.* glossant isto modo. *Excepta ordinatione*, idest exceptis eis quæ competunt Episcopo, ratione Ordinis Episcopalis. Sed, meo judicio, benè consideranti Capitula prædicta, satis apparet quòd Jeronimus voluit dicere quòd simplex Sacerdos eamdem habet, vel æqualem potestatem sacramentalem, sicut & Episcopus, & quòd olim idem erat Presbyter, & Episcopus; & quòd Presbyteri ex se unum eligebant quem Episcopum vocabant, ad tollendum schismata & divisiones quæ oriebantur, & oriri poterant in Ecclesia sancta Dei: & ideò difficile est benè solvere istas rationes, nisi quis velit dicere, quòd Jeronimus fuit illius opinionis, & eam simpliciter negare, quod non libenter facerem.

D

Ad alias rationes quibus isti nituntur probare quòd simplices Sacerdotes possunt confirmare, respondent illi de prima opinione. Unde cùm arguitur per Thimoth. IV. 14. dicentem *noli negligere &c.* Dicunt quòd, ut jam dictum est, nomine Presbyteri intelliguntur Episcopi.

Ad aliam rationem quâ arguitur, de Confirmatione Pauli: dicunt quòd in Anthiochia in qua notabiliter creverat Ecclesia, & Fides Catholica, Apostoli constituerunt Episcopum aliquem, vel Episcopos, & ab illis confirmatus est Paulus.

Ad aliam rationem quæ arguit de propagatione spirituali: dicunt quòd Titus constitutus erat Episcopus, vel Archiepiscopus à Paulo Cretæ; & ob hoc poterat ibi constituere Episcopos, seu Presbyteros.

Ad illud verò quod subditur quòd unicuique rei naturali, dispositionis perfectæ, quæ in uno supposito continuari non potest, naturale videtur ut possit continuari in sua specie. Igitur congruit ut Deus &c. Hic respondetur quòd Ordo sacerdotalis potest sufficienter continuari usque ad finem sæculi, quia Episcopi habent virtutem procreandi filios spirituales, scilicet novos Presbyteros & Sacerdotes, ut dictum est. Et hoc sufficit.

Ad rationes verò probantes quòd simplex Sacerdos potest absolvere à quocumque peccato: respondere est difficile. Dicunt tamen illi de prima opinione, quòd Papa potest quoad certos casus, quotcumque tamen voluerit, sic ligare potestatem Sacerdotis, ut in dictis casibus neminem valeat absolvere. Dicunt etiam quòd hujusmodi actus, scilicet absolvere, ligare, baptisare, inungere, non possunt exerceri ab aliquo, nisi respectu suorum subditorum, quorum unus habet regimen, & quandam Jurisdictionem. Ideò simplex Curatus non potest absolvere, nec baptisare, nisi tantùm suos parrochianos, & non alios, nisi in casu necessitatis, quia necessitas Legem non habet: & etiam casu necessitatis, quicumque Sacerdos habet Jurisdictionem super quemcumque in necessitate sic constitutum.

Ex istis faciliter potest responderi ad rationes prædictas evadendo, non tamen intellectui satisfaciendo. Isti tamen per aliud dictas rationes non solvunt. Idcircò alias solutiones non adduco. Et hæc sufficiant pro nunc de isto.

§. 3.

De Episcoporum Auctoritate & Jurisdictione. Ac de Petri, & successorum illius Primatu, & Potestate.

NUnc restat videre de potestate regiminis Prælatorum, & simplicium Sacerdotum; & quia ab omnibus communiter est concessum Prælatos habere Jurisdictionem super cæteros Sacerdotes de sua Diœcesi, seu Provincia: idcircò istud nolo nunc revocare in dubium. Sed quia non est ita ab omnibus concessum, quòd inter Christi Discipulos unus fuerit Princeps, & primus aliorum à Christo constitutus: idcircò pro nunc istud volo tractare: an videlicet aliquis Apostolorum Principatum super alios Apostolos, & etiam super omnes alios fideles Ecclesiæ Christi suscepit a Christo. Et de isto diversi diversimodè sentiunt. Dicunt enim quidam quòd Petrus super alios Apostolos Christi, & generaliter super totam ejus Ecclesiam Primatum suscepit à Christo immediatè, & præfuit cunctis in potestate regiminis, unde & quoad multa ligare potuit, & cohibere in omnibus aliis potestatem primam, scilicet potestatem Ordinis, ut alii dictam potestatem non ubique licitè exercerent; nec in quascumque personas: sed peccatum inobedientiæ commisissent, si Petro non obedivissent in licitis, & utilibus ad salutem.

Isti istam assertionem probare nituntur pluribus rationibus, & authoritatibus. Arguitur primò sic: pro

pro ista opinione, *Lucæ.* XXII. 24. legitur sic: *Facta est autem contentio inter ipsos, quis eorum videretur esse major. Dicit autem eis Jesus. Reges Gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui major est inter vos fiat sicut minor*, & *qui præcessor, sit sicut minister. Nam quis major est qui recumbit, aut qui ministrat, nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut si disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos, judicantes duodecim tribus Israël. Ait autem Dominus Simoni Petro. Simon ecce sathanas expetivit vos, ut cribaret sicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.*

Ex istis patet quòd unus istorum major fuit, & Princeps aliorum, quia dicitur, *sed qui major est inter vos, fiat sicut minor.* Quis autem erat ille non apparuit, donec Christus dixit Simoni Petro: *Simon ecce sathanas &c.* Per illa namque verba voluit Christus patefacere, ex præcessoris officio quod erat ceteros confirmare, quòd ille, de quo antea disceptabatur, est Simon Petrus. Ideò namque Christus præcepit Petro coram eis ut, deficiente, seu titubante Fide in eis, ipse eos confirmaret; ut manifestè intelligerent eum fore Rectorem, & Principem eorum: nec aliter, juxta seriem litteræ, est soluta quæstio eorum. Patet igitur propositum.

Secundò. Arguitur sic: Christus specialiter commisit Petro curam, sive pastum agnorum suorum. Dicens soli Petro, præsentibus cæteris: *Pasce agnos meos: pasce oves meas.* Joannis Ultimo. 15. 17. Et confirmatur ista ratio. Quia ille, ex Lege Dei, de proximo debuit in generali cura succedere, qui Christum plus cæteris diligebat, cùm talis, non dubium, circa gregem Christi sollicitiùs vigilaret: sic est de Petro. Igitur &c. Minor probatur: cùm Christus, dùm curam dictam Petro committeret suarum ovium, Christus quærendo promisit, *Symon Joannis diligis me plus hiis?* ℣. 15. quod dictum licèt habeat duos sensus; unum, Simon Joannis diligis me plusquam diligas hos, seu istos? Quem sensum Christus non intellexit, cùm nulli erat dubium, quin Petrus qui reliquerat uxorem, filios, & omnia, sicut de se & aliis dixit, *Math.* XIX. plus diligebat Christum, quàm alium Apostolorum, aut alios Apostolos.

Alium verò sensum habent dicta Christi verba; videlicèt; Simon, diligis me, plusquam isti diligunt me? Istum tamen secundum sensum intellexit Christus, cùm prædicta verba præmisit. Constat autem quòd Christus nullatenùs ab eo illud quæsivisset, nisi dilectionem majorem ejus, quàm aliorum ad Christum, in ejus corde vidisset. Unde meritò amplioris dilectionis curam generalem ovium Christi & agnorum simpliciter ipse accepit.

Tertiò. Sic, Mathei XVI. 18. alloquitur Salvator noster Christus Petrum, ita dicens: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & dabo tibi claves regni cœlorum & quodcumque ligaveris* &c. Nusquam verò habet Scriptura, quòd alteri à Petro Dominus dederit claves regni cœlorum.

Confirmatur: quia, *Joannis* I. 42. legitur quòd in prima vocatione Petri, Christus sibi dixit, *Tu es Simon Barjona, tu vocaberis Cephas.* Cephas autem denotat idem quod caput. Ergo Christus in caput ipsum præficere intendebat. Unde Dionysius in Libro suo, *De divinis nominibus*, vocat eum, *verticalem*, seu *capitalem.* Patet igitur propositum.

Quartò. Soli Petro ostensum est linteum submissum de cœlo, & super eum solus submissus est, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia, sicut legitur, *Actuum.* X. & XI. Capitulis, & sibi soli dictum est: Surge *Petre, occide & manduca.* X. 13. quod linteum, nemo ambigit, universum mundum, cum cunctis hominibus diversorum rituum designare: nec dubium quin occidere, manducare, nihil aliud erat Petro, quàm perversos mores in ipsis præscindere, & eos in sua persona toti incorporare Ecclesiæ. Igitur &c.

Quintò. Si Petrus non extitisset Princeps aut Primas aliorum. Cur exactores didrachmæ privatim dixissent Petro, Discipulis Christi præsentibus: *Magister vester non solvit didragma*, sicut legitur Mathei XVII. 23. Non apparet aliqua ratio, quare plùs dixissent Petro, quàm alteri Apostolorum, nisi Petrum majorem cæteris existimabant, quòd Christus ex effectu volens Petrum verum fore successorem, Petrum sibi in solutionem conjunxit. *Vade* inquit ℣. 26. *ad mare, & mitte hamum, & piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore ejus, invenies staterem, & illum sumens, da illis pro me, & pro te.* Ubi ex eo quod sequitur, XVIII. 1. patet propositum. Sequitur enim. *In illa hora accesserunt ad Jesum Discipuli, dicentes: Quis putas major est in regno cœlorum?* Ubi videtur eos conturbatos fuisse, quòd Petrus reputatus est in facto illo major cæteris. Patet igitur propositum.

Sextò. Cùm Christus volebat docere suos Apostolos, & eis aliquid statuere; ipse, ut plurimùm, alloquebatur Petrum pro se, & suis Coapostolis. Petrus etiam pro eis omnibus Jesum alloquebatur, & ei respondebat de interrogatis, sicut patet *Luca* XII. ubi legitur, quòd Petrus volens scire de doctrina Christi, an eam solis Discipulis tradiderat, vel omnibus, Petrus ait: ℣. 41. *Domine, ad nos dicis parabolam hanc, an ad omnes?* Patet igitur quòd Petrus Primas fuit aliorum, aliàs præsumptuosè egisset.

Septimò. Beatus Dionysius, Beati Pauli discipulus, & ei assistens in morte, scribit in Epistola, *De morte Apostolorum Petri & Pauli.* Timotheo, Beati Pauli discipulo, quòd Beatus Paulus dixit Petro, cùm separarentur ab invicem, ducti ad loca supplicii hæc verba: *Pax tecum fundamentum Ecclesiarum, & Pastor ovium, & agnorum Christi* E contra Petrus sic Paulo respondit. *Vade in pace, prædicator, bonorum mediator*, & dux *salutis justorum.* Dionysius scribit se hoc, tempore illo, audivisse ab eis. Unde constat Paulum reputasse Petrum fundamentum Ecclesiarum, & Principem inter Apostolos.

Octavò, sic: Cùm ratio naturalis dictet, & Philosophi Gentium fateantur, quòd optimus modus regiminis, in quacumque Civitate, vel Provincia, sit ut unus sit Princeps; non est verisimile quòd summa sapientia Christus Dei Filius, continuitatem suorum electorum, quam sibi suo Sanguine acquisivit, dimiserit sine talis regiminis modo, quando, sicut eam per se primitùs gubernavit, & rexit; sic post eum consequenter alium successorem pro ejus competenti & utili regimine instituerit: & ex serie sacræ Scripturæ non habemus ita efficaces persuasiones, seu rationes pro alio, à Petro, sicut habemus pro eo. Igitur &c.

Isti istam assertionem nituntur probare authoritatibus. Nam, *Distinctione* 22. C. *Sacro sancta.* legitur: *Inter Beatos Apostolos, quædam fuit discretio potestatis; & licet omnes essent Apostoli, Petro tamen à Domino concessum est, & ipsi inter se voluerunt idipsum; ut reliquis omnibus præesset Apostolis: & Cephas; idest caput, & principium teneret Apostolatus.*

Item Leo Papa, ut habetur, *Distinct.* 19. C. *Ita Dominus*, ait: *Hujus muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium obtinere voluit, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut ab ipso, quasi a quodam capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet.* Ex quibus evidenter

denter sequitur propositum nostrum. Multis aliis authoritatibus potest roborari ista assertio; sed eodem modo solverentur illæ, sicut & istæ, quia inter cæteras, istæ videntur expressiùs fateri propositum eorum qui sunt hujus opinionis.

Ultimò. Arguunt isti sic. Officium Primatiæ, seu Principatus Beatus Petrus statim post Ascensionem Domini in cœlum exercuit, sicut legitur *Actuum* I. scilicet, quòd exurgens Petrus in medio fratrum, ostendit per Scripturas veteris Testamenti illis, quòd Judas proditor esse debuit, & qualiter, loco sui, alius deberet succedere, & ejus Episcopatum accipere. Unde dixit: ℣. 21. *Opportet igitur ex his viris qui nobiscum sunt congregati* &c. *testem resurrectionis ejus nobiscum fieri.* Unde ex istis apparet definitiva superiorum Sententia, dùm dixit: *Opportet* &c. & sic consequenter elegerunt Matthiam.

Item, effuso Spiritu sancto super Discipulos, decimo die post Ascensionem Domini. Cùm multi eos irriderent, dicentes eos plenos musto, sicut legitur Actuum II. Petrus stans cum undecim Apostolis, elevacuit vocem suam, & locutus est eis, ostendens ex Scriptura Joëlis, eos non ebrios, sed Spiritu sancto repletos.

Item, sicut legitur Actuum XV. Cùm fieret magna inquisitio inter conversos, numquid conversi ex Gentibus circumcidi deberent, & alia Legalia observare: *Convenerunt Apostoli, & seniores, videre de hoc verbo. Surgens* autem *Petrus, dixit ad eos* &c. ℣ 7. Ubi Petrus in Concilio generali Sententiam protulit, quòd non tenerentur circumcidi, aut Legis ceremonias observare. Quæ omnia Petrus nullatenùs exercuisset prò omnibus aliis, & præ aliis, nisi hoc ex officio habuisset: ex quo Christus præ cæteris humilitatem commendabat, & species quædam præsumptionis fuisset, sic quotidiè pro omnibus, & præ aliis respondere, & Sententias definitivas pro eis proferre. Unde constat hoc ad eum, ex suo officio, convenisse. Et sic habetur intentum.

Istæ sunt rationes, & motiva asserentium Petrum suscepisse immediatè à Christo principatum super omnes Apostolos Christi & Discipulos: & horum quidam inter se discrepant, quibusdam dicentibus quòd Petrus immediatè suscepit à Christo potestatem regendi, statuendi, ordinandi ea, quæ rationabiliter viderentur sibi expedire, pro salute fidelium, id est electorum Christi. Accepit etiam potestatem coactivam coërcendi delinquentes, & inobedientes, quia aliter frustra accepisset potestatem statuendi & ordinandi, si ad hujusmodi Statuta nequiret alios cogere; nec Deus sufficienter providisset Ecclesiæ suæ. Petrus etiam, ut legitur, *Actuum* V. protulit mortis Sententiam in Ananiam & Saphiram; & pari modo in Simonem magum. Ut legitur *Actuum* VII. Ergo habuit Jurisdictionem coactivam.

Alii verò dicunt quòd Petrus pro se & suis successoribus Primatum super omnes fideles recepit à Christo; sed ista dignitas, seu potestas consistit in ordinando, & præficiendo Episcopos, Presbyteros, & Doctores, populo Christiano & fideli, nullam habens per ordinationem Christi Jurisdictionem coactivam sibi annexam.

Isti verò istud probare nituntur per illud Salvatoris verbum quod scribitur Matthei XX. 25. *Scitis quòd Principes Gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent in eos: non ita est inter vos; sed quicumque voluerit inter vos esse major, sit vester minister, & quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.* Ex quo planissimè datur intelligi, quòd majoritas & primitas illius qui est major inter Apostolos Christi, consistit in serviendo & ministrando: & per consequens in Jurisdictione coactiva non consistit.

Secundò. Sic arguitur pro eadem assertione. Christus inquantum homo mortalis, non habuit Jurisdictionem coactivam. Ergo &c. Antecedens probatur: quia Christus omnes divitias, sine quibus non potest convenienter talis Jurisdictio exerceri, abdicavit, solo victu & vestitu contentus: communitate etiam, & Jurisdictione divitum, pro eadem Jurisdictione exercenda minimè utebatur, tùm quia, ipso testante, ministrare venit, non ministrari. Sed

A quia nunc tractare materiam de Dominio, & Jurisdictione Christi, foret valdè longum, quia multi passus sacræ Scripturæ videntur innuere quòd habuit Jurisdictionem coactivam, in quantum etiam mortalis, immò quòd fuit verus Dominus omnium rerum, in quantum homo: multæ etiam Scripturæ videntur oppositum asserere. Ideò pro nunc supersedeo, & fortassè aliàs de materia ista planè tractabo.

Dicunt igitur isti, quòd Petrus nullam a Christo recepit Jurisdictionem coactivam.

Ad illud verò quod dicunt alii, quòd Deus insufficient providisset Ecclesiæ suæ: respondent isti quod immò, sufficienter providit Ecclesiæ suæ, quia potestatem corrigendi, seu cohibendi delinquentes, in Foro Ecclesiæ, commisit communitati Ecclesiæ, dicens: Matth. XVIII. 15. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corrige eum inter te & solum ipsum. Si*

B *te non audierit, adhibe unum vel duos tecum, ut in ore duorum, vel trium stet omne verbum. Si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Non tamen arctavit Christus communitatem fidelium ad certum modum corrigendi, quin posset per seipsam, vel per aliquam singularem personam quæ gereret vicem communitatis corrigere delinquentes. Similem potestatem corrigendi videtur accepisse Beatus Paulus à communitate fidelium unius Provinciæ, vel diversarum Provinciarum, dùm ipse Corinthium excommunicavit, & 2. *ad Timoth.* II. asserit, se quosdam sathanæ tradidisse. Et in Ecclesia fidelium unum caput vel plura potest eligere, secundùm diversitatem Provinciarum, habentia potestatem corrigendi delinquentes. Immò dicunt isti quòd pro bono communitatis est, quòd in potestate Ecclesiæ sit unum caput, vel plura eligere, cujus, & quando expediens videtur

C Ecclesiæ haberet potestatem deponere. Nam cùm in communitate non invenitur aliquis idoneus, ut solus hujusmodi Jurisdictionem valeat exercere; in illo casu, possunt plures constitui, vel præfigi regentes, seu plura capita, habentia potestatem, seu Jurisdictionem hujusmodi, quæ videlicet, inobedientes possint cogere, & delinquentes punire. Quando autem in communitate invenitur unus idoneus ut solus regat, & hujusmodi Jurisdictionem exerceat, & subditi spontè unius Jurisdictionem patiuntur, tunc melius est unum, quàm plures communitati præesse. Et quia propter multitudinem personarum, temporum, & locorum, non potest in his certa regula dari: ideò Christus nequaquam certam tradidit, nec hujusmodi Jurisdictionem coactivam uni soli dedit; sed solùm communitati fidelium, ut in hujusmodi potestate unum, vel plura præficerent. Communitas autem fidelium in

D hoc Papam sibi præfecit, seu instituit. In nullo tamen Jurisdictionem Imperatoris temporalem destruendo, vel diminuendo, etiam paganorum; quia hoc non potuit, eo quòd omnes Catholici tunc temporis, Imperatoribus infidelibus erant subjecti. Et sic patet quòd ratio illorum non concludit, quâ nitebantur inferre quòd Deus insufficienter providisset.

Ad aliam autem rationem quâ prædicti opinantes nitebantur probare quòd Petrus habuerit Jurisdictionem coactivam à Christo, eo quod, ut ipsi asserunt, Petrus protulit mortis Sententiam in Ananiam, & Saphiram, pari modo & in Simonem magum:

gum: respondent isti quòd Beatus Petrus, ex potestate officii sui, prædictos morti non tradidit, quia tunc Judex in causa sanguinis extitisset, quod universis Clericis noscitur esse interdictum: sed ex potestate faciendi miracula, quam Deus sibi concesserat, Petrus prædictos morti tradidit: nonnunquam autem facit quis, absque oratione, miracula; & ita ex hoc non potest probari quòd Petrus habuerit Jurisdictionem coactivam. Et supposito quòd Petrus per modum diffinitivæ Sententiæ, ex officio suo, prædictos morti tradidisset; adhuc non sequitur quòd hujusmodi Jurisdictionem à Christo receperit, quia posset dici quòd illam Jurisdictionem recepit à communitate fidelium tunc existente. Et sic dicunt isti, quòd illæ rationes sunt modici valoris, nec aliquid concludunt.

Et ob hoc dicunt nonnulli quòd quia Excommunicatio potiùs est Jurisdictionis quàm Ordinis; Papa, inquantùm Vicarius Christi, & successor Petri, neminem excommunicare potest; sed hanc potestatem habet ab Ecclesia, quæ in eum potestatem excommunicandi transtulit.

Alii dicunt quòd Papa inquantum Vicarius Christi, habet potestatem excommunicandi; sed nullatenùs majorem pœnam inferendi, & in hoc Papa est Imperatore superior.

Dicunt autem alii quòd Petrus nullam potestatem, aut Jurisdictionem, seu prærogativam aliam super cæteros Apostolos immediatè recepit à Christo: & isti nituntur probare quinque conclusiones circa istam materiam, quarum tres recitabo pro nunc, & non plures.

Prima conclusio quam isti ponunt, est quòd Beatus Petrus, ex ordinatione Christi, non habuit super alios Apostolos Principatum.

Istam conclusionem isti sic nituntur probare. Orta contentione inter Christi Discipulos, quis eorum videretur major; ait Christus, ut legitur Mathei xx. 25. *Scitis quòd Principes Gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent in eos: non est ita inter vos; sed quicumque voluerit inter vos esse major, sit vester minister, & quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.*

Unde apparet primo quòd ex hoc quod Apostoli inter se contendebant, quòd nullum inter se Principem reputabant. At cum ipsi quærerent quis eorum videretur major: respondit Jesus: *Principes Gentium dominantur eorum. &c. non ita erit inter vos.* Ergo Christus, respondendo ad eorum quæstionem, plenè removit ab eis, & eorum quolibet, omne super alios dominium. Insuper subdit Christus: *qui majores sunt, potestatem exercent in eos: non ita erit inter vos.*

Unde per ista verba Christus removit ab eis omne exercitium potestatis in alios: ergo frustra constituisset aliquem Principem super alios, ex quo omne exercitium potestatis eis interdixisset. Nam Marci x. 42. ad illud propositum legitur: *Scitis quia qui videntur principari gentibus, dominantur eis: & principes eorum potestatem habent ipsorum, non est autem ita in vobis.*

Unde per ista verba planissimè patet quòd Christus ab eorum quolibet removit omnem potestatem, saltem coactivam, super alios Apostolos. Frustra autem, ut jam dictum est, instituisset Christus aliquem Principem super alios nisi ille potestatem suam exercuisse potuisset in subditos, tempore & loco opportunis. Patet igitur quòd nec Petrus habuit super alios Principatum à Christo.

Si verò dicatur quòd prædicta verba Christi debent intelligi, de potestate temporali, & non spirituali: Petrus autem non habuit Jurisdictionem temporalem super alios. Respondetur, teste Hilario, ut legitur extra. *De verborum significationibus. Intelligentia dictorum, ex causis est assumenda dicendi.* Christus autem occasione contentionis Apostolorum, *quis eorum videretur esse major*, ut legitur Lucæ XXII. 24. prædicta verba dixit: inter eos autem fuit contentio de majoritate temporali, & spirituali; aut si de altera tantùm, verisimiliùs est quòd contentio fuerit de majoritate spirituali, quàm temporali: quia ipsi abdicaverant sibi omnia temporalia, nec eis congruebat temporalibus implicari negotiis. Igitur &c.

Item per hoc quod dicit Christus Matth. xx. 26. A *Quicumque voluerit inter vos esse major, sit vester minister, & quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.* Videtur Christus ab eorum quolibet majoritatem omnem super alios removere, & eos instruere, ut videlicet singuli singulis obsequium, sive ministerium debeant impendere, & honore se invicem prævenire. Si verò dicatur quòd per prædicta verba Christus voluit ostendere quòd hujusmodi majoritas debuerit esse in serviendo & ministrando, nec per eadem verba voluit negare ab eis hujusmodi majoritatem, quæ scilicet est in serviendo & ministrando; sed solùm in quo consistat hujusmodi majoritas voluit describere, seu declarare.

Ad hoc dici potest quòd licèt ita foret; non tamen Christus per illa verba aliquem Principem constituit, nec se postmodùm constituere promittit: immò per hoc quod dicit Christus, *quicumque voluerit inter vos esse major* &c. apparet quòd Christus A- B postolis potestatem eligendi, seu constituendi quem vellent, reliquerit, & nullum immediatè instituit. Quod fuit probandum.

Secundò. Arguitur sic: ad *Galath.* II. Cap. 6. Ait Paulus Apostolus: *mihi autem qui videbantur aliquid esse nihil contulerunt. Sed è contra, cùm vidissent quòd traditum est mihi Evangelium Præputii, sicut & Petro Circumcisionis, qui enim operatus est Petro in Apostolatum Circumcisionis, operatus est mihi inter Gentes. Et cùm cognovissent gratiam quæ data est mihi, Petrus, Jacobus & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi, & Barnabæ societatis, ut nos inter Gentes, ipsi autem in Circumcisione tantùm* &c.

Undè manifestè patet quòd Paulus dicit se & Barnabam socios esse Petri, Jacobi, & Joannis, & quòd dextras eis dederint societatis. Princeps autem nequaquam videtur esse socius sui subditi.

C Item affirmat Paulus suam potestatem inter Gentes, æqualem esse potestati Petri inter Judæos: immò videtur restringere Apostolatum Petri ad circumcisos. *Qui enim operatus est* inquit Gal. II. 8. *Petro in Apostolatum Circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes.* Et ob hoc videtur quod dederint sibi & Barnabæ dicti tres Apostoli, videlicet Petrus, Jacobus, & Joannes dextras societatis *ut nos inter Gentes, ipsi autem in Circumcisionem* tantùm. Ecce quòd hic restringit Apostolatum Petri ad circumcisos tantùm. Ergo Petrus nullam habuit super ipsum potestatem, ita ut esset ejus Superior.

Tertiò, sic: *Actuum* II. legitur quòd undecim Apostoli statuerunt Mathiam, & Barnabam, & orantes dederunt eis sortes, & sic Mathias electus est ab undecim, scilicet Petro & aliis. Ad Principem autem spectat Jus substituendi, & instituendi alios in suis dignitatibus & officiis. Patet ergo quòd Petrus non fuit Princeps aliorum; D cùm illum non instituerit, nisi sicut alii eum instituerunt.

Item *Actuum* VI. legitur quòd electis Stephano, & aliis sex viris ab omni multitudine, multitudo fidelium statuit eos ante duodecim Apostolos & ipsi eis manus imposuerunt: si tamen Petrus Primatum tenuit, sibi præsentari debebantur electi, non omnibus Apostolis; & ad ipsum, & non ad omnes Apostolos Confirmatio, sive manus impositio debuit pertinere.

Quartò. Irrationabile videtur quòd inferiores mittant Superiorem; nec est credendum quòd Apostoli aliquid contrarium rationi egerint; Sed *Actuum* VIII.

VIII. 14. legitur, quòd *Cùm audivissent Apostoli qui erant Jerosolimis*, quia * fuit Petrus major ipsis mittentibus.

Quintò. *Mathei* XVIII. 15. Ait, dicens Simoni Petro. *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit lucratus es fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum aut duos. Quod si non audierit, eos, dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Ecce quòd Petrus debuit causam fratris sui referre Ecclesiæ, bina correctione adhibita. Unde videtur quòd Ecclesia fuerit eo superior, & quòd non fuit superior aliis, quia illud dixit Christus Petro pro se, & aliis Apostolis.

Sextò. Sic: Si Petrus super alios habuerit potestatem à Christo; data fuit sibi per illa verba. Joannis ultimo *pasce oves meas* &c. Sed hoc non. Igitur &c. Minor probatur: quia pascere oves spiritualiter, non opportet intelligi, nisi doctrinâ, vitâ, & disciplinâ, seu correctione. Quilibet autem istorum modorum fuit communis omnibus Apostolis. De primo patet, *Math. Ultimo.* 19. ubi Christus præcepit cunctis Apostolis docere oves suas, dicens: *Ite docete omnes gentes, baptisantes eos.* Omnes etiam debuerunt pascere vitâ exemplari, Christo dicente: Mathei v. 14. *Vos estis lux mundi*, & sequitur ℣. 16. *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.* De tertio modo habetur, *Joannis* XX. 23. ubi dixit Christus omnibus Apostolis, *Quorum remiseritis peccata.* &c. Ubi videtur quòd Christus omnibus Apostolis potestatem corrigendi alios commisit.

Si verò dicatur quòd Petrus habuerit potestatem corrigendi, in Foro conscientiæ, & in Foro Ecclesiæ, alii non ** Apostoli solùm habuerunt potestatem corrigendi in Foro conscientiæ. Respondetur quòd sola communitas fidelium suscepit à Christo potestatem corrigendi alios in Foro Ecclesiæ, ut patet illud Mathei. XVIII. 17. *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ.* Patet igitur quod Petrus non recepit à Christo immediatè Primatum super alios Apostolos, seu Christi Discipulos. Immò quod omnes Apostoli fuerunt ejusdem potestatis, etiam regiminis, sive Jurisdictionis, si in eis Jurisdicto aliqua concedatur. Isti etiam assertionem istam probant authoritatibus. Primo, Authoritate beati Anacleti, quæ ponitur, *Dist.* 21. Cap. *In novo Testamento*, dicentis: *In novo Testamento post Christum a Petro incœpit sacerdotalis Ordo: quia ipsi primo Pontificatus in Ecclesia datus est, dicente* Domino *ad eum: tu es Petrus &c.* Et subdit: *cæteri vero Apostoli cum eodem pari consortio honorem & potestatem acceperunt.* Si verò dicant adversarii quòd glossa dicit quod Petrus est par Apostolis, quantùm ad Ordinem, & rationem consecrationis: Petrus tamen fuit major in administratione. Respondent isti quòd glossa corrumpit textum, quia textus affirmat omnes Apostolos Petro fuisse pares in potestate: administratio autem est quædam potestas.

Istam etiam assertionem isti probant, authoritate beati Cypriani, quæ habetur c. 24. quæst. 1. Cap. *Loquitur.* Ubi Beatus Cyprianus planissimè dicit quod *Omnibus Apostolis Christus parem tribuit dignitatem, sicut Petro: &* quòd *omnes fuerunt pari consortio præditi, honoris & potestatis.* Igitur &c. Multis aliis authoritatibus isti nituntur probare assertionem; sed eas non recito, causâ brevitatis, & maximè quia solutis authoritatibus jam allegatis, faciliter possent omnes aliæ solvi, quæ possent ad propositum istud adduci.

Nec valet, secundùm istos, ratio illa quâ adversarii nituntur persuadere intentum suum, per hoc quod dixit Christus Petro, sicut legitur. Matth. XVI. 18. *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, & dabo tibi claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris. &c.* Primò namque non possunt concludere quòd Petrus fuerat Primas aliorum immediatè substitutus à Christo, ex hoc quod dixit Christus Petro. *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.*

A

Tum primò: quia principaliter posset probari de duodecim Apostolis, quòd ipsorum quilibet esset Princeps aliorum, quia fundamentum Ecclesiæ; cum Joannes Apostolus *Apoc.* XXI. 14. dicat de Civitate Jerusalem, quam, non dubium, vocat, sive appellat Ecclesiam, quòd *Murus ejus habet fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum & Agni.*

Unde constat, super singulos Apostolos, tanquam super fundamentum, ædificatam esse Ecclesiam Christi.

Tum secundò: quia probabiliter potest dici quòd in dicto Salvatoris, per Petrum, non purum *, sed ipsummet Christum, Christus intellexit: juxta illud primæ ad Corinth. X. 4. *Petra autem erat Christus.* A qua Petra, scilicet Christo; Petrus dictus est Petrus, ut sit sensus: *Tu es Petrus*, supra dictus à Christo Petra, *& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ad quem sensum facit illud Apostoli, primæ ad Chorinth. 3. 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter illud quod positum est, quod est Christus Jesus.*

B

Ex isto ergo nullatenùs videtur probari posse, quòd Petrus fuerit Princeps Apostolorum. Si verò primi opinantes conantur illud probare ex hoc quod Christus dixit Petro. *Dabo tibi claves regni cœlorum* &c. & quòd simile promisit Christus, cùm dixit omnibus Apostolis, sicut legitur Mathei XVIII. *Quæcumque ligaveritis* &c. apparet quòd ratio nulla est; cùm per claves regni cœlorum nihil aliud intelligitur, quàm potestas ligandi, & potestas absolvendi. Istam autem potestatem ligandi videlicet, & solvendi, dedit Christus omnibus Apostolis, cùm eis dixit prædicta verba, quæ habentur, Mathei XVIII. *Quæcumque ligaveritis super terram*, &c. Patet igitur quòd ratio illa non concludit: & ex consequenti apparet veritas primæ conclusionis positæ.

C

Secunda conclusio istorum est ista. Beatus Petrus, ex ordinatione Apostolorum, habuit super eos principatum. Hanc conclusionem probant isti, authoritate Beati Anacleti jam allegata, quæ habetur, *Distinctione 21. Cap. In novo Testamento*, ait enim Anacletus de Petro. *Cæteri verò Apostoli, cum eodem pari consortio honorem & potestatem acceperunt, ipsumque principem eorum esse voluerunt.* Patet igitur conclusio.

Tertia conclusio istorum est quòd nullus Sacerdos habet super alios potestatem aliquam, tanquam super gregem sibi commissum ex ordinatione Christi. Sed omnis superioritas unius Sacerdotis super alium, in remedium schismatis, est propter bonum commune ab ipsis Sacerdotibus instituta.

D

Isti probant istam conclusionem authoritatibus Beati Jeronimi jam allegatis, quarum una ponitur Distinct. 93. Cap. *Legimus*: alia verò ponitur Distinctione 95. Cap. *olim.* Ibi enim dicit expressè Jeronimus, quòd *Olim idem erat Presbyter qui & Episcopus. Quod autem unus electus est, ut cæteris præponeretur, in remedium schismatis factum est, ne unusquisque ad se trahens Ecclesiam rumperet. Nam* secundùm quod ibi dicit Jeronimus, *& Alexandriæ, à Marco Evangelista usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se eligebant quem in excellentiori gradu collocabant, quem Episcopum nominabant, quomodò si exercitus sibi Imperatorem faciat.*

Ex istis planè patet veritas conclusionis istius, & sic patet quid isti sentiant.

Ad rationes vero primæ opinionis conantur isti re-

* Locus corruptus. ** fortè verò. * Hic deest aliquid.

respondere. Unde dicunt quòd ex prædictis patet qualiter respondendum est ad primam, secundam, & tertiam rationes, excepta illa confirmatione tertiæ rationis, quâ dicitur quòd Christus dixit Petro. Joan. 1. 42. *Tu vocaberis Cephas.* Cephas autem interpretatur caput. Ex quo patet quòd Petrus constitutus est caput aliorum Apostolorum à Christo. Ad quod isti respon- A dent, quòd hoc nomen est plurium idiomatum, & in uno idiomate significat idem quod caput, in alio verò, est nomen proprium. Et in interpretationibus nominum hæbreorum dicitur Cephas, idest Petrus, vel firmitas: & dicitur quòd Syrum est, non Hæbreum, & sic patet quòd ratio non concludit.

Quarta autem ratio quæ arguit de linteo submisso de cœlo, non concludit; cùm lintenum non designat Petrum sic à Christo fuisse constitutum, ut esset Princeps & Primas aliorum; sed aliud designat illud linteum, ut patet ex dictis capitulis allegatis, videlicet ex x. & xi. *Capitulis, Actuum.*

Pro solutione aliarum rationum concedunt isti quòd Petrus quandoque pro se, & aliis locutus est, & præ aliis, ad sibi, & aliis interrogata respondendo; pro se etiam, & aliis aliqua interrogando. Petrus etiam quandoque, nomine omnium Apostolorum, aliqua fecit aut exercuit, ut satis patet ex Actibus B Apostolorum. Sed dicunt quòd ex hoc non sequitur quòd fuerit Princeps, seu caput aliorum, quòd hoc poterat facere, non temerariè, ratione alicujus prærogativæ, aut videlicet quòd senior, aut ratione distinctionis, aut forsan quòd per alios ordinatus, & deputatus; aut aliquo alio titulo honesto nobis fortassis occulto. Quocumque tamen titulo talia egerit, vel exercuerit; non tamen sequitur quod prædicti opinantes astruunt.

Ex istis isti solvunt alias rationes primæ opinionis. Authoritates verò quæ allegabantur pro dicta assertione prima, isti glossant, pro opinione sua.

Ex omnibus istis isti concludunt assertionem veritatem continere, & quòd Petrus nullam habuit majoritatem, aut Jurisdictionem immediatè à Christo super alios Apostolos, sed Apostoli voluerunt & constituerunt eum esse Principem ipsorum. Et hæc sufficiant pro ista opinione.

Dicunt insuper primi opinantes, quòd ipsi non intendunt probare Petrum fuisse Primatem, ex hoc C quod Christus sibi dixit: *Quæcumque ligaveris* &c. Nec ex hoc quod sibi dixit: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam* &c. Sed ex hoc quod singulariter dixit Petro ista, & priùs tempore, quàm sibi, & aliis conjunctim; cùm non videtur quòd ad alium effectum sibi hoc priùs dixisset singulariter, & hoc, aliis cunctis præsentibus, ex quo quasi idem sibi & aliis dixit communiter; nisi ut eum primum, & Principem inter omnes ostenderet, post se ipsum, principale suæ Ecclesiæ fundamentum.

Dicunt etiam quòd non intendunt probare Petrum fuisse Principem aliorum, ex hoc solo quod dixit ei Christus. *Pasce oves meas.* Si per verbum *pasce*, solùm intelligatur, pastus doctrinæ, & disciplinæ cùm, sicut allegatur per adversarios, similem pastum commisit Deus omnibus Discipulis: sed ex hoc D quod, præmissis illis tribus quæstionibus Petro, præsentibus Joanne, & aliis Discipulis: *Simon Joannis diligis nec plùs hiis?* Et iterùm: *Simon Joannis diligis me?* Et tertio: *Simon Joannis diligis me?* Et habito responso de solito amore sui, qualem decuit de Petra procedere; singulariter sibi, & non aliis suarum ovium, & agnorum curam, sive pastum dimisit: hoc enim nullatenùs Christus fecisset, nisi eum in hoc officio singulariter præfecisset.

Pastus etiam sufficiens ad salutem, plùs includit, quàm docere, seu prædicare, aut quàm virtuosè agendo bonum exemplum præbere, aut etiam quàm alios in Foro conscientiæ corrigere, aut quàm illa talia similia, videlicet regimen competens pro salute gregis commissi, quale regimen habuit Petrus, & non cæteri Apostoli. Et sic patet quòd responsio aliorum, quâ respondebant ad rationem factam & fundatam super illo verbo Christi: *Pasce oves meas. Pasce agnos meos* &c. non videtur, nec ratio eorum concludit.

Isti consequenter respondent ad rationes factas pro secunda opinione: sed quia satis facile est eas solvere, benè intelligenti positionem primæ opinionis, & etiam diligenter advertenti: idcircò eas pro nunc aliter non solvo.

Ex prædictis patet qualiter de tertio dubio moto diversi, diversimodè sentiunt: verumtamen opinio quæ ponit quòd Petrus recepit à Christo immediatè Principatum super cæteros Apostolos & Discipulos Christi, est communior & securior, immò fortassè non est securum dicere oppositum; licèt benè concederem, quòd ex sacra Scriptura non sequitur evidenter, quòd Petrus fuerit Primas aliorum, sed probabilius sequitur illud, quàm oppositum.

Utrùm autem sequatur ex sacra Scriptura quòd Petrus habuerit Jurisdictionem coactivam super alios, nihil volo asserere pro nunc: mihi tamen videretur quòd illud Mathei. xx. 25. *Scitis quia Principes Gentium dominantur eorum, & qui majores sunt potestatem exercent in eos, non ita erit inter vos,* valdè apparenter probet illud, & ideò forsitan posset probabiliter dici quòd Petrus, & ita Papa quilibet, Petri successor, in quantum Vicarius Christi, habet potestatem excommunicandi: sed nullatenùs majorem pœnam inferendi ex ordinatione Christi. Si verò Summus Pontifex aliam Jurisdictionem coactivam habet, illam habet ab Imperatore, aut à Communitate fidelium, & non immediatè à Christo: hoc tamen non assero; quia periculosum est loqui de hac materia, & fortassè periculosius quàm de Trinitate, aut Incarnatione Jesus Christi Salvatoris nostri.

Hæc igitur sufficiant pro responsione ad tertium dubium: & ex consequenti, de toto secundo Articulo.

ARTICULUS III.

DE CONFIRMATIONE ECCLESIÆ IN FIDE,

Seu INFALLIBILITATE.

SICUT visum est in secundo Articulo, de confirmatione Ecclesiæ Christi Sponsæ per gratiam vel in gratia; ita proportionaliter videndum est in tertio & ultimo Articulo, de confirmatione ejusdem Ecclesiæ per Fidem, seu in Fide. Et antequàm ulteriùs procedam, distinctionem nominis Ecclesiæ volo haberi pro repetita: quia secundùm diversas acceptiones, & significationes nominis Ecclesiæ, aliter & aliter esset respondendum. Si enim loquamur de Ecclesia Triumphante: tunc clarum est apud Theologos quid respondendum est ad quæsitum, cùm quæritur: an Ecclesia Christi sponsa dilectissima sit in Fide confirmata; cùm ab omnibus Theologis planè conceditur quòd Ecclesia Triumphans, videlicet congregatio Beatorum, non potest errare, de Lege ordinata, maximè circa ea quæ sunt Fidei, cùm ipsi facie ad faciem vident essentiam divinam: in qua distinctione & perfectione relucet & ideatur omnis veritas: & licèt ex hoc non sequatur formaliter quòd ipsi non possunt errare circa ea quæ sunt Fidei, eo quòd pari ratione concluderetur quòd circa

circa nihil aliud etiam possent errare, cùm quælibet veritas pertinens ad Fidem & non pertinens essentialiter reluceat in essentia divina: & tamen non est ita clarum quòd Beati non possunt errare circa ea quæ non sunt Fidei, sicut circa ea quæ tangunt Fidem. Tamen non est verisimile quòd Deus permittat suos electos, jam Beatos errare circa ea quæ sunt Fidei; quia ipsi non haberent beatitudinem ex Fide firma, & sic non esset vera beatitudo.

Istud etiam posset probari multis rationibus, & authoritatibus: sed quia, ut jam dixi, in hoc conveniunt omnes Scholastici, & maximè Theologi; idcircò has rationes, seu authoritates, causâ brevitatis, sub silentio prætereo, & intendo tractare de confirmatione Ecclesiæ Militantis.

Et primò de Ecclesia Romana, an possit errare, seu pravitate hæretica irretiri.

Secundò. An congregatio omnium electorum quæ etiam quandoque nomine Ecclesiæ accipitur, ut dictum est priùs, in tertia parte primi Articuli, possit labi in pravitatem hæreticam.

Tertiò. Hoc idem tractabo de Universali Ecclesia Militante.

Quartò. De Concilio generali.

§. I.

De Ecclesiæ Romanæ Primatu.

EST igitur primò videndum, an Romana Ecclesia possit hæreticari, & pro majori declaratione dicendorum est notandum quòd non intendo quærere, utrum Ecclesia Romana, aut Concilium generale, seu etiam Ecclesia Universalis possit hæreticari, loquendo de posse simpliciter, seu de potentia absoluta, sed tantùm de potentia Dei ordinata, ut sit sensus: an cum Lege Christi nunc currente, stat quod Ecclesia Romana erret hæreticè, seu labatur in pravitatem hæreticam. Quia verò ad sciendum an Romana Ecclesia possit contra Fidem errare, meritum confert videre, seu indagare, à quo Romana Ecclesia super omnes alias Ecclesias obtinuit Principatum: quia si à Deo immediatè, videtur quia usque ad consummationem sæculi erit caput Ecclesiarum, & quia non possit privari illo privilegio, nisi à Deo, & per consequens, quia non possit, de potentia ordinata, labi in pravitatem hæreticam: quia si laberetur in pravitatem hæreticam, ampliùs non foret caput Ecclesiæ; quia non esset pars Ecclesiæ, cùm Ecclesia nihil aliud sit, quàm congregatio fidelium. Si verò obtinuerit Ecclesia * Primatum super Ecclesias alias ab homine tantùm, non videtur quin possit errare contra Fidem, sicut aliæ Ecclesiæ particulares. Ideò primò, narrabo quæ de hoc Scholastici sentiunt. Et secundò, videbitur de dubio moto.

De primò verò, diversi diversimodè sentiunt. Dicunt enim quidam quòd Ecclesia Romana à Constantino Imperatore, super alias Ecclesias Primatum accepit, nec ante tempora Constantini super alias habuit Principatum. Probant isti suam assertionem per illud in Decretis, *Distinctione. 96. Palea. Constantinus*, & accipitur de gestis beati Sylvestri, ubi sic habetur.

Constantinus Imperator, quarta die sui Baptismatis Privilegium Ecclesiæ Romanæ Pontifici contulit, ut in toto Orbe Romani Pontifices, vel Sacerdotes, ita hunc caput suum habeant, sicut Judices Regem. Et infra. *Et sicut nostra est terrena Imperialis potentia, ita ejus sacrosanctam Ecclesiam Romanam decernimus veneranter honorari, & ampliùs quàm nostrum Imperium terrenumque thronum, sedemque sacrosanctam Beati Petri gloriosè exaltari: tribuentes ei potestatem, & gloriam & dignitatem, atque vigorem, & honorificentiam Imperialem. Atque decernentes ut Primatum teneat, tàm super quatuor Sedes, Alexandriam, Anthiochiam, Jerosolimitanam & Constantinopolitanam; quàm etiam super omnes in universo Orbe terrarum Ecclesias Dei. Et Pontifex qui per tempora ipsius sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ exstiterit, celsior, & Princeps cunctis Sacerdotibus totius mundi existat, & ejus Judicio, quæ ad cultum Dei, vel Fidem Christianorum, vel stabilitatem procurandæ fuerint, disponantur.*

Ex istis patet propositum. Sed ista opinio est benè rigorosa, & fortassè quòd temporibus istis, non est securum eam tenere.

A Dicunt verò alii quòd ante tempora Constantini, Ecclesia Romana super alias Ecclesias habuit Principatum: & sunt tres modi dicendi circa hoc.

Primus modus est, quòd habuit Principatum; authoritate Conciliorum generalium, unde in Decreto. *Dist.* 17. *Cap. Concilia Sacerdotum.* sic legitur. *Scientes quòd ejus sedi primum Petri Apostoli meritum, deinde secuta jussione Domini, Conciliorum venerandorum authoritas singularem in Ecclesiis tradidit potestatem.* Ex quibus verbis habetur, quòd veneranda Concilia sedi Petri tradiderunt singularem super Ecclesias potestatem.

Secundus modus est, quòd Romana Ecclesia à Christo immediatè, quando ordinavit Beatum Petrum Summum Pontificem, dicens ei: *Tu es Petrus* &c. super omnes Ecclesias Primatum principaliter B accepit. Hoc sentire videtur Pelagius Papa *Distinctione* 21. Cap. *Quamvis.* Ita dicens, *Romana Ecclesia Catholica, & Apostolica nullis synodicis constitutis, cateris Ecclesiis prælata est; sed Evangelica voce Domini Primatum obtinuit. Tu es*, inquit Dominus, *Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Hoc etiam videtur asserere Leo Papa, ut habetur, *causa* 24. *quæst.* I. Cap. *Cum beatissimus.*

Hoc etiam Nicolaus Papa videtur asserere. 22. *distinctione.* cap. I. Hiis videtur consentire Anacletus; qui, ut habetur eadem distinctione. Ca. *Sacrosancta.* ait: *Sacrosancta Romana Ecclesia & Apostolica, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino & nostro Salvatore Primatum obtinuit; sicut beato Petro dixit: tu es Petrus* &c. Patet igitur quòd ante Ascensionem Domini in cœlum, Romana Ecclesia à Christo super alias obtinuit Principatum.

Tertius modus dicendi est, quòd Ecclesia Romana non habuit à Christo immediatè Principatum: C immò per plures annos post Ascensionem Domini alteri Ecclesiæ fuit subjecta, nec habuit primò Principatum à Conciliis generalibus, vel à Collegio Apostolorum, sed immediatè à Beato Petro transferente Sedem suam in Romanam Ecclesiam, eam omnibus aliis præferente: & ideò à Christo mediatè habuit, & obtinuit Principatum. Beatus enim Petrus electus est in Papam & Prælatum totius Ecclesiæ à Salvatore, ante Ascensionem Domini, pro se & suis successoribus; & etiam pro Ecclesia, ubi Sedem suam disponeret collocare, Primatum accepit. Hoc Marcellinus Papa, scribens omnibus Episcopis, per Anthiochiam constitutis videtur asserere & innuere, & habetur, C. 24. *Quæst.* I. Cap. *Rogamus*, ait enim: *Rogamus vos fratres dilectissimi, ut non aliud doceatis, neque sentiatis, quàm quod à beato Petro & reliquis Apostolis, & Patribus accepistis, ipse* D *enim est caput totius Ecclesiæ, cui Dominus ait. Tu es Petrus* &c. *ejus enim sedes primitus fuit apud vos, quæ postea, jubente Domino, Romam translata est: cui, adminiculante gratia divina, hodierna die præsidemus. Si verò vestra Anthiochena, quæ olim prima erat, Romanæ cessit sedi, nulla est quæ non sit subjecta ejus ditioni.*

Ex istis, plures assertiones, ad suum propositum pertinentes, isti nituntur colligere.

Prima est, quòd Dominus, ante suam Ascensionem, constituit Beatum Petrum caput totius Ecclesiæ, & de isto diffusè visum est superiùs, in secundo capitulo. Se-

* *Videtur deesse* Romana.

Secunda assertio est, quòd Ecclesia Anthiochena super alias Ecclesias habuit Principatum: quia ista fuit prima Sedes Beati Petri, secundùm quod asserit Anacletus. Unde & in Cronicis legitur quòd ibidem sedit septem annis.

Tertia assertio istorum est, quòd Romana Ecclesia, super alias Ecclesias, post Anthiochenam, obtinuit Principatum: ex quo concludunt isti quòd ante Ascensionem Domini nequaquam obtinuit Principatum, a Deo immediatè, sed mediatè.

A Petro verò immediatè: & meo judicio, ista A via, seu iste modus dicendi, est probabilior, & securior.

Si verò contra istos arguatur sic: si ea quæ isti asserunt forent vera, sequeretur quòd Ecclesia Hierosolimitana super alias Ecclesias, quatuor annis habuisset Principatum; quia, sicut legitur in Cronicis, post Passionem Domini, Beatus Petrus, antequam Anthiochiæ eligeret sibi Sedem, quatuor annis tenuit Principatum, nec legitur ubi sederit, nisi Hierosolimis. *Igitur &c.*

Ad istud potest responderi, quòd Beatus Petrus, quatuor annis, tenuit Principatum, nullam Ecclesiam sibi eligendo, sed tanquam Princeps sedebat ubicumque volebat; sed, post quatuor annos, in Anthiochia Sedem elegit: ideò Hierosolima Ecclesia non fuit prima, quia, sicut legitur in Legenda beati Jacobi, idem Jacobus post Passionem, statim ab Apostolis Hierosolimorum fuit Episcopus ordinatus. Et sic patet qualiter habetur sic respondendum ad prædictam objectionem. Et hæc de isto sufficiant.

§. 2.

An Ecclesia Romana errare possit in Fide.

NUNC restat videre, an Ecclesia Romana possit errare contra Fidem Catholicam, & hæreticè.

Pro quo est notandum, quòd istud complexum, *Romana Ecclesia*, in diversis locis sacri Canonis, aut Decreti diversimodè accipitur.

Quandoque enim accipitur Romana Ecclesia, pro Papa. Quandoque pro Collegio Cardinalium. Et quandoque pro Papa, & Cardinalibus. Aliquoties etiam accipitur Romana Ecclesia, pro toto Clero Romano. Quandoque pro tota Romana Diœcesi. Et quandoque tota congregatio fidelium, nomine Ecclesiæ Romanæ importatur.

Unde Beatus Paulus extra totam Italiam natus, antequam Romam venisset, se esse Romanum civem asserit. *Actuum.* VI. Igitur tota congregatio fidelium, nomine Ecclesiæ Romanæ potest appellari. Patet etiam istud per Pelagium, qui ut habetur, *Distinct.* 21. *Cap. Quamvis*, loquens de Romana Ecclesia, ait, *Est igitur prima Apostoli Petri Sedes Romana Ecclesia, non habens maculam, neque rugam.* Et juxta istud verbum dicit Glossa: *Arguitur quòd ubicumque sunt boni, ibi est Romana Ecclesia.* Ergo tota congregatio bonorum potest Romana Ecclesia appellari. Juxta verò acceptionem istam ultimam, non intendo hîc quærere, utrum Romana Ecclesia possit contra Fidem errare, quia, ut pollicitus sum, de isto debet videri inferiùs.

Accipiendo autem Ecclesiam Romanam pro Papa præcisè, aut etiam pro Cardinalibus præcisè, non facio, pro nunc, magnam difficultatem, an Romana Ecclesia possit hæreticari, vel contra Fidem errare: cùm de Beato Petro Apostolorum Principe legimus, *ad Galath.* II. quòd à Beato Paulo reprehensus est, eo quòd non rectè ambulabat ad veritatem Evangelii.

Aliud exemplum habemus de Beato Marcellino, qui contra Fidem erravit Catholicam, idola adorando: de quo loquitur Nicolaus Papa, *Distinctione* 21. *Cap. nunc autem.* De hoc etiam satis specialiter habetur in Legenda ejusdem.

Aliud secundum exemplum habemus de Anastasio tertio, qui propter pravitatem hæreticam fuit à Romana expulsus Ecclesia, de quo in Decretis, *Distinctione* 19. 1. Cap. *Anastasius* legitur.

Aliud exemplum habemus de Silvestro secundo, de quo habemus quòd diabolo fecit homagium.

Aliud exemplum habemus de Joanne vigesimo secundo, & Nicolao tertio, aliisque quampluribus, qui de paupertate Christi, & Apostolorum ejus, differentes Sententias deffiniverunt, & approbaverunt. Igitur alter eorum fuit hæreticus, videlicet ille qui erravit, solemniter deffiniendo, aliosque ad tenendum errorem arctando.

Idem Joannes vigesimus secundus docet, & manifestissimè tenet, quòd animæ Justorum non vident Deum, & quòd animæ reproborum non sunt in Inferno, nec premuntur ante diem generalis Judicii. Innocentius autem tertius tenet oppositum.

Item, Joannes XXII. tenet quòd omnia de necessitate eveniunt; multi autem Summi Pontifices tenuerunt oppositum. Et Joannes octavus, prout legitur, *Distinctione* 8. Cap. *Faciatis*; ut Gregorius Papa, *Distinctione* 83. Cap. *Consentire.* Ut *Leo Papa.* Epistola *de hæreticis* Cap. *Qui alios.* Ut Innocentius B tertius, *extra. de Sententia excommunicationis*, Cap. *Quanto.* Patet igitur Papam posse errare contra Fidem Catholicam.

De Collegio autem Cardinalium, etiam pro nunc non facio magnam difficultatem; cùm illud Collegium nec sanctitate, nec firmitate Collegium venerabile Apostolorum excedat: quod tamen potuit errare, & de facto erravit: tempore enim Passionis Domini nostri Jesu Christi, nullus eorum fixus in Fide remansit.

Intendo igitur hîc inquirere, utrùm Collegium Papæ & Cardinalium, aut etiam tota multitudo Clericorum Romanorum posset contra Fidem errare: & de isto diversi diversas protulerunt sententias, quorum opiniones in brevi enarrabo, cum suis motiC vis, saltem aliquibus, &, meo judicio, efficacioribus.

Dicunt namque quidam quòd Romana Ecclesia, quæ dicitur ab Universali Ecclesia, sicut pars à toto, contra Fidem non potest errare, saltem hæreticè, quia de errore hæretico hîc intendo loqui. Isti nituntur probare istam assertionem: Et primò sic: Ecclesia Romana cæteris Ecclesiis voce Domini prælata est, & Principatum obtinuit. Cùm igitur opus Dei dissolvi non possit ab hominibus. *Actuum.* V. Sequitur quòd usque in finem sæculi erit caput Ecclesiæ, & per consequens, sequitur quòd non possit errare, quia si erraret, desineret esse caput aliarum Ecclesiarum. Primum autem assumptum probatur per Pelagium, qui ut habetur, *Distinctione* 21. Cap. *Quamvis*: ait: *Quamvis universæ Ecclesiæ Catholicæ, per Orbem institutæ, unus sit talamus Christi: tamen Sancta Romana Ecclesia & Apostolica, nullis Synodicis* D *Constitutis cæteris prælata est, sed Evangelica voce Domini & Salvatoris nostri Principatum obtinuit.* Igitur &c.

Secundò. Arguitur sic: sine Romana Ecclesia, nulla esset Catholica Ecclesia ritè disposita, ergo errare non potest: quia si erraret, Universalis Ecclesia non ritè disponeretur. Antecedens patet per Anacletum Papam, qui ut habetur, *Distinctione* 22. Cap. *Sacrosancta.* ait: *Hæc Apostolica sedes, caput & cardo, ut præfatum est, à Domino constituta est, & non ab alio: & sicut cardine ostium regitur: sic hujus Sanctæ Apostolicæ sedis authoritate, omnes Ecclesiæ, Domino disponente, reguntur.* Igitur &c.

Tertiò. Sic: Ecclesiam Romanam nulla hominum malitia videtur extinguere. Igitur &c. Consequen-

quentia patet. Antecedens probatur authoritate Pelagii Papæ, qui ut habetur, c. 24. quæstione 1. Cap. *Pudenda*. ait: *Cùm Ecclesia una sit, nullam aliam esse constat*. Et subjungit. *Si nullo modo rectè dici potest Ecclesia, in qua schisma est: restat ut cùm Ecclesia nulla esse non potest, ea sit, quam in Apostolicæ Sedis, per successiones Episcoporum radice constitutam, nulla hominum malitia, etiam si nota, excludi non possit; sed pro temporis ratione judicetur toleranda, nullo modo valeat excludere.** Igitur &c.

Quartò. Arguitur authoritate Livii Papæ, qui, ut habetur, c. 24. *quæstione* 1. Cap. *A Recta*. ait: *Hæc Sancta & Apostolica Mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per Dei Omnipotentis gratiam, à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur; neque hæreticis novitatibus depravanda succubuit: sed ut in exordio normam Fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata Fide tenus manet*. Igitur &c.

Ultimò. Pro nunc arguitur authoritate Jeronimi, qui, ut habetur *eadem causa, quæst* 1. *Cap. Hæc est fides*, ait: *Sancta Romana Ecclesia, quæ semper immaculata permansit, Domino providente, & Beato Petro opem ferente, in futuro permanebit, sine ulla hæreticorum insultatione, atque firma & immobilis, omni tempore persistet*. Ex hiis videtur quod Ecclesia Romana nunquam erravit, nec errabit.

Dicunt verò alii quòd Ecclesia Romana, dicta à congregatione omnium fidelium, sicut caput à corpore, potest errare contra Fidem Catholicam, licèt nunquam erraverit, aut errabit; nec, ipsam errare, repugnat Legi Christi nunc currenti.

Et pro ista assertione arguitur sic.

Primò. De nulla Ecclesia potest probari quòd ipsa non possit errare contra Fidem, nisi ex hoc quod Christus dixit Petro, Luc. XXII. 32. *Petre rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua*. Aut ex hoc quod dixit Christus Apostolis suis. *Ite docete omnes Gentes, baptisantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ecce vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Matth. XXVIII. 19. 20. Sed ex nullo istorum, nec ex istis conjunctim, sequitur Romanam Ecclesiam esse in Fide confirmatam, aut eam non posse errare. Ergo &c. Probatur autem quòd ex nullo prædictorum sequatur, Ecclesiam Romanam non posse errare.

Et primò, ex hoc quod Christus dixit Petro: *Petre rogavi pro te* &c. Non sequatur illud; quia Christus promisit illud Petto, pro Universali Ecclesia, & non pro aliqua particulari: quia quando Christus dixit illa verba Petro; Petrus non magis erat caput Ecclesiæ Romanæ, quàm Autiochenæ, sed tunc primò erat habiturus Sedem in Antiochia, & postea in Roma: igitur cùm in prædictis verbis non plùs fiat mentio de Roma, quàm de Antiochia, non plùs debet intelligi promissio facta Petro, pro Ecclesia Romana, quàm pro Antiochena. Sed prædicta promissio non debet intelligi pro Ecclesia Antiochena; quia Fides illius Ecclesiæ jam defecit. Ergo nec de Ecclesia Romana debet intelligi dicta promissio; quia per illa verba solùm promisit Christus quòd Fides Catholica non deficit usque ad sæculi consummationem. Immò semper erunt aliqui fideles.

Probatur secundò. Quòd ex verbis Christi quæ habentur *Mathei ultimo*, videlicet cùm Christus dixit: *Ecce vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*: non sequatur Ecclesiam Romanam non posse errare; quia non solùm intelligebat Christus de Ecclesia futura post ejus Ascensionem in cœlum; sed & intelligebat quòd nullo tempore, nec ante Ascensionem, nec post, tota Ecclesia Christianorum à Fide recederet. Ergo cùm Ecclesia Romana incœpit post Ascensionem Domini, non potest rationabiliter dici, quòd illa verba intelligenda sunt de Romana Ecclesia. Ex quò manifestissimè sequitur propositum. Et ista est principalis ratio istorum, & credo eam sufficere pro ista assertione. Non obstante tamen, ad majorem hujus opinionis confirmationem, alias rationes pro dicta assertione adducam.

* *melius* extinguere.

Secundò. Arguitur sic: Ecclesia Romana postquàm fuit inchoata, potuit contra Fidem errare. Consequentia patet: quia per adventum Petri, ipsa non fuit in Fide confirmata. Quod probatur sic: quia sicut præfuit Ecclesiæ Romanæ, & ipse cum Paulo Ecclesiam Romanam consecraverunt, & fundaverunt; sic Christus præfuit Jerosolimæ Ecclesiæ & eam gloriosissima ejus Passione consecravit; & tamen per hæc, Ecclesia Jerosolima non fuit in Fide confirmata: ergo nec Ecclesia Romana fuit in Fide confirmata per hoc quòd Petrus dictæ Ecclesiæ Princeps constitutus est, & caput; aut per hoc quòd ipse cum Paulo dictam Ecclesiam suo martyrio consecraverit; cùm mors, doctrina, cæteraque Christi opera, fuit multò majoris efficaciæ, quàm martyrium, aut prædicatio Apostolorum.

Item, per hoc quòd Petrus præfuit Ecclesiæ Antiochenæ, ipsa Antiochena Ecclesia non fuit in Fide confirmata. Ergo nec Roma na etiam fuit in Fide confirmata, per hoc quòd Romæ sedit, & Ecclesiæ Romanæ præfuit. Consequentia patet. Antecedens notum est. Confirmatur dicta secunda ratio, quia non magis fuit electa a Deo Romana Ecclesia, quàm Jerosolima, sed promisit Deus Jerosolimam à Fide recedere. Igitur &c.

Tertiò. Principaliter arguitur sic: Papa potest transferre Sedem in aliam civitatem. Igitur &c. Consequentia patet. Antecedens probatur; quia tantæ authoritatis est Papa, respectu Sedis Apostolicæ, quantæ fuit Petrus, cum sit ejus successor in plenitudine potestatis: sed Petrus utilitatis causâ, transtulit Sedem de una civitate in aliam. Igitur &c.

Dicunt tamen adversarii, quòd Petrus non authoritate propria; sed jubente Domino, Sedem, de Antiochia, transtulit Romam. Ideò Papa, propria authoritate, non potest transferre Sedem in aliam civitatem. Sed difficile est probare istam negativam, videlicet quòd Petrus non transtulerit Sedem jussu Domini. Ideò benè concedo quòd ista ratio non cogit adversarios.

Ultimò. Arguitur sic: Tempore Passionis Domini nostri Jesu Christi, nedum Apostoli; sed omnes Christi Discipuli in Fide vacillaverunt, excepta gloriosissima ejus Matre, in qua Fides firma remansit, juxta illud devotum Ecclesiæ oraculum. *Gaude virgo Maria, cunctas hæreses sola interemisti, in universo mundo*. Cùm ergo Ecclesia Romana non præcellat sanctitate venerabile Collegium omnium Discipulorum Christi, etiam seclusâ gloriosissimâ ejus Matre, nec fuerit magis in Fide confirmata, quàm dictum Collegium: sequatur propositum.

Confirmatur. Si Ecclesia Romana nou posset errare, non indigeret consilio aliorum, pro quæstionibus Fidei terminandis.

Ex istis rationibus patet quòd Ecclesia Romana, prout est pars Ecclesiæ Universalis, possit errare contra Fidem. Non tamen dicunt isti quòd stet quòd sit pars, aut caput Ecclesiæ Universalis, & quòd ipsa erret hæreticè: sed dicunt quòd Ecclesia Romana, quam fatentur esse caput Ecclesiarum, potest, stante lege nunc currente, errare contra Fidem; & ista opinio apparet mihi probabilior aliâ. Immò vix scirem sustinere aliam opinionem isti contrariam.

Nunc restat respondere ad rationes alterius opinionis.

Ad primam respondetur, quòd Ecclesia Romana, cæteris Ecclesiis est, voce Domini, prælata, ad sensum priùs tactum; quia videlicet Christus ante Ascensionem suam, Evangelica voce contulit Beato Petro Principatum, & dedit potestatem præferendi universis Ecclesiis, quamcumque Ecclesiam, in qua sibi Sedem eligeret: sed non sequitur quòd non possit errare; quia etiam Ecclesia Antiochena fuit

fuit voce Domini Evangelica, cæteris Ecclesiis prælata, dùm Petrus Antiochiæ sedebat. Cùm dicitur quòd opus Dei dissolvi non potest, dicitur quòd multa opera Dei ab hominibus possunt dissolvi, ut Charitas, & virtutes, scilicet peccando mortaliter; non tamen possunt rationabiter nec justè dissolvi, vel separari, manente conjunctionis causa. Ideò conceditur quòd absque rationabili causa Papa non posset transferre Sedem suam in aliam Civitatem.

Ad secundam rationem respondetur, quòd beatus Anacletus vocat Sedem Apostolicam, Summum Pontificem.

Ex istis satis patet solutio rationis, benè advertenti.

Ad tertiam dicitur quòd Ecclesiam Romanam posset hominum malitia extinguere. Authoritas ante adducta loquitur de Ecclesia tenente doctrinam Apostolicam, quæ fundata est in doctrina Apostolorum, & istam nulla malitia hominum potest extinguere, quia illa Ecclesia sive fuerit Romæ, sive in Anglia, aut Hispania, non poterit esse nulla.

Ad quartam dicitur quòd Lucius Papa loquitur pro tempore præterito, ante sua tempora; & si loqueretur pro temporibus futuris, sanè posset intelligi quòd loqueretur de Ecclesia Apostolica, quæ Fidem sequitur Apostolorum.

Ad ultimam respondetur quòd hæc propositio: *Domino providente, & Beato Petro opem ferente, Ecclesia Romana in futuro sæculo permanebit, sine ulla hæreticorum insultatione, atque firma, & immobilis &c.* potest esse conditionalis, causalis, & temporalis.

Si conditionalis, vera est; sed temerarium est asserere Antecedens. Jeronimus autem non intellexit dictam propositionem ad sensum quem habet, prout est causalis. Si verò dicatur quòd Jeronimus intellexit illam, prout æquivalet uni temporali: tamen nescitur quanto tempore Beatus Petrus dabit opem Ecclesiæ Romanæ: ideò temerarium est dicere quòd ipse feret opem usque in finem sæculi, & per consequens, temerarium est dicere quòd nunquam errabit. Et patet qualiter respondetur ad dictas rationes. Et hoc sufficiat de isto prima puncto.

Secundò. Restat videre an Collegium, seu congregatio omnium Clericorum, valeat hæreticari.

Ad quod respondent quidam, quòd sic; probantes suam assertionem aliquibus rationibus, quarum recitabo efficaciores, meò judicio; alias autem, causâ brevitatis, sub silentio præteriens.

Arguitur namque primò sic. De nulla Ecclesia est asserendum quòd ipsa non possit errare, nisi de qua hoc potest concludi ex promisso Christi, cùm dixit Petro. *Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Sed ex dicto promisso non sequitur Ecclesiam Clericorum non posse errare; cùm Christus nullam specialem mentionem faciat de Clericis. Igitur &c.

Secundò sic. Collegium Clericorum non est sanctius neque stabilius, quàm fuit Collegium Apostolorum: Collegium autem Apostolorum, tempore Christi, erravit contra Fidem. Igitur &c.

Tertiò. Sic. Si multitudo Clericorum non possit errare; hoc est, aut ratione regiminis, & authoritatis, quod dici non potest; quia regimen, & authoritas in Fide non necessariò confirmat, nec auget necessariò gratiam, aut virtutes. Aut ratione majoris sanctitatis, & hoc non, quia multi laïci Clericis sanctiores, & in Fide stabiliores, nonnunquam reperiuntur, teste beato Ambrosio, & habetur 8. quæst. Cap. *Quid autem.* Aut propter majorem scientiam, aut litteraturam, & hoc non; quia sicut litteratura est sæpe occasio stabilitatis in Fide, ita & frequenter occasio hæreticæ pravitatis; Unde communiter hæresium inventores fuerunt viri litterati, suos errores per sacras Scripturas fulcire conantes, secundùm quod testatur Beatus Clemens. Et legitur *Distinctione 37. Cap. Relatum*, & beatus Jeronimus insinuat in prologo Bibliæ. Nec est dicendum quòd illa multitudo non possit errare, quia si erraret, periclitaretur Fides Catholica, quia sicut testatur beatus Paulus 1. ad Chorinth. 11. 5. *Fides nostra non est in sapientia hominum, sed est in virtute Dei.* Virtute enim Dei potest Fides Catholica sustentari in laïcis, sicut in litteratis, maximè cùm Christus Fidem Catholicam per illiteratos fundaverit. Ergo non potest assignari ratio sufficiens ad concludendum quòd tota multitudo Clericorum non possit errare contra Fidem.

Istæ sunt rationes quibus isti nituntur fulcire, quòd tota multitudo Clericorum possit contra Fidem errare.

Dicunt verò alii, quòd tota multitudo omnium Clericorum non potest errare, de potentia ordinata: & ad istud probandum nonnulli quasdam adducunt rationes, quas reputo modici valoris. Arguunt enim quidam sic. Si tota multitudo Clericorum erraret, nullus esset qui hæreticos punire valeret, quia Clerici non sunt subjecti Judicio laïcorum, ut testantur Sacri Canones. Igitur &c.

Item, cùm soli Clerici habeant eligere Summum Pontificem, si sic foret, Ecclesia posset devenire ad talem statum, ut nullus esset qui posset eligere caput in Ecclesia, etiam Sede vacante, quod videtur inconveniens. Ergo non est concedendum quòd tota multitudo Clericorum posset hæreticari.

Istas autem rationes reputo parum cogentes, immò non cogentes; quia dicit adversarius quod Clerici non sunt exempti à Judicio laïcorum, nisi ex eorum mera voluntate. Ideò si hæreticarentur, omnes essent subjecti Judicio laïcorum, quia nunquam fuit intentio laïcorum concedere illam immunitatem, quando omnes Fidem Catholicam impugnarent.

Ad alias autem rationes diceret adversarius quòd si omnes Clerici hæreticarentur, potestas eligendi Summum Pontificem, esset ad laïcos devoluta, & sic istæ rationes non cogunt adversarios. Idcircò pono aliam rationem quæ me movet, pro parte ista, videlicet quòd cum Lege Christi nunc currente non stat omnes Clericos pertinaciter contra Fidem errare.

Argitur enim sic. Ordo Apostolorum per spiritualem generationem continuabitur & permanebit, usque ad sæculi consummationem: Ergo semper erunt aliqui Sacerdotes, & Clerici, usque ad sæculi consummationem in Fide permanentes, & non hæretici. Consequentia patet: quia ex eo ipso quòd aliquis est hæreticus, ipse privatus est omni dignitate Ecclesiastica. Unde, & licèt, secundùm aliquos, hæreticus Sacerdos possit conficere Corpus Domini; tamen eo ipsò quod ipse efficitur hæreticus, talis privatur omni Ecclestica prælatione, aut dignitate, ut Episcopatu, si priùs fuerit Episcopum, etiam licèt talis sic hæreticus possit, de facto, consecrare, non tamen potest licite. Etiam si omnes Clerici efficerentur hæretici, nullus licitè posset sacros Ordines celebrare, nec Ecclesiastica Sacramenta licitè ministrare, & frustra conservaretur talis Ordo, quod non est dicendum. Licèt autem assumptum diffusè fuerit deductum & probatum superiùs, Articulo secundo, Conclusione tertia: tamen pro majori confirmatione, adhuc volo ipsum probare, authoritate Pauli Apostoli, *ad Ephesios* IV. *Cap.* 10. dicentis, *Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos; ut adimpleret omnia. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Doctores, & Pastores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi, donec concurramus omnes in unitatem Fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi &c.*

Ex quibus manifestè sequitur quòd donec concurramus omnes in unitatem Fidei, & agnitionis Filii, in virum

rum perfectum, & in mensuram ætatis plenitudinis Christi, & per consequens, usque ad sæculi consummationem, semper erunt aliqui succedentes Apostolis, aliqui Pastores, aliqui Evangelistæ, & aliqui Doctores. Cùm igitur, ut dictum est, hæreticus omni Prælatione Ecclesiastica sit privatus, sequitur quòd semper, usque ad sæculi consummationem, erunt aliqui Pastores non hæretici, immò Catholici; alioquin Pastoris nomen amitterent.

Item, cùm hæreticus, non possit dici Doctor Ecclesiasticus, immò pervertens Ecclesiam Catholicam potiùs esset censendus; sequitur, ex quo usque in finem sæculi erunt aliqui Doctores, quòd usque in finem sæculi erunt aliqui Clerici Catholici, & non pertinaciter contra Fidem errantes.

Item, si diligenter advertamus ad prædicta beati Pauli verba, manifestè patet quod usque in finem sæculi erunt aliqui Pastores, & Doctores, qui licitè ea quæ pertinent ad suum officium poterunt exercere; & per consequens, tales non erunt hæretici. Quod autem ex prædictis verbis diligenter consideratis, sequatur quòd usque in finem sæculi erunt aliqui Pastores, qui licitè poterunt ea quæ ad Pastoris officium pertinent exercere, videlicet Ecclesiastica Sacramenta licitè dispensare; patet per hoc quod dicit Apostolus: *ad consummationem sanctorum*: idest Clericorum Christi, *in opus ministerii*, *ad ædificationem Corporis Christi*, scilicet ministri, quod est Ecclesiâ militans: Ex quibus omnibus sequitur maximè propositum.

Confirmatur ista ratio. Quia si conceditur quòd tota multitudo Clericorum possit errare; pari ratione concedi poterit quòd tota multitudo Clericorum possit per mortem extingui, quod maximè repugnat prædictis verbis Apostoli.

Ista totalis ratio movet me ad tenendum istam partem.

Ultimò. Ad idem auguitur sic. Si esset possibile totam Clericorum multitudinem errare, Fides Catholica posset periclitari sic, quòd ante finem sæculi posset deficere, & omninò esset nulla. Consequens est manifestissimè falsum: igitur & antecedens. Consequentia probatur; quia si erraret tota multitudo Clericorum, dùm ipsi Clerici & Prælati suos errores prædicarent, nullus esset laïcus illustratus, qui auderet eis dissentire. Immò crederent laïci maximè errare, si Clericis discreparent, maximè ubi omnes Clerici unanimiter illud prædicarent. Crederent etiam peccare, Prælatis & Pastoribus suis non obediendo; cùm *ad Hæbreos*, XIII. 17. dicat Apostolus. *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

Patet igitur quòd non est possibile, de potentia Dei ordinata, totam Clericorum multitudinem errare. Fateor tamen quòd ista ratio non cogit adversarium: quia dicet faciliter adversarius, quòd quia Christus promisit Ecclesiam non deficere ante finem sæculi; ideò si omnes Clerici inciderent in pravitatem hæreticam, Deus nonnullos laïcos etiam illustratos præservaret, aut saltem aliquem laïcum, ne ipse laberetur in hujusmodi pravitatem, seu in hæresim, & ille non crederet Clericis hæreticè prædicantibus: nec tenetur aliquis obedire, sive credere Prælatis suis, hæresim manifestam prædicantibus: & patet quòd ratio ista isto modo evaderetur.

Aliam tamen rationem prætactam credo sufficienter concludere propositum nostrum. Nunc restat respondere ad rationes oppositas.

Ad primam enim respondetur quòd licèt ex prædictis verbis quæ Christus dixit Petro, *Petre rogavi pro te &c.* non sequatur quòd Deus promisit Ecclesiam Clericorum usque in finem sæculi in Fide permansuram: illud tamen sequitur ex illis verbis Christi, quæ dixit suis Apostolis, ante ejus Ascensionem in cœlum, dicens videlicet, Matth. XXVIII. 18. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, euntes ergo docete omnes Gentes, baptisantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, & docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis, & ecce vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Constat enim quòd Christus solis Apostolis undecim, qui abierunt in Galilæam in montem ubi constituerat illis Jesus, locutus est, non pro seipsis tantùm, cùm cum per-

A sonis quæ statim moritur æ erant, Christus non erat futurus omnibus diebus sæculi, sed pro se & suis successoribus in dignitate Ecclesiastica, & potestate. Et per consequens, constat quòd usque ad finem sæculi erunt aliqui succedentes Apostolis, in Ordine Apostolico, & dignitate Ecclesiastica. Unde per hoc quod promisit Christus. *Docete omnes Gentes, babtisantes eos*, &c. & subjungit. *Ecce vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, manifestè innuit Christus ipsum permansurum usque ad sæculi consummationem cum Ecclesia sua Militante, per Fidem, sed etiam per præsentiam sacramentalem; non quòd actu sit sacramentaliter in sua Ecclesia continuè, usque ad finem sæculi, quia hoc non oportet, sed in potentia: sic quòd usque ad sæculi consummationem semper erunt aliqui Sacerdotes, qui Corpus Domini Jesu Christi poterunt consecra-

B re, quod licitè non possent si essent hæretici, non possent etiam docere Catholicos, si essent hæretici: Cùm igitur per prædicta verba promittat Christus se permanere usque ad finem sæculi cum Apostolis, aut eorum successoribus, in docendo, & baptisando; quia Christus promisit, ut jam prædictum est, *Docete omnes Gentes, baptisantes eos*, &c. sequitur quòd usque ad consummationem sæculi semper erunt aliqui Doctores, quibus incumbet, ex officio, docere Electos Christi, specialiter simplices, & illustratos; & per consequens, cum prædictis verbis Chri-

C sti non stat totam multitudinem Clericorum hæreticari. Posset etiam probabiliter dici, quòd licèt in Scriptura Evangelica non reperiatur locus ubi Christus explicitè promiserit Ecclesiam Clericorum in Fide permansuram usque in finem sæculi; quia tamen multa docuit Christus, & prædicavit Apostolis, quæ non sunt scripta in Libro Evangeliorum, juxta illud Joannis XX. 30. *Multa quidem & alia signa fecit Jesus in conspectu Discipulorum, quæ non sunt scripta in Libro hoc*, idcircò potuit hoc Christus promittere, & prædicere Discipulis suis, licèt Evangelistæ illud in Evangeliis suis minimè expresserunt. Et ita potest dici quòd Paulus, dicto Capitulo prællegato, *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios Pastores & Doctores, in consummationem sanctorum &c. donec concurramus omnes in unitatem Fidei &c.* hoc accepit immediatè ab Apostolis Christi, quibus Christus hoc prædixerat.

D Aut si ab Apostolis illud non accepit, tunc evidenter affirmari poterit quòd illud habuit, aut scivit, per specialem Spiritus sancti revelationem: aliàs temeritate asseruisset Paulus quòd usque in finem sæculi erunt aliqui Pastores, Doctores, Evangelistæ, &c. quod non est concedendum de Paulo Apostolo. Et patet quòd ratio illa non concludit.

Aliter etiam potest responderi ad prædictam rationem: dicendo quòd per prædicta verba Christi. *Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*: potest sufficienter inferri quòd Ordo Apostolicus manebit usque in finem sæculi, & quòd semper erunt aliqui, qui ex officio habebunt Ecclesiastica Sacramenta dispensare, & solvere, & ligare, docere, baptisare, corpus Christi conficere: quia si nullus esset qui hujusmodi Sacramenta ministrare valeret; statim periret Fides Catholica, & per consequens, sequitur quòd usque in finem sæculi erunt aliqui Clerici fideles & Catholici; cùm hæreticus, hujusmodi Sacramenta

menta dispensare, & conferre non possit, saltem licitè. Sed, judicio meo, standum est in prædicta solutione, & non in ista: quia licèt ex prædictis verbis: *Petre rogavi pro te*, satis sequitur quòd Ordo Apostolicus sit permansurus usque in finem sæculi, & quòd tota multitudo Clericorum non errabit usque in finem sæculi; immò non errabit per tantum tempus, ut hujusmodi errorum occasione, Fides Catholica pereat: non tamen sequitur ex dictis verbis quin tota multitudo Clericorum possit errare hæreticè per certum tempus, licèt modicum, ut per diem, vel A per mensem, & iterum reverti ad Fidem; maximè cùm postquam jam dixisset Christus verba prædicta Petro; Apostoli, omnesque Christi Discipuli, excepta glorisissima ejus Matre, contra Fidem erraverint, videlicet, tempore Passionis Christi, circa Articulum Resurrectionis ejusdem. Et patet quòd illa solutio non est ita efficax sicut prima solutio. Ideò sto in prima.

Ad secundam, quòd tempore Passionis nondùm promiserat Christus Ecclesiam Clericorum in Fide permansuram, usque in finem sæculi; sed posteà promisit, cùm dixit Apostolis: Matthei ultimo. *Docete omnes Gentes* &c. *& ecce vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, & ratio non procedit.

Ad tertiam, dicitur quòd tota multitudo Clericorum non potest errare hæreticè, non ratione majoris sanctitatis, aut regiminis, seu authoritatis; aut ratione suæ scientiæ: sed quia promisit Christus, & B prædixit Ecclesiam Clericorum usque in finem sæculi in Fide permansuram.

Ex istis patet qualiter respondendum est ad rationes alterius opinionis. Et hæc sufficiant de isto.

§. 4.

An Ecclesia Universalis errare possit in Fide.

NUnc restat videre de Ecclesia Universali Militante: an tota possit incidere in pravitatem hæreticam. Ad quod, ab omnibus Scholasticis, unanimiter respondetur quòd non, quia totam Ecclesiam, aut multitudinem Christianorum hæreticari, C evidenter repugnat promisso Christi, quo promisit Petro Fidem Catholicam usque in finem sæculi permansuram, ut notum est. Sed non ita evidenter repugnat eidem promisso, totam Christianorum multitudinem errare contra Fidem, errore tamen non hæretico, aut pertinaciæ non admixto; quia posset quis dicere quòd stat Fidem Catholicam usque in finem sæculi permanere; & tamen quòd omnes Christiani & Catholici errant circa aliquem Articulum Fidei, quem nullus tenetur explicitè credere, assentiendo opposito dicti Articuli sine pertinacia. Nam certum, quòd stat aliquem esse Catholicum, & ipsum errare, non pertinaciter, circa aliquem Articulum Fidei.

Posset etiam quis dicere quòd cum promisso Christi stat, omnes Catholicos errare circa Fidem non pertinaciter, licèt cum eodem promisso non stet, D omnes Catholicos errare circa eumdem Articulum Fidei, etiam sine pertinacia. Nam Petrus potest errare circa unum Articulum, & Joannes circa alium; & tamen Joannes non errat circa illum Articulum, circa quem Petrus errat, nec Petrus errat circa illum Articulum, circa quem Joannes errat. Sic possumus imaginari quòd quilibet Catholicus errat circa aliquem Articulum Fidei, & tamen nunquam omnes Catholici errant aut errabunt circa eumdem Articulum Fidei. Hæc tamen non assero: sed tantùm dico quòd cum promisso Christi non stat, totam Christianorum multitudinem labi in pravitatem hæreticam.

Unde, ad majorem declarationem solutionis hujus dubii, ponam aliquas Propositiones, quarum prima est ista.

Prima Propositio.

STante Lege nunc currente, Ecclesia Universalis potest hæreticari. Probatur ista propositio sic. Hæc propositio, Ecclesia potest hæreticari, est vera, & per consequens necessaria; cùm sit de possibili quòd sit vera. Patet: quia ipsa æquivalet isti, quod est vel esse potest, Ecclesia Universalis potest errare, modò certum est quòd Petrus & Joannes possunt esse Ecclesia Universalis, & quòd possunt errare etiam pertinaciter. Ergo dicta propositio est vera, & per consequens necessaria, cum sit, ut jam dictum est, de possibili. Et ultra sequitur, illa est necessaria; ergo ipsa stat cum Lege nunc currente, quia omne verum omni vero consonat. Non tamen per dictam propositionem volo dicere, quòd stet cum Lege nunc currente, quòd Ecclesia Universalis erret circa ea quæ sunt Fidei: immò oppositum dicam in secunda propositione.

Secunda Propositio, est ista.

IMpossibile est, stante Lege nunc currente, Ecclesiam hæreticari. Probatur: quia Ecclesiam hæreticari repugnat promisso Christi, quo promisit Petro Fidem Catholicam usque in finem sæculi permansuram. Igitur &c.

Tertia Propositio.

IMpossibile est per quamcumque potentiam, Ecclesiam labi in pravitatem hæreticam. Probatur hæc propositio: quia hæc est simpliciter impossibilis: Ecclesia lapsa est in pravitatem hæreticam; quia non stat quòd aliqua multitudo sit Ecclesia, & quòd ipsa lapsa sit in pravitatem hæreticam: cùm Ecclesia nihil aliud est quàm congregatio fidelium. Igitur &c.

Quarta Propositio.

POssibile est, de potentia Dei absoluta, nullam esse Ecclesiam Catholicam. Patet, quia Deus, de potentia sua absoluta, potest destruere totum mundum, & omnes creaturas. Igitur &c.

Ultima Propositio, est ista.

CUm promisso Christi non stat nullam esse Catholicam Ecclesiam. Patet: quia promisit Christus Fidem Catholicam usque in finem sæculi permansuram. Igitur &c.

Aliæ propositiones quamplures circa istam materiam possent poni; sed istæ satis sufficiunt ad declarationem hujus dubii, ideò plures non pono: multæ etiam objectiones possent contra prædicta fieri; sed illæ logicales essent, & faciliter solubiles, attentis eis quæ dicta sunt circa istud dubium. Idcircò non plùs ad præsens de isto.

§. 4.

An Concilium Generale errare possit in Fide.

ULtimò, videre restat de Concilio Generali; an possit pravitate hæretica irretiri. Pro cujus dubii responsione, primò ponam quid intelligam per Concilium Generale, & quomodò valeat congregari.

Secun-

Secundò. Recitabo circa istud dubium duas opiniones sibi invicem contrarias, & oppositas.

Est ergo primò sciendum, quòd per Concilium Generale, non intelligo quamlibet congregationem Episcoporum, & Archiepiscoporum, Summi Pontificis authoritate convocatam, licèt impropriè talis congregatio ab aliquibus vocaretur Concilium Generale. Hoc notant Glossæ, Dist. 17. Cap. primo. Dicit enim Glossa: *Conciliorum quædam sunt Universalia, quædam particularia; sive provincialia, & quædam Episcopalia. Universale est quod à Papa, vel ejus Legato,* A *cum omnibus Episcopis statuitur.*

Ex quibus patet quòd secundùm quamdam acceptionem Concilii Universalis, seu Generalis; Concilium Generale est congregatio omnium Episcoporum authoritate Papæ, vel ejus Legati facta, seu convocata: sed sic non accipio hîc Concilium Generale.

Sed per Concilium Generale intelligo congregationem illam in qua diversæ personæ, gerentes authoritatem & vicem diversarum partium, & Provinciarum totius Christianitatis, ad tractandum de communi bono, ritè conveniunt. Debet autem hujusmodi Concilium, authoritate Summi Pontificis congregari, nisi in casu, in quo Papa esset notorius hæreticus, in quo casu convocatio Concilii Generalis B pertinet ad Prælatos in divina Lege peritos principaliter.

Secundò. Etiam pertineret ad Reges, & Principes.

Et tertiò. Convocatio Concilii Generalis in dicto casu pertineret, licèt minùs principaliter, ad omnes Catholicos, scientes Papam sic esse hæreticum, in casu quo Prælati & Principes seculares Concilium Generale convocare negligerent: ubi tamen appareret imminens periculum, si non fieret tale Concilium Catholicum. Nolo tamen dicere quod ad hoc quod sit Concilium Generale, quod requiratur, quòd de qualibet Provincia totius Christianitatis sint aliqui, aut aliquis gerens authoritatem dictæ Provinciæ. Quia si aliqua Provincia vellet, & non posset personas authoritatem ejus habentes transmittere, non minùs congregatio dictorum contradiceret Concilio Generali C congregando: & si ad hujusmodi Congregationem, seu Concilium nollet convenire, non minùs esset Concilium Generale; dùm tamen hujusmodi Concilium esset omnibus Christianitatis Diœcesibus & Provinciis intimatum & significatum.

Si verò quæratur de modo per quem debet convocari & congregari Concilium Generale. Respondetur probabiliter, nihil penitùs asserendo, quòd inter cæteros modos, iste modus mihi videtur probabilis, videlicet de qualibet Parochia, vel Communitate fidelium, quæ faciliter posset simul convenire, mitterentur aliqui, vel aliquis, ad Concilium Episcopale, vel Parlamentum Regis, aut Principis, vel alteriûs publicæ authoritatis, in casu quo Episcopus Concilio Generali congregando repugnaret, & imminens periculum, si non fieret, verisimiliter appareret: qui sic congregati aliquos eligerent mittendos ad Concilium Generale: qui taliter electi à Conciliis Episcopalibus, vel Parlamentis secularium potestatum, in unum locum conve- D nientes, possunt Generale Concilium appellari.

Ex istis dictis, de Concilio Generali apparet quòd Reges, & Principes, & nonnulli laïci possunt ad Concilium Generale, si voluerint, convenire, & ejusdem Concilii tractatibus interesse. Quod probatur primò authoritate Nicolai Papæ, quæ habetur, *Distinct.* 9. Cap. *Ubinam.* Ait enim: *Ubinam legistis Imperatores antecessores vestros synodalibus Conventibus interfuisse? nisi fortè in quibusdam ubi de fide tractatum est, quæ universalis est, quæ omnium communis, quæ non solùm ad Clericos, verum etiam ad laïcos, & ad omnes omnino pertinet Christianos.* Probatur etiam, authoritate Isidori: *Ethicorum Lib.* 6. & habetur. *Distinctione* 15. Cap. *Canones.* Ait enim: *Tertia Synodus, Ephesina prima, ducentorum Episcoporum, sub juniore Theodosio Augusto edita est.* Et infra. *Quarta Synodus Chalcedonensis, qua sexcexcentorum triginta Sacerdotum, sub Martiano Principe est habita.*

Potest etiam idem ratione sic probari. *Quod omnes tangit; debet ab omnibus approbari*, quod est intelligendum, ubi non apparet ratio manifesta quare aliquis debeat ab hujusmodi tractatu repelli, ut notat glossa. *Distinct.* 66. Cap. *Ubinam*, quod etiam notat glossa, *extra. De majoritate, & obedientia.* Cap. *Inter quatuor*, sed ea quæ tractantur in Concilio Generali, ad omnes pertinent Christianos. Igitur &c.

Istis visis, restat ponere opiniones quorumdam, de prædicto dubio variè, & contrariè respondentes. Dicunt enim quidam, quòd Concilium Generale potest in aliquid definiendo, aut determinando contra Fidem errare. Quod probatur primò sic: In tota sacra Scriptura, nec etiam alia authentica reperitur, quòd Christus unquam promiserit Concilium Generale nunquam errare, aut erroneè aliquid nunquam deffinire: sed Concilium hujusmodi nunquam errare, non potest concludi. Ergo naturali ratione, temerarium est asserere quòd Concilium Generale non possit errare.

Secundò. Arguitur sic: Concursus ad eumdem locum non reddit aliquos in Fide confirmatos; quia locus non sanctificat, nec in Fide confirmat: Sed omnes ad Concilium convenientes, antequam convenirent, poterant errare; Igitur &c.

Tertiò. Sic: Vocatio humana certarum personarum, aut commissio humana facta specialibus personis, non confirmat dictas personas in Fide, sed sola Dei potentia; sed personæ generalis Concilii non vocantur, nisi vocatione humana, nec authoritatem habent, nisi ex commissione humana. Igitur &c.

Quartò. Sic: Si Concilium Generale non posse errare; hoc esset, aut ex ratione sapientiæ & scientiæ personarum ibidem convenientium: aut ratione sanctitatis earum: aut ratione potestatis, & authoritatis ipsarum: aut ratione promissionis Christi. Non ratione scientiæ, aut sapientiæ; quia sæpe extra Concilium sunt æquè sapientes, & æquè sancti, sufficientes ad deffendendum Fidem Catholicam, licèt Concilium Generale erraret. Deus etiam sæpe revelat permulta, quæ à prudentibus absconduntur: nec ratione authoritatis, aut potestatis; quia nec authoritas, nec potestas, nec etiam sanctitas non confirmant in Fide: nec ratione promissionis Christi, ut jam probatum est. igitur &c.

Secundò. Probatur hoc exemplis, primum exemplum est de Sinodo Stephani Papæ septimi, qui erroneè Ordinationes factas per Formosum Papam irritas esse decrevit, quæ Ordinatio per Joannem Papam nonum extitit postmodùm reprobata.

Secundum exemplum, est de Generali Concilio Lugdunensi, sub Gregorio decimo celebrato, quod revocatum fuit saltem quoad aliqua per Adrianum, & Joannem Papam, & pro revocato habebatur; quia quoad aliqua erravit contra bonos mores. Igitur &c. Plures rationes pro ista assertione non intendo pro nunc enarrare.

Dicunt verò quidam alii quòd Concilium Generale de potentia Dei ordinata, non potest errare, aliquid contra Legem Catholicam deffiniendo, aut quomodolibet determinando, aut etiam aliquid contra bonos mores statuendo, & istam assertionem isti nituntur probare multis rationibus.

Arguitur namque primò sic: in Ecclesia Militante est certum Judicium de difficultatibus, & obscurationibus quæ circa Fidem emergunt Catholicam. Aliter enim tota Ecclesia posset contra Fidem errare: sed ultimum Judicium circa difficilia & obscu-

ra, circa Fidem Catholicam emergentia penes Concilium Generale residet. Igitur &c.

Secundò. Arguitur sic. Deffinitiones, determinationes & constitutiones Conciliorum Generalium sunt tenendæ & observandæ, tanquam universali consensu constitutæ. Ergo Concilia hujusmodi non possunt errare, quia si erraret Concilium aliquod Generale contra Fidem Catholicam, numquam esset assentiendum illi deffinito, & determinato per dictum Concilium. Antecedens autem probatur authoritate Gregorii, qui, ut habetur *Dist. 15. Cap. Sicut.* ait: *Cunctas verò quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuo: quas venerantur, amplector: quia dùm universali sunt consensu constituta, se, & non illa destruit, quisquis præsumit absolvere quos ligant, aut religare quos absolvunt.* Igitur &c.

Ex istis patet quòd Constitutiones, & determinationes Conciliorum Generalium sunt tenendæ & observandæ. Quod etiam probatur authoritate Gelasii, qui, ut habetur, eadem Distinct. Cap. *Sancta Romana.* ait: *Si qua sunt Concilia, a Sanctis Patribus hactenus instituta, post istorum quatuor authoritatem, etiam observanda & custodienda decernimus.* Ex istis patet antecedens prius assumptum, & per consequens patet quòd Concilium Generale non potest contra Fidem errare, quod fuit probandum.

Tertiò. Arguitur sic: omnis causa vitiata, est per appellationis remedium sublevanda. *Causa secunda. Quæst. sexta. Licet.* Sed a Concilio Generali non licet appellare, quia, vel esset appellandum ad aliquod Concilium Generale, & hoc non; quia, prima ratione, ab illo secundo liceret appellare ad tertium, & à tertio ad quartum, & sine termino: vel esset appellandum ad Papam, & hoc non; quia Papa est inferior Concilio Generali: nec esset appellandum ad Universalem Ecclesiam, quia frustra esset talis appellatio, cùm Universalis Ecclesia in unum congregari non possit. Et confirmatur ratio: quia cùm Concilium Generale nulli personæ, vel Collegio sit subjectum; sequitur quòd non possit accusari: posset autem accusari, si erraret, immò deberet accusari. Igitur &c.

Quartò. Arguitur sic: Concilio Generali errante, nullus posset, nec auderet Fidem orthodoxam deffendere, oppositum deffiniti per Concilium Generale dogmatisando, aut sustinendo, & tota Ecclesia Universalis erraret, quod non est dicendum. Igitur &c.

Quintò. sic: si Concilum Generale posset errare, nos habemus dubitare, an aliquod Generale Concilium dudum celebratum, erraverit contra Fidem Catholicam, aliquid deffiniendo; & haberemus dubitare de quibusdam Fidei Articulis, qui ex sacra Scriptura non possunt evidenter inferri, ut de isto. *Spiritus sanctus procedit à Patre, & Filio,* & de similibus: nemo autem Catholicus habet concedere quòd de dicto Articulo liceat dubitare. Igitur &c.

Ultimò. Arguitur per illud, *Mathæi,* XVIII. 20. *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum:* quod maximè veritatem videtur habere in facto Generalis Concilii, ubi non solùm duo, vel tres, sed de qualibet Christianitatis Provincia, vel Diœcesi, aut saltem de majori parte Provinciarum totius Christianitatis, aliquis, aut aliqui congregantur, in nomine Domini, ad aliquid, pro communi bono ordinandum, aut statuendum. Igitur videtur quòd Concilium Generale sic regatur à spiritu Sancto, ut dictum Concilium spiritus Sanctus non permittat errare. Item, Concilium Generale repræsentat Universalem Ecclesiam, & ejus vices gerit. Ergo si Ecclesia Universalis non potest errare, ita videtur quòd nec Concilium Generale. Quod fuit probandum.

Istæ sunt rationes pro opinione ista, quòd Concilium Generale non possit contra Fidem errare: & sicut istæ sunt difficiles, ita & aliæ ita difficiles mihi videntur.

Undè, pro majori explanatione, & declaratione hujus dubii est notandum, quòd Concilium Generale posse errare, aliquid contra Fidem deffiniendo, vel determinando, aut etiam aliquid contra bonos mores statuendo, potest intelligi dupliciter. Uno modo, potest quæri an Concilium Generale posset A hæreticari, aut errare, deffiniendo, vel statuendo aliquid contra Fidem, vel contra bonos mores, omnibus in dicto Concilio existentibus, in hujusmodi deffinitionem, vel determinationem consentientibus.

Alio modo, potest quæri; utrùm Concilium Generale possit errare, aliquid contra Fidem deffiniendo; idest utrùm illa pars Concilii Generalis quæ sufficit aliquid deffinire, vel statuere, per modum Concilii Generalis, in hoc deffiniendo, vel statuendo, possit contra Fidem, vel bonos mores errare. Unde non requiritur, ut videtur, quòd ad hoc quòd aliquid posset deffiniri per modum Concilii Generalis, quòd omnes, nulla excepto, consentiant. Unde in Concilio Lugdunensi, sub Gregorio decimo celebrato, fuerunt multa statuta circa electionem Summi Pontificis, licèt Cardinales non præberent consensum, ut ait Joannes Monachi; quia illa factura dictos Cardinales multùm ligabant: * & sic patet B quòd multa possunt statui in Concilio Generali, licèt aliqui non consentiant, dùm tamen major pars consentiat. Non tamen assero quòd quæcumque major pars sufficiat aliquid deffinire: quæ pars autem sufficiat, & quæ non, pro nunc remitto Canonistis.

Juxta prædictam distinctionem posset aliquis dicere, quòd possibile est Concilium Generale errare, ubi tamen non omnes consentirent determinationi factæ per dictum Concilium, vel statuto dicti Concilii: quia, sicut Fides Catholica potest remanere in unico supposito, ut tempore Passionis Salvatoris nostri, remansit in sola Beata Virgine Maria Matre Christi; sic etiam Fides Concilii Generalis potest remanere in uno, aut duobus suppositis, & residua pars potest errare.

Diceret secundò iste, quòd totum Concilium non potest in deffiniendo aliquid, aut statuendo, errare contra Fidem Catholicam, vel bonos mores; ubi C videlicet tali Statuto, vel deffinitioni consentirent omnes in dicto Generali Concilio existentes. Rationes verò probantes quòd Concilium Generale non possit errare, faciliùs solveret, quàm probaret contra eos, & faciliùs quàm solveret rationes probantes quòd Concilium Generale possit errare.

Diceret vero alius quòd nullo prædictorum modorum potest errare Concilium Generale, sive omnes consentiant, sive aliquibus non consentientibus; & iste modus respondendi est cæteris magis rigorosus: nullum vero istorum modorum assero. Capiat quilibet modum qui sibi probabilior & securior videbitur; mihi autem videtur quòd rationes probantes quòd Concilium Generale possit errare, sunt valdè fortes, seu difficiles. Et maximè prima: nam non recordor me legisse in tota Scriptura sacra, nec & ab alio audivisse locum sacræ Scripturæ, ex quo possit apparenter concludi, quòd Concilium Generale non possit errare: dico, *apparenter*, sicut ex pro- D misso Christi, cùm dixit Petro. *Petre rogavi pro te &c.* concluditur quòd Fides Catholica manebit usque in finem sæculi: nec potest probari ratione naturali quòd Concilium Generale non possit errare; nec in scriptura authentica legimus quòd istud fuerit specialiter à spiritu Sancto revelatum. Quare difficile mihi videtur ostendere qualiter potest concludi, & in quo possit fundari quòd Concilium Generale non possit errare: non tamen assero quòd possit errare; sed rationes utriusque partis solvere intendo, ut quilibet, prout jam tetigi, viam quæ sibi pro-

* *Hic videtur aliquis error.*

probabilior, & fecurior videbitur capiat, & eligat.

Eft igitur primò refpondendum ad rationes probantes quòd Concilium Generale poffit errare.

Ad primam dicitur quòd licèt Chriftus explicitè, ideft in particulari, non promifit Generale Concilium non erraturum: hoc tamen ex illo Chrifti promiffo Matth. XVIII. 20. *Ubi enim duo vel tres, funt congregati in nomine meo, ego in medio eorum fum,* fufficienter poteft argui propofitum. Nam fi Deus eft in medio duorum, vel trium, in fuo nomine congregatorum, de exiftentia fpeciali loquor, videlicet dirigendo eos in illud quod in nomine Domini intendunt agere & perficere: multò verifimiliùs eft quòd Deus fit in medio eorum qui ferè de omnibus Chriftianitatis partibus congregati funt, in nomine Domini, ad tractandum de communi bono Univerfalis Ecclefiæ, aut ad tractandam aliquam Fidei quæftionem, pro tuitione veritatis, & confervatione Fidei Orthodoxæ, per exiftentiam fpecialem dirigendo eos in fic tractando, feu definiendo; & ideò audacter poteft affirmari, Concilium Generale fic regi à Spiritu fancto, ut Spiritus fanctus Concilium Generale non permittat errare: & ideò dicitur quòd fi prædicta Chrifti verba ufquequaque locum habeant, maximè habent locum in Concilio Generali. Promifit enim Chriftus: Matth. XVIII. 19. *Iterùm dico vobis, quòd fi duo ex vobis confenferint fuper terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis eft.* Et fubjunxit: *Ubi enim duo, vel tres* &c. Si enim duobus in unum confentientibus, & idem petentibus, de omni re quamcumque pitierint, admittatur eorum petitio; à fortiori, tot fanctis Patribus, ficut funt in Concilio Generali, ad utilitatem Univerfalis Ecclefiæ in unum congregatis, & convenientibus, aliquid pro omni bono, & confervatione, feu tuitione Fidei Catholicæ petentibus, fiet illis quod petant, & admittetur eorum petitio. Et fic patet quòd ex dictis verbis Chrifti fufficienter poteft argui propofitum.

Dicitur etiam fecundò, quòd licèt ex dictis verbis Chrifti non poffet concludi Concilium Generale nunquam erraturum; verumtamen ex promiffo Chrifti, quo promifit Univerfalem Ecclefiam, nunquam ante finem fæculi erraturam, & aliis veris, quæ rationabiliter negari non poffunt, fequitur Concilium Generale non poffe errare. Nam ex quo Univerfalis Ecclefia errare non poteft, opportet quòd in Ecclefia Militante fit certum Judicium de difficultatibus circa Fidem emergentibus: fed ultimum Judicium circa difficilia emergentia circa Fidem Catholicam, penes Concilium Generale refidet, ut fupponitur, nec poteft iftud rationabiliter negari. Igitur &c.

Etiam Concilio Generali errante, nullus auderet vel poffet Fidem Catholicam defendere, & fic poffet Univerfalis Ecclefia errare; quod nemo Catholicus concederet.

Ex iftis patet folutio ad primam rationem.

Ad fecundam rationem conceditur, quòd concurfus ad eumdem locum, non reddit aliquos confirmatos in Fide, nec id concedo, quòd aliquis exiftens in Concilio Generali, fit confirmatus in Fide: fed ftat quòd nullus fit confirmatus in Fide, & tamen quòd tale Concilium regatur Spiritu fancto, & dirigatur in eo quod intendit, in nomine Domini, pro utilitate Ecclefiæ Univerfalis tractare, feu ftatuere, & quòd dictum Concilium Spiritus fanctus non permittat errare.

Ad tertiam patet ejus folutio ex folutione fecundæ rationis.

Ad quartam, rationem, cùm quæritur, fi Concilium Generale non poffet errare; hoc effet, aut ratione fapientiæ, & fcientiæ perfonarum ibidem convenientium &c. Refpondetur quòd hoc eft ratione affiftentiæ Spiritus fancti, à quo fpecialiter regitur & dirigitur.

Ad exempla quæ adducebantur; ad primum dicitur quòd illa Synodus Stephani Papæ fexti, non fuit Concilium Generale, fed quædam Synodus particularium quorumdam Epifcoporum, per eumdem Stephanum Papam vocatorum.

Ad aliud exemplum quod adducebatur, de Concilio Generali Lugdunenfi, fub Gregorio decimo celebrata: refpondetur quòd dictum Concilium non erravit contra bonos mores: & licèt fuerit revocatum per Adrianum & Joannem Papam; fuit tamen poftea approbatum per Bonifacium octavum & Cœleftinum quintum: & ideò Adrianus & Joannes malè revocaverunt, quia fecundùm quod ait Joannes Andreæ, dictum Concilium quoad dictas Conftitutiones fuit utile, & non contra bonos mores. Per illos autem qui tenent quòd Concilium poteft in ftatuendo, aut deffiniendo errare, dùm tamen non omnes confentiant; faciliter refponderetur, quia Cardinales, in Conftitutionibus prædictis non præbuerint confenfum, & fic totum Concilium Generale non erravit. Hæc fufficiant pro folutione rationum hujus partis.

Reftat itaque folvere rationes probantes Concilium Generale non poffe errare.

Et pro folutione primæ rationis, eft notandum quòd duplex eft Judicium, fcilicet judicium certæ & veriffimæ cognitionis, quo unufquifque benè judicat de illis quæ nofcit, & de tali judicio loquendo, in Ecclefia Militante eft certum judicium, quantùm ad ea quæ neceffe eft credere explicitè, ad falutem æternam confequendam: quia ufque ad finem fæculi femper erunt aliqui Catholici, qui tali modo in Fide explicita permanebunt. Et circa ea quæ non eft neceffe credere explicitè, non eft neceffarium quòd femper in Ecclefia Militante fit certum judicium. Quia multa funt de quibus melius eft piè dubitare, quàm aliquid temerè definere: nunquam tamen circa talia Catholica omnes Catholici pertinaciter errabunt, neque pertinaciter dubitabunt.

Aliud eft Judicium authoritatis, five judicialis Sententiæ: de tali non femper opportet quòd fit certum Judicium in Ecclefia Militante. Immò poteft aliquando deficere, &, ut videtur, aliquando defecit, tempore Conftantini, quia, tefte Ifidoro, ut habetur, *Diftinctione* 15. *Cap.* 1. Illis temporibus Chriftianitas in diverfas hærefes fciffa fuit, quia non erat facultas Catholicis conveniendi in unum. Et fic patet folutio primæ rationis.

Ad fecundam, refpondetur quòd Gregorius & Gelafius loquuntur de Conciliis Generalibus ritè à Catholicis celebratis. Ut autem videamus quæ Concilia voco ritè celebrata, & quæ non: eft notandum quòd Generale Concilium, ac etiam & Papa, fi ritè damnat aliquam affertionem tanquam hæreticam, ftrictè loquendo de affertione hæretica, uni, vel pluribus de tribus fundamentis debet inniti, & fe patenter fundare.

Primum, eft facra Scriptura. Ifti fundamento innitebantur quatuor Concilia Generalia, principales hærefes Arii, Macedonii, Neftorii, Euticis, & Diofcori condemnando. In ifto etiam fundamento fe fundavit Alexander tertius, damnando affertionem de Chrifto: nam fundavit fe in ifta. *Chriftus eft verus Deus, & verus homo*, quæ ex facra Scriptura habetur. Sancti etiam & Doctores, hæreticos per facras Scripturas convincere nitebantur.

Secundum fundamentum, eft doctrina Apoftolica, in fcriptis Apoftolicis non redacta, quæ relatione fuccedentium fidelium, vel Scripturis fide dignis, ad nos pervenit.

Ifti fundamento innititur Nicolaus Papa, ut habetur, *Cap. Omnes. Dift.* 22. Definiens hæreticum effe cenfendum, dicere Romanam Ecclefiam non effe caput omnium Ecclefiarum, quia licèt non hoc habeatur ex facris Scripturis, hoc tamen docuerunt Apoftoli, &

& ista doctrina, relatione fidelium sibi succedentium, & scripturis sanctorum Patrum, ad nos pervenit.

Tertium fundamentum, est revelatio, vel inspiratio divina. Si enim aliqua veritas æterna pertinens ad salutem de novo reveletur Ecclesiæ, tanquam Catholica est approbanda, & omnis falsitas contraria tanquam hæretica est reprobanda. Non tamen sufficit inde asserere, quòd talis veritas est à Spiritu sancto revelata, sed talem revelationem opinione aperta miraculi opportet approbari, & confirmari.

Quando verò Concilium Generale in aliquid, tanquam Catholicum definiendo, fundatur in uno, vel pluribus istorum fundamentorum, apertè & clarè, etiam dicitur ritè celebrari. Si verò in nullo prædictorum fundamentorum fuerit apertè fundatum. tunc tale Concilium non est ritè fundatum, nec ejus determinationes & definitiones sunt tenendæ, tanquam universali consensu Ecclesiæ constitutæ. Gregorius autem & Gelasius loquuntur, ut jam priùs tactum est, de Conciliis verè roboratis.

Ad tertiam rationem dicitur, quòd si Concilium Generale erraret, appellare liceret ad aliud Concilium Generale, si daretur facultas Concilium congregandi: & si illud erraret, iterum ad aliud, donec omnes convenirent. Et si Papa non esset præsens in dicto Concilio errante, ad ipsum cum alio Concilio Generali congregando esset appellandum; etiam ad Universalem Ecclesiam, si convenire posset, esset principaliter appellandum: nec reputo naturaliter impossibile invenire modum, quo haberentur vota omnium Catholicorum & cujuslibet in particulari.

Ad confirmationem dicitur, quòd si Concilium Generale erraret, posset, de Jure, coram Papa Catholico accusari, si Papa non fuit præsens in dicto Concilio errante. Si verò tali Concilio interesset, & unà cum illa congregatione in pravitatem hæreticam laberetur, potestas judicandi esset ad omnes Clericos devoluta. Si omnes Prælati & Clerici pravitate hæretica inficerentur, potestas judicandi devolveretur ad omnes laïcos & Fideles. Generale igitur Concilium, dùm tamen fidele sit, nulli personæ, vel Collegio particulari est subjectum, in causa Fidei; licèt ipsum manens infidele, Universali Ecclesiæ sit subjectum, & etiam alteri Concilio Generali non erranti.

Ad quartam rationem dicitur, quòd si Concilium Generale erraret, manerent aliqui Catholici, qui occultè, & etiam publicè & apertè, prout expediret, auderent Fidem defendere Orthodoxam, & se morti exponere, pro tuitione & defensione Fidei Orthodoxæ. Deus enim, omnibus litteratis & potentibus datis in reprobum sensum, potest dare pauperes, simplices, illiteratos, in ædificatione Ecclesiæ Orthodoxæ.

Ad quintam rationem dicitur, quòd non habemus dubitare de Conciliis Generalibus, à Patribus nostris dudùm celebratis, in quibus fuerunt aliqui Articuli explicitè approbati & deffiniti tanquam Catholici, cujusmodi sunt quatuor Concilia Generalia principalia, in quibus hæreses Arii, Macedonii, Nestorii, Eutichis, & Dioscorii fuerunt condemnatæ, & Articuli contradicentes dictis erroribus explicitè approbati, & deffiniti tanquam Catholici; quia hujusmodi Concilia Generalia fundata sunt in aliquo, vel aliquibus prædictorum fundamentorum, & ferè omnia fundata sunt in sacra Scriptura patenter & manifestè.

Idcircò de Articulis Fidei explicitè approbatis non habemus dubitare.

Alia etiam ratio est, quare de dictis Conciliis non habemus dubitare: quia videlicet dicta Concilia per Universalem Ecclesiam sunt approbata. Cum igitur Universalis Ecclesia errare non possit, manifestè sic arguere possumus dicta Concilia fuisse ritè celebrata, & per consequens, tenenda & approbanda, & quòd de eis non licet plùs dubitare, quàm de quibuscumque aliis Articulis in sacra Scriptura contentis.

Ad ultimam rationem dicitur, quòd licèt Deus specialiter assistat congregatis in unum, in nomine Christi, per tamen talem assistentiam minimè confirmantur in Fide, sic, quin possint errare, sicut nec confirmantur in gratia, sic quòd non possint per liberum arbitrium à gratia Dei recedere. Unde si
A ratio valeret, eadem ratione concluderetur quòd nullum particulare, aut Provinciale Concilium posset errare, si convenientes in dicto Concilio convenerunt in unum, in nomine Christi: quod nullus concederet. Et patet quòd ratio non concludit.

Ad confirmationem ultimæ rationis dicitur quòd non omni prærogativa gaudet persona, vel Collegicum, quæ, vel quod gerit vices alterius, quâ gaudet Communitas, cujus gerit vices. Ideò consequentia non valet: Concilium Generale gerit vices Universalis Ecclesiæ, & Universalis Ecclesia non potest errare, igitur nec Concilium Generale potest errare. Unde Papa repræsentat Universalem Ecclesiam, & ejus vices gerit; & tamen Papa potest hæreticari, & errare. Ergo &c.

Ex istis patet qualiter respondendum sit ad rationes probantes quòd Concilium Generale non possit
B errare.

Restat ultimò respondere ad rationes factas ante oppositum.

Ad primam, & ejus confirmationes probantes quòd Ecclesia desponsatur Christo per Charitatem, & non per Fidem: respondeo & dico primò, quòd per quamdam similitudinem Charitas dici potest vestis nuptialis: quia videlicet, sicut per vestem nuptialem cognoscitur sponsa ab aliis, & sufficienter arguitur de aliqua quòd ipsa est sponsa, dùm induitur veste nuptiali, sic etiam per Charitatem sufficienter potest argui de anima aliqua, quòd ipsa est sponsa Christi, videlicet si Charitate induta fuerit & ornata. Sicut etiam per vestem nuptialem sponsa redditur magis decora, saltem secundùm apparentiam, & sponso magis grata: sic quælibet anima redditur per Charitatem Deo magis grata & accepta. Sed ex hiis non sequitur quòd Ecclesia,
C vel anima aliqua, desponsetur Christo per Charitatem, quia sponsa non desponsatur præcipuè per vestem nuptialem; sed per consensum de præsenti, certis exterioribus signis expressis, ut dictum est in tertia parte primi Articuli.

Concedendum est tamen, ad bonum sensum, quòd Ecclesia desponsatur Christo per Charitatem, tanquam per signum distinctissimum; quia per Charitatem cognoscitur & distinguitur sponsa ab aliis. Aut desponsatur etiam per Charitatem, tanquam per signum rememorativum, idest reducens memoriæ hujusmodi desponsationem, sicut diceret sponsus sponsæ suæ. Desponso te mihi per annulum istum; idest iste annulus sit signum & probatio nostræ desponsationis. Et sic similiter posset concedi, quòd Ecclesia desponsatur Christo per Charitatem.
D Propriè tamen loquendo, desponsatur per Fidem, ad sensum priùs in tertia parte primi Articuli expressum.

Ad secundam rationem dicitur, quòd non est temerarium asserere Universalem Ecclesiam esse Deo gratam per gratiam: sed benè concedo quòd temerarium est asserere de aliquo in speciali, & in particulari: iste est Deo gratus per gratiam; nisi de quo esset istud specialiter revelatum, cùm, sicut scribitur Eccle. IX. I. *Nescit homo an odio, vel amore dignus sit.* Et hoc voluit Joannes cum dixit: *Si dixerimus quòd peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas*

ritas in nobis non est. 1. Joan. 1. 8. Quia asserimus pro vero quod nescimus. Ad confirmationem dico quòd illud Proverb. XXIV. 16. *Septies in die cadit justus*. intelligitur de peccato veniali, quod non tollit gratiam, ut concedunt omnes Theologi.

Ad tertiam rationem principalem conceditur quòd Papa & Ecclesia Romana prout est pars Ecclesiæ Universalis, potest errare: sed non sequitur: Igitur temerarium est asserere Universalem Ecclesiam non posse errare.

Ad probationem quòd capite dolente, cætera membra dolent. Dico quòd licèt ita sit, non tamen opportet quòd simili dolore doleant. Unde si Papa, & Ecclesia Romana dolerent hujus dolore, scilicet quòd laberentur in pravitatem hæreticam: tunc satis verisimile est, quòd inde doleret Universalis Ecclesia, non simili dolore, incidendo in pravitatem hæreticam, sed aliqua incommoda portando, & sustinendo, seu incurrendo.

Ultima ratio quæ probabat quòd Concilium Generale possit irretiri pravitate hæretica, soluta est. Ideò enim non plùs solvo. Ratio facta post oppositum arguit pro parte conclusionis responsalis, aut conclusionum universalium ad quæstionem. Et sic finitur tota quæstio.

DEO GRATIAS.

A *Ista est quæstio quam tractavit Joannes Breviscoxæ, super duos Cursus quos legit de Biblia, cùm postmodùm fuit promotus ad Ecclesiam Parisiensem, Anno Domini* 1421. *& deinde ad Episcopatum Gubennensem. Et fuit solemnis Doctor in sacra Theologia Parisiensi, suo tempore.*

FINIS.

JOAN-

JOANNIS DE VARENNIS

Pastoris Sancti Leti in Diœcesi Remensi,


RESPONSIONES

AD

CAPITA ACCUSATIONUM QUIBUS IMPETEBATUR:

Scriptæ in carcere. Anno 1396.

Ex Codice Manuscripto Victorino 463.



GO Joannes de Varennis pauper Sacerdos & indignus montis incola sancti Leti; ante omnia, divino mihi suffragante auxilio, protestor quod Articulis infra scriptis de Jure respondere non teneor. Primò ex eo quòd super his coram Regia Franciæ Majestate fui delatus, & ita coram non Judice competenti meo. Et secundo quòd nescio quis me accusat, nisi præ- A sumptione, videlicet Dominus Guido de Roya Archiepiscopus Remensis modernus, qui nihilominùs meus nititur in hac causa esse Judex, quod est impossible, cùm, fama crebrescente, ipse sit delator, & mei ipsius, diebus à non paucis, notorius persecutor. Etiam etsi Sacri Palatii Apostolici Auditor existam, & Domini nostri Papæ Capellarius, immeritus: famâ publicâ non minus laborat, & consequens, à Jurisdictione sua notoriè sum exemptus.

Cæterum tertiò, hiis Articulis per me non est respondendum, ex eo quod in persona mea, sunt objectivi malè specificati de pessima materia & universali, ac per inimicos Dei, & adversarios meos B perperàm notorie fabricati.

Verumtamen quia Domini & amici mei mihi consulunt, quòd illis, saltem de facto, ego respondeam; eorum consilio decrevi annuendum, & etiam ut Regiæ constet Majestati innocentia mea, & Christianitati toti.

Protestor tamen quòd responsiones istæ meæ subscriptæ, coram Judicibus meis, deinceps, aut aliis, mihi non noceant. Cùm de gratia, & extrajudicialiter respondeam, & solùm ad meam tendam, de præsenti, purgandam innocentiam, quas nunc exhibeo, cum protestatione addendi, corrigendi, mu- C tandi &c. quotiescumque, velnon etiam cum consilio prudentum. Si aliqua verumtamen inseram, quia consilio, etiam Librorum hic in carceribus existens careo, saltem humano, quæ contra sint Catholicam Fidem, aut aliàs in Fide sonent* Papam. Illa ex nunc revoco, & haberi volo pro non scriptis, aut dictis: quæ, & omnia per me in Sermone usquam quocumque prolata, sive scripta, aut etiam extra; emendationi subjicio & correctioni, & etiam sanctæ Matris Ecclesiæ, Domini nostri Papæ, ac cœtûs Reverendissimorum Patrum Dominorum meorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Majestatisque Regiæ præfatæ, Sacrique sui Parlamenti Regii, & almæ Matris meæ Parisiensis Universitatis; veritatis & justitiæ, ab ejus creatione cœlica semper defensatricis, aliorum etiam quorumcumque, ad quos de Jure consuetudinis spectabit, in malè dictis, quod absit, aut scriptis, me corrigere corripere, seu etiam emendare.

Et hanc protestationem, populo teste, in pluribus feci Sermonibus sancti Leti. Inde plùs addidi, quòd si aliqui Superiores mei, personæ meæ ad hoc vellent deferre, & in tantum quòd aliqua per me dicta, Fidei Catholicæ, quod absit, non consonantia, non revocarem, quòd illa nihilhominùs vellem revocare, ut Fides Orthodoxa illæsa remaneret, & populus inde placaretur: & hoc siquidem dicere non erubui, & adhuc, de præsenti, dico, ut cunctis appareat, in Fide me non velle scienter errare, & pertinacem in ea, sive obstinatum, me non velle esse.

Postremò autem cunctis supplico Orthodoxis, quòd patienter & humillimè in his quæ adeò asperè prædicavi, me excusatum habere dignentur. Cùm, Deo teste, omnia recta semper dixi intentione, & prædicavi, prout luce clarius inferiora liquebit cuilibet intuenti: & in quantum potui, morem & doctrinam imitatus sum Christi Domini nostri, sanctorumque Patrum, & Doctorum, veritatem & justitiam, pro mortali, usque ad mortem inclusive, non silentium*, propterea eorum, & utinam dignus forem imitari vestigia beatissima.

Protestor etiam quòd nemini, in responsione horum Articulorum, injuriari volo, nec intendo; sed omnia dicturus sum & scripturus; ad meam probandam duntaxat innocentiam, juris mei conservationem, & impositorum mihi excusationem aliàs inevitabilem. Nec in his nomen assumere volo accusatoris cujuspiam, aut delatoris, cum ad alicujus profectò

Lll 3

* Locus corruptus.

* Locus corruptus.

fectò convitium aut vindictam, Deo teste, sive famæ denigrationem non aspiro; sed ad omnium conversionem, & animarum beatitudinem perennem, etiam & justitiæ manutenendæ causâ, necnon veritatis, hoc dicam. Et ut ad pacem sanctæ Matris Ecclesiæ, impedientibus eam conversis aut expulsis, Domino celeriùs suffragante, pervenire mereamur.

Illa siquidem terribilia adeò, contra Archiepiscopum invitus hìc inferiùs oportet quod inseram. Cùm in hiis Articulis asserit me contra eum nominatim, aut præsumptivè saltem prædicasse: quod si denique fecerim, an bonam tunc causam habuerim, quæso æstimate, cùm si talis, prout responsiones meæ eum demonstrant, fama publica referente, Crucem Domini quam impugnat, coram se deferri non est dignus facere.

Et hoc ad modum, Deo teste, non dicam vindictæ; sed solius, ad objectus suos respondendo, necessariæ excusationis meæ, nec non defensionis causæ meæ, & per ista veritas elucescet, quis nostrûm melius jus censeatur habere. Ipse enim se non potest excusare, quin sequentia, aut aliquam eorum particulam, etiam per suam quondam Dominam Genitricem, cujus Deus possideat animam, per litteras & nuncios diversos sibi non insinuaverim.

Si quandoque sibi scripsi litteras dulces, & animo suavi, harum initio, alia absque responsione; fide digno tamen respondere non erubuit, quòd eidem volebam adulari. Si vero asperè sibi scripserim, furorem suum cunctis patefacere non veritus est. Et ita verè quid agerem cum eo tunc nescivi, populi compatiens tabescenti, ut ejus Curiæ, quæ sua tyrannia, aboletur, & sic ejus animam, suorumque, Domino lucrifacerem, & ita me Deus adjuvet, quòd nullam unquam contra eum, aut suos, aliam habui intentionem.

Quandam autem vitæ suæ cedulam, harum in fine responsionum, ad eam probandam execrabilem, duxi inserendam, quam unus de domo sua, qui satis antea erat bonus, nisi eum pervertisset, manu sua propria confecit. Sed tandem illa ad manus meas devenit, quam sibi tandem clausam secretè, ut se advisaret ante Natale proximè futurum per certum servitorem suum transmisi. Cui tunc, suavibusque litteris meis, respondit, quòd sibi volebam adulari, & illud solum pro responsione hujus, & utinam tantùm sibi adulatus essem, quod ad Dominum, ipso mediante, eum convertissem.

Æmuli autem mei nonnulli asserere, eorum gratiâ, non veriti sunt, quod responsiones meas subsequentes, aliqui Domini de Universitate fabricaverunt, & quod eas non feceram, quorum salvâ reverentiâ, coram Deo attestor, ac Beatissima ejus Genitrice Maria, quòd illas manu semper propria, in nemore & in carceribus existens sancti Mauri, ex modica insipientia mea, absque quorumcumque etiam Librorum consilio, præter quam divino, taliter, qualiter, cum exili ingeniolo meo compilavi, quas, Deo teste, Reipublicæ compatiens, dolabro etiam Charitatis fabricavi.

Sed ut horum veritas elucescat, in nemore Articulos infra scriptos, contra me datos, vix & latenter primò habui, ad quos nunc festinanter in una die primitùs respondi naturali, quos & responsiones meas Parisiis, die sequenti, transmisi, & manu scribi, cum bono spacio, ut eas corrigerem, feci tunc alienâ, quæ cum tandem in nemore mihi forent remissæ, mediam partem, vel circa, manu propria correxi: quas cùm de facto ad carceres hìc debui sancti Mauri addici, ne supra me reperirentur, & sic à me tyrannicè auferrentur, Parisiis remisi, & sic quod verebar mihi ergo accidit.

Verùm cùm præfati Articuli & responsiones, ad carceres sancti Mauri secretè mihi reportarentur, gentes Remensis Archiepiscopi, à quodam famulo in sancto Mauro, qui ipsos mihi deferebat, ab Ecclesia eum extrahentes receperunt, vi, & ita, retentâ tamen ex hiis Parisiis, de verbo ad verbum, copiâ, ad manus tunc deneverunt delatoris mei Archiepiscopi.

Propterea de injuria protestor, & illorum violentia, contra dictum Archiepiscopum, & gentes suas memoratas, qui sic in Monasterio sacrilegium committentes, vi Articulos & responsiones meas, secretum causæ meæ, rapere tyrannicè non erubuerunt, duobus sigillis sigillatos.

Et propterea, si in responsionibus meis manu, ut præfertur aliena, & mea scriptis, vi sic mihi ablatis, aliqua sunt minùs aut plus, quæ in istis sequentibus contrariari quovis modo videantur, ex nunc illa revoco & annullo, & istis, cum protestationibus quibus supra, stari volo, in quantum Fidei consonabunt Catholicæ, & aliàs non.

Si verò ex responsionibus meis, vi sic mihi ablatis, idem Archiepiscopus edoctus aliquas minùs veras ex tunc in partibus informationes fabricaverit, au testes iniquos examinari fecerit, quod non sine causa dico, cùm paulo post idem Archiepiscopus, pro novis fabricandis Articulis à Parisiis ad partes recessit. Se * dicendo & objiciendo contra protestor, loco & tempore opportunis.

Cæterum & si informationes contra me dicat se habere. Protestor etiam, ut supra, de dicendo contra &c. cùm, prout intellexi, contra me aliquæ factæ fuerunt per Ballivum Vermendesii consanguinitate proximum eidem Archiepiscopo conjunctum, & sic per Judicem non competentem, sed suspectum qui Clericum suum, ut asserebat, Notarium habebat Apostolicum, fama publica referente, cuncta sibi scribentem ad votum.

Arbitror autem quamplurima me dixisse, quæ aures, ut æstimo, meorum offenderunt æmulorum: sed in conscientia mea suscipio, & ita protestor, quòd hæc omnia ad eorum conversionem, recta dixi intentione, & solùm ad effectum pacis Ecclesiæ, quamquam asperè, veritate, zelo justitiæ ad hæc prælibanda, Deo teste, me cogente. Nostis enim quòd flagrans & vehemens amor divinus nescit quo ordine, quave serie, aut superfluitate verborum ebulliat; & idcircò rectâ hac meâ attentâ intentione, & sale minùs conditâ discretionis, à veris Orthodoxis pacem Ecclesiæ, justitiam quoque ac veritatem zelantibus, crebriùs est mihi indulgendum. Mater enim mea Parisiensis Universitas alma, pro pace Ecclesiæ, die noctuque vigilans Reges prosequitur & Præsides. Ego autem peccator infelix, scelera, meorum tamen obliviosus, persequor aliena, & hæc ad pacem siquidem Ecclesiæ non puto contraria; sed omninò necessaria, pro tanto: & si contra vitia decertem, mihi linius est ignoscendum, cùm illa propria mea, & aliena, mihi modò guerram etiam facere non verentur.

Præmissis autem protestationibus: antequam mihi impositis quovis modo respondeam Articulis; nomen Domini, & ejus piissimæ Matris Mariæ, Sanctorumque omnium in auxilium meum decrevi primitùs invocare. Creatori meo primò inquiens: Deus in adjutorium meum intende. Domine mi, Domine Jesu Christe, Rex æterne gloriæ, & Judex cunctorum, justitiam meam tu nosti antequem ego, & an in operibus tuis sacris, & verè non meis, nisi per organum vilissimi tui peccatoris, sinceram habuerim intentionem. Idcircò ab hoc improperio libera me Domine, & deffensor esto causæ meæ. In te Domine in cunctis actibus meis, sed veriùs tuis, speravi: ideò non confundas me in æternum. *Judica* igitur *me Domine*, *& discerne causam meam de gente non sancta, sed ab homine iniquo & doloso eripe me.* Ps. XLII. 1. qui velut inimicus tuus notorius persecutus

* Locus corruptus.

tus est animam meam & humiliavit in terra vitam meam, quia collocavit me carceribus in obscuris, sicut mortuos sæculi. Dulcissime igitur Domine mi, pauperem noli peccatorem tuum nunc abjicere à te: Si tu enim sis pro me, & quis contra me erit? Etiam & si digneris, pro veritate & justitia, mortem quòd subeam temporalem, sicuti & tu pro illis illam pati dignatus es; scelera mea quæso nefandissima non aspice, sed Passionem, Crucem, & beatissimam mortem tuam, inter Judicium tuum, & animam peccatricem meam pone, ut post sinceram in omnibus naufragii hujusmodi ærumnis, à te mihi donatam patientiam, in æterna beatitudine tandem collaudem te in sæcula sæculorum Amen.

O Sanctissima Virgo Maria, Dei Genitrix, alma Advocata pauperum, in hac caligine modò mihi succurre tuo peccatori tenebrarum harum. Tu es enim post Filium tuum benedictum in cœlo & in terra, unica spes mea. Suscipe, ô divina, causam meam, sed magis tuam, & respice ad rectam intentionem meam, cùm vera salus mea & directrix mea tu es. In petra nempe, pro pace Sanctæ Matris Ecclesiæ prosequenda, immeritum exaltasti me, & nunc utique caput meum exalta super inimicos meos, nec minus tuos, & Ecclesiæ Dei sanctæ; quorum si adversùs me insurgat prælium, ô divina, in te sola profectò sperabo: & si protectrix causæ meæ, nec minus tuæ, esse digneris, a quo itaque trepidabo? Obsecro te igitur, sanctissima Dei Genitrix, Ecclesiæ protectrix, pietate plenissima, Mater orphanorum, via errantium, sed desolatorum consolatrix, quòd in hac causa mea præcipuè, non permittas me separari à te; sed ab hoste maligno deffende me, ut post susceptam à te causæ meæ deffensionem, & coronam tandem victoriæ, tibi gratias referam, in sempiterna gloria. Amen.

Sed vos omnes Angeli, Sancti & Sanctæ, & præcipuè inclyti Martyres Dei, qui carceres, omneque genus martyrii pro Christo sustinere in hoc sæculo, quàm à justitiæ, & veritatis tramite declinare, aut Legem Domini dissimulare maluistis; omnes posco, deffensores estote causæ meæ, nec minùs vestræ, & pro me apud Altissimum, & ejus Beatissimam Matrem Mariam omnes passim intercedite, ut post devictum Dei, & mei adversarium, nec minùs vestrum, coronam justitiæ, unà vobiscum, meritis vestris, & non meis, in æterna gloria reportare merear. Amen.

Sequuntur Articuli dati contra Dominum Joannem de Varennis, & Responsiones per eum ad ipsos factæ.

ARTICULUS I.

PRIMÒ. *Asserendo istam Propositionem: quòd in Christi Transfiguratione, ubi Petrus, Jacobus, & Joannes ita clarè viderunt divinam Essentiam, sicut nunc vident in patria.*

RESPONDEO quòd quater, aut quinquies, plùs, aut minùs, cùm ad propositum mihi occurrit, prædicavi, quòd Deum viderunt illi sancti Apostoli in corpore glorificato. In Fide mea ignoro propriè quid sit divina Essentia. Nescio ergo quomodò de ista balbutire præsumpsissem, nec in tam alta cœlica materia, os in cœlum auderem ponere, quod nec usque attentavi in quocumque, in sancto Leto, aut alibi, quàm unquam fecerim Sermone: non memoror autem si dixerim quòd illi sancti Apostoli tantum, pro illa hora, habuerunt gaudium, ac si in Paradyso essent, quia tunc præ gaudio dixerunt: *Domine faciamus hìc tria tabernacula: tibi unum, Moysi unum, & Heliæ unum.* Matth. XVII. 4. Et iste communis modus est loquendi: nam cum aliquis visionem habet aliquam & præcipuè talem, lætabundus citò potest proferre. *J'ay eté aussy ayse, comme si je eusse eté en Paradis.* Sed quòd dixerim quòd Essentiam viderunt divinam, cùm illam noscere dignus non existam, ab homine profectò Deum timente nunquam probabitur.

II.

ITEM. *Quòd spurius, sive bastardus non potest benè facere, nec legit aliquem talem fuisse, nec esse salvatum.*

RESPONDEO quòd ter, vel quater, plùs, aut minùs, prædicavi, bastardis aliquibus præsentibus, quòd salvari possent quemadmodùm alii Christiani, & hoc textus noster asserit Decreti, quòd *Culpa non est geniti, sed gignentis.* Maxima verecundia Decretorum & Legum esset Doctori, tantam fatuitatem dogmatisasse, cùm Christiani sint sicut & nos. Non credo quòd una vetula fatuam hanc astrueret opinionem.

Istos autem Fidei Articulos quidam Remensis *Cordiger* ab extra, de liga Archiespiscopi, quia Confessor, in nodis cordulæ suæ adinvenit, *de Altigniaco* vulgariter nuncupatus, & in isto præcipuè Articulo scabiosum se patefecit: quia scio à fide digno, cui dixit quidam commagister suus, quòd morbo hujus Articuli erat labefactus. Unde ille pro tanto admirabatur, quomodò ad Magisterii gradum sic aspiraverat, & præsertim Parisiis.

Hos denique Fidei Articulos, hìc inscriptos, semel contra me, Remis, Cordiger ille, sui gratiâ, prædicavit; sed quia turpiter inde fuit redargutus, velut non veridicus: in aliis verò duobus postea Sermonibus se malè informatum dicere non erubuit; sed modò illos resuscitare non veretur.

III.

ITEM. *In die Sanctæ Crucis, in Majo ultimo præterito, prædicavit hæc verba*: Il n'est si grant pecheur, tant fust meurtrier, ou larron, ou femme qui eut rompu son mariage, se il retournoit vers cette vraie Croix ycy, *loquendo de quadam cruce, quam populo exhibebat*, que tout ne li fust pardonné &c.

RESPONDEO. Dixi quòd non est ita magnus peccator quòd si ad Beatissimam Domini Crucem, & merita Passionis Christi, in mortis articulo, corde contrito recurrat, aut in quacumque alia necessitate, non faciendo mentionem de aliqua cruce ibi, vel alibi existente, quin Deus de ipso pietatem habeat.

In eadem quoque septimana audivi quòd aliqui æmuli, in Dei, & mei opprobrium, ita reperierunt me sic prædicasse, sed ipsi plùs addiderunt me dixisse, quòd mulieres *qui eussent brisié leur mariage, & elles venoient a saint Lyé le vendredy adourer la vraye Croix, qui est là, que elles seroient absolses sans altre confession de leur pechiés.* O grandis iniquitas, talia reperire.

Quin, in uno, & eodem contextu adinvenerunt quòd ego dixeram, quòd nulla, præcipuè in Regno Franciæ, erat bona mulier, quod nunquam, judicio meo, somniavi. *Hélas!* Quis sanæ mentis, debet præsumere quod talia dogmatisaverim; cùm plu-

pluries ego in publicis Sermonibus dixerim quòd mulieres, sine comparatione, plures in Confessione & extra, repereram bonas & probas, quàm viros. Æmuli autem talia inepta mihi imponunt, cùm aliter capere gratiâ Dei, & Virginis gloriosæ, me non valeant in sermone; non meis tamen verè, sed eorum meritis, cùm pauper sim ignarus, nihil prorsùs sciens.

A

IV.

ITem. *Istam Propositionem, de muliere deprehensa in adulterio, de quâ loquitur Evangelium, quòd Deus nesciverat eam adulterasse, & quòd si Christus scivisset eam certitudinaliter talem, sive taliter peccasse, ipsam mandasset lapidari.*

REspondeo me prædicasse, prout mihi videtur, aliàs verò planè non recordor, quòd si Christo, per testes fide dignos constitisset, illam mulierem adulterasse, eam secundùm Legem lapidari jussisset. Patet quia illi pseudopharisci qui eam accusaverant, cùmChristus in terra scripserit &c.* nequam abierunt. B Scio autem & firmiter credo, quòd Christus omnia scivit, abscondita & aperta, & præcipuè scivit an illa mulier adulterium commisisset, vel non. Sed quia ut Deus scivit, illam fortassis absque accusatione, & testibus fide dignis condemnare noluit. Deus autem à muliere petiit: *Mulier quis te accusat? Quæ respondit: nemo Domine. Nec ego te condemnabo.* Joan. VIII. 10. 11.

Et quia coram Illustrissimo Principe Rege Franciæ de istis criminibus malitiosè sum delatus, utinam & ipse Rex à me peteret, quis te accusat? Cui planè possem respondere, sicuti & mulier, dicens: *Nescio Domine.* Cùm, pro firmo, nescio quis me accusat, nisi Dominus Archiepiscopus Remensis, qui iniquè & dolosè in carceribus latronum Sancti Mauri, de facto hîc me detinet mancipatum, & ita Judex vult mei esse, delator & accusator, licèt notoriè Sacri Palatii sim Auditor, & Papæ Capellanus indignus. C Et in jure meo isto non possum audiri, quia non permittit quòd aliquis mecum loquatur; sed me custodire facit ut latronem, aut aliter maleficum, per duos custodes, & quandoque per tres, vel quatuor, tribus ostiis terribilibus super me clausis, & verribus ferreis terribilioribus: & licèt infirmus hîc graviter extiterim, prout & sibi allegavi, in præsentia magnificarum personarum, petens ab eo quòd ab illis carceribus propter infirmitatem meam exirem; verumtamen absque pietate ulla, jussit immediatè in carceres illos arctos me retrudi, in quibus infirmus, absque lumine fui, cùm in ipsis non videtur, nisi per unam modicam *crevasse* Gallicè: & hoc facit, quia me capitaliter odit, ex eo quòd veritatem contra Prælatos justitiam venundantes prædicavi, & quorum, ut arbitror, meritò, & præ cæteris, fama crebrescente, vexillum ipse portat, prout inferiùs luce clariùs declarabo. Et etiam quia pridiè in Sancto Mauro, cùm ibidem accessit, ejus declinavi Jurisdictionem, exceptionem notoriam allegando, de quo vehementer fuit turbatus; unde D tunc allegavit quòd Rex me eidem liberaverat: de quo miratus fui; cùm Rex, salva sua Majestate, in me Jurisdictionem non habeat, qui nec me, in exceptione mea, per priùs audiverat. Et quomodò etiam liberare me poterat inimico capitali meo, & adversario notorio, qui me semper notoriè persecutus est.

De omnibus autem istis protestor me deffendere, cùm de carceribus hiis malignis potero, gratiâ Dei, & ejus piissimæ Matris evadere: quoad animam verumtamen eidem indulgeo, & ita indulgeat Dominus.

* Locus corruptus.

Auribus etenim meis, cùm ad carceres tunc reducebar, mihi innotuit, quòd cùm Magister Hugo *de Poncellis* pro me interpellaret, quòd ostium saltem primum apud me, quia alia duo sunt clausa, apertum remaneret, propter infirmitatis meæ pietatem: ille qui sine misericordia est præfatus respondit; sufficit quòd ostii *guicheletus*, qui pedis unius in longitudine, aut modicum plùs, sit apertus; quanquam clarè meam ignorare non posset infirmitatem, vultu desudante, & carceris obscuritatem; cùm in illo non videtur, nisi per unam modicam *crevassiam*, per quam duo vix digiti, in grossitudine, possent ingredi, & Magister Hugo ante dictus respondit: *Et sera-ce tonte la grace que vous li ferez.* Qui respondit: *oy allés, allés.*

O qualis voraginis, * & non hominis, feralis est crudelitas, qui sanitatis non fuit misertus, etiam si fuissem Sarracenus: verumtamen benè noverat quòd per illud ostium primum camerarum secretarum mihi claudebatur aditus, nec per illum guicheletum aërem poteram habere opportunum, nisi fœtore mediante camerarum, etsi adeò crudeliter, per quinque septimanas, & duos dies, vel quia in illa obscuritate sæpius fui observatus. Custodes mei, saltem duo, qui ultimò advenerunt, Joannes. . . . & Joannes. . . . Magistro eorum non minùs crudeliores, testificentur, si experti fuerint, quòd meam ibi coactus fecerim necessitatem, quia me ibidem obseratum plerumque relinquebant, & sic ad cameras mihi patere non poterat aditus.

O inenarrabilis, etiam infideli jam damnato crudelitas, quòd in tam arcto, inaëreoque carcere, mea extrema ad nasum mihi non latuit necessitas diurna. Judicet inde Dominus, inter ipsum & me, si hoc mihi fieri procuraverit, ut ad desperationem me protraheret, aut me sic fatigando, sub ditione sua esse me notoriè auditorem compelleret.

Primum autem nec, secundùm gratiam Dei, obtinuit, Virgine assiduè pro me intercedente Beata; cùm omnem tyranniam suam, suorumque, patienter, pro nomine Jesu sincerè toleravi: quanquam custodes mei, duo præcipuè memorati, ad impatientiam mihi ascribant, quòd pro auxilio Conventûs Sancti Mauri, circa noctem, horâ tardissimâ, exclamavi, ex eo quòd unum mihi, velut rabidi, auferebant scriptorum meorum, cum certis cedulis papyreis duabus, quas ante me super quemdam Librum ** incausto per eos tunc maculatum tenebam, vi ex manibus meis rapientes, & super me illâ horâ indebitâ irruentes, & plùs, in sinu meo inter se, tertio adveniente custode, satagere proponebant introspicere; unde ad clamorem meum, de corpore meo pertimescentes, inter lupos, velut agniculus existens, Conventus supervenit memoratus, qui eos à carcere meo abire fecit; & ita, Domino auxilium mihi præbente, Conventu ipso mediante, in pace, illâ nocte, tranquillus steti. Et sic, æstiment gloriosi viri Dei, si causam tunc habuerim Conventum exclamandi, quem aliàs exclamare nequivi, nisi per caminum quem me impediebant, quominùs ad ostium provocarem carceris.

Si verò tunc cùm clamarem, per illos, & aliàs multoties, opprobriis, & convitiis fui affectus verbalibus, de hiis inde judicet Dominus, qui patientiam, sui gratiâ mihi tribuit, hoc in facie mea audiens, velut surdus & multus.

Pacificos antea satis habebam custodes; sed illos duos, quos nominare Joannes erubesco, de quibus supra, quia sic nuncupor, Archiepiscopus, in ultima mihi delegavit quindena, ipso non minùs crudeliores, quos præ cæteris eligere, suæ Diœcesis, decrevit iniquis; Ut quod primi adimplere nequiverunt, ad impatientiam isti, aut desperationem perducere possent. Sed Christi benignitas, ab hiis ne-

* *Hic deest aliquid.*

** *Hic lacuna esse videtur.*

nefariis, sui pietate, me præservavit, & nec minus à sua me præservavit Jurisdictione. Cùm, Deo teste, Pharaonis mallem subjici hodie ditioni, prout & aliàs sibi scripsi, quàm subjectus esse suæ tyrannicæ dominationi. O quanta in eo feralis est crudilitas! Leone siquidem est credelior qui parcit prostrato, quòd peccatrici animæ meæ iste non pepercit, ad impatientiam, aut desperationem eam sic trahere non erubescens; cui Deus, sua denique providentia, se opposuit, quia contra custodes *suptas me in una coquina, à facie iniquorum horum custodium omni nocte latentes, mihi ministravit, ne me cum aliquo manutergio noctu jugularent, & ita dicere non erubescerent: Ecce istius fatui audite impatientiam, qui hac nocte, velut Judas, desperatus, laqueo se suspendit. Sed absit quòd pauperpuculæ sic inquiant animæ meæ, *Non est salus ipsi in Deo ejus*. Ps. 3. 3.

Quamobrem ut scelestiùs possent æmuli, eorum satisfacere crudelitati; jam publicarunt me in cerebro præ nimio studio, aut modicis cæteris abstinentiis meis fore læsum, quod iter jam est medium ad illicitæ desperationis domum.

O quanta est hæc malitia, Principibus & populo talia tam nefanda suggerere, & tales colores rhetoricos quærere, à quorum medio tali sic itinere, Altissimus, sua me dignetur præservare pietate: si læsus, secundùm eos, adeò extitissem, audeo affirmare quòd ista quæ feci in Sancto Leto, Domino auxiliante, non peregissem. Sed ipsos teneo, & non minùs excusatos, cùm de natura hodie est veritatis, quòd qui illam adversùs tyrannos prædicant, ipsi eos læsos æstimant, superbos, aut insensatos.

V.

ITEM. *Quòd adulterantes nunc sic sunt puniendi, sicut in Antiqua Lege, & quòd illa Lex non est revocata.*

RESpondeo quòd dixi sic, in detestationem criminis, quòd adultrantes nunc lapidatione sunt digni, sicut & olim in Lege lapidabantur, nullam faciendo mentionem an illa Lex revocata foret, vel non.

VI.

ITEM. *Publicè prædicavit quòd Domino nostro Benedicto Papæ moderno, non est obediendum. Et* que nous n'avons point de Pape, fors Dieu, & la Vierge Marie nostre Papesse, & que l'Eglise est Veufve.

RESpondeo quòd, attentis hiis quæ fecerant Rex, ac Domini Regales, & Universitas Parisiensis Mater mea; processuque quem cum ipso Domino Benedicto tenueramus: ipsum à via pacis Sanctæ Matris Ecclesiæ æstimavi nimis alienum, & propterea ad pacis effectum citiùs perveniendum, & non aliæ opinionis eram, salva correctione Sanctæ Matris Ecclesiæ, ejusdemque Matris meæ, & quorumcumque proborum, prout tunc palam dixi, quòd sibi, in temporalibus præcipuè, non obediretur, nec etiam intruso in universo Orbe, & qui citiùs fecisset, jam pacem diù consecuti fuissemus: & ita fuit in Hanonia & Brabantia, & nonnullis aliis regionibus. Hæc autem aliàs verè non dixi, nisi cordis nimia præ amaritudine, vehementi veritate, zelo pacis Ecclesiæ me cogente.

Et quando Dicunt: *Nous n'avons point de Pape fors Dieu*, &c. Sic tunc dixi. *Bonnes gens, ne vous desconfortez pas, car à Pape ne poons faillir: car le douls Jesus est nostre vray Pape, & Chief de l'Eglise. Et à la tres douce Vierge Marie aussy ne poons faillir, à Dame & Maistresse de tout le monde, & ce mestier fait à Papesse. Comme elle soit Royne du ciel, & de la terre, &, pas consequent, de l'Eglise, comme Chief & Papesse.* Non autem innuendo quod verè esset Papatissa: sed propter communionem quam habet in Dei Ecclesia cum Filio, & propter singularem amorem quem ad eam A gero, cùm in omnibus mihi possibilibus ipsam vellem semper Filio adæquari, salva deitate, & hiis quibus aliàs legitimè, secundùm sacram Scripturam, & Doctores sanctos non potest adæquari. Scio enim quòd verè non est Papatissa: sed sic dixi, propter spem quam in ea habeo, quòd nobis erga Filium suum benedictum pacem impetrabit in Ecclesia.

Et quando dicunt quòd dixi, *L'Esglise est Veufve.* Respondeo, quòd dixi sic formaliter, prout possum recordari, quòd Ecclesia, in isto casu, qui opinionem meam vellet amplecti, erat ac si vidua foret.

Verè non memoror, nec scio me unquam, per B expressum, Dominum Benedictum affirmasse non esse Papam; sed nominatim ipsum pro Papa tenui, & nedùm ante Sermonem Ramis Palmarum; sed etiam in illo Sermone. Quin immò, ab ipso post illum Sermonem, tanquam à Sanctissimo Papa appellationem meam interposui, prout per Instrumentum luce clariùs constabit. Ipsum autem semper tenui Papam, & tenebo, quoad vixero in humanis, nisi alia *denuò emergat. Juro Deo quòd ipsius Domini nostri Papæ diligo personam, sicuti meam propriam, sed plùs Ecclesiæ verò diligo unionem; cùm in Sancto Leto, Deo teste, alia non essem de causa, nisi pro pace Ecclesiæ, & ipsemet Dominus noC ster, tempore quò Legationis Parisiis fungebatur officio, antequam in monte Sancti Leti transmigrarem, per octo dies ante per me scivit, licèt inter cæteros mundi sim minimus, opprobrium hominum, & abjectio plebis: & utinam ad montem meum reverterer unde exivi, ut Symeonis ad instar, ibi exspectare valeam redemptionem plebis Israël.

VII.

ITEM. *Et propter prædictam Prædicationem suam, populus Diœcesis Remensis, Suessionensis, Laudunensis, Catalaunensis, & generaliter totius Provinciæ Remensis, & Provinciarum circumvicinarum, firmiter, erroneè,* D *temerè credit & tenet nullum esse Papam, & adeò quòd aliis Prædicatoribus prædicantibus & recommendantibus Papam, contradictum fuit, etiam cum rumore, ab audientibus, & etiam cum verbis injuriosis, & etiam Domino Archiepiscopo Remensi, dictum Dominum Papam affirmanti, & prædicanti in Sancto Remigio.*

RESpondeo. Non est culpa mea, si populus malè intellexerit, nullum esse Papam, cùm per excessum nunquam affirmaverim hoc, nisi de Antipapa. Sed mox, cùm scivi quòd nonnulli sic malè interpretabantur, Magistrum Jacobum de Colignante ad Regem transmisi, cum eo, ad sciendum quid inde deberem facere, sibi per eum formaliter insinuando quod dixeram, & quomodò intelligebam, unà cum multis aliis in ista materia benè secretis. Qui Rex mihi scripsit, quòd sic starem, quousque quid agere deberem mihi indicaret: quia nuntium ad Curiam Romanam miserat proprium, quem dum rediret, aut alium de domo sua, mihi transmitteret, & sic mansi in suspenso, quòd mentem

* *Hic aliquis videtur error. fortè*, suppetias.

* *Hic aliquid videtur deesse.*

em meam, propter præmissa, non ausus fui declarare, nec pro ipso, tamquam pro Papa, nominatim, post Sermones meos, prout consueveram, facere exorare; quod verè in mente mea benè displicebat mihi; si jussioni ausus fuissem Regiæ contraire.

Verum est quòd, ad partem, omnibus postulantibus pluriès asserui, Dominum Benedictum esse Papam, & me non dixisse ipsum non esse Papam; sed in publico, propter præmissa, declarare mentem meam non audebam. Et Deus sit mihi testis, si in A Canone, velut Dominum nostrum, Benedictum nominatim expresserim. Aut si in *Memento*, meo specialiùs preces, ad Dominum indignus pro eo effuderim.

VIII.

ITem. *Publicè prædicavit quòd Presbyteri Concubinarii non conficiebant Corpus Christi, subjungendo, & affirmando, per suam conscientiam.* Mes bonnes gens, tels Prestres ne vous monstrent que un po de pain.

REspondeo, quòd publicè Decreta vestra, de cohibendis Clericis concubinariis, in sua forma, de verbo ad verbum, litteraliter, & in scriptis, ut Doctor, licèt indignus, in cathedra legi; B ubi oppositum, de verbo ad verbum, continetur, quæ populo tandem in Gallico declaravi, & hac de causa ea legere decrevi, ut deinceps ipse populus eadem verisimiliter ignorare non posset: & plusquam decies, ut credo, aut vicesies, alibi hujus nefarii oppositum prædicavi palam, ne populus in ista materia erraret, addens quòd ideò prohibebantur eorum Missæ audiri, ut à peccato suo citiùs se retraherent, & in simili, de excommunicatione, Can. *Pia. de exceptionibus: Lib.* VI. allegavi, dicens quòd excommunicati Ecclesiam ideò intrare non sinuntur, ut rubore suffusi, ad humilitatis * gratiam citiùs retrahantur. Deus autem tantùm non det mihi vivere, quòd errorem adeò maximum in Fide nostra prædicassem. Certè magnum peccatum faciunt, qui tales errores nequam imponere mihi non verentur. Verum est quòd semel prædicavi Decretalem, *de homine. De celebratione Miss.* dicentem, quòd Presbyteri licèt in peccato mortali existant, verba consecrationis non debent omittere, quæ si temerariè omitterent, Sacramentum tunc non levarent, sed populum idolatrare facerent. Et hoc ad doctrinam dixi Sacerdotum, ne eorum aliqui adeò essent simplices, quòd contra illam Decretalem, verba Consecrationis non proferrent: etiam & eos tunc advisavi quòd in peccato non celebrarent mortali, ad quod omninò tamen adverterent, illud eis allegans Apostoli, I. Cor. XI. 27. *qui indignè sumit &c.* Et Deus scit si morbo illius Decretalis plerique tunc fuerint irretiti, qui quando in peccato erant mortali, verba Consecrationis non proferebant.

IX.

ITem. *Publicè prædicavit quòd Presbyteri Concubinarii, quos Gallicè vocabat* Mariés, *non baptisabant; & subjungebat quòd hodie mundus ob hoc erat ita malus, quòd omnes erant malè baptisati.*

REspondeo. Aliquoties dixi quòd concubinarii Presbyteri notorii & publicè diffamati, sæpiùs circa mulierclas, aut liberos suos, adeò erant intenti, quòd adBaptismum puerorum sæpe malè advertebant, etiam ignorantes, aut ebrii: & ideò, fortassis, cum multis aliis causis, quas tunc allegavi, mundus erat ita malus. Si tamen verba proferrent Baptismi, verè dixi quòd baptisabant, quemadmodùm alii, & una vetula, in casu necessitatis, etiam baptisat. Æstimate ergo si verum potest esse, quòd tantam stoliditatem dogmatisassem. Quare autem Presbyteros hujusmodi vocabam, *Mariés*, in publica * nunc deducta, notionem quod semper propter decorem Ecclesiæ subticui, cum infinitos tales adinveni Presbyteros, & mulierculas qui fidem sibi mutuò dederant, quemadmodùm verè faciunt uxorati. Æstimate ergo, quantus propter hujusmodi contubernium, in Ecclesia Dei immaculata vigeat error. Audite igitur vos Domini Ecclesiastici, si hodie profectò Ecclesia per vos dicere possit: non est in mundo similis dolor sicut dolor meus.

X.

ITem. *Publicavit quòd audientes Missas Presbyterorum Concubinariorum, vel usurariorum, quos vocabat Gallicè,* Mariés, *peccabant mortaliter, & erant excommunciati.*

REspondeo. Dixi quòd Missas Presbyterorum Concubinariorum notoriorum, seu publicè diffamatorum audientes peccant; an verò mortaliter, aut venialiter, aut quòd ex inde sint excommunicati, non recordor me unquam declarasse. Dixi enim quòd aliqui Doctores tenebant quòd mortaliter peccabant: sed populo illud subjunxi; de præsenti vobis non auderem affirmare, quousque Doctores vobis nominem, & eos pleniùs viderim. Et in uno Sermone, in quo hæc verba protuli, fuerunt duo Venerabiles Universitatis Parisiensis Bachalarii, unus in Theologia formatus, & alter in Decretis, qui verba hæc plenè audiverunt.

De usurariis autem Presbyteris, an benè celebrent, vel non, non memoror me usquam verbum propalasse. Nescio autem si ille Dominus, de quo supra, qui apud Regem fertur me detulisse, pro se ipso dicat; cùm pueri in Provincia in qua sæpiùs degit, fari vix gestientes, eum notoriè talem æstimant esse, & si Instrumentorum copias inde habeam C contractuum suorum usurariorum, mihi ipsi credo, quas cùm locus aderit, patefacere non desistam. Ex avaritia quoque, regulariter usura procedit, & tyrannia, per quas, ut in pluribus, sancta Mater hodie regitur Ecclesia. Est enim conveniens quòd Prælatus in ea usurarius notoriè vocitetur. Scio equidem, magni status Dominam, quæ ore proprio mihi dixit, quòd ille, dequo sermo, extra sortem, ratione mutui eidem Dominæ per ipsum præstiti, ducentos & quinquaginta quinque, vel circa, ab ea habuit ex usura francos, sed quia, dequo magis ipsa doluit, unus francus ad illius votum non erat ponderis, opportuit quòd sex, vel quinque albos proinde resarciret. De cæteris autem multis militibus, & aliis, de præsenti, subticeo, brevitatis solum causâ.

Sed si reditus emat ad vitam, qui ab usuris non longè distant, pro se, & nepotulis suis beatissimis, D ipsum habeo, quia notorium est, excusatum, ne pauper ille homo fame periclitetur.

Scio autem Sacerdotem Domini superstitem, Remensis Diœcesis, omni exceptione majorem, qui mihi asseruit quòd semel fuit in Courvilla, castro Archiepiscopali, ubi in quadam reperit camerula fardellos raubarum, cæterorumque supellectilium infinitos, & in quolibet eorum scriptum erat: *Fardellus talis, pro tali pretio, tali die redimendus, &c.* ac si in Judæa Ammon extitisset. Qui cùm, ad partem, tandem de quo serviebant illi fardelli poposcisset; eidem à vulgo populi responsum fuit, quòd Ar-

* *Aliter*, affectum faciliùs inclinentur.

* Locus Corruptus.

Archiepiscopus eis faciebat sic mutuari, unde aliquid in termino, sibi curialitatis erogabat, & ita, illo attestante Presbytero, fama ex hiis in partibus illis volvebatur publica. Si verum sit, aut non, aliter non affirmo quàm superiùs sit expressum.

Si vaccas etiam habeat ferreas, quæ sibi non moriuntur, sed pauperi famelico, manifestè qui nec minus in hoc laborat.

XI.

ITEM. *Quòd audientes Missas quorumque Presbyterorum commorantium cum quibuscumque mulieribus, sive cum Matre, sive cum sorore, sive cum aliqua quacumque, sive proba, sive reproba, sive sene, sive juvene, nepte, commatre, sive alia, peccant mortaliter, & sunt excommunicati.*

RESpondeo. Sæpè dixi de notoriè suspectis, licèt Can. 1. *Inhibendus. De Cohabitatione Clericorum & mulierum;* De Matre, sorore, amita &c. prohibeat, *quia & in illis, instigante diabolo, scelus perpetratum reperitur.* Et etiam dixi, ex Canone illud recitando: sed de notoriè tunc etiam dixi suspectis; illud addens Augustini: *Quæ cum sororibus meis sunt, sorores meæ non sunt.* Quandoque de vetulis etiam dixi, & consanguineis: sed semper de suspectis intellexi; Deus enim scit quid in hac materia, in Confessione & extra sentio. Ecclesiæ expediret omninò quòd nullus haberet etiam vetulas; cùm supra fimum, prout in hac materia benè dicit homo, *sæpe quiescit, etiam consanguineas, propter tactus illicitos contra naturam sæpiùs actu deteriores.

Presbyteri verò concubinarii notorii plerique allegant quòd eorum pedisecæ, sorores ipsorum sunt, & consanguineæ, sed Deus scit si de ipsis pueros habeant super terram, Proh pudor, gradientes: aut dicunt quòd non sunt suspectæ, si triginta aut quadraginta annos habeant. Et Deus novit quòd non habent nisi unum lectum, & ita totum malè vadit. De peccato mortali, & excommunicatione, supra proximè respondi.

XII.

ITEM. *Quòd ille qui confitetur peccata sua tali Sacerdoti concubinario, aut habenti mulierem suam, non erat virtute illius Confessionis mundatus à peccatis, prout nec sunt immundæ manus quæ lavantur in luto.*

RESpondeo. Benè dixi quòd talibus notoriis, & publicè diffamatis Presbyteris non erat confitendum, cùm immundi essent sicut lutum, nisi in necessitate, aut ubi alii reperiri non possent; qui tamen licèt sint immundi, vitam talem gestando, alios nihilhominùs, virtute Confessionis, mundare possunt: & ita repetitis vicibus publicè, & palam dixi, & ita verum credo.

XIII.

ITEM. *Quòd propter prædicationem suam fecit minus revereri Sacramenta, quàm deceat, & ipsa vilipendi & contemni, & taliter, quòd plures homines, utriusque sexus, in nonnullis Villis Remensis, Cathalaunensis, Suessionensis, Laudunensis Diœcesum, ac totius Provinciæ Remensis, & Provinciarum circumvicinarum, per nonnulla temporum curricula, ad Ecclesias accedere, Missas suorum Curatorum toleratorum audire, & ab ipsis Sacramenta recipere, etiam Sacramenta Baptismi, Purificationis post partum recipere, & Eucharistiæ Sacramentum, in Paschate, contempserunt.*

A RESpondeo. Non est culpa mea; cùm sæpè contrarium prædicaverim, ideò illis imputetur, & non mihi, qui indignè adeò, & irreverenter, in divinis se immiscuerunt, & quotidiè in illo statu se immiscere non verentur: nec credo quòd propter verba mea, aut veriùs, Juris, vilipensa fuerunt Sacramenta, quæ propter malam vitam eorum, quæ vita non est hominum etiam laicorum, sed brutorum, quorum nonnulli in Ecclesiis suis coram populo suo palam sæpiùs dixerunt, & alibi publicè, & in taberna quandoque, quòd pro homine vivente, concubinas suas non permitterent abire; sed si satis de una non haberent, duas, aut tres reciperent, aut omnes parrochianas suas, à prima, usque ad ultimam haberent. Æstimate igitur quid de talibus obstinatis sit agendum. Et quia in Articulo, de toleratis loquitur, illos non credo de Jure toleratos, B qui sunt notorii, vel publicè, per evidentiam facti diffamati. Licèt tales, propter pecunias, Prælati, quas inde habent, tolerent, & habere omni animo sic sunt soliciti, & ob hoc Domini Prælati turbantur contra me, cùm talia prædicare non vereor, quia tantum animale lucrum perdere eis facio. O quàm damnabile est lucrum hujuscemodi, quòd Ecclesia de tali vivat meretricio damnabili, & propter hoc in Dei Ecclesia tàm detestabile vitium regnare toleretur.

Turbantur etiam contra me scabiosi nonnulli Presbyteri, & non boni, quia, ipsis invitis, suas à se abjiciunt mulierculas, per quas hodie tota Dei Ecclesia, proh pudor! maculatur, Prælatis propter lucrum in hoc consentientibus hujusmodi: & si C tantùm eorum voluissem labefactionibus adulari, quantùm, gratiâ Dei, posse tenùs restiti, hodie in muscipula carcerum captus non essem malefactorum sancti Mauri. Sed illos præopto carceres arctos jam nunc induere, & diutiùs temrasse, quàm veritatis etiam scintillam siluisse. Et utinam ad hoc natus sim, & in mundum venerim, ut testimonium etiam usque ad mortem perhibeam veritati.

Propterea Mendicantes non incarcerantur, quia præfatorum vitiis passim adulantur, veritate, præsertim à Francia, procul hodie, proh dolor! relegata. Sed non ambigo quin in fine suos veritas confundere debeat inimicos, quia multitudine hostium non terretur.

Sed à me aliqui possent scitari, cur asperiùs contra Ecclesiasticos prædicavi, quàm contra laïcos. Respondeo quòd ad usus omnium statuum, nullum tamen vilipendendo, vitia prædicavi, Re- D gum, Principum, & infimorum, etiam usque ad sabbaterios inclusivè. Sed præcipuè contra Ecclesiasticorum vitia adeò asperè prædicavi, cùm ipsi, præ cæteris, lux debent esse mundi. Si ergo aliqui eorum sint mali, totum obtenebrant mundum, & quia video quòd si boni essent, residui mundi boni forent: idcircò ad pacis Ecclesiæ citiùs consequendum effectum, taliter prædicare adversùs eorum vitia arbitratus sum; cùm, nisi corrigantur, dubito breviter quòd patientur, & cæteri qui eos imitantur, & pacem aliter Ecclesiæ, nisi prævio terribili super eos scandalo, etiam non reportabimus. Ne igitur enormiter adeò patiantur, & ut pacem Ecclesiæ velociùs consequamur, libenter, præ cæteris, optassem quòd se emendassent, propter se ipsos, & propter alio-

* *Hic aliquid deest.*

aliorum commune bonum; ne etiam eis dicatur: *Si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam dilabuntur.* Matth. xv. 14. Et ita me Deus adjuvet, quòd ista est sola intentio mea, unio Ecclesiæ, & Orbis reformatio, propter quam adversùs malos Ecclesiasticos ita terribiliter prædicavi: & si verbis meis non credant, Dei saltim sententiam brevem formidare, & in patientia tam suscipere non erubescant.

De captione si quidem mea non ignoro quòd Sacerdotes, & Levitæ, utinam Domini, maximùm, inde psallentes, emiserunt gaudium; sed non minùs mulierculæ eorum, unde flens audivi quòd passim tunc se remaritarunt, licèt pœnâ cum maximâ, Domino mihi auxiliante, divortium de multis celebrassem.

De uno solo dicam, propè sanctum Letum degente, Presbytero, cujus nomen & ex causa subticeo, quod rememoratione est, proh dolor! non indignum. Auribus meis, prout hic in carceribus, fide digno relatu, innotuit, quòd cùm captionem meam scivit, publicè parrochianis suis dixit: *Or.* Amodo bonum habebimus tempus, ex quo ille fatuus captus est sancti Leti, qui nos demaritare moliebatur.

Ea propter mulierculam suam, paulo post, publicè in domum suam reintroduxit, quamquam parrochiana sua esset, & alteri viro conjugata. Sed eadem nocte, cùm sic eam palam recipere non erubuit, utriusque sexus parrochiani sui sibi fecerunt calumniari, tamque de vetulo, & vetula simul conjugatis: sed mulier inveracunda, reatum suum tunc non erubescens, de domo, cum pelvi exiit Presbyterali, altisonè, velut furibunda, cum cæteris clamitans derisoriè: venite ad nuptias, venite.

O quam mihi lamentabile fuit nuptias tam incestas in carceribus obaudire, atque nefarias, quæ utinam, in Dei Ecclesia, à Prælatis nusquam fuissent toleratæ, & à Sacerdotibus Domini, utinam nunquam celebratæ. Certè si, Domino favente, à carceribus unquam exeam, pro simili etiam incarceratione, usque ad necem inclusivè, eorum contubernia temptabo rursùs separare, & ita ipsorum ob hoc gaudium, in luctum, per consequens, iterum convertere; quia nefas est in Domo Domini talia videre & audire, Prælatorum conniventibus occulis.

XIV.

Item. *Occasione Prædicationis dicti Magistri Joannis de Varennis, fertur pluries dixisse: non adorarem Deum talis Sacerdotis, plusquàm rodellum rapi, vel rapæ.*

Respondeo idem ut supra, ista certè nunquam audivi plus dici, sed æstimo quòd mei æmuli hoc fabricarunt, ut factum meum aggravent, aut ita dici per suos divulgarunt.

XV.

Item. *Occasione doctrinæ, & Prædicationis ipsius, contemnitur Sacerdotium in Sacerdotibus, & Religionis ritus per Ecclesiam approbatus, in tantum quòd in una villarum Diœcesis Remensis, per aliquos habitantes illius villæ fuit dictum, postquàm unus Presbyter qui supervenit, à casu, in eadem celebravit, quòd Deus per ipsum Presbyterum, sic, à casu, ventum consecratus, prævalebat Deo per eorum Presbyterum in dicta villa commorantem consecrato.*

Respondeo. Per verba mea Sacerdotium non vilipenditur, neque Religiones approbatæ; sed si pseudo Ecclesiæ Ministri, veritate scita execrabilis vitæ eorum, vilipenduntur, peccatis ascribatur eorum, & non veritati. Cùm nunquam vitia in Sermonibus aliter tangerentur, contra quæ non est tacendum; juxta illud quod Dominus dixit Isaiæ, LVIII. 1. *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & Domui Jacob,* idest Ecclesiæ typicæ, *delicta eorum.* Quo autem ad casum, de quo in Articulo fertur, si verus sit, quod non credo, possibile est quòd aliqui simplices illius villæ di-
A cere potuerunt: Talis Presbyter, qui forsan erat bonæ vitæ, melior est quàm Presbyter noster, qui notoriè unam tenet concubinam. De Sacramento autem non est credendum quòd aliquis sanæ mentis dixerit pro tanto, articulum totum maliciosè, in Dei, arbitror, & non simpliciter mei opprobrium confictum.

XVI.

Item. *Quòd ipse prædicavit talibus Presbyteris concubinariis decimas non solvendas, & inhibuit ne solventur talibus.*

Respondeo. Verum est quòd Presbyteris concu-
B binariis notoriis & publicè diffamatis, decimas prædicavi ipsismet non solvendas, quia ex hiis suas nutriunt focarias, liberos, & subancillas, & pro tanto, eas subjunxi, pro refectionibus solvendas, & ad Ecclesiæ utilitatem convertendas, quamdiù ita obstinati essent, sicut sunt. Et de illis solùm dixi obstinatis publicè affirmantibus quòd pro homine vivente, suas à se non auferrent concubinas: & verè, potiùs ad comminationem dixi, quàm ut certo eis non solverentur, ut metu tantæ pœnæ, suas abjicerent mulierculas.

Nec mirum autem si dixerim: cùm per Jura ab eorum Beneficiis tales, quod est fortius, sunt amovendi, per *Can. Sicut. De cohab. Clericorum, & mulierum.* Certè tales non possunt Legum laqueis innodari, qui adeò obstinatè suas publicè tenere non verentur concubinas: nec aliter æstimare scirem quâ pœnâ plectendi forent, etiam corporali: sed per culum bursæ hodie tales iniquè passim sus-
C penduntur.

Adeò autem severè contra ipsos prædicavi, cùm credo quòd aliter pacem in Ecclesia Dei sancta non habebimus, nisi suas curent, & breviter, abjicere mulieres; aut scandalum aliter enorme patientur fore irreparabile. In causa ergo sunt hii qui eos in suis fovent malitiis, & occasionem præbent scandali, quibus hesito breviter quod dicetur: Væ genti peccatrici obstinatæ, & incorrigibili, & væ illis per quos tantum scandalum nobis evenit. Propter peccata etenim nostra certum est quòd schisma præsens nobis provenit; de quo Augustinus ait, quod *est infirmitas desperata.* Opportet igitur quòd causa cesset, si cessare volumus effectum: vel aliter dubito, ut prælibavi, quòd scandalum patientur, nisi Deus ex alto, sua pietate provideat.

D

XVII.

Item. *Publicè prædicavit, quòd à principio præsentis schismatis, nullus intravit cœlestem regionem: addens ulteriùs cum admiratione, quòd si cras ipse moreretur, ipse non esset certus quòd deberet volare in Paradiso; & videbatur velle arguere, quòd si ipse non esset salvatus, multò minus essent alii salvati.*

Res-

RESpondeo. Verum est quòd dixi quòd si cras ante pacem Ecclesiæ morerer, de vita non essem securus perenni, propter aliqua singularia dubia quæ in ista materia Regi significari feci, & quædam alia; vel aliter, propter peccata mea, quia non reputo me dignum, absque singulari Dei misericordia, sive ante pacem Ecclesiæ, sive post, salvari.

Secundò. Ad illationem autem, quilibet inferre potest id quod sibi libet: sed quòd dixerim quòd nullus in Paradisum, à die præsentis schismatis introierit; certè non memoror, nec vellem me unquam somniasse. In dubio tamen, pro Ecclesia, veritate dicenda, & justitia manutenenda, Martyr mori ante finem schismatis potiùs eligerem, etsi dignus forem, quàm in lecto meo; Deus autem de me tamen disponat quod suæ libuerit Majestati.

XVIII.

ITEM. *Quòd de Papa, Cardinalibus, Archiepiscopis, & Episcopis malè & inhoneste loquitur, dicendo dùm de præfatis loquitur, reiteratis vicibus derisoriè.* Contre vous ne soit dit, mes bonnes gens.

RESpondeo. Unum est quod dixi. *Contre vous ne soit dit*, cùm de Archeisfiscopis locutus fui; quia in genere, de Episcopis loquebar, justitiam subditis non ministrantibus, & subdidi ad hoc: *Moins en font les Archevesques, contre vous ne soit dit.* Qui plùs justitiam deberent exaltare, quàm Episcopi, & minus faciunt. Et ita in dedecus non dixi dignitatis, aut personarum, sed in vilipendium injustitiæ eorum.

Ab hiis etenim passim justitia venundatur, sicut carnes in macello. Contra quos ita altisonè defectum justitiæ prædicavi: cùm per injustitiam, & tyranniam notoriam, totum populum Dei, sicut escam panis devorant, & ita in desperationem peccati populum ipsum quotidiè protrahunt. Unde populus sub ipsis, sine comparatione, plus laceratur, quàm sub dominio temporali quocumque. Et si ipsi justitiam populo ministrarent, utique & Dominos temporales ita facere docerent; & mundus esset bonus, si justitia regnaret: sed hodie in ipsis nulla viget justitia; sed omnis pilleria, rauberia, & tyrannia, proh dolor! notoriè minis. Deus igitur provideat: verumtamen legi quòd Regnum Franciæ, tantùm durabit, quantùm justitia ibi regnabit. Et hæc autem, ad pacis effectum Ecclesiæ generaliter, ut ad viam justitiæ reverterentur, duntaxat prædicavi. Sed video quòd omnes Deo in peccatis suis se volunt opponere, & ita nullus corripi patitur, aliàs vel emendari. Equo hodie nulli frenum placet, prout censeo.

XIX.

ITEM. *Sectas & ritus novos facit in Missis, & Missas novas, ac Præfationes, authoritate sua temeraria constituit, & construxit, præter & contra Juris ordinem, quarum unam construxit, de Sanguine Christi, quam misit Brugis: & aliam de Beata Virgine, & aliam, de mulieribus in puerperio laborantibus. Construxit etiam Orationis, in quibus inseruit plurima verba malè sonantia. Inter cetera: Est tota cæca Christianitas.*

RESpondeo. Verum est quòd illas tres Missas, & quartam Sancti Leti propriam, indignus compilavi, divina mihi auxiliante gratia. Sed quòd præter, & contra Juris sit ordinem; Jura libenter audirem, quæ hujusmodi prohibeant fieri: cùm ista, velut ignarus non legi, nec audivi. Sancti Patres, de pluvia, de Transfiguratione, contra mortalitatem, pro nuptiis, &c. multas novas ediderunt Missas, quorum corrigias calceamentorum non sum dignus solvere; nec reperio quòd necesse fuerit illas ab Ecclesia Romana, aut Diœcesanis approbari. Si tamen malè feci, paratus sum emendare, & palam prædicare non dicendas.

Missas autem illas quatuor, rectâ, pro vero compilavi intentione, de Sanguine Christi, quia datum mihi de ipso erat, ut piè creditur, in Sancto Leto. De Virgine gloriosa, pro Pace Ecclesiæ, quia ignoro quòd de ipsa alia esset. Illam namque de mulieribus feci in puerperio laborantibus, cùm vix tunc erant paucæ quarum fructus ad portum pervenirent salutis. Quartam verò, de Sancto Leto ordinavi, hospite meo, quia nulla tunc erat propria.

Quantùm est autem de prima Oratione pacis Ecclesiæ; in qua est, *Tota Cæca Christianitas.* Respondeo. Quòd hæc verba habui à Francisco Petrarcha, in quodam Libro suo; & nihilhominùs illis duobus Dominis dixi Bacchalaureis, de quibus supra, quòd super hoc Matrem meam an malè sonarent, interrogarent Universitatem, & si malè sonarent, mihi mandarent, & ego ista mox cancellarem: & ita non apparet quòd unquam voluerim esse pertinax; sed semper paratus sum auferre, si aliter stare rationabiliter non valeant.

Aut videte si sustineri valeant per c. I. *Cùm in cunctis. De hiis quæ fiunt à majori parte Capituli.* Capitulum fecit hoc, aut Universitas, id est major pars. Quàm hodie Rectores nostri nonnulli, qui caput sunt Christianitatis, cæci verè, proh dolor! nimis sunt, & duces cæcorum. Aliter adtem adeò crudè non intelligo, quin in tota Christianitate plerique boni sint &, Deo concedente, spero quòd infiniti semper meliorabuntur. Sed de præsenti dubito ne major pars cæca sit, propter peccata nostra.

XX.

ITEM. *Quòd Ecclesiastica Sacramenta, præcipuè Corpus Christi omnibus indifferenter petentibus ministrat, & schismaticis, & excommunicatis.*

RESpondeo. Verum est corpus Christi peregrinis nonnullis ministravi; sed nescivi, aut scire potui, quòd aliqui eorum schismatici essent, aut excommunicati: sed cùm ipsorum aliquos in Confessione audivi, videbatur mihi quòd fideles essent Catholici. Et idcircò Sacramentum Eucharistiæ aliquibus ipsorum, tanquam peregrinis non denegavi, cùm locus Sancti Leti, maximæ sit peregrinationis. Verum est quòd infinitos non admisi, etiam petentes, & illos quos admisi, sine Juris præjudicio quorumcumque communicavi, unde communicando sæpius, & in plurimis Sermonibus dixi, quòd Curatis suis darent id quod pro Communione dare aliàs debebant: cùm, Deo teste, de omnibus quos in Confessione unquam audivi, aut ad Eucharistiæ Sacramentum indignus recepi, valorem oboli, sive pomi nunquam habui, nec Ecclesia propterea, quòd scirem, sancti Leti. Præmium autem aliud non expectavi, nisi æternum, & ita recta omnia reor egisse intentione, absque juris præjudicio quorumcumque.

XXI. ITEM.

XXI.

ITEM. *Quascumque personas ad ipsum venientes, & de quibuscumque casibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, & Sententiis Excommunicationis à Canone latis, ad Confessionem recipit, & beneficium Absolutionis eisdem personis impendit, nullum rejiciendo.*

A

Respondeo. Verum est quòd multos absolvi & diversarum personarum, quia potestatem habui, & habeo pleniorem quàm Episcopi, aut Archiepiscopi trium aut quatuor Regnorum, & nonnullarum partium scilicet totius Legationis Domini nostri Papæ Benedicti, tempore quo in Francia Legatione sua fungebatur. Et certum est quòd infinitos in certis, quos sciebam, casibus reservatis non admisi. Sed ad Curiam ipsos remisi absolvendos, & Domino Legato, Domino videlicet Vasatensi, qui tunc Parisiis degebat, quando per Jura scivi ipsos per me non posse absolvi.

Confessiones autem, ad duos, Domino disponente, audire fines decrevi.

Primò si quidem, ut vitarem otium; cùm Decreta nostra dicunt quòd otiositas, & voluptas arma sunt hostis antiqui ad miseras captivandas animas.

Secundò. Ut scandalo obviarem Curatorum, & B magis Mendicantium, qui de omni ferè absolvere casu non verebantur, quorum, per Prædicationes, habenas restrinxi, & populo casus reservatos Sanctæ Sedi Apostolicæ, & Prælatis, possetenùs, indicavi; non verè, ut mihi confiterentur, cùm superioribus illis mille, aut plus, credo remisisse; sed ut malitiæ obviarem Confessiones audientium hoc egi, & animarum saluti consulerem confitentium.

Sed quia Dominus Archiepiscopus, in Articulo allegat, quod omnes absolvebam, & nullos remittebam, salvâ sui reverentiâ, de uno saltem scit quem Domino Parisiis Legato, nunc verò Papæ remisi, de quo non mediocriter, ut intellexi, contra me fuit turbatus. Casus iste fuit, quòd quidam, credo Remensis, qui Clericum, usque ad sanguinis effusionem, verberaverat, ad eum profectus est, ad confitendum: sed cùm sibi hoc exposuisset, illi dixit C confitenti quòd eum non absolveret, licèt potestatem à Domino, ut dicebat, Clemente, usque ad certum numerum, haberet, nisi duodecim coronas solveret, qui illas solvere recusans, ad me in sanctum Letum cum uno Jacobita venit: qui tunc potestatem non habens consului quòd ad Dominum Parisiis Legatum accederet, qui ita fecit, & sic pro minori certè absolutus fuit pretio.

XXII.

ITEM. *Quòd alios sub se substituit, authoritate sua, qui personarum ad eum venientium audiunt Confessiones, quia omnes minorum* D *pœnitentiarum, & de peccatis majoribus, de quibus illicitum est simplices Presbyteros absolvere, eosdem confitentes eidem Magistro Joanni remittunt absolvendos.*

Respondeo. Nullos constitui in sancto Leto Confessores, sed plerique Capellani, etiam Villæ dominicæ supervenerunt, qui aliquorum in peccatis, ut teneo, non reservatis, Confessiones audiverunt: nulli unquam licentiam dedi, nec etiam prohibui, quia scio quòd mea non intererat.

XXIII.

ITEM. *Authoritate sua, diebus Dominicis & aliis Festivitatibus, à tempore quo in dicto monte apostolicavit, fuit, & publicè prædicavit.*

Respondeo. Verum est quòd diebus supra scriptis indignus prædicavi, scilicet modicas Collationes populo feci, sale non conditas: legitima tamen fungens potestate, quam illis ostendam, ad quos spectabit, de Jure, aut consuetudine videre.

XXIV.

ITEM. *Quòd ipse requisitus quod fidem faceret de potestate præmissa faciendi, sine qua hoc non potest nullatenùs docere noluit immò recusavit.*

Respondeo. Per quos fui requisitus supplico mihi dicite. Suppriori Vallis Scolarum Remensis, & multis aliis omnes potestates meas sæpè ostendi, & copias aliquibus exhibui: & me obtuli Domino Decano Remensi, in præsentia Cleri Remensis, dùm in sancto Leto nuper fuit, aut ejus pars aliqua ex parte totius, ut asserebant, libenter ostensurum, dummodò, ex parte Domini Archiepiscopi videre judicialiter non vellet, & alium secum, idem Decanus, eligeret quem vellet; qui nunquam cum Clerico in Sacramento posteà, quod sciverim, comparuit, ut videret: & ita in mora non fui ostendendi.

XXV.

ITEM. *Quòd ipse indistinctas Indulgentias accedentibus ad ejus Sermones, Missas, & locum Sancti Leti publicavit, & publicari fecit.*

Respondeo. Quas Indulgentias publicavi exprimite, & ego respondebo. Verum est quòd Indulgentias publicavi pacis Ecclesiæ, prout in Bulla continentur, & Ordinationibus Apostolicis; & semel Indulgentias, ut nihil sileam, Ecclesiæ Remensis, & sancti Medardi Suessionensis, solùm in genere eas recommendando, nihil specificè dicendo quot & quæ essent, & etiam Indulgentias sancti Leti publicavi, de quibus per Bullas patet Apostolicas, & alias, non de quo rememorer.

XXVI.

ITEM. *Quòd ipse, absque licentia, extra Ecclesiam celebravit.*

Respondeo. Extra Ecclesiam legitimè celebravi debita fulcitus potestate, nec in Ecclesia aliter tunc, quando feci, celebrare potuissem, populi præ multitudine.

XXVII.

ITEM. *Quòd omnibus suas aures præbuerit credulas, cùm affirmaverit in suis Sermonibus, Crucifixum visum fuisse, in Lauduno, pluisse sanguinem, apud Craonnam, in Laudunausio, & miraculosè, quod ignorabat, nisi per auditum.*

Res-

RESpondeo. Verum est quòd visionem Laudunensem publicavi, cum Dominus Episcopus Laudunensis, quod eam cum occulis propriis in cœlo viderat, manu propria, mihi scripsit, super animam suam sic ita fuisse affirmando : & per cubicularium suum Beneficiatum, & hominem fide dignum, viva voce, litterarum suarum tunc gestorem, qui primus viderat, mihi affirmare etiam fecit quid Clericus in præsentia decem, aut duodecim personarum, & duorum Notariorum, in sancto Leto, ita etiam juramento suo firmavit: & inde Instrumentum & Instrumenta petii, in illorum & Scabinorum villæ Dominicæ præsentia.

Etiam. Dominus Marescallus de Sansuerre visionem illam pictam de Parisiis mihi transmisit, prout & Rex depingi fecerat, & ita non fui nimis credulus, antequam populo popalarem.

Verum est etiam quòd de Pace de Creppy publicavi; sed in illo Sermone ibi erat Notarius Apostolicus de villa, qui in pleno se levavit Sermone, & verum affirmavit ita esse, & secum tunc adduxerat de villa, ut affirmabat, 31. personas notabiles, qui asserebant cum eo ita se vidisse. Si ergo nimis credulus exstiterim, quæso, æstimate. Quantùm est autem de sanguine de Croanna, per infinitos audivi, antequam verbum vellem dicere; & manu propria, Dominus de la Bone, miles egregius, mihi scripsit, qui propinquus est illi villæ, antequam locutus fuerim, qui per Clericos, & milites, testificabatur ita fuisse.

Si autem præmissa omnia vera sint aut ficta, Judicio remitto Ecclesiæ, nec aliter asserui, nisi per auditum dici, cum non vellem, nisi vidissem, aliter affirmare.

XXVIII.

ITEM. *Quòd miracula se fingit facere.*

RESpondeo. Legi nusquam quòd homo faceret miracula unquam, sed ad preces Deus suorum operatur Sanctorum. Si tamen Deus, ad preces pauperis, Virgine gloriosa intercedente, aliqua fecerit mei peccatoris; sibi soli remitto, & gratiarum eidem actiones refero, in immensum, cum nunquam aliqua finxi me fecisse, neque me jactavi, nec aliter dignum me æstimo exaudiri, cùm omnium peccator sum vilissimus.

XXIX.

ITEM. *Quòd se permittit, & vult adorari ut Deus, & Sancti; & tangi, ut tanguntur Reliquiæ.*

RESpondeo. Nunquam, ex voluntate mea, Deo teste, scienter permisi me tangi : si verò nonnulli, præ devotione quam ad Deum habebant, & Ecclesiam, propter Missas quas dicebam, & Sermones quos faciebam, & non meis meritis, me tetigerint. In hoc Deum multipharie laudavi, licèt in corde meo, ipso teste, mihi summè displicuerit.

Fides mea verè propterea hæc est, quòd si in corde meo, præ vana gloria, aut simile, illud optassem. Citiùs in faciem meam, Domino permittente, spuissent. Si lachrymas verò indè effuderim innumeras, quia sciebam me indignum; Virgo immaculata in die mihi attestetur Judicii.

Prædicassem quòd non fieret: sed duo in contrarium me moverunt, quòd sic facere non ausus fui. Primum est, quòd æmuli dixissent : modò ignorabamus quòd ille cornardus, ut Sanctus tangeretur. Secundò. Si vetassem : populus pronus magis extitisset: & has duas tetigi rationes illis duobus Domini Bacchalauriis, de quibus supra, mihi inde loquentibus, quòd eas Matri meæ referrent Universitati, & quòd profectò adimplerem, hiis non obstantibus, illud quod mihi rescriberent.

Secundò. Quando dicunt quòd me, ut Deum, volo adorari. Respondeo ad id respondendum non esse, cùm natura hoc etiam solùm audire abhorreat, quòd non sum Deus, nec homo qui debeat adorari, sed pauper peccator, & pro tali, verbo & opere me gessi, & semper gero, etiam cùm scribo, pauperem me intitulo peccatorem sancti Leti, aut cùm pro me orare facio aliquoties in fine alicucujus Sermonis mei, sive aliàs modicæ Collationis meæ, regulariter dico. *Priéz Dieu pour le povre pecheur.* Si autem de me aliquid boni & justi sentiant, ex gratia Dei certè scio quòd eis provenit, non autem ex meritis meis. Si verò mali invidiâ labefacti, gratiæ Dei invideant, eis indulgeat quæso Dominus. Hiis quoque verbis Archiepiscopus uti sæpè solitus est, ab hominibus petendo. Adorastis idolum sancti Leti.

XXX.

ITEM. *Propter permissiones præfatas quamplurimi incidunt in errorem, quòd ab aliquibus creditur Deus in terris, ab aliis Sanctus, & ab aliis à Deo missus.*

RESpondeo. Quòd æmuli ita iniquè arbitrantur, in Dei & mei opprobrium; non verò boni, qui Deum semper præ occulis habent, & hii non ignorant quòd pauper sum peccator, in monte meo agens pœnitentiam, & utinam dignè.

Et si à Deo in monte indignus missus fuerim sancti Leti, ipse solus judicet qui Moysem in monte discalceatum transmisit Sinaï, ut Legem accipere mereretur suam, populo suo peculiari Israëlitico propalandam.

XXXI.

ITEM. *Contra bonum Charitatis, eleemosynas erogare viris Ecclesiasticis, & Mendicantibus, prædicando prohibuit; & populum ut abstineret animavit.*

RESpondeo. Quòd licèt aliàs in multis sim defectuosus; tamen bonum non vellem perdere Charitatis: & idcircò quamquam contra vitia prædicaverim Ecclesiasticorum, nihilhominùs pluriès subjunxi : plures Prælati sunt mali, nihilhominùs eis obedire propterea non cessetis, aut decimas dare Curatis non desistatis, quousque nuper contra Curatos notoriè concubinarios obstinatè, oppositum prædicavi, & hoc intelligendo, ut superiùs prælibavi.

De Mendicantibus autem pluriès dixi : quanquam plures mali sint, propterea eleemosynas eis elargiri non dimittatis, cum aliqui boni sunt, & boni pro malis perdere non debent, & testes possent ipsimet Mendicantes esse, cùm aliquando regratiati sunt mihi, ex eo quòd sæpiùs hos recommendavi in effectu, pluries dicens. *Bonnes gens faites bien aux povres Mendiants, qui tous les jours vous prachent la parole de Dieu, pour le pourfit de vos ames, & car vous savéz que je ne prends rien. Je reputerai à moy donné le bien que vous leur ferez, & en prieray Dieu de bon cuer pour vous, comme vous me le donnissiez;* & modò istud est primum quod mihi exinde rependunt, cùm istos Articulos cum Domino Remensi Archiepiscopo, pro majori parte, fabricarint.

XXXII. ITEM.

XXXII.

ITEM. *Quòd non vult habere Superiorem, nec alicui subesse.*

REspondeo. Illum volo certè Superiorem habere qui secundùm Deum, & Jura mihi debet esse & non alium : certum est quòd contra Jura nunquam volui venire. Sed Domino Papæ, cujus sum Auditor notorius, & Capellanus, Sanctæque Sedi Apostolicæ, semper volui subesse & alteri non, scilicet Domino Archiepiscopo Remensi. Cùm de Jure, non debeo subjectus esse; licèt me hìc in carceribus Sancti Mauri, contra Deum, & justitiam; de facto detineat, de quo protestor appellare, loco & tempore congruis, & de injuria protestor, quam facere Sanctæ Sedi Apostolicæ non veretur. Et si Notarium, aut testes haberem, ab ipso proculdubio, appellarem. Æmuli autem, propter istum Articulum, de occultis judicare molientes, soli Deo reservatis, imponere mihi non erubescunt quòd in montem Domini, hac de causa solùm transmigrare curavi, ut ad sublimiora proindè temporaliter scanderem. Sed si verum sit, testetur inde Dominus, & Virgo Beata : cùm in bona Fide, in mente mea nusquam illud reposui, etiam usque ad nudum cogitatum, qui solùm pervenire posset ad consensum, quia minimo etiam quocumque Beneficio sentio me indignum : mea autem non reliqui, ut ad aliena anhelarem. Solus ergo denique fuit intentus meus, ut ad pacem Ecclesiæ aspirarem, & alia mundi cuncta temporalia derelinquerem. Unde pro omni præmio in præsenti sæculi naufragio, juro Deo, quod solum vellem reportare, videlicet, quòd pacem hac die cernerem Ecclesiæ, & cras in remissionem scelerum meorum, Missâ meâ dictâ, caput mihi, etiam ignominiosè deberet amputari, & Papa esset, cui gratiam Dominus impertiretur, quemque vellet; dummodò bonus & unicus esset. Ecce totum statum, quem, Deo teste, inde peropto, & hac solùm de causa istud decrevi hìc inserendum, & non ex jactantia, ut linguæ ampliùs non peccent detrahentium.

XXXIII.

ITEM. *Quòd omnibus vult dominari, etiam tàm Jurisdictioni Ecclesiasticæ, quàm temporali ; cùm in suo Sermone protulerit.* Ils m'ont promis par un notable Chevalier, que ils se amanderont, & que ils feront justice, & que les Mendiants precheront verité : mais se ils ne le font, je crieray si hault, que le Ciel & la Terre l'oiront. *Et subjungit populo ibidem existenti.* Et ne ferez plus raubes, rongiès, ne pilliès, & se il en y à aucuns qui le soient, venez à moy, & je y metteray remede.

REspondeo. Quòd alicui in modum Jurisdictionis nolo dominari, quantumcumque modico; sed cùm scivi quòd populus, nec immeritò, ex eo testabatur, quòd ei per Prælatos justitia nulla ministrabatur, sed velut agniculi in macello excoriabatur: Curati eorum, sicut ipsi, sed in Dei opprobrium, uxorabantur : Mendicantes autem veritatem nullam contra vitia prædicabant; sed Prælatos & Curatos in suis, olei venditores, fovebant erroribus, & eis verè adulabantur, juxta adimpletam hodie de ipsis Prophetiam. *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur.* Ps. Hebr. x. Tunc dixi, populum reconfortando: *Bonnes gens reconfortéz vous en Dieu, Ceulx de Reims m'ont promis*, & ita erat in re *par un Chevalier, c'est asseurement le Baillif de Vermandois, par un Docteur, c'est asseurement le Doyen de Reims, & par trois Eschevins, que d'ore en avant, on vous fera Justice : les Curéz seront desmariéz; & les Mendiants pracheront verité*, & nisi faciant illud, addidi. *Deuteronomii*, xxx. 17. Si me non audierint, Cœli & Terra audient verba mea. Et inde adjunxi : si verò non faciant; *Venéz a moy* : cùm libenter illis scribam vos gravantibus. Et ita, per modum non dixi

A superioritatis ; sed veræ Charitatis, & ut populus contra eos ampliùs non inflammaretur, qui vix eorum tyranniam & malam vitam plùs sufferre non poterat : & idcircò rumori ad obviandum populari, Deo teste, præmissa dixi, & non aliter.

Secundò. Quo ad Mendicantes, nullus quæso admiretur, si exasperè ita cupio quòd veritas per eos prædicetur : si enim contra quorumcumque vitia gloriosè decertarent, prout & ipsi tenentur; spero equidem quòd mundus hodie in tali adeò maligna non esset dispositione. Sed quia veritatem contra vitia, in Prædicationibus, & Confessionum auditionibus nequam dissimulant; proptereà in mundo, propter eorum defectus, scelera tolerantur, & non modicâ eorum, quippe gravissimâ culpâ.

Sed quomodò veritatem prædicabunt, ipsi cæteris, Ecclesiæ, non ambigo, sceleratiores ? Veritatem

B quomodò prædicabunt & justitiam, mendaces, & injusti ? Adversùs superbiam quomodò intonabunt, in raubis, cameris depictis, taceis deauratis, equitaturis, & lectis eburneis, cæteris superbiores? Aut quomodò contra avaritiam insurgent, in præda & usura nonnullis nequiores. Sed adversùs luxuriam obmutescunt, propter benignas suas, quas filias suas vocant, quæ eos, & ex causa, nec immeritò, silere faciunt. Audivi nusquam quòd scabiosus contra scabiosos prædicare attentaret, & ita Joanne attestante, *Totus mundus* hodie, propter defectum veritatis, scilicet, & Justitiæ, *in maligno positus est.* 1. Joan. v. 19. Et nunquid adversùs talium vitia adulatorum una cum aliis non debeo insurgere ? ex quo, cum cæteris, præsertim Ecclesiasticis, non mediocriter pa-

C cem impedire moliuntur Ecclesiæ. Ad eorum autem patefaciendum vitam non sanctam, litteram harum in fine responsionum duxi inserendam, quam ante Quadragesimam proximè eis duxi transmittendam, quam satis modicum, unde doleo, effectui manciparunt ; ad quorum propterea, Deo teste, non tendo vindictam, sed ut in eis errorem occidam pariter & horrorem, & Fidem suscitem.

XXXIV.

ITEM. *Etiam Sententias latas à Judicibus, tàm Ecclesiasticis, quàm secularibus, contra aliquas personas criminosas, suis demeritis exigentibus, publicè prædicavit injustas fuisse latas ; ac ipsos condemnatos se scire fore innocen-*

D *tes de illis propter quæ condemnabantur ; quæ tamen sponte per ipsos confessa fuerant : cùm impossibile esset ipsum scire illam negativam.*

REspondeo. Publicè dixi quòd illi qui Guillielmum de Vaulx, Civem Remensem, accusabantur deprædasse, licèt scelus hujusmodi, metu gehennæ, confessi aliqui fuissent ; tamen non fecerant; quamquam falsò, ut credo, condemnati in Curia Remensi inde fuissent : sed certi alii illum Guillielmum deprædaverunt. Patet : quia furtum restitui feci, & illosmet qui furtum commiserant, Dominis Decano Remensi, Priori Sancti Dionysii, & Subpriori vallis Scolarum misi, quibus factum, sicuti mihi, confessi fuerunt ; & sic non apparet quòd

quòd res conficta fuerit, aut per me adinventa, prout asserebant; cùm illi Domini, qui sapientes sunt, veritatem prescrutari potuerunt, sicut & ego. Numquid etenim Deus suscitavit Danielem, ut pseudo Legis Judicum, adversùs Susannam innocentem, revocaret Sententiam. Qui enim benè istud negotium examinaret; Archiepiscopus suam perderet Jurisdictionem. Si verò condemnati illi, mala morte, in carcere illius Archiepiscopi mortui fuerint, ne veritas ulteriùs examinaretur, quam Rex scire volebat, & jam Archiepiscopo proinde scripserat memorato: testetur inde Dominus; nam quòd extincti in carceribus fuerunt, & necati, famâ publicâ saltem laborat.

Ex eo autem, in carceribus Sancti Mauri, adeò jussit tenere me reclusum, & quòd homini ad partem non loquerer, neque scriberem, ut hoc, & sceleris vitæ suæ secreta alia non panderem: cùm per Ballivum sciebat Vermendesii, cui dixeram, quòd multa ex factis suis nefariis non ignorabam. Sed Deus almifica sua ordinatione præambula, in oppositum providit, saltem quòd scriberem, qui longevè nusquam super populum suum regnare voluit ypocritam.

Ejus propterea carceres, nec immeritò, pertimescere debeo, & præsertim si ad ejus deveniret notitiam, quid ego hìc scribo: quando quinque hominum, fallo, ut teneo, carceribus in hiis condemnatorum necem approximare, fama publica referente adeò non veritus est; dequo ipsum aliter non excuso, nec accuso: sed Dei remitto Judicio, qui omnium Judex est. Unde si more illorum quinque, quod absit, hominum hìc moriar, aut aliter ex veneno; protestor quòd, divina disponente gratia, mori intendo ut verus Catholicus, & filius Ecclesiæ, & aliter nullus arbitretur, quamquam celebrare, aut confiteri sæpiùs reclamans, aliquando hìc non valeam.

XXXV.

ITEM. *Publicè prædicavit quòd postquam charitativè monuerat viros Ecclesiasticos, ut se emendarent à peccatis eorum, & in hoc fuerant negligentes; sibi licebat eorum peccata publicè prædicare, ut hoc paratus erat contra omnes sustinere, ac ipsa peccata omnibus specificè, & publicè detegere.*

RESpondeo. Dixi enim quòd ex quo Dominis scripsi Ecclesiasticis, prout per litteras meas constat, quas omnibus Dominis Franciæ humillimè direxi Prælatis, Parisiis, pro pace Ecclesiæ tunc congregatis; quorum contra vitia, quia palpando dulciter, tandem prædicavi, tanquam contra obstinatos, adversùs eorum vitia in genere, poteram prædicare, etiam coram populo, prout & Christus fecit Doctorum eximius, *Mathei* XXIII. Ibi in principio dixit Jesus ad turbas, & in Sermone illo coram populo, vitia Christus detexit Ecclesiasticorum de Synagoga, & Legis Episcoporum, Scribarum, & Pharisæorum, qui nostros repræsentant Episcopos, Doctores, & Curatos, ac etiam Mendicantes, & ibi mirabilia videantur, quæ contra ipsos Christus altisonè prædicavit. Similia autem contra Ecclesiasticos nostros credo me non prædicasse. Licèt secundùm Jura, ut æstimo, potuissem, cùm omnis Christi actio, nostra sit instructio. Utinam & facerent quod debent, & certè necesse non esset eorum vitia tàm enormia detegere, quæ semper filui, plusquam ego potui, & centesimam partem, propter decus Ecclesiæ verè non dixi; cùm, inter ceteros mundi pauperes Presbyteros, decorem diligo Domus Dei, quod tamen Domini plærique non credunt Ecclesiastici, ex quo ita acerbè adversùs eorum vitia prædicavi: sed hoc ad effectum pacis Ecclesiæ feci, & ne ipsi periclitentur unà cum populò Sanctò Dei.

XXXVI.

A ITEM. *Quòd indiscretè prædicavit quòd mulieres ascendebant super viros; in mentibus plurimorum, & plurimarum ingerendo illud quod antea non cogitaverant.*

RESpondeo. Solùm dixi, post quatuor Doctores, vel quinque Sanctos, & alios quos tunc allegavi, quòd ex eo in parte venit diluvium, quia mulieres supergradiebant viros, nihil plùs exprimendo. Et hac de causa, solùm, ego dixi, quòd uxorati in partibus illis palam tenebant, quòd cum eorum uxoribus peccare non poterant. Et Deus scit, si centum mulieribus, aut plùs profuit illud dixisse, & plusquam Sermo quem in Sancto Leto ad hoc credam fortassis fecisse: per Confessiones posteà scivi virorum atque mulierum, qui adhuc deteriora in Matrimonio committere non erubescebant. Sed Dei gratiâ, ut percepi, modò ab illicitis hiis se abstinent. B

XXXVII.

ITEM. *Quòd inter alia verba, faciendo mentionem de Papa, dixit:* Que, par sa conscience, il y perdroit la vie, ou il mettroit hors le Pape. *Et similiter de Rege:* Que se il ne mettoit l'Eglise en union, il étoit faux, traitre, fauteur du schisme, & ainsy lo feroit-il, dedens six sepmanes, prechier.

RESpondeo. Dixi, quòd pro pace Ecclesiæ, morti me exponerem, & utinam dignus essem, vel pacem ipsam aliter haberemus, & quicumque pacem impediebat, vel eam, posse tenùs, non prosequebatur, Deo, Ecclesiæ, & toti mundo proditor erat, & schismatis fautor, etiam si Rex esset Franciæ, & si talis esset, quod absit, ad hoc illud hodie auderem contra ipsum prædicare. C

Sed Deus scit quid tunc ad Regis dixeram gloriam & honorem, quod æmuli subticere non verentur. Dixi enim quòd esset ille miles, prout & adhuc credo quòd est, qui Ecclesiam Dei incarceratam, quam tunc virginem finxi pulcherrimam, à carceribus hiis ejiceret, ipsum invitante Matre mea Parisiensi Universitate. Verum est, pro certo, quòd numquam de Papa illa sommiavi, quæ de facto mihi in Articulo imponuntur.

XXXVIII.

D ITEM. *In Sermonibus suis specificè, & intelligibiliter per verba injuriosa plures personas diffamavit, & populum convenit ad eos invadendum, & eis resistendum in Justitiæ executionem.*

RESpondeo. In Sermonibus meis nullos diffamavi; sed vitia eorum notoria obstinantes diffamant, adhuc asserentes, quòd, in despectu mei, graviora contra populum committerent: & ita veritas prædicata commotionem non facit populi, sed eorum rebellio, & obstinata iniquitas. Testis enim sit mihi Deus, quòd

quod nunquam rebellionem populi quæsivi, sed ei semper, posse tenùs, obstiti, quantùm ego potui. Unde pluries dixi contra jaquerias, & populi congregationes illicitas, quòd si in uno loco centum essent millia populorum congregati, quòd ego eos solus, cum vexillo sanctæ Crucis, benè auderem debellare: & ibi in quodam Sermone, ubi hoc dixi, precipuè fuerunt, Dominus Præsidens, Dominus Guilliel- A mus de Scenonis, & Dominus Joannes Chanteprime, unus ex Dominis Parlamenti: populoque palam tunc, & pluries dixi, in convenientia quam inde habuerunt filii Israël, adversùs Dominum & Moysem murmurantes, & quæ omni die ex rebellionibus accidere poterant: & tunc pluries quàm aliter subdidi: si à Magnatibus gravemini, peccatis vestris ascribere non vereamini; cùm Deus *Regnare* sæpiùs *facit ypocritam propter peccata populi*, Job. 34. 30. & Isydoro teltante: *Quando Princeps est bonus, muneris est Dei: quando verò malus est, sceleris est populi.*

Ideo autem credo quòd hodie vivat homo qui minus jaquerias, juxta modulum meum, odiat, quàm ego; quin immò contra tales indebitè se rebellantes mori optarem, tanquam pro Fide, & Deus scit si pluries hoc in plurimis affirmavi Semonibus, de quo testis est omnis populus.

Verum est tamen quòd semel ego dixi, & plùs comminando, quàm verè in corde meo gestando. B Si ampliùs sic tyrannicè ab Ecclesia fatigemini, die Dominicâ proximâ, prædicare audebo ea quæ sequuntur: videlicet, quòd si Prælati vos ampliùs faciant citari, aut Officiales, quòd non compareatis: si ad vos Clientes mittant, aut Apparitores, ostia vestra quòd claudatis; & si, per vim illa frangant, plures estis quàm ipsi sunt, vosmetipsi scitis quod agere habeatis. Sed certum est quòd, illa Dominicâ, de qua promiseram hæc dicere, de hoc non prædicavi, nec prædicasse vellem; sed hoc solùm in comminationem dixi, & ut cessare inde facerem Ecclesiæ, quæ tunc contra populum vigebat, nefandam tyranniam, ut populus inde placaretur, contra Ecclesiasticos Judices mirabiliter motus.

Illa autem ratione, verba hæc comminatoria, de futuro, & non dispositiva dixi: cùm nuper antea prædicaveram quòd Presbyterorum notoriè concubinariorum Missæ non debebant audiri, & si audirent C quòd peccarent. Et quia populus ad Missas talium, secundùm Jura, non ibat, nec ire debebat, Officiales Sigilliferi, & Promotores Curiæ, præsertim Remensis 20. 30. 40; & quandoque 60. de una sola villa citari faciebant; & ita Gallicè *Le povre peuple*, contra Deum, & justitiam, *ranſonnoient & mangoient*. Et pro tanto, pietate tunc motus, Regi super hoc amplè scripsi; & illa verba comminatoria de futuro illo tunc si protuli, ut illi Officiarii à populi cessarent vexatione pernimia; cùm sentiebam populum peccare, si in hoc casu Prælato suo obediret, cùm Missas talium audiendo peccaret. Et ita, pro firmo, rectâ, verba illa de futuro, dixi intentione, & non animo populum commovendi; sed animo ut à rebellatione procul cessaret, eum sic reconfortando.

XXXIX.

ITEM. *Quòd in Prædicationibus suis dixit, & publicè prædicavit, quamplurima crimina abundare in personis; dicta crimina specificando, & adeò indistinctè, quòd quamplurimi per se percipiebant & de qua persona, vel de quibus personis loquebatur.*

RESpondeo. Contra vitia, in genere, semper locutus sum. Sed si aliquis scabiosus fuerit, & caputium suum amoverit; tunc scabiosum se detexit: omnia quæcumque dicebam, Archiepiscopus, gentesque suæ, pro se recipiebant, quia forsitan, præ aliis, magis erant scabiosi. Si de Caïpha locutus fui, pseudo Legis Pontifice, Archiepiscopus pro se recipiebat, suis inquiens coëtaneis, quòd ipsum Caïpham vocitabam. Idem de Juda, Pilato, & Herode pro se intellexerunt gentes suæ. Unde:

Conscius ipse sibi, de se putat omnia dici.

Et si ad viam veritatis ipsos concupivi reducere, palam nonnulli dixerunt quòd, mei in despectu, deteriora contra populum committerent. In effectu, Archiepiscopus, & Clerus Remensis, qui simile in diversis litigiis involvebantur, illa de causa omnes insurrexerunt in me, & ita facti sunt amici Herodes, & Pilatus.

XL.

ITEM. *Quòd discordias, lites, & dissentiones imponit, & seminat inter homines, prædicando de singularibus, videlicèt de Grenetario Domini nostri Regis; ejus servitoribus, ac Promotoribus Remensibus, eorum nomina, & cognomina exprimendo, & quòd de sanguine pauperum vivebant, & locupletabantur, tamen falsò; populum incitando, si voluisset, per ejus Prædicationes, ut in dictos Grenetarium, & servientes, ac Promotores insurgerent.*

RESpondeo. In genere locutus fui contra Grenetarios, Præpositos, Promotores, Clientes, Apparitores, & similes in Curiis, populi comestores, qui de sanguine pauperum, & Deus scit quid inde scio, miserè locupletabantur: magnos curserios, & palefredos inde equitant, & raubas habent Baronibus non dissimiles, uxoresque eorum vestes quasi regiales, & super capita earum coronas aureas deferunt gemmatas, unde pauper populus fame quasi inde periclitatur.

Per hoc autem populum non incitabam ad rebellionem, & nunquam Deus det mihi tantam vitam. Sed contra illos prædicabam, ut à populi cessarent comestione, & ut populus inde cessaret à rebellione. Cùm *Qui nimis emungit, sanguinem elicit.* Prov. xxx. 33. Tales etenim populum semper cupiunt devorare, & pati non possunt quòd veritas eis prædicetur. De hiis autem omnibus Rex nihil scit, cùm hucusque juvenis nimis extitit. Unde credo quòd si sciret, prout ego scio, quòd non pateretur quòd populus suus per tales antropophagos ita devoraretur: quòd verè in utroque statu lamentabile est audire. Deus enim sua pietate celeriter dignetur providere. Amen.

Et si ab æmulis allegetur quòd ab hiis, etiam quamquam vera sint, debuissem abstinuisse, ne tumultus fieret in populo; juxta illum versiculum.

Est veritas vitæ, doctrinæ, justitiæque.
Primum semper habe; duo propter scandala linquam.

Ad hoc autem multifariè respondeo.

Primò etenim, de populo non dubitabam, quòd D ejus non ignorabam bonitatem, ut inferiùs declarabo.

Secundò autem, Doctores sanctos habebam, dicentes quòd pro quocumque scandalo veritas in Prædicatione non est obmittenda. Sicut enim sanctus Thomas, Parte 3. Quæst. 44. Art. 6. quòd *veritas est prædicanda, scandalo quocumque non obstante*, & probat quia *salus multitudinis, paci præferenda est quorumcunque*, & fortiùs, secundùm me, tyrannorum; illud in medium Christi, *Mathei* xv. 12. allegantis, qui cùm à suis audivisset Discipulis. *Domine numquid nosti quòd hoc tuo audito sermone Pharisæi, scandalisati sunt?*

sunt? quibus Dominus respondit: *Sinite illos* loqui, cùm *cæci sunt, & duces cæcorum.* Et ad propositum Sanctus Bernardus, in quodam Sermone Sancti Joannis Baptistæ, ait: *Dum etenim Magnatum carpuntur vitia, & inde scandalum exoritur, væ autem illis qui committunt, quia scandali causa sunt, non verò hi qui arguunt.*

Tertiò. Denique periculum, & necessitas, in quibus, peccatis nostris exigentibus, proh dolor! modò sumus, contra vitia altisonè adeò coëgerunt me exclamare. Tria regulariter quemcumque hominem cogunt vociferare; latrones, aqua, & ignis. Numquid in periculo sumus latronum quotidie in præsenti schismate, Domino dicente; Matth. XXI. 13. *Domus mea; Domus* solebat esse *orationis*, modo autem facta est spelunca latronum. Et numquid in præsenti naufragio, in diluvio sumus aquarum multarum? Sed quis periculum igitur ignis evadet, vindictæ scilicet Dei, nisi contra vitia altisonè vociferemus ad Dominum. Et quia tribus in hiis periculis scio nos esse, idcircò veritatis necessitas adversùs vitia arctavit me exclamare. Et quis ergo silere debet tanta in temporis egestate?

XLI.

ITEM. *Quòd Jurisdictiones & Jura, in quantum in se est, nititur facere contemni & vilipendi, & annullari, prædicando quòd decimæ viris Ecclesiasticis non solvantur, immò quòd eorum debita retrahantur. Prædicando etiam quòd populares non possunt excommunicari, & quòd si aliquibus Authoritatibus Curiarum Ecclesiasticarum excommunicentur, pro quacumque offensa, ipsum adirent, & eos absolveret ab hujusmodi excommunicationis Sententia, aut saltim declararet ipsos Absolutione non egere.*

RESpondeo. De decimis supra respondi: sed de excommunicationibus dixi, quòd populus non poterat nec debebat excommunicari, nisi juxta formam. Can. *Cùm medicinalis.* & Can. *Romana Ecclesia. De Sententia excommunicationis.* Lib. 6. videlicèt quòd *Officialis manu propria, monitione præmissa Canonica, in scriptis, aliquem excommunicet.* &c. Et si aliter contra Jura quempiam Officiales excommunicarent, & ad me aliqui accederent, illos denuntiarem non ligatos. Deus scit quantum remedium circa istud in Ecclesia Dei hodie esset apportandum; cùm Promotores uxorati, Apparitores, & Notarii, pauperem hodie populum, Officiali inscio, excommunicant, & ipsum excommunicatum denuntiant, licèt reverà non sit. Sub cœlo major non viget tyrannia, quàm hodie in nonnullis Curiis Ecclesiasticis, & præcipuè in Remensi; nec credo majorem, tempore Pharaonis viguisse tyranniam, & quando locus aderit, casus ultra subsequentes exprimam particulares, qui verè sunt infiniti.

XLII.

ITEM. *Publicè prædicavit quòd omnia mala quæ in hoc mundo eveniebant, evenerant per gentes Ecclesiasticas.*

RESpondeo. Non recordor me sic dixisse: sed si dixi, à veritate non multùm deviavi, de malis Ecclesiasticis semper intelligendo. Cum à pseudo Legis Sacerdotibus egressa est pollutio super omnem terram. De Synagogistis patet; quia Synagogam funditùs destruxerunt, & de nostris liquet Ecclesiasticis, in schismatibus, & aliis plagis quotidianis innumerabilibus, quæ per eos, Ecclesiæ præsertim, contigerunt. Unde credo quòd pejor est malus Ecclesiasticus in gradu suo, quando ad malum disponit se agendum, quàm quicumque alius secularis, ceteris aliter etiam paribus.

Nullus enim ignorare debet, quòd si Ecclesiastici essent boni, quin totus mundus, per consequens, A esset bonus; cùm dicat Decretalis nostra, quòd *Quidquid fit à Prælatis, à subditis faciliter trahitur in exemplum.* Et alibi Decretum: *Delictum inferiorum ad culpam pertinet Prælatorum.* Certum est, quòd mundum, in spiritualibus quæ præferenda sunt, regunt universum, & si malè, experientia docente, ad culpam igitur pertinet ipsorum.

XLIII.

ITEM. *Publicè prædicavit quòd Clerus erat malus & incorrigibilis, & quòd non reperiebatur quòd unquam se correxit, nisi per scandalum: & cum securi, populum incitando, ad invadendum Clerum.*

B

RESpondeo. Dixi quòd Clerus sæpiùs est incorrigibilis, & patet per Synagogistas, & schismata quæ fuerunt, credo 22. Et non apparet quòd unquam, per expressum, per Ecclesiasticos aliquod schisma sedatum fuerit; sed permittunt se sæpiùs destrui, quàm corrigantur. Verum est quòd horum aliqua in Articulo descripta, Scabinis scripsi Remensibus, sed solùm ad effectum eis scripsi, quòd se ipsos corrigerent, & Clero ita facere supplicarent: & ipsis non scripsi, tanquam populo; sed tanquam civitatis Judicibus, qui charitativè ipsum Clerum monerent, ad faciendum illa in litteris meis Cleri contenta, quibus copiam dirigebam, ad obviandum quòd populus contra eos non insurgeret, in casu, cùm aliàs ita malus esset; quod tamen, Dei gratiâ, verum non est, nec reperietur; &, Deo teste, illa sola erat intentio mea, & semper est, quotiescunque contra vitia prædicavi, ac scripsi; cùm solùm C hominum quæro conversionem, ad effectum pacis Ecclesiæ consequendum, & nullam cujuspiam unquam quæsivi destructionem: nec aliquis in mente sua gerat quòd Cleri unquam vellem destructionem, cùm, si pateretur, primus vellem esse qui ejus persecutioni obsisteret pro posse.

De securi autem in Articulo descripto, pro certò nunquam protuli, aut scripsi verbum. Illi autem hanc qui imponere mihi non verentur rabiem, attendant si in populo unquam gravem fecerunt commotionem. Cunctis enim, in Remensi civitate, notum est quòd Dominus Guido de Roya, Archiepiscopus modernus, cujus nomen, & cognomen reor hic non silendum, ut ceteris, pro tempore Archiepiscopis, quorum nomina subticentur, graviora tam facinora non adscribantur; post cujus denique D adventum minatum contra burgenses fecit convocare populum, eis demonstrans quomodò ipsi eos devorabant &c. Unde si ita benè in Flandria hoc egisset, burgenses capitibus suis securi non fuissent.

Verùm, quia idem Archiepiscopus sciebat quòd aliter cum Dominis secularibus involvere me non poterat; gentes suæ, omni die, cum amicis Sancti Leti rebellionem quærebant; eos palam *Jaqueries de Saint Lye*, nominantes: & quando viderunt quòd ad rebellionem, ex eorum bonitate, Dei gratiâ, se non præparabant; inter se ordinarunt aliquos extrinsecos facere incarcerari, cùm ad Sermones sancti Leti, aliqua die, proficiscerentur. Et si adhuc, per illum modum, rebellio non fieret, aliter, per ignotos, in pleno Sermone, rebellionem omninò inter se

se fieri decreverant, & ista sunt, luce clariùs, in partibus illis notissima.

Æstiment ergo, amici Dei, in cujus manibus venditus, & traditus sum, qui videntes rebellionem in populo aliter posse non fieri, ut in manibus Dominorum me traderent secularium; eam falsò adinvenerunt, Regi perperàm asserentes: Ecce, Domine, iniquum vobis tradimus Hipocritam, turbas seducentem, & commoventem populum vestrum; in carceribus enim nostris omninò mancipetur, ut ultra non prædicet; sed in terra memoria ejus, in æternum, & in sæculum sæculi, deleatur: & quia veritatem adversùs status Dominorum prædicare non erubuit, certè dignus est mori. In carceribus ergo moriatur, & ultra in justitia sua non audiatur, palam, nec occultè; sed Regi modò omnes clamitemus. Domine, crucifige eum, crucifige. Sed utinam Rex non clàm, sed palàm me audiat, ut veraciter tandem dicat, quid enim mali fecit pauper iste. Unde in Domino confido, quòd si me palàm Rex audierit, lætus breviter dicam cum Psalmista, Ps. xxvi. 12. *Insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi*, & ad montem meum Sancti Leti remittet me lætabundum.

Præmissis denique pensatis, quibus consideret sanæ mentis populi bonitatem, qui ad rebellionem, quacumque via mundi, flecti non potuit; in partibus illis infiniti solebant esse excommunicati, & modò pauci sunt, gratiâ Dei, & non Archiepiscopali. Cùm licèt suis satisfecissent creditoribus, attamen manus evadere ipsius vix potuerunt, tyrannorumque Curiæ suæ.

Vix autem in Anno solùm, ad Eucharistiæ Communionem sacram solebat populus accedere, & quater in Anno, de præsenti, eam suscipere, pro majori parte, gratiâ Dei non pigritatur. Et si solebant esse in populo multi usurarii: usuras profectò pauperibus restituere, gratiâ Altissimi, modo non verentur.

Audivi etenim quòd multi sunt Anni quòd populus, in Regno præsertim Franciæ, non fuit ita bonus, sicut modò est, laus Altissimo, quæcumque gravis sarcina super humeros ipsius imponatur.

Si verò rebellio, quod absit, fieret popularis. Ego primus, posse tenùs essem, qui verbo, & facto utique se opponeret: nec de toto audivi tempore quo in Sancto Leto, divinâ mihi favente gratiâ, degi, rebellionem unius, etiam duntaxat solius hominis, nec, Deo suffragante, me existente, fuisset unquam audita: & pro tanto tales, pro certo, rebelliones, mihi non debent impingi, cùm adversùs illas paratus essem mori, si casus se offerret. Sed illas falsò, Archiepiscopus, sui salvâ gratiâ, fabricare non metuit, ut in muscipula hac me caperet Sancti Mauri. Sed postremo dubito, quòd foveam paravit, & in eam incidet, justo Dei Judicio.

Magnum ergo peccatum profectò committunt, qui populo, aut mihi rebellionem imponunt. Sed illud pro tanto Archiepiscopus adinvenit, quia proverbialiter dicitur: *Que toujours songe trannye bran*, tanquam nihil quærens, nisi rebellionem. Et hac præcipuè de causâ, ut reor, duci me fecit eadem horâ captionis meæ in Sancto Leto, ad Castrum suum Portæ Martis, per Ballivum Vermendesii consanguineum suum, ut populum Remensem ad rebellionem provocaret, qui fortassis, sua benignitate, ex captione mea turbatus fuit.

Si enim graculus, philomena, aut avis alia, sive Caroli, Rolandi, aut Oliveri gestorum ipsorum cantor, in illo monte tantùm psallissent, quantùm verbum Domini populo, indignus, cecini, ita ignominiosè, sicuti ego, & absque causæ cognitione, cum gentibus armorum ducti fuissent; non æstimo quin populo displicuisset. Et si, suâ gratiâ, de Christiano peccatore pauperrimo pietatem tunc habuit, sanæ mentis nemo debet admirari. Cùm & de uno cane, casu in consimili, compassionem habuissem. Unde, si supra muros Remenses, cùm in illud Castrum ignominiosè, ad majorem mei confusionem, & opprobrium, sic ducebar, populus aliquis Remensis ascendit, ad rebellionem eidem non debet imputari: sed ad veram compassionem quam de me, eorum bonitate, & non meis meritis, habebant: etiam & quia videbant quòd ad Regem pro me mandantem non ducebar, cùm non esset iter, sed totum potiùs oppositum, sed ad adversarium Dei & capitalem meum inimicum, pro tantò pauper populus magis, ac magis desolabatur.

Si autem Archiepiscopo à natura oriatur quòd populares odio habeat, hoc cuidam heremitæ satis expressit, terrigenæ suæ, per quatuor aut quinque dies ante captionem meam, Fratri Joanni nuncupato: tunc se jactando quòd Pater suus in sanguine se balneaverat rusticorum, sic eos vocando, & quòd vineæ isto erant Anno pulchræ, postquæ verba vix se retraxit, volens innuere, ut ille affirmabat, quòd hoc Anno per eum materia parabatur rebellionis, quodque idem faceret, sicuti & Pater. Cui Deus nunquam tantam inde conferat vitam.

Si verò etiam à natura odio populum non haberet; & ejus rebellionem, per consequens, non quæreret. Ad hoc propè se, ferè propinquiorem satis habet hominem, *Robinetum*, aliter *Tailletoupin*, publicè nuncupatum, nihil agentem nisi per eum, qui sibi satis rebellionem, & minis incapitare dignoscitur: de quo, *Tailletoupin*, scribitur veraciter.

Insequitur leviter filius Patris iter.

Cujus si, pro rebellione, Pater caput perdiderit, forum publicum proinde testetur Ambianense.

Clerum certè, & Nobilitatem à juventute, Deo teste, semper dilexi. Cùm scio quòd per eos universus regi debet mundus, & si populum etiam diligam, nullus inde admiretur, cùm ex populo sum satis infimus, Clero consortio indignus aggregatus. Odio solùm habeo peccata omnium, & pro certo non aliquem ipsorum statum. Et propterea sanæ mentis nullus mihi imputet rebellionem: nam si illam diligerem, populi, cujus diligere teneor salutem, profectò quærerem destructionem, cùm aliter, & prout sæpissimè prædicavi, populi legi nusquam destructionem, nisi per propriam inordinatam rebellionem.

XLIV.

ITEM. *Quòd populum incitando ad invasionem, publicè in Sermonibus suis dicebat de Domino Archiepiscopo Remensi, & aliis Prælatis, Officialibus, & Promotoribus, ac aliis Officiariis, quòd erant lupi plebem devorantes. Dicendo: clametis contra eos mecum, Gallicè*, au loup au loup, *& tunc incipiebant clamare.* Hahay, aus leus mes bones gens, aus leus.

RESpondeo. Verum est quòd contra lupos clamavi oves pauperes errabundas devorantes, sed de lupis Archiepiscopi, aut alterius, nunquam specificè locutus sum; tamen non credò quòd in nemoribus suis sint rapaciores. Etiam contra falcones, graculos, Gallicè *Gays*, vulpes, canes, leones & cætera animalia, sæpius prædicavi, propterea non sequitur quòd contra falcones, lupos, aut graculos prædicaverim Archiepiscopi &c. sed si ad se attraxerint, innuunt verè quòd tales sunt. In Sermonibus autem regulariter, *qui est tigneus, il ne doit pas oster son chaperon*, & pro firmo, ut eis fieret rebellio, hoc non prædicavi. Sed solùm, ut à comestione pau-

pauperum ovium lupus quicumque rabidus se abstineret; & tunc in signum hoc, prædicavi quomodò lupi in luperia debent capi regulariter : *Quant en crie aux loups, aus loups, ils s'enfuient, & ainsy ils lessent leur proie*, & utinam tales lupi, propter clamores meos, à civitatibus & bonis villis fugerent, & juridicè fugarentur, cùm in mundo similis non est, ut credo, rapacitas quàm in civitate & Diœcesi Remensi. Ibi Curia dici non potest Ecclesiastica, sed infernus, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. A

Clarissimè autem patet, cùm infra duos aut tres annos, quòd pauper Notarii clericulus in ista, ex sanguine pauperum, dives efficitur trecentorum, aut quadringentorum francorum : unde & lupi medii, si per tres, aut quatuor annos ibidem steterint, emere non pavescunt hospitia 700. aut 900. francorum, & turres nihilominùs facere in Babylonia.

Sed si filias suas dotare audeant de 2000. aut 3000. de hoc inquirite. Etiam & in una nocte, ad taxillos 300. aut 400. francos ludere non verentur; & si ex sanguine pauperum hoc largiter expendant, æstimate; cùm alios reditus non habent. Unde magna pietas est, hoc Papæ in Ecclesia jure dico,* aut Regi tantum discrimen in Regno suo de facto sufferre. Æstimate igitur quantam prædam in ea magnus ejusdem accumulat lupus, gregem non pascens Domini, cum suis lupellis, qui ovium excoriatores sunt, & non inclyti. B

Famâ enim publicâ laborat, quòd quidam carpentarius Clericus, pro duodecim coronis hominem occidit, quas ille infernus supra dictus vorax habuit; quia ibi purgationem suam talem, qualem, & non sanctam, neque Canonicam fecit, qui talis nempe fuit, quòd testes tales, quales, examinati fuerunt, qui de homicidio prorsùs nihil sciverunt; & ita taliter, qualiter fuit, sed malè purgatus, quòd bonus homo pro 12. Coronis fuit reputatus. *Il me semble ver, que ce fut trop bon marchier de tuer cher.*

Unde ex hoc vehementer dubito, & ideò libenter huic, si possem, periculo vellem obviare, quòd ad hoc tempus videbimus, & fortassis in illo clam jam sumus, quòd in Curia illa, aut alibi Ecclesiastica, ante casum mercabatur quanto pro pretio homo occidetur. Heu me, utinam moriar, antequam illud tempus palam iniquum cernere oculis propriis demerear!

Dudùm ceterùm in sancto Leto quædam pauperrima mulier, propter macerias Remenses pro consilio C habendo ad me accessit, cujus duo Clerici filium majorem natu, occiderant : sed quia homicidæ illi notorii, pecunia maxima intercedente, in illa voragine, non verè Curia, tamen Remensi, illa mediante, non cœlica purgatione, pacem suam obtinuerant, tristem minati fuerunt illam mulierem, de alium, pro eodem pretio, suum occidendo liberum, si pacem cum eis ad voluntatem non componeret.

Consilium autem sibi, pro certo, dare nescivi. Si justitiam filii sui eidem consuluissem quòd dissimulasset, & pecuniam, prout homicidæ volebant, inde accepisset; contra justitiam, mea remordente conscientia, militassem. Si verò sibi dixissem quòd justitiam suam prosecuta fuisset, certitudinaliter præsertim cùm egena foret, in hoc orbe ubi scientiam D illam non reperisset, & ita, à me recessit vacua, cum eidem quid consulerem pro certo nescivi.

Idem verò de aliis ibidem fit ita homicidis, aut furibus symbolum habentibus, quorum non est numerus, & plusquam quotidiè ita observatur, à quibus verò capiunt usque ad paleam loci, & absque misericordia quidquid rapere possunt, & ita subitò prædivites sunt, quia de alieno unà cum suo ponere non erubescunt.

Cuicumque verò, Jure, vel injuria, crimen ibi aliquod imponatur, subitò aliud carmen eidem non psallitur, nisi *tantost en prison, en prison*, qui antequam exeat, etiam quantumcumque innocens existat, *Il convient qu'il soit ransonné, comme en un bois plain de larrons.* Et si hominem habent odio, hac sola de causa, ipsum in carceribus diutiùs tenere non verebuntur mancipatum, quin immò aliis verbis ferè non utuntur. *Se non, mettez ce truant en prison*, si quicumque innocens dicat, vel se deffendat.

Primum autem verbum quod illius inferni Officialis scit proferre, est, *Amendes, Amendes.* Et quanquam pauper respondeat : Domine durus est mihi hic sermo, ego enim nihil ferè feci. Herodiani ibi assistentes mox altisonè vociferabunt; vis tu contra Dominum litigare qui potens est opere & sermone? Absit autem, opportet opportet *que tu amendes*, & ita ovis innocens jure ibidem usque ad sanguinem tonditur, vel injuriâ; laïca sit, sive Ecclesiastica.

Æstimate igitur, si hoc, & similia, in genere saltim, adversùs tales populi comestores debuerim prædicare, cùm de facto sciverim omnia ita se habere. Certè nedùm prædicare debebam; sed me adhoc proinde excoriari fecisse debuissem, si talis qualis esse debebam extitissem. Ad pauca igitur aspicientes, de facili sillogisantur, sed non pigeat audire & reliqua, quæ in hac Curia, & non sancta, committuntur.

Pro duobus enim albis, si quisquam ibi citetur, aut pro tribus; ad quinque statim solidos, aut plus pauper ille vexabitur, cùm laqueum venantium, jure, vel injuriâ, absque pluma evadere nequibit incolumis.

Per villas autem & itinera canes, etiam equestres, habitu quandoque & aliis dissimiles, ob hoc tenent venaticos, ad seminandum verbum Dei non pastos, sed prædam quærentes, & non animas, tanquam leones rugientes circuientes, & sæpiùs adinvenientes quem devorent. Nuptiarum varia quæ sunt spiritualia, pretio appretiato, ibi venundantur, & illa quæ pro. 8. denariis, vel circa, nuper habebantur, modò ad summam ascendunt viginti francorum & ultra.

Nullus verò inde admiretur : cùm Tonsuram à Domino Joanne de Craon bonæ memoriæ homine, habui, septem, octo, vel decem albos duntaxat persolvi : sed modò passim ibi corona venditur coronâ aureâ. Unde proverbium juxta illud insurrexit. *Comme que qui n'ara une couronne, il n'ara point de couronne.* Nisi autem aliquis murum se opponat pro domo Israël, ad contradicendum, dubito ne ista breviter ascendant ad summam usque infinitam.

Si denique alia spiritualia, Ordines, & Ecclesiastica officia, passim mihi, absque rubore venumdantur, ne membranam hanc diutiùs occupem; hoc famæ relinquo notoriæ, de quibus testis est omnis populus.

Licentiæ autem Curatorum non residendi, & Capellanorum in Curiis commorandi, vix non est dici, ad quatuor solùm, vel quinque solidos, solebant ascendere : sed 20. aut 25. solidos modò non erubescunt petere, sed illos omninò opportet solvere, quia non reperitur qui proinde audeat litigare. Unde non curant, etiam si indigni ad regimen assumantur animarum, dummodò bursam suam adimpleant, quòd duntaxat appetere dinoscuntur, &, Deus scit, quales ibi vitæ execrabilis præficiuntur qui vix sciunt legere, & sæpiùs sunt apostatæ, & fortè aliquoties non Presbyteri, sicuti casum jam nuper reperi. Scio enim quòd quidquid Sacerdotes habere possunt & Clerici, totum pervertitur in inferno illo Domini, qui deglutire, nisi Deus sua pietate se opponat, cuncta non veretur.

Audeo affirmare quòd si de talibus tyrannis nequam, à viris Justis fieret informatio, quòd casus infiniti alii sceleratiores ducenti & plus etiam in

* Locus corruptus.

spem, reperirentur, dummodò coram illis populus se auderet plangere, quod lamentabile, horrores tales in Dei Ecclesia, diebus in nostris, est obaudire, cùm in summa ibidem nulla regnat justitia.

Cujusque illecebrosa avaritia nunc lacescente, Archiepiscopus contentus non est quod sit, sed Archidiaconus major Remensis nihilominùs vult esse, ut solus absque societate rapaciorem valeat tyranniam exercere. Et si illius rei gratiâ à tempore fortassis quo non est memoria, plusquam animas visitaverit; illis credatur deprædatis, qui in manibus fuerunt excoriatorum, unde si quisquam in hiis excommunicatus repertus fuit, opportuit quòd se absolutum ostenderit, aut suam rursus vexationem redemerit, etiam etsi ostenderit.

Sed si præsens Remensis Archidiaconatus ad manus suas aliquando, cùm vacat, devenerit, Dominus Burgundiæ qui Comes est Retellentium, ubi Archidiaconatus ille scituatur, novit quomodò illa prima vacatione durante, sicut stipula feni retellata extitit.

Archiepiscopus est, & Archidiaconus major, & quandoque minor, sed adhuc non contentatur, nisi Sancti Ægidii fuerit Prior. Sed quomodò ibi Monachorum spiritualitas regatur, & ædificia reparantur, à Monachis posco quòd sciatur.

Nimirùm autem si in hiis malè se regat; cùm in Episcopatibus, & Archiepiscopatibus quinque, vel sex, numero, in quibus hactenùs præfuit, deteriora adhuc commisit: quæ omnia propter Deum & decus Ecclesiæ, ac prolixitatem solùm omitto; cùm Liber ad ea specificè declaranda major non sufficeret, quàm hodiè nostra sit Biblia; cujus in eis gestorum, Clerus, & populus tyrannicè deprædati, testes sunt universi: evidentia etenim patrati in eis per eum sceleris, clamore non eget accusatoris.

Quid vero in primo tamen egit Episcopatu, prope villam, ex qua natus sum, Verdumense nuncupato, unum autem ex infinitis duntaxat excerpsi, silentio, ut arbitror, non præteriendum. Nam propter avaritiam ejus insatiabilem, ex eo quod homines cujusdam Castri Episcopatus, Gallicè dicti *Charny*, se ad votum suum ransonnare, aliter, vexationem suam redimere eum non sinebant: illicò, suo more, quosdam ex hiis in carceribus mancipare festinabat: alios verò in Gresillonno poni faciebat, & reliquorum autem dentes cum tenailla, fama publica referente, aliter non assero, extrahi jubebat.

Sed cùm populus Castri memorati illius, odibilem ampliùs sufferre non posset tyranniam, tyranno alteri non minimo se reddidit, Petro videlicet de Barro, cui Castrum liberavit; cùm, aliter, diabolo infernali fortassis citiùs se reddidisset.

Verùm quia castrum illud notabile erat, & fortissimum, turribus fossatis, & aquâ Mosæ circumvallatum, & non modicè; tyrannus ille secundus suam exercere contra Dominos & populum Provinciæ inhumaniter non veritus est: quamobrem adversùs illum Domini Provinciæ, & populares se erigentes, coacti extiterunt ante Castrum illud obsidionem exponere, ex qua non recesserunt, quousque illud funditùs evulserunt. Unde lapis in illo non remansit super lapidem, quod dolorosum est audire. Si ergo iste Dominus Guido de Roya, tunc Verdumensis Episcopus, originaliter causam edicto destructionis hujusmodi præbuerit, nobilis adeò jocalis Ecclesiæ, hoc universi judicent fines terræ. Et si in pari sit periculo destructionis, propter scelera sua, & non modica, ut auditis, gloriosa Dei civitas Remensis, nisi Deus ejusdem misereatur, novit ipse cui nihil est absconditum, & verè non ignorat ille qui ampliora calamo, de præsenti, non vult committere.

Sed si in hac materia aliud salubre, post auxilium Dei implorandum, non gestirem dare in patulo consilium, nisi quòd de Jure, per Papam; aut de Facto, per Regem, adversùs ejus tyranniam celeri foret remedio providendum. Si verò aliis sit vitiis interioribus irretitus, aut gentes suæ, propter quas civitas tam illustris, nisi Deus ejusdem misereatur, in periculo sit destructionis, hoc inde judicet Dominus, qui cordium solus est perscrutator.

Unum autem, inter cetera ejus notoria vitia, A silentio arbitror non prætereundùm, cùm contra Apostoli doctrinam, litigiis satiatus fuit nusquam. In quacumque enim Ecclesia, in qua utinam benè unquam, præfuerit, contra Capitula sua, Abbades, Conventus &c. etiam contra seculares litigia movere inaudita non erubuit, si quisquam debuit, etiam si justa inde privilegia quia sibi ostenderentur, aut consuetudines legitimæ præscriptæ allegarentur, solvere semper recusavit, sed ab illis & indebita crudeliter exigere non expavit ab Abbatibus, hoc scio, & illis præfatis quorum redditus, piscarias & nemora, adhuc hodie tollere secundùm eos, sive occupare, non erubescit.

Contra quos autem sic litigare, & eos proinde depauperare contentus non fuit, sed ad mojora duo litigia illicò prorumpit. Papam enim primò pro fruB ctibus primæ Annatæ Parochialium Ecclesiarum vacantium ad se, ut asserit, spectantium, ad Regni Parlamentum, contra omnem Justitiam & subjectionem debitam Apostolicam trahere non veritus est. Sed Regia coram Majestate Deum postremò, idest in pauperibus membris; servisque indignis denuò non minùs attentare præsumpsit. Christus enim nunquid ait? Matth. xxv. 40. *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Noverit ipse pro tanto in summa, quòd velut reor, præsens litigium erit sibi finale, & exterminium, cùm *Contra Deum non est consilium, neque sapientia*. Prov. xxI. 30.

Audivi enim de Papa, propterea, cujus vidi litteras ad Archiepiscopum nuper directas, satis rigorosas, quòd justo eum, ob causam illam, & alias injurias, Dei judicio deposuisset, si unicus in Dei Ecclesia extitisset. Sed sibi propter secundum præsens litigium, de Summo Papa in cœlo unico, in terra præcaveat, quod eum justè non deponat: cùm C justus Judex est, à cujus non licet provocare Sententia, qui nulla novit mala remanere impunita.

Horùm autem aliqua, & multa alia, Archiepiscopo præfato, gentibusque suis, per nuntios sæpius, & litteras suspirans indicavi: & quia suam temperare recusarunt tyranniam; in Sermonibus meis, neminem tamen nominando, Ecclesiæ, in genere, nuntiavi.

Et modò Papæ, Regique Franciæ in scriptis hiis in spem, nuntiare decrevi. Deo enim teste, non quia mei est persecutor, sed quia Legem Dei mei ulteriùs non valeo pro morte dissimulare: quamquam etiam in carceribus ejus mancipatus, ubi vix hoc ad scribendum video existam, beatissimi Patrini mei sacri Baptistæ Joannis exemplo, qui licèt in carceribus existeret Herodis, Legem tamen Domini propterea dissimulare noluit, qui, prout æstimo, post canonicam finalemque monitionem Herodi, in Sermone, publicè, & in carceribus, dicere verba seD quentia non metuit. *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Matth. xIv. 4. Et ista querela ad martyrium sibi suffecit, Sancta Matre approbante Ecclesia.

Cur autem & Archiepiscopo, ejusque denique exemplo, dicere non possum memorato? pacem Ecclesiæ vehementer inde turbanti: non licet tibi justitiam palàm, ut præfertur, pretio sic venundare appretiato. Et si ista querela ad martyrium, juxta virorum Sanctorum arbitrium, sufficiat, mortem paratus sum pro ea ex nunc subire temporalem.

Quòd autem querela ista ad martyrium sufficiat, manifestis, pagina in præsenti, reserabo indiciis vera-

raciter. Primò: quia ex charitate, teste Deo, non ficta, in hac procedo materia; cùm ejus personam, & plùs animam, zelo charitatis, ut meam propriam, in Fide mea diligo, nec per modum accusationis, delationisve, aut detractionis, ista in lucem produco.

Audire etenim dudùm veritatem in scriptis, & per nuntios, in parabolis, & ænigmatibus, certissimum est quòd idem Archiepiscopus semper recusavit. A Conveniens ergo, juxta prudentum est sententiam, quòd qui audire veritatem non vult in secreto, quòd illam palàm audiat, & in aperto.

Die nempe Sabbati, ante meam quam non ignorabat in sancto Leto captionem, Lectori Fratrum Augustinensium idem Archiepiscopus Remis, in nonnullorum præsentia, dicere non erubuit. *Or, tu vis illius fatui sancti Leti, in veritate prædicanda, imitari vestigia. Consulo tibi quòd si vis perseverare, alibi, quàm hic nidum tuum prepares, cùm, pro certo, aliter te non patiar hic diu manere.* Quid igitur de tali homine est agendum, qui veritatem prædicare audire sic non patitur, ne damnum præcipuè sibi fiat in bursa.

Talem profectò hominem, non minùs Pharaone, in tyrannia sua, æstimo obstinatiorem. Pro hoc quandoque à Moyse & ab Aaron verbum Domini audiit; quod iste, velut lutum, non mediocriter, in veritate, spernit. B Pharao autem Dei servitoribus clementem se exhibuit, quosque quingariis & perangariis non mulctavit. Iste verò de hiis pietatem ullam nunquam habuit; sed eos verbo & opere hactenùs semper scandalisavit. Paret igitur se ad Domini lamentabilem, nisi ab hiis resipiscat, audiendam Sententiam, dicentis: Matth. XVIII. 6. *Qui autem scandalisaverit unum ex pusillis istis, qui in me credunt, expedit, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur,* Pharaonis instar, *in profundum maris.*

Væ igitur homini tali, nisi seipsum corripiat, per quem scandalum in mundum, non dubito, breviter quin veniat, nisi Deus aliter ex alto provideat. Nimirùm quia si sagittam veritatis verbi Domini, adversùs talem hominem, in genere, ut scandalo possem obviare futuro, sæpius immiserim quàm in spem modo Reipublicæ, favore præsenti, actor in paginam declarare. C

Secundò autem, quòd ista querela ad martyrium sufficiat, probo ex eo quòd rectam in animo meo gero, pro certo, intentionem; videlicet, ut ad pacem sanctæ Matris Ecclesiæ celeriùs, ipso converso, aut convincto, pervenire valeamus. Teneo etenim quòd propter peccata sua adeò obstinata, pacem notoriè, unà cum aliis impedit Ecclesiæ: quod sic probo.

In dubium autem non revoco quòd propter peccata nostra schisma præsens nobis evenit memoratum: cujus si tyrannia cessaret; & aliorum infinitorum peccata utique, ut æstimo, cessarent, quod manifestum pacis Ecclesiæ esset indicium: causa enim cessante, cessare solet effectus. Si bonus itaque foret, ejus Diœcesis immediatè bona esset, & per Concilium tandem Provinciale ejus tota Provincia, in qua per eum veritas regnaret, atque justitia. D Numquid & alii Regni Archiepiscopi mox erubescerent, si Provinciam cernerent Remensem justitiâ, & veritate circumdatam, si id idem non peragerent. Et si Regnum Franciæ justitiâ, & veritate circumvallaretur; quis æstimare oppositum posset, quin immediatè Orbis universus ipsum imitaretur; & si sic fieret, Deus pauperrimæ Ecclesiæ suæ illicò nunquam misereretur adeò desolatæ?

In ejus igitur tyrannia abolenda, pacis consistit Ecclesiæ pars, & non modica; & si in ea perseverare non erubescat, ex totis meis ago viribus, quòd pacem consequamur Ecclesiæ. Quis me prohibebit, veritate me, zelo pacis Ecclesiæ, justitiæque cogente, sibi dicere? O Archiepiscope, aliter verò meliùs Archityranne, nisi resipiscas; tyranniam tuam nunc abjice, ut pacem per te consequamur, quam quæritat omnis populus Sanctæ Matris Ecclesiæ. Et non ego solus arbitror quòd hoc deberem dicere, sed totus denique mundus in hac conclusione deberet me juvare, ut eo converso, aut convincto, pacem consequeremur Ecclesiæ.

Tertiò nempè, adversùs ipsius tyranniam execrabilem, me zelus movet Provinciæ ex qua natus existo, Remensis videlicet Diœcesis, catholicè me docente, quòd pugnem pro Provincia mea, & sic ista querela, unà cum præmissis, ad martyrium videtur sufficere.

Sancti etenim veteres Patres, novique pugiles inclyti, nunquam elegerunt citiùs velle mori, quàm videre mala gentis suæ, & Sanctorum, Legemque dissimulare Domini. Alii ex Provincia sua feras eam devastantes expulerunt; alii quippe hæreticos, reliqui verò tyrannos, feris quibuscumque sceleratiores, & hii pro hujuscemodi exponere se morti non erubuerunt. Numquid verò eligibilius foret putridum cadaver meum morti exponere, quàm diù sic Legem dissimulare Domini, pacem Ecclesiæ, Reipublicæ, & præsertim Provinciæ meæ?

In ista ergo querela, quam sanctam puto, juvet me ita Dominus meus Jesus Christus, pro quo usque ad mortem in ea, inclusivè, certare intendo, & virgo Beata, sicuti, & non plùs rectâ procedo intentione, pro veritatis & justitiæ defensione, zelo pacis Ecclesiæ, amoreque totius Orbis, Reipublicæ, & præsertim Provinciæ meæ.

XLV.

ITEM. *Prædicavit quòd in Matrimonio sunt 23. vel 22. peccata, & eorum tria sunt quorum minus, meretur pœnam ignis.*

RESpondeo. Verum est quòd prædicavi, sed addidi, de malè in Matrimonio utentibus, aut aliter, contra naturam abutentibus, de quibus aër inficitur solùm cum loquitur, & plurima adhuc reperi peccata quàm in Articulo contineantur, tùm circa Sponsalia, quàm circa Matrimonium: nihilominùs tamen laudavi Matrimonium, ne à Matrimonio quisquam per verba mea retraheretur. Sed hoc dixi in scandalum illorum solùm, qui publicè asserere non verebantur, se in Matrimonio non posse peccare, ut supra dixi. Et Deus scit si infinitis Sermo ille profuit, ad mei jactantiam non dicens, sed ad Dei laudem Omnipotentis, qui cuncta novit.

XLVI.

ITEM. *Prædicavit quòd quando Christus dixit illud, Matthei* IV. 10. *Cap.* Vade retrò sathanas, *quòd patientiam non habuit, quod est falsum.*

RESpondeo. Tunc dixi quòd Christus sathanæ Fidem noluit suam dissimulare, licèt in aliis quibus à sathana tentatus fuit ferè dissimulasset, & sic contra Fidem noluit habere patientiam, idest simulationem. Non autem dixi quòd virtutem propterea perdidit patientiæ; sed Fidem suam noluit dissimulare: ideò sibi justè dixit, cùm de Fide eum tentare voluit. *Vade retrò sathanas.*

Et ita populo scio me tunc exposuisse: videtur enim hodie, quòd qui veritatem dicit, meritum perdere videatur patientiæ, quod tamen non est verum;

rum; quia veritas nihil scit dissimulare. Impatiens, superbus, invidus, aut potiùs stolidus ab æmulis æstimatur: veritas equidem coram superbo non novit se flectere; sed propterea coronam ab illo humilitatis non perdit in mente, qui humiles spiritu solitus est salvare. A Fide etenim non discrepat magnanimus, atque humilis esse; & ita Christus Fidei veritatem noluit dissimulare: virtutem propterea non perdidit sapientiæ.

XLVII.

ITEM. *In quodam Sermone, præsente plurium Nationum copiosa multitudine, narravit de quadam muliere, quæ sibi per modum dubii proposuit, de Sacerdotibus præsentis temporis, Baptismum ministrantibus; quærendo, an solùm pellem exteriorem pueri qui baptisatur lavarent, seu baptisarent, & nihil interiùs in anima: de qua quæstione, ut dixit, in Sermone, risit, non ore, sed mente, & approbare videbatur illius mulieris propositam quæstionem, dicendo quòd non malè, immò benè quærebat, nec à veritate deviabat.*

RESpondeo. Malè retinuisti, qui sic ultimò venisti. Dixi sic: quòd quædam mulier ibi præsens, mihi dixerat, unde ore ridere fixi, sed corde non risi, quòd Prælati, Curati, & Mendicantes, ceterique perperàm agentes, mundo non ostendebant quòd veri essent Christiani, quia opera non demonstrabant Christianorum, quando populum sic A devorare satagebant, & vivere palàm non erubescebant: & quia solùm desuper pellem ostendebant quòd Christianam haberent, quia Judæis deteriores erant, aut paganis, quando opera non exercebant Christianorum; & hoc solùm in modum joci, non mihi tamen benèplaciti, post Sermonem recitavi, ad quoddam propositum, de quo modò non recordor. Certè credo quòd tales, aut paganis sunt deteriores, qui opera verorum non exercent Christianorum. Et inde Doctores vidi plures, quos aliter in simili proposito allegavi.

Quos & nos omnes, apud Deum & mundum, pauperes peccatores, convertere adeò dignetur Altissimus, Virgine Maria intercedente Beata, quòd ad B viam Veritatis, & Justitiæ, per eum, & ad eum reduci valeamus ad finem, quòd pacem in Dei sancta Matre Ecclesia Militante, nostro brevi in tempore cernere, & ad cœlestem Triumphantem eandem Ecclesiam perduci mereamur. Amen.

Istas Responsiones, ego Joannes De Varennis, manu propria, die Dominicâ pennultimâ Julii, hujus Anni 1396. hìc in carceribus recorrexi sancti Mauri. Et Deus scit cum qua pœna, semper timens quòd non, sicuti aliæ, tyrannicè mihi auferrentur.

FINIS TOMI PRIMI.



